

Carol i Calcagnini

ANNALES ECCLESIASTICI.

IESV CHRISTI annus 1334.

BENEDICTI PP.XII. 1. — VAC. IMP. OCCID. 21. — ANDRONICI IVN. IMP. OR. 3.

1 EXTREMO anno MCCCXXXIV. indictione secũda inclusi a ab oratoribus Roberti Regis Neapolitani eiusdemque Auinionis & Prouinciæ principis in conclaui Cardinales, concordibus suffragijs Iacobum Nouellum, appellatum quoque Furnerium, S.R.E. tit. S. Priscæ presbyterum Cardinalem a rerum aulicarum tractatione alienum, vt aiunt, sed religione præstantem, & theologica scientia florentissimum, vigesima decembris die Pontificem renuntiarunt b, vt consentiunt eius temporis auctores, c cuius primitias, atque emensos honorum gradus, describit ipsius vitæ auctor apud Bosquetum, d quos subiectis verbis M. S. Vaticanum perstringit d: *Benedictus* XII. ita nempe vulgo dictus fuit, quamuis eo nomine vndecimus sit, *natione Tolosanus de Sauerduno Appamiarum diœcesis prius vocatus Iacobus; abbas Fontisfrigidi ordinis Cisterciensis, magister in theologia, deinde episcopus Appamiarum, post episcopus Mirapisçensis, demum per dominum Ioannem* XXII. *prædictum creatus fuit tit. S. Prisca presbyter Cardinalis: deinde, mortuo domino Ioanne* IV. *die decembris anno Domini* MCCCXXXIV. *iste in papatu eligitur anno eodem mensis eiusdem die* XX. Fuisse infimæ conditionis in seculo, sed moribus & sciẽtia clarum, refert S. Antoninus e: accepisse autem pontificium insigne solemni ritu VI. idus ianuarij proximi ineuntis anni, docet anonymus scriptor f: *Fuit*, inquit, *electus iste dominus Benedictus Papa* XII. *anno incarnationis* Domini MCCCXXXIV. XX. *die decembris, & coronatus & benedictus eodem anno incarnationis* VIII. *die ianuarij, qua die incipit primus annus sui pontificatus*. Consentit Ptolemæus Lucensis, qui plura de eius pontificatus auspicijs coniungit his verbis. g

a Bzo. to. 2. ep. secr. pag. 106.

Creatus nouus Pontifex.

b Nic. Min. M.S. bibl. Vat. sign. n. 4008. pag. 187. & aliud sign. n. 3040.

c Auct. vit. Bened. apud Bosq. Io. Vill. l. 11. c. 21. Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. 24. c. 43. & alij.

d M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765 in Ben. XII. Ex Card. tit. S. Priscæ.

e Ant. 3. p. tit. 21. c. 7 in princ.

f M.S. bibl. Vat. sign. n. 3989.

g Ptol. Luc. in hist. eccl. l. 24. c. 43.

2 *Anno dominicæ incarnationis* MCCCXXXIIII, *idus decembris Cardinales omnes includuntur numero* XXIV. *per comitem Noualtum in palatio Auinionensi, in quo Papa Ioannes decessit. In vigilia autem Thomæ Apostoli* XIII. *kal. ianuarij anno Domini* MCCCXXXIV. *Cardinales prædicti numero* XXIV. *elegerunt in Papam vnum ex se, videlicet dominum Iacobum presbyterum Cardinalem tit. S. Priscæ, natum de prouincia Tolosana, monachum ordinis Cisterciensis, magistrum theologiæ, & vocatus est Benedictus* XII. *Qui in primo consistorio suo, quod habuit, scilicet* XII. *kal. ianuarij mandauit ecclesias reparari Romanas S. Petri, item ecclesiam Lateranensem, & alias ecclesias & palatia ibidem desolata & ad fabricam dotauit* L. *millia flor. Item ad subueniendum necessitatibus suorum fratrum collegio Cardinalium donauit* C. *millia flor. Dixit etiam, quod vellet pacem reformare in tota ecclesia. In die autem natiuitatis domini nostri Iesu Christi in publica missa, quam celebrauit dominus Petrus episcopus Prænestinus, fecit gratiam omnibus, qui interfuerunt, septem annos & septem quadragenas de iniunctis pœnitentijs: diebus autem sanctorum Stephani & Ioannis tres annos & tres quadragenas. Anno autem domini* MCCCXXXV. *Benedictus* XII. *descendit de palatio, in quo electus fuit, & iuit associatus cum Cardinalibus, vt moris est, ad locum fratrum prædicatorum* VII. *idus ianuarij: &* VI. *idus ianuarij in crastinum ibidem coronatus est per dominum Neapolionem Cardinalem diaconum. Et* V. *idus ianuarij reascendit suum palatium & petitiones sibi ablatas primo die post coronationem recipere recusauit: voluit enim scire conditionem personæ supplicantis, & summam redditnum, & si impetrans ante fuerit beneficiatus.*

Eius patria & primitiæ.

Redimitur tiara pontificia a Neapol. Card.

Eiusdem integritas in conferendis sacerdotijs.

3 Redimitus igitur pontificia tiara Benedictus, encyclicis proximo anno literis datis, præsules de sua electione fecit certiores a, atque ad coniungendas in pascendo grege dominico, ac re Christiana prouehenda curas excitauit.

a An. 1. p. 1. ep. cur. 1.

Benedictus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Rhemensi & episcopis, ac dilectis filijs abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, & alijs ecclesiarum prælatis, exemptis & non exemptis, per Rhemensem prouinciam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Encyclicæ Benedicti literæ de ipsius electione.

Altitudo cælestis consilij supra cuncta tenens

nens in excelsis imperium, sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili prouidentia munera gratiarum; sic creaturarum conditiones & status ordinat, ac prout vult, variat & disponit, quod sensus humanus eius secreta consilia perscrutari non valens, in horum consideratione potius hebetatur, cum sint inuestigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani non capiunt intellectus: facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula, tanquam palmo concludens omnia, potestatem. Sane felicis recordationis Ioanne Papa XXII. prædecessore nostro nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, & ad cælestem patriam ab huius mundi miseria, sicut piè credimus, euocato; eiusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris conuenientes in vnum sub deliberatione consilij, quam tanti negotij qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papæ celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios maiorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos; tandem ad personam nostram dirigentes vnanimiter vota sua, nos ad summi Pontificatus apicem, diuinæ dignationis clementia, euocarunt.

Concors fuit eius electio.

Nos igitur nostrarum insufficientiam virium, & administrationis tam arduæ sarcinam, tantique oneris grauitatem, intenta consideratione pensantes intra nostra præcordia, quid inter tot diuersas & varias seculi fluctuationes & pugnas agendum, quidue tenendum, quidue pensandum extiterit, animo duximus trepido reuoluendum. Demum vero spiritus virtute resumpta, in illo, qui assurgit in occursum timentium & implorantium humiliter nomen suum, quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter huiusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostræ fiximus, ad ferendum sub eius fiducia iugum seruitutis apostolicæ imbecilles humeros humiliter submittentes. Ac subsequenter benedictionis & coronationis solemnia, & cætera recepimus secundum morem eiusdem Romanæ ecclesiæ in personis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus obseruatum; anxiato & humiliato spiritu Domino supplicando, vt ipse, qui nos iugum huiusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram, suæ virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo non contingat nos ex nostra debilitate deficere: sed ita sua omnipotentia nobis, & gregi dominico vigilantiæ nostræ commisso, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo iudicio reddere rationem.

4 Cum autem nos ad tanti molem ponderis leuius, & salubrius perferendam, ac præfatam ecclesiam, quæ procellosis turbinibus agitari assolet, pijs & deuotis expediat orationum suffragijs adiuuari; vniuersitatem vestram rogamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus apud ipsum sponsum eiusdem ecclesiæ suppliciter in humilitate spiritus deuotis precibus insistatis, vt tempestuosa procellarum molestia quiescente, ecclesia ipsa sub facilis auræ serenitate lætetur, luxque pacis sibi copiose resplendeat, errorum & dissensionum tenebris de medio fidelium profugatis, ac gressus nostros, dum in præsentis valle miseriæ peregrinamur a Domino, per suorum dirigat semitas mandatorum; nostræque debilitaris humeris fortitudinis robur adijciens, misericordi nobis pietate concedat præfatam ecclesiam, ad sui nominis laudem & gloriam vtiliter gubernare, vt cum domus nostræ huius habitationis terræ figmentum eius imperio, per quem in præsenti seculo iuxta originariæ conditionis cursum solitum ingressum habuimus, dissoluetur, in illa cælesti Ierusalem, ad cuius ædificationem ceu quidam expoliti lapides electorum curiæ deferuntur, gloriosam non manu factam, sed æternam dignetur concedere mansionem, &c. *Dat. Auin. v. idus ianuarij anno 1.* Transmisit easdem literas a, immutatis extremis sententijs, ad Philippum Galliæ, Eduardum Angliæ, Robertum Siciliæ, Alfonsum Castellæ, Philippum Nauarræ, Alfonsum Aragonum, Alfonsum Lusitaniæ, Carolum Vngariæ, Robertum Sueciæ, Casimirum Poloniæ, Ioannem Boemiæ, Hugonem Cypri, Leonem Armeniæ Reges, tum ad Reginas ac præcipuos dignitate principes, duces, comites, Vrbis senatores, religiosorum ordinum magistros: quos etiam ad fundendas pro ipso preces, vt pro dignitate pontificatum gereret, tum ad operam pro augendo cultu diuini Numinis, ac te Christiana amplificanda collocandam solicitauit.

Fideles fundere preces iubet pro cōmuni pace.

a Ibid.

IESV CHRISTI
Annus 1335.

BENEDICTI PP. XII. annus 2. | VAC. IMP. OCCID. 22. | ANDR. IVN. IMP. OR. 4.

1 Redimitus vti dictum est, pontificia tiara Benedictus ineunte anno a partu Virginis millesimo trecentesimo trigesimo quinto indictione tertia, Siciliæ, & Sardiniæ Regum fiduciarios se Apostolicæ sedis solemni ritu profitentium honores & sacramenta recepit; sacram expeditionem in Babylonios & Turcas promouere, ferre opem adductæ in discrimen Armeniæ, extinguere, restituere Italiæ Apostolicam sedem, pacemque publicam; Fridericum Regem Trinacriæ, ac Ludouicum Bauarum ad ecclesiæ sinum reuocare apostolico zelo contendit, & ratua clementia allectum iri, qui seueritate exacerbatus fuerat, indulgentissimi patris in eum studia explicuit; de quo hæc in M. S. Vaticana traduntur b: *Iste sententias latas per dominum Ioannem prædecessorem suum contra Ludouicum ducem Bauariæ, qui se gessit pro Imperatore, nunquam aggrauauit, sed et ligatos suos misit, monens & hortans, vt ad ecclesiæ rediret vnitatem.* Ac nil innuit lenitas; vnde seueritas iudiciorum a Clemente VI. postea fuit distringenda. Vt vero res gesta sit, narrare aggrediamur. Agitatum iam ante fuerat a Ioanne Papa de Ludouico in gratiam cū ecclesia reuocando, atque ad optatum finem perducta res esset, nisi Bauarus a suscepto abdicandi correpti imperij consilio resilijsset. Igitur Benedictus Ludouici fœderatos Austriæ duces ad nauandam pro eo ad officium & gremium ecclesiæ reducendo operam impulit: *Placeret*, ita ad Ruperto Austriæ duce c scribit, *nobis admodum, si Ludouicus de Bauaria se per viam & modos debitos reduci ad ouile, cuius est pastor æternus dominus noster Iesus Christus, disponeret se reincorporari vnitati sanctæ matris ecclesiæ, extra quam non est salus alicui procuranda:*

Præcipua Benedicti hoc anno gesta.

b MS. bibl Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII.

c To. 1. ep. secr. 141.

Ludouico Bauaro ecclesiæ gratia.

nam nos ipsum, si hoc faceret, vt præfertur, libenter sicut cum Deo & honore fieri posset ecclesiæ, paternis reciperemus amplexibus, et tractaremus benigne. Quare, fili, ad id eundem Ludouicum, vt suam & aliorum multorum propter facta ipsius extra gregem prædictum errantes saluari procuret animas, excita, &c. Dat. Anin. VII. id. aprilis anno I. Spirant eundem paternum in Ludouicum amorem ad illum in viam salutis reuocandum aliæ literæ ad Albertum, a qui missis oratoribus officia sua Pontifici addixerat.

a To. I. ep. secr. 126.

Benedictus, &c. dilecto filio nobili viro Alberto duci Austriæ.

Rogatus Austriac' vt illum ad officiũ adducat.

Cum nos, qui licet insufficientibus meritis vices illius in terris gerimus, qui omnes quærit saluos fieri, & neminem vult perire, pericula vereamur quamplurimum animarum, gratum nostris affectibus existeret & acceptum, si Ludouicus de Bauaria vias suas seu deuia potius recognoscendo, ac quibus & quantis periculis tam sua quam multorum aliorum animæ pro factis suis expositæ sunt hactenus, & exponantur quotidie, diligenti meditatione pensando, suæ salnti animæ consultius prouideret, ad sanctæ matris ecclesiæ deuotionem & vnitatem, extra quam salus non est alicui, vijs & modis debitis redeundo: nam nos ipsum, si sic, vt præfertur, redire curaret, vt sua & aliarum innumerabilium personarum animæ de faucibus eriperentur æternæ damnationis & mortis reciperemus, prout cum Deo & honore nostro & ecclesiæ posset fieri fauorabiliter & benigne. Quare tu, fili, eundem Ludouicum, vt suam & aliorum multorum saluari procuret animas multis, vt præfertur, expositas periculis, & exinde tibi apud Deum perennis mercedis acquiras præmium, ad præmissa vijs & modis opportunis & debitis inducere non omittas. *Dat. Anin. kal. aprilis anno I.* Incitatus pariter Otho Austriacus b vt ad pium opus huiusmodi incumberet.

b Ibid. ep. 127.

Missi ad eum internuntij apostolici

2 Nec literis modo impulisse Germanos principes Benedictum, vt Ludouicum omnesque alios schismatis laqueis irretitos ad ecclesiam pellicerent; verum nuntios ad eum blandissimis monitis excitandum legasse in Germaniam, vitæ illius gesta c, ex antiquis manuscriptis collecta, testantur: *Hic Papa*, inquiunt, *in sui pontificatus principio misit nuntios suos ad Ludouicum ducem Bauariæ rebellem & inobedientem Romanæ ecclesiæ, occupatoremque imperij; qui ipsum monerent & exhortarentur sui parte, ab inceptis & attentatis desistendo, ad dictæ ecclesiæ obedientiam humiliter redire vellet: credens & sperans erga eum tali modo plus proficere, quam si continuaret processus contra ipsum inchoatos per dictum Ioannem Papam XXII. prædecessorem suum.* Albertus vero Argentinensis eorum temporum scriptor tradit d, Ludouicum certiorem factum, Pontificem & Cardinales restituendi illius in gratiam cum ecclesia desiderio teneri, mox oratores ac literas ad Benedictum & Cardinalium collegium transmisisse; eosque edoctos a Põtifice qua forma, quibusq; legibus in gratiã ecclesiæ admitti Ludouicum flagitaturi essent.

c Bened. XII. gesta edita a Besquet. & bibl. Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII. In Bauarũ clementia vtitur Pont.

d Argentinen. in chron.

Cum vero hæc accepisset Albertus Austriæ dux, de quo paulo ante memoraui, significauit Benedicto, se ex agitata Ludouici reconciliatione summo gaudio delibutum, suamque operam ad rem promouendam obtulit. Cui respondit Pontifex e lucrandarum Christo animarum zelo, adducendæque in Germaniam tot laniatam bellis publicæ pacis permotum spe, quãtum diuini Numinis & ecclesiæ honor patiatur, facilem se ad id ostensurum: præterea significauit datam formulam suis conceptam verbis, ex qua Ludouici oratores veniam essent deprecaturi, diemque ad id natalitijs Virginis sacram constitutam: Meminit de his Ptolemæus Lucensis his verbis. a *M. CCCXXXV. IV. kal. maij venit Ludouicus comes de Oetingen. ad Papam Benedictum cum tribus clericis & militibus in ambasciata domini Ludouici, qui se pro imperatore gerebat, licet per dominum Ioannem Papam depositus & excommunicatus fuisset. Ipsis autem in curia existentibus, ambasciatores Mediolanen. & aliarum ciuitatum eis confœderatarũ Papæ obedientiam faciunt, & absolutionem obtinent a sententijs, quibus per Ioannem fuerant irretiti, promittentes se nunquam aliquem pro Imperatore recepturos, nisi prius per Papam esset appellatus.* Et infra: *Item III. non. iulij recesserunt ambasciatores prædicti domini Ludouici de Auinione, portantes quæ Papa petebat pro emenda suorum excessuum: quibus adimpletis, sperabatur ipsorum concordia.*

e To. I. ep. secr. pag. 126.

Ludouici oratorib' veniæ essla gitandæ formula data.

a Ptol. Luc hist. eccl. M. S. l. 24. c. 43.

3 Repetiere itaq; Germaniam Bauari oratores, ac datas a Christi vicario cõcordiæ leges attulere. Quo tempore Benedictus Francorum Regem certiorem fecit b, non modo honori & iuribus ecclesiæ, verum ipsius Philippi ac Roberti Regum rationibus prospectum fuisse; addiditque, si Bauarici oratores idoneis freti mandatis ad expianda superiora facinora redirent, sine mora Ludouicũ conciliatũ iri, ad extinguenda mala, quę veteres inimicitiæ in ecclesiam inuexissent: interea si ipse promissum ad sedem Apostolicam accessum extraheret, quanti res sua referret literis proderet: docuitque poposcisse Romanorum oratores, vt sedes Apostolica Vrbi restitueretur, eorumque preces admissas. Meminit de ea Romanorum legatione Ptolemæus c Lucensis his verbis: *Insuper legati Romanorum petebant instanter, vt iret ad Vrbem: quibus respondit se iturum; sed diem certum super hoc eis non assignauit.* Obiectæ nouæ morarum causæ consulto in eare Philippo Francorum Rege, qui varijs officiorum illecebris curiam illaqueatam trans alpes tenebat; ad quem datæ subiectæ literæ.

De his factus certior Francor. Rex.

b To. I. ep. secr. 431.

c Ptol. Luc in M. S. hist. eccl. l. 24. c. 43.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Romanorum ad Pont. legatio.

Benigne receptis serenitatis regiæ literis de missis ad præsentiam nostram pro parte Romani populi, & Ludouici de Bauaria nuncijs facientibus inter cætera mentionem, & ijs, quæ continebantur in eis, plenius intellectis, ecce fili charissime, quod licet magnam partem eorum, quæ circa nunciorum prædictorum acta sunt, non ignoret regia prudentia, cum in prædictis literis exprimantur; ea tamẽ succinctæ recitationis serie referamus regali excellentiæ per præsentes. Nuncijs namque Romani populi coram nobis & fratribus nostris in consistorio pridem proponentibus & allegantibus plures causas efficaces, quare deberemus Vrbem, in qua nostri apostolatus sedem diuina prouidentia statuit, & basilicas sacras Vrbis eiusdem, vbi sanctorum requiescunt corpora visitare, ac instanter & suppliciter a nobis petentibus, vt illuc vellemus cum curia nos transferre; tandem cum eisdem fratribus deliberatione super ijs præhabita diligenti, videntes quod tam piæ ac honestæ petitioni non poteramus exauditionis aditum denegare, respondimus quod nostræ ac prædictorum fratrum erat intentionis & voluntatis facere, diuina præeunte gratia, quod petebant: & ad declarandum vo-

Benedicti de restituenda Vrbi sede promissa.

luntatem nostram super termini præfixione, in quo illuc essemus cum eadem curia* vsque ad kalendas octobris proxime futuri duximus differendum. Sane, fili dilectissime, quia cum hæc facta sint in consistorio, vt præfertur, non posset honeste diutius vltra dictas kalendas nostra differri super eiusdem assignatione termini responsio, nisi aliud, per quod deberet id fieri rationabile diceretur: & ideo, si forsan vltra prædictas kalendas aduentus ad has partes regius, quem cum gaudioso desiderio præstolamur, differri contingeret, scribat nobis interim regalis circumspectio, quæ sibi honesta super ijs occurrerint, & etiam opportuna.

(* profe- ctuti)

Nuntij Lud. idonei man datis non instructi. 4 Cæterum cum nuntij dicti Ludouici, ad nostram destinati præsentiam, super quibusdam quæ prolocuta fuerunt cum eis, alia vtique, per quæ, si ad effectum peruenirent, iuri & honori consuletur ecclesiæ, ac tuis & charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris indemnitatibus prouideretur, mandatum sufficiens non haberent, promiserunt se facturos & curaturos, quod ea complerentur per Ludouicum eundem, seque cum sufficienti mandato super ijs in proximo ad eandem nostram præsentiam reuersuros. Verum quia si venirent, vt promiserunt, prælibati nuntij, mandato sufficienti ad complendum huiusmodi prolocuta fulciti, cos diutius per verba cum honestate nostra ducere nequiremus; suam intentionem regalis magnificentia, si suum personalem aduentum prorogari contingeret, nobis rescribere super ijs non omittat. Porro super contentis in posteriori literarum regiarum clausula, charitatis & amoris vinculū, quod vigere debet inter patrem & filium, delectabiliter recensentibus, gratiarum serenitati regiæ referimus vberes actiones; pro certo scituros, fili dilectissime quod tenemus, vt eadem clausula denotabat, indubie te velut specialem ecclesiæ filium ad nostrum & eiusdem ecclesiæ honorem conseruandum illæsum affici; & de nobis, quod tuum & regni tui honorem & commodum sincere diligimus, volumus certitudinaliter te tenere. *Datum apud pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis 11. kal. augusti anno primo.*

(Dimissi promittunt facturi se satis Lud.) (Monitus Gallus, vt quid sua interfit proponat.)

Impedit* a Gallo Rege Pōt. in Vrbem reditus. 5 Discussa sunt præclara illa duo Benedicti consilia de restituenda Romæ Apostolica sede, deque Ludouico & sequacibus ecclesiæ conciliandis, ascriptaque est vulgo prætermissæ vtriusque rei adeo necessariæ causa Regis Francorum artibus: nā in primis Petrus S.Martini in montibus, Talayrandus S.Petri ad vincula, ac Petrus S. Clementis Cardd. regio nomine attulere varios fucos ad curiam in Gallijs distinendam: *Ex quibus*, inquit Benedictus, *concludi videbatur, debere curiam in his partibus perpetuo remanere*. Cumque hæc in Cardinalium senatū adduci vellent ij Cardinales Philippo addictissimi, obstitit Benedictus, *quia*, inquit, *scandalosi periculi materiam forsitan suscitaret*. Quod vero ad discussum de reconciliando in ecclesiæ gratiam Ludouico tractatum attinet; potissimam illius suisse causam eiusdem Ludouici inconstantiam visuri sumus suo loco: in retardando autem eiusdem tractatu Philippum culpæ non expertem, series historiæ docet.

Oratores Ludouici ad Pontificem redeunt. 6 Rediisse, vti pactum cum Pontifice fuerat Ludouici oratores amplissimis fretos mandatis ad aulam apostolicam, Ptolemæus a Lucensis accurate describit his verbis: *Eodem anno in mense septembris secunda die eiusdem iterum misit dominus Ludouicus, qui se pro Imperatore gessit, prædictum comitem de Ottingen, & magistrum Ebrehardum de Thumenouuem, magistrum Marquardum de Randegge canonicum Augustensis ecclesiæ, & magistrum Vlricum de Augusta notarium suum, & fratrem Henricum de Cyppinegen ad Papam Benedictum pro concordia cum pleno mandato omnia faciendi, quæ Papa petijt pro emenda: & intrauerunt ad Papam die prædicta similiter Auinionem.* Et infra. *Item 10 kal. octobris reuersus est Papa Benedictus associatus Cardinalibus & ambasciatoribus prædictis. Item VII. idus octobris in publico consistorio, quod Benedictus super hoc habuit, propositum fuit per dominum Marquardum de Randegge canonicum Augustensis ecclesiæ, qui vnus fuit de ambasciatoribus prædictis domini Ludouici: & legatio talis fuit, qualiter petijt absolui a processibus factis contra eum per Ioannem Papam, offerens se satisfacturum ecclesiæ & Papæ. Super hoc respondit, se deliberaturum cum fratribus suis, qualiter hoc perduceret ad bonum finem; licet grande esset, quod petebatur ab eo, quia in multis excessit prædictus Ludouicus: sed per Benedictum Papam de absolutione prædicti Ludouici nihil penitus fuit determinatum. E fuit thema proponentis: Eripies me a contradictionibus populi, & constitues me in caput gentium.* Eosdem oratores amplioribus fultos mandatis iterum a Ludouico decretos, anno proximo videbimus. Vocat in inuidiam retardatæ Ludouici Bauari reconciliationis Albertus Argentinensis Francorum & Siciliæ Reges his verbis: *Verum prædictus Rex Franciæ, & Rex Siciliæ seu Apuliæ, omnes quasi Cardinales a proposito auerterant praconcepto: venerant enim ad impediendum factum ad curiam duo archiepiscopi, duo episcopi, & duo comites ex parte Regis Franciæ, & totidem ex parte Regis Roberti, proponentes erroneum esse tantum hæresiarcham præponere dominis eorum ecclesiæ fidelissimis, Papamque cauere debere, ne fautor hæreticorum diceretur.*

(a Ptol. Luc. in hist. eccl. M.S. l. 24. c. 43.) (Petita ei nomine venia.) (Habitæ orationis argumentum.) (Gallus & Siculus obstant ne Lud. cōcilietur.)

Grauissimos aduersarios pariter Lu douicus. 7 Non Robertum modo & Philippum, verum Carolum Vngariæ, Casimirum Poloniæ, Ioannem Boemiæ Reges, atque Henricum Bauariæ ducem Ludouici reconciliationi obstitisse addit idem auctor, & pollicitos armorum potentiam ad deturbandum imperio Ludouicum, & creandum nouum Cæsarem se coniunctos. Et quidem Hagecus apud Chromerum Vngariæ, Poloniæ, & Boemiæ Reges aduersus Ludouicum fœdus percussisse consentit; quorum impetus retusi a Bauaro fuere. At tot tantaque obstacula abrumpenda omnino erant, si Ludouicus in suscepta pia mente constans perstitisset: cuius rei arcanæ seriem ex pontificijs literis illustrabimus. Ex ijs enim constat a, Francorum Regem, cum ad ipsum affluxisset fama, oratores Ludouici Bauari leges ab Apostolica sede datas accepisse, quibus in gratiam ecclesiæ admittendus esset, expostulasse, Pontificem se inconsulto eam rem aggressum, proceesque adiecisse, vt cum suæ Robertique Regis (fuerat is a Ludouico, vt supra dictum est, capitis sententia damnatus) rationes in Ludouici reconciliationis causa implicitæ essent, in gratiam non reciperet, nisi prius illius restituendi ecclesiæ gremio leges cum ipso communicatæ essent: Germanicæ enim dissensionis occasione nonnullas imperij vrbes clientelæ specioso nomine Gallus occupabat. Assensit petitis Philippi Benedictus, cum maxime Cardinales, qui Gallici erant sanguinis, ad Regis gratiam omnia agerent; atque ad ipsum concordiæ leges, quæ cum Ludouico Bauaro agitatæ fuerant, transmisit; ea tamen

(a To. 1. ep. secr. 641.) (Quis hosum Regum prætextus fue rit.)

teli-

religione obstrinxit, vt ipsas in vulgus non proferret. Ad propositas vero de Rege non consulto querelas responsum dedit, ea quæ ab ecclesia Ludonico oblata fuerant, adeo onerosa extitisse, vt in dubium reuocarentur, an a Bauaro admitterentur; neque ob id eas leges ipsi explicandas se existimasse, sufficisseque, vt eius ac Roberti Regis Siciliæ rationibus ac dignitati in ijs consuleretur: appetente autem Deiparæ festo natali venisse Ludouici oratores, vt oblata iam atque agitata perducerent. Quanto vero adducendi ad ecclesiam Ludouici desiderio teneretur subiecit.

Significat Gallo Pōtifex suū de recipiēdo Lud. desideriū. Eo conciliato magnum animarum lucrum futurum.

Aestimamus equidem quod si Ludouicus prædictus, eiusque sequaces, fautores, et adhærentes innumeri possint salubriter præmissis a via perditionis, per quam gradiuntur oberrantes extra ouile dominicum, reduci ad gremium ecclesiæ, maximum obsequium Deo, lucrifaciendo sibi tot animas diabolicæ voracitati expositas, proculdubio præstaretur; obuiareturque magnis periculis, quæ interdicti et excommunicationis sententia, quibus illa regio Alamanniæ tot circumuoluta temporibus extitit, comminantur; præsertim cum ex similibus schismata et rebelliones consueuerint aduersus ecclesiam et fidem catholicam periculose nimium alias pullulari. Audimus etiam multas terras Italiæ, in quibus propter defectum recti regiminis nec iuri paretur, nec iustitia sed mala multiplicantur continue, quibus esset salubriter consulendum. Super dilatione autem petita prædicti negotij, vt præfertur, nihil valemus aliud præsentialiter respondere, nisi quod negotium ipsum per fratres nostros singulariter videtur, et examinatur mature.

Eo non admisso ingruere fere hæreses.

Addit Benedictus se apud Pontemsorgiæ in discutienda de visione Dei, quam facialem vocant, quæstione cum theologis & Cardinalibus occupatu, postea vero operam omnem ac studium in reducendi ad ecclesiam Ludouici causa defixurum. Interim si occurrant aliqua, quæ ipsius ac Regis Siciliæ in illius tractatus cum Ludouico conditionibus dignitati obesse videantur, vel eorum rationibus ac securitati minus caueatur, significet. *Dat. Auin. v. kalend. nouembris anno* 1.

Latebat Philippum Francorum Regem quantam malorum molem ex retardata Ludouici Bauari reconciliatione in se traheret: quam cum postea, mutata temporū ratione, quamuis iniustæ a Ludouico leges proponerentur, vrgeret repulsam passum visuri sumus. Interea Pontifex apud Ludouicum se excusauit a, si pijs de reconciliatione ipsius cum ecclesia maturanda votis non assentiretur.

Ob impedimenta obiecta Francor. Rex ingētia sibi parat pericula Reconciliatio Ludouici in aliud tēpus extracta.

a Ep.806.

Benedictus, & magnifico viro Ludouico de Bauaria ad promerendum in præsenti gratiam, & in futuro gloriam, Deum diligere veraciter & timere.

Allata a Bened. excusatio.

Dudum circa festum natiuitatis B. Mariæ virginis proximo præteritum, tunc nobis castro nostro Pontissorgiæ Auinionensis diœcesis existentibus, venerunt ad præsentiam nostram nuncij tui; & tua nobis procuratoria super tua reductione ad gratiā sanctæ matris ecclesiæ exhibentes, parerne audiuimus quæ ipsi tam super contentis in eisdem procuratorijs, quam alijs pro parte tua proponere curauerunt: dictorum procuratoriorum transumpta fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad videndum & examinandum fecimus pro feliciori & celeriori expeditione negotij assignati, &c.] Addit se in discutienda de visionis diuinæ essentiæ quæstione occupatum non-dum potuisse omne studium in id intendere, contendentibus Cardinalibus controuersiæ solutionē ad omnes fideles, quibus magno solatio futura sit, spectare; nec facile, si abrumperetur redintegrari posse: quare rogauit, vt ipsum excusatum haberet si eius desiderijs non obsecundaret. *Dat. Auin. vi. id. septembris anno* 2.

8 Quod ad controuersiam de visione beatifica spectat; docuisse Benedictum animas sanctorum omnis noxæ labe perpurgatas ante extremū iudicium diuinæ essentię intuitione perfrui, refert Ptolemæus a Lucensis: *In purificationis, inquit, beatæ Virginis festo primo anno pontificatus sui celebrans, fecit sermonem, et erat suum thema: Ecce sponsus venit, Matthæi xxv. in quo publice dixit, quod sancti vident clare essentiam Dei contra opinionem prædecessoris sui, qui de hac dubium fecerat vt supra dictum est de eo.* Ascripta est vulgo illi eiusmodi opinio, quod argumenta pro ea parte ex patribus ad discutiendam veritatem diligenter collegisset b: *Item pridie nonas februarij fecit vocari omnes illos ad suum consistorium, qui prædicauerant opinionem sui prædecessoris, quod visio non esset essentialis Dei, volens scire motiuum ipsorum, etc.* Interiectis nonnullis ait se æstate Pontisforgiæ recessus petijsse, vt cum doctoribus discutiendæ quæstioni operam daret: *Item a pridie nonas eiusdem mensis*, nempe iulij, *scilicet sequenti die proxima, Papa Benedictus iuit ad Pontemsorgæ, volendo ibi vacationes deducere, & habuit secum plures magistros in theologia: & coram illis et dominis Cardinalibus, quibus placuit interesse, fecit legi librum, quem ipse Benedictus Papa composuit de visione, & autoritates ibi positas fecit prædictos magistros examinare, an essent pertinentes, & ibi quæstiones visionis examinauit.*

a Ptol.Luc. hist.eccl. MS l.24. c. 42.

Controuersia de visione beatifica discussa.

b lo.xxii. to 9 p.2.ep 5 & pag. 194 & alib & Ben. xii. in bibl Vat sign n 406 in præfat operis c Eadē ep. Compulitus de eo libe. a Bened. in Cardinalatu.

9 Extat earum quæstionum volumen insigne in bibliotheca Vaticana d, cuius operis præfationem, cum lectori nullum parere fastidium possit, & maximam dignissimarum rerum amplitudinem breui compendio colligat, attex: mus: *Beatus*, inquit, *Petrus, cui Dominus post confessionem trinam sui amoris suas oues pascendas commisit, volens Christi oues sic in doctrina scripturæ sacræ, qua spiritualiter pascebat, esse instructas, hortatur & monet eas, dicens prima Petri iii. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe & fide.* Et infra: *Et si ad hoc omnes fideles Apostolus exhortatur, magis hoc episcoporum qui ecclesiam sanctam Dei regere sub domino Christo susceperunt, officium & opus esse debet; propter quod & Paulus scribens Tito de virtutibus, quæ inesse debent episcopo, inter alias dicit ad Tit. 1. Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Et infra: *Ideirco cum in tali statu Deus sua gratia & misericordia, nullis meis meritis præcedentibus, in ecclesia posuerit, iuxta mandatum talium duorum principum Apostolorum illud, quod mihi videatur sanæ doctrinæ aduersari tam motus propria conscientia, quam præcepto felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris & patris mei ac singularis benefactoris, quæ a tempore, quo assumptus fui ad Cardinalatum, in ecclesia emerserunt, quantum Dominus dignatus fuit mihi concedere, redarguere pro posse & conuincere volui.* Et infra: *Inter cætera quæ inter nonnullos in quæstionem deducta fuerunt, licet apud alios, inter quos ego tunc eram, altera pars indubitate teneretur secundum illa, quæ communis doctrina ecclesiæ tenebat, fuit quæstio longo tempore agita-*

d Ms.bib. Vat. sign. n.4006.

Quę causa ad scribendum ipsum impulerit.

Status quæstionis primus.

ta, & pro vna parte & altera hinc inde multa & sibi aduersantia dicta: an scilicet animæ sanctorum hominum defunctorum hic a peccatis & pœnis peccatorum, vel post mortem in purgatorio purgatæ ante generale iudicium, quod erit post generalem resurrectionem, diuinam essentiam videant, vel visuræ sint visione aperta & faciali. Circa quam etiam motæ fuerunt quædam aliæ, scilicet an fides, vt est virtus theologica propriè accepta maneat in dictis animabus vsque post finale iudicium: & de spe, vt est virtus theologica propriè accepta, consimilis quæstio fuit mota. Contraria etiam quæstio primæ tunc etiam extitit ventilata, an scilicet animæ hominum, in peccato mortali actuali decedentium ex hac vita sint in igne infernali de communi lege, & in infernum ponendæ, vel non. Lateraliter etiã circa hoc fuit quæstio mota, an dæmones omnes sint & futuri sint in isto aere caliginoso vsque ad diem iudicij, vel eorum aliqui sint in inferno interim vel continue vel interpolate. Super quibus quæstionibus varia & diuersa a multis & multum literatis viris dicta & scripta tunc fuerunt.

Motæ aliæ quæstiones.

10 *De prima enim quæstione aliqui dixerunt, quod dictæ animæ sanctorum, licet post Domini ascensionem essent in cælo in magna claritate, & ibi essent in requie, quia de cætero non haberent mortis vel corporalis vel spiritualis timorem, nec aliquam afflictionem pœnalem de vel pro peccatis præteritis, vel ex aliqua alia causa, nec etiam timerent de cætero in peccatum quodcumque labi; tamen vsque post generale iudicium facialem diuinæ essentiæ visionem & fruitionem, in quibus beatitudo plena consistit, non habebant nec habituræ erant: sed interim stabant sub altare Dei in cælo, id est sub Christi humanitate glorificata, eam videndo, & consolationem magnam de eius visione & præsentia suscipiendo, & etiam in sanctorum angelorum consortio: & in prædictis bonis existendo, beatæ, ac in paradiso & in regno cælorum esse dicebantur: dicentes quod talis beatitudo ante corporum gloriosam resurrectionem dictis animabus a corporibus separatis congruebat; sed in generali resurrectione resumerent sua corpora gloriosa cum quibus ad Christi iudicium venientes, data sententia per eum, dicendo eis: Venite benedicti Patris mei, &c. ad Dei visionem & fruitionem beatificam peruenirent; inducendo ad probandum dictas conclusiones multa dicta sacræ scripturæ & sanctorum doctorum, ac etiam rationes. Ex quibus videbatur eis, quod dictæ conclusiones probarentur vel simpliciter, vel ad minus quod hoc sicut opinio probabilis teneri posset. Alijs autem, de quorum numero ego eram, videbatur propter multa dicta sacræ scripturæ, glossarum sanctorum doctorum, & etiam propter auctoritatem ecclesiæ, quæ hoc videbatur tenere & tenuisse; & etiam ex illis, quæ altera pars credebat habere animas sanctas, quod dictæ animæ sic purgatæ ante generale iudicium & etiam ante corporum suorum gloriosorum resumptionem videbant, & visuræ erant post mortem Christi Dei essentiam visione faciali, & ipsa Dei essentia visa beatifice fruebantur.*

Erronea aliquorũ opinio.

Fundamẽtum illius.

Contraria & vera sententia.

11 *Ex istis, aliquibus dicentibus probabiliter, quod post generalem resurrectionem vel iudicium generale Dei essentiam dictæ animæ perfectius, plenius, vtilius, clarius non solum extensiue, sed & intensiue visuræ essent; & quod earum beatitudo essentialis post generale iudicium magnum acciperet augmentum: quæ opinio visa fuit mihi tunc verior & magis consona dictis sanctorum, & adhuc etiam, omni assertione temeraria circumscripta, probabilior mihi etiam videtur, sicut satis apparebit in processu: & facilius difficultates contra illam secundam positionem per illos, qui tenebant primam positionem inductæ, solui possunt. Alijs autem visum fuit, quod in essentia beatitudinis nullum augmentum fieret post generale iudicium; sed quod nunc, quantum pertinet ad beatitudinis essentiam, æque perfectè & in æquali gradu perfectionis beatæ sunt, sicut erunt post finale iudicium.*

Agitata quæstio an intensior visio post iudicium futura.

12 *De secunda etiam & tertia quæstione scilicet an in dictis animabus maneant fides & spes, vt sunt virtutes theologicæ propriè dictæ, & sub proprijs suis rationibus primi qui præcedentem positionem de beatitudine animarum defendebant, dixerunt quod in dictis animabus propriè manent & manebunt vsque post finale iudicium actus fidei & spei: qui actus euacuabuntur post finale iudicium, quando Dei essentia facialiter videbitur, & beati ipsa fruentur, & ante non solum in omnibus, sed nec in singulis ipsorum: illis vero de secunda positione videbatur, quod ex quo, secundum eos, dictæ animæ Dei essentiam videbant, & visuræ etiam erant ante generalem resurrectionem, & per consequens ante generale iudicium, quod in talibus animabus, sic Dei essentiã videntibus actus fidei & spei, vt sunt propriè virtutes theologicæ, non erant, sed tales actus in eis euacuati erant.*

An fides & spes desinant in beatis.

13 *De quarta vero quæstione, an scilicet animæ impiorum hominum, de hac vita in peccato mortali actuali decedentium, de communi lege essent in inferno; illis de prima positione beatitudinis animarum videbatur, quod licet dictæ animæ aliquam afflictionem habeant, tamen in igne infernali nõ ponentur, nisi cum resumptis corporibus in generali resurrectione per sententiam Christi iudicis eis dicetur: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Illi vero qui secundam positionem tenebant, dicebant quod de communi lege animæ talium hominum impiorum ante generalem resurrectionem & iudicium ponebantur in inferno, & ibi igne infernali cruciabantur; sed post generalem resurrectionem & iudicium in corpore & anima in igne infernali ponentur grauius cruciandi quam ante.*

An damnatorum animæ torqueantur igne ante iudicium.

14 *De quinta vero quæstione primi dicebant quod dæmones omnes generaliter erant in isto aere caliginoso vsque ad diem iudicij, et nec continue nec interpolate aliquis dæmon esset in inferno. Sed post generale iudicium omnes dæmones in inferno igne infernali cruciandi ponentur, exinde postea nunquam exituri. Illi autem, qui secundam positionem tenebant dicebant, quod aliqui dæmones erant in isto aere caliginoso ad tentandum & exercendum homines, & essent ibi eorum aliqui vsque ad diem iudicij: aliqui vero dæmones erant in inferno vel ibi continue detenti, vt igne infernali cruciarentur propter magnitudinem peccati eorum: aliqui vero erant vt animas impiorum hominum ibi cruciarent, vel illuc adducerent, & hoc vel continue vel per vices.*

Quæstio de supplicijs dæmonum.

15 *Et quia tam de diuersis et alijs quæstionibus tunc tractabatur, ego volens distinctè, quantum mihi possibile erat, in ipsis procedere, hunc libellum per sex tractatus distinxi, diuidens etiam dictos tractatus per capitula, & apponens ante dicta capitula rubricas dictorum capitulorum, sententias breuiter continentes. Præposui etiam dictis tractatibus capitula illa, quæ in quolibet de dictis tractatibus continentur, vt facilius quisque inuenire posset illa, quæ in dictis tractatibus quæreret.*

Distinctio operis.

16 *In tractatu autem primo hunc ordinem tenui, quod primo ex illis, quæ concedebat pars aduer-*

sa

Argumẽtum primi tractatus & ordo eius.

sa, animas sanctorum a peccatis & pœnis peccatorum purgatas habere ante generale iudicium sicut quod erant in regno cælorum & in paradiso cælesti & habebant æternam requiem, & erant cum Christo, eius claritatem videndo, conatus fui ostendere, quod ex quolibet supradicto per eos concesso & magis ex omnibus simul sequebatur, quod Dei essentiam facialiter videbant, & ipsa fruebantur.

In eo probatur sanctos ante iudicium Deum videre.

Deinde per partes ostendi quantum potui, quod animæ sanctorum Apostolorum & animæ sanctorum patrum, qui ante Christi passionem & eius in cælum ascensionem decesserant, nihil habentes in se purgabile sunt in cælo, & habent vitam æternam, & Dei visionem: & deinde idem ostendi de animabus sanctorum martyrum & de animabus fidelium, nihil purgabile in se habentium. Ex consequenti etiam ostendi, quod in talibus actus fidei & spei secundum propriam rationem non manent. Ostendi etiam illud idem de paruis baptizatis, qui in illa ætate, antequam habeant vsum liberi arbitrij ex hac vita decedunt: sed quia prædicta & alia, de quibus agitur in primo tractatu, ratione naturali probari non possunt, ad probandum conclusiones positas in dicto tractatu auctoritatibus scripturæ sacræ & glossæ eius ordinariæ, ac laudibus ecclesiæ, quibus vtitur in festis sanctorum communiter, & dictis sanctorum catholicorum patrum per ecclesiam approbatorum solum vsus fui, deducendo conclusionem meam ex dictis per eos, vtens etiam eorum verbis. Vt autem dictæ auctoritates citius inuenirentur, loca ex quibus ipsas assumpsi posui.

In secundo impios cruciari in inferno.

17 *In tractatu vero secundo ostendi quantum potui, quod animæ hominum peccatorum, in peccato mortali actuali decedentiũ; & quod etiam aliqui dæmones ante generale iudicium sunt in inferno, & ibi etiam igne infernali cruciantur; & quod non solum illi igne existentes in inferno cruciantur, sed etiam quod dæmones, qui sunt in isto aere caliginoso, igne infernali cruciantur. Et istas conclusiones, sicut & præcedentes, per dicta sacræ scripturæ & glossarum ac sanctorum patrum catholicorum probaui, prout melius potui.*

In tertio nunc a beatis aliqua ignorari, quæ scientur post iudicium.

18 *In tractatu vero tertio vt possem ostendere quomodo multa, quæ nesciunt tam sancti angeli quam etiam sanctæ animæ nunc, in generali iudicio, & post scient plene & perfecte, distinxi de triplici Dei iudicio, & ostendi, quod merita & demerita hominum, secundum quæ a Domino in vita præsenti iudicantur ante iudicium generale, nec sancti angeli nec homines sciunt, quia nesciunt cogitationes et intentiones cordis humani, in quibus principaliter merita et demerita consistunt: nec diuinam prædestinationem et præscientiam de saluandis vel damnandis istis vel illis hominibus particulariter et distincte etiam sancti angeli vsque ad generale iudicium sciunt, nec causam scientiæ prædestinationis diuinæ, quare hunc vult saluari, alium non; et quod causæ iudiciorum Dei absconditæ sunt in præsenti et angelis sanctis et hominibus, et quod futura contingentia, nisi eis reuelentur, nec angeli sancti nec animæ sanctorũ sciunt, sed in generali iudicio et post omnia prædicta tã sanctis angelis quã sanctis hominibus erunt nota et manifesta. Ex quibus conclusi, quod multa sunt, quæ beatæ nunc recte desiderant scire, quæ tamen nesciunt: ipsa tamen scient in iudicio vel post generale iudicium, quia tunc tolletur omnis nescientia ab eis omnium eorum, quæ secundum rectam rationem sciri appetuntur ab angelis et hominibus beatis. Ponuntur etiam causæ, quare beatitudo sanctorum intensiue secundum me & multos alios, vel extensiue secundum alios multum augebitur post generale iudicium, quia eorum scientia erit perfectior, & eorum amor intensior multo plus quam ante fuerit. Ostenditur etiam, quod tam dæmones quam homines impij multo plus cruciabuntur post generale iudicium quam ante, & quod cruciatus eorum ex multis augebitur.*

In quarto soluuntur difficultates contra visionem beatificã.

19 *In quarto vero tractatu ponuntur auctoritates & rationes factæ per illos, qui tenere videbantur, quod animæ sanctorum purgatæ ante generale iudicium non viderent Dei essentiam visione faciali. Ponendo autem dictas auctoritates & rationes, verba eorum ex integro posui, vt melius videatur si auctoritates per eos inductæ, et rationes plene soluantur & etiam impugnentur: quasi enim in solutione cuiuslibet auctoritatis hunc modum tenui, quod & eorum dictum impugnaui, et per sanctos impugnationem probaui & deinde eorum dicta solui, inducendo in dictis solutionibus multa dicta sanctorum et glossarum, quæ ante non posueram in primo tractatu. In solutione autem dictarum rationum et auctoritatum alterius partis frequenter plures sermones posui, aliquando ex illis solutionibus vnam præeligendo, quæ magis mihi videbatur dictis sanctorum et rationi conuenire: aliquando vero nullam dictarum solutionum elegi, sed ipsarũ electionem lectori dimisi. Et quia aliquæ rationes et auctoritates videbantur esse fundamenta positionis aliarum, illas magis prosecutus fui, ponendo multa capitula in solutione ipsarum, secundum quod mihi visum fuit expediens esse, vt magis materia declararetur. Et quia a principio non omnes rationes et auctoritates induxerunt, sed aliquas, postea multo plures addiderunt; idcirco primo solui illas, quas primo induxerũt, & subsequẽter alias, prout successiue per eos inducebantur. Frequenter etiã quia in auctoritatibus, quas accipiebant, aliqua addebãt, quæ non erant in textu; aliqua subtrahebant, quæ erant in textu; aliqua etiam mutabant, vt sic ad probandum eorum propositum valerent; vbi hoc factum per eos inueni, auctoritates tales ita per eos positas, vt iacent in textu, de verbo ad verbum posui vt per hoc ostenderem, quod non recte auctoritates prædictæ per eos positæ erant, & etiam vt ex hoc clare & manifeste dictæ auctoritates soluerentur.*

In quinto confutantur, qui affirmant nullos dæmones in infernum adhuc esse detrusos.

20 *In quinto vero tractatu posui rationes & auctoritates eorum, quas induxerunt ad probandum, quod nullus diabolus est in inferno, nec erit vsq; post finale iudicium: quam positionem impugnaui, addendo ad illa, quæ supra dixeram in secundo tractatu, multas auctoritates sanctorum; & deinde solui impugnationes, quas faciebant contra dicta sanctorum doctorum, qui in contrarium senserunt, et deinde solui rationes & auctoritates, quas pro parte sua ponebant, in hoc tenendo modum, quem tenueram in soluendo rationes & auctoritates, quæ positæ fuerunt in quarto tractatu.*

In sexto, soluuntur obiectiones cõtra conclusionem secũdam.

21 *In sexto vero & vltimo tractatu posui auctoritates & rationes eorum, quas inducebant ad probandum, quod animæ impiorum hominum in peccato mortali actuali decedentium non ponebantur in inferno, nec ponentur vsque post finale iudicium, quando in corpore & anima impij in ignem æternum ponentur: & illam positionem primo impugnaui, inducendo ad hoc multas auctoritates, quas ante in secundo tractatu non induxeram: & postea solui rationes & auctoritates factas per eos in contrarium, tenendo modum in soluendo, quem tenueram in quarto tractatu. Et sic terminaui istum libellum, quem a potiori sua parte intitulaui: De beatitudine animarum sanctarum a peccatis & pœnis peccatorum purgatarum, quam habent ante genera-*

tem

lem retributionem, & habitura sunt. Sic enim & Augustinus fecit, quando conscripserat librum de ciuitate Dei, de qua ipse loquens in retractatione dicti libri, dicit: Omnes viginti duo libri, cum sint de ciuitate Dei & diaboli conscripti, tamen titulum a meliore acceperunt, vt de ciuitate Dei potius dicerentur.

Ioannes XXII. professus est, nil se in quæstione dixisse nisi conferendo.

22 *Quamuis autem supradictus prædecessor meus pro illa parte supradictarum quæstionum, quam non teneo nec tenui, solum induxerit rationes & auctoritates in sermonibus & in scriptis, & non pro parte quam tenea; tamen frequenter tã in sermonibus, quam in consistorio dixit publice corã magna multitudine populi, quod illa, quæ dicebat circa ista, non dicebat nisi conferendo; & quia pro parte illa, ad quæ inducebat rationes, & auctoritates, parum aut nihil per alios inductum fuerat ideo vt veritas clarius appareret, ex tali collatione pro illa parte, quæ indefensa esse vsque tunc videbatur, dictas probationes inducebat: quod declarauit circa finem vitæ suæ, & etiam super hac mandauit fieri literas suas bulla bullatas, declarando quod ipse fideliter crediderat & credebat, quod sanctorum animæ a peccatis et pœnis peccatorum purgatæ ante generalem resurrectionem & iudicium Dei essentiam facialiter videbant, secundum quod ipsarum status patiebatur. Quod dico, ne quis existimet, eum asseruisse & tenuisse cõtrarium illius, quod nunc postquam fui, licet indignus, assumptus ad apostolatum, per me extitit de consilio Cardinalium determinatum.*

Sententiam verã in extremo vitæ actu est professus.

23 *Quamuis autem supradictus libellus fuerit lectus ex integro coram multis Cardinalibus & prælatis, & magistris in theologia pluribus ac in decretis, & multis alijs intelligentibus viris, & per longum spatium temporis diligenter examinatus; quãuis etiam a multis rogatus fuerim, quod ipsum publicarem; tamen hoc facere nolui quousque tam per me quam per alios in theologia magistros iuratos iterum fuit examinatus. Nunc vero ad profectum ecclesiæ Christi ipsum publicare volo, non ad illum finem, quod reperirem talia in illa contineri, quæ digna sint cõmunicari intelligentibus & subtilibus viris, maxime in theologica facultate peritis, qui multo meliora possent inuenire & dicere; sed præ simplicibus ne, si forte in posterum talia dubia in ecclesia orirentur, possent decipi, si ista, qualiacumque sint, non præuidissent; & vt etiam ostendatur posteris, quod non sine ratione & causa determinatio supradicta ab ista sancta sede processerit.*

Reddit Bened. rationẽ suæ fidei.

24 *Quamuis autem nullum oportet per hominem non inspiratum Dei spiritu, vel si sit inspiratus de inspiratione non constet, fiat vel factum fuerit quod reprehensioni non pateat, dicente Hilario x. de Trinitate c. 1. Non est ambiguum omnem humani aloquij sermonem conditioni obnoxium semper fuisse, quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum; tamen non propter hoc amator veritatis illa, quæ ei Deus dat, quæ ad multorum profectum possunt valere, abscondere vel celare debet, iuxta illud psalmi: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. Vbi dixit Cassiodorus: Iusti voluntas est, quando potest prodesse, non abscondere veritatem; vnde & postea statim subditur in psalmo: Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a consilio multo. Si enim quod ad erogandum alijs a Deo accepimus, inter cordis nostri secreta retinemus, nec alijs pandimus, dono Dei male vtimur, & alios illo, quod eis debetur, defraudamus. Et ideo talia non sunt abscondenda proximis, sed propalanda, iuxta illud, quod dicitur Tobiæ xii. Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Vnde nec propter obloquentes talia supprimenda sunt, quia si illud, quod est reprehensibile reprehendant, datur materia emendandi illud, in quo erratum est; si autem illud, quod rectum est reprehendant, datur materia veritatem defendendi, ac etiam declarandi. Et ita eorum reprehensio siue sit iusta siue iniusta, vtilis est illi, qui doctrinam propalauit, & etiam vtilis est doctrinæ: & ideo propter talem timorem reprehensionis veritatis amator non debet celare quod Deus ei ad alijs erogandum dedit. Ista autem quæ in hoc libello per nostrum ministerium posita sunt, sic accipi volumus, exceptis conclusionibus per nos in constitutione, quæ incipit, Benedictus Deus, determinatis quæ non per modum determinationis ecclesiæ, nec vt papaliter dicta æstimentur; sed vt scholastice & magistraliter dicta habeantur sic, quod licitum sit cuique in alijs dicere, quod ei magis consonum fidei & veritati diuinæ scripturæ, ac dictis sanctorum videbitur esse dicendum. Videat tamen quilibet diligenter, qui contrarium dicere voluerit, quid et qualiter dicturus sit, et quomodo probaturus. Hoc autem opus, sicut et cætera mea scripta et dicta examinationi, correctioni, approbationi, reprobationi, si expediens videatur, suppono sanctæ Romanæ ecclesiæ et successorum meorum canonice intrantium; protestans ex nunc, velle me tenere et credere quod sancta Romana ecclesia super prædictis determinauerit secundum diuinas scripturas, et sanctorum catholicorum doctorum per ecclesiam approbatorum auctoritates et dicta.*

Cur scripta sua in vulgus edat.

Non vt ex Petri cathedra, sed tanquam a priuato doctore dicta vult accipi.

25 Aggressurus deinde Benedictus cõtrouersiã, in primi tractatus exordio nonnulla præmittit, de quibus apud omnes constet; ac primum animas sanctorum, quæ omni noxæ labe purgatæ sunt, cælo excipi ante generale iudicium: eas etiam corpus & animam Christi intueri, & sub eius protectione, doctrina vel illuminatione, consolatione & gaudio existere, solutas etiam omni labore & metu contrahendæ vllius noxæ; post iudicium autem diuinæ essentiæ claro intuitu potituras. Tum ex illis, quæ vulgo concedunt aduersarij, probat etiam ipsas ante iudicium generale diuina gloria perfrui: ac primum ostendit regnum cælorum & mercedem cælestem, aut vitam æternam, aut paradisum acceptum pro præmio bonorum operum, idem esse: vel esse cum Christo in regno Dei cælesti esse idem, quod habere vitam æternam ac Dei visionẽ. His vero positionibus constabilitis, astruit sanctorum animas ante iudicium Deum facie ad faciem intueri, idque de animabus sanctorum veteris testamenti, quæ Christo ascendente in cælos, penetrarunt, deque martyribus noui testamenti, multis sanctorũ, qui diuino afflati spiritu fideles docuerunt, auctoritatibus confirmat, ex quibus pauca hæc decerpimus.

Vt ex concessis ab aduersarijs suam primum astruat sẽtentiam.

26 *Quod martyres existentes sub altari Dei, quod est in cælo, diuinam essentiam videant, patet per Gregorium II. lib. moral. cap. III. vbi exponens illud, quod dicitur apocal. VI. cap. de animabus martyrum, quæ erant sub altare Dei, dicit inter alia: Cum sanctorum animæ ita interni secreti sinu Deo inhæreant, vt inhærendo requiescant, quomodo dicuntur petere quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur petere, quas & voluntatem Dei certum est et ea, quæ futura sunt, non ignorare? et est sensus quæstionis, quare animæ martyrum petebant iudicium et vltionem de occisoribus suis, cum tamen scirent in secreto sinu Dei existentes Dei voluntatem non esse pro tunc, quod de eorum occisoribus vindicta vel iudicium pro tunc*

Quomodo animæ martyrũ dicantur esse sub altari Dei

tunc fieret, quando ipsa petebant. Cui quæstioni respondens subdit: Sed in ipso posita aliquid ab ipso petere dicuntur, non quod quidquam desiderent, quod ab eius, quem cernunt, voluntate discordet; sed quo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, vt ab ipso petant, quod eum facere velle nouerunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt, & modo nobis adhuc incomprehensibili in hoc, quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent ergo a voluntate Conditoris, si quæ eum vident velle non peterent; eique minus inhærerent, si volentem dare desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum diuinitus datur: Requiescite *tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conseruorum & fratrum vestrorũ. Desiderantibus animabus requiescite adhuc modicum dicere, est inter ardorem desiderij ex ipsa præscientia solatium consolationis inspirare, vt & animarum vox sit hoc, quod amantes desiderant & respondentis Dei sermo sit hoc, quod eas retributionis magnitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo eius est, vt collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere, vt cum carnis resurrectionem appetunt, ex colligendorum fratrum augmento gratulentur, &c.* Plura non addimus, cum iterum sermo de his proximo anno recurrat: nunc suauissimarum rerum tractationem bellorum fragores abrumpunt.

Italia a tyrannis laniata.

27 Laniabatur ob diuturnum interregnum continuis bellis, ob quæ inter cætera admittendum in gratiam Ludouicum videri Pontifex ad Regem Francorum scripserat [a], tum ob Romani Pontificis absentiam Italia, quam proceres inter se partiri sanxerant, sacramenta tamen violaturi si aliud ambitio & auaritia suaderent de quibus pluribus agunt [b] Ioannes Villanus, Leonardus Aretinus, S. Antoninus & alij. In de Placentia & Lauda ab Azone occupata [c], Parma & Luca proditæ Mastino Scaligero, qui eo elatus successu Pisas pertentauit, Rhegium in Gonzagæ Mantuani, Mutina diutina obsidione pressa in Aestinorum potestatem ceciderunt: Redacta erat a tyrannis in seruitutem magna alterius ditionis ecclesiasticæ pars: Malatesta quidem Ariminum, Forumliuium Ordelaffus oppresserant, potentiamque in ruinis ecclesiæ excitare satagebant. At Pontifex recuperandam ecclesiasticam ditionem clementia potius quam armis ratus, Malatestam & alios perduelles ad officium hortatorijs literis reuocare studuit [d]: cumque tot malis Pontificis præsentia mederi posse videretur, ob clientum tamen ecclesiæ motus Benedictum Italicæ profectionis consilia abiecisse refert eius vitæ auctor [e]: seu potius cum eam rem in consilium cum Cardinalibus adduxisset, ij a Philippo Rege deliniti ad sedem Auenione constabiliendam auctores fuere, vt palatium pontificium magnis sumptibus excitaret [f]: quippe pontificatu in Gallica gente retento, Gallicam rem amplificatum iri sperabat Rex, ingentiaque se beneficia consecuturum. In quam sententiam Albertus Argentinensis [g] alijque scribunt, Philippum Regem importunis postulatis Pontificis, & Cardinalium animos a se abalienasse; flagitasse nimirum Ioanni filio duci Normanniæ Viennense regnum attribui, se proregem Italiæ siue vicarium creari, decimas omnium vectigalium ecclesiasticorum totius orbis, ac thesaurum ecclesiæ amplissimum a Ioanne relictum in belli sacri sumptus tradi. Vt vt res fuerit, e pontificijs certe literis cõstat [h], Philippi oratores nonnulla ad Syriam armis repetendam ineundi cum sede Apostolica fœderis capita obscura, & inuoluta magnis difficultatibus rei Christianæ Regique Francorum exitialia attulisse, quasi nimirum infringendi voti occasionem quæreret. Illum porro ad sectandas Rege dignas virtutes, cultum scilicet & amorem diuini Numinis, venerationem ecclesiæ, sacerdotum obseruantiam, libertatis ecclesiasticæ tuitionem, æquitatem in subditos, liberalitatem & clementiam in miseros excitauit [a]: hæc firmissima principum esse munimenta, quibus fultus hostes omnes facile prosterneret, ac perennem in cælo triumphum esset celebraturus.

a To.1.ep. fecr. 641. b Io.Vill.l. 11.c.31. & c. Ant. p.3.tit.21. c.7. Leonar.Aret. hist. Flor. l.6. c Io.Vill l. 11.c.30. & 40. Ant.3 p. tit.21.c.7. Leon.Aret. hist. Flor. l.6. d To.1.ep. fecr. 251.

Quæsita ex his motibus profectionis Italicæ abijciendæ occasio.

e Gesta Bened.ex M.S. vet. apud Bosq. flb.& M.S.bib.Vat signat. n. 3765. in Ben.XII. g Argent. in chr.

Philippi Regis importuna postulata. h To.1.ep. fecr. 508.

a To.1.ep. fecr. 437.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Pontificia ad Phil. monita.

28 Non dubitamus quod, si te in timore & amore Domini tenueris, honorando sanctam ecclesiam vnicam sponsam suam, qua in honore habita, ipse noscitur honorari, eiusque ministros fauore prosequendo beneuolo, ac in suis iuribus & libertatibus confouendo; nec non colendo, obseruando, & obseruari faciendo pacem & iustitiam in subditis, pauperibus, orphanis, pupillis, & viduis miserando, & ab oppressionibus indebitis defendendo; quodque consiliarij & officiales regij, sinceram in hac parte voluntatem regiam sentientes, exequantur præmissa fideliter, & obseruent; Deus ipse, per quem regnas & regeris, qui malorum & præsumptorum nouit infatuare consilia, tuos & regni prædicti æmulos & aduersarios tibi subijciet, vel ad tuum adducet beneplacitum, tibi & eidem regno votiua tranquillitate concessa, dies tuos, cum honoris augmento longiores efficiet; & tandem post laborum decursum præsentium de temporali regno, quod obtines, ad gloriam prouehet sempiterni, &c. *Dat. apud pontem Sorgiæ Auinionensis diœcesis xv. kal. augusti anno* 1. Subiecit etiam Reginæ Francorum pios stimulos Benedictus [b], vt virtutum studio se addiceret: vt enim moribus ornatissimus erat, ita in principes virtutes transfundere exoptabat; neque solum in dignitate, verum in zelo quoque propagandæ religionis, tuendæque aduersus infideles Ioanni prædecessori successerat, cumque Regis Francorum, Helioni Rhodiorum equitum magistri, ac Francisci Danduli oratoribus egit [c], vt ad Turcas comprimendos valida classis hoc anno instrueretur.

b ib.ep.fec 438

Agitata de instruẽda in Turcas classe consilia.

c ib.ep.fec 108.

29 Traxerat antea Ioannes in eam armorum societatem Robertum Siciliæ Regem, quem XII. kal. aprilis rogauit Benedictus [d], vt auxiliares triremes cum cæteris coniungeret.

d Ibid. ep. fecr. 108.

Roberto Regi Siciliæ illustri.

Rogatus Siculus, vt in belli sacri societatem veniret.

Diris afflictionibus, quas infideles Turci moliuntur inferre, sicut intulerunt hactenus, Christicolis partium Romaniæ, non sine magna mentis amaritudine intellectis, nos & nuntij charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Franciæ illustris, ac gentes hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, & ambaxiatores dilectorum filiorum ducis & communis Venetorum apud sedem Apostolicam præsentialiter constituti, de certa galearum armata pro defensione Christicolarum ipsorum, præfatorumque Turcorum repressione sub certis modis & formis pro anno isto (sicut pro præterito factum extitit) ordinatum extitit, ordinauimus transmittenda. Et licet negotium huiusmodi cunctos Christi fideles tangere dignoscatur, quia te tamen, fili charissime, concernit principaliter, sicut regia circumspectio non ignorat,

rat, confidimus quod tu, qui plus quam quicumque princeps alius potes in hac parte proficere, circa hæc promptis & efficacibus subsidijs & auxilijs vberius te impendes. Quocirca regalem magnificentiam attentius deprecamur, quatenus ad subueniendum eisdem Christicolis vna nobiscum ac Rege, hospitalarijs & Venetis supradictis dictorumque Turcorum furentem superbiam conterendum sic te, prout statum condecet regium, præpares & disponas, quod apud Deum crescas propterea cumulo meritorum, & apud homines famæ tuæ claritas augeatur, nos de intentione super ijs regia redditurus quantocyus commode fieri poterit nihilominus certiores. *Dat. Auin. XIII. kal. aprilis anno* 1. Extant etiam literæ [a], quibus pontificio sumptu quatuor triremes ad coercendas Turcicas grassationes instrui in portu Massiliensi iussæ sunt. Verum maximo rei Christianæ exitio fœdus illud aduersus fidei Christianæ hostes dissolutum ob nostrorum dissensiones innuit Nicephorus Gregoras, dum ait, Andronicum Imperatorem Constantinopolitanum; quem anno superiori ad armorum societatem cum occidentalibus pellectum vidimus, viginti triremes instruxisse, ac frustra expectata fœderata Latinorum classe, impetus aduersus Rhodios equites, quorum suspecta erat sibi potentia, conuertisse.

a To. 1. ep. secr. 139.

Arma in Rhodios equites a Græcis vertuntur

30 Si vero Asiatica expeditio haud felicem exitum nacta est, ab omni criminis vel negligentię labe purus extitit Benedictus, quem pontificium studium pro ea promouenda explicuisse ex ipsius literis exploratum est. Creato Philippo vniuersarum Christianarum copiarum, quæ in Syriam nauigaturæ erant, supremo duce, data [b] fuerat a Ioanne Papa præsulibus prouincia, vt fideles ad sacra arma pro eripiendo e manibus impiorum sepulchro dominico corripienda accenderent; & quos diuinus amor ad subeundos impigre bellicos labores inflammasset, symbolo crucis insignirent, & alios, qui arma non capesserent, ad stipem pro tolerandis sumptibus conferendam propositis indulgentiarum præmijs pellicerent. Quæ a Ioanne constituta prouehere omni opera studuit Benedictus, datis ea de re ad vniuersos præsules encyclicis literis [c] quos omnia Ioannis diplomaribus contenta perficere, ac subsidiarium aurum in belli sacri sumptus tantummodo deriuandum cogere iussit. Cum vero Ioannis literæ ob varias occupationes a pontificijs scriniarijs transmissę non essent Balearium episcopo, Benedictus anno extremo munus eidem imposuit [d], vt Baleares ad sequendum in Babylonios Philippum Francorum Regem concitaret.

Benedicti studia pro expeditione Asiatica vrgenda

b An. 7. 1. ep. cur. 33.

c Ib. ep. cur. 8.

d Ib. ep. cur. 31.

Baleares ad sacram militiam inuitati.

Benedictus, etc. venerabili fratri episcopo Maioricarum salutem.

Dudum charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris velut Christianissimus princeps, claræ memoriæ Christianissimorum Regum Francorum antecessorum suorum (qui charitatis & deuotionis feruore succensi, tanquam fideles pugiles, & Christi athletæ constantissimi terræ sanctæ negotium per retroacta iam tempora cordi specialiter habuerunt, illudque fuerunt feruentius & fauorabiliter prosecuti) vestigia imitando, volens Redemptori nostro, qui eum sublimauit in Regem, per debitum obsequium in hoc seculo gratitudinem exhibere, ac se sibi reddere acceptabilem in excelsis, cunctisque fidelibus ad dictæ terræ sanctæ succursum exemplum præbere, ac viam etiam præparare; nec non suum desiderium, quod longo tempore habuit, etiam priusquam orthodoxi regni Franciæ gubernacula suscepisset, subueniendi calamitatibus & miserijs dictæ terræ, ac in eius subsidium transfretandi, cupiens ducere in effectum; per suos solemnes procuratores & nuntios, ad sedem Apostolicam pluries destinatos, solicitis & continuis instantijs felicis recordationis Ioanni Papæ XXII. prædecessori nostro tunc viuenti fecit humiliter supplicari, quod pro pleniori dictæ terræ succursu passagium generale indicere, ac pro illo celebrius & vtilius peragendo verbum crucis cunctis Christifidelibus cum indulgentijs consuetis prædicari mandare, eiusque passagij & totius exercitus Christiani, qui in illo, inspirante Domino, transfretabit, præfatum Regem generalem rectorem, & capitaneum constituere, ac pro huiusmodi faciendo passagio certa concedere subsidia dignaretur. Dictusque prædecessor sanctam intentionem eiusdem Regis, & feruentem compassionis affectum, quem ad statum, proh dolor! miserabilem dictæ terræ habere noscebatur, in Domino commendans; nec non gaudens, & exultans in eo, sibique gratias & laudes humiliter exoluens, quia dignatus est tam pium tamque salubre propositum regalibus præcordijs inspirare; cupiens quoque vt huiusmodi sanctum negotium Deo, cuius agitur causa, fauente felicibus prosperaretur euentibus, & votiuis proficeret incrementis; super ijs per eum cum fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, matura & diligenti deliberatione præhabita, ipsius Regis pijs & sanctis affectibus annuens, & supplicationibus inclinatus, ad honorem omnipotentis Dei, exaltationem & dilatationem catholicæ fidei, cunctorum fidelium animarum profectum, liberationem terræ, ac exterminium hostium prædictorum, eisdem nuntijs & procuratoribus, nec non prælatorum in curia Romana existentium, & aliorum fidelium multitudine copiosa præsentibus, auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio passagium generale ad terram ipsam indixit; ac præfatum Regem ipsius & totius exercitus Christiani, qui transfretaret in illo, rectorem constituit, & capitaneum generalem; & nihilominus per vniuersas mundi partes decimam ecclesiasticorum redditiuum imposuit sexennalem, colligendam certis modis & formis, ac in vtilitatem dicti passagij terræ prædictæ subsidium, & alias contra infideles ac inimicos fidei conuertendam, nec non quædam alia subsidia pro ipso passagio fieri per alias suas literas ordinauit & leuari, quæ in eisdem literis plene & particulariter exprimuntur.

De indicta a Io. XXII. sacra expeditione.

Dictiq; procuratores & nuncij Regis eiusdem, ad hoc per ipsius patentes literas coram prædecessore & fratribus prædictis per ipsos exhibitas, sufficiens & speciale mandatum habentes, pro Rege ipso, & eius nomine in prædecessoris, fratrum, & aliorum prædictorum præsentia, ipsum passagium per eundem prædecessorem, vt præfertur, indictum illico assumpserunt, & capitaneatum & rectoriam illius & dicti exercitus acceptarunt, & in animam dicti Regis, prout poterant, ex eodem mandato, tactis sacrosanctis euangelijs, iurauerunt, quod ipse Rex in kal. augusti, quæ essent anno Domini millesimo trecentesimo * sexto, quas tam eidem Regi, quam cæteris crucesignatis & crucesignandis pro termino ad transfretandum in dicto passagio assignauit, iter arriperet di-

* trigesimo

dicti passagij, illudque deinde prosequeretur realiter & personaliter, iusto ac legitimo impedimento cessante, sub certis nempe conditionibus, modis, & formis in alijs dicti prædecessoris literis inde confectis seriosius annotatis.

31 Et quia dictus prædecessor, considerans decimam ac alia subsidia memorata ad tanti prosecutionem negotij non sufficere, ipsumque negotium longe maioris subuentionis beneficio indigere, ac ad illud conducendum cunctorum fidelium grata subsidia existere opportuna, fideles eosdem ad hoc quibusdam spiritualibus munificentijs, indulgentijs videlicet ac remissionibus inuitauit; ac venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, & cæteris episcopis in diuersis mundi partibus de dictorum fratrum consilio per apostolica scripta commisit & mandauit, eos nihilominus obsecrans per aspersioné pretiosi sanguinis Iesu Christi, vt singuli eorum cõmemorantes attente statum lugubrem dictæ terræ; ac proinde considerantes, quod cum fidelium suorum regimini ipsos, velut in solicitudinis partem assumptos, præfecerit Dominus, ad promotionem huiusmodi sancti negotij plus cęteris tenebantur ex officio pastorali, tanquam præcones fideles, & fortes athletæ fidei contra prædictos perfidos hostes Christi in suis ciuitatibus & diœcesibus per se & alias personas ecclesiasticas, secalares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore cognoscerent, cunctis Christifidelibus iuxta datam eis a Deo prudentiam proponerent publice verbum crucis, & venerabile signum eius quibusuis fidelibus, illud deuote suscipere volentibus, quos ad hoc vtilea fore crederent, ipsorumq; humeris imponerent; fideles eosdem, quos ad audiendam propositionem ipsam, quotiens expediret, ad loca idonea conuocare possent, solicitis exhortationibus, & opportunis instantijs inducentes, vt suscipientes cum reuerentia signum crucis, ipsumque suis cordibus imponentes contra hostium prædictorum perfidiam, & ad eiusdem terræ sanctæ succursum assurgerent viriliter, & negotium ipsum feruenter assumerent, & prosequerentur fauorabiliter & feruenter, ac insuper (quia dignus erat operarius mercede sua, singulis eorundem patriarcharum, archiepiscoporum, & episcoporum, & eis, quos ad prædicationem crucis, vt dictum est, ipsi ducerent assumendos in hoc diuino fideliter laborantibus opere, præter mercedem æternam, quam merito sperare poterant, quotiescumque populis ad hoc specialiter conuocatis proponerent verbum crucis, vnius anni & quadraginta dierum, nec non fidelibus ipsis, qui ad verbum huiusmodi audiendum deuote conuenerint, centum dierum, vere tamen pœnitentibus & confessis indulgentiam extitit elargitus; nos &c. amplissima omnium noxarum condonatio religiosam militiam professuris sumpto crucis symbolo, eamque traiecto mari in Asia obituris proposita est: quæ literæ xvi. kal. ianuarij pontificatus anno 1. consignatæ.

Iussi præsules populum ad sacrum bellum accēdere.

Crucis symbolo insignire milites.

a Bed an. 1. p. 1. ep. cur. 39. 32 Edixit præterea a, vt in omnibus regnis sexennalea decumæ cogerentur, vti fuerat a prædecessore decretum, quibus fideles ex ijs prouincijs in Asiam traiecturi, eo subsidiario auro ad tolerandos sumptus instruerentur. Tonante autem minis Gallo Rege & sacris concionatoribus in occidente crucesignatã expeditionem promulgantibus, Saraceni in oriente illius apparatus terrore lacessiti, suas in Christianorum reliquias vires effuderunt.

Supererat post innumeras clades in Asia Christianis Armenia, e qua reliquorum regnorum recuperandorum spes affulgebat. Verum soldanus Babylonius, ob indictam in occidente expeditionem furore exæstuans, impetum in illam effundere constituit: non enim latere illum poterant nostrorum consilia, cum totus occidens sacri belli apparatu, ostentatæque a Gallo Rege pollicitationis fragore personaret, vt ex subiectis Benedicti verbis a colligitur: *Intonuit hactenus per mundi climata, & recenti memoria commendatur, qualiter felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, ad eripiendum terram sanctam, funiculum quidem hereditatis dominicæ, de Agarenorum spurcissimorum (qui eam tamdiu detinuerunt & detinent viliter pessumdatam, & infeliciter conculcatam) manibus, feruidum zelum habens; & pia ac prudentis intentionis affectu considerans charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Franciæ illustrẽ adeo fore cælestis inspiratione gratiæ feruore fidei & deuotionis accensum, quod ad felicem & gloriosam recuperationem dictæ terræ, ac vlciscendas per Agarenos ipsos nefandissimos Redemptori nostro illatas contumelias proponebat, & offerebat in manu forti & brachio excelso personaliter transfretare; ad ipsius Regis inculcatam instantiam cum fratribus suis S.R.E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, plena proinde collatione præhabita, & digesta deliberatione secuta, generale passagium ad terram prædictam de fratrum eorundem consilio cum solemnitate congrua prout tanti negotij qualitas requirebat, duxit auctoritate apostolica indicendum, &c. Dat. Auin. xvi. kal. iulij anno 1.*

Babylonij in Armeniam irruptio.

Orta mali labes ex occidentalis instantia.

a An. 1. p. 1. ep. cur. 19.

33 Nocuit itaq; rei Christianæ horum consiliorum promulgatio, abruptis enim inducijs soldanus ingentem Armenis cladem intulit: cum impar barbarorum potentiæ Leo Rex, munitissima arce se inclusit, atque implorandæ opis causa legationem ad Pontificem Regemq; Francorum misit. Tristissimo igitur casu permotus Benedictus, Philippum Regem solicitauit b, vt adductæ in extremum discrimen Armeniæ succurreret. *b To. 1. ep. secr. 622.*

Philippo Regi Franciæ.

Ad nostram his diebus veniens præsentiam dilectus filius nobilis vir Bramondus de Lusignano comes Curchensis charissimi in Christo filij nostri Leonis Regis Armeniæ illustris ambaxator & nuncius, nobis pro parte ipsius Regis exponere procurauit, quod licet adhuc treugæ dudum inter eundem Regem & soldanum Babyloniæ indictæ inuicem perdurarent; pridem tamen idem soldanus ad Christicolarum, præsertim in partibus transmarinis commorantium, exterminium & confusionem aspirans, sumpta occasione, quod Rex & Christicolæ prædicti contra eundem soldanum suosque subditos indici procurauerant passagium generale, quendam ammiratũ suum cum exercitu infidelium magno & terribili aduersus Regem præfatum eiusque regnum transmisit. Qui quidem ammiratus cum eodem exercitu regnũ prædictum, in quo catholicæ fidei viget cultus, per vim & potentiam armorum ingressus, præter vastationes, depopulationes, rapinas, & alia damna innumera ibidem illata, multos de regno prædicto catholicæ fidei professores vsque ad numerum sex millium personarum vel circa, omni humanitate deposita, non parcendo sexui vel ætati, oppressit; quosdam captiuando miserabiliter, secum-

Saracenorum in Christianos sæuitia.

que

que captiuos ducendo, & alios crudeliter in ore gladij, quod cum ingenti cordis dolore mentisque compassione anxia referimus, trucidando; memorato Rege paucis associatis aliquibus in quodam fortalitio, vt captiuitatis vel mortis vitaret dispendium, cum nequiret tantæ infidelium multitudini, quanta erat in exercitu prædicto resistere, se recepto.

34 Sane, fili charissime, cum præfatus ambaxator & nuntius ad regalis excellentiæ præsentiam se conferat, super præmissis consilium & auxilium vt intelleximus petiturus, magnificentiam regiam rogamus & in Domino attentius exhortamur, quatenus ipsum benigne recipiat, fauorabiliter audiat, & ne regnum prædictum pro dicto passagio multipliciter opportunum, & Christicolæ in eo degentes desolationis extremæ patiantur excidium, velit de celeri ac opportuno consilio & remedio prouidere. *Dat. Auin. IV. id. octobris anno* 1. Decretos ad Pontificem oratores a Gallo Rege, qui cumulatum a Ioanne thesaurum pro bello gerendo exposcerent, datumque illi a Pontifice responsum narrat hisce verbis Ptolemæus Lucensis a: *Rex Franciæ ad Papam misit suos ambasciatores, et petijt thesaurum ecclesiæ pro passagio faciendo: sed Papa dare recusauit, nisi intraret mare et passagium initiaret, et promissionem impleret, quam fecerat sub Ioanne Papa XXII.* Non hac subsidiarij auri pollicitatione adduci Philippus potuit, vt succurreret lugentibus Armenis, in quos soldanum minaci iactantia asperarat.

Monitus Philippus vt Armeniæ succurreret.

a Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. 24. c. 43.

35 Ea porro barbarorum in Armeniam excursio videtur Cyprios abduxisse a promulganda sacra aduersus Saracenos expeditione, vt a Ioanne XXII. primum, tum a Benedicto XII. recenter gubernacula ecclesiæ adepto, fuerat imperatum; ne in se infidelium iras exasperarent, impetusque conuerterent. Proinde Hugo missis ad nouum Pontificem oratoribus, quibus eximiū, quo in sedem Apost. studium regnique felicem statum exposuit b, flagitauit suo atque omnium regni ordinum nomine, vt excitandis pro concione ad induendam crucem populis præsules supersedere æqui bonique consuleret, antequam occidentales classem adornassent, cum ea res nullam vtilitatem, ingentia vero pericula afferret. Cui Benedictus, collaudato ipsius in ecclesiam studio, atque in administrando regno commendata solertia, scripturum se ea de re ad regni antistites significauit; quæ literæ Nicosiensi archiepiscopo alijsque Cyprijs præsulibus inscriptæ extant, in quibus ita Benedictus sequenti ineunte anno respondit. c

Cyprij barbaros in se asperare metuunt.

b To. 1 ep. secr. 707.

c 18 ep. 742.

Regni prædicti et adiacentium regionum statu et conditione consideranter attentis, præsentisque temporis qualitate pensata, visum nobis extitit præuia deliberatione in hac parte matura, quod ex prædicatione crucis in eodem regno Cypri præsentialiter facienda nulla dicto passagio vtilitas prouenire poterit: quinimo ex ea, si fieret antequam transfretantes in præfato passagio mare pro transfretando intrassent, sæpefato regno et fidelibus in eo commorantibus grandia, et non faciliter reparanda damna et pericula formidari probabiliter poterant prouentura; propter quod a prædicatione huiusmodi prouidistis, quoniamque a nobis prius consultis super hoc reciperetis in mandatis aliud, desistendum. Nos igitur præmissis et alijs, quæ nobis, cum hæc supradicti explicarunt nuntij, in examine rectæ deliberationis adductis; et attento etiam, quod in regno iam dicto prædicatio crucis, cum expedierit, fieri faciliter poterit, et memorati regnicolæ parati ad arma esse valebunt post prædicationem huiusmodi satis cito, quamobrem in dilatione prædicationis huiusmodi nequaquam, prout etiam sæpefati adiecerunt nuncij, periculum imminet passagio antedicto; volumus et placet nobis, quod a prædicatione supersedeatis præfata, donec dictus exercitus mare pro transfretando ad partes transmarinas intrauerit, etc. Dat. Auin. III. *non. ianuarij anno* 1. Decreta sunt hæc prudentissime, cū potius armis quam verbis res gerenda fuisset, tantoq; apparatu decreta deinde expeditio illa, exitu caritura, non alios fructus allatura esset, quam vt infideles inanibus minis exasperari plura Christianorum millia traderent neci, vel seruituti.

Retardata prudēter crucis prædicatio.

Laudatū eorum cōsilium.

Philippi Regis cunctantia ingentia mala peperit.

36 Dedere hisce malis occasionem Scotiæ conuersiones: coniuncta fuerat Angliæ ab Eduardo I. Scotia, illamque Robertus Brusius diuturno bello, quo Angliam exagitauit, sibi subiecerat: adeo vt Eduardum II. ad supremum ius, quod Anglorum Reges in Scotiam obtinere contenderant, abdicandum compulerit. At Eduardus III. licet sororē suam Brusij filio Dauidi nuptui dedisset, iuncto cū Eduardo Balliolo Ioannis Balioli sanguine sato, qui ab Eduardo I. Scotiā beneficio accepisse olim agnouerat, fœdere Dauidem regno depellere armis nitebatur. Cumque ad id bellum Philippus Francorum Rex ob inita inter Scotos & Francos fœdera traheretur, imminentium malorum præscius Benedictus, vt ijs occurreret, conquestus plurimum pacem affinitatibus contractis firmatam dæmonum astu dissolutam, nuntios apostolicos, Hugonem scilicet episcopum Tricastrinum & Rolandum Astensem canonicum Laudunensem, capellanum pontificium & causarum sacri palatij auditorem transmisit a instruxitq; b auctoritate, vt Reges ad inducias inestidas adduceret, iniustas coitiones rescinderent, conuellerent fœdera concordiæ publicæ exitialia, c Reges vero Eduardum e Angliæ & Dauidem d Scotiæ exaratis XI. kal. augusti literis ad pacem grauissimis sententijs est adhortatus, cum ex eo bello sacra expeditio disturbanda esset.

Ex Scotiæ dissensionibus enata bella.

Missi ad ea pacanda internuntij.

a Ead. to. 1 ep. secr. 474.

b Ead. ep.

c lib. ep. sec. 472. 476.

d ib. ep. sec 473.

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Et si nos, qui licet immeriti, vices in terris gerimus Regis pacifici & excelsi, pacem inter cunctos Christicolas curæ nostræ commissos intensis optemus desiderijs abundare; illam tamen eo vigere vberius inter Reges & principes cupimus, odiorum fomitibus extirpatis, quo eorum concordia vtilior pluribus redditur, & dissensiones maiora pericula secum trahunt. Intelleximus siquidem displicenter, quod licet olim inter te, fili charissime, ex parte vna, & charissimum in Christo filium nostrū Dauid Regē Scotiæ illustrem, seu patrem suum, dum viueret, ex altera, post calamitates & fremitus guerrarū varios pacis concordia reformata fuerit, & solemnibus affinitatis & parentelæ nexibus roborata; hostis tamen humani generis, pacis & charitatis æmulus, paci huiusmodi & bonis ex ea secuturis inuidens, eam sic turbare, sicque charitatiua fœdera inter te ac Regem eundem inita dissoluere procurauit, quod tu & Rex ipse, huiusmodi violatis fœderibus, & antiquis suscitatis rancoribus, ad offensiones & congressus bellicos, non sine magnis animarum ac personarum & rerum periculis, inuicem redijstis. Nos igitur ex ijs lapsus rerum, strages corporum, & animarum amarius plangenda pericula, nec non impedimenta instantis transmarini passagij,

Pacis & affinitatis proposita fœdera.

gij, & alia innumera dispendia probabiliter formidantes, desideranter affectamus, vt spretis hostis prædicti suggestionibus, ad reformanda & redintegranda pacis & concordiæ fœdera, Deo grata vtique, ac vtrique vestrum accommoda; nec non subditis & amicis fructuosa & gaudiosa plurimum, cum eodem Rege Scotiæ redire, regia prouidentia procuraret. Quocirca regalem rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus pacis commoda, & dissensionis incommoda consideranter attendens, ad cessandum & abstinendum a guerris prædictis, pacisque reformanda & redintegranda violata fœdera, initis interim, vt ad hæc quietius & melius intendi valeat, aliquibus treugis, regium coaptes animum, & inclines, &c. *Datum apud Pontemsorgiæ Auinisnensis diœcesis 11. kal. augusti anno 1.* Tum Francorum Regem, auxilia Scoto submittere meditantem, ab eiusmodi consilio auocare est conatus. a

Addit preces, vt concordiam redintegret.

a Ib. ep. secr. 460.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

37 Fili charissime, quia ex literarum tuarum serie collegimus regiæ intentionis existere propter certa conuentiones & pacta, inter tuos & Regis prædicti Scotiæ prædecessores pro se suisque successoribus habita, Regi eidem fauores & auxilia exhibere, quamquam tibi suadere vel exhibere contrarium, cum conuentiones & pacta ignoremus huiusmodi, nequeamus præcise; ex sincera tamen dilectione, qua te regnumque tuum prosequimur, quæ nobis ad præsens occurrunt circa hoc, nolumus præsertim cum imminere pericula conspicimus, subticere. Veremur siquidem, quod ex impensione auxilij huiusmodi negotium transmarini passagij, si mittatur gens belligera Francorum in Scotiam, turbari non parum valeat vel etiam impediri: nec id sine sumptibus magnis fieri poterit, qui forsan forent vtiles & necessarij pro negotio prælibato. Et vlterius, cum belli dubius sit euentus, si contingeret eundem Regem Scotiæ a Rege præfato Angliæ superari, non posses cum honore tuo illum, quem admisisses dimittere, quin fortius in eius auxilium assurgere procurares: sicque multiplicare oporteret gentem bellige am, ac labores, odia, & expensas.

Monitus Phil. ne contra Eduard. mittat auxilia.

Ad hæc non dubitamus, quod regnum tuum, quia illud Deus facit prosperum, æmolos habet & inuidos, qui si possent, quod auertat Altissimus, libenter offenderent & nocerent: & cum iam aliqui circumuicini magnates, vt intelleximus, accedant vel mittant ad subueniendum Regi Angliæ memorato, posset inter te gentemque tuam, ac ipsos ex tui assistentia dicti Regis Scotiæ contraria, inimicitiarum periculosum odium (quod vitare videtur potissime his temporibus expediens) suboriri. Displicenter percepimus insuper, in certa parte regni tui fuisse inter aliquos turbationis materiam suscitatam, qui si se cum æmulis dicto regno vicinis, confingentibus forsitan ex assistentia prouocatos prædicta, confœderarent, quod absit, periculosum non modicum videretur. Præterea non videmus, quod per aliquem principem secularem sicut per te, fili dilectissime, inter Reges dissidentes prædictos sic commode possit pacis concordia reformari: & si te contingat partem cum illorum altero facere, de te postmodum ille, contra quem partem facies, non confidet: sicque perdentur quoad te tam desiderabiles tamque meritorij & honorabiles fructus pacis, &c.] Hortatur vt in re gerenda

Grauiori bello se implicitarum.

Proposita oritura bella intestina.

Pacem conciliare nitatur

eam rationem ineat, vt sine diuini Numinis iniuria & conscientiæ periculo neutram partem amplectatur: fore ipsius prudentiæ discutere, consiliumque in re ancipiti optimum explicare. *Dat. apud Pontemsorgiæ Auin. diœcesis 11. kal. augusti anno 1.*

38 Irrupit in Scotiam Eduardus Rex Angliæ a ducto secum Eduardo Baliolo, quem sacramento in sua verba adegerat: collatisque cum Roberto Scotiæ Rege signis, insignem & spectabilem victoriam reportauit. Prona ad victoris obsequium fuit vniuersa pene Scotia, exceptis arcibus, quæ in editioribus collibus, vel paludibus, aut nemoribus sitæ erant. Consternatum ea clade Regem Dauidem in Gallias ad opem flagitandam confugisse, refert Ioannes Villanus b. Quo tristi casu perturbatus valde est Philippus Francorum Rex, atque ancipiti curarum æstu fluctuauit: fidem obligarat Scotis? at etiam Regi Armeniæ illam obstrinxerat, illiusque causa Armenia a Saracenis fuerat deuastata; addixerat se solemni voto restituendæ in Syria religioni Christianæ, symbolum crucis induerat, inchoatum iam erat in Turcas feliciter bellum, ac si bene cœpta proueherentur, diuini Numinis hostes forent prosternendi. Suadebat etiam ei Christi vicarius, ne Scotico bello se implicaret: si Dauid Rex vi & iniuria ab Eduardo regno pellebatur, Dauidis parens pari iniuria & vi Eduardi auo illud eripuerat. Vicit demum apud Philippum Regem fœderati principis iniuriæ, quam Christi ignominiæ vlciscendæ cupiditas; seque bello infelicissimo implicuit. Illum hoc anno classem egregie milite instructam immisisse in Scotiam ad excitandas prostratas res Dauidis, Thomas Vvalsinghamus refert c.

Eduardus Baliolum in Scotiã inducit.

a Io. Vill. l. 11. c. 38. Vvalsing. in Ypodig. Neust. hoc ann. & in Eduar. III. Hect. Boet hist. Scot. l. 15.

Missa a Phil. Rege in Scotiam classis.

b Vill. eod. c. 38.

c Vvalsing. in Ypodig. Neustr.

Antequam vero penitus Philippus Scotico bello contra Pontificis consilia se non sine rei orientalis exitio addiceret, tristiaque superiorum Regum exempla secutus Christi causæ mortalis hominis causam aperte præferret, hortatus est d alios principes, vt expeditionis Asiaticæ a se susceptæ causa a mutuis bellis absisterent: cumque Genuenses cum Alfonso Aragonum & Iacobo Balearium Regibus bellum gererent, institit apud Benedictum Gallus, vt ipsos in mutuam concordiam adduceret: cuius pijs votis assentiens Pontifex, Alfonsum e, & Iacobum f Reges, ac Genuenses g monuit, vt ad ineundum fœdus oratores ad aulam Apostolicam mitterent. Assensere h omnes pontificijs votis: ac sequenti anno ineunte, vt Folieta refert i, firmatæ sunt inter eos induciæ.

d To. 1. ep. secr. 650. e Ead. ep. 650. f Ep. 651. g Ep. 652. h An. 2. p. 1. ep. com. 751. 752. i Foliet. hist. Gen. l. 6.

39 Interea acceptũ retulit solemni ritu Benedicto Alfonsus Aragonius Sardiniæ & Corsicæ regnum l; cumque excurrente primo ab adepto pontificatu anno singulis Romanis Pontificibus fidem solemni ritu deuincire, aduersaq; valetudine implicitus teneretur m, Ferrarium e Caneto oratorem, vt regio nomine ob accepta Sardiniæ & Corsicæ regna beneficio sedis Apostolicæ clientem se profiteretur, ac Pontificem vt laborem itineris remitteret, exorauit subiectis literis n, quibus inita a Iacobo parente cum Bonifacio pacta confirmauit.

Alfonsus Arag. Rex Sardiniæ & Corsicæ regn. Pontifici acceptum refert.

l Apud Bon. to. 1. ep. secr. pag. 735. m ibid. n Ext. in arce S. Angeli & lib. priuil. to. 3. pag. 307. & inter collect. Plat. to. 2. pag. 279. & in MS Vallicellan. lit. B n. 12. pa. 332.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino, domino Benedicto, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Alfonsus Dei gratia Rex *Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ et Corsicæ, ac comes Barchinon. humilis eius filius pedum oscula beatorum.*

Alfonſi Regis literæ.

Sanctirati veſtræ tenore literarum noſtrarum præſentium pateſiat, quod viſo ac plenarie intellecto papali reſcripro ſuper collatione, conceſſione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor veſter fecit illuſtri domino Iacobo felicis memoriæ Regi Aragonum patri noſtro, ſuiſque heredibus in perperuum feudum de regno Sardiniæ & Corſicæ cum iuribus omnibus & pertinentijs ſuis ſub certo ſeruitio ſub certiſque conditionibus largius conſcriptis in prædicto reſcripto continentiæ ſubſequentis: *Bonifacius &c.*

Bonifaciarum diplom. repetitum. a Ext. in annal. to. XIV. ann. Chr. 1297 n. 2.

[Inſerit Bonifacij VIII. literas a, quibus datæ Iacobo Regi iure beneficiario Sardiniæ leges contentæ, ſubditque:] idcirco attendentes prædictum dominum Regem Iacobum felicis recordationis genitorem noſtrum, tempore donationis præmiſſæ memorato domino Papæ Bonifacio recolendæ memoriæ iuxta continentiam dicti reſcripti, ex cauſis in eo ſcriptis, iuramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium perſonaliter præſtitiſſe; & poſtmodum per procuratores ſuos & nuncios ſpeciales iuramentum fidelitatis, vaſſallagium, & homagium prædicta renouaſſe, feciſſe, & præſtitiſſe alijs Romanis Pontificibus, qui dicto domino Papæ Bonifacio in apoſtolatus præeminentia ſucceſſerunt, & per eoſdem nuncios dediſſe literas ſuas aurea eius bulla bullatas, recognitionis & acceptationis contentorum in reſcripto prædicto iuxta eiuſdem tenorem; & nos etiam, qui dicto domino Regi genitori noſtro in prædicto Sardiniæ & Corſicæ regno & alijs regnis & terris ſuis ſucceſſimus, prædictum iuramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium, quæ domino Ioanni felicis recordationis Papæ XXII. prædeceſſori veſtro perſonaliter ſecundum formam dictæ donationis facere tenebamur, fecimus, & præſtitimus perſonaliter domino Ioanni bonæ memoriæ patriarchæ Alexandrino fratri noſtro, recipienti nomine & vice dicti domini Papæ Ioannis, qui hoc ipſi domino patriarchæ cum ſpeciali ſuo reſcripto commiſit, & dedimus inde ſimiles literas noſtras aurea bulla bullatas recognitionis & acceptationis in reſcripto prædicto contentorum, conſiderantes etiam nos nunc ex eiuſdem reſcripti ſupra inſerti ſerie inductos noſtrum procuratorem ad eadem iuramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium ſanctitati veſtræ præſtanda & facienda conſtituiſſe cum publico ſcripto noſtro; prouidimus propterea, ſanctiſſime pater, has fieri literas bulla noſtra aurea bullatas, ſanctitati veſtræ per dictum procuratorem noſtrum tradendas & dandas, prout fieri debere iamdicti ſuperius inſerti reſcripti apoſtolici tenor inducit.

Vt præſtitu ſit Io. Papæ clientelaris ſpōſio.

Per quas ſiquidem literas nunc & ex tunc modos, conuentiones, conditiones, tenorem, & formam in ipſo papali reſcripro conſcriptos acceptamus expreſſe; & per quas etiam fatemur & recognoſcimus expreſſe præfatum dominum Regem genitorem noſtrum recepiſſe in feudum dictum Sardiniæ & Corſicæ regnum a domino ſummo Pontifice & Romana eccleſia, noſque illud pro eadem Romana eccleſia tenere in feudum ſub conditionibus, conuentionibus, modo, & forma, atque tenore, quæ in dicto papali reſcripro continentur; quos tenorem, modum conditiones, conuentiones, & formam, promittimus nos inuiolabiliter ſeruaturos. Pro quorum obſeruantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, iura, & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis Conditor & redemptor perſonam veſtram ad ſua ſancta ſeruitia conſeruare dignetur per tempora longiora. *Dat. Barchinone IV. nonas octobris anno Domini MCCCXXXV.*

Superiora geſta confirmata.

40 Admiſit Benedictus Alfonſi Regis oratorem ad clientelare officium pro Sardinia & Corſica exhibendum, de quo hæc habet Ptolemæus Lucenſis a: *Item XIV. kal. ianuarij in publico conſiſtorio inueſtiuit procuratorem Regis Aragonum nomine Regis de regno Sardiniæ & Corſica, recepto ab eo homagio conſueto.* Proximo die ab eo præſtito ſubiectas literas b, vt iuribus regijs caueret, eidem Regi tranſmiſit.

Admiſſa hæc a Pōt. fidei ſponſio. a Ptol. Luc. in hiſt. eccl. l. 24. c. 43. b An. 1. p. 1 19. tom. 960.

Alfonſo Aragoniæ, Sardiniæ & Corſicæ Regi illuſtri,

Nuper infra annum poſtquam, diuina faciente clementia, in Romanum fuimus electi Pontificem, tu qui claræ memoriæ Iacobo Aragoniæ, Sardiniæ & Corſicæ Regi genitori tuo in huiuſmodi regnis, vtpote eius heres legitimus ſucceſſiſti, prudenter attendens, quod iuxta formam & conditiones contentas in literis felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri confectis de collatione, conceſſione, & donatione dicti regni Sardiniæ & Corſicæ, dicto Iacobo Regi ſuiſque heredibus ex ſuo & heredum ſuorum corporibus legitime deſcendentibus factis per prædeceſſorem eundem, fidelitatem, vaſſallagium plenum, & homagium ligium, ac iuramentum facere & præſtare nobis & Romanæ eccleſiæ tenebaris; dilectum filium nobilem virum Ferrarium de Canero militem, procuratorem, nuntium, ambaſciatorem, & conſiliarium tuum, ad hoc a te ſpeciale mandatum habentem, propter hoc ad ſedem Apoſtolicam ſpecialiter deſtinaſti; nobis & Romanæ eccleſiæ per dictum procuratorem pro eo, quod fidelitatem, vaſſallagium, & iuramentum huiuſmodi piæ memoriæ Ioanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro in perſona bonæ memoriæ Ioannis patriarchæ Alexandrini tunc viuentis, ex ſpeciali commiſſione prædeceſſoris eiuſdem per eius ſpeciales literas ſibi facta illa recipientis perſonaliter, præſtiteras huiuſmodi fidelitatem, homagium facturus, & iuramentum huiuſmodi ſecundum prædictam formam in tuam animam præſtiturus.

41 Licet igitur propter præmiſſa te a perſonali præſtatione huiuſmodi non credamus immunem, cum prædictam fidelitatem & homagium in præſentia eiuſdem Ioannis Papæ prædeceſſoris noſtri perſonaliter non præſtiteris, prout forma dictarum literarum eiuſdem Bonifacij videtur expreſſius contineri; quamuis illa eidem Ioanni patriarchæ remotus & abſens a præſentia Romani Pontificis præſtanda & facienda duxeris, vt præfertur; nos tamen deliberatione ſuper his cum fratribus noſtris prehabita, de ipſorum conſilio de ſpeciali gratia, quam hac vice perſonæ tuæ facere intendimus, in hac parte a prædicto milite procuratorio nomine tuo infra dictum annum, quo electi fuimus in Romanum Pontificem, videlicet XIIII. kal. ianuarij in conſiſtorio publico, præſentibus eiſdem fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus & de ipſorum conſilio, præſente quoque prælatorum & aliorum fidelium multitudine copioſa, fidelitatem, vaſſallagium, homagium ligium, & iuramentum prædicta iuxta formam in eiſdem literis eiuſdem prædeceſſoris Bonifacij contenta, per dictum militem nobis præſtita & ſa-

Obſtricti Aragonii præſenté exhibere clientis officia.

Admiſſus eius orator ex indulg.

facta, recipimus: ac nihilominus postmodum infrà mensem, prout iuxta formam & conditiones contentas in dictis literis tenebaris (prout per patentes literas tuas aurea tua bulla munitas, quas nobis ad cautelam nostram & successorum nostrorum Romanorum Pontificum & eiusdem Romanæ ecclesiæ destinasti, confessus es & recognouisti expresse) ex gratia & liberalitate eiusdem prædecessoris Bonifacij & Romanæ ecclesiæ dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ eidem Iacobo Regi genitori tuo ac tibi tuisque heredibus fuisse concessum in feudum: & sic, dictum genitorem tuum illud recepisse, teque illud tenere sub conditionibus, conuentionibus, siue pactis, modo & forma atque tenore, qui in eiusdem prædecessoris Bonifacij literis continentur. Quos tenorem, modum, conditiones, conuentiones, & formam promisisti te inuiolabiliter seruaturum: pro quorum obseruantia obligasti te, & idem regnum Sardiniæ & Corsicæ, & bona tibi competentia, prout in eisdem literis tuis aurea tua bulla munitis plenius continetur.

42 Nos autem super præmissis omnibus tuis & heredum tuorum præcauere dispendijs & vtilitatibus consulere intendentes, tenore præsentium recognoscimus & fatemur prædicta homagium ligium, ac plenum vassallagium, & fidelitatis iuramentum pro dicto regno Sardiniæ & Corsicæ per dictum Ferrarium militem, procuratorem, & nuntium tuum ad hoc specialiter constitutum, & speciale mandatum habentem, infra tempus debitum nobis & eidem ecclesiæ, procuratorio nomine tuo, fuisse fideliter præstita, & a nobis recepta de gratia speciali; nec non huiusmodi confessionem & recognitionem, promissionem & obligationes per dictas patentes literas tuas, aurea tua bulla munitas, infra tempus debitum te fecisse: quas quidem literas tuas, nobis ex parte tua per dictum militem assignatas, recepimus casque mandabimus & faciemus in archiuo eiusdem Romanæ ecclesiæ custodiri. Per præmissam vero receptionem homagij ligij, ac pleni vassallagij & fidelitatis iuramenti, præstitorum & factorum per dictum militem nomine tuo nobis & eidem Romanæ ecclesiæ, vt præfertur, non intendimus dictis conuentionibus, conditionibus, siue pactis, modo, formæ, & tenori in literis eiusdem prædecessoris Bonifacij comprehensis aliquatenus derogare. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. XIII. kal. ianuarij anno* 1. Affert in alijs litteris a rationem, cur oratorem ad id munus admiserit: *Quia*, inquit, *oppressus infirmitate venire, quoad præsens, ad nostram commode nequibas præsentiam pro præstandis nobis & ecclesiæ Romanæ pro regno Sardiniæ & Corsicæ homagio ligio, pleno vassallagio, & fidelitatis iuramento in tua persona propria*. Interiectisque nonnullis eo argumento sententijs, contestatur id beneficium in exemplum ac fraudem non trahendum. Professus vero orator Alfonsi nomine clientelari iure Sardiniæ & Corsicæ regna a sede Apostolica obtineri, proximo ab ea celebritate die cēsum pro ijs regnis nempe duo millia marcarum argenti persoluit, qua de re pontificia syngrapha exarata b.

Exacta ab Aragone rei gestæ monumenta.

a To. 1. ep. secr. 739.

Solutus Sardiniæ census.

b Ibid. ep. secr. 653.

c Ib. ep. secr. 370.

43 Intulic c pariter pontificio ærario pro Sicilia citeriore iure fiduciario accepta vectigal annuum octo millium vnciarum auri Robertus Siciliæ Rex, qui cum ex pactis cum Carolo I. initis ad aulam apostolicam, vt clientem se noui Pontificis solemni ritu agnosceret, iuraretque in illius verba, adeundam euoluente se primo Benedicti Pontificatus anno obstrictus esset; magnaque rerum gerendarum moles illi incumberet (bellum in Fredericum Regem Trinacriæ apparabat) flagitauit a Benedicto a, vt oratores, quos idonea ad rescrendam acceptā Pontifici Siculam coronam auctoritate instruxerat, ad fidem sacramento regio nomine deuinciendam admitteret. Pontifex itaq; vt iuribus Romanæ ecclesiæ cōsuleret, parceretque Roberti Regis laboribus, cum in legibus a Clemente IV. latis contineretur, vt vel Romanus Pōtifex Siculum Regem accerseret, vel legatum Cardinalem aliumue transmitteret, qui Pontificis vice honores debitos fideique sacramentum exigeret; Benedictus Bertrando Ebredunensi archiepiscopo, quem ad maximas res tractandas in Italiam missum vidimus, ac Ioanni archiepiscopo Neapolitano adigendi in apostolica verba Roberti prouinciam dedit b, ipsumque Regem eius se votis assensisse, hisce literis fecit certiorem. c

a Ib. ep. secr. 110.

Trinacriæ bello implicitus Siculus Rex.

Orat, vt labore ad curiæ cu siæ leuetur.

b Ib. ep. secr. 26 & MS bibl. vall. sign. lit. D. n. 1. pag. 163. & sign. lit. B. n. 12. pag. 120.

c Ao. 1 p. 1 ep. cur. 25.

Benedictus &c. charissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliæ illustri salutem.

44 Nuper venerabilis frater noster Bartholomeus archiepiscopus Tranensis, & dilecti filij nobiles viri Bertrandus Montiscaueosi ac Iacobus Clarimontis comites nuncij & procuratores tui, tunc apud sedem Apostolicam constituti, coram nobis & fratribus nostris in consistorio pro parte tua reuerenter exponere curauerunt, quod licet tu iuxta conuentiones & pacta in concessione per eandem ecclesiam de regno Siciliæ ac tota terra, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum eiusdem ecclesiæ (ciuitate Beneuentana cum toto territorio ac omnibus districtibus & pertinentijs suis per Romanum Pontificem distinctis, vel in posterum distinguendis dumtaxat exceptis, quæ præfata ecclesia sibi specialiter reseruauit) claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ auo tuo eiusque heredibus facta, inter ipsos ecclesiam & auum habita, nobis & cuilibet nouo Romano Pontifici in assumptione sua ad summi apostolatus apicem, ac eidem ecclesiæ infra certum terminum pro regno & tota terra citra pharum prædictis ligium homagium, ac plenum vassallagium facere, nec non iuramentum fidelitatis præstare solitum personaliter tenearis; & in optione ac beneplacito Romani Pontificis, & eiusdem ecclesiæ iuxta pacta & conuentiones prædicta fore noscatur te ad faciendum ligium homagium, vassallagium huiusmodi, dictumque iuramentum præstandum vocare personaliter, vel ad te aliquem S. R. E. Cardinalem vel alium, qui vice Romani Pontificis & ecclesiæ prædictorum homagium ac vassallagium, & iuramentum huiusmodi recipiat destinare; tamen propter certas causas rationabiles per eos ex parte tua coram nobis & dictis fratribus allegatas, ad sedem Apostolicam personaliter hac vice commode venire nequibas, homagium, vassallagium, & iuramentum huiusmodi præstiturus. Quare præfati tui procuratores & nuntij nobis humiliter supplicarunt, vt te a personali aduentu propter hoc ad sedem prædictam excusatum hac vice habere; nec non ab ipsis procuratoribus & nuncijs adhæc a te, vt asserebant, sufficiens & speciale mandatum habentibus, homagium, vassallagium, & iuramentum prædicta pro te ac tuo nomine illa præstare offerentibus, recipere de ipsius sedis benigna clementia dignaremur.

Quæ proposuerint Roberti oratores.

Exhibendæ clientelaris sponsionis mandato tulit.

45 Nos igitur deliberatione super ijs cum eisdem nostris fratribus habita diligenti, hono-

rem & iura eiusdem ecclesiæ sponsæ nostræ, sicut tenemur ex debito seruare, teque prædictis causis, conditionibus temporum, & alijs, quæ attendenda vidimus in hac parte, patenter pensatis, a veniendo personaliter ad sedem prædictam pro homagio, vasallagio, & iuramento huiusmodi exhibendis, excusatum hac vice, de ipsius sedis benignitate habere volentes; venerabiles fratres nostros Bertrandum Ebredunensem, quem ad te super hoc destinamus, & Ioannem Neapolitanum in ipsis partibus existentem archiepiscopos; de quorum circumspectionis industria, & fidelitate probata fiduciam in Domino gerimus specialem, ad recipiendum a te homagium, vasallagium, & iuramentum huiusmodi hac vice nostro & ecclesiæ Romanæ nomine antedictæ prouidimus deputandos. Quocirca, &c. *Dat. Auinione II. non. maij anno I.*

Decreti legati ad Robertū.

46 Professus est solemni ritu Robertus Siciliæ Rex a, Siculum sceptrum sedis Apostolicæ beneficentia & auctoritate se suscepisse, Regisque stipendiarij officia Ebredunensi & Neapolitano archiepiscopis pontificijs legatis detulisse: qua de re regias literas, hoc anno MCCCXXXV. XV. iunij III. indictione regnorum XXVII. Neapoli consignatas, ad Pontificem transmisit b, quæ in molis Adrianæ sanctiore archiuo conditæ seruantur, & a Platina inter insignia monumenta iuris pontificij iussu Sixti IV. repositæ sunt.

Addicta illis a Roberto fides solemni ritu.

a Apud Bened. to. 1. ep. sec. 450. 451. b Ext. in arce S. Angel. & in ter collect. Plat. to. 2. pag. 261. & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 167. & M. S. Vall. sign. lit. O. n. 12 pag. 120. Edita de re gesta publica documenta.

In nomine Domini. Amen. Nouerint vniuersi hoc præsens instrumentum publicū inspecturi, quod anno Domini MCCCXXXV. *indictione* III. *die* XXV. *mensis iunij pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Benedicti diuina prouidentia Papæ* XII. *anno primo, existens in præsentia reuerendorum patrum dominorum Bertrandi Ebredunensis & Ioannis Neapolitani archiepiscoporum, ac mei notarij & testium et personarum infrascriptarum, nec non diuersorum aliorum clericorum & laicorum multitudinis copiosæ, serenissimus princeps dominus Robertus Rex Ierusalem & Siciliæ illustris in aula magna sacri regij palatij noui* Neapolitani *requisitus fuit publice & solemniter per ipsos dominos archiepiscopos, ad hoc per sanctissimum patrem & dominum nostrum dominum Benedictum Papam prædictum commissarios specialiter deputatos, prout de commissione eis super hoc facta apparebat per quasdam literas c apostolicas, quæ sic incipiunt:*

c Ext. in reg. Bened. an. 1. p. 1. ep. cur. 26. Vide lectas sint Pont. literæ.

(*Benedictus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Bertrando Ebredunensi & Ioanni Neapolitano archiepiscopis salutem, & apostolicam benedictionem.*

Romani Pontificis prouidentia circumspecta diuersitatem negotiorum, quæ in alueum sedis Apostolicæ vndique confluunt, attente discutiens, circa eorum ordinationem salubrem vigilanter intendit, ac prout personarum & temporum qualitas exigit illa sic recte disponit, vt in his, quæ conseruationem iurium & honoris sanctæ Romanæ ecclesiæ suæ sponsæ contingunt, & commoda respiciunt aliorum, consulte prouideat & præcaueat vt potest de sua solita clementia incommoditatibus specialium ipsius ecclesiæ filiorum. Nuper siquidem, &c. *& finiunt: Datum Auin. II. non. maij pontificatus nostri anno I.*) *quæ ibidem publice & alta voce lecta fuerunt, quod idem dominus* Rex *homagium ligium, & plenum vassallagium, ac iuramentum fidelitatis, quod præfato domino summo Pontifici & ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra citra pharum vsque ad confinia terrarum* Romanæ *ecclesiæ (ciuitate Beneuentana cum eius territorio & totis districtibus & pertinentijs per Romanum Pontificem distinguendis dumtaxat exceptis, quæ præfata Romana ecclesia sibi pleno iure specialiter reseruauit) in nouitate summi Pontificis tenebatur facere ac præstare, in præsentia ipsorum dominorum archiepiscoporum, nomine ipsius domini summi Pontificis & Romanæ ecclesiæ recipientium & ad hoc, vt præmittitur, deputatorum, prout astrictus erat; & tam progenitores sui quibus successerat, quam ipse præstiterant, faceret & præstaret; ac pactiones & conuentiones inter Romanam ecclesiam & claræ memoriæ dominum* Carolum Regem *Siciliæ auum suum dudum habitas & initas, quarum tenor inferius continetur, iuxta tenorem & continentiam earundem solemniter promitteret & iuraret fideliter & inuiolabiliter obseruare:*

Postulat^s fit Rex de præstanda clientelari spōsione.

Qui dominus Rex, facto in continenti per ipsum quadam propositione materiam huiusmodi contingente, de sede sua surgens, in præsentia ipsorum dominorum archiepiscoporum, infrascripta nomine prædictorum domini Papæ & Romanæ ecclesiæ recipientium, deuote & reuerenter homagium & vassalagium ligium iunctis manibus intra manus ipsorum dominorum archiepiscoporum, & dato eis osculo successiue, fecit & fidelitatis; & de obseruandis plene, fideliter, & inuiolabiliter pactionibus, conuentionibus, & conditionibus inter Romanam ecclesiam & prædictum dominum Carolum *Regem Siciliæ auum suum habitis & initis, iuxta modum & continentiam infrascriptos super sancta quatuor Dei euangelia, inuiolabiliter in manibus ipsorū dominorum archiepiscorum posita, corporaliter manutacta præstitit iuramentum. Forma autem præstationis homagij ligij & vassallagij & iuramenti fidelitatis, ac tenor conuentionum & pactionum, quas idem dominus* Robertus *Rex Siciliæ seruare promisit solemniter & iurauit, in hæc verba sequuntur.*

Prompte assensere & quis ei rus seruatus.

47 *In nomine a* Domini. *Amen. Ego Robertus Dei gratia Rex* Sicil*iæ ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, & ecclesiæ Romanæ, in præsentia venerabilium in Christo patrum Bertrandi Ebredunensis & Ioannis Neapolitani archiepiscoporum ad homagium ligium, & vassallagium, ac fidelitatis iuramentum, & omnia alia & singula infrascripta a me recipienda, per sanctissimum in Christo patrem dominum meum, dominum Benedictum diuina prouidentia Papam* XII. *specialiter deputatorum, illaque domini mei & ecclesiæ Romanæ prædictorum nomine recipientium, ligium homagium facio dicto domino meo Papæ eiusque successoribus canonice intrantibus, & ipsi ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra pharum vsque ad terrarum confinia eiusdem ecclesiæ: quæ vtique regnum & terram (excepta ciuitate Beneuentana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij, pertinentiarum, & districtus ciuitatis eiusdem per* Romanos *Pōtifices distinctos vel in posterum distinguendos) claræ memoriæ domino* Carolo *Regi Siciliæ auo meo & heredibus suis, quorum ego heres existo, prædicta ecclesia Romana concessit. Et recognosco & fateor, quod inter* Romanam *ecclesiam & prædictum auum meum conditiones, modus, & forma, ac pacta infrascripta interuenerunt, & fuerunt apposita in concessione regni, sibi suisque heredibus per* Romanam *ecclesiam facta, seu auctoritate ipsius in prædicta concessione, pertinentia seu spectantia ad personas eorum, qui successuri erant ipsi auo meo suisque heredibus in-*

a Ext. etiā apud Ben. an. 1. p. 1. in ep. cur. 36. & in M.S. bibl. Vallicel. sign. lit. D. n. 1. pag. 163. Sponsionis formula.

ter-

terra & regno prædictis, & eorum qui in eisdem successuri sunt, mihi meisque heredibus; nec non ad successionem vel formam seu modum succedendi ipsi auo meo suisque heredibus, & mihi meisque heredibus in regno & terra prædictis. Quæ omnia & singula tam me quam meos in regno & terra heredes seruaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia sunt. Si in nostro vel heredum nostrorum obitu legitimum, prout sequitur, heredem nos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere reuertatur, &c. Prætermittimus reliquas pactiones, quibus cliētelæ causa Robertus se obstrinxit, cum iisdē verbis concepta sit earum formula atq; ea, quam a Carolo I. & Carolo II. repetitam superiori tomo a attulimus. Ad confirmanda vero conuenta addit Robertus.

Instauratæ veteres pactiones.

a Ann. Chr. 1265 n. 14. & an. 1289. n. 2. &c.

48 *Ego etiam do hoc priuilegium seu literas præsentes domino Papæ & Romanæ ecclesiæ memoratis, aurea bulla bullatum seu bullatas, in qua vel in quibus proprio iuramento fateor & recognosco expresse, regnum Siciliæ & totam terram, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ (excepta ciuitate Beneuentana cum territorio & pertinentiis eius quæ, vt dictum est, ecclesiæ remanebit eidem) ex sola gratia & mera liberalitate sedis Apostolicæ sæpedicto auo meo, mihi, meisque heredibus in feudum fore concessa, meque habere & tenere regnum & terram huiusmodi a dicta Romana ecclesia in feudum pro me meisque heredibus in dictis regno & terra sub pactis & conditionibus, forma, modo, & conuentionibus prædictis, & sub aliis, quæ in literis felicis recordationis Clementis Papæ IV. plenius continentur, illibata perpetuo remaneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem. Ipsa omnia et singula iuro (duobus exceptis capitulis, vno de quinquaginta millibus marchis sterlingorum, & earum solutione sanctæ ecclesiæ debitis, & conuentionibus memoratis per iam dictos parentes meos & me heredem ipsorum remissis mihi meisque heredibus in perpetuum, & donatis per ipsam ecclesiam ac felicis recordationis dominum Clementem Papam V. cum consilio & assensu dominorum Cardinalium de mera liberalitate ipsorum ex speciali gratia relaxatis; & de eis fuimus ego et mei heredes de nexu cuiuslibet obligationis, aut pœnalis promissionis, quibus essemus astricti, propterea in perpetuum absoluti et exinde quietati; alioque capitula de personalibus iam dicto auo meo impositis, de habendis per eum mille militibus vltramontanis cum certa equitaturarum et balistariorum numero, et ad veniendum ad prosecutionem negotii dicti regni in subditis terminis et præfixis, et sub certarum interminatione pœnarum, quia hæc esse constat impleta) et per stipulationem promitto solemnem, quod plenarie adimplebo, et inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet. In prædictorum autem testimonium perpetuamque memoriam præsens scriptum exinde confici iussi, et aurea bulla regia maiestatis impressa typario communiri. Acta et habita fuerunt prædicta Neapoli in prædicto palatio regio, præsentibus ibidem serenissima domina domina Sancia Regina Ierusalem et Siciliæ illustri, ac illustribus & magnificis viris domino Carolo duce Dyrrachii, Ludouico et Roberto eius fratribus, præfati domini Regis nepotibus, ac venerandis patribus dominis Bartholomæo Tranensi regni Siciliæ vicecancellario, Rogerio Capuanno, fratre Landulpho Amalphitano, Petro Surrentino et Idrontino archiepiscopis, etc.* Adduntur alia episcoporum & procerum, qui testes fuere adhibiti, ac tabellionum nomina.

Datæ ab eodem Rege publicæ literæ.

Insertæ publicis monumētis.

49 Detrectabat Fridericus Trinacriæ Rex Apostolicæ sedis fiduciarius clientis officia Benedicto exhibere, & Alfonsi Robertique Regum exempla sequi: decreuit tamen Pontifex tentare obstinatum in perfidia illius animum, & clementia ad obsequium allicere: instantique Roberto Regi, qui Fridericum regno, quod tyrannide corripuerat, deturbare moliebatur, vt grauioribus pœnis censuras apostolicas iamdiu obterentem percelleret; respondit a mansuetudinem prius experiri, vtque rediret ad officium illum prouocare se decreuisse.

Friderici Trinacrij contumacia.

a To. 1 ep. secr. 114.

Benedictus, &c. Quia illius locum, licet immeriti, tenemus in terris, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquirit, desideriis optamus intensis, & adhuc etiam expectamus, si Rex idem ab illo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, inspiratus a deuiis pedes suos studeat retrahere, ac in viam veritatis & iustitiæ dirigere gressus suos, redeundo corde contrito & humiliato spiritu ad nostram & ecclesiæ deuotionem & obedientiam, suos propterea nuncios ad nostram præsentiam destinando. Interim autem processus alias contra eum habitos perquiri facimus, ordinare nisi ad deuotionem redire, vt præfertur, curauerit, quod matura deliberatione præuia faciendum cognouerimus, intendentes. *Dat. XIII. kal. aprilis anno I.*

Pertentat Benedict⁹ illum flectere clementia.

50 Explicuit itaque in Fridericum Regem Trinacriæ clementiam Benedictus, paternisque monitis ab exitio imminenti errantem reuocare nisus est: grauissimis enim literis atrocia eius scelera ante ipsius oculos statuit, vt ad pœnitentiam flecteret; ductoque altius rei exordio exposuit, vt Petrus Aragonum Rex eius parens nequiter inuasisset Trinacriam, illeque paternum flagitium imitatus tyrannidem exercuisset donec pax inter Carolum II. & ipsum sancita firmataque affinitatibus nouis fuisset: verum aliquanto post tempore percussum sanctissime fœdus iniuste fregisse, inuasisseque Calabriam: indictas postea, obiectis violatoribus grauioribus pœnis, inducias fregisse, censurisque se irretiisse; nec tamen, vt catholicum principem decuerat, ea religione exolui flagitasse; sed nouo cumulato scelere censum pro Trinacria debitum pluribus annis intermisisse, ac non modo anathema nouum contraxisse, verum omni iure antea adepto ex pacis tractatu excidisse. Huic improbitati rapinas ecclesiarum, atque ecclesiasticorum iniurias grauissimas adiecisse; denique apostatis, hæreticis, ac schismaticis fauisse, vt e suggestu infandos errores euulgarent. Obiecit demum infelici principi Benedictus, quanto dedecore se ac suos respersisset, ac beneuolentiam apostolicam spopondit, si gremium ecclesiæ repeteret: si vero crimina quibus obnoxius erat expiare abnueret, ecclesiæ causæ se non defuturum. Exemplum literarum apostolicarum infrascriptum est. b

Admonet etiam.

b An. 1. p. 1. ep. cur. 28.

Magnifico principi Frederico Regi Trinacriæ spiritum consilii sanioris.

51 Diuinus amor nos admonet, & charitas proximi nos inuitat, nec non officii nostri debitū nos perurget, vt quæ animæ tuę salutem, honoris augumentum, tuique status claritatem respiciunt, tibi paterno suadeamus affectu: quæ, si deuotus illa susceperis, & ad eorum executionem, velut ager purgatus spinis & tribulis, paraueris mentem tuam, fructum tibi multiplicem

Data iis de rebus ad eum lit.

honores, & commodi germinabunt. Nosti siquidem, & euidentia facti toti mundo notoriat, quod post commotionis amaræ dissidium in insula Siciliæ ex calore præsumptionis exortum, quondam Petrus Rex Aragonum pater, tuus dictam insulam in ecclesiæ Romanæ contemptum & iniuriam temeritate propria occupauit, ipsamque insulam vsque ad eius obitum detinuit occupatam; tuque postmodum eidem Petro in eiusdem insulæ illicita occupatione succedens, eam vsque ad tempus pacis inter te ac claræ memoria Carolum Regem Siciliæ reformatæ, ac per sedem Apostolicam confirmatæ, occupatam de facto & indebite tenuisti; quodque huiusmodi pace & concordia initis, & pro ipsarum roboratione maiori inter te ac charissimam in Christo filiam nostram Alionoram Reginam Trinacriæ illustrem consortem tuam dicti Regis Caroli filiam matrimonio celebrato, tu post aliqualem obseruationem pacis huiusmodi fœdus ipsius violasti, & terram charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris citra pharum inuadere præsumpsisti, & nonnullas ciuitates & castra ibidem indebite occupasti; & subsequenter, treugis inter te & dictum Regem Robertum, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum postmodum pro pace inter te & ipsum tractanda commodius sub grauibus spiritualibus sententijs atque pœnis indictis durantibus, eas, inuadendo iterum terram dicti Regis citra pharum, nulla causa exposcente rationabili violasti, propter quod tu excommunicationis sententiam in infringentes treugas ipsas per eundem prædecessorem prolatam incurristi; & Siciliæ & aliæ insulæ ei adiacentes suppositæ interdicto ecclesiastico extiterunt, quodque eum tu iuxta status tui decentiam teneretis & debuisses per satisfactionem debitam, tanquam catholicus eiusdem ecclesiæ filius, relaxationem sententiæ ac interdicti huiusmodi procurare, id facere non curasti; sed præmissis contemptum adijciens, a solutione census trium millium vnciarum auri a te nobis & ecclesiæ Romanæ pro dictis insulis annis singulis debiti, ad cuius solutionem etiam iuramento teneris astrictus, per annos plurimos cessauisti, propter quod excommunicationis sententiam in personam, & priuationis pœnam iuris, quod tibi in retentione prædictæ Siciliæ & aliarum insularum ei adiacentium in vita tua ex forma pacis huiusmodi competere poterat, incurristi.

Vi scelere parta fit a patre Trinacria.

Retenta ab ipso Fadrique.

Violatum inique fœdus.

Illatum contra fas Calabriæ bellum.

Intermissa census solutio.

Nec his contentus, ad ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum grauamina & iniurias te conuertens, bona & iura ecclesiarum & personarum earundem multipliciter occupasti, ipsarumque redditus & prouentus pro maiori parte tuis vsibus applicasti pro libito voluntatis; & quod deterius est, & pungit acriter mentem nostram, vt dictam ecclesiam matrem tuam offenderes grauius, personas quamplurimas in errorum deuium prouolutas, nec carentes fermento hereticæ prauitatis, apostatas, & schismaticos in dicta insula Siciliæ admisisti hactenus & admittis, ac permisisti quod personæ huiusmodi multa illicita in dicta insula prædicarent, aliaque indecentia & voluntaria facerent, quæ non videntur de catholicorum mentibus processisse: & præter hæc & alia plurima per te non commendabilia temporibus modernis commissa, quæ singulariter exprimere præsentibus ex certis causis omittimus, interdictum ecclesiasticum in dictis insulis hactenus obseruatū fecisti, sicut accepimus, violari.

Bona ecclesiastica occupata.

Profanata sacra.

52 Considera igitur quantum Deum, nos, & Apostolicam sedem in præmissis offenderis, & offendas; ac paueas, & timorosus expectes diuinum tremendumque iudicium, per quod bonis præmia & malis supplicia irrogantur, tarditasque pœnæ grauitate iudicij compensatur. Quia igitur illius, licet immeriti, vices in terris gerimus, cuius proprium est misereri; ac tum ob hoc, tum quia etiam dum nos minor status haberet ad inclytam domum Aragoniæ, tuamque personam, priusquam sic grauiter Deum & ecclesiam prædictam offenderes, gessimus specialis dilectionis affectum, & postquā diuina gratia fuimus ad apicē summi apostolatus assumpti, domum prædictam paterna dilectione prosequimur, summo desiderantes affectu, vt te a præmissis culpis ex lapsu tantorum excessuum nostra exhortatio reuocet, & paterna charitas oberrantem filium reducat salubribus monitis ad deuotionem sanctæ matris ecclesiæ, communionemque fidelium, a quibus es, vt præmittitur, separatus; ideoque magnitudinem tuam requirimus, monemus, & hortamur in domino Iesu Christo, quatenus infra claustra tuæ conscientiæ debita consideratione reuoluens, quam indecenter ex præmissis neglexeris famam tuam, quam periculose salutem animæ tuæ contempseris, ac conditionem tui generis offuscaris; mentem tuam per debitæ omnium præmissorum reparationis & satisfactionis euidentiam præpares ad salutem; deuote audiens, diligenter intelligens, ac pro timore & amore Regis æterni, qui dat regnare principibus, Apostolicæ sedis reuerentia atque nostra, honoreque catholicæ fidei, ac salute propria effectualiter exaudiens monitoria & salutifera verba patris.

Prouocatur ad poscendam scelerum veniam.

Alioquin volumus tuam magnificentiam non latere, quod si forte, quod absit, non acquiescas paternis exhortationibus huiusmodi, & per inobedientiæ, ac indeuotionis zelum in huiusmodi tamdiu continuato proposito vlterius perseueres, non poterimus, salua conscientia, conniuentibus oculis pertransire, quin super præmissis de opportuno prouideamus remedio, prout secundum Deum honori nostro & eiusdem ecclesiæ viderimus expedire. Super his autem & nonnullis aliis præmissa tangentibus, tibi ex parte nostra oretenus seriose ac particulariter enarrandis, venerabilem fratrem nostrum Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem, quem propter suæ probitatis expertam constantiam grandiaque dona virtutum ad hæc vtilem per experientiam nouimus, ad tuam præsentiam prouidimus destinandum: quem tua magnitudo ob sedis eiusdem & nostram reuerentiam benigne recipiat, prosequatur honorificentia debita, sibique referenda super præmissis pro parte nostra credat, ac illa deducat ad votiuæ ac speratæ executionis effectum, sciturus pro firmo, quod si tu monitionibus & exhortationibus paternis huiusmodi acquieueris cū effectu, & de præmissis omnibus satisfactionem debitam, prout tui status decentia exigit, nobis & ecclesiæ Romanæ prædictæ impenderis, aperte cognosces, nos & dictam ecclesiam adesse tibi, quantum cum Deo poterimus, fauoribus & præsidijs opportunis. *Datum Auinione IV. non. maij anno* I. Conceptæ sunt ijsdem pene verbis literæ ad Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem datæ a quibus Frederico præterita scelera exponere iussus est.

Intentata iudiciorū acerbitas.

a Ben. an. p. 1. ep. cur. 27.

In-

Roberti in Trinacriam expeditio. a To. 1. ep. secr. 450. b Io. Vill. l. 11. c. 29.

53 Instructam a Roberto a Siciliæ Rege classem ad recuperandam Trinactiam, refert Ioannes Villanus b, ac licet maritimæ oræ Trinacriæ magna sint illata damna, nullas tamen arcea ob Aragonicā classem expugnari potuisse. At Benedictus, Roberti Regis querelis pulsatus, publicę pacis alēdæ, belliq; inter Robertū & Aragonios extinguendi cupidus, Alfonsum Regem grauissimia monitis solicitanit c, vt classis suę prefectum, quem sine iussu regio temerarium facinus aggressum putabat, merita mulcta afficeret.

c To. 1. ep. secr. 759.

Benedictus, etc. Alfonso Regi Aragonum illustri.

Damnata a Pont. casus.

Fili dilectissime, non sine admiratione displicibili ad nostram notitiam fuit deductum, quod pridem, armata charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris in Siciliæ insula existente, Raimundus de Peralta quarundam galearum tunc amiratua seu capitaneus cum quatuordecim tuis seu subditorum tuorum & duabus Siculorum eis associatis galeis ad insulam accessit eandem, se contra prefatum Regem Sicilię ad protectionem & defensionem terrarum quas tenet magnificus princepa Fredericus Rex Trinacrię, ac fidelium & terrarum Regia sępefati Sicilię, quę per ipsum a nobis & ecclesia supradicta tenentur in feudum, offensionem & inuasionem hostiliter, sicut Regem eundem Sicilię scripsisse tuę magnificentię seriosius intelleximus, se accingens.

Violati fœderis arguitur Alfonsus Arag. Rex

54 Verum cum in pactis & conuentionibus insertis in literis concessionia regni Sardinię & Corsicę inter cætera contineatur expresse, quod tam dictus genitor tuus, quam eius heredes in regno prędicto pro amicis & deuotis amicos & deuotos ecclesię, ac pro inimicis & indeuotis inimicos & indeuotos eiusdem perpetuo tenerentur habere, nec æmulis seu inimicis ipsius ecclesiæ darent auxilium, consilium, vel fauorem; tuamque serenitatem non lateat, cum sit manifestum & notorium tam prope quam longe positis, quod dictus Fredericus extra gratiam & communionem ecclesiæ, quod dolenter & displicenter referimus, persistebat tunc temporis & adhuc animo pertinaci persistere, in suæ salutis & famæ dispendium non veretur; & vlterius quod de censu annuo, ad quem eidem tenetur ecclesiæ, ipsam quantum in eo est exheredatam detinet ac etiam spoliatam: sicque, si Fredericus ipse inimicus, rebellis, & æmulus ecclesiæ Romanæ prædicta reputari merito debeat; dictusque Rex Siciliæ, qui ecclesiam ipsam, cuius vassallus & fidelis existit, teneretur velut matrem & dominam, eidem tam debita quam deuota præstando ingiter obsequia, deuotus & amicus ipsius ecclesiæ sit censendus, deducere potest tua regalia circumspectio in debitæ considerationis examen.

Nullum ipsi obiectum obijcem in comparāda Sardinia.

55 Insuper conuentiones & pacta, dudum inter tuum & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ dicti Roberti Regis genitores super eorum inuicem pace habita, quæ præfatum Robertum Regem tam circa guerram tuam Sardiniæ, quam casus exigentes alios obseruasse inuiolabiliter hactenus audiuimus, ad tuam prouidimus memoriam serie præsentium reducenda, vt ex his & alijs, quæ tibi circa hæc possunt occurrere, tua perpendat clarius prudentia, quam grauis, præsumptuosus, & temerarius ex præmissis & alijs diuersis capitulis fuerit dicti Raimundi, sibique in hac parte adhærentium subditorum tuorum excessus, nequaquam de tua conscientia sicut credimus attentatus: quem sic velit regalis sublimitas corrigere ac punire, quod talia vel similia non attententur in posterum, sed tibi attentata displicuisse huiusmodi prompta & debita excessus eiusdem correctio attestetur; tuque fili amantissime nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam tibi ex ijs & alijs tuæ deuotionis meritis vendicea copiosius & vberius non indigne. *Dat. Auin. 11. kal. ian. an. 1.*

56 Gerebat sanctiora bella Carolus Vngariæ Rex, qui arma aduersus infideles ad propagandam religionem conuerterat. Fauitque athletæ suo fortissimo diuinum Numen, gloriosa illi de hoste collata victoria: de qua certior factus Benedictus, Carolo est gratulatus, atque ad proferendos fidei limites ac Dei hostes debellandos ipsum incitauit a.

Vngarus Rex in barbaros bellum gerit.

a Eod. to. 3 ep. secr. 483.

Benedictus, &c. Carolo Regi Vngariæ illustri.

Gratulatur illis de parta victoria Pont.

Fili charissime, audita victoria, quam tibi aduersus hostes fidei Christianæ Altissimus de cælo ijs temporibus præteritis contulit, cor nostrum exultat in Domino; exit de sibi labiorum vitulum in humilitate spiritus exoluentes, & cernui supplicantes eidem, vt collatam tibi virtutem & gratiam corroborare & augere ad conterendos inimicos nominis Christiani dignetur. Tu vero, fili dilectissime, non tuæ ac tuorum, sed diuinæ potentiæ potius victoriam ipsam, & alia dona virtutum, quæ tibi largitur Altissimus, cum actionibus gratiarum ascribens, circa eius obsequia, præsertim ad cultum fidei orthodoxæ dilatandum in illis partibus, tanquam athleta Christi strenuus, quoties opportunitas aderit, vt inde tibi apud Deum acquiras meritum vberius, & fama tui nominis dilatetur per orbem diffusius, te impendas; scituras, quod nos super tuis opportunitatibus, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies & benignos, &c. *Dat. apud Pontem sorgiæ Auinionensis diœcesis non. augusti anno 1.*

Fœdus inter Vngar. Boem. & Polon. Reges.

b Bonif. in l. 9. dec. 2. Dubr. hist. Boem. l. 21 Crom. l. 12 ex Hagec.

c Mich. l. 4 c. 17. Crō. l. 12 in Casimiro Bonfin. dec. 2. l. 9.

57 Vt bellū in infideles gloriose verterat Carolus Vngariæ Rex, pari laude pacem inter principes Christianos, Ioannem scilicet Boemiæ & Casimirum Poloniæ Reges conciliare studuit: firmatumque fœdus b ijs legibus inter ipsos arbitro eodem Carolo Rege, referunt auctores, vt Boemus Regis Poloniæ nomen, quod hactenus gesserat abijceret: Casimirus vero Silesiam Boemia relinqueret. Extitit c etiam Carolus Vngarię Rex vna cum Ioanne Rege Boemiæ pacis inter Polonos & cruciferos equites arbiter; quæ ijs conditionibus percussa, vt cruciferi Pomeraniam, quam Ioannem Regum Boemiæ ijs vendidisse vidimus retinerent (de quo Poloni queruntur admodum Carolum Regis Boemiæ verborum lenocinijs victum ab æquitate deflexisse) Cuiauiam vero & Dobrinensem ditionem Casimiro Poloniæ Regi restituerent. Agitata hæc sunt Vissegradi mense nouembri, in quibus celeberrimis conuentibus fœdus inter tres eos Reges Vngarię, Polonię, & Boemiæ arctissimum sancitum d, eosdemque amicos & hostes habituros sacramento spoponderunt: addunt etiam bellum in Ludouicum Bauarum decreuisse e, de quo superius actum est.

d Bonfin. vbi sup.

e Hagec. apud Crō. l. 12 Cro. Mich. vbi sup.

Cruciferorum cum Polono dissidia.

Cum sententia a Ioanne & Carolo Regibus arbitris inter Polonos & cruciferos operi mandanda esset, exortę sunt nouę controuersię: Cuiauiam enim & Dobrinensem tractum restituere detrectarunt cruciferi, nisi Casimirus regio diplomate iure omni, quod in Pomeraniam, Chelmensem & Michalouiensem terras obtinere conten-

de-

debat, cedere profiteretur. Inique a cruciferis expofci Polonis vifum eft, ac Ioannem Grothonis Stupczam epifcopum Cracouienfem ad fedem Apoftolicam mifere, vt iniuriarum iudicium cruciferis intenderent; dataque eft Galhardo e Carceribus ac Petro Gernafio apoftolicis internuntijs cognofcendę caufę prouincia a. Legarat antea in Poloniam Galhardum Pontifex b, vt denariū S. Petri a Polonis finitimarumq; prouinciarum populis c exigeret: cui etiam munus iniunxit, vt de apoftolicis internuntijs*, qui prçceffcrāt, Andrea fcilicet e Verulis & P. de Aluernia inquireret: accufati enim fuerant profligatam vitam duxiffe, improbe geffiffe munus, locaffe fœnori pontificij ęrarij pecunias ad lucra captanda, Romanam denique ecclefiam auaritię fordibus in inuidiam adduxiffe. His adiungimus Pontificem tuendorum ecclefię iurium folicitum ad exigendum in Anglia, Scotia, Vvallia, & Hibernia confuetum cenfum, qui vulgo denarius S. Petri dicitur, Bernardum d e Sifere, miffe, de quo plures ad Regem, Reginas, & clerum Anglię extant fcriptę litterę e.

a Mechov. cap. sup. b To. 1. ep. secr. 589. c Ib. ep. 362.

Cenfus pendendi Rom. eccl. a plur. regnis.

d Ead. to. 1 ep. secr. 516. 518. ad ep. 526 e Ib. ep. 93 94.

58 Contigiffe hoc anno in Anglia infigne pœnitentis fœminę exemplum, quę tantum dolorem ob anteactę vitę fcelera concepit animo, vt illius magnitudine oppreffa feliciter animam exhalarit, Vvalfinghamus refert f his verbis; *Hoc anno in ecclefia de Edeligh Vvintonenfis diœcefis, & decanatu de Aulton, in die palmarum poft prædicationem cuiufdam facerdotis literati, Ioannis de Vecca nomine, mulier quædam Ioanna coram populo a iuuentute fua corpus fuum libidini & obfcœnitati fuiffe expofitum, ac alia facinora lachrymabiliter confeffa eft inaudita; obnixe flagitans pœnitentiam a facerdote prædicto fibi imponi falutarem. Sacerdos quoque de diuina mifericordia confidens, poft facra fcriptura nominata *... ne defperaret, fed in Domino, peccatores ad pœnitentiam mifericorditer expectante, fpem poneret, fex dierum in * pane & aqua in fuorum remiffionem * dixit delictorum. Illa quoque pœnitentiam talem fuorum refpectu facinorum parum fore feu nihil afferente, pœnitentiam qualemcumque agere poffet fibi * iungi fuppliciter exorauit. Ille vero, diebus poftea tribus in petitione muliere perfeuerante, in expiationem omnium peccaminum fuorum indixit ieiunium. Proftrata vero illa coram imaginibus ecclefiæ flens & eiulans, ac preces ad Deum deuote fundens, pronamque in terra fe profternens, in corporis Chrifti eleuatione exanimis & albiffima eft reperta.* Traducit illuftre hoc diuinæ mifericordiæ in peccatricem exemplum, vt inane commentum, vir hæreticus, qui notas Vvalfinghamo in margine appofuit, vtpote cui ex infita ab herefi impietate Chriftiana pœnitentia non placeat. Sed auctori potius quam notularum fcriptori fidem adhibendam, cordatus lector agnofcet. Subijcit aliud diuerfum Vvalfinghamus diuinæ iuftitiæ in mulierem impudicam exemplum, atque infelix mortis genus, cum illa dæmonis, qui fpeciem amafij induerat, infidijs abiecto diuino timore deludi feſe paffa effet.

f Vvalfin hift. Angl. in Edward III.

Infignis pœnitentis contritio.

* exempla

* ieiunij * indixit

* iniungi

59 Emergebant in ecclefia varia hærefcon genera, quæ humani generis hoftis fparferat; graffabantur enim in Hibernia magi g: Vvaldenfes h in Gallia Lugdunenfi: in Italia Fraticelli i, alijque impudicitiæ effrænatæ dediti k fchifmatici in Germania m, in Dalmatia n & Boemia o alij, qui nouos errores fimplicibus afflabant. Pugnauit apoftolico zelo aduerfus hæc monftra Pontifex, ac Regum & principum potentiam, opem magiftratuum, epifcoporum zelum, cenforum fidei diligentiam ad ea abolenda implorauit. Atque in primis aduerfus nonnullos fceleftiffimos homines, qui pactum cum morte & inferno inierant in Hibernia, ac diuino Numini terga verterant, edoctiq; fuerant a dæmonibus Euchariftię nullum cultum exhibendum (tantis doctoribus noftrorum temporum nouatores poffunt gloriari) Eduardum Anglorum Regem incitauit a.

g An. 1. p. 1 ep. com. 909. 910. h To. 1. ep. secr. 344. i Ep. 410. k Ep. 274.

Nom hæretici pullulant.

m An. 1 p. 8. ep. com. 763. n To. 1. ep. secr. 462. o Ep. 441.

a An. 1. p. 1 ep. com. 910.

Chariffimo in Chrifto filio Eduardo Regi Angliæ illuftri.

60 Sicut nuper ad apoftolatus noftri, proh dolor! peruenit auditum, dum venerabilis frater nofter Richardus epifcopus Offorienfis fuam diœcefim iure ordinario vifitaret, apparuerunt in medio catholici populi homines & eorum fautores hæretici, cœno prauitatis hæreticæ labefactati, quorum quidam afferebant Iefum Chriftum fuiffe hominem peccatorem, & iufte crucifixum pro fuis extitiffe peccatis. Alij vero, factis per eos homagijs dæmonibus & eis facrificijs impenfis, ad dictorum informationes dæmonum de facramento corporis Chrifti aliter fentiebant, quam de illo catholica & Romana ecclefia fentit, dicentes non effe colendū, nec adorandum vllo modo facramētum prçfatum; & etiam afferentes, quod decretis, & decretalibus, etiam mādatis apoftolicis, credere vel obedire minime tenebantur; necnon ad confulendū dæmones in agendis iuxta ritus & fectas gētilium & paganorum, fpretis ecclefiæ catholicę facramentis, Chrifti fideles fuis fuperftitionibus attraxerunt. Hæc profecto labes hæreticæ intermixta fidelium cœtibus fœdat illos: hic morbus fui pudore cōtagij proximos fideles inficit adhærentes; & hoc peftiferū aconitum ferpens interimit animas illius peftilentia infectorum. Vnde cum, ficut accepimus, in eadem Hibernia & regno aliaque terra tui dominij Angliæ non fint inquifitores hærefeos, nec ex officio inquifitionis fuæ prauitatis hærefes ibidem inueniri & puniri foleant, propter quod iura & priuilegia inquifitionis eiufdem prauitatis incognita, & inufitata inibi exiftere dignofcuntur; ad tui fauoris clypeum, fili chariffime, in quo fplendor longe lateque irradiat fidei orthodoxæ, velut ad ftrenuiffimum Chrifti & eiufdem fidei pugilem pro huiufmodi prauitate & eius cultoribus cōfundendis & extirpandis recurrit fancta mater ecclefia confidenter.

Dæmones nefarium dogma de Euchariftia propagant.

Inducunt gētilitios ritus in Hibern.

Monitus Rex Eduard. vt hæc mala comprimat.

Quapropter ferenitatem regiam attente requirimus, attentius exhortamur in Domino, & obnixius deprecamur, cum in fulcimentum ecclefiafticæ poteftatis temporalis fortitudinis fit gladius inftitutus, quatenus pro diuina reuerentia, honore ipfius fidei & populari falute, tam iuftitiario tuo Hiberniæ prælibatæ, quam cæteris miniftris tuis per ipfam Hiberniam conftitutis, dare cures peruigil feruenter & efficaciter per tuas literas in mandatis, vt dicto epifcopo cęterifque antiftitibus Hiberniæ fupradictæ, quotiens & quando ab eis fuerint requifiti, viriliter & potēter affiftant auxilio brachij fecularis ad capiendum, puniendum, & extirpandum præfatos hæreticos, & alias hærefes in illis partibus nouiter pullulantes; ac etiam cæteros credentes, fautores, receptatores, & defenfores eorundem hæreticorum iuxta canonica inftituta, quæ etiam ad præfidentes regimini regni, prouinciæ, fiue loci obligant, & aftringunt. Ex hoc enim æternæ maieftati offeres gratitudinis debitæ holocauftum, fidem exaltabis eandem, fanctam ecclefiam honorabis,

re-

requisitioni, exhortationi, & deprecationi nostris huiusmodi acquiescens, tuique regalis nominis titulus extolletur altius, & continuus tibi prosperitatis & salutis proueniet vsusfructus. *Datum Auin. vt II. idus nouembris anno* 1. Monuit alijs literis a Pontifex Eduardum infamia illius hæresis respersos homines, cum episcopum ad sedem Apostolicam pro imploranda ope se contulisse accepisset, fraude & dolo vsos, regiosque administros impulisse, vt episcopi & ecclesiæ Osforiensia vectigalia occuparent: quocirca ipsum rogauit, vt magistratus, quos Hiberniæ præfecerat, episcopo & ecclesiæ eidem omnia bona restituere iuberet; regiæ enim gloriæ turpissimam labem, si episcopi patrocinium in causa adeo iusta non susciperet, aspersum iri.

a Au. 1. p. 1 ep. com. 909.
Ossorien. episc. a regijs ad ministris male habitus

61 Solicitatus b quoque Ioannes Boemiæ Rex, vt potentiam ad prosternendos hæreticos, qui simplices pestiferis irretiebant erroribus in Boemia, converteret; datū enim principibus Christianis a Deo gladium, vt pro retinendo fidei splendore exerant ad imperia sacerdotum: a *Potentia*, inquit, *secularis & præsertim catholicorum Regum et principum, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis aut status, materialis gladius in firmamentum ecclesiasticæ potestatis institutus existit tam diuinitus quam humanitus, prouisione videlicet canonica & ciuili; vt qui iudicium vel censuram ecclesiasticam damnabiliter vilipendunt, per brachij temporalis auxilium potentialiter compellantur. Est ergo exerendus promptius ipse gladius, & vigorosius exercendus contra quoslibet hostes crucis dominicæ: ac non minus, sed potius contra hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, qui Maiestatem æternam periculosius offendere non expauent.* Accendit Pontifex alijs literis c principem Carolum Boemici heredem sceptri, cui sua virtute imperiale coniunxit, vt fidei censores sua auctoritate ad insectandos hæreticos fulciret: tum regiæ Boemicæ procuratorem d. Instituit vero in Olomucensi prouincia Petrum e Naczeracz Minoritam, & in Pragensi Gallum f e Nonocastro ordinis Prædicatorum inquisitores, viros virtute & scientia conspicuos, quos summum studium in excindenda e Boemia nouarum hæreseon lue collocare iussit; de hæreticorum fraudibus impijs his verbis conquestus. *Dolentes accepimus, quod in ciuitate, & diœcesi Pragensi adeo hæretica infidelitatis diuersimode error inualuit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorsus auersi cunctos post cenium fallitatis, ac se ipsos diuersis & varijs hæresibus maculantes, pestiferas ad concutiendum orthodoxæ murum fidei machinas construunt, molientes ipsos fallaciam argumentationum dolosis, falsis, et vulpinis impulsibus demoliri, etc.*

b Ib. ep. com. 742. & 764.
Boem. Rex ad hæreticos excindedos excitatus.
c Rad. p. 1. ep. com. 743.
Religiosi viri comprimendæ hæresi nauant operam.
d Ibid.
e Ib. ep. 769.
f Ibid. ep. 740.

62 Fidei censori studia episcopi Pragensis ac præsulum prouinciæ conciliare nisus est Pontifex, hosque grauissime monuit g, vt pastorum munere strenue fungerentur, impiosque comprimerent. Olomucensis præterea episcopus cæterique ecclesiastici præcipui auctoritate in ea prouincia Petro e Naczeracz Minoritæ operam explicare iussi. Eruperant ij hæretici ex Germania, quam Ludouici Bauari patrocinio, vt superius vidimus, admodum inquinarant; atque inde ad Boemiam ac finitimas prouincias inficiendas excurrerant, vt hisce verbis deplorat Pontifex h: *Cum, sicut accepimus, in regno Boemiæ hostes crucis de remotis tam Alemanniæ quam circumpositis regionibus frequenter latenter simplices et catholicos dicti regni, inficere, atque a veritatis lumine deuiare fallaciarum argumentorum impulsibus moliantur.* Laborabat eadem lue Dalmatia: ad quam expurgandam a Benedicto archiepiscopus Spalatensis a, ac Traguriensis b & Sinimensis c episcopi summo conatu incumbere; fideique censores ad iustis hæreticos pœnis afficiendos sua auctoritate fulcire iussi.

g Rad. p. 1. ep. com. 741.
Hæretici grassantur in Germania.
h Ib. ep. 763.
a To. 2. ep. secr. 462.
b Ib. ep. 463.
c Ib. ep. 464.

In italia vero, serpebat, præcipue apud Reatinos, impura hæresis, quæ ad laxandum in omnes voluptates frænum cupiditati fauebat, Dulcinistarum sectæ affinis. Pōtifex enim de Zoppio Reatino locutus, quem a causarum fidei cognitore ait comprehensum, subdit hæc verba d: *Dogmatizantem quandam periculosam hæresim, cuius speciem per ipsum nobis expositam inserere præsentibus causa honestatis ad præsens omisimus, in illis partibus, præsertim ciuitate Reatina, quibusdam sathanæ ministris procurantibus.*

Dulcini hæresis repullulat.
d Ep. 594.

63 Dum voluptatum illecebris alios dæmon in exitium trahebat, alios pietatis specie deludere nitebatur. Aucupati ex plurium populorum ab ecclesia defectione occasionem Fraticelli, vires omnes ad subornandos fideles collocabant e; cum Benedictus, qui antea adeptum pontificatum sub Ioanne commentarios in eos scripserat, in quibus eorum argumenta dissoluebat (nonnulla ex ijs decerpsit Aymericus f quibus Pegna notas accuratas adiecit) g vt ecclesiam ab impijs hypocritis liberaret, Piceni, Æmiliæ, ducatus Spoletani marchiæ Taruisinæ, Etruriæ, Insubriæ, Siciliæ, ac Trinacriæ fidei censores h in illos animaduertere, earumque prouinciarum archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum præsules operam ac zelum coniungere iussit i. Aliud autem improbissimum hæreticorum in Gallia Lugdunensi genus serpebat, Vualdensis nimirum sectæ impij homines: ad quos abolendos a Benedicto episcopus Valentinus incitatus l, censores fidei zelum explicare iussi, denique Humbertus m delphinus Viennensis & Ademarus n e Pictauia, vt ad excindendas eas mali reliquias potentiam adhiberent, sunt admoniti.

Fraticellorum in ecclesiam impij conatus.
e Ep. secr. 410.
f Aymer. in direct. inquis. p. 2. q. 17.
g Pegn. comment. 42. in q. 17.
h To. 1. ep. secr. 410. & ab ep. 411. ad 419.
Vualdensium germina in delphinatu.
i Ib. ep. 4-2. ad 431.
l Ib. ep. secr. 344.
m Ib. ep. 345.
n Ib. ep. 346.

Nec modo ad hæreticorum, verū etiam schismaticorum nefaria consilia elidenda nauata est a Pontifice opera o. Miserat in Cretam Græcus patriarcha Cōstantinopolitanus (Latinus erat Gotius, quem hoc anno Benedictus xvi. 1. kal. iulias illi ecclesiæ vita functo Cardinale patriarcha cui Cardinalis nomen erat præfecerat) episcopum schismaticum, vt eos populos inficeret. Cum vero is rei catholicæ perniciem afferret, ac multa impie gereret, inter quæ legem de gradibus consanguinitatis ad plurium gratiam temere soluere gloriaretur; Pontifex Franciscum Dandulum ducem ac senatum Venetum exorauit p, vt nefarium hominem pellerent, fideique dignitatem tuerentur: *Vobis equidem filij*, inquit, *ac saluti et honori vestro conuenit, quod in eadem insula et terris dominio vestro temporali subiectis honor ecclesiæ Romanæ prædictæ seruetur debitus, et fidei catholicæ cultus expulsis erroribus amplietur. Dat. apud Pontemsorgiæ Auin. diœcesis xIII. kal. augusti anno 1.*

o Eod. to. 2 ep. secr. 458.
Patriarcha schismaticus Cretā inficere molitur.
p Super ep 458.
Pelli iubetur a Venetis.

64 In Castella impuritas libidinum ecclesiasticos ac laicos infecerat, ac plerique vitam inquinatissimam, abiecto omni pudore, ducebant. Contrahebantur passim vetitæ nuptiæ, patrabantur adulteria: effrænata licentia concubinas induxerat; potentiores imbellium opes diripiebant, ac sæpe incendijs in eos, quos habebant exosos, grassa-

Ecclesiasticus ordo in Hisp. fœdatus impudicitia.

sabantur. Quæ mala vt emendaret Pontifex Christianamque restitueret disciplinam, subiectas literas ad Castellæ ac Legionis antistites dedit a.

a Eod. to. 1. ep. secr. 86.

Benedictus, etc. archiepiscopis et episcopis in regno et terris Alfonsi Regis Castellæ constitutis.

Non sine displicentia magna & mentis turbatione percepimus his diebus, quod nonnullæ personæ tam ecclesiasticæ quam seculares illarum partium, etiam in dignitatibus & alijs ecclesiasticis & secularibus præeminētijs constitutę ad quædam horrenda & detestanda in suarum animarum periculum & aliorum perniciem suas damnatas non metuentes, instigante diabolo qui saluti humanæ inuidet, dirigere actionea, adulteria, incestus, & contubernia committere, nefarias & incestuosas nuptias contrahere, seu potius præsumere: deprædationes, incendia, & rapinas, ac exactiones illicitas, aliaque similia, ex quibus diuinæ maiestatis grauiter offenduntur oculi, præcepta transgrediendo diuina, statuta canonica, & salubres ordinationes sanctæ matris ecclesiæ contemnendo, patrare ausibus damnandis & temerarijs non verentur. Supponimus equidem indubie, quod si cultores perfidi Mahometi, qui vicini in partibus illis existere dignoscuntur, puritati vitæ prælatorum & aliorum Christicolarum alijs præsidentium nequirent veraciter detrahere sic licenter, infideles ipsi Christum dominum nostrum blasphemare, cultum Christianæ religionis vilipendere, ac Christicolas inuadere in eisdem partibus non auderent; nec Deus, in quo est totius misericordiæ plenitudo, fideles suos, si eum præmissis & alijs nequaquam tam turpiter prouocarent offensis, ab eisdem infidelibus sic dure affligi permitteret & vexari.

Vitia in Castella pullulantia.

Quocirca fraternitatem vestram rogamus, monemus, & in Domino attentius exhortamur, vobis nihilominus in virtute obedientiæ districtius iniungendo mandantes, quatenus considerantes attente, quod manum, quæ sordes alienas diluit, expedit esse mundam; status vestros discutientes primitus, & si quidem vobis forsan, quod Deus auertat, indecens fuerit, abijcientes omnino; circa reformationem morum, & correctionem debitam excessuum subditorum, inserendo virtutes, ac præmissa & alia vitia vijs & modis, quibus salubrius et melius faciendum fuerit, extirpando, operosam per vos et alios curetis diligentiam adhibere, etc. *Dat. Auin. iv. id. martij anno* 1.

Pontificia pro eis expurgādis monita.

65 Monitus etiam Castellæ Rex b, vt ad excindenda laicorum vitia, qui contempto matrimonio in concubinatus & adulteriorum cœno volutabantur, atque innoxium fundebant cruorem, & rapinas exercebant, regiam auctoritatem admoneret.

b Ibid. ep. secr. 180.

Charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Quanto te, fili charissime, regnumque tuum ampliori dilectionis affectu prosequimur, tāto ea per quæ maiora pericula & scandala tibi & regno prædicto prouentura formidantur probabiliter, cautius & studiosius ibidem cupimus euitari. Sane ad nostri apostolatus auditum perduxit rumor implacidus & infestus, & ad diuersas mundi partes etiam vulgata nimium, proh dolor! infamia dicitur pertulisse, quod nonnulli regni prædicti nobiles & magnates, nec non & quamplures inferioris status alij, eorum exempli ducti pernicie, Deum offendere, famam suam lacerare crudeliter, seque ac status suos grauibus exponere periculis non verentes, concubinatibus, adulterijs, & (quod est horrendum amplius) incestibus alijsque fœditatibus carnalibus, vtique damnatis & illicitis, contemptis matrimonijs legitimis, abutuntur; & abiecta iustitiæ regula, quæ pacis conseruatrix existit, ad rapinas, violentias, & homicidia, non absque graui Dei offensa & læsione proximi, impias extendere non metuunt manus suas. Ex quibus turbationes in partibus illis insurgunt & scādala; & Agareni perfidi regno prædicto vicini, Christicolarum contemplantes turpitudines, violentias, & iniustitias, se audacius erigunt in blasphemiam nominis Christiani; & deducentes eos propter præmissa nihilominus in contemptum, persecutiones & oppressiones aduersus Christicolas, Domino permittente, multiplicantur propter peccata & scelera huiusmodi prouocato.

Cum autem te, fili dilectissime, talia in offensam summi Regis in regno & terris tuis ferre non deceat nec expediat, maxime quia tibi, qui præesse regali dignitate dignosceris, possent a Domino, si manum correctionis non apponeres, imputari; & est verendum quamplurimum, quod si detestandæ sordes carnales & talia prædicta non abstergerentur, sed continuarentur (quod absit) diuina potentia, in cuius opprobrium committuntur, grauius irritata vltricem terribiliter & irremediabiliter, sicut alias quasi similibus peccatis exigentibus ibidem contigisse dicitur, extenderet manum suam; excellentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, per viscera misericordiæ Dei nostri & sub obtestatione diuini iudicij eandem nihilominus obsecrantes, quatenus vltionem diuinam in hac parte per correctionem & emendationem condignam præueniens, tam de domo regia, si quid forsan contagionis vel culpæ de prædictis fuerit, quam de regno & terris tuis fœditates & sordes, aliaque prædicta abstergi ac totaliter exulari, quantum ad te pertinuerit; ac casta & legitima matrimonia iuxta diuinæ & humanæ legis præcepta honorari facias & seruari; raptores, violatores, & homicidas a rapinis & oppressionibus pauperum & itinerantium ac aliorum per viam iustitiæ nihilominus taliter coercendo, quod Rex a recto & iusto regimine merito possis dici; ac per hæc & alia facta virtuosa & commendabilia, statum regni condecentia, Regem æternum, per quem regnas & regeris, tibi propitium constituas, qui tibi honorem concessum conseruet & ampliet, diesque tuos in longa proroget tempora, & tandem post decursum vitæ præsentis instabilis de terreno ac temporali regno, quod obtines, te feliciter, meritis tuis exigentibus, ad gloriam promoueat sempiternam. *Dat. Auin.* ii. *non. maij anno* 1.

Castellæ Rex monitus, vt excindendis e regno sceleribus det operam.

Obiectus diuinæ vltionis terror.

66 Ad abolendos quoque nefarios abusus, qui irrepserant, Ioannem episcopum Anagninum suum in Vrbe vicarium, ac Philippum e Cambarlhaco iussit a animaduertere in eos, qui cum a peregrinis e remotioribus oris ad lustranda limina Apostolorum accedentibus interpretes adhibiti essent ad sacras exhomologeses, confitentium crimina euulgabant, vel ad extorquendas pecunias illa se in publicum edituros minitabantur: *Quia*, inquit, *pro confessionibus laicorum, qui de barbaris nationibus ad Vrbem eandem causa deuotionis proficiscuntur, sæpius tales interpretes deputantur, qui confessiones ipsas quandoque damna-*

a To. 1. ep. secr. 505.

nabiliter & periculose detegunt, & interdum ne hoc faciant, vel ex alijs causis illicitis extorsiones recipiunt praesumptione damnabili a barbaris supradictis; nos talia merito detestantes, & attendentes nihilominus, quod officium supradictum, & omnia illud contingentia magna debent puritate clarere; ac propterea volentes, quod interpretes tales & taliter de caetero eidem officio deputentur, quod per eos potius decorari & fulciri, quam vilipendi & vituperari valeat in animarum salutis dispendium; discretioni vestrae per apostolica scripta committimus, &c. prouinciam ipsis dat, vt in illos, qui eo scelere se inquinarint, sine iudiciorū forma ac strepitu inquirant, sedemq; Apostolicam, vt coerceantur, faciāt de re tota certiorem. *Dat. apud Pontemsorgiae Auinionensis dioecesis kalen. septembris anno I.* Coosultum est huic rei institutis in Vrbe ab Apostolica sede poenitentiarijs, quorum singuli varia idiomata callerent. Addendumque hic visum est, in rotulo pergameno [a] inter alia, quae in supplice libello porrecto Pontifici Olaui archiepiscopi Vpsalensis petita contioeorur, haec reperiri: *Cum idioma illorum trium regnorum Dacia scilicet, Suecia, & Norvvegia adeo sit ab omni alio idiomate extraneum & distinctum, quod nec ab Alamannis possit intelligi etiam in communibus, nec venientes de illis partibus ad curiam possit quoquo modo, nec per interpretes vt plurimum minus prouidos confiteri, qui etiam vt saepius vix inueniuntur: & ideo pluries coguntur vel defectuose nimis confiteri, vel etiam sine confessione redire de fonte misericordiae tanquam de venia desperati; supplicant praedictus archiepiscopus & suffraganei sui humiliter & deuote, quatenus animarum saluti paterne consulendo, regnis praedictis prouidere dignemini de poenitentiario illius linguae, sicut habere consueuerant ab antiquo, & illi sicut alij vestrae sanctitatis poenitentiarij stipendia ministrare.*

Comprimi iussi a Pont. infidi exhomologeseon interpretes.

a Rotul. perg. arch. Vat. inscr. Petitiones pro D. Olauo archiep. Vpsalen.

Poenitentiarij linguarum septentrionaliū petiti expetiti.

67 Consulturus porro Benedictus etiam ecclesiarum spleodori, qui facile obsolescebat, cum alienae fidei commendatae essent, omnium sacerdotiorum commeodas, vt vocant, rescidit [b], Cardinales tamē pristino priuilegio potiri voluit; de quo vitae illins gesta haec referunt [c]: *In consistorio publico primo vel secundo, quod tenuit, reuocauit omnes commendas factas per praedecessores suos de ecclesijs cathedralibus & abbatijs quibuscumque personis, Cardinalibus & patriarchis dumtaxat exceptis.* Eadem tradit Ptolemaeus Lucensis [d], qui plura a Benedicto hoc anno ad restituendam disciplinam ecclesiasticam recenset his verbis: *Item IV. idus ianuarij in consistorio suo, quod habuit, licentiauit omnes praelatos & curatos, vt post festum purificationis irent ad sua beneficia: alioquin iuris remedijs vteretur erga eos, nisi causam legitimam standi haberent in curia, quam insuper scire volebat ab eis.* Et infra: *Item pridie kal. iunij Benedictus Papa reuocauit in consistorio omnes commendas per suos praedecessores factas, exceptis Cardinalibus, quorum commendas nondum reuocauit.* De eiusdem seueritate in coercēdis fraudibus haec habet: *Papa intellexit, quod quidam de suis familiaribus, tam clericis quam laicis, petitiones signabant vt Papa, & eas sic signatas cum alijs per Papam signatis miscuerunt; & sic in cancellaria transibant cum veris petitionibus: quos Papa capi mandauit mense praedicto circa festū crucis sanctae exaltationis.*

Commēdae abrogatae.

b An. 1 p. 1 ep. cur. 34.
c Gesta Ben. apud Bosquet.

d Ptol. Luc in hist. eccl M.S. l. 24. c. 43.

Eiusdem Pontificis integritatem in iuribus praesulum non praecipieodis commendat idem auctor: *Item XV. kal. ianuarij Papa Benedictus reuocauit omnes gratias factas a suis praedecessoribus illis, qui nondum ius in re habebant, &c.* Interiectis nonnullis Ptolemaeus Lucensis M. S. historiae suae ecclesiasticae imponit finem, cui temporis notam his verbis adijcit: *Finitus est liber iste anno Domini MCCCXXXVII. die XIV. ianuarij.* De restituto porro in pristinum statum conferendorum sacerdotiorum iure ija, ad quos spectaret, extat diploma [a]: quo tamen creandi Rhodiorum equitum supremi magistri potestatem sedi Apostolicae, vt pericula ex equitum dissensione imminētia anteuerteret, reseruauit. Si quae vero sacerdotia iustas ob causas reseruanda fuerint, in ijs conferendis viris idoneis virtutibus excultis admodum religiosum circumspectumque extitisse, narratur subiectis verbis in M.S. Vaticano [b]: *Hic iustus & durus erat: beneficia, quae dispositioni sedis Apostolicae reseruauit, vix conferre voluit, timens vt dicebatur, ne conferrentur indignis.*

Finis historiae Ptolemaei Lucensis.

a An. 1. p. 1 ep. cur. 35.

Integritas Bened. in conferendis sacerdotijs.

b M.S. bib. Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII.

68 Explicuit etiam apostolicas curas Pontifex, vt clerum et religiosos viros, Benedictinos praecipue, Augustinianos, Cluniacenses, Praemonstratenses, ad sanctiorem vitam reuocaret. Commisit [c] itaque prouinciam magistro Arnaldo e Verdala et Hedesio Electensis dioecesis decano ecclesiae S. Pauli e Fenolesio, vt Narbonensis et Arelatensis archiepiscopatuum ecclesias cathedrales et collegiatas, ac memoratorum ordinum domos lustrarent, et componerent quae male constituta essent. Cum uero docuisset experientia, plures turbas in religiosis ordinibus excitari a nonnullis inquietis hominibus, qui ab aliqua sacra familia ad aliam transfugerent, praecepit ne quis e meodicantium sodalitijs ad Benedictinorum vel Cisterciensium familias admitteretur. Temperauit etiam optimis legibus Cisterciensem ordinem, vt in eo pristinum sanctitatis splendorem restitueret, eaque de re apostolicum abbatibus ad solemnia comitia congregatis diploma transmisit [d], vt illud promulgarent, eosque ad fundendas preces, vt ipse ecclesiae optime praeesset, solicitauit. Hauserat in ea religiosa familia Benedictus vitae sanctioris spiritus, atque in Bolbonensi monasterio, in quo fuerat ad pietatem excultus, suae beneuolentiae ac liberalitatis vestigia amplissima reliquit: *Monasterium,* inquit vitae auctor, [e] *Bolbonense, in quo prius monachus extiterat, magnis & altis muris claudi & circui fecit cum suis magnis sumptibus & expensis.*

Restituendae monasticae disciplinae nauata opera.

c To. 1. ep. secr. 134. 135. 495. ad 499.

d Eod. to. 1 ep. secr. 591.

e Gest. Bened. apud Bosquet.

Praeterea ad instaurandam basilicam principis Apostolorum, ac pontificia in Vrbe palatia Ioannem de Piscis misit [f], ijsque iudicium intendi iussit, qui vim auri a Ioanne XXII. ad perducendum opus collatam in suos vsus auerterant, data eidem idib. martij pontificatus anno tertio prouincia, vt ligna pro reficiendis ecclesiae Lateranensis sartis tectis compararet [g]; Robertusque Siciliae Rex [h], ac Sancia Regina [i] & alij rogati, vt e regno ea educi sinerent. Denique fideles propositis indulgentiarum praemijs ad stipem in id cooferendam excitati [l]. Vaticanae porro basilicae tecta magno sumptu & opere instaurata Benedicti magnificentia, referuot subiectis verbis eius acta [m]: *Ecclesiā insuper B. Petri de Vrbe pro tunc in tectis valde demolitam & destructam fecit miro & sumptuoso opere reparari, prout ad eius perpetuam memoriam in ea literis grossis & patentibus scriptum reperitur.* Perfectum denique opus excurrente septimo pontificatus anno vt inscriptio docet: *Benedictus Papa XII. Tolosanus fieri de nouo tecta huius basilicae anno ab incar-*

Instaurandis Vrbis ecclesijs data opera.

f An. 1. p. 1 ep. cur. 10.

g To. 3. ep. secr. 113.
h Ib. ep. 146.
i Ep. 117. 118. 119.
l Ep. 120.

m Gesta Ben. apud Bosquet.

na-

natione Domini MCCCXLI. *Benedictus PP. XII. magiſter Paulus de Senis me fecit*.

IESV CHRISTI
Annus 1336.

BENEDICTI PP. XII. annus 3. VAC. IMP. OCCID. 23. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 5

a Io. V. ill. 11. c. 47. & alij.

1 Diremit Benedictus XII. a eo ſingulari fultus Spiritus ſancti præſidio, quod Petro & eius ſucceſſoribus a Chriſto domino promiſſum eſt, nunquam ipſos in fidei quæſtionibus decidendis aberraturos, ineunte anno milleſimo a Virginis partu ſupra trecenteſimum trigeſimum ſextum indictione quarta, veterem controuerſiam, quæ theologos antea in contrarias diſtraxerat ſententias, an animę a corporibus ſegregatę, atque ab omni criminis labe purę claro Dei intuitu ante vniuerſorum hominum & angelorum iudicium potirentur. Quanta autem diligentia & conſilij maturitate a Pontifice agitata ſit hęc quęſtio, ex ſubiectis literis datis b anno ſuperiori dignoſcetur.

Quæſtio de animarum beatitudine ante reſurrect.

b To. 1. ep. ſecr. 407.

Benedictus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

Vt ad elucidandam, & determinandam veritatem circa opinionem illam, an ſcilicet animę a corporibus exutę ac purgatę, diuinam eſſentiam ante diem vniuerſalis iudicij viſione videant faciali, & quaſdam alias opiniones & quęſtiones ab ea reſultantes, ſeu circa eam emergentes, noſtrum & fratrum noſtrorum ac tuum, fili, chariſſime, quod circa hæc habuimus & habemus deſiderium, ad laudem & honorem Dei, conſolationemque fidelium poſsit melius & efficacius diuina cooperante gratia adimpleri, & determinatio ſubſequi valeat Deo grata; ecce, fili dilectiſsime, quod nos cum nonnullis ſacrę theologię profeſſoribus, darę intendentes circa hęc operam efficacem, a ciuitate Auinionenſi, vbi propter concurſus impediebamur multorum, deceſsimus & ad caſtrum noſtrum Pontiſſorgię Auinionenſis diœceſis, vbi nunc moram trahimus & intendimus trahere, maxime pro præmiſsis, aliquo tempore, duximus declinandum, &c. *Datum in eodem caſtro Pontiſſorgiæ* VIII. *id. iulij anno primo*.

Adhibita in ea diſcutienda conſilij maturitas

2 Poſtquam accuratiſſime ea quæſtio diſcuſſa fuit, a Benedicto demum pronuntiatum eſt, certiſſime tenendum ab omnibus Chriſtianis, animas corporeis exutas vinculis, atque noxarum omnium ſordibus liberas, cæleſti felicitare, ſanctiſſimæque Trinitatis intuitiua viſione perfrui: pariterque ſentiendum, infelices animas, quæ peccato lethali deuinctæ obirent, inferorum ſupplicijs mox ab obitu diſcruciari; de quo hæc M.S. Vaticanum c: *Hic anno Domini* MCCCXXXVI. *& pontificatus ſui anno ſecundo* IV. *kal. februarij decretalem, quæ incipit, Benedictus Deus in ſanctis ſuis, &c. deciſoriam quæſtionis ſeu altercationis, tempore domini Ioannis inter theologos agitata de viſione faciali ſanctorum ante diem iudicij, quam idem dominus Ioannes morte præuentus nō determinauit, ſed indeciſam reliquit, edidit & declarauit; videlicet quod animæ ſanctæ, nihil habentes purgabile, ſtatim vt decedunt faciem Dei vident: & publicari fecit, mandans ſub pœna anathematis & incurſionis hæreſis, ne quis contra huiuſmodi determinationem dogmatizaret, aut crederet*. Eadem repetunt vitæ Benedicti apud Boſquetum auctor & Ptolemæus Lucenſis d, cuius hæc verba ſunt: *Anno Domini* MCCCXXXVI. *pontificatus ſui anno quinto Benedictus Papa in publico conſiſtorio, quod habuit in palatio Auinionenſi* IV. kal. *februarij, determinauit opinionem viſionis eſſentialis, videlicet quod ſancti in patria illic clare vident et gaudent illa viſione faciali et eadem numero, de qua loquitur Paulus in epiſtola ſua: Tunc autem facie ad faciem; & contrarium ſentientes puniri decreuit vt hæreticos*. Exigit dignitas controuerſiæ, ad quam maturius diſcutiendam anno ſuperiori ad ſeceſſum Pontiſſorgiæ ſe contuliſſe vidimus, vt Apoſtolicum decretum a in medium adducamus.

c M. S. bib. Vat. ſign. n. 3765. in Ben. XII. Diminitur s Ben. XII

d Ptol. Luc. hiſt. eccl. M.S. l. vlt. c. vlt.

a Ext. in bull. ir. Ben. XII. conſt. 4. & in direct. inquiſ. 2. p. c. 2.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

3 Dudum tempore felicis recordationis Ioannis XXII. prædeceſſoris noſtri inter nonnullos etiam theologicæ facultatis magiſtros ſuper viſione animarum iuſtorum hominum poſt mortem ſuam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc ſeculo deceſſerunt, vel ſi fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam eſſentiam videant ante corporum ſuorum reſumptionem & iudiciū generale, et ſuper nonnullis alijs orta materia quæſtionis, ipſorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alij vero ſecundum ſuas imaginationes de viſione diuinæ eſſentiæ ab animabus huiuſmodi diuerſa & diuerſimode oſtendere nitebantur, prout ex dictis & ſcriptis ipſorum noſcitur apparere. *Et infra*: Cumque idem prædeceſſor noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum huiuſmodi ſe pararet in ſuo conſiſtorio publico, tam fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam prælatis & magiſtris in theologia, qui multi aderant præſentes, iniungendo diſtrictius & mandando, vt ſuper materia de viſione prędicta, quādo requirerentur ab eo, deliberate vnuſquiſque diceret quod ſentiret, tamē morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequiuit; habita prius ſuper prædictis ſolicita examinatione, & diligenti deliberatione cum fratribus noſtris, dictę Romanę eccleſiæ Cardinalibus, de ipſorum fratrum conſilio hac in perpetuum valitura conſtitutione auctoritate Apoſtolica diffinimus, quod ſecundum communem Dei ordinationem animę ſanctorum omnium, qui de hoc mundo ante domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem deceſſerunt, nec non ſanctorum Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum poſt ſacrum ab eis Chriſti baptiſma ſuſceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando deceſſerunt, nec erit quando decedent etiam in futurum; vel ſi tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eiſdem, cum poſt mortem ſuam fuerint purgatę; ac quod animę puerorum eodem Chriſti baptiſmate renatorum & baptizandorum, cum fuerint baptizati ante vſum liberi arbitrij decedentium, mox poſt mortem ſuam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione huiuſmodi indigebant; etiam ante reſumptionem ſuorum corporum & iudicium generale poſt aſcenſionem ſaluatoris domini noſtri Ieſu Chriſti in cælum fuerunt, ſunt & erunt in cælo, cælorum regno, & paradiſo cæleſti cum Chriſto ſanctorum angelorum conſortio aggregatæ, ac poſt domini Ieſu Chriſti paſſionem & mortem, viderunt & vident diuinam eſſentiam viſione intuitiua & etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti viſi ſe habente, ſed diuina eſſentia immediate ſe nude, clare, & aperte eis oſtendente; quodque ſic videntes eadem diuina eſſentia perfruuntur, nec non quod ex tali

Vt diu a Ioanne fuerit agitata.

Decretū fidei a Benedicto editum.

Deus nulla mediāte creatura in ratione obiecti videtur.

tali visione & fruitione eorum animæ, qui iam decesserunt, sunt vere beatæ, & habent vitam & requiem æternam, & etiam illorū, qui postea decedent, cum eandem diuinam videbunt essentiam, ipsaq; perfruētur ante iudicium generale; ac quod visio huiusmodi diuinæ essētiæ, eiusq; fruitio actus fidei & spei in eis euacuant, prout fides & spes propriæ theologicæ sunt virtutes; quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua ac facialis visio & fruitio in eisdem, eadem visio & fruitio sine aliqua intercisione seu euacuatione prædictæ visionis & fruitionis continuata extitit & continuabitur vsque ad finale iudicium, & ex tunc vsque in sempiternum.

Fides & spes ex visione discussæ.

Diffinimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animæ decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur; & quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis proprijs rationem, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum, &c. *Dat. Auin. iv. kal. februarij pont. nostri anno* 11.

De pœnis inferni.

4 Ad illustrandam controuersiæ, quam diremit, veritatem in superiori decreto, de quo meminere auctores a, propositam Benedictus egregium volumen b, perspicuis refertum argumentis, & sanctorum auctoritatibus insignibus stipatum conscripsit: in quo etiam theologico more omnia, quæ allata fuerant, contraria argumenta dissoluit, & ad ea quæ offerrentur soluenda paratum se exhibet. Ex eo nos plura decerpsimus, quę veluti annalium lumina producemus: & quæ si forte cuipiam prolixiora videantur, is facile veniam dabit, si ab alijs ampliorem tractationem ob rerum dignitatem desideratum iri perpenderit. Præteritis ergo septemdecim primis capitibus primi tractatus a nobis iam ante delibatis c proximum his verbis conceptum est.

a Aymer. in direct. Barcinon. prof. Pegn. 2. p. direct. comm. 21. Alfon. Castr. l. 3 adu. hær. verb. beatitud. hær. 6. Bart. b. Medina apud S. Tho. 1. 2. q. 4 art. 3. & alij. b Ext. MS. in bib. Vat. sign. n. 4006. c Ann. 1331. n. 25. 26.

Quod animæ fidelium Christi perfectorum ante generale iudicium cælum ingrediuntur, vbi Dei essentiam vident, cap. XVIII.

Quod animæ sanctorum et perfectorum virorum, in quibus nihil est purgabile, ad cælum ascendunt, vt ibi pro bonis operibus remunerentur etiam ante generale iudicium habetur ex dictis & sententia Apostoli. Ad Hebræos enim IX. *cap loquens de Christo dicit, quod tempore veteris legis in priori tabernaculo, quod vocatur sancta, sacerdotes semper introibant, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia; hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Per tabernaculum vero, quod dicitur sancta, in quod introibant sacerdotes continue ritum sacrificiorum explentes, secundum glossam super illud ad Hebræos* IX. *Tabernaculum autem factum est primum; intelligitur præsens ecclesia, quæ recte dicitur tabernaculum, quia in eo militatur Domino antequam veniatur ad cælum: tabernaculum enim proprie belligerantium est, sed tabernaculum, quod dicebatur sancta sanctorum, quod est post velamentum, & dicitur secundum tabernaculum, est ecclesia cælestis, quæ velatur quandiu viuimus: & in hoc secundo tabernaculo, in quo introibat summus Pontifex cum sanguine semel in anno, introiuit Christus verus & summus sacerdos semel in anno benignitatis, effuso sanguine in remissionem peccatorum, quando interiora cæli introiuit, ianuam paradisi ante clausam fidelibus patulam faciens; vnde, vt dicit glossa super illud eo cap. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, donec Christus venit; nondum licebat ad cælestia homines introire. Post cuius etiam aduentum adhuc inaccessibile est mortalibus secundum corporis conditionem, ante vero etiam secundum animas: sed patienter expectanda est responsio, in qua etiam corporibus per Christum patebit in cælum accessus. Ex quibus verbis Apostoli & glossa habetur, quod ante Christi passionem nulli animæ humanæ patebat accessus ad cælum: sed postquam Christus, effuso sanguine suo in redemptionem peccatorum hominum, intrauit in cælum, tunc propalata fuit via intrandi cælum animabus hominum electorum, & si nondum sit aperta corporibus hominum ante gloriosam resurrectionem: hæc autem porta cæli per Christum hominum electorum animabus aperta manet, & manebit aperta a Christi passione vsque ad finem mundi, vt per eam electorum animæ in cælum intrare possint, dicente eodem Apostolo eadem epistola cap. x. Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi: quam initiauit nobis nouam viam & viuentem per velamen, id est, carnem suam. & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus, etc. Vbi dicit glossa: Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, id est certi sumus, quod intrabimus in sancta sanctorum cælestia per sanguinem Christi, quam viam, id est quem introitum initiauit nobis Christus, qui primus ascendit: & per hoc certi sumus de nobis: viam dico nouam, quia nullus ante illum intrauit, & viuentem, id est permanentem, peruiam, quia postea nulli fidelium clausa fuit, & illam viam Christus aperuit, & peruiam conseruauit per velamen, id est per carnem suam, quæ dicitur velamen, quia ipsa caro celabat & velabat deitatem.*

Probatur animas sanctorū potiri diuina visione

Vt paradisi ianua clausa fidelibus aperta sit.

5 *Quia ergo viam intrandi cælum Christus aperuit animabus fidelium suorum, & illam viam peruiam & apertam omnibus suis fidelibus conseruat; ideo animæ fidelium Christi intrauerunt, & intrabunt etiam ante corporum resurrectionem in ipsum cælum, dicente Beda primo libro super cantica, exponendo illud: Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis: Hæc noui testamenti hæredibus congruunt, qui proprie per lauacrum gratiæ adoptionis in filios Deo generantur, qui eo magis illum diligunt, quo maiora illius dona percipiunt, ita vt mox soluti carne, si recte vixerunt, cælestis regni gaudia conscendant. Et eodem libro, exponendo illud: Nardus mea dedit odorem suum; dicit: Odor nardi fragrantiam designat bonæ actionis. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus, inquit, mea dedit odorem suum; quia cum Dei Filius in carne apparuit, ecclesia in virtutum feruore cælestium exarsit, non quia & ante eius incarnationem spiritales ac Deo deuotos viros non habuit; sed quia absque vlla dubitate tunc arctioribus se virtutum studijs mancipauit, cum regni cælestis aditum cunctis recte viuentibus, mox vt carnis vincula soluerent, patere cognouit. Et sexto libro super cantica, exponens illud: Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi; dicit idem: Poma noua & vetera iusti sunt testamenti noui & veteris, quorum nullus potuit, quamuis esset nimia sanctitate insignis, regni aditum cælestis ante incarnationem, passionem, resurrectionem, & ascensionem domini Saluatoris intrare. Dixit ergo ecclesia temporis illius, id est veteris testamenti, quæ nunc discretionis gratia synagoga vocatur. Omnia poma noua & vetera,*

Nullum p'e morētibus obstaculum in cælum obest.

dilecte mi, seruaui tibi; ac si aperte dicat, scio certissime, quia nemo, nisi per gratiam tuam potest saluari, nemo mortalium potest perfecte tam beatus fieri, priusquam tu mortalis effectus, iter veræ beatitudinis ad cælestia pandas: illi autem, qui intrant in cælum, & cælestis regni gaudia conscendunt, & perfecte & vere beati sunt, Dei essentiam vident, dicente etiam Apostolo eadem epistola ad Hebræos cap. IX. de Christo, quod ipse introiuit in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Vbi dicit glo. Probat quod Christus mundauit cælestia, id est homines suo sanguine mundatos fecit cælestes, id est cælestium participes: nam ipse per hostiam suam introiuit in cælum pro nobis, & ita constat, quod nos sequimur. Ad quid autem introiuit in cælum, ostendit dum dicit: Vt nunc, id est post consummationem, appareat vultui Dei, id est præsentia Dei; pro nobis interpellet ibi, vbi Dei præsentia videtur sicut est, & nos post se trahat ad eandem videndam.

Interpretatio text. cantic. pomæ nouæ & vetera. &c.

Quod fides & spes secundum suas proprias rationes non manent in animabus sanctorum, Deum facialiter videntibus. cap. 19.

Fides & spes desinunt in sanctis.

6 *Hanc autem Dei visionem, ad quam Christus nos trahit, fideles habebunt postquam finitæ erunt fides & spes, quæ durant in eis solum in vita præsenti, dicente eodem Apostolo de spe ad Hebræos VI. Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus. Vbi dicit glossa, quod in omni aduersitate nos facit fortes ipsa spes beatitudinis, quæ est nobis proposita, id est omnibus oblata. Quam spem habemus sicut anchoram animæ: sicut enim anchora nauem, sic spes tenet animam, ne mergatur in salo huius mundi, consentiendo iniquitati. Anchora ergo spes est, quæ tribulationum impulsu non destruitur nec titubat, quæ nos incedere facit, quia introducit nos in rem, scilicet vsque ad interiora velaminis, id est ad interiorem & nunc velatam beatitudinem, quam nemo vidit, sicut est, in hac vita: vbi, id est in quæ interiora Christus intrauit pro nobis introducendis. Et ita patet, nos posse sequi ad hoc eum; ipse enim præcucurrit, vt nos sequamur. Qui bene dicitur cursor, quia nulla culpa eum impediuit; & præcursor, quia ante nos & pro nobis cucurrit, iuxta illud quod Dominus dicit Ioannis XIV. Vado parare vobis locum: & si abiero & præparauero vobis locum iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Sicut autem anchora nauis necessaria est quandiu nauis est in profunditate aquarum, quia tunc per ventos & aquarum fluctus huc & illuc agitaretur, & quandoque si per anchoram non teneretur in certo loco ad saxa vel terram percutiens frangeretur; quando autem iam nauis & nautæ sunt in terra solida, vsus anchoræ superfluus esset & onerosus; ita quandiu fideles sunt inter fluctus tentationum huius seculi, necessariam habent spem, vt in ea se firmiter tenentes a tentationibus huius vitæ non superentur: sed postquam de hoc seculo exierunt, & ad portum regni cælestis peruenerunt, in qua nullarum tentationum fluctus passura sunt, iam non indigent spe, ad quam se, vt ad anchoram teneant, quia sunt in terra firma viuorum, in qua vident bona Domini.*

Comparatio spei cũ anchora.

Ipsa autem spes manet in præsenti vita, sicut & fides, dicente Apostolo prima ad Corinthios XIII. Nunc autem manent fides, spes. Vbi dicit glossa, quod fide & spe decedentibus charitas permanebit aucta, cui fides & spes hic non possunt deesse: sed fides & spes sine charitate possunt esse. Et ad Romanos VIII. dicit idem Apostolus: Spes quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Et quod solum in vita præsenti fides & spes maneant in animabus electorum, quæ iam ad cælum sunt assumptæ, & in eis esse desinant post hanc vitam, dicit Augustinus in libro de gratia noui testamenti versus finem: Dei agricultura, Dei ædificatio estis: hoc totum agitur cum in hac nostra peregrinatione fideles per dilectionem operantur: in futuro autem seculo perfecta & plena charitas sine vlla malorum tolerantia non fide credit quod non videt, nec spe desiderat, quod non tenet; sed in æternum veritatis incommutabilem speciem contemplatur, cuius sine fine quietum opus erit laudare quod amat, & amare quod laudat. Et infra: Perfecta saturitas in illa vita æterna erit, cum ex ista peregrinatione venerimus ex fide ad speciem, ex speculo ad faciem, ab ænigmate ad perspicuam veritatem. Vbi clare Augustinus ponit, quod solum in ista peregrinatione, id est dum in hoc mortali corpore sumus, fide & spe indigemus ad promerendum vitam æternam: sed hac peregrinatione finita Deum facie ad faciem videbimus, dicente eodem Augustino XIV. lib. de Trinitate cap. 11. Ista peregrinatione finita, qua peregrinamur a Domino, vt per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam videbimus facie ad faciem, sicut modo, non videntes tamen, quia credimus, videre meremur; atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus: neque enim iam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species, qua videantur quæ credebantur. Tum ergo & si vitæ huius temporalis transactæ meminerimus, & credidisse nos aliquando, quod non videbamus, memoriter recoluerimus, in præteritis atque transactis deputabitur ista fides, non in præsentibus rebus semperque manentibus. Vbi clare dicit Augustinus, quod ista peregrinatione finita non manebit in sanctis perfectis fides; sed transibit, & succedet visio Dei.

Probatur ex Apost. eas virtutes in cælo euacuari.

Augustini de eo auctoritas.

7 *Vnde & idem Augustinus super psalmum CXIX. exponens illud: Heu me, quia incolatus meus longinquus factus est; dicit: Multum a te recessi, peregrinatio mea longinqua facta est, quia nondum veni in patriam illam, vbi cum nullo malo victurus sum: nondum veni ad illam societatem angelorum, vbi scandala non timebo. Quare autem nondum ibi sum? quia incolatus meus longinquus factus est: incolatus peregrinatio est, quicumque de cælesti Ierusalem peregrinatur inter malos est, nec recedere potest a malis, nisi cum redierit ad societatem angelorum, vt ibi sit, vnde peregrinatur: ibi omnes iusti & sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis; quod enim nobis per paginam est scriptum, per faciem Dei illi sentiunt. Ista autem vox: Longinqua facta est peregrinatio mea; maxime eorum est, id est ipsius ecclesiæ, quæ laborat in hac terra. Et primo libro soliloquiorum cap. XIV. cum quæsiuisset, an cũ anima Deum videre, hoc est intelligere cõtigerit, ei sint necessaria illa tria, de quibus supra locutus fuerat, scilicet fides, spes, charitas; iste quæstiani respondens subdit: Fides quare sit ibi necessaria, cum iam videat? spes nihilominus, quia iam tenetur.*

Charitati vero non solum nihil detrahetur, sed addetur etiam plurimum, nam & illam singularem veramque pulchritudinem cum viderit plus amabit, & nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab inspiciendo vspiam declinauerit, manere in illa beatissi-

Sola charitas non minuẽda sed augenda in cælo.

ma

ma visione, non poterit: sed dum in hoc corpore est anima, etiam si plenissime videat, hoc est intelligat Deum; tamen qui etiam corporis sensus vtuntur opere proprio, si nihil quidem valent nisi ad fallendum, tamen nonnihil ad ambigendum: & potest adhuc dici fides ea, qua ijs resistitur & illud potius verum esse creditur. Item quia in ista vita quamquam Deo intellectu anima iã beata sit, tamen quia multas molestias sustinet, sperandum est post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes, dum in hac vita est, deserit animam: sed cum post hanc vitam totam se in Deum collegerit, charitas restat qua ibi teneatur: nam neque dicenda est fidem habere, quod illa sint vera, quando nulla falsorum interpellatione sollicitatur; nec quidquam sperandum ei restat, cum totum secura possideat. Tria igitur ad animam pertinent, vt sana sit, vt aspiciat, vt videat: alia vero tria fides, spes, charitas prima illorum trium & secundo semper sunt necessaria, tertia vero in hac vita: omnia post hanc vitam sola charitas, &c. Interiecta Bedæ auctoritate, hanc magistri sententiarum subijcit.

Obiectio proposita a magistro sent. 8 *Et magister tertio libro sententiarum distinct. xxvi. cap. Post hoc, dicit quod quibusdam non indocte videtur fidem virtutem, & spem in Christo non fuisse, sicut in sanctis iam beatificatis vel in angelis non sunt, & tamen sancti credunt & sperant resurrectionem futuram, & angeli, eadem credunt, nec tamen in eis fides vel spes virtus est, quia & Deo per speciem contemplando fruuntur, & in Dei verbo resurrectionem futuram sine iudicium non per speculum & in anigmate, sed præclarissime inspiciunt. Si enim quia credunt resurrectionem futuram, idea verum est, eos fidem habere. Ergo ea consummata est post iudicium.* Eius solutio. *Similiter & fidem habere dicuntur, quia credunt eam præteritam: sed sicut tunc credent eam præteritam, nec tamen fidem, qua fideles facti habebunt, quia non credent absque scientia, quæ non erit ænigmatica, sed per speciem; ita & modo credunt & sperant resurrectionem, nec tamen fidem habent, quia credendo cognoscunt, venit enim eis quod perfectum est, & euacuatum est quod ex parte est: venit enim cognitio, & fides enacuata: venit spes, & desijt spes; vnde cum animæ sanctorum noui testamenti in cælum assumpta sunt, & intrauerunt vsque ad interiora velaminis, quia Deum contemplantur, & in illa vident clarissime futuram suam resurrectionem & iudicium generale, licet credant & sperent illa se habituros, non tamen fidem habent & spem, quia talis eorum credentia & expectatio coniuncta sunt cum visione & re, quæ duo excludunt fidem & spem proprie dictam, qua fide & spe fideles nunc dicuntur esse fideles & sperantes. Cum igitur ipsa spes, ad quam nos tenemus, fecerit nos incedere vsque ad interiora velaminis, id est vsque ad ipsum cælum & æternam beatitudinem, deficiet ipsa: & sic nos non tenebimus ad ipsam, sed adhærebimus rei speratæ iam in se, quod clare dicit hic magister esse sanctorum animas assecutas.*

a Cap. 20. Proximo capite a confirmat fidem exinaniri in beatis animabus, quæ diuina iam specie sunt collustratæ; et Aymonis, Bedæ, et glossematis in Apostolum auctoris sententias cumulat, quarum postrema hæc est. Qua ratione peregrinemur a Domino. *Scimus quoniam dum sumus in hoc corpore mortali peregrinamur a Domino, id est remoti sumus a Domino, spem tamen in mente ipsam habentes per fidem. Dicimur autem ab eo hic peregrinari, quia vbique est Deus: non tamen hic videtur sicut in cælis: Peregrinamur ergo non fide, sed specie: per fidem enim inuisibilium ambulamus, id est ad Deum tendimus, & non per speciem, id est per præsentiam earum. Qui peregrinatur & per fidem ambulat, nondum est in patria, sed iam est in via. Est ergo illuminatio per fidem, & est illuminatio per speciem: modo per fidem tantum illuminatur, non per speciem: homini enim vitam mortalem adhuc agente non potest contingere vt dimota atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium serenissima incommutabilis veritatis luce patiatur, & mente penitus a consuetudine vitæ huius alienata constanter & indeclinabiliter illi hæreat: audemus autem, id est opere ab actu non quiescimus, & bonam voluntatem habemus, quia non contristamur, nec murmuramus in aduersis: nos dico cupientes magis peregrinari, id est remoueri a corpore, & præsentes esse ad Deum, quam hic morari. Vbi clare dicit Apostolus, quod dum sumus in hac peregrinatione, mortali corpore per fidem ambulamus, id est ad patriam contendimus, & non Deum per speciem videmus; propter quod cupimus ab hoc mortali corpore erui, vt præsentes simus Deo, vt sic eum per speciem videamus, deficiente fide.*

Quod animæ sanctorum ex eo, quod sunt cum Christo in cælo, habent Dei visionem. Cap. xxi.

9 *Apostolus ostendens, quod post corporis mortem Deum erat visurus, dicit ad Philippenses 1. Coarctor e duobus: desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo melius est. Vbi dicit Aymo:* Probatur Apostolum sperasse post mortem Deum intueri. *Lucrum est mihi mors, quia si mortuus fuero, maximum lucrum percepturus sum, id est vitam æternam: & licet bonum quidem sit manere hic propter vos, melius tamen & optimum est regnare cum Christo. Vita autem æterna, quam percepturus erat, si mortuus esset, non est nisi Dei visio, quam statim post mortem carnis consecutus est, dicente Bernardo super cantica, sermone LVI.* Ex interpretatione Bernardi. *Si Dominus non custodiat exitum meum, secure non exeo: ero enim ludibrio dæmonum intercipientium me, non assistente, qui redimat, neque qui saluum faciat. Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui a conspectu & amplexu dilecti vnus tantummodo paries absistebat, videlicet lex peccati, quam inueniebat in membris suis: ipsa est carnis concupiscentia, qua carere omnino non potuit, dum in carne fuit: hoc sane vno interiecto pariete non longe peregrinabatur a Domino; vnde & optat clamans: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Sciens se mortis compendia peruenturum.*

Idem etiam in quodam sermone de vigilia natiuitatis Domini, qui incipit, Hadiernum quidem sermonem, dicit: Vis nosse quam prope est Dominus? audi sponsam de sponso canentem, quoniam existat post parietem: parietem istum corpus tuum intellige, quod obstaculum impedit, vt eum, qui prope est nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolui cupit & cum Christo esse, & exclamat: Quis me liberabit de corpore mortis huius? vnde & glossa dictum verbum Apostoli exponens dicit: Ego desiderium vel concupiscentiam habeo dissolui ab ijs miserijs, quibus quasi compedibus vinctus sum; & cum Christo esse præsentialiter: tædium enim illi erat manere in carne. Vnde passioni appropinquans vehementer exultabat, & gloriabatur dicens: Bonum certamen certaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ; esse autem præsentialiter

cum Christo, & esse præsentem Deo, propter quod mori cupiebat & dissolui ab isto corpore, non est aliud nisi Christi humanitatem & eius deitatem facialiter videre, dicente Domino Io. XVII. Pater quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Si ergo Christus vult suos esse, vbi ipse est, ipse autem est in cælo, oportet quod ipsi sint in cælo. Vult etiam eos esse secum non ob aliud, nisi vt videant eius claritatem, quæ claritas secundum diuinam naturam non est aliud nisi eius diuinitas, quia istam claritatem dedit ei Pater diligendo eum ante mundi constitutionem. Vnde Augustinus II. parte super Ioannem sermone LVII. hoc dictum Domini exponens, dicit; Fidelis homo & pius, nondum tamen ad intuendum sapientiæ lumen idoneus, etiam si esse nusquam possit vbi non sit & Christus, non est tamen ipse cum Christo dumtaxat per speciem, sed per fidem. Sed cum Christus Patri Deo dicebat: Quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum; de specie illa omnino dicebat, in qua videbimus eum sicuti est. Vnde cum dixisset; Volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum, continuo adiunxit; Vt videant claritatem meam. Vt videant, dixit, non vt credant: fidei merces est ista, non fides: Et sic patet, quod si vult suos esse in cælo & cum eo, vt eius claritatem videant, quod animæ sanctorum, quæ in cælo sunt, & cum Christo Dei essentiam vident, non per fidem, sed per speciem.

Alia Bernardi auctoritas perspicua.

Confirmatur ex dicto Christi Volo vt vbi ego sum, &c.

Quod autem etiam sanctorum animæ, quæ in cælo sunt cum Christo, Christi humanitatem glorificatam & diuinitatem videant, dicit Beda lib. VI. super cantica, exponens illud; Dextera illius amplexabitur me. Per dexteram ea, quæ in futuro percipiunt electi præmia figurantur, in quibus non solum visione diuinæ maiestatis sed & gloria eius glorificatæ humanitatis vnius eiusdemque mediatoris Dei & hominum manifesta visione perpetuo fruuntur, quia diuina præsentia maiestatis vndique electi in cælesti regno circumtegentur, ne aliqua infelicitas vel memoria miseriæ violet, vel metus futuræ angustiet. Et Augustinus in sermone de assumptione B. Mariæ super dictum verbum Domini deducens, dicit; Videndum est quid de his, quos secum per gratiam vnum esse voluit. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. O magnam & inæstimabilem bonitatem Dei, qui habere secum suos in gloria vult, vt sua claritate fruantur, qui hic sua fide vincti vnum cum eo esse iudicantur. Si ergo eos secum habere vult, ac hoc potest, qui omnia potest, quid existimandum est de matre, vbi digna sit haberi, si non in præsentia filij? Quantum igitur contueor, quantum intelligo, quantum credo Maria anima claritate fruetur Christi, & gloriosis conspectibus eius, semper videre sitiens & semper conspiciens. Hanc de B. Virgine thesim Hieronymi et Augustini auctoritatibus confirmat.

Ex Cantic. & expositione Bedæ.

Quod animæ hominum iustorum exutæ corporibus, & mundatæ ab omnibus peccatis & pœnis peccatorum Dei essentiam vident Cap. XXIII.

Hugonis auctoritas

10 Vide quod electorum animæ a corpore separatæ actu Dei essentiam videant. Dicit Hugo primo libro de sacramentis part. X. cap. IX. iustus, quamdiu in hoc corpore existens peregrinatur a Domino, viuere habet ex fide: sed cum eductus de hoc ergastulo fuerit, & introductus in gaudium Domini sui, viuere habebit ex contemplatione. Quid autem sit viuere ex contemplatione, declarat Prosper I. lib. sententiarum suarum cap. II. dicens. Contemplatiua vita, in qua Creatorem suum creatura intellectualis ab omni peccato purgata, atque ex omni parte sanata visura est, a contemplando, id est videndo nomen accepit: quod si ita est illa vita, vbi Deus videri potest, ipsa contemplatiua credenda est. In præsenti autem vita miserijs erroribusque plenissima Deum sicuti est videri non posse, dubium non est. In futura igitur, quæ ab hoc appellatur contemplatiua, videndus est, nec immerito: si enim videre Deum summum solidumque est gaudium, summum vero gaudium præmium bene creditur beatorum & primum, non adhuc pugnantibus, sed iam vincentibus dabitur post triumphum, quis non videat, quod omnes sancti Deum in illa vita æterna videbunt, vbi sine fine gaudebunt; vbi * præmium reportauerint, ibi recepturi sunt præmium; vbi non solum deuictis, sed etiam finitis hostibus triumphabunt: ibi triumphabunt, vbi vlterius aduersarium non habebunt? Cæterum in hac vita quamuis strenue dimicemus, & adiuuante Domino cateruas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus; tamen si ab eis non vinci, nunquam pugnare desinimus, nec vincentes securos faciunt viriliter iam desudata prælia sed magis solicitant aduersariorum recidiuua certamina: sed tunc est tentatio finiendo, quando finitur & pugna: & tunc finienda est pugna, quando post hanc viam succedit pugnæ secura victoria, vt omnes milites Christi, qui vsque in finem vitæ præsentis diuinitus adiuti hostibus suis infatigabiliter restiterunt, laboriosa iam peregrinatione transacta, regnent felices in patria, in qua humana natura ita reparanda est, & ab omni prorsus infirmitate sananda, vt nec peccata ei vltra remaneant; nec peccare iam valeat, cuius hoc erit totum præmium, vt vita contemplatiua semel compos effecta inexplicabiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciat; de illo gaudeat, quod sperauit obtineat, & in eo, quo sancte viuendo peruenit, sine fine permaneat. Et cap. VII. idem dicit: Attende quam diuine sanctus Apostolus speciem fidemque distinxit, vt diceret; Per fidem ambulamus, non per speciem. Fides est ergo, per quam ambulatur, & species per quam videtur; quia in hac vita, vbi per fidem bene viuendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus; in futura peruenientes ad speciem, iam non erit qua velut proficiendo ambulemus, sed ipsam speciem, ad quam per fidem spiritualiter ambulando peruenimus, insatiabili delectatione videbimus. Et infra.

Alia Prosperi.

** victoriam*

Et Ambrosius super: Beati immaculati; exponens illum versum: Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo; vbi litera, quam exponit habet: Deprecor vultum tuum Domine in toto corde meo, dicit: Desiste homines habere peccata, & videbis faciem meam: qui enim faciem meam videt debet esse non pollutus, ideo vt in Dei appellationem possit exerescere commonetur. Et quid Dei appellationem dicam? Esto angelus, hoc est diuini minister imperij, obsequere mandatis Domini, cum fueris angelus videbis faciem Dei. Magnum est videre Dei vultum. Sed ipse Dominus ait; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Aduertis quid a te exigatur, vt videas Deum, cum in te proposita sit prærogatiua videndi Deum. Emunda igitur cor tuum, quasi nouus creeris: renouato spiritu, omnes pollutas cogitationes de corde tuo abijce: nihil sit quo, tuus inquinetur affectus: simplex mens, pura sinceritas sit. Talibus Dominus, cum inuolucrum corporis deposuerint, se demonstrare dignatur.

Alia Ambrosij.

11 Et Augustinus in quodam sermone de vanitate huius sæculi dicit: Iusti anima, cum separatur a corpore, non timet nec expauescit, sed magis cum ma-

Alia Augustini.

magno gaudio egreditur, et cum exultatione pergit ad Deum, deducentibus se angelis sanctis: et ideo sẽper parati estote, vt quãdo Domini praeceptũ fuerit missum liberi omni labe peccati ad regnum transire possitis: post dominicum enim missum praeceptum nec minus horæmomentum conceditur in hac vita consistere. Cauete igitur ne in exitu vestro tristitiam faciatis angelis, & gaudium inimicis: scitote vero quia cum anima a corpore euellitur, statim aut in paradiso pro bonis meritis collocatur, aut certe pro peccatis in inferni tartara præcipitabitur. Vbi clare dicit Augustinus, quod cum anima iusti a corpore separatur statim cum exultatione pergit ad Deum, & quod in paradiso pro bonis meritis collocatur: pergere autem ad Deum in vita futura, & in paradiso pro bonis meritis collocari includunt Dei visionem per essentiam, dicente Augustino XIV. lib. de Trinitate cap. XVI. Renouatur hic in agnitione Dei in iustitia & sanctitate veritatis, & in hic de die in diem proficiendo transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritualia, atque ab istis cupiditatem frænare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit, in quo prouectu & accessu tenentem Mediatoris fidem, cum dies vitæ huius vltimus quemquam compererit, perducendus ad Deum est, quem coluit, & ab eo perficiendus excipietur ab angelis sanctis incorruptibile corpus in fine seculi non ad pœnam, sed ad gloriam recepturus.

SS. moriẽtium felicitas.

Quid autem significet ista perfectio, qua perficiendus est, cum ad Deum perductus fuerit, subdit: In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio. Et XV. lib. de Trinitate cap. XXIV. dicit: Ad Agnum, qui tollit peccata mundi pertinentes, quando in fine huius vitæ resoluuntur a corpore, cum in eis retinendis non habent immunda potestates, quas ille Agnus sine vllo ab eis peccati debito occisus, non potentia potestatis prius, quã iustitia sanguinis liberauit: proinde liberi a diaboli potestate suscipiuntur ab angelis sanctis a malis omnibus liberati, & constituuntur purgati ab omni contagione corruptionis in placidis sedibus donec recipiant corpora sua, sed iam incorruptibilia, quæ ornent, non onerent: hoc enim placuit optimo & sapientissimo Creatori, vt spiritus hominis Deo pie subditus habeat feliciter subditum corpus; & sine fine permaneat ipsa felicitas, vbi veritatem sine vlla difficultate videbimus, eaque clarissima & certissima perfruemur: nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus, quare non sit Filius Spiritus sanctus, cum de Patre procedat: in illa luce nulla erit quæstio. Vbi clare dicit Augustinus, quod in animabus fidelium Christi, qui Christum sunt secuti, cum a corpore egrediuntur, nullam habent immunda potestates potestatem retinendi eas; sed suscipiuntur ab angelis sanctis, & ad Deum perducuntur ab omnibus malis liberati per Christum: a quo purgati ab omni contagione peccati & corruptionis constituuntur in placidis sedibus donec recipiant corpora sua incorruptibilia. Quid autem in dictis sedibus agant non solum post corporis resurrectionem, sed etiam ante; dicit quod ibi veritatem sine vlla difficultate vident, & ipsa clarissima perfruuntur, vbi vident Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & cognoscunt processiones diuinarum personarum.

Vt potiãtur Trinitatis visione.

12 Sed ne ista auctoritas Augustini dubia videatur, quia diceretur forte, quod loquitur de animabus iustorum post resurrectionem, quod tamen in veritate non facit, si diligenter attendatur; idcirco, vt ostendatur hoc esse de intentione Augustini, induco illud quod ipse dicit VIII. lib. de ciuitate Dei cap. XXXI. quod nos oneratos obrutosque peccatis, & a contemplatione suæ lucis auersos, ac tenebrarum, id est iniquitatis dilectione cæcatos non omnino Deus deseruit, misitque nobis Verbum suum, qui est eius vnicus Filius, quo pro nobis assumpta carne nato atque passo, quanti Deus hominem penderet nosceremus, atque illo sacrificio singulari a peccatis omnibus mundaremur, eiusque spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa, omnibus difficultatibus superatis, in æternam requiem, & contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniremus; quæ corda, quæ linguæ ad agendas ei gratias satis essent? Vbi clare dicit Augustinus, quod sanguine Christi ab omnibus peccatis mundati fideles Christi, & Dei dilectionem adepti, cum superauerint omnes difficultates huius mundi, in æternam requiem & in contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniunt: constat autem, quod difficultates omnes, quibus fideles impediuntur, superantur cum Dei adiutorio per eos in hac vita; fides enim nostra est victoria, quæ mundum vincit, vt dicitur prima Ioannis V. Et sancti per fidem vicerunt regna, vt dicitur ad Hebr. XI. Fides autem necessaria est pro vita præsenti, dum a Domino peregrinamur, vt supra dicebatur. Et ideo, si superatis difficultatibus istis, quod fit in vita præsenti, & mundatis omnibus peccatis, & charitate Dei accepta, quæ omnia fiunt in vita præsenti, vel per ignem purgatorij quantum ad mundationem peccatorum venialium, fideles veniunt ad requiem æternam, & ad Dei contemplationem; manifestum est, vt videtur, quod ante generale iudicium animæ fidelium & maxime perfectorum Deum vident. Et infra.

Non solũ post resurrect. sed etiã ante.

Hugo II. lib. de sacramentis part. XVI. cap. IV. dicit: In igne ab initio mundi dæmonibus essentialiter cruciandis præparato, etiam homines maligni cum dæmonibus æternam pœnam passuri sunt, quia eis in hac vita positi ad culpam consenserunt. Ad hunc infernum animæ sceleratorum a corporibus egressæ statim retrudi existimantur: sicut e conuerso perfectorum iustorum, & qui ab hac vita purgati exeunt, sine mora ad cælum, vbi secundum humanitatem suam Iesus Christus in dextera Dei sedet in gloria, continuo deduci creduntur. Et infra: Boni, qui cum culpis de hoc seculo exierunt, quibusdam mansionibus detinentur, ne statim ad gaudia cælorum ascendant: sed de perfectis bonis non dubium est, quin egredientes statim ad gaudia transeant.

Hugonis auctoritas

13 Et Gregorius XIII. lib. moralium cap. XIV. exponens illud Iob XVII. Et rursum post tenebras spero lucem, dicit: Lux post tenebras speratur, quia post noctem vitæ præsentis æternum lumen percipitur: quia enim Auctoris nostri gratia redempti sumus, hoc iam cælestis muneris habemus, vt cum a carnis nostræ inhabitatione subtrahimur, mox ad cælestia præmia ducamur, quia dum Conditor aut Redemptor noster, claustra inferni penetrans, electorum animas exinde eduxit, nos illuc non patitur ire, vnde iam alios descendendo liberauit. Ii vero, qui ante aduentum in hunc mundum venerunt, quantumlibet virtutem iustitiæ haberent, ex corporibus educti in sinu patriæ cælestis statim recipi nullo modo potuerunt, quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solueret, & iustorum animas in perpetua iam sede collocaret. Vnde beatus Iob & afflictionem sentiens, & adhuc differri retributionem iustorum sciens, aperte subiungit: Si sustinuero, infernus domus mea est, & in-

Et Gregorij.

te-

tenebris straui lectulum meum: priores etenim sancti & sustinere aduersa poterant, & tamen e corporibus educti adhuc ab inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, & eos, qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret. Et quia in ipsis inferni quoque locis iustorum animæ sine tormento tenebantur, vt & pro originali culpa adhuc illuc descenderent, & tamen ex proprijs actibus supplicium non haberent, quasi in tenebris lectulum strauisse, & in inferno sibi requiem præparasse, dicuntur: graue enim tadium electis fuit post solutionem carnis adhuc speciem non videre Creatoris. Et infra: Quia igitur tunc electi ante aduentum Domini & in labore vitæ præsentis se esse cernebant, & tamen post præsentem vitam necdum cælestia bona percipere, multis cogitationibus vrebantur.

Et infra exponens illud: Et patientiam meam quis considerat? dicit: Ipsa humani generis, quæ venit in fine mundi redemptio, ab ijs, qui ab initio mundi præcesserunt, tarda credebatur, quia longo temporis spatio a cælestium remuneratione disiuncti sunt. Vbi clare dicit Gregorius, quod post Domini passionem per eius gratiam habemus, vt statim cum a carnis inhabitatione subtrahimur per mortem, mox ad cælestia præmia ducimur, nec permittimur duci ad claustra inferni: cuius contrarium contigit ante mortem Christi animabus electorum, qui tunc decesserunt. Ex quo etiam animæ sanctorum patrum in inferno positæ, licet supplicia non sustinerent, tædium tamen graue habebant, quia nondum poterant videre speciem Creatoris, id est diuinam essentiam, nec præmia cælestia recipere; & ex hoc etiam vrebantur, & tarda eis videbatur esse eorum saluatio, cuius contrarium nunc contingit animabus electorum perfectorum, quæ statim, vt de corpore educuntur, ad Dei visionem & ad cælestia præmia perducuntur. Propter quod & illi, qui ab hora diei prima vel tertia laborauerunt in vinea, videntes quod illi, qui non laborauerant nisi ab vndecima hora, acceperant æquale præmium cum ipsis, & quod post illos remunerati fuerant, dicuntur murmurasse contra patremfamilias, quia pares fecerat illos eis, qui nouissima hora venerant, vt patet Matth. xx. & tamen illi, qui nouissima hora venerant, non leguntur murmurasse; cuius diuersitatis causam assignans idem Gregorius prima parte quadragenarij homilia xix. dicit.

Eiusdem interpretatio de his, qui murmurasse dicũtur in acceptione denarij.

Sed potest quæri, quomodo murmurasse dicti sunt qui saltem sero ad regnum vocantur cælorum, etenim regnum nullus murmurans accipit, nullus qui accipit murmurare potest. Cui quæstioni respondens subdit: Sed quia antiqui patres vsque ad aduentum Domini, quantumlibet iuste vixerunt, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus interpositione suæ mortis aperiret eorum, hoc ipsum murmurasse est, quod etiam & recte pro percipiendo regno vixerunt, & tamen diu a percipiendo regno dilati sunt: quod enim post peractam iustitiam inferni loca quamuis tranquilla susceperunt, eis profecto & laborasse fuit in vinea & murmurasse. Quasi ergo post murmurationem denarium acceperunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem, qui ad vndecimam venimus, post laborem non murmuramus, & denarium accipimus, quia post Mediatoris aduentum in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox, vt de corpore eximus, & illud sine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione meruerunt.

Quæ autem sint regni cælestis gaudia, quæ dicit statim percipere animas electorum, vt sunt exutæ a corporibus, magis ipsemet declarat secunda parte quadragenarij homilia xix dicens: Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Cum ergo dicat in præcedentibus auctoritatibus, quod animæ perfectorum virorum mox, vt egressæ sunt de corpore, perueniunt ad regnum cæleste & ad cælestia gaudia. illa autem cælestia gaudia includant Dei essentiæ visionem, manifestum est, vt videtur, quod electorum animæ exutæ corporibus Dei essentiam vident etiam ante iudicium generale.

Bernardus etiam in sermone de transitu S. Malachiæ loquens de eo, dicit: Mors ipsa dilectis domini somnus refrigerij est, propheta testante, qui ait: Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Pessima quidem mors peccatorum, quorum & natiuitas mala, & vita peior: sed pretiosa est mors sanctorum tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua, & perpetuæ securitatis ingressus. Congratulemur itaque fratres, vt dignum est, patri nostro, quia & pium est defunctum plangere Malachiam, & pium est magis Malachiæ congaudere viuenti. Nunquid non viuit & beate? nimirum visus est oculis insipientium mori, ille autem est in pace. Denique iam conciuis sanctorum & domesticus Dei psallit pariter, & gratias agit dicens; Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Transijt plane viriliter, & feliciter pertransijt. Et in epistola ad Ibernenses de transitu sancti Malachiæ dicit idem: Exultandum nobis suggerit & lætandum, quod tam potens nos patronus ad cælestem curiam, tam fidelis præcessit aduocatus, cuius & feruentissima charitas obliuisci nequeat filiorum, & probata sanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam sanctum, aut minus posse prodesse, aut minus suos diligere audeat suspicari? Profecto cum diligeretur prius, certiora nunc suæ dilectionis adeo capit experimenta, & cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Absit autem vt tua nunc, o anima sancta, minus efficax æstimetur oratio, quando præsenti mundius supplicare est maiestati: nec iam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit vt imminuta necdum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis æternæ percurras pleno hauriens ore, cuius & ipsa prius stillicidia sitiebas. Vbi clare dicit Bernardus, quod mors sanctorum est finis laborum, cõsummatio victoriæ, vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus; & quod anima Malachiæ viuit beate, & est consors sanctorum & domestica Dei; & quod præsenti maiestati Dei supplicat, nec iam in fide ambulat sed in specie regnat; & quod ad fontem charitatis æternæ percurrit pleno eam hauriens ore: quæ omnia clare significant, quod anima Malachiæ Dei essentiam videt, & ipsa fruitur,

Bernardi auctoritas

Proximo capite a xxiv. Gregorij Papæ, magistri sententiarum, & Hugonis auctoritatibus probat Benedictus, sanctorum animas Dei essentiam intueri ex eo, quod in Deo aliqua, quæ hic aguntur, videant: confirmatque in cap. xxv. b ex eo, quod in paradiso, vel in regno Dei versentur, & cum Christo vita æterna potiantur. Vbi maxime hanc Luc. xxiii. Christi ad latronem vocem *Hodie mecum eris in paradiso*, perpendit, ac paradisi nomine non hortum, in quo sepultus, cum ani-

a Cap. 24. Argum. grauissimum ex verbis Christi ad latronem. b Cap. 25.

animę data sit pollicitario; non infernum, ad quem anima Christi penetrauit, cum carcer paradisus dici neqoeat; non ipsam animæ Christi societatem, com anima Christi non sit regoum Dei, in quo beati, vt in fine suo conquiescant, & felicitate cumulatissima poriantur. Quid ergo a latrone petitum, quidue illi promissum fuerit, subijcit.

Quid paradisi voce promissum.

Oportet quod intelligatur per paradisum aliquid iucundum & latum, quod consecutus est illa die latro: propter quod non locus corporalis, in quo anima Christi descendit, est intelligendus significari nomine paradisi, sed spiritualis. Iste autem locus spiritualis Deus est, in quo sanctorum anima cum immensa iucunditate latantur, & cum eo, vt Christus Deus est, anima latronis fuit, quia suam deitatem Christus latroni dicta die ostendit. Nō enim anima Christi est regnum Dei, in quo beati, vt in fine suo quiescunt & iucundantur, sed Christi deitas est tale regnum, quod regnum petierat latro, quod potest ostendere cum vult, & quibus vult, in quocunque loco sint: vnde etiam in inferno patribus suam deitatem ostendit. Vnde & Thomas in tertia parte summa q. LII, art IV. ad tertium dicit, quod illud verbum, quod Dominus in cruce pendens dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiso; intelligendum est non de paradiso terrestri corporeo, sed de paradiso spirituali, in quo esse dicuntur quicumque diuina gloria perfruuntur. Vnde latro loco quidem cum Christo ad infernum descendit, vt cum Christo esset, quia dictum est ei: Hodie mecum eris in paradiso; sed pramio in paradiso fuit, quia ibi deitate Christi fruebatur, sicut & alij sancti.

Promissa fruitio deitatis.

14 *Dominus etiam Bonauentura in scripto suo supra tertium lib. sententiarum dist. XXII. q. VI. in solutione ad primum articulum sic dicit: Ad illud, quod obijcitur de auctoritate Domini in Lucam: Hodie mecum eris in paradiso; dicendum quod, sicut dicit Augustinus hoc verbum exponens, paradisus ibi dicitur non locus empyrei, nec locus paradisi terrestris, sed ipsa Dei visio: vbicumque enim homo sit, dum tamen aperte videat, potest dici esse in paradiso. Hanc autem deductionem istius promissionis Domini facit Augustinus in lib. de prasentia Dei ad Dardanum circa principium dicens: Cum Christum dicat hominem perfectum; non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel anima ipsa mens humana defuerit. Si igitur secundum hominem, quem Verbum Dei suscepit, putamus dictum esse: Hodie mecum eris in paradiso; non ex his verbis in calo existimandus est esse paradisus, neque enim ipso die in calo futurus erat homo Christus Iesus; sed in inferno secundum animam, in sepulcro autem secundum carnem. Et de carne quidem, quod eo die in sepulcro sit posita, manifestum est per euangelium; quod vero illa anima in infernum descenderit, apostolica doctrina pradicat: sed in sepulcro paradisum nullus intelligit; & sic si quisquam ita esset absurdus, vt hoc sape conaretur, eo quod illud sepulcrum in horto erat, certe hinc ab ista opinione reuocaretur, quia ille, cui dictum est: Hodie mecum eris in paradiso; nullo die cum Christo fuit in illo sepulcro, nec eius fidei pro magno munere offerretur sepultura carnis, nihil gaudij vel doloris in morte sentientis, cum ille de requie, vbi sensus est, cogitaret.*

Non sepulchrū, non infernus ea voce promissa.

Prastat igitur, vt si secundum hominem dictum est: Hodie mecum eris in paradiso, in inferno intelligatur esse paradisus, vbi erat eo die futurus secundum humanam animam Christus. Vtrum autem sinus ille Abraha, vbi diues impius cum in tormentis esset inferni, requiescentem pauperem vidit, vel paradisi censendus vocabulo vel ad inferos pertinere existimandus sit, non facile dixerim: non enim facile alicubi scripturarum inferorum nomen positum in bono inuenitur. Ex quibus postea concludit, quod cum secundum hominem, vel eius partes non possit rationabiliter intelligi, quod Dominus dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiso; quod intelligatur, quod cum eo erat futurus, oportet quod fuerit cum Christo dicta die secundum deitatem. Vnde dicit quod sensus iste est multo expeditior, & ab omnibus ambiguitatibus liber, si non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat Christus, dixisse accipiatur: Hodie mecum eris in paradiso. Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat: Deus vero idem ipse Christus vbique semper est; est enim virtus & sapientia Dei, que attingit a fine vsque ad finem fortiter. Vbicumque sit ergo paradisus, quisquis beatorum ibi est cum illo, vbi est, qui vbique est. Et infra: Recte dici potuit: Hodie mecum eris in paradiso; cum iuxta humanam humilitatem per carnem in sepulcro, per animam in inferno illo die futurus erat: iuxta diuinam vero immobilitatem nunquam de paradiso, quia vbique semper est, recessisset. Ex quibus verbis Augustini clare habetur, quod anima latronis illa die fuit cum Christo secundum eius deitatem: esse autem cum Christo secundum eius deitatem, non est nisi eius deitatem videre, & frui ipsa, quod est vere & in re beatum esse, dicente Domino Ioannis XVII. Pater quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum; vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Eandem seotentiam reliquo capite et proximo XXVI. a corroborat Benedictus, eoq; falsas hereticorum verba Christi io alienum sensum detorquentiū interpretationes ex Cassiano refellit, adiectis alijs octo capitibus b, quibus animas ante iudicium, conquisitis sanctotum patrum auctoritaribus, diuinæ essentiæ visione potiri coofirmat. Hisque primum commentarium absoluit.

Conclusio argumenti.

a Cap. 26.

b Cap. 27. &c.

In secundo tractatu agit Beoedictus de statu animarum, quæ lethali noxa deuinctæ e corpore excesserunt, ac primis sex capitibus tum illas tum aliquos dæmones in inferno ioferiore cruciari flammis ostendit, siue eæ animæ in testamento veteri siue in nouo e corpore abierint: oulla veto temporis mora retardari illarum supplicium ita demonstrar.

Quod c anima impiorum hominum statim post mortem ad infernum perdurantur cap. VIII.

c Tract. 2. c. 7.

Et ne dicatur quod descensus eorum ad inferos retardetur per aliqua spatia temporis, Iob ostendit, quod statim ad infernum descendunt, qui loquens de impijs diuitibus XXI. cap. dicit: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt; quod exponens Gregorius XV. libro moralium cap. XXIII. dicit: Ecce beatus vir eorum gaudia diu narrauerat. Quomodo nunc asserit, quod in puncto ad inferna descendant, nisi quod omnis longitudo temporis vita prasentis punctus esse cognoscitur cum fine terminatur? cum enim ad extremum quisque perducitur, de praterito iam nihil tenet, cui tempora cuncta dilapsa sunt: in futuro nihil habet, quia vnius hora momenta non restant. Vita ergo, qua sic angustari potuit, punctus fuit: vt enim iam pradiximus, in puncto stylum ponimus, & leuamus. Quasi ergo in puncto vitam tetigit, qui hanc accepit & omisit, & secundum hoc in puncto ad in-

Animæ impiorum post mortem præcipites in infernum ruunt.

inferna descendunt, qui statim, hac vita præsenti terminata, ad inferni pœnas trahuntur.

Probatur ex Christi oraculo.

Vnde & Luc. XII. Dominus dicit de diuite, cuius ager vberes fructus attulit: qui dicebat in corde suo: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, quiesce, comede, bibe, epulare; dixit autem illi Deus: Stulte animam tuam hac nocte repetunt a te, quæ autem parauisti cuius erunt? Vbi dicit glossa. Qui longa tibi tempora diuitiarum promittebas, hac nocte præreptus alijs congregata relinques. Dicit autem: Repetent a te; secundum Chrysostomum: Exposcebant enim eam terribiles quædam virtutes ad hoc missæ, quoniam si de ciuitate in ciuitatem transeuntes, egemus ductore, multa magis anima absoluta a corpore ad futuram vitam transmigrans indigebit ducatu. Ob hoc multoties recusat anima, & regreditur in profundum, cum debet exire a corpore: semper enim stimulat nos conscientia peccatorum, sed præcipue cum debemus trahi ad terribile iudicium, tunc enim tota congeries criminum innouatur, & præ oculis posita mentem percellit: & sicut carcerati semper quidem dolorosi sunt, tunc autem præcipue, cum debent iudici præsentari, sic & anima maxime in ipso tempore de peccato cruciatur & dolet, cum fuerit euulsa: & tunc dicti exactores animam tribulatam in nocte ducunt ad iudicium, quia ad damnationem & perpetuas tenebras trahuntur. Vnde Gregorius XXII. lib. moralium cap. II. loquens de isto diuite, dicit: Animam tuam repetunt a te dæmones; eadem nocte sublatus est, qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat præstolatus. Et XXV. lib. moralium cap. II. loquens de eodem diuite dicit exponens illud Iob. XXIV. Subito morientur. Quantumlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito & repente tolluntur, quia finem suum cogitando prouidere nesciunt: subitum est quod ante cogitari non potuit: subito diues ille sublatus est, qui horrea, quæ præparabat, deseruit; & inferni locum, quem non prævidebat, inuenit. Ad aliud animam exercebat per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam. Aliud dum viueret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus: reliquit enim tractata temporalia, & inopinata inuenit æterna; vnde & propter hanc ignorantiam cæcitatis suæ bene per diuinam sententiam dicitur: Hac nocte animam tuam repetunt a te; in nocte quippe ablata est, quæ in obscuritate est cordis amissa: in nocte ablata est, quæ considerationis lucem habere noluit, vt quod poterat pati præuideret. Sic igitur, cum secundum Iob iniqui in puncto ad inferna descendunt, id est hac vita præsenti finita, quæ vitæ puncti habet, & secundum Domini sententiam iuxta expositionem Chrysostomi & Gregorij illa nocte, qua repetita est a dæmonibus anima diuitis, fit ad Dei iudicium adducta, & infernum inuenerit; manifestum est, vt videtur, quod perfectorum iniquorum animæ statim, cum de hoc corpore exeunt, ad infernum per dæmones trahuntur. Proximo capite [a] ex textu apocalypsis XIX. quo refertur antichristum & eius signiferos in stagnum ignis mersos ante iudicium, idem confirmatur; idemque nono & decimo capitibus [b] probare pergit.

Morientium impiorum terror.

Quomodo in nocte ab impijs repetatur anima.

a Cap. 8.

b Cap. 9. & 10.

In tertio cõmentario multis capitibus animas post iudicium beatiores futuras contendit, aduersus potiorẽ theologorũ partẽ quam ante, quamuis ante diuinæ essentiæ visione fiut potitæ: cõtra vero damnatorũ animas & dæmones grauioribus supplicijs post iudiciũ discruciandos: ac primum Dei triplex iudicium distinguit; primũ in mundi exordio in angelos tũ bonos, tũ malos, tum in humanum genus ob principis illius peccatum; medium post cuiusque mortem; postremum in orbis consummatione: & horum discrimina subinde percurrit. Tum neque homines, neque angelos sanctos scire omnia merita vel demerita hominum, ob quæ a Deo ante iudicium generale iudicantur, ex sacris apud Zachariam & Danielem oraculis indicat. Humanæ etiam mentis arcana ipsos latere, ni Deus ea ipsis pandat: similiter diuinam præscientiam de saluandis vel dãnandis hominibus singulari prouidentia occultam esse tum hominibus ipsis, tum angelis beatis, nisi Deus reuelet. Et quia causæ iudiciorum Dei ijsdem sunt abditæ, idcirco vt Dei iudicia appareant omnibus iustissima, fore generale iudicium, in quo eorundem diuinorum iudiciorum causæ pandentur: tum omnium merita & demerita patefactum iri, ob quæ præmio vel supplicio afficiantur, & ante id tempus illa beatos latere: ex eo vero, quod iam omnia, quæ cupiunt non habeant, beatiores futuros elicit.

Prædestinationis arcana latent sanctos ante iudicium.

15 In quarto vero tractatu aduersariorum argumenta, quibus animas a corporibus secretas Dei visionem non assecuturas, nisi post iudicium, contendebant, dissoluit. ac primum admodum imbelle illud est, quod obscuræ interpretationi adductæ a S. Bernardo explicante sacrum ænigma in apocalypsi expressum, vbi Ioannes animas martyrum sub altare Dei ante iudicium generale se vidisse refert, innixum est; atque ita refellitur [a]: *Simul ista stant, quod animæ martyrum sint sub altare Dei, id est sub Christi humanitate, & tamen nihilominus Dei essentiam vident; nec vnum istorum excludit aliud, immo simul stant, quod manifeste patet. Constat enim ex scriptura diuina, quod sancti angeli etiam ordinis inferioris, qui deputati sunt ad custodiam paruulorum, Dei essentiam vident, iuxta illud quod Dominus dicit Matthæi XVIII. de angelis paruulorum: Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est; & tamen non soli angeli inferioris ordinis, sed etiam angeli superioris ordinis sunt & semper erunt in futurum sub Christi humanitate. Homines etiam beati post resurrectionem & post generale iudicium semper erunt sub Christi humanitate; & tamen hoc non obstante angeli sancti tam inferioris ordinis quam supremi Dei essentiam vident, nullo contradicente. Sancti etiam homines post generale iudicium etiam secundum eorum positionem Dei essentiam videbunt. Quod autem sub Christi humanitate sint angeli etiam superni, patet per illud quod dicit Petrus prima Petri III. loquens de Christo secundum quod est homo: Qui est in dextera Dei Patris, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum, subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus. Vbi dicit glossa: Semper angelos subiectos fuisse Filio Dei non dubitamus: sed hic ideo subiectionis meminit, vt assumptam humanitatem ita in resurrectione sublatam monstraret, quod omni angelicæ dignitatis potentiæ præferatur, iuxta illud psalmi: Omnia subiecit sub pedibus eius. Quod dictum prophetæ deducens Apostolus ad Hebræos II. dicit: Minuisti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quod ei omnia subiecit nihil dimisit non ei subiectum. Vbi dicit glossa: Minuisti eum per passibilem naturam: minoratus est enim, dum se exinaniuit, formam serui accipiendo. Propter ergo hanc passibilem naturam, quam accepit, minoratus est ab angelis,*

Damnati post iudicium acerbius cruciandi.

a Tract. 4. c. 9.

Angeli inferiores sunt humanitate Christi.

quia

quia mortalis & passibilis fuit: sed paulominus, quia etsi passibilis, tamen imperabat angelis, quia sine peccato erat. Sed post ad similitudinem triumphantis coronasti eum, id est vndique circumdedisti gloria in resurrectione & ascensione, & honore in consessu Patris. Vel gloria, id est claritate immortalitatis, & honore, quia sibi flectitur omne genu. Et constituisti eum, vt nobilem super opera manuum tuarum. Ecce potestas Christi ostenditur: vt enim a Domini opere nihil excipitur, ita nec a Christi potestate. Et attende quod non simpliciter ait: Super opera, sed addit: Manuum tuarum; id est super digniora etiam opera, scilicet super angelos & homines, quæ per excellentiam dicuntur opera manuum. Et non solum constitutus est super opera, vt dignior, sed etiam omnes subiecit sub pedibus eius, id est potestati eius in dominio, vt adorent illum & vereantur; posset enim superior esse, & tamen omnibus non dominari, & ideo ait: Subiecisti omnia sub pedibus eius; nulla enim creatura erit ei non subiecta, eius primates, vt ita dicam, spiritus subijciuntur. In eo autem, quod scriptum: Subiecit ei omnia; id est subiecta ei ostendit omnia: nihil dimisit non subiectum ei, id est nihil excepit de omnibus, dum enim dicit omnia, nec terrena excepit nec calestia.

Eidem sunt subiecti.

16 *Et idem Apostolus ad Ephesios primo dicit: Suscitans Christum a mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in calestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam. Quod exponens glossa, dicit: Dei Filius, vt est homo, factus super omnes calos esse dicitur, & super omnem creaturam habens nomen Dei per naturam non per adoptionem. Et ne videretur praesse omni creatura dignitate tantum, & non potestate, subdit: Et omnia subiecit sub pedibus eius; id est sub humanitate eius, quæ significatur per pedes, quia sicut pes est inferior pars corporis, ita in Christo inferior natura est humanitas, quam etiam angeli adorant, & ipsi homini Christo omnia subsunt. Cum ergo angeli sint sub Christi humanitate, & sic, etiamsi per altare illud, sub quo visa sunt anima martyrum, Christi humanitas significetur, ipsi sint sub altare, & tamen hoc non obstante Dei essentiam vident; omnes etiam sancti post resurrectionem generalem & post iudicium sint sub Christi humanitate, & tunc magis omnia subsint ei, quam nunc, dicente Apostolo ad Hebr. 11. Nunc nondum videmus omnia subiecta ei; sed tunc omnia subiecta erunt secundum glossam siue voluntarie siue necessarie: & tamen, hoc non obstante, sancti videbunt post iudicium Dei essentiam: secundum quod etiam positio ponit, manifestum est, quod ex hoc, quod anima martyrum nunc sunt sub altare, id est sub humanitate Christi, non sequitur, quod Dei essentiam non videant. Vnde ista prima ratio rationi istius dicti non tenet nec concludit propositum gratia forma, nec etiam materia, vt dictum est supra, cum etiam sancti, de istis animabus loquentes, dicant quod Dei essentiam vident.*

Subijciuntur aliæ Remigij et Ambrosij interpretationes illius textus apocalypsis, quibus animæ martyrum sub altare esse referuntur, quia nondum corporibus gloria donatis coniunctæ sunt, et id Christi beneficio se assecuturas sperant, et eas dici Christi altare, et nunc esse subtus se, dein vero in se post resurrectionem futuras; ac licet Christi humanitas illo altari adumbretur, non tamē colligi carere ipsas diuina visione: *Sunt enim*, inquit, *sub Christi humanitate, quia et in gratia & sapientia ac gloria nec nunc, nec postea aquari possunt. Sunt etiam sub Christi humanitate, sicut membra sub capite: ipse enim caput est totius ecclesia, qua est in calo vel in terra, & ob eo sicut a capite sua omnes sancti siue angeli siue homines accipiunt influentiam donorum spiritualium.*

Et quaratione.

Reliqua argumenta siue petita a ex verbis prophetæ: *Tunc imponent super altare tuum vitulos*; siue ex Bernardo dicente b, animas post iudicium super altare futuras visione & contemplatione Dei, leuia sunt, cū verba, prophetica quidem, symbolica sint, ex quibus nihil potest elici. Bernardus vero, licet affirmet animas post iudicium diuinæ essentiæ visione potituras, non tamen negat quin etiam ante eadem perfruantur. Ex eo c autem quod omnes reuelationes diuinorum arcanorum de hominum salute dimanent ad angelos, & animas sanctorum a Deo mediante Christi humanitate ante iudicium generale, ideo dici sub ipsa versari, post iudicium vero proxime a Deo omnes illustrationes manaturas. Ostenditur d quoque ex sanctorum Gregorij & Bernardi interpretatione textus euangelici, quod Christus faciet post iudicium electos discumbere, non inferri posse quoque electos ante iudicium cælesti mensæ, in qua diuina pascuntur gloria, non accubuisse. Non e etiam ex hoc Ioannis oraculo: *Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus*; concludi sanctorum animas ante generale iudicium diuina essentia non perfrui.

a Cap. 10.

b Cap. 11. Diluitur Bernardi obiectio.

c Cap. 12.

d Cap. 13. & 14.

e Cap. 15.

Auctoritas f ex voce sponsæ: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, quæsita, non ita accipienda, vt læua, id est præsentia humanitatis Christi perfruantur ante iudicium post illud vero dexteræ, id est visionis beatificæ complexu foueantur sanctorum animæ; sed cum Beda vt. lib. super cantica ita exponenda g: *Per læuam*, inquit, *sacramenta incarnationis Christi, & præsentia eius dona designantur: per dexteram vero ea, quæ in futuro percipient electi præmia figurantur, in quibus non solum visio diuinæ maiestatis, sed & gloria eius clarificata humanitatis vnius eiusdemque mediatoris Dei & hominum.* Similiter h non recte explicari animas sanctorum requiescere, nisi in diuina visione & fruitione conquiescant, quod argumentum ad finem primæ partis quarti tractatus vrget Benedictus. In secunda vero parte, quæ amplissima est, & centumquinquaginta duo capita complectitur, rationes & auctoritates ab aduersarijs adductas confutat. Et hanc, vti quintum & sextum commentarium de statu dæmonum & damnatorum prætermittimus, cum in molem ingentis voluminis assurgant.

f Cap. 16.

g Cap. 17. Quid læua quid dextera Dei significetur.

h Cap. 18. &c.

In conclusione vero operis hæc addit: *Plures auctoritates non habeo scriptas istorum, & ideo non respondi ad eas, si quæ sunt: sed paratus ero respondere quando inuenero ipsas scriptas, prout Dominus imbecillitatem mei ingenij adiuuerit.* Et infra: *Nihilominus tamen, quia non confido de meo ingenio, vel scientia, ac memoria, quæ modica sunt & imbecillia; maxime attentis materijs, de quibus supra actum est, quæ difficiles sunt in se, & procul a sensibus nostris & nostra ratione naturali, & solum per auctoritates scripturæ diuinæ, vel determinationem ecclesiæ, aut per dicta sanctorum probari habent; totum quidquid per me dictum est, nunc & alias in istis materijs pono in iudicio sanctæ Apostolicæ sedis, volens sequi in omnibus determinationes eius,*

Dicta subijcit Benedictus ecclesiæ decretis.

eius, & non meas imaginationes vel ratiocinationes. Nec solum determinationibus volo stare, imma etiam cuicumque veriori sententia, dummodo illa sententia appareat, quod sit a sapientibus sequenda vt vera & catholica.

17 Discussis superiori pontificia sanctione tenebris errorum, quos in decem capita distinguit Aymericus a, fideique orthodoxæ in luce collocata veritate, Benedictus ad restituendam in suum splendorem ecclesiam, atque innumeras oues a vitæ pascuis aberrantes gregi dominico aggregandas, ne pastoris optimi muneri deesset, cœptum superiori anno de Ludouico Bauaro reconciliatione tractatum vrgebat. Perfecta res non fuerat, vt ex Benedicti ad Francorum Regem pridie kal. augusti datis literis b constat, cum ipse Pontifex, vt iuribus ecclesiæ ac Francorum & Siciliæ Regum rebus consuleret (capitales inter Robertum ac Ludouicum inimicitias intercessisse iam vidimus) Ludouici oratores non idonea fultos ad rem præstandam auctoritate dimisisset in Germaniam, vt consulto Bauaro ad rem in exitum perducendam redirent. Instituti vero sunt procuratores, vt Benedicto omnia officia ac sacramenta præstarent, quæ a Regibus Romanorum exhiberi mos esset: omnia in Ioannem XXII. gesta suo nomine rescinderent: latas in Robertum Regem ac principes Siculos, Florentinos, & alios, qui cum Henrico VII. bellum gesserant, sententias conuellerent: terrarum ecclesiæ donationes abrogarent: iniurias a quibusuis contra rem imperij illatas remitterent; denique sacramento sponderent, nullas ditionis ecclesiasticæ terras occupandas, aut clientes illius vlla molestia lacessitum iri. Quibus dicta Cardinalis Baronij consentiunt c: *Hoc*, inquit, *anno apud Nirimberg Ludouicus Bauarus constituit procuratores, quos misit legatos ad Benedictum Romanum Pontificem, qui ab eo impetrarent absolutionem de commissis in Romanam ecclesiam de fauore præstito baretteis, & de rebellione, quam fecerat ipsi Ioanni XXII. deque intrusione in imperium absque auctoritate sedis Apostolicæ, deque fauore præstito Galeatio Vicecomiti. Præcepit eosdem legatos procuratores recipere, quam accessisset, Romanus Pontifex sententiam de commissis iuxta voluntatem ipsius. Extat ipsum diploma eiusdem de iisdem in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Sunt hac de re duo publica documenta d a Ludouico confecta hoc anno, quæ etiam in archiuo inferiori Auenionensi in charta pergamena exarata a gerente legationem Auenionensem Octauio Aquauiua Card. anno Christi MDXCIV. reperta sunt, ac Romam translata. Primum hac verborum formula conceptum est.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Benedicto XII. diuina prouidente clementia, sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus suus filius deuotus, cum sui & regni Romanorum recommendatione deuota pedum oscula beatorum.

18 Nouerit sanctitas vestra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia, & sinceritate spectabilium virorum Ludouici senioris & Ludouici iunioris de Ottingen comitum, fratris Henrici de Siphingen ordinis S. Mariæ fratrum Theutonicorum commendatoris domorum in Vlma & Vardes, Eberardi de Tummouu archidiaconi, Marquardi de Randek iunioris canonici professoris canonicorum S. Augustini, & magistri Vdalrici de Augusta nostri protonotarij secretariorum nostrorum specialium, eosdem Ludouicum de Ottingen comitem iuniorem, fratrem Henricum de Siphingen, Marquardum de Randek, & magistrum Vdalricum protonotarium nostrum præfatos absentes tanquam præsentes, Ludouicum de Ottingen comitem seniorem, & Eberhardum de Tummouu præsentes & mandatum nostrum sponte recipientes, *& infra*, ordinamus modis omnibus, quibus melius de iure facere possumus & valemus, nostros veros, certos, & legitimos procuratores, *& infra*, dantes speciale mandatum vice & nomine nostro & pro nobis sanctitati vestræ & coram sanctitate vestra, & vbicumque eidem sanctitati vestræ placuerit & visum fuerit expedire præstandi, concedendi & promittendi, faciendi & confirmandi vice & nomine nostro & pro nobis omnia iuramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, notificationes, confirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum & assumpti ad imperium, siue etiam non assumpti, siue antequam assumerentur, siue post per se vel alios summis Pontificibus & sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu aliorum alteri, per se vel alios recipientibus seu recipienti, reperiuntur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet concessisse.

Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis annullandi & reuocandi, nulla & irrita pronuntiandi omnia, quæ dicta & facta sunt contra dominum quondam felicis recordationis dominum Papam Ioannem XXII. & contra sanctæ ecclesiæ determinationes, & quæcumque alia titulo imperiali dicta vel facta per nos existunt: & sicut de facto dicta vel facta existunt, ita ea omnia irrita & nulla pronuntiandi. Item quia per dominum Henricum Imperatorem vltimum, seu auctoritate ipsius plures processus, & etiam plures sententiæ capitales, & proscriptiones bonorum, & aliarum pœnarum & mulctarum diuersarum inflictiuæ diuersis temporibus promulgatæ fuisse dicuntur tam contra excellentem principem dominum Robertum Regem Siciliæ illustrem, & contra magnificos viros dominum Philippum quondam principem Tarenti, & Ioannem ducem Duratij tunc principem Achaiæ quondam eiusdem Regis germanos, ac etiam contra vasallos & alios eidem Regi Siciliæ mediate vel immediate subiectos regni Siciliæ & comitatus Prouinciæ & Folcalquerij & Pedemontis & aliarum terrarum eiusdem Regis Siciliæ; quam contra nonnullos ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra ciuitatem & commune Florentinorum, & potestatem, capitaneos, officiales, ministros, & nonnullas singulares eiusdem ciuitatis personas, & etiam contra plures alias ciuitates & loca, & contra nonnullas personas singulares, quæ quidem ciuitates & personæ tempore dicti domini Henrici adhæserunt Regi Siciliæ præfato; damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum potestatem promittendi, & nos obligandi, quod omnes huiusmodi processus et sententias, propter quoscumque etiã vel qualescumq; excessus, inobedientias, rebelliones, et iniurias ipsi processus facti fuerint et sententiæ promulgatæ, priusquam assumpti fuerimus a sanctitate vestra in Regem Romanorum, reuocabimus et eos et effe-

a Aymer. 2. p. direct. inquis. q. 8

De Lud. Bauaro ad ecclesiam reuocãdo agitatum.

b To. 2. ep. secr. 481.

Ab illo reuocata perperam gesta.

c Baron. in not. M. S. ad ann. 1336.

Postulata de patratis impie venia.

d Ext. in arce S. Angeli & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 232. & in per colless. Plat. iussu Sixti IV. congesta to. 2. pag. 219.

e Signata sunt num. 109. & 138.

Lud. Bauarus ad Pont. supplices literæ.

Qui ab eo oratores missi.

Quibus mandatis instructi.

Pœnitet Ludouicũ gestorum in Ioannem.

Ea rescindit.

Et sententiam capitalem in Regem Siciliæ.

Et in Florentinos.

effectum eorum annullabimua. *Et infra*.

Resocat edicta Romæ lata.

19 Item damus prædictis procuratotibus nostris et cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, omnes processus factos et quaslibet sententias latas et quæcumque alia, quocumque nomine censeantur, Romæ seu vbicumque alibi gesta per nos, vel per alios nostro nomine vel auctoritate sub imperiali titulo, nulla esse, et cassa et irrita vice et nomine nostro et pro nobis pronunciandi et declarandi, illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullandi et penitus reuocandi. Specialiter etiam damus ipsis et cuilibet eorum in solidum nomine, quo supra, potestatem renocandi donationes terrarum ecclesiæ in speciali, si quæ per nos vel auctoritate nostra factæ sunt, vel apparent, vel in futurum apparebunt. Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, viee & nomine nostro & prn nobis ob reuerentiam sanctitatis vestræ & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & etiam propter bonum pacis, vobis & successoribus vestris dandi, concedendi irreuocabiliter plenam & liberam potestatem per biennium duraturam (computandum a tempore, quo approbati fuerimus, & potestatem buiusmodi cõcesserimus) vestrę sanctitati quietandi & remittendi omnibus ciuitatibus & communitatibus quorumcumque locorum omnium partium Italiæ, nec non de quibuslibet personis singularibus partium earundem, cuiuscumque status aut conditionis existant, omnea iniurias, rebelliones, inobedientiaa, & offensas commissas hactenus quantomcumque & quomodocumque contra imperium & Reges ac Imperatores Romanos, seu officiales, ministros, vel gentes eorum a quinquaginta annis & citra. *Et infra*.

Bienniũ adpacandas Italica imperij vrbes permittit.

Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam & liberam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro ac pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vsurpabimus Romam aut prouincias ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, terras alias seu territoria vel loca ecclesiæ Romanæ in Italia vel vbilibet extra Italiam constituta; & specialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ directo dominio & feudo eiusdem ecclesiæ Romanæ esse noscuntur, nec alia feuda, retrofeuda, seu quælibet alia loca, ad eandem ecclesiam mediate vel immediate spectantia, nec iura, personas, vel res reliquas in eisdem: nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum vel ad tempus aliquod de prædictis sub colore, conditione, aut titulo quibuscumque.

Spondet ab ecclesiastica ditione sibi temperaturum.

20 Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro ac pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod prædictam Romanam ecclesiam, aut vos seu successores vestros, vel officiales, ministros, vassallos, & subditos eorum non inquietabimus vel quomodolibet molestabimus in Roma, regnis prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris comitatu Venusino, terris alijs, & territorijs supradictis, seu aliquo prædictorum: nec in casu etiam aliquo Reges prædictorum regnorum, aut ministros, vassallos, & subditos eorum in regnis prædictis, seu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus molestabimus: nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitutem, potestariam, capitaneatum, vel aliud officium quodcumque, quocumque nomine censeatur, accipiemus vel per nos vel alios exercebimus in prædictis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam quouis modo recipiemus pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuscumque rebus vel iuribus in præmissis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorija supradictis, vel in eorum vel aliquibua eorum pertinentijs constitutis; etiam si nobis a quibuslibet ciuitatibus vel personis singularibus offerrẽtur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, seu quomodolibet per nos vel alium seu alios vsurpabimus, recipiemus, vel exercebimus; nec concedemus etiam recipi vel haberi in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidia, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs & territorijs supradictis: & specialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris, & locis & territorijs eorundẽ expressis in quibusdam literis dicti domini quondã Henrici Imperatoris, quorum tenor sequitur in hæc verba: *Feruenti desiderio cupientes sanctitatis vestræ pedibus, & Apostolicæ sedi toto corde & animo zelum nostræ reuerentiæ, fidei, & deuotionis offerre, &c.* [Inseruntur a Ludouico Henrici VII. Imperatoris datæ ad Clementem V. literæ anno Domini MCCCX. regni ipsius an. 11. Lausanæ (non Rusanæ, vt quidam perperam scripsere) v. id. octobris exaratæ, quas nos suo loco attulimus a.

Pontificios administres nõ vexaturũ.

Henrici VII. donationes repetiturũ. Formula lit. Henr. VII. a Lud. repetita.

a Ann. Chr. 1310 n. 3. &c.

Instruxit quoque Ludouicus auctoritate suos oratores, vt sacramento se deuincirent eius nomine, ipsum nunquam Siciliam, ditionem ecclesiasticam, vel aliorum clientum terras inuasurum, ac si fidem infringeret, grauioribus pœnis irretitum tenendum profiterentur: ad Vrbem, non nisi vocatum a Pontifice ad imperiale diadema excipiendum accessurum, eademque die discessurum: gesta omnia contra iura pontificia reuocaturum, non ingressurum Italiam vel eius administrationem suscepturum antequam Rex Romanorum a sede Apostolica confirmatus esset: adepta regni confirmatione, præfectos quos in Etruriam vel Insubriam mitteret, iureiurando adactum, Pontifici atque administris illius studio & opera adiuturos, nec Siciliã, Sardiniam, aut pontificias terras infestaturos, in ipsisue dominatum correpturos. Præterea iussi a Ludouico procuratores promittere, ipsum excurrente ab inunctione imperiali octauo die superiora omnia rata habiturum: intrusos in ecclesias occupato gradu depulsurũ; acturum cum Germanis principibus, vt si ipse promissa violaret, sponderent arma in eum se conuersuros: quod ad eas terras attinebat, quas Rex Siciliæ ab ecclesia iure fiduciario non acceperat; controuersiam ex pontificia voluntate compositurum: creaturum Robertum in Etruria imperij legatum: cum eo fœdus ad pontificium arbitrium initurum; ac si quæ obscuriora in dictis forent, penes sedem Apostolicam ea illustrandi, deque dubijs pronuntiandi futuram auctoritatem. Quæ omnia suis distincta capitibus sub-

Præstitæ ab eod. Lud. sponsiones aliæ.

De fœdere cum Roberto Rege ineũdo.

subiectaque verborum forma coocepta sunt.]

21 Item damns dictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, pro prædictis adimplendis & obseruandis pœnas infrascriptas vice & nomine nostro & pro nobis recipiendi, & ad cas nos obligandi & astringendi; videlicet quod, si super præmissis vel aliquo præmissorum, quæ in duobus dictis articulis immediate præcedentibus continentur, molestauerimus seu molestari fecerimus Romanam ecclesiam, regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Vennsinum, loca, terras alias, et territoria supradicta vel aliquid eorundem inuadendo, occupando, seo quomodolibet acquirendo, vel eorum aliquid in toto vel in parte aliqoa (nisi super hoc moniti per Romanum Pontificem vel auctoritate ipsius infra ttes menses post moniriouem huiusmodi immediate seqnentes a taliter attentatis destiterimus, et ea omnia et singula, in quibus offenderimus, in pristinnm statum reduxerimus) excommunicationis sententiam cum valitoribus et sequacibus nostris eo ipso incurramus: & si infra tres menses, dictos alios tres meoses immediare seqnentes, non fecerimus, tota terra nobis subiecta, ad hoc nobis vel oostris præbens auxilium vel fauorem, sic eo ipso ecclesiastico supponatur interdicto, quod si infra tres menses alios, prædictos sex mensesimmediate sequentes, monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu, & per alios tres menses prædictos nouem menses immediate sequentes, de gratia expectati mouitioni non paruerimus, vt præfertur, liberum sit Romano Pontifici, prout sibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos; prinando etiam nos, si sibi videbitur, imperiali, regia, & qualibet alia dignitate absque alia vocatione vel iuris solemnirate. Monitio tamen prædicta sic fiat, si commode fieri possit, vt nos personaliter apprehendat: quod si sic non posit commode fieri, super qno stare promittimns simplici assertioni domini nostri summi Pontificis, possit fieri ipsa meutio in Romana curia per publicum instrumentum & solemne, sicut consuenerunt fieri in Romana curia cirationes & processus contra absenres, quorum præsentia siue domicilia non possunt libere tuteue adiri.

Cauet ecclesiæ iuribus.

Admittit priuationé imperij si contra tendat.

22 Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuiliber eorum in solidum pleoam potestatem, vt supra, promittendi vice & oomine nostro, & pro nobis & in aoimam nostram iurandi quod ad euitandam occasionem veniendi contra prædicta vel aliquod prædictorum, ante diem nobis pro coronatione nostra imperiali præfigendum, non ingrediemur vrbem Romanam; quodque eadem die, vero & legitimo impedimeoto cessante, imperialem recipiemns coronam: & si illa die fuerimus vere & legitime impediti, die alia dictam accipiemus coronam; & ipsa die, qua coronam huiusmodi teceperimus, dictam Vrbem, vero ac legitimo impedimento cessante, exibimus cum tora etiam, quantum in nobis fuerit, gente nostra: & cessante etiam impedimento legitimo continuatis moderatis dietis extra totam terram Romanæ ecclesiæ nos nostro gressu transferemus versus terras nobis subiectas, nunquam postmodum ad Vrbem vel ad alias terras Romanæ ecclesiæ, nisi de speciali licentia sedis Apostolicæ, accessuri: & siue ibi siue alibi imperialem receperimus coronam, terras ecclesiæ non introibimus, nec in ipsis manebimus.

Promissa ślia pro iuenda pace.

Accepta imperiali corona, eadem die se ex vrbe discessurū pollicetur

Item damos prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt sopra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, ac in animam oostram iurandi, quod super ijs vel eorum aliquo onllom impedimeotum fingemus aut præstabimus, ant fingi vel præstari per nos vel alios, quantum in nobis fuerit, permitremus. Irem vice & oomine nostro pro nobis promittendi ae in animam nostram iurandi, quod contra præfata vel eorum aliquod nullatenus per nos vel alios veoiemus: & si contrarium quouis modo contingeret fieri per nos vel alios oomine uostro quandocumque, statim cum hoc ad nostram notitiam deductum fuerit, illud reuocabimus & faciemus, quantum in nobis fuerit, effectualiter reuocare; & pro non facto volemus, & decernemus haberi.

Nullos fucos ad violandū id accersiturum.

23 Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem vt supra, si per præfatum domioum Henricum Imperatorem, per nos, seu quemcumque alium vel alios, nostro vel alterius nostrorum oomine seu auctoritate aliquæ sententiæ fueriot promulgatæ, sen processus al qui facti, seu arrestationes persooatum aot rerum, ant aliqua ad iurisdictionem pertinentia quandocumque attentata in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, ciuitatibus, comitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, & terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo eorundem, immediate vel mediate subiectis; illa omnia vice & oomine nostro et pro nobis decernendi et promulgandi esse nulla; quodque si aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, aduocationes, donationes, obligationes, occupationes, seu concessiones qualescumque a prædicto domioo Henrico vel a nobis aut altero nostrum per nos, vel alium seu alios factæ fuerint seo receptæ pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comiratu Venusino, locis, terris alijs, et territorijs supradictis vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus et iuribus in eis, vel sub eis etiam constitutis a qoibuscumque ciuitatibus vel personis etiam singularibus qnouis modo; illa omnia fore nulla pronunciandi, et quatenus processeruot de facto, totaliter reuocaodi, er vice ac nomine nostro promittendi et firmandi, quod ea omnia et singula pro non facto volemus et decernemus et promulgabimus haberi.

Conuellit tentata cōtra iura ecclesiæ.

Item damus dictis nostris procuratoribus et eorum cuilibet in solidum plenam potestatem, vt supra, vice et nomine nostro promittendi et iurandi, quod non ingrediemur partes Italiæ, nec in eis nec de eis per nos vel alium seu alios aliquid administrabimus, aut quomodolibet disponemus, donec approbationem apostolicam personæ nostræ fuerimus assecuti. Item damus prædictis procuratoribus nostris & cnilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine oostro & pro nobis promittendi, vt supra, quod quandocumque post approbationem prædictam in Lombardiam & Tusciam vel earum alteram aliquem vel aliquos mittemus vel constituemus in eis, faciemus eum & eos iurare, vt adiutor & adiutores domini Papæ & eius officialium sint ad defendendum Romanam ecclesiam, nec non regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, loca, rerras alias, & territoria supradicta. Item quod non occupabunt, nec recipient, nec acquirent, nec quouis modo vsurpabunt Romam aut prouincias, regna, du-

Obligat se Italiam, antequam Rex confirmatus fuerit, nō ingressurum.

Cæsareos administros adactorum sacramento, ecclesiastica iura non inuasuros.

ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, loca, terras alias, & territoria supradicta Romanæ ecclesiæ, in Italia vel vbilibet extra Italiam constituta; & specialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ de directo dominio, iure, & feudo eiusdem Romanæ ecclesiæ esse noscuntur, nec alia feuda, retro feuda, seu quælibet alia loca ad eandem ecclesiam mediate vel immediate spectantia, nec iura, personas vel res aliquas in eisdem; nec dabunt nec concedent vllo vnquam tempore, in perpetuum, vel ad tempus aliqua de prædictis sub colore, conditione vel titulo quibuscumque.

24 Item quod prædictam Romanam ecclesiam, aut vos, seu successores vestros, vel officiales, ministros, vassallos, & subditos eorum non inquietabunt vel quomodolibet molestabunt in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, seu aliquo prædictorum; nec in casu etiam, quo Reges prædictorum regnorum, aut ministros, vassallos, & subditos eorundem in regnis prædictis, seu pro eis vel aliqua earum parte aliquatenus molestabunt; nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitutem, potestariam, capitaneatum, vel aliud officium quodcumque, quocumque nomine censeatur, accipient, aut per eos, vel alios exercebunt in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam quouis modo recipient, per se, alium, vel alios pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuscumque rebus vel iuribus in præmissis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in eorum vel aliquibus eorum pertinentijs constitutis; etiam si eis vel alicui eorum a quibuslibet cōmunitatibus, vel personis singularibus offerentur: nec etiam ius aliud qualecumque vendicabunt, acquirent, vel occupabunt, seu quomodolibet per se vel alium seu alios vsurpabunt, recipient, vel exercebunt, nec concedent etiam recipi vel haberi in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdē; & specialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris alijs, & territorijs, & locis expressis in prædictis literis dicti domini quondam Henrici Imperatoris.

Non locorum illius effecturos imperij.

25 Item damus prædictis procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis acceptandi. Quod si huiusmodi officiales nostri vel eorum aliquis super præmissis vel aliquo præmissorum, quæ in dictis articulis immediate præcedentibus continentur, molestauerint seu molestari fecerint Romanam ecclesiam, regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, loca, terras alias, & territoria supradicta, vel aliquod eorundem inuadendo, occupando, seu quomodolibet acquirendo illa, vel aliqua prædictorum, in toto vel in parte aliqua: vitta periurium, in quod incident, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant: & nisi infra duos menses ab attentatis destiterint, & ea omnia, in quibus offenderint, in pristinum statum reduxerint, pœnas priuationis priuilegiorum, quæ a Romana ecclesia vel alijs ecclesijs; & feudorum, quæ ab ecclesia Romana vel alijs ecclesijs tenent, & ab ipso imperio, incurrent.

Coercitū iri, si quid contra molitur.

Item damus prædictis procuratoribus nostris & eorum cuilibet in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, quod per prędictos officiales nostros per nos in Lombardiam vel Italiam mittendos, iurare faciemus, quod nullam iurisdictionem exercebunt in Roma, regnis, & terris ecclesiæ supradictia. Item damus dictis procuratoribus nostris, & eorum cuilibet in solidum, plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod omnes supradictas promissiones & iuramenta, & etiam infrascripta renouabimus, & iterum faciemus singulariter et expresse post approbationem personæ nostræ infra tridoum in persona propria, si præsentes fuerimus; si vero non, idem faciemus fieri per procuratores nostros, habentes ad hoc sufficiens et speciale mandatum. Item damus dictis procuratoribus nostris et cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice et nomine nostro et pro nobis promittendi, quod nihilominus post consecrationem et coronationem nostram imperialem infra dies octo, consecrationem et coronationem eandem immediate sequentes, pro firmitate maiori omnium prædictorum ipsa omnia et singula ratificabimus, et etiam renouabimus singulariter et expresse: et quod super præmissis omnibus et singulis, et qualibet vice de prædictis, iuxta præmissam distinctionem temporum, dabimus literas nostras quadruplicatas eiusdem tenoris patentes & sufficientes & sigillo, quo dictis vtemur temporibus, communitas.

26 Item damus dictis procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum plenam & liberam potestatem, & speciale mandatum in animam nostram iurandi, quod nullam promissionem, nullum pactum, nullumque iuramentum, nec aliquod aliud faciemus, per quod præmissis vel eorum alicui posset in aliquo quomodolibet derogari; & quod illi vel illis, ad hæc per sanctitatem vestram specialiter deputandis, & notarijs tanquam personis publicis pro nobis & pro Romana ecclesia & pro omnibus supra expressis, quocumque nomine censeantur, ac etiam pro omnibus alijs, quorum interest vel intererit, seu interesse poterit in futurum, recipientibus & solemniter stipulantibus promittemus, & super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iurabimus, præmissa omnia, & singula nos facturos, completuros, & nullo vnquam tempore per nos vel alios contra illa vel aliqua de illis quouis modo venturos. Et si, quod absit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquod, quod præmissis vel præmissorum alicui posset aliqualiter obuiare, vel nos vel alios ad aliquid secus agendum inducere, vel nobis occasionem agendi contra prædicta vel aliquod prædictorum quomodolibet ministrare, nihilominus illis nequaquam obstantibus, prædicta omnia complebimus, & inuiolabiliter obseruabimus, & ad ea complenda & inuiolabiliter obseruanda ex promissionibus & iuramentis præmissis semper nos volumus rema-

Promissa nulla ratione hoc tacianda, sacramento tenancit.

nere obligatos. Et ex nunc etiam attestamur & protestamur, nos velle & intelligere omnia præmissa & singula sic exclusa fore ab omnibus factis & faciendis, per quæ præmissis vel eorum alicui posset quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occasione nullo modo liceat licereue possit mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea vel aliqua de eisdem.

Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis bona fide promittendi, quod intrusos in ecclesijs infra prædictum regnum & imperium consistentibus, & qui eas contra Ius, libertatem, superioritatem, & auctoritatem ecclesiæ Romanæ detinent occupatas, vel eas detinuerint in futurum, si super hoc per sanctitatem vestram vel sedem Apostolicam fuerimus requisiti, expellemus ac pro posse expelli faciemus de illis; & prouisos per sedem Apostolicam iuuabimus & faciemus iuuari, vt ad ecclesias, quibus de eis per sedem Apostolicam prouisum est vel fuerit in futurum, realiter admittantur, suisque iuribus libere vti possint. Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi per nos bona, plena, & integra fide; & quantum in nobis erit procurabimus, quod principes & prælati, barones maiores de Alemannia iurabunt, & sub literis sigillis eorum sigillatis se obligabunt, quod si nos non seruauerimus promissa supradicta vel aliqua promissorum, quod nos non iuuabunt; sed contra nos erunt, & ecclesiam adiuuabunt. Item damus prædictis procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, principes prædictos ex nunc ab omni iuramento, quo essent nobis adstricti, vice & nomine nostro & pro nobis liberandi et absoluendi, et a fidelitate ex nunc prout ex tunc absoluendi in casu, in quo nos fecerimus cōtra ecclesiam, vel inuademus per nos vel alios Vrbem Romanam, regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, loca, terras alias, et territoria supradicta aut aliquod de eisdem.

Intrusos eiectū iri.

Principes Germanos in ipsum fœdi fragum arma versuros.

27 Item damus prædictis procuratoribus nostris, et eorundem cuilibet in solidum plenam potestatem, vt supra, vice et nomine nostro promittendi, quod circa terras, quas dominus Rex Siciliæ tenet extra terras, quas tenet ab ecclesia, faciemus quoad commutationem, donationem, confirmationem, seu alias, prout sanctitas vestra volet, et ipsi Regi erit gratum, quem intendimus tractare sicut consanguineum et affinem præcipuū. Item vice et nomine nostro et pro nobis promittendi, quod dicto domino Regi Siciliæ offeremus vnum nostrum filium vxorandum et gubernandum, prout vestræ sanctitati et ipsi Regi videbitur expedire. Item vice et nomine nostro et pro nobis promittendi, quod pro securitate fidelium ecclesiæ in Tuscia, in terris videlicet imperij, faciemus dictum dominum Regem Robertum vicarium nostrum in vita sua irreuocabiliter, si, quantum, et prout vestræ sanctitati placebit. Item vice et nomine nostro et pro nobis promittendi, quod cum prædicto domino Rege Siciliæ vnionem & confœderationem faciemus, prout vestra sanctitas duxerit ordinandum.

Cum Rege Siciliæ pontificio arbitrio lites compositū iri.

Eundem in Etruria imperij legatū fere nuncupatum.

Item damus prædictis procuratoribus nostris, et cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice et nomine nostro pro nobis consentiendi et promittendi, quod si in præmissis articulis vel aliquo eorundem aliquod esset ambiguum, dubium, vel incertum, declarationi, interpretationi, correctioni, et suppletioni, et ordinationi sanctitatis vestræ et domini summi Pontificis, qui pro tempore fuerit, stabimus cum effectū. Insuper damus & concedimus supradictis procuratoribus nostris omnibus, et cuilibet eorum in solidum plenam, meram, et liberam facultatem, auctoritatem, et speciale mandatum vice et nomine nostro et pro nobis coram sanctitate vestra, et vbicumque sanctitati vestræ placuerit vel visum fuerit expedire, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, annullationes, et reuocationes quascumque vel qualescumque superius expressas aut non expressas, concedendi et promittendi, faciendi et confirmandi, finiēdi et perficiendi securitates etiam et cautiones, firmitates, cautelas, et obligationes; nec non pœnitentias et pœnas, in prædictis articulis expressas aut non expressas, quascumque et qualescumque ex parte nostra exhibendi, offerendi, suscipiendi, faciendi, complendi, firmandi, et perficiendi: et etiam nos ad obseruationem omnium eorundem et singulorum, et vniuscuiusque ipsorum astringendi et obligandi: confœderationem insuper, ligam, concordiam, et vnionem cum magnifico principe Rege Roberto ad ordinationem et voluntatem sanctitatis vestræ et ex voluntate vestra faciendi, firmandi, complendi, perficiendi, et roborandi sub pactis, cautionibus, obligationibus, cautelis et firmitatibus quibuscumque: et cautiones, obligationes, pœnas, et cautelas similes ab eodem Rege nomine nostro recipiendi, et subscribendi suprascriptis omnibus articulis et singulis, et vnicuique ipsorum: addendi, supplendi, et adiungendi, ac ipsos et quemlibet ipsorum mutandi, corrigendi, et emendandi omnia et singula iuramenta, prout superius in articulis sunt conscripta; ac omnia et singula iuramenta per Imperatorem Henricum vltimum, et alios Reges et Imperatores Romanos præstita, & quæcumque alia iuramenta, quæ sanctitati vestræ præstanda videbuntur in quocumque casu seu casibus suprascriptis, vel alijs quibuscumque nomine & vice nostra in animam nostram iurandi, præstandi, & faciendi præmissa & omnia & singula & vnumquodq; ipsorum: & generaliter omnia & singula & quæcumq; alia dictum negotiū tāgentia, in toto vel in parte aliqua, aut quæcumq; seu qualibet sui parte, seu ex eo pendentia directe, vel indirecte, superius expressa & non expressa, faciendi, gerendi, exercendi acceptandi, offerendi, laudandi, iurandi, approbandi, complendi, ratificandi, finiendi, firmandi, perficiendi & effectum mandatum singulariter & expresse; etiam si maiora & grauiora existerent quam præmissa, & quæ nosmet facere possemus, si præsentes essemus in propria persona, etiam si mandatum qualecumque & quandocumque exigerent speciale.

Si quid oboriatur dubij interpretationem reseruandā Pontifici.

Consueta a veterib^9 Cæsarib^9 exigi sacramenta se nuncupaturum.

28 Promittimus insuper, quod prædictos nostros procuratores omnes vel aliquos vel aliquem ipsorum, pendente coram sanctitate vestra tractatu & negotio nostro prædicto, non reuocabimus; & si qua reuocatio verbis & factis vel literis apparebit, ipsam pro nulla & irrita haberi volumus, & eam præsētibus irritamus, reuocamus, & annullamus ita, quod in quemcumque casum aut euentum vigorem habere non possit, nec præmissis vel alicui præmissorum officere valeat, vel aliqualiter derogare. Insuper vt præmissa om-

Promittit cœptum tractatum ab oratoribus non abruptum iri.

omnia & singula & vnumquodque præmissorum per nos efficaciter compleantur, & inuiolabiliter obseruentur, promittimus bona fide, & nihilominus sub hypotheca & obligatione omnium bonorum, *& infra*, omnia & singula, quæ prædicti procuratores nostri vel eorum aliqui nomine & vice nostra fecerint, aut nos facturos promiserint, nos postquam assumpti fuerimus in Regem Romanorum, faciemus in propria persona coram sanctitate vestra, vel alias vbi & quando sanctitati vestræ videbitur expedire: nec non quod ipsa ac omnia & singula præmissa & quodlibet præmissorum de nouo muniemus, firmabimus, & approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, roborabimus nostris iuramentis & instrumentis publicis manu publicorum tabellionum confectis; nec non nostris literis & sigillis, et omni alia firmitate & firmitatibus ac modis, quibus melius valere poterunt et sanctitati vestræ videbitur expedire. Et ad maiorem omnium et singulorum roboris firmitatem iuramus super sancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, quod omnia et singula suprascripta et quęcumque alia, quæ in præmissis et quolibet præmissorum per prædictos procuratores nostros omnes, aliquos, vel aliquem ipsorum facta, gesta, promissa, ordinata, et obligata fuerint, tenebimus, adimplebimus cum omni efficacia et effectu, ac ea omnia et singula inuiolabiliter obseruabimus, et in contrarium per nos vel alium directe vel indirecte nunquam veniemus, etc. *Datum & actum Vlmæ anno Domini* MCCCXXXVI. *quinta die intrante martio, &c.*

Qui principes pro Lud. deprecatores accesserint.

a To. 2. ep. secr. 169. & 170.

Intercessere pro Ludouico apud Pontificem, vt ipsum in gratiam admitteret, Rupertus et Rudolphus Palatini Rheni comites: quibus Pontifex quanto desiderio Ludouicum in gremium ecclesiæ reuocati arderet, expressit huiusmodi sententijs a: *Nos etiam, qui tam sibi quam quibusuis alijs professoribus nominis Christiani salutis & quietis pandi aditum cupimus, vt reductio ipsa, cordi nobis existens admodum, ad Dei honorem & ecclesiæ suæ sanctæ fieri valeat, non omittimus laborare. Dat. Auin. XVII. kal. maij ann. II.*

Benedicti pro conciliando Lud. studia.

Resilit Lud. a cœptis.

Cum Anglo, fœdus init.

b Bed. tom. ep. secr. 182. Io. Vill. l. 11. c. 72. et 74. Tho. Vualsing. in Ypodigm. Neust. Alb. Argent. in chron. & alij.

a To. 2. ep. secr. 182.

29 Cum adeo egregie Pontifex ad conciliandum ecclesiæ Ludouicum Bauarum affectus esset, is repente ab Eduardo Angliæ Rege solicitatus, contra promissa sedi Apostolicæ facta, nullam se iniuriam Francorum Regi illaturum, eo tempore maxime, quo orientalem expeditionem ornabat, armorum fœdera vniuersæ rei Christianæ exitialia percussit b, cœptumque de reconciliatione sua tractatum disturbauit: quod Pontifex maximo dolore affectus eius oratoribus obiecit. Qui principis sui insperata inconstantia attoniti ad ipsum vt cœptis abducerent se conferre constituerunt. Benedictus vero grauissimas hasce literas c ei misit.

Benedicti ad Bauarum lit.

Magnifico viro Ludouico de Bauaria ad promerendam in præsenti gratiam, & in futuro gloriam, Deum diligere veraciter & timere.

Quamuis dilecti filij Henricus de Siffingen commendator domorum Vlmæ, et Vverdæ ordinis S. Mariæ Theutonicorum Constantiensis et Augustensis diœcesis., Eberhardus de Tummovve archidiaconus, Marquardus de Randegge canonicus Augustensis, et Vlricus Hosmairus de Augusta tui procuratores, et nuncij dudum ad sedem Apostolicam destinati, prudenter et diligenter circa prosecutionem negocij, pro quo missi fuerunt, apud nos duxerint sæpius insistendum; nos tamen alijs arduis negocijs ineuitabiliter occupati, præsertim propter aduentum charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Franciæ illustris ad præsentiam nostram, sicut te supponimus audiuisse, ac etiam quia ipsi nuncij nouiter exhibuerunt procuratoria, super quibus deliberandum erat cum fratribus; prosecutioni et expeditioni vsquequaque commode nequiuimus intendere negocij prælibati. Sed nuper expeditis certis vrgentibus, quæ præterire non poteramus negocijs, cum facta per nos de negotio tuo prædicto mentione in consistorio super eo intenderemus vacare, rumores ad nos superuenerunt infesti, quod tu cum quibusdam potentibus præfati Regis ac regni et deuotorum ipsius æmulis tractaueras seu inieras confœderationes et ligas. De quo mirati plurimum et turbati, cum, sicut in tuis nobis alias missis literis continetur, contrarium fieri et ordinari deberet, id eisdem tuis nuncijs, ac qualiter dictum negotium, nedum impediri, quinimmo subuerti poterat propter hoc, duximus exponendum.

Obiurgat illũ Pont. coniurasse in Phil. Regem.

Promissa violasse.

Dimissi eius oratores.

Et licet primo præfati nuncij, ex ijs non modicum stupefacti, ad te mittere specialem propterea nuncium cum suis literis ordinassent; postmodum tamen, deliberato melius et vtilius existere, quod ipsi personaliter ad te vadant, proficiscuntur de nostro beneplacito, tuam adituri præsentiam, ad nostram cum certis tam nobis, quam prælato Regi Franciæ responsionibus super ijs redituri. Quocirca prudentiæ tuæ paterno consilio suademus, quatenus memoratis nuncijs, quibus intentionem nostram super præmissis verbotenus expressimus, plenius intellectis, sic prudenter, te, actusque tuos & negocia cum omni semper in bono constantia dirigas, ordines, & disponas, quod via salutis tibi pateat, & inchoatum inde negocium, illius gratia suffragante qui gressus hominum dirigit, valeat sublatis impedimentis quibuslibet prosperari. *Datum Auinione* 11. *id maij anno* 11.

Posthabita a Lud. Pontificia monita.

Confutata Argentinensis mendacia

a Argen. in chron.

b To. 3. ep. secr. 190.

30 At Ludouicus posthabitis pontificijs monitis, cum Eduardo Angliæ Rege, vt referunt auctores, contra Philippum Regem Francorum fœdus adstrinxit. Ex allatis porro literis pontificijs refellas Albertum Argentinensem, dum cæteris fabellis hanc adijcit a, Benedictum gaudio exultasse, cum Philippum a Ludouico Bauaro lacessitum bello accepisset, quasi ab illo denũciata eade vetitus esset Ludouicum in ecclesiæ gratiam admittere: si enim Ludouicus Pontifici in re iustissima non paruit, non Philippus in crimen vocandus, sed accusanda alterius inconstantia est; quæ ex eo magis conspicua extitit, cum Ludouicus Rupertum patruum misisset inclinante anno, vt Pontifici sanctissime polliceretur b, Philippo Francorum Regi bellum se non illaturum, vel cum Eduardo Anglorum Rege armorum fœdus non initurum. De hac Ruperti comitis palatini legatione ad Benedictum decreta extant Ludouici Bauari literæ, quibus ipsum procuratorem ad plura grauissima tractanda instituit: neque enim sufficerant superiora, vt Ludouicus fidelium communioni restitueretur, cũ enim hæreseos crimine damnatus esset, conflasset schisma, hæresiarchas fouisset honoribus & studijs, aliaque plura contra rem catholicam ac pontificiam maiestatem patrasset, eierandi erant ij omnes errores, & crimina expianda Christiana pœnitentia.

Ludouicus itaque e suorum consilio Robertum comitem palatinum Rheni patruum & Vvil-

De quib' facinorib' a Ludouico petita sit venia.

lelmum comitem Iuliacensem procuratores instituit, vt cum doloris sensu profiterentur, Ludouicum ipsum iniuria Ioannem XXII. pontificio gradu deturbare conatum, ac pseudopontificem Corbariā intrusisse, assensisseq; vt bona ecclesiastica inuaderet, & consecrationes contra sacros canones celebraret: nunquam credidisse recte se in ijs egisse, sed peruerse: vltionis auiditate ea flagitia commisisse: non credidisse sententia sua Ioannem XXII. vere pontificatu deiectum, neque ab Imperatore posse exauctorari; damnatis hæreseos Vicecomitibus Mediolanensibus inique studuisse; Michaelem Cæsenatem & alios hæreticos pseudominoritas fouisse; hæreses tamen ipsorum damnare; constitutiones Ioannis XXII. de Christi paupertate conditas fidei consonas credere. precaretur veniā, si in prouocatione contra Ioannem XXII. diceretur ipsum iureiurando confirmasse, omnia in ea contenta vera esse, cum in ijs plura hæretica & blasphema contineantur: neque enim sacramento ea se firmasse, sed a Groildone notario per scelus id insinuatum, vt dissensionem accenderet; Marsilij e Padua & Ioannis e Ianduno hæreses aliasque se execrari: ecclesiastica interdicta vindictæ exercendæ cupiditate ductum, quamuis se male agere agnosceret, violari iussisse: imperialem titulum & inunctionem iniuste & male ab illo, qui nulla potestate polleret, Romæ accepisse: imperiale nomen deponere: infligendam pro expiandis ijs sceleribus mulctam admissurum; denique excusationes in extenuandis ijs allatas idoneas non arbitrari.

Postulata sacrorum vsus restitutio in Germ.

33 Data etiam Ruperto Palatino comiti et Vvillelmo Iuliacensi a Ludouico prouincia, vt supplices criminum veniam exorarent, ac deposcerent regio honori ipsum restitui: dissolui inflicta Germaniæ ecclesiastica interdicta, suarum partium sequaces absolui: sacramento se deuincirent ecclesiæ & Benedicti Papæ iussis ipsum pariturum: omnes hæreticos compressurum; ac præcipue Ioannem e Ianduno, Michaelem e Cæsena, si redire ad gremium ecclesiæ, & errores eiurare detrectarint, insectaturum. Sponderent expiandorum criminum causa expeditionem Asiaticam suscepturum, atque ad pontificiam voluntatem in hostes crucis bellum gesturum: tum alias infligendas pœnas libenter suscepturum. De quibus omnibus conceptæ sunt subiecta forma verborum Ludouici literæ a.

a Ext. in arce S. Angeli & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 332. & inter coll. Plat. to. 2. pag. 149. & reperta in arch. in fer. Aun. An. 1594. sign. n. 90. & n. 138. in charta perg.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Benedicto diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus filius suus deuotus cum sui & regni Romani recommendatione deuota pedum oscula beatorum.

Decreta a Lud. Bau. noua legatio.

Palatinus Rheni & Iuliac. comes procuratores instituti.

Nouerit sanctitas vestra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia, & sinceritate illustrium virorum Vvillelmi comitis Iuliacensis principis & affinis nostri, Roberti comitis Palatini Rheni & ducis Bauariæ principis & patrui nostri, secretariorum nostrorum specialium & fidelium dilectorum, mandatum nostrum sponte recipientium in præsentia notariorum publicorum, & testium infrascriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum fecimus & constituimus, & per præsentes nostras literas facimus & constituimus, creamus & ordinamus modis omnibus, quibus melius de iure facere possumus & valemus nostros veros, certos, & legitimos procuratores, ambasiatores, negotiorum gestores, & nuncios speciales ac quocumque alio nomine melius dici et nuncupari possint, dantes et concedentes in his scriptis eis et cuilibet eorum in solidum ita, quod non sit melior conditio occupantis; sed quod vnus vel alter ipsorum incœperit, alius prosequi valeat et finire vice et nomine nostro, et pro nobis coram sanctitate vestra et sacro collegio dominorum Cardinalium, et vbicumque sanctitati vestræ placuerit vel visum fuerit expedire plenam, meram, et liberam potestatem, facultatem, auctoritatem, et speciale mandatum. Primo ad recognoscendum et confitendum, nos consensisse, suffragium præstitisse, et non impediuisse; sed verius ad hoc operam dedisse, quod Petrus de Corbaria efficeretur antipapa et actus faceret Papæ: et quod felicis recordationis dominus Papa Ioannes, de facto papatu priuaretur et priuatus denuntiaretur.

Petita venia de cōflato schismate.

Item quod consensimus et permisimus, quod dictus antipapa consecraretur, seu verius execraretur, consecrationes seu verius execrationes faceret, et de bonis ecclesiarum pro suæ libitu voluntatis ordinaret, quod eius ministri, officiales, et sequaces sua officia exercerent; item quod ex his schisma in ecclesia Dei et multi errores secuti existunt: et super his vice et nomine nostro et pro nobis nos excusandi. Primo quod nunquam credidimus neque credimus ipsum Petrum de Corbaria fuisse Papam, sed antipapam. Item quod permisimus, et consequenter mandauimus eum pro tali haberi et honorari ex eo, quia dominus Papa Ioannes alium in Imperatorem eligi, vt dicebatur, procurabat et nos suis sententijs et processibus deponere conabatur. Item quod quidam ista fieri procurabant, qui discordiam talem affectabant, et dicebant hoc populo Romano licere et Imperatori, et instrumentis antiquis et auctoritatibus diuersis comprobabant. Item quod nos, cum Petrus de Corbaria in antipapam fuisset institutus, ignorabamus determinationem ecclesiæ fuisse factam, quod hæreticum esset & hæresim saperet, Imperatorem Papam deponere & alium facere. Item quod de prædictis consecrationibus, seu verius execrationibus dolemus, & quod multum nobis placet vt puniantur, qui prædicta fecerint, nisi ad gratiam ecclesiæ redire velint vna nobiscum; & quod tunc similiter puniantur, vt vestræ videbitur sanctitati. Item quod nunquam credidimus neque credimus, nos bene facere aut fecisse in prædictis, sed male & peruerse. Item quod illa fieri permisimus, vt redderemus malum pro malo, vt sicut dictus dominus Ioannes Papa priuabat, etiam priuaretur; & sicut alium Regem Romanorum constitui procurabat, etiam alius Papa de facto cōstitueretur; & cum iniuriæ per eius officiales dicerentur, etiam iniuriæ audirentur. Item quod non credebamus, nos in prædictis bene, sed male fecisse; nec credebamus dictum dominum Ioannem Papam fore depositum, nec alium vere creatum: sed dicto & facto sic simulate faciebamus & dicebamus, sicut de facto contra nos procedebatur, prout multi sapientes iudicant & iudicabant. Item quod nunquam credidimus neque credimus, quod neque ad Imperatorem, neque ad Romanorum Regem, nec ad Romanum populum spectet Papam deponere, & alium creare; & ideo actus illos reprobamus. Item quod ciues Romani diuersarum conditionum ad huiuscemodi consensum præstandum per diuersas vias & modos nos indu-

Adiecta excusatio.

Fatetur se peccasse ex ignorātia.

Vltionis libidine actū fuisse.

Papam a Cæsare vel populo non posse exauctorari profitetur.

duxerunt, quorũ fauore nos indigebamus, & eorum propterea voluntati consensimus, simulata tamen, vt in prosecutione positi possemus transire tempus nostrum; licet nos crederemus & credimus male facere in prædictis.

32 Item quod extra omnem spem concordiæ cum domino Papa Ioanne & ecclesia, vt nobis videbatur, positi hæc fieri permisimus, quia inuite & nullo modo eadem vel similia alias contra ipsum & ecclesiam fecissemus. Item ad confitendum vice & nomine nostro et pro nobis, quod fauimus Galeatio de Vicecomitibus et fratribus suis de Mediolano et eorum complicibus, condemnatis tunc, vt dicebatur, de hæresi vel de fautoria hæresis, et super his vice et nomine nostro & pro nobis excusandi primo, quod errores præfatorum Vicecomitum nunquam sciuimus, nec adhuc scimus, nec vellemus ipsis vel aliquibus alijs fauisse vel fauere in aliquo errore contra fidem nec fauimus; sed ipsos vt fideles nostros & subditos tractauimus, & eos in dominio ciuitatis Mediolanensis sustinuimus ad tẽpus, & ipsis egentibus etiã pecunia subuenimus, vt in dominio dictę ciuitatis Mediolanensis, & per consequens totius Lombardiæ quietius remanere possemus. Item ad confitendum vice & nomine nostro, quod nobiscum tenuimus fratres Minores rebelles ecclesiæ, videlicet fratrem Michaelem de Cæsena, fratrem Franciscum de Marchia, fratrem Guilielmum, fratrem Bonamgratiam, fratrem Henricum de Chalem, & aliquos eorum socios & sequaces; & quod nos consensimus appellationibus eorundem fratrum contra dominum Ioannem Papam prædictum, & vice & nomine nostro & pro nobis excusandi nos in supradicto articulo: nec non super eo, quod nobis imponitur, quod eis fauimus in eorum opinionibus & in eorum prædicationibus factis & dictis contra fidem & ecclesiæ determinationem. Primo quod protestati fumus publice & expresse, quod si in eorum appellationibus aliquid poneretur, quod esset contra fidem vel ecclesiæ determinationem, quod illorum dictis non consentiebamus; sed solum ijs, quæ ad iurisdictionem temporalem & ad nostri iuris saluationem spectabant. Item quod expresse eis diximus, quod de ipsorum opinionibus de paupertate Christi vel alijs, in quantum essent contra fidem catholicam, nolebamus nos immiscere nec intromittere, quia semper credidimus & credimus & credere intendimus circa articulos fidei & ecclesiæ determinationes, tam circa paupertatem Christi quam circa alia, quod credidit & credit dominus Papa Ioannes & sacrum collegium dominorum Cardinalium & sanctæ Romanæ ecclesiæ.

33 Item quod sicut miles scripturarum & literarum subtilitatum ignari, quia dicebantur meliores magistri theologiæ & fratres religiosi, non credentes nos aliquid contra fidem facere, appellationi eorum consensimus, et sibi adhærebamus; et ipsam pro defensione nostra, et iurium nostrorum et imperij interposuimus. Item quod nec ex tunc nec ex nunc consentiebamus nec credebamus, nec consentimus nec credimus dictis et opinionibus eorum, nisi in quantum essent et sunt conformia fidei catholicæ, et determinationi ecclesiæ. Item quod ipsos tenuimus, vt eos loco et tempore ad gremium ecclesiæ vna nobiscum reduceremus; ita quod ipsos tenuimus vt rebelles, et inimicos inimici nostri sanctissimi domini Papæ Ioannis, et vt de facto respondeterat, sicut multa de facto contra nos opponebantur, vt nobis videbatur. Item quod ipsos recepimus sub dominio nostro, quia clerici boni et magistri literati dicebantur. Item quod multa dicebant pro iure nostro seruando, et iuribus imperij conseruandis quibus, in quantum ius imperij tangebant, sicut miles et laicus credebamus. Item vt cum supradictis literaris nos possemus contra literatos defensare in iuribus nostris et imperij. Item quod ipsorum prædicationes, diffamationes, et blasphemias, in quantum erant contra fidem et ecclesiæ determinationem et contra bonos mores, non probamus nec approbamus, sed reprobamus et reprobare intendimus: sed huiusmodi prædicationes approbauimus, in quantum iura imperij et honorem nostrum tangebant. Item ad confitendũ vice et nomine nostro et pro nobis, quod constitutionem, *Cum inter nonnullos*, de paupertate Christi loquentem, credimus fore veram et catholicam; et quod articulos, videlicet redemptorem nostrum et dominum Iesum Christum, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec etiam in communi; rursus quod Redemptori nostro præfato eiusque Apostolis in his, quæ eos habuisse sacra scriptura testatur, nequaquam ipsis ius vtendi seu consumendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi ius habuerint; credimus fore iuste et rite per ecclesiam damnatos ibidem: quos etiam nos sicut bonus et fidelis Christianus damnamus, anathematizamus, damnabimus et anathematizabimus.

Item ad confitendum vice et nomine nostro et pro nobis, quod in appellatione, quam fecimus contra quondam dominum Papam Ioannem continetur, quod iurauimus omnia ibi contenta vera esse; cum tamen multa ibidem hæretica et per ecclesiam damnata contineri dicantur circa paupertatem Christi et Apostolorum, multæ etiam blasphemiæ: & super his nos excusandi primo, quod nos expresse excepimus et diximus, cum dicta appellatio coram nobis facta fuit, quod de opinionibus fratrum Minorum de paupertate Christi, et de ecclesiæ determinationibus non immiscere seu intromittere minime intendebamus; sed de his dumtaxat, quæ ius nostrum et imperij tangebant. Item quod nos nunquam iurauimus, licet hoc esset scriptum in appellatione. Item quod reperitur, quod notarius, qui hoc fecit, scilicet Vlricus Geildronis malitiose et in vindictam contra nos, dicendo se per nos non fuisse læsum, istam appellationem de consilio aliquorum, volentium talem diuisionem seminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit: et hoc confessus est in morte, vt a pluribus asseritur. Item quod illa non credimus, neque credimus fore vera, in quantum sunt contra fidem et ecclesiæ determinationem: nec subtilitates ibidem contentas, nec illos articulos intelleximus, cum tales et talium ignari existamus. Item quod de blasphemijs et falsis ibidem positis dolemus, quod ibi posita fuerunt et publicata. Item ad confitendum vice et nomine nostro et pro nobis, quod Marsilium de Padua et Ioannem de Ianduno, per ecclesiam damnatos, nobiscum tenuimus: & super hoc vice et nomine nostro nos excusandi, primo quod ipsos tenuimus, quia boni clerici erant, & de iuribus imperij se multa scire dicebant, vt supra dictum est de fratribus Minoribus. Item quod expresse diximus, quod de eorum opinionibus et scripturis nolebamus nos intromittere, in quantum essent contra fidem et ec-

Margin notes (left): Desperata cũ Ioãne reconciliatione, in eum furorem effudisse. — Excusat se de impensa ope Galeatio. — Prædictis ex politica arte. — De acceptis in clientelã pseudominoritis veniam poscit. — Nõ assensisse eo hæresib. — Profitetur se credere circa Christi paupertaté quæ credit ecclesia. — Ex politico dolo eisdem fauisse.

Margin notes (right): Vsum eorum calamo & ingenio, sed hæresim execrari. — Constitutionem, Cum inter, veram & catholicam profitetur. — Appellatione contra Ioanné damnat. — Noluisse pseudominoritarũ hæresi implicare se. — Scriniariũ sua improbitate hæresis interseruisse. — Illam a se eiurari. — Excusat se de acceptis Marsilij & Ianduni hæresiarcharum patrocinio.

ecclesiæ determinationem : sed si aliqua dicerent vel scirent, quæ essent pro defensione iuris imperij, illis volebamus vti. Item quod ipsorum erroribus nunquam credidimus, neque credimus. Item quod nobiscum tenuimus, vt ipsos vna nobiscum ad gratiam ecclesiæ reduceremus. Item quod non credidimus, neque credimus, nos bene fecisse ipsos retinendo, fauorem ipsis præstando, ipsosque et eorum sequaces prædicare contra dominum Papam Ioannem permittendo: simulabamus tamen multa & permittebamus, vt clericis & intelligentibus de facto responderetur, sicut de facto contra nos, vt nobis videbatur, procedebatur: nec credidimus, neque credimus nos bene fecisse in præmissis, sed male.

Sceltus dā nat.

34 Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod errores infrascriptos dogmatizatos per Ioannem de Ianduno & Marsilium de Padua suprascriptos, videlicet primo quod illud, quod de Christo in euangelio B. Matthæi legitur, quod ipse soluit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis illis, qui petebant didrachma iussit dari, hoc fecit non condescensiue ex liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus: secundo, quod B. Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuerit, quam alij Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput; quodque Christus nullum caput dimisit ecclesiæ, nec aliquem vicarium suum fecit; tertio, quod ad Imperatorem spectat Papam instituere & destituere, ac punire; quarto, quod omnes sacerdotes siue sit Papa, siue sint archiepiscopi, siue episcopi, siue simplices sacerdotes, sunt ab institutione Christi auctoritatis & iurisdictionis æqualis; & si vnus habet plus quam alius, hoc est secundum quod Imperator concedit vni vel alijs plus vel minus, & sicut tunc concessit alicui, sic potest etiam illud reuocare; quinto, quod tota ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiua, nisi Imperator super hoc auctoritatem sibi daret; credimus fore vere & recte damnatos: quos & nos tanquam bonus Christianus damnamus, & anathematizamus.

Quinque eorum hæreses execratione defigit.

35 Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod interdicta non permisimus seruari in multis terris & locis; & quod plures ecclesias & ecclesiasticas personas permisimus grauari, & violare interdictum multotiens multos coegimus tam seculares quam regulares. Item vice & nomine nostro & pro nobis super hoc nos excusandi, quod ista fecimus & fieri permisimus propter causas prædictas, & quia propter magnam guerram aliud cōmode facere non poteramus, & vt de facto ageremus, sicut de facto contra nos, vt nobis videbatur, procedebant; & vt populum contra nos non concitaremus, sed ipsorum murmurationem deprimeremus. Item quod ista fecimus volentes tempus nostrum transire reddendo malum pro malo, licet crederemus nos malefacere. Item ad confitendum vice & nomine nostro, quod multos intrusimus in ecclesijs, vel fauorem ad hoc dedimus, & prouisos per ecclesiam impediuimus seu impediri fecimus.

Veniam postulat de prophanatis sacris.

Id ex politica arte factum.

Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod cum excommunicatis participauimus, & cum eisdem in locis etiam interdictis missas & alia diuina officia audiuimus & celebrari fecimus, & multos celebrare coegimus; nec non in vrbe Romana & in pluribus alijs terris ecclesiæ diuina accepimus, & per nos & per alios exercuimus. Item vice & nomine nostro & pro nobis super his excusari, quod hoc fecimus tum propter causas prædictas, tum etiam vt magis nos in statu nostro firmaremus; licet nos crederemus male facere. Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, nos assumpsisse titulum imperialem & vnctionem in Roma per uersæ, male, & iniuste, & a potestatem non habente. Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod credidimus, quod ad summū Pōtificem spectat hoc facere, & ad nullum alium; & quod simulabamus nos benefacere, huiusmodi titulum assumendo & tenendo propter magna pericula, quæ nobis imminebant in statu & persona. Item dictis nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum damus ex certa scientia plenam, meram, et liberam potestatem, auctoritatem, & speciale mandatum ad renunciandum, dimittendum, et totaliter deponendum vice et nomine nostro et pro nobis titulum imperialem Romæ per nos receptum, et quo vtimur, et hactenus vsi sumus; ac ad promittendum, & in animam nostram iuramento præstando firmandum, quod titulo prædicto Romæ per nos recepto vlterius non vtemur. Item ad promittendum vice et nomine nostro et pro nobis, quod super omnibus prædictis excessibus, et quibuslibet alijs ista tangentibus, faciemus confessionem plenam propria in persona petemus humiliter veniam, ac offeremus et suscipiemus emendam. Item ad confitendum nihilominus quod prædictas excusationes non reputamus sufficientes: et ideo volumus, vt dicti procuratores & vnusquisque eorum sanctitati vestræ vice & nomine nostro pro venia & absolutione supplicent per nos commissorum. Item ad supplicandum vice & nomine nostro & pro nobis pro absolutione, & pro nostra assumptione, & in integrum restitutione ad famam, honorem, & statum; & interdictorum in Alemanniæ partibus remotione, & singularium personarum absolutione.

Fatetur male imperialia ornaméta Romæ accepisse.

Imperiale nomen Romæ acceptum ponit.

Spondet sacra exhomologesi superiora omnia scelera se expiaturum. Excusationes memoratas integre non valere, fatetur.

36 Item supradictis nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum, vt supra, damus & concedimus plenam, meram, & liberam potestatem, facultatem, auctoritatem, & speciale mandatum ad iurandum in animam nostram de parendo mandatis ecclesiæ atque vestris super omnibus & singulis supradictis. Item ad iuramentum & iuramenta præstandum, prædicta vel similia nunquam facturos; & quod vniuersos & singulos hæreticos & schismaticos per ecclesiam denotatos, vel denotandos extirpabimus, & specialiter supradictos Ioannem de Ianduno, Marsilium de Padua, fratrem Michaelem de Cæsena, fratrem Guillelmum Ocham, fratrem Bonamgratiam, fratrem Henricum de Chalem, & omnes alios eorum socios & sequaces, si ad vnitatem ecclesiæ redire noluerint; nec non quod omnem hæresim & schisma detestabimur et detestamur, et pro viribus exterminabimus toto posse. Item ad promittendum et offerendum vice et nomine nostro et pro nobis, et ad obligandum nos et nostra, quod nomine satisfactionis, pœnæ, et emendæ ac pœnitentiæ per nos commissorum effectualiter assumemus passagium vltramarinum, prout vestræ sanctitati videbitur expedire; et quod ibi manebimus quantum vestra sanctitas duxerit ordinandum. Item ad promittendum vice & nomine nostro, quod pro dicto passagio adimplendo exponemus personam & bona, & nostros amicos requiremus, prout qualitas negotij exigit & requirit. Item ad promittendum vice & nomine nostro & pro nobis, nos ecclesias & monasteria

Deprecatur vt pristinis restituatur in ribus.

Promittit insectaturum se hæreticos, quos fouit ni resipiscant pollicetur.

Schisma & quamuis hæresim execratur.

Pro expiādo scelere expeditionem in Palæstinā spondet.

ædi-

ædificaturos, prout vestra sanctitas ordinabit.
Et alia pia opera. Item ad promittendum vice & nomine nostro; quod eleemosynas & peregrinationes faciemus iuxta vestræ sanctitatis mandatum & ordinationem, Item quod suscipiemus & perficiemus pœnitentias alias quascumque atque pœnas, quas vestra sanctitas pro dictis excessibus nobis duxerit iniungendas.

37 Damus insuper prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum, vt supra, plenam, meram, & liberam potestatem, auctoritatem, & speciale mandatum, vice & nomine nostro & pro nobis confessiones, excusationes, anathematizationes, & supplicationes, prout in supradictis articulis continetur, faciendi: emendas quoque offerendi & acceptandi super omnibus & singulis supradictis excessibus, & quibuscumque dependentibus ab eisdem; & de ipsis adimplendis nos obligandi sub pœnis & pactionibus & cautionibus quibuscumque; absolutionem etiam, gratiam, veniam, & misericordiam petendi super omnibus & singulis sententijs iuris vel hominis, quas incurrimus propter præmissa vel aliquod præmissorum, siue huiusmodi sententiæ promulgatæ per felicis recordationis dominum Papam Ioannem XXII. prædecessorem vestrum, siue per legatum vel legatos eiusdem, siue per inquisitores hæreticæ prauitatis, seu per loci vel locorum ordinarios qualescumque: nec non supplicandi pro abolitione omnis effectus processuum & sententiarum prædictarum: supplicandi insuper pro assumptione nostra & in integrum restitutione ad famam, honorem, & statum pristinum, nec non assumptione nostra in Regem Romanorum, & approbatione personæ nostræ, ad imperialem dignitatem postmodum promouendæ: iuramenta etiam siue de stando & parendo mandatis ecclesiæ, siue de vlterius præmissa vel similia fore facta excessus vel delicta non committendo, siue qualibet alia iuramenta, de quibus supra fit mentio, & quæcumque alia propter præmissa obtinenda in animam nostram præstandi, & iurandi articulis suprascriptis omnibus & singulis & vnicuique ipsorum addendi, supplendi, & adiungendi, ac ipsos mutandi, corrigendi, & emendandi: supplicandi insuper pro remotione vel saltem suspensione interdictorum in ciuitatibus & terris nobis adhærentibus, & pro nobis in interdicto existentibus: necnon pro absolutione excommunicationis & irregularitatis singularium personarum clericorum, in quocumque statu existant, ac laicorum, & pro ipsorum in integrum restitutione, & sufficienti dispensatione: præmissa etiam omnia & singula & vnumquodque ipsorum, ac generaliter omnia & singula, & quæcumque alia dictum negotium tangentia vel expedientia, superius expressa vel non expressa, etiam si grauiora vel eo maiora existerent quam præmissa, faciendi, firmandi, finiendi, & perficiendi, & effectui mandandi singulariter & expresse, & quæ nosmet facere possemus, si præsentes essemus in propria persona, etiamsi mandatum quantumcumque exigant speciale.

Ad seruanda promissa multis cautionibus se obstringit.

Deprecatur vt iuri regio restituatur.

Censurarũ nexu soluatur.

38 Promittimus insuper, quod prædictos nostros procuratores ambos vel alterum eorum, pendente coram vestra sanctitate tractatu & negotio nostro prædicto, non reuocabimus: & si qua reuocatio verbis, factis, vel literis appareret, ipsam pro nulla & irrita haberi volumus, & etiam eam præsentibus irritamus, reuocamus, & annullamus ita, quod in quemcumque casum viggeret habere

Oratores imperfecta re se nõ reuocaturum pollicetur.

non posse, nec præmissa vel alicui præmissorum officere valeat vel aliqualiter derogare. Promittimus insuper bona fide, & nihilominus sub hypotheca & obligatione omnium rerum & bonorum nos et bona nostra omnia (notarijs infrascriptis recipientibus et stipulãtibus legitime vice et nomine sãctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti Papæ XII. prædictis, ac vice et nomine sanctæ Romanæ ecclesiæ, et omnium et singulorum, quorum interest vel interesse poterit) in futurum obligamus, quod omnia et singula, quæ in præmissis et circa præmissa aut quodcumque præmissorum per prædictos procuratores et ambasiatores nostros ambos vel alterum eorum confessa, excusata, damnata, anathematizata, reprobata, promissa, iurata, oblata, suscepta, concessa, firmata, approbata, et supplicata, seu quomodolibet ordinata et tractata fuerint, rata, firma, placita, accepta, et grata perpetuo habebimus, et ex nunc prout ex tunc habemus; et contra ipsa vel ipsorum aliquod nullo vnquam tempore veniemus, vel faciemus per nos vel alios verbis vel factis, directe vel indirecte, tacite vel expresse: et quod easdem confessiones, excusationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promissiones, iuramenta, obligationes, firmitates, et approbationes omnes et singulas faciemus in persona propria coram sanctitate vestra, vel alias vbi, et quando sanctitati vestræ videbitur expedire; nec non ipsas confessiones, excusationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promissiones, oblationes, et approbationes omnes et singulas; nec non omnia et singula iuramenta, et omnia alia et singula, et vnumquodque præmissorum de nouo muniemus, firmabimus, et approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, et roborabimus nostris iuramentis et instrumentis publicis manu tabellionum; nec non literis & sigillis, & omni alia firmitate & firmitatibus, ac modis alijs, quibus melius valere poterunt, & vestræ placuerit sanctitati, &c. [Nonnullis interiectis, quibus data prioribus procuratoribus mandata firmat, subijcit]:

Et ad maiorem omnium & singulorum roboris firmitatem iuramus super sancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, omnia & singula suprascripta & quæcumque alia in præmissis & quolibet præmissorum, per prædictos procuratores nostros omnes, aliquos, vel aliquem ipsorum facta, gesta, acta, aut etiam promissa, ordinata, & obligata fuerunt, tenebimus & adimplebimus omni efficacia & effectu; ac ea omnia & singula inuiolabiliter obseruabimus, & in contrariũ per nos vel alium directe vel indirecte nunquam veniemus. In quorum omnium testimonium & roboris firmitatem præsentes literas & procuratoria per discretos viros Fredericum de Ratispona rectorem ecclesiæ in Vvolfratzusen diœcesis Frisingensis, & Herdegnum quondam Chunradi clericum diœcesis Bambergensis publicos notarios infrascriptos publicari mandauimus, & sigilli nostri, quo vtimur, & hactenus vsi fuimus, appensione muniri. *Dat. & actum in oppido nostro Nuremberg. XXVIII. die mensis octobris anno Domini MCCCXXXVI. præsentibus nobilibus & spectabilibus viris Ludouico duce de Teeke, Bertoldo de Niffen comite, &c.* Dedit tertias literas ad Benedictum pro recuperanda ecclesiæ gratia Ludouicus Bauarus, tertio die mensis decembris huius anni consignatas, quas Octauius

Confirmata sacramento superiora.

Aqua-

Aquauiua Cardinale gerente Auenionensem legatinnem in tabulario Auenionensi repertæ Romemque dein deportatæ fuerunt a.

a Reperta in arch. Auen. ann. 1594. nu. 412.

39 Sollicitatus vero est Philippus Francorum Rex a nepte sua Ludouici Banari vxore, vt cum illius viro arctissimum fœdus faceret, illudque affinitatum nexu confirmaret. Cui ea de re sedem Apostolicam consulenti, (quippe impendeate bello Anglico ineundum fœdus Germanicum videbatur) ita respondit Benedictus. b

Consulit Gallus Rex Benedictum de iungendo fœdere cum Ludouico.

b Tom. 2. ep. secr. 315.

Benedictus, &c. Regi Francorum.

Cum fiducia requirenti consilium tenore præsentium respondemus, quod si Ludouicum prædictum ad vnitatem redire contingat ecclesiæ, ac a pœnis & sententijs, quibus ligatus existere noscitur liberari, te eum ipso, præsertim cum affinitate & nati sui tibi nexu sanguinis coniungatur, ligas & confœderationes veræ ac charitatiuæ amicitiæ cum mentis sinceritate inire ac facere expediens crederemus, sed ante reconciliationem & obtentam absolutionem huiusmodi propter honorem ac reuerentiam ecclesiæ, ac sententiarum & pœnarum prædictarum periculum, quæ adhærentes, valitores, consiliarios, adiutores, receptatores, fautores, & sequaces quoslibet Ludouici præfati, ac eum Regem vel Imperatorem seu ducem Bauariæ nominantes sciens et, vel ipsum pro tali habentes apprehendunt, nullatenus esset tutũ.

Respondet Pont. iungendũ sed non antequam concilietur ecclesiæ.

Rursus si eundem Ludouicum mori contingeret sic ligatum, natis prædictis ipsius non modicum periculum immineret: constat enim quod contra ipsum priuationis ducatus Bauariæ, ac omnium terrarum, feudorum, bonorum, & honorum, quæ obtinebat ab ecclesia vel imperio, præter diuersas pœnas alias graues & periculosas iamdudum fuerunt sententiæ promulgatæ, quas futurus Rex vel Imperator Romanorum exequeretur, vt verisimiliter potest opinari, libenter: sicque nati prædicti non sine regijs oneribus, cum tibi proxima iungantur, vt præfertur, sanguinis linea, bonis hereditarijs frustrati & vacui remanerẽt.

Præterea cum innumerabiles tam principum & magnatum, quam aliarum diuersarum conditionum personæ partium Alemanniæ propter fauorem & adhæsionem dicti Ludouici, pœnis & sententijs supradictis ligatæ, grauibus tam animarum quam statuum subiacere periculis dignoscantur. si eorum debito & conuenienti modo interueniret reconciliatio, salubris in hac parte animabus eisdem, quæ faucibus dæmonum deuorandæ sunt expositæ, portus non absque magnis meritis aperiretur salutis, & pericula circa status eorum grandia tollerentur: quæ quidem reconciliatio ad Dei & ecclesiæ, tuumque regium honorem sine consensu & admissione principum & magnatum ipsorum, et illorum maxime quibus ius in electione Regis Romanorum in Imperatorem promouendi competit, ad tractatum huiusmodi posse commode fieri non videtur. Ipsos equidem, qui a præfatis pœnis et sententijs liberari et absolui non immerito desiderant, multum videtur reconciliationis negotium tangere supradictæ: qui si ad eam et tractatum non admitterentur ipsius, forsan contra nos et ecclesiam, ac te præfatumque Ludouicum clamoris, turbationis, et commotionis occasionem haberent; et, quod esset periculosius, velut desperationis compressi laqueis materiam, quod Deus auertat, assumerent horrendi et damnandi schismatis suscitandi: quamobrem reconciliationem eandem cum eorum consensu eisque prout decenter et vtiliter fieri poterit, ad illius tractatum admissis, fieri posse vtilius; item quod ageretur ante omnia specialiter et expresse, vt nulla liga vel confœderatio cum aliquo vel aliquibus per eundem Ludouicum dictosque principes et magnates fieret, aut quæuis attentaretur nouitas contra te vel regnum tuum dictæ reconciliationis durante tractatu: et si quæ factæ quomodolibet existerent, illas deberent penitus reuocare, sicque non esset pro tunc nec etiam postea; cum confœderationes et ligæ veræ amicitiæ inter te ac præfatum Ludouicum prædictosque principes et magnates concordatæ ac firmatæ in eodem tractatu existerent, prouenturum vel illaturum de illis partibus tibi vel eidem regno periculum formidandum.

Vna cum Lud. reliquos Germanos reconciliandos.

Addita lex, vt nulla cum hostibus Gallici nominis societas fiat.

Ideoque, fili charissime, si his, quæ præmisimus; et alijs tibi occurrentibus circa hæc adductis in exactæ considerationis examen, sit grata hæc via tuæ celsitudini, nobis quantocius, vt Ludouico præfato scribere inde opportune possimus, significare procures. Verum nobis videtur, fili amantissime, quod tam super reconciliatione prædicta, quam ligis confœderationis & amicitiæ, vt præmittitur, ineundis melius, honorabilius, plenius, & efficacius tractari possit negotium, sicut expressum est superius, apud sedem Apostolicam & firmari cum tuis & charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris auunculi tui, quem negotium dictæ reconciliationis non parum tangere noscitur, nuntijs suo loco & tempore propter hoc ad nostram præsentiam euocandis. *Dat. Auin. IX. kal. decembris anno II.* Conciliandus fuisset ecclesiæ Ludouicus Bauarus nisi superiora infregisset sacramenta, seque a perficienda adeo optata atque rei Christianæ necessaria reconciliatione reddidisset (vt loquitur Benedictus) a *suis peccatis & delictis exigentibus alienum.* Attulit Christianæ rei vniuersæ exitium illa Ludouici a susceptis suæ conuersionis consilijs defectio, tantumque abfuit a comparanda in Asiam pro expiandis culpis, quam pollicebatur, expeditione, vt Philippum illam adornantem disturbarie.

Violata periuria Lud. Bau. promissio.

a To. 3. ep. secr. 307.

Philippi Regis expeditio disturbata.

40 Suspensa interea occidentalium cruce signatorum exercitus auxiliaris expectatione, Armenia euastabatur a soldano Babylonio, qui intentatas sibi inanes minas ferro incendijsque vlciscebatur. Cuius cladis fama tristi accepta Pontifex, Reginam Constantiam mulcendi doloris gratia ad locandas in Deo spes erexit b, nec sedis Apostolicæ studia defutura est pollicitus.

Vastata Armenia.

b To. 2. ep. secr. 173.

Charissimæ in Christo filiæ Constantiæ Reginæ Armeniæ illustri.

Rumores infesti, qui de inuasione hostili regni Armeniæ, ac Christicolarum in eo degentium iis præteritis temporibus, per inimicos Christianæ fidei attentata, varijsque iniurijs & damnis ibidem illatis, ad sedem peruenerunt Apostolicam, cor nostrum repleuerunt amaritudine, mentemque nostram ingentis compassionis aculeo, cum charissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armeniæ illustrem virum tuum, & te, filia charissima, dictumque regnum & Christicolas illarum partium paternæ dilectionis prosequamur affectibus, tetigerunt. Sane quia speramus in Domino, qui sperantes in se non deserit, sed potius oppressis pie subuenit, consolationem tribuit, & mœrentes erigit sospitate, quod hostium depressa potentia & humiliata superbia, præfato Regi, suisque regno & fidelibus regnicolis,

Condolet eius cladibus Pont.

lis, si spe firma concepta fortes & stabiles in devotione Dei, orthodoxæque firmitate fidei, vt confidimus permanserint, prouidere de salubri & votiuo remedio non tardabit; serenitatem tuam rogamus in Domino attentius & hortamur, quatenus consideranter attendens, quod virtus in infirmitate perficitur, & perseuerantia, cui soli corona inter alias virtutes currentes ad brauium promittitur, in aduersitatibus clarius comprobatur, super eis, cum occurrunt, in Domino consoleris; certam de nobis fiduciam habitura, quod tibi, sicut cum Deo poterimus super tuis opportunitatibus assistemus; nec laborare, quantum decuerit & commode fieri poterit, vt Regi, regno, & fidelibus præfatis subsidium & auxilium aduersus inimicos prædictos proueniat, omittemus. *Datum Auinione XVI. kal. maij anno secundo.*

Promissa auxilia.

41 Ad suppeditanda porro laboranti Armeniæ prompta auxilia Benedictus Siculos, Cyprios, Rhodios, Cretenses, Euboenses, aliosque Christi fideles orientales ad profitendam religiosam in Saracenos militiam concitare studuit a: quibus proposuit ob oculos, debellata Armenia, aditum ad restituendam Palæstinæ religionem interclusum iri; atque ideo in Leonis Regis opem prouolandum esse.

Insulani mediterranei maris ad religiosam militiam concitati

a An. 2. par. 2. ep. cur. pag. 23.

Benedictus, &c. vniuersis Christi fidelibus in insulis Siciliæ, Cypri, Rhodi, Nigropontis, & omnibus alijs terris seu insulis vltra pharum constitutis.

Grauis ira, nec exorabile pectus Babylonici hostis Ægypti, bestiæ sęuientis adhuc infremit, nec quiescit, & super præteritorum vulnerum dolorem adijciens spem ad illa loca catholica in partibus transmarinis occupanda & depopulanda procedit. Ecce siquidem nuntij charissimi in Christo filij nostri Leonis Regis Armenorum illustris, ex parte dicti Regis ad sedem Apostolicam destinati, auribus nostris lacrymabiliter intimarunt, quod perfidus ille soldanus Babyloniæ vires congerit, conflatque potentiam, vt regnum Armeniæ & cæteras terras residuas, quas fideles inhabitant, in partibus transmarinis per continuatos hostilitatum incursus inuadat, capiat, & subuertat, vt per occupationem & subuersionem ipsius, quod Deus auertat, irremediabilem quodammodo iacturam fidelibus inferat, & quodammodo fiduciam auferat vicinum præstandi remedium terræ sanctæ, cum per regnum illud proximus fiat transitus ad terram præfatam; ac ibidem a catholicis, in eodem regno degentibus, recipiantur Christiana nauigia, classes fidelium in victualibus & alijs necessarijs confortentur, & de loco illo propter breue maris spatium ad dictam terram pateat quodammodo absque hostili impedimento progressus.

Quanti intersit curare Armeniam expositum.

Ideoque vos vniuersos & singulos rogamus, & obsecramus per aspersionem sacratissimi sanguinis fusi pro salute nostra de pretioso corpore Redemptoris, quatenus ad eiusdem regni, cuius incolas nobis vnitas fidei in Christi charitate coniungit, calamitatibus (ad quarum illationem hostes fidei pręparantur) viriliter & celeriter obuiandum promptis animis consurgentes, pro defensione eiusdem regni & fidelium, morantium in eodem, vos in peccatorum vestrorum remedium personaliter exponatis, &c.] Addit Pontifex sacris indulgentiarum præmijs, felicique immortalitate eos donatum iri, qui expiata rite conscientia sacro illi bello se dououerint. *Dat. Auin. kal. maij anno II.* Hactenus Pontifex, qui etiam eorum regnorum insularumque archiepiscopos & episcopos sacram militiam conscribere, eamque crucis symbolo insignire iussit a, quæ ad propulsandos irrumpentes in Armeniam fideles procurreret.

a Regest. post. eand. epist.

Cum vero exustis superiori anno barbarica excursione agris, nonnulla Armeniæ loca annonæ inopia laborarent, submittere Armeniæ Regi commeatus Pontifex & Gallus Rex decreuerunt, qua de re extant Benedicti literæ ad Campaniæ præfectum datæ b, vt frumenta in finitimis partibus congreganda curaret: *Cum nos*, inquit, *& charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Franciæ illustris, pridem non sine magna compassione percepto, quod Saracenorum rabies ad confusionem & exterminium Christianorum aspirans, certas partes regni Armeniæ, ac Christicolas ibidem degentes, adeo his temporibus præteritis vastauit crudeliter & afflixit quod, præter alia damna per eosdem Saracenos Christicolis eisdem illata, innumeris segetibus & fructibus tam ignis incendio, quam alias omnino consumptis, famis inopia propter defectum panis & aliorum victualium oppressi miserabiliter remanserunt; certum eisdem Christicolis subsidium pecuniarum pro emendis bladis, & deferendis ad partes prædictis regni prouiderimus, &c.* Dat. II. *non. aprilis anno secundo.* Erogasse Benedictum ex ærario pontificio decem millia aureorum pro leuanda Armenorũ inopia, ostendunt Gasperti archiepiscopi Arelatensis & ærarij præfecti literæ c.

b Vatic. pergamen. signat. n. 917. ex Auenion. archiu. Romam dela tis.

Submissi ijs aliqui commeatus

c Extant. ib.

Maiora quidẽ cõtundendę Mahumeticæ tyrannidis cõsilia agitabat Benedictus, sed hoc ipso tempore noua sensim obstacula oboriebantur, quæ Philippi Francorum & Eduardi Angliæ Regum mutua æmulatio peperit: augebat enim Eduardũ indignatio, controuersas eas Aquitaniæ terras, quę a Carolo Valesio patre bello fuerant, de quibus in fœderis iniri formula d, Isabella Regina & legatis apostolicis interpretibus, cautum fuerat, Anglum eas legibus a Gallo iudice repetiturum, concepta nimirum ab Anglis spe, eas a Carolo IV. ad sororis & nepotis gratiam restitutum iri; nunquam legibus, nec beneuolentia, liberalitateue redditas: tum Philippum adiuuisse armis Dauidem Anglici nominis hostem: præterea in spem Galliæ vel alicuius prouinciæ sibi subijciendæ materni iuris tuendi specie efferebatur. Visus tamen est ad æquitatem & concordiam inclinare, dum ipsius Pontificis Gallo Regi addictissimi arbitrio controuersias committere voluit; de quo extant hæ pontificiæ literæ ad Philippum datæ e.

Gallum inter & Anglum bellorum semina

d Ext. autograph. in arch. Vat. ex Auenionensi delatum.

e To. 1. ep. secr. 317.

Benedictus &c. Regi Franciæ.

42 His, quæ super facto Angliæ dilecti filij nobilis vir Guido Caprarij miles, & magister Petrus de Verberia clericus regij nuntij, ad nostram nuper præsentiam cum literis credentiæ destinati, nobis curauerunt exponere, plenius intellectis, eisdem nuntijs verbotenus expressimus, & regiæ celsitudini tenore præsentium intimamus, quod certi nuntij charissimi in Christo filij nostri Eduardi Regis Angliæ illustris ad nos hac æstate proximo præterita, cum essemus in castro Pontissorgiæ Auinionensis diœcesis, venientes nobisque Regis eiusdem literas de credentia exhibentes, sub eadem credentia obtulerunt, quod Rex ipse negotium causarum, quæstionum, vel dissensionum, quæ inter te, fili charissime, ac ipsum verti vel suscitari possent quomodolibet, libenter poneret in nostris manibus terminandum. Quibus quidem nuntijs præfati Regis Angliæ super prædictis respondimus, quod attentis mutuæ pacis & con-

Anglus suas lites Pontificis arbitrio committit.

concordiæ inter vos commodis, ac dissensionum discriminibus, ex quibus lapsus rerum, strages corporum, & animarum amarius plangenda pericula possent, si quod absit, contingerent formidari, in considerationem adductis; nos, quem more patris beneuoli non prætereunt incommoda filiorum, parati eramus pro pace huiusmodi, quam velut Deo gratam, ac vtrique parti totique Christianitati multipliciter accommodam, desiderijs optabamus intensis, per viam tractatus amicabilis, si de vtriusque partis consensu procederet, non vitando labores assiduos, interponere partes nostras.

Monitus Philippus de conciliando sibi Anglo.

Attendentes itaque bonum pacis huiusmodi, quodque te, fili charissime, cum præfato Rege Angliæ, qui tuus vasallus, tibique nexu sanguinis est coniunctus, huiusmodi pacis & charitatis vinculum habere decet & expedit, materia cuiusuis dissidij penitus amputata; dilectum filium magistrum Philippum de Cambarlhaco archidiaconum Gandensem in ecclesia Tornacensi capellanum nostrum & nuntium, virum vtique fidelem, prouidum, & discretum, ad præfatum Regem Angliæ cum nostris opportunis literis, *& infra*, prouidimus destinandum, &c.] Preces additæ, vt si Anglus ad pacis consilia vergeret, suos ad sedem Apostolicam oratores mitteret. *Dat. Auin. x. kal. decembris anno* 11.

a To. 2. ep. secr. 318.

Conceptæ a sunt datæ ad Eduardum eo argumento a Pontifice literæ, atque ipsum lites suas pontificio arbitrio permissurum obtulisse, hortaturque vt internuntio apostolico facilem se præbeat, atque oratores idoneis fretos mandatis mittat. Alijs vero literis b exegit, vt Robertum Atrebatensem ex aula Anglica pelleret:

b ib. ep. 319.

Rogatus Anglus vt Rob. Atrebatensem a se dimittat.

Sane, inquit, fili dilectissime, non videmus, quod Rex præfatus Franciæ te nobilem virum Robertum de Atrebato (quem ipse suum domusque suæ regiæ hostem, rebellem, & inimicum capitalem, quemque in mortem suam & sui primogeniti asserit per factiones nequissimas conspirasse, reputat) in tua familiaritate tenente, aut ei consilium, auxilium, & fauorem præstante, circa tractatum pacis & concordiæ tecum vellet aut curaret intendere quouis modo. Inflammabatur c ad bellum Eduardus a Roberto Atrebatensi, qui amissa iudicio comitatus causa legum vi, aut se Atrebatensi comitatui restituendum, vel Philippum regno pellendum iactabat.

c Paul. Aemil. in Phil. VI.

Oratores ad Philip. de pace mittit.

Cæterum pontificia studia tantum valuere, vt Eduardus Cantuariensem archiepiscopum, Philippum Montis acuti, & Gaufridum Scorpum ad Philippum legarit: qui parum comiter ab eodem Philippo habiti, cum eo demum pacem firmarunt nulla de Scotis habita mentione: cuius rei mox Philippum subijt pœnitentia, Anglosque ad se reuocari iussit, ac venientibus dixit, eam cum illis pacem inijsse, cuius Scoti participes haberentur: quam pactionem cum non admittere se posse respondentes Angli, maximo Galliarum & orientis damno cœpta pax dissoluta est. Visuri autem sumus Anglos apud Pontificem conquestos d, cum Eduardus se ad expeditionem Syriacam conficiendam Philippo socium obtulisset ea lege, vt post reditum de controuersis Aquitaniæ oppidis ius redderet, & inducias propterea cum Scotis paciscì voluisset; eas pactiones arroganter reiecisse Philippum, contendentem vt ab Anglo parta restituerentur Scotis. Nec modo hæ querelæ ab Anglis oratoribus apud Pontificem repetitæ fuere, verum & Gallici historici confirmant superiora Philippumque accusant, illum cum Eduardo pacem firmasse, vt transmarinam expeditionem iniret; mox tamen mutato consilio eam dissoluisse. e

d Apud Bened. to. 6. ep. secr. 314.

e Gaguin. in Phil. VI.

Initum iam fœdus Philippo rescissum.

Ad Regem, inquit Gaguinus e, *perducti oratores*, nimirum Eduardi superius memorati, *pacem cum Philippo firmant: sed discedentibus a Rege in sua diuersoria Anglis, mox Philippus eos ad se reuocare iubet. Venientibus Rex ait, eam cum illis pacem inisse, cuius Scoti participes habeantur: quamquam de illis nulla prius oratio habita sit. Hanc Angli conditionem cum se admittere nō posse respondissent, in Angliā abierunt. Eius legationis relatione Eduardo facta, excandens Anglus iurat, se prius omnem Scotiam perditurum, quam ea se pacis lege teneri.* Ita Philippus cum Scotorum causa, noua contra pontificia monita susciperet bella, & sacramenti de Syria liberanda religionem negligeret; ne tamen apud homines periurij reus diceretur, varias causas obtendit: monitum vero ne turbis Scoticis se inuolueret, inferius visuri sumus.

Intermissa a Philippo sacræ expeditionis consilia.

43 Obstrinxerat se antea Ioanni XXII. sacramento, ducturum, kal. augusti huius anni crucesignatas acies, nisi iusto impedimento retardaretur: cumque impendens ab Anglo & Germano bellum (quod facillime auertere potuerat, cum ab vtroque de pace enixe postulatum fuisse viderimus) nec nō Scotorum res in discrimen adductæ, causæ iustæ intermittendæ expeditionis ipsi viderentur, Apostolicam, vt de re statueret, consuluit sedem, quam etiam adijsse ex literis ad Bauarum datis vidimus. Pontifex vero Philippo addictissimus, cum ex bellorum insurgentium tumultibus diffideret, illius expeditionem rei Christianæ vtilem fore, edixit b extrahendam in tempus opportunius videri, neque aliquam inde labem periurij vel inconstantiæ Philippo Regi aspergendam.

b To. 2. ep. secr. 39.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Ve illius obeundæ primum suscepta fuerint.

Sane fili charissime, tu velut Christianissimus princeps deuotissimo affectu commemorans, qualiter redemptor noster dominus Iesus Christus in terra sancta, post contumelias & opprobria in crucis ara pro redemptione humani generis diræ mortis subiens passionem voluit immolari; qualiterque opprobrio se spurcidi Agareni dictam terram Redemptoris eiusdem sanguine purpuratā profanis conculcant pedibus, & nefandis eorum spurcitijs dehonestant in grauem iniuriam & blasphemiam nominis Christiani; ac volens eidem Redemptori, in quantum tua possibilitas se extendit, dignam gratitudinem exhibere, disposuisti laudabili proposito pro recuperatione dictæ terræ passagium vltramarinum assumere, ac in illo personaliter in eiusdem Redemptoris obsequium transfretare. Et vt huiusmodi tuum propositum felicis recordationis Ioanni Papæ XXII. prædecessori nostro & fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, cunctisque fidelibus euidentius demonstrares, illudq; posses efficacius adimplere; per venerabiles fratres nostros Petrum Rothomagensem & Ioannem Rhemensem archiepiscopos tunc episcopum Morinensem, ac dilectos filios Guidonem Bauderi decanum ecclesiæ Parisiensis nunc electum Lingonensem, & nobilem virum Petrum Trosselli de castellis, & quondam Henricum de Aualgoria dominos, consiliarios & procuratores tuos ac nuntios speciales, a te propterea ad sedem Apostolicam pluries destinatos, solicitis & continuatis instantijs dicto prædecessori fecisti humiliter supplicari, quod pro celeriori terræ prædictæ succursu passagium generale in-

indicere dignaretur. Dictusque prædecessor huiusmodi laudabilem intentionem tuam & feruentem compassionis affectum, quem habebas ad statum miserabilem dictæ terræ, multipliciter commendans in Domino, sibique agens laudes & gratias, quod dignatus fuerat tam pium tamque salubre propositum regijs præcordijs inspirare; cupiensque huiusmodi sanctum negotium per te suniendum, Deo cuius causa geritur suffragante, felicibus prosperari successibus, & votiuis proficere incrementis, super his cum eisdem fratribus suis matura & diligenti deliberatione præhabita, tuis in hac parte pijs affectibus annuens, tuisque supplicationibus inclinatus, ad honorem Dei omnipotentis, exaltationem & dilatationem catholicæ fidei, & profectum cunctorum fidelium, recuperationem terræ, & exterminium hostium prædictorum, eisdem nuntijs & procuratoribus nec non prælatorum tunc in Romana curia existentium & aliorum fidelium multitudine copiosa præsentibus, auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio ad dictam terram duxit generale passagium indicendum, teque ipsius passagij & totius exercitus Christiani, qui transfretaret in illo, rectorem constituit & capitaneum generalem.

Quibus peractis, dicti procuratores & nuntij per tuas patentes literas coram dicto prædecessore & eisdem fratribus S. R. E. Cardinalibus, per eos exhibitas, sufficiens & speciale ad hoc mandatum habentes, in eiusdē prædecessoris & fratrum, aliorumque prædictorum præsentia dictum passagium, vt præfertur, indictum nomine tuo illico, capitaneatum, & rectoriam illius & dicti exercitus acceptarunt, & etiam assumpserunt: ac in animam tuam etiam, prout ex eodem mandato poterant, tactis sacrosanctis euangelijs iurauerūt, quod tu in kalendis augusti proximo venturi in anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, quas tam tibi quam cæteris crucesignatis & crucesignandis idem prædecessor pro termino ad transfretandum in dicto passagio assignauit, arriperes iter eiusdem passagij, illudque prosequereris realiter & personaliter, iusto ac legitimo impedimento cessante; prout in literis prædecessoris eiusdem, super præmissis confectis, plenius continetur.

Nuncupatum a Ph. de ea conficienda iusiurandum.

44 Post quæ, vt dictum passagium generale per te & fideles alios, submotis impedimentis quibuslibet, posset commodius perfici & impleri, solemnes ambassiatores & nuncios speciales magnæ auctoritatis viros, quorum aliqui etiam episcopali dignitate fulgebant, ad diuersa regna, videlicet Apuliæ & Siciliæ, Angliæ, Castellæ, & Aragoniæ, ciuitatem quoque Ianuæ, & nonnulla alia ciuitates, terras, & loca laudabiliter & prouide destinasti, eis pium propositum tuum super dicto passagio exprimendo; eosque inducendo, vt cum dictum passagium cum vniuersali Christianorum concordia esset feliciter prosequendum, per viam pacis vel concordiæ seu treguarum omnes a guerris & hostilitatibus abstinerent, vt dictum passagium, cessantibus guerrarum commotionibus, & bellorum inter Christianę fidei professores posset, fauente Deo, aduersus hostes crucis commodius & facilius prosperari. Ex quibus, hoste humani generis pacis æmulo & incentore nequitiæ procurante, paruus vel nullus profectus concordiæ resultauit. Nam, sicut facti euidentia docet, Anglia & Scotia inuicem dissident: periculosus etiam & guerris non vacuus

De nuntijs a Ioanne missis.

Funestæ occidentis dissensiones.

est status Germaniæ: periculosus status similiter Tusciæ, & etiā Lombardiæ: periculosior Apuliæ & Siciliæ guerra vigente graui & quasi cōtinua inter eas; vt de nonnullis alijs latentibus odijs aduersus te, regnumque tuum, quæ vt verisimiliter creditur, si per te huiusmodi passagium in præfato termino assumi contingeret, prodirent in publicum, taceamus. Ex quibus siquidem dissensionibus et guerris et odijs regnantium et regnorum, aliorumque principum, ac multarum prouinciarum, ciuitatum, et populi Christiani, multum proculdubio potentiæ Christianitatis detrahitur, multum hostium fidei audacia roboratur, multum insuper prædicto passagio generali fortitudinis, roboris, et potestatis adimitur, multumque vires ipsius proculdubio minorantur: nam sicut concordia paruę res crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur.

45 Super quibus etiam cum fratribus nostris, et quampluribus de consiliarijs tuis magnæ discretionis, magnique status et consilij viris, frequētes discussiones et deliberationes habuimus; et visum est nobis et eis, quod dolenter referimus, propter prædictas et plures alias rationabiles causas, quas præsentibus subticemus, quod in dicto termino proximarum futurarum kalendarū augusti summe periculosum, immo quodammodo impossibile tibi redderetur iter assumere ad inchoandum, prosequendum, et continuandum passagium memoratum. Quod si assumeres, et propter præmissas Christianitatis discordias continuare et prosequi feliciter non valeres, quid de tanto principe diceretur? Nonne Agareni nobis, tibi, totique populo Christiano turpiter insultarent, dicentes: Ecce Christianorum princeps magnificus cœpit, et non perfecit; terrere nos venit, et reuertitur territus et confusus. Absit tantus rubor a facie populi Christiani. Absit tanta confusio, vt passagium terræ sanctæ tantis retro temporibus prorogatum, nūc animose et audacibus animis sumptum, vt creditur, propter inepritudinem, immo instantia temporis ægritudinem, sic periculose procedat: quinimmo meliorum et prosperiorum successuum expectatis et obtentis auspicijs, felices triumphorum euentus, et virtuosos exitus sortiatur. Eapropter elegimus fore consultius, dictum adhuc passagium vltra dictum terminum differendum; & aliud tempus cōmodius, quod concedat Altissimus, expectādum.

Sancit Pont. extrahendam in aliud tempus expeditionem.

Licet igitur iusta & legitima impedimenta huiusmodi a prædicto passagio in dicto termino te excusent; tamen, vt ora iniqua loquentium, & prædictas causas ignorantium obstruantur, super huiusmodi iuramento, nomine tuo ac pro te per dictos procuratores & nuncios præstito; nec non super voto seu promissione, si quod seu si quam emisisti, quod iter arriperes in termino prelibato passagij generalis, illudque deinde realiter & personaliter prosequereris, vt huiusmodi iter dicti passagij in sæpelato termino arripere & prosequi minime tenearis, nec propter hoc aliqua periurij seu inconstantiæ possis nota respergi, tecum auctoritate apostolica tenore præsentium dispensamus, &c.] Hortatur Philippum vt non propterea in adornandis ad tantam expeditionem necessarijs studium remittat; sed incendat vehementius, atque apparatum maiorem conficiat, quo longior temporis mora permittatur. *Dat. Auin. iii. id. martij pontificatus nostri anno secundo.* Excusari ex his posset Rex expeditionem distulisse, si ex Pontificis sententia iten-

op-

opportunius voti perducendi tempus expectasset, vt non penitus abiectis illius consilijs ad bella sibi exitialia se conuertisset, vt dicetur inferius. Vnde merito in triste exemplum posteris cessit, numquam impune fidem Deo frangi: atque Eduardus, obiecto illi periurij crimine, eo audacius in Philippum se consurgere iactauit a, quo ille diuinas in se iras concitaret.

a Eduard. in lit. quæ extat apud Vvalsing.

46 Cum vero pontificia hac sanctione Francorum regno, & Christiano nomini ex humanæ prudentiæ legibus consuluisset Benedictus; quo flagrabat apostolico ardore, vt imminētibus malis occurreret, studium omne, vt & inita inter Eduardum & Ludouicum Bauarum fœdera dissolueret, ac Philippum Francorum Regem Anglo conciliaret, conuertit b: atque in primis, cum præcipua belli causa ex Scotiæ conuersionibus oriretur, atque odia Eduardus in Philippum ob auxilia Regi Dauidi submissa concepisset, vt superiore anno illum Benedictus monuerat, ne se bello Scotico implicaret, ita iterum grauissime deterruit, ne periculosissimum bellum susciperet: iam pro abducendo ab Eduardi fœdere Ludouico pontificia studia adhibuisse.

b To. 2. ep. secr. 183.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Monitus Phil. ne alienis bellis se implicet.

46 Sane, fili charissime, quia gressus & actus tuos per vias rectas dirigi, & ab inuijs cupimus custodiri, optaremus admodum, vt super facto Scotiæ, antequam procedatur ad aliud, ne te regnumque tuum & subditos periculosis subijcias inuolutionibus; & specialiter talibus, a quibus absque detrimento honoris et famæ non posset resiliri faciliter, præsertim hoc præsenti turbato et impaccato, proh dolor! tempore, quo multorum inordinati motus in diuersis mundi partibus audiuntur; matura deliberatione præuia, considerauter aduerteret regia prouidentia, quid agendū. Cito equidem vnum tale potest inchoari negocium; sed prius sapienter et prouide aduertēdum est, qualis esse valebit continuationis prosecutio, et quis finis. Super factis autem Alamanniæ, iam in parte prouisum est, sicut nuper serenitati Regiæ meminimus seriosius descripsisse: sed si aliqua in hac parte audiremus, circa quæ prouisionis esset adhibendum remedium, id facere, prout videremus expediens, regiæque nunciare magnitudini curaremus, etc. *Datum Auin. VIII. kal. iunij anno secundo*. Non paruit pontificijs consilijs Philippus: queruntur enim Anglici historici, ingentia ad Dauidis gratiam e Gallijs auxilia fuisse submissa, atque Anglis grauiora damna illata. Et quidem gestorum Benedicti antiquus auctor c Philippum in crimen adducit, illum magis consilia ad bellum Anglicum, quam ad Asiaticum, cui se deuouerat, conuertisse: *Quia*, inquit, *dictum passagium non habuit effectum, dictus Benedictus Papa concessionem decimarum huiusmodi reuocauit: propter quod dictus Rex ad ipsum venit personaliter cum filio suo primogenito Ioanne duce Normanniæ, causa ipsum visitandi circa reuocationem prædictam: sed satis cito demum contigit, quod dictus Rex occupauit, seu ad manum suam recepit ducatum Aquitaniæ, cuius superioritas seu dominium ducatus ad ipsum spectabat, tenebaturque in feudum ab ipso per Regem Angliæ, qui tunc ipsum pro maiori parte possidebat. Cuius occasione fuit orta guerra inter ipsos Reges, videlicet dominum Philippum Regem Franciæ & Odoardum tunc Angliæ Regem: propter quod dictum passagium vltramarinum conceptum & ordinatum per dictum Philippum Regem Franciæ, vt dictum est, potissime fuit impeditum & turbatum; nam idem Philippus voluit plus intendere ad dictam guerram prosequendam, quam ad dictum passagium faciēdum, suspicans & verisimiliter dubitans, quod si ipse se a regno suo tam in longinquum absentaret, dictus Angliæ suus inimicus regnum suum inuaderet & damnificaret. Et sic reuocatio prædicta in suo robore permansit.*

c Vita Ben. auctor apud Bosq.

Occupata Aquitania.

Legati ad Reges pro concordia missi.

Cum vero pax inter Reges lædi cœpisset, ad redintegrandam concordiam Pontifex Philippum e Cambarlhaco apostolicum nuntium x. kal. decembris ad illos legauit a, quos grauissimis sententijs ad pacis consilia inflectere nisus est b: tum præcipue Eduardum e iratum mulcere, atque hortari vt Robertum Atrebatensem d, qui ipsum continuis adhortationibus ad bellum incendebat, Richemundiæque comitatu ab eo auctus fuerat e, a sua familiaritate segregaret. Præterea Philippam Angliæ Reginam, et Ioannem archiepiscopum Cantuariensem, vt Regem ad pacem adducerent, solicitauit f. Hæc erant ad exorieus bellum inter Anglos et Gallos, quo nullum diuturnius et funestius rei Christianæ emersit, sopiendum Benedicti studia: quæ in alijs etiam regnis ad pacem reuocandis emicuere.

a To. 2. ep. secr. 318. ad 322.
b Ib. ep. 317. 318.
c Ib. ep. 320.
d Super ep. 318. & seq.
e Thom. Vvalsi. in Eduar. III.
f To. 2. ep. secr. 328. 322.

47 Cum igitur Francorum Rex Pontificem rogasset, vt Aragoniæ ac Balearium Reges ac Genuenses bello implicitos conciliaret, non defuit ea in re pontificia cura g: Catalanos enim est adhortatus, vt rapta Genuensibus restituerent. Inter illos vero Friderici Regis Trinacriæ opera pactæ induciæ h; suspectæ admodum, cum is hostis esset ecclesiæ, ac Genuenses nuper a Roberto Rege ecclesiæ coniunctissimo defecissent, in quos cum memoratus Robertus bello se accingeret, Philippum vt regiam operam ad eos in cōcordiam adducendos admoueret, hortatus est Benedictus i. Explicuit etiam pontificiam diligentiam, vt ciuiles Aragoniæ motus sub nouo Rege exortos componeret. Successerat l Petrus Alfonso parenti, quem Mariana m vt iustum, pium, moderatum principem commendat, Benigniq; cognomen illi inditum ait. Errat vero vna cum Surita n, dum eius mortem vigesimo quarto ianuarij huius anni die collocat; antea enim extinctum ex Petri successoris diplomate constat, quo oratores instituit, vt Sardiniæ & Corsicæ regnum Pontifici solemni ritu acceptū referrent, qua de re Baronius his verbis meminit o: *Quo etiam anno, hoc nimirum, ipse Petrus de Aragonia accepit inuestituram de regno Corsicæ & Sardiniæ, iurans Romano Pontifici fidelitatem, & faciens homagium. Extat diploma de ijsdem in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ* p. Extat idem in M.S. pergameno Vallicellianæ nostræ bibliothecæ Petri Regis literæ, quibus professus est, auum Iacobum Regem Sardiniæ & Corsicæ regnū a Bonifacio VIII. iure beneficiario accepisse, illique clientis more fidem astrinxisse: Alfonsum quoque Regem coram patriarcha Alexandrino sedis Apostolicæ liberalitate traditū agnouisse, iurasseque in Romani Pontificis verba: se pariter, acceptis paternis regnis, e legibus donationis ad sedem eandem adeundam, vt fidem Benedicto clientis nomine addiceret, obstrictum esse: pontificia tamen benignitate itineris labore solutum ea lege, vt excurrente insequenti anno ipse coram Pontifice clientelarem sponsionem præstaret, atque interea oratores mitteret, qui regio nomine illam ex contenta in subiectis literis formula exhiberet, omniaque pacta Bonifacium VIII. in-

g Ib. ep. secr. 10.
h Ib. ep. 12.
i Sup. ep. 10.
Alfonsi Regis Arag. mors.
l Sur. l. 7. c. 27. Mar. l. 16. c. 4.
Succedit Petrus filius in Arag.
m Marian. de sup. c. 4.
n Sur. l. 7. c. 34.
o Bar. in not. M. S. ad ann. 1336. Sur. l. 7. c. 36.
Et in Sardiniæ & Corsicæ regnis.
Extracta illi dies pro clientelari sponsione præstan.
p Extant in lib. priu. Rom. eccl. to. 3. pag. 329. & in tur collect. Plat. to. 2. pag 271. et in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 346.

inter & Iacobum Regem conuenta confirmarent.

48 *Vniuersis, etc.* Nouerint vniuersi, quod nos Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentię, Sardinię & Corsicæ, comesq; Barchinonię, considerantes quod tempore donationis & concessionis, per felicis recordationis dominum Bonifacium Papam VIII. illustrissimo domino Regi Iacobo claræ memoriæ auo nostro & suis factæ in feudum de regno Sardiniæ & Corsicæ, idem dominus Rex pręstitit personaliter plenum vassallagium, fidelitatem, et ligium homagium, ac iuramentum dicto domino Papæ iuxta continentiam rescripti apostolici de ipsa donatione confecti ex causis in eo conscriptis; et postmodum ipse dominus Rex per procuratores suos et nuntios speciales iuramentum, fidelitatem, plenum vassallagium, et ligium homagium prædicta renouauit, fecit, et præstitit alijs Romanis Pontificibus, qui dicto domino Papæ Bonifacio in apostolatus præeminentia successerunt; et subsequenter serenissimus dominus Rex Alfonsus bonæ memoriæ pater noster successor dicti domini Regis Iacobi prædictum iuramentum, fidelitatem, plenum vassallagium, & ligium homagium, quæ domino Ioanni felicis recordationis Papæ XXII. personaliter secundum formam dictæ donationis facere tenebatur, fecit & præstitit personaliter domino Ioanni bonæ memoriæ patriarchæ Alexandrino patruo nostro, recipienti nomine & vice dicti domini Papæ Ioannis, qui hoc ipsi domino patriarchæ cum speciali suo rescripto commisit; deinde etiam antefatus dominus Rex Alfonsus genitor noster per procuratorem suum & nuncium specialem iuramentum, fidelitatem, plenum vassallagium, & ligium homagium prædicta renouauit, fecit, & præstitit sanctissimo in Christo patri & domino, domino Benedicto, qui dicto domino Papæ Ioanni in apostolatus præeminentia noscitur successisse; attendentes denuo, quod licet plenum vassallagium, fidelitatem, & ligium homagium, & omnia alia supradicta nos teneamur secundum conditiones in dicto rescripto conscriptas personaliter renouare, facere, & præstare dicto domino Papæ Benedicto; quia tamen dictus dominus Papa Benedictus ad supplicationem nostram dictum iuramentum, fidelitatem, plenum vassallagium, & ligium homagium supradicta hac vice per procuratorem ac specialem nuntium nostrum recipere concessit, ita tamen, quod nos infra annum sequentem teneamur sub forma subscripta personaliter facere illud idem, vt relatione dilecti militis & consiliarij nostri Ioannis Roderici de Moros, quem pro his & alijs ad sacrã eius præsentiam nuper destinauimus, extitimus informati; idcirco nominamus, facimus, ordinamus, & loco nostri constituimus procuratores nostros nuncios Berengarium de Vilariccuto, Arnaldum de Moraria consiliarios nostros, & Albertum de Talliata militem, & quemlibet eorum in solidum, &c.] Instruit amplissimis mandatis, vt ex concepta solita forma, quam suis aute locis inseruimus, Sardiniam & Corsicam Iacobi nomine pontificiæ beneficentiæ dictas referant, & pactiones sancitas a Bonifacio VIII. firment; tum diploma apostolicum de beneficiario eo regno tradito eliciant. Quæ literæ subiecta loci & temporis nota consignatæ: *Datum Valentiæ VI. id. ianuarij anno Domini* MCCCXXXVI. Professus a est etiam Iacobus alijs literis datis Valentiæ ipsis idibus ianuarij huius anni, apostolicæ sedis liberalitati Sardiniam et Corsicam se acceptas retulisse, ac Bonifacianum diploma, *Super Reges & regna*, inseruit.

Petri Regis lit. de supremo ecclesiæ in Sardiniam iure.

Vt Iacobus Rex clientis præstiterit officia.

Ea etiam Alfonsus exhibuerit.

Instituti ad eadem repetenda oratores.

a Ext. in lib. priuil. Rom. eccl. tom. 3. pag. 105.

49 Adire sedem Apost. non poterat Petrus Rex, cum regni eius exordia intestinis dissensionibus turbida essent, externique etiam belli terror immineret. Crearat a Alfonsus Rex Iacobum filium minorem ex priori coniuge Vigelitanum principem, ac liberis, quos ex Elionora Regina susceperat, amplos principatus reliquerat: cumque inde inter Petrum Regem et Reginam Elionoram simultates essent ortæ, Benedictus vt discordiam extingueret, Beltraminum b electum Theatinum, et Henricum de Aste canonicum Ambianensem causarum sacri palatij auditorem nuntios apostolicos misit, vt Regem ipsum cum eadem Elionora Regina ac liberis, eorumque tutore Petro Exericæ principe Alfonsi Regis defuncti fratre conciliarent: ac si ipsos adducere blandis monitis in concordiam non possent, inducias pontificio nomine indicerent c. Petrum etiam Aragonum inter & Alfonsum Castellæ Reges, qui ad vindicandã ab iniuria priuigni sororem in bellum trahebatur, violatum fœdus redintegrarent d; vel si pax confici facile non posset, armis temperare iuberent e.

Turbæ in Aragon.

a Sur. l. 7. c. 34.

Internun. tij in Arag. missi.

b To. 2. ep. secr. 391.

c Ib. ep. secr. 392.

d Ib. ep. 393.

e Ib. ep. 394.

Adductus est in inuidiam excitatæ eiusmodi dissensionis Petrus e Luna archiepiscopus Cæsaraugustanus f, ad quem belli pacisque consilia in Aragonia Petro Rege puero referebantur; increpitusque a Pontifice est, hæc aliena ab archiepiscopali munere, cum pacis studia colere deberet: animaduerteret Petrum Regem in annis teneris bellicis artibus instructum non esse: ab ærario imparatum, vt cum Rege Castellæ signa conferat: imparem illi viribus ac potentia: plures Aragonios ex veteribus consuetudinibus sine perfidiæ & periurij nota in eum arma non correpturos: bellum crudelissimũ ac periculis plenum futurũ: huic vacare archiepiscopum grege suo neglecto, ab officio abhorrere: turpissimũ etiam videri, Reginam Elionoram ac liberos ad extremã inopiam redigi; tum subiecit: *Nos autem, qui præfatum Regem Aragonum vassallum nostrum & ecclesiæ sincere diligimus, quod sic ducatur in præcipitium, & domus sua regia subuersionis subijciatur periculis, non intendimus, quantum in nobis fuerit, tolerare: sed si circa hoc, quod tangit prædictos Reginam & liberos, aut quantum ad donationes, si excessiua sint forsitan vel quauis alia moderandum fuerit aliquid, vel secundum æquitatem & iustitiam reformandum, parati sumus & erimus, si & quando & prout expediens extiterit, interponere sollicitudinis nostræ partes.* Denique subdit, cum morem in Aragonia susceptum acceperit, vt in rebus dubijs magnatum consilium habeatur, flagitare vt componendæ huius controuersiæ causa ordinum conuentus celebretur, ac legatis ad reuocandam concordiam studia sua impendere iubet. Quibus literis II. non. ianuarij huius anni dies ascripta est.

Petrus e Luna arch. Cæsaraugustan.

f Ib. ep. 390.

Corripitur a Pontifice.

Concordiæ interpretem se Pont. exhibet.

Ordinum conuentus celebrari flagitat.

50 Intentatum Petro e Luna archiepiscopo Cæsaraugustano apud sedem Apostolicam iudicium refert Surita g: & quamuis Petri Regis nomine ab oratore plures excusationes querelis & minis immixtæ ad illud declinandum afferrentur, sistere tamen se ad dicendam causam pontificijs & Cardinalium subsellijs coactum, cum in crimen non conciliatæ concordiæ vocaretur h. Solicitatus vero est Petrus Exericanus princeps, vt pacis consilia amplecteretur i: ad quæ etiam

g Surit. lib. 7. cap. 36.

h cap. 38.

i To. 2. ep. secr. 389.

Elionoram Reginam hisce literis adducere est conatus a.

Regina Elionoram ad pacem sollicitata. a To. 1. ep. secr. 388.

Elionora Regina Aragonum illustri.

Suscitata, procurante hoste antiquo humani generis, satore discordiæ, cunctorumque incentore malorum, inter charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Aragonum illustrem ex vna parte, ac te, filia charissima, & inclytos tuos & claræ memoriæ Alfonsi Regis Aragonum liberos, ac dilectum filium nobilem virum Petrum dominum de Cherica tutorem ex altera dissesio, tanto nobis displicibilior redditur, quanto maiora pericula et scandala secum trahit. Ex ea siquidem status domus Aragonum commoueri & turbari pacificus dicitur: et non solum inter Regem & tutorem prædictos, immo etiam inter ipsum Regem charissimum in Christo filium nostrum Alfonsum Regem Castellæ illustrem hostilium congressuum, et guerrarum commotiones et fremitus dicuntur periculose nimium suscitari. Nos igitur, etc.] Significat se ex apostolico munere ad auertenda innumera, quæ inde erumperent mala, pontificias partes conferre statuisse, ac memoratos superius internuntios, vt dissentientes ad pacem adducant, mittere, quorum consilijs obsequi Elionoram ipsam iubet. *Dat. Auin. non. ianuary anno secundo.*

Auertendi inter Arag. & Castell. bellicura pontificiæ.

51 Excitauit alijs literis ad concordiam Petrum Regem b, ne viduam nouercam ac pupillos armis infectaretur: tum illi egregia maiorum exempla imitanda proposuit, qui inter cætera viduarum & pupillorum patrocinium suscepere, neque quidquam grauioris momenti sine ordinum regni consilio aggredi consueuissent.

b Ib. ep. 386. Monita Petro Regi data.

Benedictus, &c. Petro Regi Aragonum illustri.

Si gesta claræ memoriæ prædecessorum tuorum Regum Aragonum laudabilia recensueris, & diligenter reuolueris intra præcordis mentis tuæ, ad eorum imitanda vestigia, vt credimus, operosis studijs curabis dirigere actus tuos. Ipsi quidem, sicut habet antiquorum narratio digna laude, pacis & iustitiæ, ac libertaris ecclesiasticæ amatores, nutrita & seruata concordia, pacis & vnitatis in domo propria, defensores pauperum, pupillorum, orphanorum, & viduarum & aliarum personarum miserabilium extiterunt; seque pro defensione ac dilatatione fidei catholicæ aduersus hostes eiusdem intrepide reddiderunt pugiles & athletas. Adhibebant insuper probos viros regnorum & terrarum suarum, maturitate discretionis conspicuos, fidelitate probatos, & expertos in agendis & negotijs sibi assistentes & consiliarios; quorum consilijs & directionibus vtilibus adhærebant. Et dum ardua emergebant negotia, pro quibus erat solemnius consilium requirendum, prælatos, barones, comites, & alios probos viros, de quibus videbatur expediens, prout est de more illarum partium, ad celebrandum super emergentibus huiusmodi sanum & tutum consilium conuocabant, &c. [Subjicit quantum sibi dolorem exortum inter ipsum, ac fratres, Reginam Elionoram, Petrumque patruum principem, & Castellæ Regem fœderatos bellum attulisset: vtque his occurrat malis, consulit vt patruos, erga ipsum ob sanguinis coniunctionem bene affectos, in consilium adhibeat, conuocerque regni primarios viros ad controuersiam componendã: a recto & decoro abhorrere, vt fratres hereditarijs bonis spolientur, vel Regina Elionora dote careat: at si donationes extra modum fuerint, æquitate temperandas videri, atque ad pontificias in ea re partes admouendas se paratum fore; proponit demum impendentia discrimina.]

Proposita maiorum exempla.

Colendos esse coniunctissimos eum docet.

Præterea non est omittendum attendere, periculosum esse tibi, fili, quamplurimum, cum Rege supradicto Castellæ, considerata potentiæ suæ magnitudine, configere; ac etiam quia iuxta confœderationes seu exnaturationes, olim inter tuos & suos prædecessores initas, tui subditi te non possent iuuare forsitan licite contra eum, &c. *Dat. Auin. 11. non. ianuary anno 11.* Admonuit paucis interiectis diebus eundem Regem Pontifex a, vt communes amicos ad pacem iungendam asciscendos curaret. Denique ne vllas optimi parentis partes Benedictus prætermitteret, vicissim Alfonsum Castellæ Regem exorauit b, vt pacem cum Petro Rege induciasue firmaret, inter nuntiorumque Apostolicorum monitis animum flecteret.

Non suscipiendum cum Castellano bellum.

a To. 8. ep. secr. 387.

Alf. Castellanus de pace postulatus. b Ib. ep. secr. 384.

52 Non Elionoræ modo Reginæ clientelæ suscipiendæ causa in bellum aduersus Aragonios trahebatur Alfonsus Castellæ Rex, verum etiam e leui causa cum Philippo Rege Nauarræ bello se implicuerat c: quod cum maiora exitia minitaretur, pontificiorum internuntiorum opera sedatum est. Quo argumẽto ad Rhemensem archipræsulem de re bene gesta extãt gratulatoriæ literæ. d

c Marian. l. 16. c. 4.

d To. 2. ep. secr. 46

Ioanni archiepiscopo Rhemensi.

Fraternitatis tuæ literas, tractatus pacis ordinatæ inter charissimos in Christo filios nostros Castellæ & Nauarræ Reges illustres pridem periculose nimium inuicem diffidentes nuntias, recepimus læta manu; & tam earum quam rotuli cum eis transmissi, formam tractatus huiusmodi seriosius exprimentes, tenoribus diligentius intellectis, tuam & aliorum, qui laborasse noscuntur circa hæc, diligentiam multipliciter in Domino commendamus, ea quæ pro exuberantia & solidatione pacis huiusmodi per nos honeste cum Deo fieri poterunt, paternis affectibus offerentes. Porro si sequestrum fiendum de castro illo, cuius occasione, sicut scriptura tuæ habebat series, suscitatæ fuerunt hactenus dissensiones & guerræ, in manibus nostris & Apostolicæ sedis ad tollendas quarumnis dissensionum occasiones vel materias, quæ negotium pacis huiusmodi turbarent vel saltem exasperarent fieret, satis expediens videretur, &c. *Dat. Auin. XII. kal. aprilis anno II.* Assenserat pacis consilijs Castellanus, cum vereretur, ne Mauri, vt propositum e ipsi fuerat a Pontifice, ad excursiones in Castellam agendas nouas vires colligerent, neue regnum multis factionibus discissum in maiores tumultus concitaret: erant enim plures proceres ab eo abalienatis f animis, atque inter cæteros conspicui dignitate Ioannes Lara & Emanuel, quos Alfonsus Rex Lusitaniæ tuendos suscepit. Promouit Lusitanus ad Castellæ limites castra: sed leui prælio repressus in regnum se recepit.

Sedatum Nauarræ cum Castellano bellum.

e Ib. ep. 14

f Marian. l. 16 c. 4. Ciuiles in Alfonsum motus.

53 In Italia noua ex veteribus bella exoriebantur. Mastinus enim Scaliger g superiorum successuum felicitate elatus, cum Veronam, Patauium, Vicentiam, Taruisium, Brixiam, Feltrum, Belunum, Parmam, Mutinam, Lucam, suæ seruituti subiecisset, ac pene Regem ageret, Etruriam etiam reliquam affectauit. Cui Florentini asserendæ libertatis ergo fortiter se opposuere, consertaque tumultuaria cum eius ducibus pugna, de qua agit Ioannes Villanus h, victoriam re-

Scaligeri potentia ingrauescit. g Io. Vill. l. 11. c. 45. & 50.

h Eod. l. 11. c. 51.

retulerunt, quibus Benedictus hisce literis est gratulatus. a

a To. 2. ep. secr. 301.

Dilectis filijs prioribus artium, vexillifero iustitiæ, populo, & communi ciuitatis Florentinæ.

Licet hostiles abhorreamus incursus, in eis strages hominum & animarum pericula formidantes, præsentatæ tamen nobis deuotionis vestræ literæ vestrorum felicitatem successuum in obtenta præsertim ijs diebus de hostibus, qui ad vestrum excidium ditis conatibus aspirabant, victoria nuntiantes, aduenerunt nobis in exultationis augmentum, verisimiliter arbitrati dexteram iusti iudicis fecisse virtutem, dum vos deuotos matris ecclesiæ filios, qui eius beneplacitis sinceris affectibus adhæretis, non permisit ab eisdem hostibus deprimi; sed ipsos potius, eorũ humiliata *, sicut prædictarũ literarũ vestrarum describit series, in manibus vestris seu vestrorum conclusit. Sane, filij, quia bellorum euentus non ex strenuitate humana, sed ex potentia diuina dependet, & in illius, qui docet manus ad prælium & digitos ad bellum, dispositione consistit; vestræ prudentiæ suademus, vt huiusmodi concessam vobis victoriam diuinæ dumtaxat virtutis potentiæ cum humilibus gratiarum actionibus ascribatis, de nobis fiduciam habituri, quod vos velut deuotos & prædilectos filios gratiosis fauotibus, prout secundum Deum poterimus, prosequemur. *Dat. Auin. III. kal. octobris anno II.*

Parta de eo a Florent. victoria.

*superbia

54 Ad distrahendas hostis vires Florentini socios vndique sibi conciliare nisi sunt ac demum armorum coitionem in illum cum Venetis b, fœdusque redintegrarunt c cum Roberto Rege Siciliæ, pluribusque alijs populis. Ne vero Mastinus, qui omnia ad suam amplitudinem referebat, terras ecclesiæ inuaderet, Florentinorum cum Venetis fœdus Pontifex d laudauit, ac Bertrandum patriarcham Aquileiensem monuit e, vt Florentinis Venetisque aduersus tyrannos Veronenses studeret.

Grauissimum bellum in eum comparatum.

b Io. Vill. lib. 11. c. 49 Leonar. Aret. l. 6. Ant. 3. p. tit. 21. c. 7. §. 3.

c Io. Vill. 11. c. 45.

d To. 2. ep. secr. 297.

e Ib. ep. secr. 174.

Pontifex fœderatis accedit.

Bertrando patriarchæ Aquileiensi.

Significauerunt nobis dilecti filij dux & commune Venetorum, quod ipsi ad obuiandum conatibus tyrannicis & peruersis quorumdam tyrannorum, qui terras & iura quædam Romanæ ecclesiæ, præsertim in marchia Teruisina, occupata indebite, ac in nostrum & ecclesiæ memoratæ præiudicium detinent; ac eisdem duci & communi, necnon dilectis filijs populo & communi Florentino, nostris & ecclesiæ prælibatæ deuotis, nocumenta inferre non leuia moliuntur, cum eisdem Florentinis inierunt confœderationem, & ligam; nobis humiliter supplicantes, vt tibi, de quo hucusque aliud, quam se laudare de te, sicut eorum habet inscriptio nequeunt, quod eis factisque suis fauorabilis aduersus eosdem tyrannos existeres, iniungere dignaremur. Idcoque fraternitatem tuam rogamus, &c.] Hortatur eum, vt ad pacem cum Venetis conciliandam, Aquileiensis ecclesiæ integris illibatisque iuribus, inclinet. *Datum apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis IV. non. septembris anno II.*

Aquileiensis patriarcha ad idem fœdus adductus.

Gestum mense octobri in Scaligeros a Venetis & Florentinis fœderatis bellum in marchia Taruisina refert, Ioannes Villanus f, ac nonnullas arces ab ijs expugnatas. Adducti in eandem armorum societatem fuerant Bononienses g, qui in pristina adhuc rebellione perstabant, mutuisque se laniabant h dissensionibus: quos vt Benedictus ad ecclesiæ obsequium reuocaret, antequam alicuius tyranni se addicerent seruituti, subiectis literis mulcere studuit a, ac Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem A. S. N. ad eos transmisit.

f Io. Vill. l. 11. c. 53.

g Id. ib. c. 41.

h Cap. 69

Bononienses admoniti officij.

a To. 2. ep. secr. 303.

Benedictus, &c. communi Bononiensi spirituum consi y saniores.

55 Quia salutem vestram affectione paterna quærimus, vosque abiectis tenebrarum operibus induere cupimus arma lucis, diu sicut nostis expectauimus, vt vestros graues excessus & culpas, quibus Deum & sedem Apostolicam, non vitatis status & salutis vestræ dispendijs, multipliciter offendistis hactenus, considerantes & recognoscentes attente, redire cum satisfactione decenti ad obedientiam & deuotionem nostram & ecclesiæ curaretis. Et quia non solum id efficere omisistis, sed potius videmini benignitatem & mansuetudinem dictæ sedis, quas vt præmittitur expectando, & plures dilationes vobis super hoc concedendo, erga vos exercuit, deducere damnabiliter in contemptum (præsertim cum excessus addendo excessibus, & aggregando culpas culpis, interim non erubueritis sedem præfatam offensis & contumelijs afficere, sicut displicibiliter ad nos perduxit insinuatio) non sufficimus admirari. Porro quamuis, his veris existentibus, vos merito effeceritis amplioris gratiæ expectationis Indignos; quia tamen erga vos adhuc pietatis paternæ viscera claudere, viamque mansuetudinis, si celeriter ad huiusmodi deuotionem & obedientiam vos, vt præmissum est, effectualiter disposueritis, nequaquam in hac parte intendimus denegare; venerabili fratri nostro Bertrando archiepiscopo Ebredunensi Apostolicæ sedis nuntio scribimus, vt ad ciuitatem Bononiensem, prout commode poterit, se conferat, super prædictis colloquium habiturus vobiscum, &c.] Hortatur, vt ad officium redeant, ac si blanditias aspernentur, iustitiæ seueritatem se in ipsos districturum minatur. *Dat. Auin. II. kal. nouembris anno II.*

De indigna contumacia obiurgati.

Trãsmissus ad eos internuntius.

56 Neque ad Romanæ modo ecclesiæ, verum etiam ad aliarũ ecclesiarũ iura defendenda, vel ex inuasorum eripienda manibus defixit studium Benedictus. Oppresserat Ioannes dux Brabantiæ grauiore iugo suæ ditionis ecclesiasticos viros, qui non modo vectigalibus iniustis atterebantur, sed interdum magno quoque religionis opprobrio trucidabantur; ex quo diuinus cultus exolescebat. His querelis permotus Pontifex, antequam seueritatem in ducem exereret, paternis ipsum instruxit monitis b, quanta gloria ac felicitate fulsissent principes, qui ecclesiarum dignitatem asseruissent; hortatusque est, vt viros ecclesiasticos ab iniurijs vindicaret: *Sane*, inquit, *quia salutem tuam affectu paternæ charitatis appetimus, gressusque tuos cupimus ab iniurijs custodiri; nobilitatem tuam rogamus attentius & in Domino exhortamur sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus consideranter attendens quibus incrementis profecerunt hactenus deuoti principes ecclesiasticæ libertatis amici, sacrosanctam Dei ecclesiam in suis prælatis ministris, & seruitoribus honorantes; quamque viliter & abiecte ceciderunt qui malignanter aduersus ipsam ecclesiam, viam aliam, seu deuium potius, eis Domino comminante per prophetam exterminium, sunt secuti; hæcque statuens & alia, quæ tibi possunt super his occurrere, ante oculos mentis tuæ, prælatos & personas ecclesiasticas, nec non ecclesias, monasteria, & loca ecclesiastica in terris tuis prædictis cõsistentia defendẽdo ab iniurijs, violentijs, ac confouendo in suis iuribus & libertati-*

Ecclesiasticus ordo in Brabantia oppressus.

b Ib. ep. 185.

Data Ioanni duci monita.

 bus,

bus, sublatis præmissis, & alijs grauaminibus & oppressionibus indebitis, pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia, tuæque salutis obtentu studeat honorare. Dat. Auin. 11. kal. iunij anno secundo.

57 Hoc anno respirare cœpit a diuturna & difficili dissensione Moguntina ecclesia. Cum iam ante Balduinus archiepiscopus Treuirensis a Moguntino clero ad archiepiscopatus administrationem postulatus fuisset, Ioannes vero XXII. apostolica auctoritate Henricum illi præfecisset, grauissima inde exacerbant dissidia, repetitæque etiam in Balduinum, obtemperare detrectantem, a Ioanne sententiæ. Qua occasione abusos pseudominoritas vidimus, vt Balduinum a Ioanne abalienatum in schisma & hæresim pertraherent: Quorum venenatos afflatus magna laude repulit idem Balduinus: cumque ab aduersario Henrico vrgeretur iudicio apud pontificium tribunal, lite cessit. At mox tentauit iterum deprecatore Philippo Rege Francorum Moguntinum archiepiscopatum sibi asserere, cum gratia & auctoritate apud Pontificem Gallus floreret; cuius petita vti ab æquitate abhorrentia Benedictus respuit a, additis repulsæ rationibus, quæ totius litis causas nitide illustrant.

Balduinus lite Moguntini principatus cedit.

a Ead. to. 2. ep. secr. 390.

Benedictus &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Vt veritatem negotij huiusmodi serenitas regia non ignoret, illius seriem succincte pronidimus tenore præsentium recensendam. Olim siquidem, adhuc bonæ memoriæ Matthia archiepiscopo Moguntino in humanis agente, felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, cupiens ecclesiæ Maguntinæ, cum eam primo vacare contingeret, de pastore idoneo per sedem Apostolicam prouideri, prouisionem eiusdem ecclesiæ duxit ea vice sibi & sedi prædictæ specialiter auctoritate apostolica reseruandam, dilectis filijs decano & capitulo ipsius ecclesiæ ac quibusuis alijs, ad quos electio, postulatio, vel prouisio in eadem ecclesia quomodolibet pertineret, ne ad electionem, postulationem, vel aliam prouisionem quamcumque in eadem ecclesia, cum primo illius immineret vacatio, faciendam procederent districtius inhibendo, ac decernendo ex tunc irritum & inane quidquid contra reseruationem, & inhibitionem huiusmodi contingeret per aliquem vel aliquos attentari.

Deprecatore Gallo eum sibi iterum asserere nititur.

Nitida totius controuersiæ historia.

Vt reseruatü fuerit sedi Ap. renunciādi archiepiscopi ius.

Subsequenter vero eodem Matthia archiepiscopo Maguntino, sicut Domino placuit, viam vniuersæ carnis ingresso, prædecessor noster præfatus cum fratribus suis S. R. E. Cardinalibus; de quorum numero tunc eramus, super prouisione prælibatæ ecclesiæ facienda deliberatione præhabita diligenti, de persona venerabilis fratris nostri Henrici archiepiscopi Maguntini ecclesiæ memoratæ de consilio fratrum eorundem prouidit, eumque illi præfecit in archiepiscopum & pastorem. Sed cum idem archiepiscopus Maguntinus bonorum spiritualium & temporalium suæ ecclesiæ Maguntinæ administrationem vellet suscipere ac gerere, vt debebat & pertinebat ad ipsum, supradictus archiepiscopus Treuerensis (qui post & contra reseruationem & decretum prædicta per aliquos canonicos dictæ ecclesiæ Maguntinæ postulatus in archiepiscopum ipsius ecclesiæ dicebatur, propterea se in archiepiscopatū Maguntinum intruserat, bonaque occupauerat, & occupata indebite, ac in suæ detrimentum salutis animæ contra sanctiones canonicas detinebat prædicta) nequaquam permisit, sicut nec adhuc permittit, sæpefatum Maguntinum archiepiscopum administrationem suscipere ac gerere supradictam: quin potius occupationem ipsam vtique perniciosam & tyrannicam longo tempore continuauit & continuat, percipiendo fructus, redditus, & prouentus archiepiscopatus prædicti, seque in administrandis, vel potius vsurpandis, & gerendis ibidem his, quæ ad pontificale spectant officium, quamuis nulla sibi super hoc facultas suppetat, damnabiliter immiscendo: quæ in diuinæ maiestatis offensam, dictæ sedis contemptum & contumeliam, suæque periculum animæ, & archiepiscopi Maguntini prædicti, pro quo tres sententiæ diffinitiuæ latæ fore noscuntur in Romana curia super his, grande præiudicium & notoriam iniuriam, ac plurimorum scandalum, redundare dubium non existit.

Henricum Ioannes præfecerit Moguntiæ.

Balduinus se postulari curarit.

Inuaserit vectigalia archiepiscopalia.

Trina in eum lata fit sententia.

58 Cumque pridem de mense iunij proxime preteriti diu, antequam literæ regiæ peruenissent, pro parte sæpefati archiepiscopi Maguntini, coram nobis & fratribus nostris in consistorio proposito negotio supradicto, fuisset nobis super exhibenda iustitia instanter & humiliter supplicatum; nos & fratres prædicti diligentius attendentes, quod prælibatus archiepiscopus Treuerensis benignitatem & mansuetudinem Apostolicæ sedis prædictæ, quæ ipsum tam præfati prædecessoris nostri, quam nostro tempore diutius abstinendo a processibus aduersus eum faciendis expectauit, vt suæ in hac parte saluti & famæ, a tam perniciosis & dānatis temeritatibus resiliēdo, cōsuleret; præsertim ad memoriam reuocans, quod contra reuerentiā & obedientiā, quibus Rom. ecclesiæ astrictus existit, & etiam proprium iuramentum, per eum in sua promotione præstitum, offendendo & transgrediendo sacros canones manifeste, in prædictis & circa ea egit & agit, deducebat & deduxerat damnabiliter in contemptum; quodque, prædictis omnibus in considerationem adductis, aures non poteramus claudere, nec iustitiam, super qua exhibenda instanter requirebamur, vt præmittitur, absque Dei offensa & læsione conscientiæ denegare; certos in eodem consistorio, exacta deliberatione cum ipsis fratribus præuia, processus ordinauimus fieri, non solum exigente iustitia, sed cogente. Quare, fili charissime, si ab huiusmodi processibus tam mature tamque solemniter in consistorio, vt præmittitur, ordinatis sacrosancta Romana ecclesia omnium mater fidelium & magistra, sic viliter & grauiter remanente per præfatum Treuirensem archiepiscopum vilipensa, tamque grandi, notoria, & scandalosa iniuria rigore iustitiæ non repressa, desistere non valemus, habeat nos, circumspectis prædictis omnibus, regia prouidentia, quæ iustitiam diligit, nec æquanimiter tolerare prædictæ ecclesiæ Romanæ offensas & iniurias consueuit, cum ea offensa tu velut benedictionis & gratiæ filius nequeas non offendi, quæsumus excusatos.] Addit sæpius qua prece qua minis tentatum Treuirensem, vt cœpto absisteret, ne edictis apostolicis feriretur; ac mirum videri, cum aliquorum Cardinalium opera archiepiscopatus Moguntini controuersis iuribus abiturum se vrgente Henrici procuratore obtulerit, tum regijs studijs ad illum retinendum anniti. *Dat. apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis III. non. iulij anno II.*

Noua in eum iudiciaria acta instructa sunt.

Eorum terrore lite cessit.

59 Deiectus spe sua Balduinus, cum ad ipsius vota Pontificem non frangi cerneret, nec Gallum Regem quidquam gratia potuisse, obiectaque anathematis religione vrgeretur, demum cui-

Repulsa Gallo obiecta.

cuilibet principatui obseruantiam in sedem Apostolicam anteferens, missis ad Benedictum oratoribus, controuerso iure abiuit. administrationemque ecclesiæ Moguntinæ, necnon arces, quas milite præsidiario munitas tenebat, pontificio arbitrio commisit, additis hisce literis [a] sui obsequij in ecclesiam testibus.

[a] Ext. in ferio eris sup. cur. Bened an. 2. p. 2. pag. 16.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo, domino Benedicto sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ digno Dei prouidentia summo Pontifici, Baldevvinus archiepiscopus Treuerensis cum omnimoda subiectione & reuerentia deuota pedum oscula beatorum.

Balduini Treuiren. ad Pont. literæ.

Pater sanctissime. Cum, vacante alias ecclesia Moguntina ex obitu quondam * Matthæi eiusdem ecclesiæ archiepiscopi, ad instantes preces & continuum ad me recursum capituli dictæ ecclesiæ Moguntinæ, nec non nobilium & vassallorum ipsius, multiplicibus tribulationibus & incommodis grauiter & intolerabiliter oppressorum, de protectione seu gubernatione prædictæ ecclesiæ Moguntinæ solita amicitia motus ad eosdem, me intromiserim in eum (Deus nouit) affectum, vt mediante adiutorio ecclesiæ meæ Treuirensis & amicorum meorum ipsam ecclesiam Moguntinam, nobiles, vassallos, gentem, & possessiones eiusdem ab huiusmodi oppressionibus & incommodis releuarem; in quo Deo primum, deinde sanctæ Romanæ ecclesiæ gratum & acceptum sperabam obsequium exhibere, ac nihilominus vestræ sanctitatis gratiam hæc solicite prospiciens promereri; nunc autem certis intelligens indicijs, vestram sanctitatē in hoc deliberasse, vt gubernationem & protectionem ipsius ecclesiæ Moguntinæ ad manus sanctitatis vestræ ponam; de vestræ sanctitatis clementia nō immerito confisus, quod videlicet meo statui, ecclesiæ meæ Treuirensis, & ipsius ecclesiæ Moguntinæ prospicere debeat, ego tanquam deuotus sanctitatis vestræ filius, qui vestris & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ iussionibus semper & humiliter obedire volo, honorabilem virum Boemundum archidiaconum Treuirensem strenuum virum, Simonem Philippum de Regalibus de Pistorio dominum de Longoprato militem, & Rodolphum dictum Luse notarium meum exhibitorem præsentium meos procuratores & nuntios speciales ad pedes vestræ beatitudinis duxi humiliter transmittendos; dans eis vel duobus ex ipsis plenum mandatum, & liberam potestatem vestræ speratæ clementiæ meas & prædictæ ecclesiæ Moguntinæ vrgentes & ineuitabiles necessitates, ipsi ecclesiæ Moguntinæ & mihi grauiter imminentes, exponēdi, causas & motiua, quare ad gubernationem seu protectionem ipsius ecclesiæ Moguntinæ inductus fuerim, plenius explicandi vestræ sanctitati: super conseruatione status mei & honoris, & dictæ ecclesiæ Moguntinæ humiliter supplicandi, ac etiam ipsius ecclesiæ Moguntinæ castra, fortelitia, villas, oppida, iurisdictiones, & iura in manus sanctitatis vestræ ponendi & resignandi, aliaque meo nomine faciendisque circa hæc necessaria fuerint vel opportuna; ratum & gratum habiturus quidquid mei procuratores prædicti meo nomine egerint in præmissis sub rerum mearum omnium hypotheca; per ipsos & cum ipsis vestræ sanctitati humillima deuotione supplicans, quatenus me vestrum deuotum filium, ecclesiam meam Treuirensem, ac ipsam ecclesiam Moguntinam in vestris dignemini gerere visceribus charitatis: mihique, meo statui & honori, & ipsius ecclesiæ Moguntinæ iam dudum per me desideratis commodo & paci, pie pater, dignemini fauorabiliter prouidere. In quorum omnium euidentiam vestræ sanctitati præsentes literas, mei appensione sigilli communitas, duxi in feruenti deuotionis constantia destinandas. *Dat. Treuiris anno Domini MCCCXXXVI. XII. die mensis nouembris.*

Vt præterita gesta excusarit.

Renūtiat ecclesiæ Moguntinæ.

Decreti ab eo ad id oratores.

60 Redacto ad officium Balduino, Pontifex decreuit [a] apostolicos nuncios Guidonem e S. Germano Aniciensem & Nicolaum Capociam; qui sedis Apostolicæ nomine restituendarum a Balduino arcium possessionem inirent: amplissimisque eos instruxit mandatis, vt renitentem ad id adigerent. Cum vero iam ante grauissima in Balduinum edicta tulisset, quæ ad Henricum archiepiscopum Moguntinum transmiserat, eidem Henrico præcepit [b], ne illa euulgaret; sed pontificios oratores suo munere defungi sineret.

[a] An. 2. ep. cur. 530. Missi Moguntiam a Pont. nuntij.

[b] Ibid.

Potitus postea principatu Henricus, pro beneficio atroces iniurias reposuit sedi Apostolicæ, a qua ipsum ob flagitia coitionesque cum Bauarō initas exauctoratum visuri sumus; suaque spe delusus est Benedictus, qui illum futurum Romanæ ecclesiæ addictissimum putabat: quippe Philippo Regi consulenti, an fœdere Moguntinum sibi obstringeret, ne in hostium partes deuolaret, respondit non videri, cum tenues & afflictæ essent illius opes, & facile ab eo consilio abducendus esset [c]: *Etiamsi*, inquit, *ipse suum archiepiscopatum plenarie obtineret, non auderet, nec nos permitteremus eidem talia contra nostrum & tuum beneplacitum (præsertim vbi tu regnumque tuum, quorum salutem & statum zelamus prosperum, tangeremini) quomodolibet attentare: quod si facere præsumeret, opportunis remedijs super hoc coerceretur a nobis.*

Henricus pontificio studio euectus postea in hostem versus.

[c] To. 2. ep. secr. 190.

61 Hoc anno legauit ad sedem Apostolicam oratores Casimirus Rex Poloniæ, qui inter cætera flagitarunt a Benedicto, vt fœdera, quæ cum Ioanne Boemiæ & Carolo Vngariæ Regibus percusserat, auctoritate pontificia corroboraret: agerent de imminuendo censu eidē sedi Apostolicæ a Polonis pendi solito: expostularent de cruciferis Liuoniæ equitibus, quibus perfidiæ notam in repudienda a Regibus arbitris pronuntiata sententia impingebat; nonnullos denique episcopos e suis sedibus ad alias traduci postularent. Cum quibus ita se gessit Pontifex, vt primum fœdus illud anno superiori firmatum (ex quo ad Ludouicum Bauarum Germaniæ correpto regno deturbandum illos conspirasse [d], ex nonnullis auctoribus diximus: ex alijs [e] vero eosdem amicos & hostes habituros sacramento spopondisse) confirmare detrectarit [f], cum in eo plura ab æquitate abhorrentia, ipsis exitialia Regibus, neque honori ecclesiæ consentanea reperirentur.

Poloniei oratores ad sedem Apost. missi.

[d] Magon. ... [illegible]
[e] ... [illegible]
[f] To. 2. ep. secr. 309.

Benedictus, &c. Casimiro Poloniæ Regi illustri.

Primo non videtur nobis, quod forma pacis inter te & charissimos in Christo filios nostros Vngariæ & Boemiæ Reges illustres initæ inuicem, quam nobis nūcius prædictus exhibuit, debeat esse grata, nec nobis & Apost. sedi accepta: cum super multis articulis exorbitare a rationis & æquitatis tramite, charitatique ac tuis honoribus & vtilitatibus obuiare plurimum videatur; nec super ligis & confœderationibus, in eadem contentis, nostris & sedis præfatæ honoribus & reuerentiæ in aliquo deferatur. [Quod ad censum sedi Apostolicæ soluendum a Polonis attinet; ostendit in-

Fœdus inter Polon. Boem. & Vngar Reges non laudatum.

more positum, vt non a rusticis modo, sed oppidanis etiam, vrbiumque ciuibus penderetur].

De censu Polonico. Præterea super eo, quod dicebatur, habitatores & incolas regni prædicti teneri ad solutionem census annui ecclesiæ Romanæ debiti, qui denarius B. Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus, non per capita personarum, sed pro singulis domicilijs habitatorum & incolarum ipsorum; adijciebaturque illos, habitatores & incolas, qui commorantur in ciuitatibus vel oppidis clausis & muratis, esse a solutione census huiusmodi liberos & immunes; nos, qui sic iura prædictæ Romanæ ecclesiæ illæsa seruari volumus, quod ius alterius propter hoc non lædatur, perquiri regesta ipsius ecclesiæ fecimus diligenter, & quia reperitur in eis, omnes eiusdem regni personas, non exclusis nec exceptis illis, qui degunt in eisdem clausis seu muratis ciuitatibus & oppidis, ad solutionem dicti census non per domicilia sed per capita personarum ipsarum teneri; decenter aliud, per quod eidem ecclesiæ Romanæ derogari posset, super iure huiusmodi absque læsione conscientiæ immutare non possumus, vel etiam innouare.

62 [Rogarat etiam Pontificem Casimirus, vt Vratislaniensem & Cracouiensem episcopos sibi minus gratos ad alias sedes traduceret. Cui Benedictos respondit, non esse moris sedis Apostolicæ, episcopos sine magnis causis ad alias ecclesias transferre. Cumque querectus Rex, crucigeros equites pacis inter Polonos & ipsos conciliatæ leges respuere; mirati se admodum subdit, cum illi in ipsum Regem culpam repudiati fœderis deriuarent: cum vero mutuo fœdere omnes Christianos, ac maxime principes, coniungere cupiat, partium se ad pontificiam auctoritatem ad fœdus illud sanciendum adhibendam; tum hæc addit.] (Episcopi ad alias sedes non transferendi nisi grauj de causa.)

Denique quia sacra teste scriptura, *sapiens filius lætificat patrem*; de te, fili charissime, lætamur admodum in Domino, quod sicut fama celebris ad nos vsque perduxit, tu beneplacitis Regis pacifici & excelsi per actus virtuosos & laudabiles te coaptans, & Rex appellari desiderans a regendo, in regno & terris tibi subditis, repressis & correctis malorum & peruersorum insolentijs, bonum pacis & iustitiæ facis coli. Verum attendentes, quod huiusmodi opera tua, grata vtique iusto & æterno Iudici, gratiora & acceptiora eidem, tibique magis meritoria redderentur proculdubio apud eum, si honorare ipsum studueris in sancta ecclesia sponsa sua; serenitatem rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus eandem ecclesiam in prælatis & personis ecclesiasticis regni sui prædicti sicut decuerit honorando, prælatos & personas eosdem in suis & ecclesiarum suarum manutenendis iuribus & libertatibus habeas pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia fauore regio commendatos; eos, nec non pauperes, pupillos, orphanos, & viduas, aliasque personas miserabiles ab oppressionibus indebitis defendendo, &c.] Subijcit, manere illum diuina & æterna præmia pro ijs pijs operibus, quæ diuini amoris intuitu explicuerit. *Dat. Auin. 11. id. decembris anno secundo.* (Commendatus Polono ordo ecclesiasticus.)

63 Ad ruendum ecclesiæ splendorem excercendus fuit aclus pontificius in nonnullos hypocritas, qui religiosa veste insignes ecclesiam impie oppugnare non perhorruerunt. Erant ij e Fraticellorum secta, qui nonnulla fidei dogmata, quæ Ioannes XXII. singulari sancti Spiritus præsidio, quod Petri successoribus in fidei definiendis controuersijs nunquam defuturum est, instructus statuerat, conuellere ac traducere vmbratilibus argumentis & canina obmurmoratione nitebantur, illius famam impudenter carpere non veriti, grassabanturque in Sicilia. Ad quorum effrænatam improbitatem retundendam Benedictus Robertum Regem sollicitauit a, vt potentiam adhiberet. (Fraticelli Pontificis famam lacerant. a To. 1. ep. secr. 189.)

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliæ illustri.

Habet fidedignorum assertio, nostri apostolatus auditui sæpius inculcata, quod quidam peruersi homines, se fratres de paupere vita, vel alijs nominibus appellantes, qui diuersorum colorum, seu petiarum variarum curtos & deformes gestant habitus, ab illis, quibus fratres ordinis Minorum vtuntur, plurimum discrepantes, cum eisdem fratribus Minoribus tam in monasterio vocato de corpore Christi Neapolitano, quam in diuersis alijs fratrum eorundem conuentibus ac diuersis locis alijs infra regnum & terras tuas consistentibus, non absque multis periculis & scandalis, præsertim diuisionis & schismatis in prædicto suscitandorum ordine, eum diuersum modum viuendi ab eisdem fratribus Minoribus habeant, subesseque ipsorum prælatis & superioribus renuant, commorantur. Insuper aliqui ex eisdem superstitiosis hominibus errores disseminantes varios, & acuentes ad effundendum venenum, laxata labijs sua licentia temeraria, linguas suas, determinationibus & ordinationibus sedis Apostolicæ detrahere, tam in secreto, quam in publico, memoriamque felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri ferire ac lacerare detractionis ictibus in multis regni & terrarum prædictarum partibus, tanquam detractores & susurrones præsumptuosi & temerarij moliuntur. (Inepta eorum hypocrisis.) (Et temeraria impietas.)

Sane, fili charissime, cum te, qui princeps existis catholicus, & erga sedem prædictam præcipuæ deuotionis & reuerentiæ fulgore clarere dignosceris, tales homines pestiferos & nociuos, eorumque latratus, susurrationes, & detractiones huiusmodi non deceat nec expediat tolerare; regiam rogamus excellentiam, requirimus attentius, & in Domino exhortamur, quatenus varia pericula, quæ dictorum peruersorum hominum, quorum secta iamdudum per sedem præfatam extitit reprobata, motus conuersatio prælibatis fratribus Minoribus ac eorum ordini propter ea, quæ præmisimus, & alia multa, quæ potest regia prouidentia circumspicere, comminatur; nec non quantam maculam in gloria serenitatis regiæ præfatorum superstitiosorum hominum tolerantia cum præfatis fratribus; seu in regno & terris prædictis poneret, deducens in regiæ considerationis examen; ipsos de dictis conuentibus repelli & amoueri procures, nec eos in regno & terris prædictis tolerdes, nec ab alijs tolerari permittas; sed potius qualiter de suis erroribus & præsumptuosis temeritatibus per prælatos & alios ad * pertinet, debite corrigantur, regium præstes auxilium, consilium, & fauorem; sic re tibi dilectissime, super his habiturus, quod supradictis vitatis periculis, tua sincera deuotio exinde dignas commendationis & laudis præconijs attollatur. *Dat. Auin. VIII. kal. iulij anno II.* (Reprimi iubentur a Roberto.) (* quos)

64 Serpebat eadem pestis Fraticellorum in ditione ecclesiastica: ad quam extinguendam Pontifex Bertrandum b archiepiscopum Ebredu- (b Ep. 112.)

dunensem apostolicum internuntium, Ioannem episcopum Anagninum pontificium in Vrbe vicariũ a, Hugonem Augerij patrimonij, Rogerium e Vinito Campaniæ, Canhardum e Sabulano Piceni, Raimundum e Poiolijs ducatus Spoletani, & Guillelmum Arnaldi Æmiliæ præsides b incumbere iussit. Egerat quoque præcipites in schisma & impietatem nonnullos pseudominoritas partium studium, & obfirmata pertinacia, qui sentire cum Fraticellis, atque Ioannis XXII. constitutionibus detrahere, & eius famam discerpere calumnijs visi: *Relatum est*, inquit Benedictus c, *nobis quod quidam fratres ordinis Minorum, qui quondam Petro de Corbario (dum erat hæresiarcha caput illius horribilis schismatis, quod tempore felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessoris nostri extitit contra Deum, & sedem Apostolicam fidemque catholicam attentatum) ac Michaeli de Cesena dudum de hæresi condemnato, nec non & Ludouico de Bauaria iniurioso inuasori regni Romanorum & imperij adhæserunt, sicut asseritur, in Anconitana marchia commorantes, statuta vilipendere canonica, ordinationibus & determinationibus sedis Apostolicæ mendaciter detrahere, memoriam eiusdem prædecessoris denigrare ac dilacerare sub murmurationibus temerarijs, & nonnulla alia verbis & factis, quæ fidei puritati catholicæ, bonisque moribus sunt obuia, suoque ordini dedecentia, committere non verentur, &c.* In hos Benedictus fidei & iustitiæ studio accensus intendi iudicium, ac si illud declinarent, eosdẽ vinculis mãcipari d iussit.

a To. 1. ep. secr. 247.
b Ep. 148. ad 152.
Pseudominoritarũ impudentia.
c Ep. 112.
d Ib. ep. 313.
e Ib. ep. 316.
f Ep. 318.

Vocati etiam in ius e Franciscus Camerinus, & Iacobus Firmanus episcopi, cum Fraticellis fauerent, atque in eorum diœcesi sua illi conuenticula agerent. Dicta etiam dies Berengario Durãdo pseudominoritæ impostori f, qui ad emungendam stipem, proposita a Pontifice indulgentiarum præmia daturis eleemosynam Minoritis pro concione mentiebatur. Cumque in Auinionensibus carceribus nonnulli sacri eiusdem ordinis pseudoreligiosi detinerentur, Pontifex Guillelmum Lombardi ecclesiasticarum caussarum iudicem Auinionensem in eos legum seueritatem, interque cæteros in eiusdem familiæ capellanum pontificium, exercere iussit. g

65 Neque silentio prætereundum est, summum Dei vicarium ad restituẽdum sacris ordinibus religiosæ disciplinæ splendorem apostolica adhibuisse studia: vtque optimas Cisterciensibus h superiori anno leges dederat, ita hoc ipso Benedictinis i & Minoritis excolendæ monasticæ vitæ formulas præscripsit. Præterimus quæ ad Benedictinos spectant, cum in bullario k omnibus pateant. Quæ vero ad Franciscana instituta pertinent m, cum recondita sint & digna luce, delibaui.

g Ep. 31. & 349.
Reformata a Bened. Minoritarum disciplina.
h Ext. in bullar. in Ben. XII. const. 3.
i An. 2. ep. cur. 1. & M.S. bibl. Vat. sign. n. 3988.
k Extat in bull. in Ben. XII. const. 5.
m An. 2. ep. cur. 19.

Benedictus &c. ad perpetuam rei memoriam.

Vt in sacro Minorum ordine fratrum, quem ab olim gessimus & gerimus in visceribus charitatis, diuinorum officiorum sacrificium, debitumque silentium, ciborum abstinentia, sanctimonia habitus obseruentur; studium quoque sacræ paginæ in dicto ordine vigeat, & personis eiusdem ordinis ad hoc aptis insistendi disciplinis scholasticis commoditas ministretur, ac charitas Dei, ex qua virtutes ceteræ generantur, regnet & ferueat in cordibus eorundem, cæteræque laudabiles obseruantiæ regulares sic exemplariter luceant in eisdem, vt sint etiam alijs in rectè viuendi speculum, & imitandæ sanctitatis exemplum; ad laudem Dei, et spiritualem profectum omnium militantium in ordine memorato infrascriptas ordinationes, in dicto ordine auxiliante Deo perpetuis futuris temporibus obseruandas, adhibitis nobis ad hæc quampluribus viris solemnibus, S. R. E. Cardinalibus, videlicet venerabilibus fratribus Petro Penestrino, Gaucelino Albanensi episcopis, ac dilectis filijs Petro tit. S. Praxedis presbytero, ac Galhardo S. Luciæ in Silice & Bertrando S. Mariæ in Aquiro diaconis Cardinalibus; ac etiam venerabilibus fratribus nostris Gotio patriarcha Constantinopolitano, & Iacobo episcopo Brixiensi, ac dilectis filijs Girberto S. Victoris Massiliensis, ac Guillelmo Montis Oliui Carcassonensis diœcesis monasteriorum abbatibus; nec non Geraldo generali, Henrico Franciæ, Ioanne Burgundiæ, Pastore Prouinciæ, Petro Tusciæ, nec non Pontio Carbonelli Aragoniæ, ac Petro de Saxoferrato marchiæ Anconitanæ, Philippo quondam Mediolanensi, Laurentio quondam terræ Laboris prouinciarum ministris, Nicolao de Hayo, Gualtero Chyaton, Guillelmo Bernardi de Podio, Antonio de Valensia, Fortanerio Vassalli sacræ theologiæ magistris, ac Petro de Strata procuratore in curia dicti ordinis Minorum, eiusdem ordinis professoribus, prouidimus faciendas.

Qui ab eo ad id opus fuerint adhibiti.

66 In primis circa agendum diuinum officium in eodem ordine; auctoritate apostolica ordinamus, quod ante missam & horarum principia fratres dicti ordinis omnes, quos caussa rationabilis non excusat, ad chorum conueniant, præparaturi Domino corda sua, ibique sine discursu, murmure, risu, & absque vagis & vanis aspectibus sub silentio, in pace, & cum debita grauitate permaneant, cantent, & orent, & vsque in finem vnanimiter persolueant. Quia vero cantus ecclesiasticus, diuinæ laudis sacrificium, fructusque labiorum canentium non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum ædificatio esse debent; eosdem fratres hortamur in Domino, vt diuinas laudes integre, attente, honeste, ac religiose persoluant: gestus leues, & cantus dissolutos, seu fractos omnino declinent: tractim psallant debito more: incœpta, quæ simul cantanda fuerint, simul continuent, simul pausent. Ordinamus etiam quod in singulis ordinis prædicti conuentibus hora sexta, sicut aliæ horæ cum nota dicatur; &c. [Obiectæ ijs, qui contra tenderent pœnæ. Tum de silentio tenendo, de tyronibus disciplina religiosa informandis, deque ieiunijs, plura sancita. De vestium autem forma & pretio instaurata Ioannis constitutio a: *Quorundam exigit*; ac rebelles coerceri iussi a Benedicto.]

De diuino officio.
Et psallendi modo.
a Extrau. Quorundam exig. de verb. sign.

Verum quia nondũ, *inquit*, vt audiuimus, cessat temeritas seu præsumptio aliquorũ fratrum eiusdẽ ordinis, habitũ & vestes singulares & deformes portantium, vt præfertur; volentes eosdem per pœnæ adiectionem a temeritate & præsumptione huiusmodi ad communem ordinis obseruantiam reuocare, præsentium auctoritate statuimus, quod si qui eiusdem ordinis professores contra arbitrium, determinationem, seu iudicium ministrorum, custodum, seu guardianorum, in ordine suo præsidentium, habitum, aut ipsorum habituum caputia, seu vestes deformes, & vestibus aliorum fratrum communitatem ordinis tenentium dissimiles & difformes portare, aut quod fratres ordinis talibus vti deformitatibus teneantur, pertinaciter asserere præsumpserint, nisi infra quindecim dierum spatium postquam

De cultu externo lex.

præsens nostra ordinatio ad eos peruenerit, a talibus insolentijs obedientes destiterint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua per generalem seu prouinciales in suis prouincijs ministros dumtaxat, satisfactione præmissa, possint absolui. [Adiecta alia de modo exeundi e monasterio, de muneribus non dandis, de studijs, edendisque in lucem libris. Tum de nefarijs opinionibus coercendis hoc decretum].

Decretū contra Fraticellorum sequaces.

67 Quia nonnulli dicti ordinis habitum religionis eiusdem gestantes, sed a puritate ac communitate ipsius recedentes, procurante satore malorum, sub simulata quadam sanctitatis specie damnatas per sacrosanctam Romanam ecclesiam hæreses dogmatizare, prædicare, defendere, & approbare præsumunt; suaque doctrina, & prædicatione sacrilega & peruersa; corda simplicium damnabiliter corrumpere & deprauare conantur districte præcipimus, vt contra tales & quoscumque alios dicti ordinis fratres, qui talia verbo vel scripto præsumpserint, sicut contra hæreticos debite procedatur; & contra fautores, defensores, & receptatores eorum procedi debeat iuxta canonicas sanctiones. Illos etiam, qui ausi fuerint doctrinam, positionem, vel opinionem per dictam ecclesiam reprobatam docere, prædicare, defendere, vel approbare, aut per eandem ecclesiam approbatam reprobare, animaduersione canonica decernimus puniendos. Districtius etiam inhibemus, ne quis fratrum dicti ordinis opinionem de fide vel moribus suspectam, aut per magistros sacræ theologiæ communiter reprobatam dogmatizare, prædicare, defendere, vel approbare præsumat; quibuscumque fratribus dicti ordinis, qui aliquem eiusdem ordinis sciuerint vel audiuerint talia facientem, in virtute sanctæ obedientiæ iniungentes, vt quam cito commode poterunt, prout ea perceperint, superiori ipsius debeant intimare: qui ante omnia ei districte præcipiat, ne talia recitet vel attentet, donec super eis plene veritas sit discussa; pro cuius discussione idem superior ad aliquod de vicinioribus studijs theologiæ festinet recurrere, & super his veritate comperta, fratri talia dogmatizanti, prædicanti, defendenti, seu approbanti, ac quibuscumque alijs fratribus ei in ijs fauentibus, vel eum defendentibus, prout culparum eorum qualitas seu præsumptuosa temeritas exegerit, de consilio discretorum fratrum loci præfati studij debitam pœnam imponat, & ad reuocandam cum effectu prædictam opinionem errorem eos ipsos moneat & inducat. Quod si pertinaciter parere contempserint, nec a talibus desistere forte voluerint, eos de prædictorum consilio carceri mancipet, & detineri faciat mancipatos, donec efficaciter paruerint, & destiterint a prædictis. Et nihilominus prædictus superior de præmissis omnibus plenam & fidelem relationem faciat in primo subsequenti capitulo generali, in quo quid super eis faciendum fuerit, plenius ordinetur.

Contra erroneatum opinionum artifices.

Pendente apud sedē Ap. fidei cōtrouersia, quidquam definire vetitum.

Districtius inhibemus, ne postquam super negotio fidei quæstio seu dubitatio aliqua, super qua sint opiniones aduersæ vel diuersæ, deducta fuerit ad Apostolicæ sedis examen, quisquam ex tunc alterutram partem determinare, eligere, vel approbare præsumat, sed super ea sedis eiusdem iudicium, seu declaratio expectetur.

68 [Adiecta alia de librorum vsu, de donis & legatis, de precibus fundendis pro ijs, qui eleemosynas ac beneficia contulere, de sacramento ab ordinis præpositis nuncupando, cuius formula his verbis concepta fuit]. Ego frater N. generalis minister ordinis fratrum Minorum ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, sanctæque Romanæ ecclesiæ, dominoque meo domino Papæ, suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, nec in facto, vt vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi aut per se aut per literas aut per nuntium manifestabunt; ad eorum damnum nulli pandam. Vocatus ad synodum veniam, nisi fuero præpeditus canonica præpeditione. In correctionibus iudicialibus grauium criminum, & in prouisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus, & repulsionibus faciendis de personis dicti ordinis fideliter, ac secundum Deum & regulam B. Francisci, puramque & rectam conscientiam me habebo. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Simile iuramentum præstabunt ministri prouinciales &c. [Ad temperandum eundem ordinem, de familia & sumptibus generalis præpositi, de lustrandis ab eo religiosis domibus, de prouinciarum vel conuentuum singulorum præpositis, de creandis fidei censoribus, de procuratore, de concionatoribus & sacerdotibus excipientibus sacras exhomologeses, de mittendis ad gentes euangelij præconibus, de modo deliberandi seruando a Minoritis, de criminibus deferendis plectendisque, de ædium & officinarum structura; deniq; de Minorissis regendis plura præcepta a Benedicto descripta fuerunt; cuius sanctioni hæc temporis nota apposita. *Dat. Auin. 10. kal. decembris anno secundo.* Lectas exceptasque ab vniuersis Minoritis, qua par erat obseruantia & demissione Benedicti constitutiones in celebratis Caturci proximo anno ordinis comitijs, indicat Vvadinghus a: extantque datæ ad eosdem cœtus Pontificis literæ, quibus illius familiæ præpositis collata potestas est b, vt eos, qui Michaeli Cæsenati adhæserant, censuris soluerent: cuius beneficij tamen expertes illos esse iussit, qui a Petro Corbaria pseudopontifice adulterinas dignitates exambiuissent, ipsos enim sedi Apostolicæ sistendos voluit, vt crimen rite expiarent.

Nuncupādi a Min. præpositis sacramēti formula.

a Luc. Vvad. an. 1337. n. 3. & 5
b An. 3 epist. cur. 342.

69 Hoc anno excessit e viuis vir insignis Guillelmus episcopus Sabinensis, e Prædicatorum ordine ad Cardinalatum euectus: quem inter cætera præclara gesta tria magnificentia & amplitudine conspicua atque eleganti cultu elaborata templa excitasse in ordinis suis cœnobijs, refert subiectis verbis Benedicti vitæ auctor c: *Anno Domini M. CCC. XXXVI. die quarta mensis iunij obijt dominus frater Guillelmus Petri de Goderio ordinis Prædicatorum, episc. Sabinensis Cardinalis, qui diu fuerat legatus in Hispania, vbi multa bona & salubria ordinauit, constitutionesque fecit quamplurimas, præsertim contra concubinarios ecclesiasticos, qui pro tunc erant in illis partibus infiniti. Hic quamquam esset modicæ, immo quodammodo deformis staturæ; fuit multum literatus & cordatus, ac virtuosus in omnibus factis suis: deditque sibi etiam Deus multa bona temporalia, de quibus fecit opera mirabilia, quæ sequuntur. Construxit enim tres ecclesias mira pulchritudinis adeo, quod ordo suus non creditur habere pulchriores et solemniores vbicumq; videlicet vnam in conuentu Auenionensi, aliam in conuentu Tolosano, in qua iacet tumulatus, & aliam in conuentu Baionensi, vbi fuerat vestitus & educatus. Fecit etiam tam in dictis conuentibus, quam in alijs dicti ordinis multa alia bona admodum cōmendabilia, & memoria digna.*

Guil. episcopi Sabinen. mors.

c Gesta Ben. apud Bosquet.

Tria ab eo excitata tēpla.

Hoc

70 Hoc anno migrauit ad Dominum Elisabeta Lusitaniæ Regina, de qua a nobis in superiori tomo honorificentissima mentio edita est, cui eximiæ virtutes sanctarum viduarum honores pepererunt. Scripsit ex veteribus monumentis inter alios sacram eius vitæ historiam terso & eleganti stilo Petrus Perpinianus Societatis Iesu, feliceemque eius obitum his verbis depingit a: *Proximo die iouis, quam lecto teneri cœperat ante diem quartam non quintiles multo mane criminibus expiatis confessione plena pietatis, plena doloris, per sacerdotem sacrificium fieri præcepit extra conclaue apto & ad visendum & ad audiendum loco. Quo peracto, vt erat ardens ad colendam religionem, & erecta humiliter de se ipsa sentiens, & eximia aduersus Numen diuinum reuerentia commota, ab Iacobo suo grauissimo magistro edocta, qui sacerdote sacrosancta peragente mysteria neminem intra cella cancellos consistere patiebatur, & ipse procul ab ara, nullis circum prapendentibus peripetasmatibus inclusus more Regum, in oculis omnium vtroque genu nitebatur; surgit e lecto, vestes induit, procumbit in genua. Sic ad altare fere repens accedit, vbi sacrificulus aduenientem expectabat. Ibi cum fletu & eiulatu, mirifico animi sensu, quasi valere iubens omnia humana, e terris migratura in tam longinquas & tam ignotas regiones, viaticum necessarium corpus Christi sumpsit.* Et infra.

S. Elisabetæ pia mors.

a Perpin. de vita B. Elisab. l. 3.

Ve sacramentis rite munita sit.

Intelligens instare sibi mortem, filium, nurum, nepotes relinquit: reijcit labentium fluentiumque rerum curam, & omnem vim mentis intendens ad ea, quæ sola sunt semper eodem modo & æterna, Mariæ semper Virginis opem implorans: Maria, inquit, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Suam inde fidem ex Apostolorum symbolo publice professa, totum carmen a Christo compositum discipulisque traditum ad precandum Deum clara voce peregit. Nonnullas alias precationes addidit, quas recitantem sensim vox, sensus, vires deficiebant, donec omnibus cælestibus donis cumulata mens corpus deserens, ita compositum ore, oculis, vultu, vt obdormiuisse non mortuum esse videretur, anno LXV. quam a Deo optimo maximo procreata fuerat, & ei tuendo regundoq; præposita, in regionem conuenientem natura sua, domicilium immortalis ac beatæ vitæ migrans, magnum sui desiderium in omnium animis infixum reliquit. Incisam refert Vvadingus b, ad eius sepulchrum veterem hanc inscriptionem, quæ illã hoc ipso anno ex humanis abijsse testatur his verbis: *Æra* MCCCLXXIV. si ex ea triginta octo annos detraxeris, quibus ecclesiasticum computum superat, concurrit cum anno Christi MCCCXXXVI. *die* IV. *mensis iulij in castro de Estremos obijt inclyta donna Elisabetha Regina Portugalliæ, & fuit sepulta* XII. *die dicti mensis in hoc monasterio S. Claræ, quod ipsamet fieri iussit & dotauit: & fuit vxor domini Dionysij illustrissimi Regis Portugalliæ, & filia Regis domini Petri de Aragonia & Reginæ donnæ Constantiæ, atque mater domini Alfonsi serenissimi Regis Portugalliæ & dominæ Constantiæ Reginæ de Castella, fuitque auia Regis Alfonsi de Castella & Reginæ donnæ Mariæ vxoris suæ. Hos honorauit, ijsque benedixit: cuius anima requiescat in pace.* Fulsit maximis post mortem miraculis, quorum gloria & numerus flexu temporum creuere adeo, vt Paulus IV. ad preces Ioannis III. Lusitaniæ Regis in omnibus Lusitaniæ regnis aras dicari Deo, tabellas affigi, solemnesq; precationes publico ecclesiæ ritu decantari ad eius nominis memoriam permiserit: ac demum Vrbanus VIII. anno iubilei MDCXXV. illam solemni ritu in sanctarum viduarum catalogo reposuerit.

Imploratum a beata Virginis auxilium.

b Vvading. hoc ann. n. 16.

Qui illius parentes, & affines.

Ab Vrbano VIII. in SS. catalogo collocata.

IESV CHRISTI

Annus 1337.

BENEDICTI PP. XII. annus 4. VAC. IMP. OCCID. 24. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 6

1 ANno Christi millesimo trecentesimo septimo indictione quinta, exorta sunt immania Anglos inter & Francos bella: stringendi aduersus Saracenos enses, Christiano sanguine imbuti; collocandæ in Asiatica expeditione decimæ, ab vtroque Rege in furentium stipendia versæ: destitutus occidentalium auxilijs oriens, Saracenis Syriacis in prædam cessit: Turcæ antea repressi, vires collegere; denique Græci, qui ecclesiarum coniunctionis tractatum auxiliarium in Turcas armorum spe susceperant, in perfidia obfirmari hæserunt. Non defuit tamen apostolico muneri Christi vicarius, vt tot tantaque mala auerteret: atque in primis Ludouicum Bauarum conciliare ecclesiæ constituit. Eo adducta res erat, vt Vvillelmus Iuliaci comes & Rupertus palatinus Rheni, Ludouici nomine ad eiuranda antecacta scelera subeundamque pontificiam, quamcumque tulisset sententiam; tum ad paciscendam cum Gallo Rege ex pontificio nutu amicitiam, dissoluto Anglico fœdere, condixerint proximo a purificatæ Virginis festo dies. Sed Gallus rerum, quas versabat, molem causatus orauit Pontificem, vt ineundi cum Ludouico fœderis tractatum ad primam imminentis quadragesimæ diem extraheret: quæ Benedictus Ludouico ordine exposuit, vtque in cœpto consilio constans perstaret hortatus est. a

Occidens intestino bello ardet.

Promotus de Ludouici recõciliatione tractatus.

2 Vrgebat Benedictus alijs literis b Philippum Regem, vt missis oratoribus fœdera firmissima cũ Ludouico redintegraret. Contra Philippus precibus vexabat Pontificem ne Bauarum sibi suspectũ in gratiam admitteret. At Benedictus regij oratoris post illata repulit, ac Regi causas, ob quas retardanda res non esset, exposuit. c

a Bened. l. 3. ep. secr. 28.

b Ead. to. 3 ep. secr. 19

Noua obijcere impedimenta nititur Francor. Rex.

Regia postulata reijcit Põt.

c Ib. ep. secr. 67.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Dum innumerabiles Christi sanguine redemptorum animas in Alamanniæ, Italiæ, alijsque partibus ex sola prædicti Ludouici adhærentia & assistentia excommunicationum & pœnis alijs ac erroribus inuolutas, & expositas æternæ damnationis periculis contemplamur; scandala quoque varia, quæ tam circa fidem catholicam, quam statum fidelium dictarum partium formidantur, nisi salubriter occurratur insurgere, anxia meditatione pensamus; nos, qui licet insufficientibus meritis illius locum tenemus in terra, qui ad congregandos in vnum dispersos, vocandosque peccatores ad pœnitentiam veniens, passioni pro omnibus se obtulit diræ mortis, si vices saltem vtcumque ipsius gerere vtiliter volumus, vt tenemur, dissimulare vel omittere absque offensa Dei propriæque, læsione conscientiæ non valemus (maxime cum ipse obtulerit & offerat, se nostris & ecclesiæ mandatis & beneplacitis in omnibus & per omnia efficaciter pariturum) quo minus super reducenda sub ouili dominico oue tali errante, quam aliæ absque numero vel ad mortis præcipitium sequuntur, proh dolor! vel cum ea, vt creditur, ad viam reducerentur salutis, iustos tractatus & rationabiles (prouidendo tamen a

Proponit continuas animarũ clades.

quan-

quantum cautius fieri poterit, ecclesiæ, ac tuis & charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris indemniratibus) admittamus; verentes quod, si per appositionem impedimenti, vel alias minus rationabiliter aditum super tractatu huiusmodi claudcremus, perspicaces & subtiles Theutonici, perpendendo vnde talia processissent, exinde irritati vel forsan desperati, se cum Anglicis vel alijs regij æmulis colligarent, quod periculosum & nociuum posset, quod Deus auertat, existere regno tuo. Si vero, procedente tractatu huiusmodi, ex parte ipsorum occurrant forsitan talia, per quæ differri vel impediri prælibatum contingat negotium, ita quod nec nobis, nec tibi, fili, valeat imputari, & nos & tu apud Deum remanebimus excusati, &c. *Dat. Auin. 11. non. aprilis.*

Alijs & Roberto consultū fore.

Si non admittetur Lud. in Phil. coniuratu. . .

3 Paruit consilijs apostolicis Philippus Rex, quamquam grauis eum cura vrebat, Ludouicum parta ecclesiæ gratia ex leni causa hosti Anglo, cum quo iam pacisci cœperat, se coniuncturum: suosque ad curiam Pontificiam oratores misit, qui cum Ruperto Bauariæ duce & Guillelmo Iuliaci comite legatis Bauaricis de ineundo fœdere egerunt a. Sed in medio tractatu Ludouicus oblitus salutis animæ suæ, ac solemnis iurisiurandi, quo se deuinxerat anno superiori, procuratores suos eo temporis flexu, quo tractatus reconciliationis teneret, se nos reuocaturum; Rupertum & Guillelmum principes in Germaniam redire iussit. Summo dolore ea de causa affectus est Pontifex, ac tractatus redintegrandi cupidus, kal. octobris ad eum instaurandum constituit. Tum paterne ipsum monuit, ne promissa violaret insigni periurio, neue Philippum Regem bello peteret. Exemplum apostolicarum literarum infra scriptum est b.

A cœptis resilit Bauarus.

a Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. 24. c. vlt.

b Eod. to. 8. ep. secr. 290.

Magnifico viro Ludouico de Bauaria, consilia matris ecclesiæ amplecti deuote, & velut salutaria suscipere reuerenter.

Ex relatione veridica dilectorum filiorum nobilium virorum Ruperti ducis Bauariæ & Guillelmi comitis Iuliacensis nuntiorum tuorum, quos dudum ad nostram præsentiam destinasti, potuisti colligere, & te credimus collegisse, puræ & sinceræ dilectionis affectum, quem gerebamus & gerimus ad reconciliationem tuam ad gremium sanctæ matris ecclesiæ, vbi tu eiusdem ecclesiæ beneplacitis te efficaciter coaptares. Ad quorum nuntiorum instantiam, non absque displicentia nostra, cum nobis super reconciliatione prædicta cœpti negotij interpellatio displiceret, & ipsius continuatio grata esset, prout tibi referre dicti nuntij debuerunt, vsque ad proximas kal. futuri mensis octobris pro resumenda prosecutione reconciliationis præfatæ terminum duximus prorogandum; sperantes quod tu de intentione nostra sincera & mente beneuola, quam gerimus ad animæ tuæ salutem, eorundem nuntiorum relatibus informatus, si illa, quæ coram nobis gesta fuerunt, plene & veraciter, vt existimamus, tibi duxerint referenda, super reconciliatione prædicta procederes vsque ad plenam consummationem ipsius, nec alijs interim te notabilibus & præiudicialibus negotijs implicares, quæ nos, fideles, ac deuotos ecclesiæ merito conturbarent.

Queritur ea de re Benedict.

4 Sed, sicut non sine admiratione & magna turbatione cordis audiuimus, tu offensas præteritas satagens culpis recentibus renouare, ad inuadendum terras & regnum charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Franciæ illustris, non absque graui offensione maiestatis diuinæ & eiusdem ecclesiæ atque nostra, contra pactiones, promissiones, & obligationes per dictum comitem nomine tuo factas & habitas, contra etiam iuramenta per eum nomine tuo præstita super eis, & per tuas patentes literas approbata veniens, te disponis & præparas, & bellicos congregare diceris apparatus; quæ si, quod absit, veritate nitantur, in elusionem, magnumque contemptum, & displicentiam nostram cederent; teque contra pactiones, promissiones, obligationes, & iuramenta huiusmodi venientem non leui infamiæ nota respergerent, & apud Deum & homines de inconstantia & reatu periurij notabilem exhiberent, ac prosecutioni & expeditioni reconciliationis præfatæ propter huiusmodi inconstantiam & reatum impedimentum & obstaculum non modicum ministrarent.

Datas antea sponsiones infringi.

Periurij præteritis criminib. addere.

Ideoque magnificentiam tuam affectuose rogandam duximus & etiam requirendam, sano tibi consilio suadentes, quatenus nouas tibi odiorum causas non aggreges, & dum potes in tranquillo procedere, nauim tuam guerrarum fluctibus, quæ vt plurimum periculosos sortiuntur euentus, prouide non exponas; sed ab omni inuasione retrahens animi tui motus, & desistens omnino nullis propter incitamenta quorumlibet te inuoluas negotijs, quæ nouis offensis te implicent, quæue cœptum tuæ reconciliationis negotium cum eadem ecclesia valeant impedire. *Dat. Auin. XIII. kal. augusti anno III.*

Monetur, vt animi motus cōpescat.

5 Suadebat a Ludouico Bauaro Albertus dux Austriæ, ne cœptum cum ecclesia tractatum dissolueret, sed Pontifici in reijciendo Anglo, firmandoque cum Gallis fœdere assentiretur. At non minus optima Alberti quam Pontificis consilia repulit Ludouicus, & Imperatoris nomen iterum affectauit, quamuis b quamuis instruxisset hac auctoritate suos procuratores: *Nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum damus ex certa scientia plenam, meram, & liberam potestatem, auctoritatem, & speciale mandatum ad renunciandum, dimittendum, & totaliter deponendum vice & nomine nostro & pro nobis titulum imperialem Romæ per nos receptum, & quo vtimur & hactenus vsi fumus.* Cum vero inter Ludouici ac Regis Philippi oratores esset constitutum, vt appetente octobri mense tractatus fœderis redintegraretur, iamque Ludouicus susceptam de recuperanda ecclesiæ gratia mentem exuisset, significauit Christi vicario Philippus, se ad pontificiam aulam oratores in causa Bauari mittere in animum induxisse, ac postmodum mutasse studia, nisi aliud sedi Apostolicæ visum esset. Cui Benedictus ita respondit c: *Fili amantissime, quia non videmus, quod dictus Ludouicus, licet nobis his diebus vtendo abusiue imperiali titulo scripserit iuxta formam, quam continet cedula præsentibus interclusa, tractatum cœptum super sua reconciliatione ad vnitatem sanctæ matris ecclesiæ, a qua se reddidit suis peccatis & delictis exigentibus alienum intendat prosequi de præsenti; non credimus expediens propterea regios nuntios ad nostram præsentiam destinare: sed si eum, cuius facta & dicta parum appretianda sunt* ob inconstantiam scilicet in abrumpendo concordiæ tractatu, *eo sic in statu damnationis notabilis constituto, illuminaret Dominus, eumque velle destinare nuntios ad procurandam reconciliationem huiusmodi audiremus, tua cura-*

Austriac. suadet Ludouico ne abrumpat tractatū.

a Ib. ep. secr. 239.

b Lib. priu. Rom. eccl. to. 2. pag. 330.

c To. 3. ep. secr. 307.

Imperialis titulus a Lud. iterū resūptus.

Insignis huius principis incōstantia.

curaremus e vestigio magnificentia nunciare, &c. Dat. Auin. 11. non. octobr. anno 111.

a Alb. Arg. in chron. Rebdor. in chron. — b sup. ep. 190. — c ib. ep. secr. 311. — d Ptol Luc. hist. eccl. MS. l. vlt. c. vlt. — *Henricus dux Bauar. ecclesiæ conciliatus.*

Refellendi ex Benedicti dictis scriptores a, qui in Regem Francorum & Cardinales de Ludouico ecclesiæ non reconciliato causam detorquent, cum illa præcipue ex Ludouici inconstantia b, siue vlciscendi cupidine c emerserit. Damnauit certe Ludouicum Henricus dux inferioris Bauariæ, missisque oratoribus, vt refert Ptolemæus d Lucensis, initi cum eo fœderis, ad quod vi & metu adactus fuerat, veniam poposcit in publico Cardinalium senatu, professus nullum se posthac vt Imperatorem culturum, quem Romana ecclesia non confirmasset. Solutus itaque est a Benedicto censuris, quas ob edicta pontificia in sequaces Ludouici lata contraxerat, ac sacrorum vsus illius ditioni restitutus, transmisso ad eum subiecto diplomate e.

e An. 3. p. 3. ep. com. 525.

Dilecto filio nobili viro Henrico duci inferioris Bauariæ salutem.

Sicut iustitiæ debitum exigit contra peruersos, vt corrigantur, adhibere debitæ castigationis antidotum; sic misericordia matris ecclesiæ, lapsibus humanis subueniens, salubri conuersione correctis remissionis gratiam libenter impertitur. Dudum siquidem felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster propter detestabiles excessus & culpas enormes Ludouici de Bauaria, olim discorditer in Regem Romanorũ, vt dicebatur electi, contra dictum prædecessorem & sacrosanctam Romanam & vniuersalem ecclesiam præsumptione temeraria, immo potius insania execranda commissos; contra eundem Ludouicum nonnullos diuersis temporibus diuersos processus, graues spirituales & temporales pœnas & sententias continentes, auctoritate apostolica fecisse dignoscitur, & etiam habuisse: ac nihilominus vniuersis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac alijs personis ecclesiasticis quibuscumque; nec non omnibus & singulis ciuitatibus & vniuersitatibus, ac personis singularibus quibuslibet, cuiuscumque conditionis aut status existerent, etiam si regali vel alia quacumque dignitate fulgerent, sub pœnis excõmunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non priuationis priuilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, quæ ab ecclesia vel imperio obtinerent, districtius inhibuit, ne præfato Ludouico tanquam Regi Romanorum, quousque dictam electionem & personam ipsius per sedem eandem approbari contingeret & admitti, in aliquo intenderent seu parerent; neue eidem in quibuscumque, ad ipsius regni vel imperij Romanorum regimen spectantibus, præberent auxilium, consilium, vel fauorem: neque priuilegia, immunitates, feuda, vel iura quæcumque in eisdem regno & imperio reciperent ab eodem, neque societatem vel confœderationem aliquam cum ipso contra ecclesiam contraherent, vel contractam fouerent, seu obseruarent, neque consentirent etiam contrahendæ. Multas insuper alias monitiones, inhibitiones, iussiones, & processus, diuersas & multiplices pœnas & sententias continentes, contra prædictos omnes & singulos præmissorum occasione vel causa idem prædecessor fecisse dignoscitur & etiam promulgasse: eos vniuersos & singulos, si huiusmodi monitionibus, inhibitionibus, iussionibus, & processibus non parerent, pœnas & sententias supradictas, in diuersis eiusdem prædecessoris processibus diuersimode repetitas, volens & decernens incurrere ipso facto, prout in eisdem processibus plenius & seriosius continetur.

De edictis Ioannis in Ludou. Bauar. — Et in eius sequaces.

6 Sane tam ex tenore quarundam literarum patentium tuo sigillo signatarum, quam ex serie petitionis pro parte tua nobis oblatæ percepimus, quod cum tu olim ducatum inferioris Bauariæ teneres & haberes vna cum quondam Othone fratre & Henrico patruele tuis indiuisim, prælatus Ludouicus ad suggestionem dictorum Othonis & Henrici te compulit & arctauit, quod cum eisdem Othone & Henrico ducatum diuideres memoratum. Quibus cum tunc resistere non valeres, diuisioni huiusmodi coactus & compulsus quodãmodo consensisti, ac per diuisionem huiusmodi tertia parte eiusdem ducatus tibi solummodo remanente, ac ex hoc potentia tua, qui ante diuisionem eandem plus alijs eiusdem ducatus regimen exercebas, non modicum diminuta, sicque per diras guerrarum commotiones arctatus & constrictus præfato Ludouico post dictos processus apostolicos, factos & promulgatos contra eum & adhærentes eidem, per annos duos cum dimidio vt Romano Imperatori obtemperasti & etiam obedisti, & mandasti etiam quibusdam subditis tuis vt præfatum Ludouicum, dum ad eorum loca declinaret, reciperent & tractarent, sibique vt Romanorum Imperatori reuerentiam exhiberent: et taliter postmodum in nonnullis locis tibi subiectis receptus extitit & tractatus; te tamen non intendente tunc in his aliqua contra sedem Apostolicam facere, sed ea fecisti arctatus vt præmittitur, & constrictus. Sicque idem Ludouicus in nonnullis locis ducatus eiusdem per vassallos & subditos tuos, & clericos seculares & religiosos vtriusque sexus, ac etiam prælatos in dicto ducatu constitutos, paucis dumtaxat exceptis, receptus extitit & tractatus: & alias tam tu, quam nobilis mulier Margarita vxor tua, ac etiam vniuersi fere subditi, & clerici seculares & religiosi, ac prælati ducatus prædicti aliqui dicto Ludouico eiusque sequacibus, alij vero solum dictis sequacibus & adhærentibus in omnibus actibus, cibo, potu, & loquela, ac etiam in diuinis communicastis, ipsumque Romanorum Imperatorem etiam nominastis: propter quæ tu omnesque & singuli alij supradicti timetis in pœnas & sententias dictorum processuum incidisse. Verum præfatis Othone & Henrico defunctis, eodemque ducatu per viam successionis ad te totaliter reuoluto, tuque propter hoc viribus & potentia recollectis, in filiali obedientia sedis eiusdem esse desideras, a qua sicut asseris nunquam corde vel animo recessisti, nec fuisti in conspiratione vel liga aliqua contra eam: quare nobis humiliter supplicasti, vt tuæ & prædictarum animarum saluti paterno prouidentes affectu, te & præfatam coniugem tuam, ac omnes & singulos supradictos, qui præfatas pœnas & sententias incurrerunt, ab eisdem sententijs atque pœnis absoluere, dictumque interdictum relaxare, & cum eisdem clericis & religiosis & alijs supradictis vtriusque sexus, qui propter prædictas culpas eorum irregularitatis & inhabilitatis maculas contraxerunt, misericorditer agere de consueta eiusdem sedis clementia dignaremur: ac insuper dilectos filios magistrum Henricum canonicum Patauiensem & Gebardum lectorem ordinis fratrum Prædicatorum & eorum quemlibet in solidum, ita quod non esset potior conditio occupantis, constituisti & fecisti procuratores tuos ad comparendum coram nobis, & præmissa proponendum & con-

Vt Henricus dux a Lud. Bauar. fuerit depressus. — Coactus vi ad eum vt Cæsaré agnoscendum. — Confirmatis virib' ab eo defecerit. — Ad repetendum ecclesiæ gremium oratores miserit.

& confitendum, nobisque pro præmissis etiam supplicandum, & iuramentum quodlibet in animam tuam præstandum, & omnia & singula faciendum, quæ in prædictis & circa ea requirerentur & existerent opportuna; promittens nihilominus, te ratum & gratum habere, & seruare quæcumque super præmissis gesta forent per eos aut aliquem eorundem, prout in autenticis & patentibus literis inde confectis, tuique veri & noti sigilli appensione munitis plenius continetur.

Nos igitur in consistorio publico, præsentibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non camerario ac notarijs nostris, ac archiepiscoporum & episcoporum & prælatorum, aliarumque personarum multitudine copiosa, dictoque Gebbardo lectore ac procuratore tuo ibidem personaliter constituto, prædictas literas tuas, quas in archiuo S. R. E. facimus custodiri, publice legi fecimus in consistorio supradicto; ac subsequenter ab eodem procuratore in eodem consistorio in animam tuam iuramento recepto, quod tu stabis mandatis nostris & S. R. E. & successorum nostrorum canonice intrantium, & quod pro iniurijs et fautorijs et alijs excessibus prædictis, per te commissis, expresse in literis tuis prædictis acceptabis, recipies, facies, et complebis illam pœnitentiam, quæ per nos, vel alium, seu alios de mandato nostro, vel per successores nostros tibi imposita fuerit et iniuncta: et quod eris deuotus et obediens nobis et Romanæ ecclesiæ memoratæ: et quod non participabis cum Ludouico præfato, nisi in casibus a iure permissis; nec ei vel sequacibus, fautoribus, et valitoribus suis adhærebis, nec ei dabis auxilium, consilium, vel fauorem publice vel occulte, donec ad eiusdem ecclesiæ redierit vnitatem; nec ipsum nominabis Imperatorem, nec pro Imperatore habebis; et quod nulli obedies vel adhærebis vt Imperatori, nisi primitus per sedem Apostolicam fuerit approbatus; et quod denotatos et damnatos, aut denotandos per nos et alios Romanos Pontifices et sanctam Romanam ecclesiam de hæresi vel schismate in terris tuo subiectis dominio non acceptabis seu receptabis, nec recipies; immo pro posse eos persequeris et eijcies de terris et dominio tuis; et nihilominus hinc ad festum resurrectionis dominicæ proxime venturum in præsentia testium fidedignorum iurabis, omnia et singula supradicta obseruare, attendere, et complere, et contra ea non facere vel venire; sed ea ratificabis et confirmabis: et infra eundem terminum dabis seu mittes sufficientes literas super his nobis et sedi prædictæ tuo sigillo sigillatas, et subscriptione fidedignorum testium roboratas; nos te in persona eiusdem Gebbardi procuratoris tui ab excommunicationis seu excommunicationum, et alijs sententijs atque pœnis, quas propter dictos excessus in dictis literis tuis expressos incurreras per præfatos processus eiusdem prædecessoris, auctoritate apostolica tenore præsentium iuxta formam ecclesiæ absoluimus, et totaliter liberamus; ac interdictum, cui propter excessum huiusmodi ob culpam tui, et non ex facto seu culpa aliorum, ducatus tuus esse dicitur suppositus, relaxamus. Subditos quoque, fautores, et valitores tuos, qui ex causis prædictis sententias et pœnas incurrerunt supradictas; quique de præsenti luce migrarunt, dum tamen in eis signa pœnitentiæ et contritionis apparuerint manifesta, auctoritate prædicta a pœnis et sententijs absoluimus prælibatis, et pro absolutis volumus eos haberi. Volumus insuper quod si tu præmissa, quod absit, non impleueris & obseruaueris diligenter, aut præfato Ludouico vel sequacibus suis præsumpseris adhærere, nisi idem Ludouicus prius redierit ad eiusdem ecclesiæ vnitatem, præsens absolutio habeatur penitus pro non facta; quinimmo eo ipso in easdem pœnas & sententias recidas, quibus antea tenebaris. Nulli ergo &c. *Dat. Aun. XIII. kal. nouembris anno* III. Data est Chiemensi episcopo prouinciaa, vt Henricum ducem & Margaritam coniugem, eiusque famulos anathemate ritu ecclesiastico liberaret.

Sponponde re stare illius imperijs.

Non adhæsurum Ludouico nisi confirmatus fuerit Cæsar a sede Apost.

Solutur censuris Henricus

Adiecta lex nesciat cum Ludouico

a ib. ep. 526.

7 Si huius principis virtutem reliqui Germani imitati fuissent, breui ad officium redactus fuisset Ludouicus: sed contrarijs illi studijs dissensere, quare proximo anno multa ab ipso afferendæ cæsareæ dignitatis specie nouata fuerunt. Quæ cum moliretur, Eduardus oratoris opera a Benedicto flagitauit, vt cum Bauaro coeundi fœderis potestatem faceret: obiectum enim iam ante fuerat apostolica auctoritate anathema ijs omnibus, qui Ludouico se coniungerent, antequam in ecclesiæ gratiam fuisset restitutus. Sed cum hæc postulata in rei Christianæ damnum vergerent, atque abhorrerent ab æquitate, Eduardum ab ineundo fœdere cum Bauaro, anathemate nondum soluto, grauissimis hisce literis abducere est conatus Pontifex. b

Vetitum Ludouico hosti ecclesiæ foedere iungi.

b To. 3. ep. secr. pag. 185.

Benedictus, &c. Eduardo Regi Angliæ illustri.

Inter alios principes orbis terræ inclytæ memoriæ progenitores tui Reges Angliæ velut catholici principes, per rectitudinis & deuotionis semitas ambulantes, sacrosanctam Romanam ecclesiam tanquam matrem præcipuam, vt peculiares eius alumni & filij, in plenitudine deuotionis & fidei coluerunt. Quorum clara & deuota vestigia, te qui eorum heres & successor existis origine atque regno, decet cum integritate mentis & exhibitione insignium operum imitari, non declinando in deuium, sed alienatos & deuios ab eiusdem matris vberibus pleris studijs euitando: cum non deceat serenitatem regiam alienis macular contagijs, nec suæ claritatis splendorem cuiuspiam nebuloso consortio obfuscare. Non enim tuum prætetire potuerunt auditum excessus dudum per nobilem virum Ludouicum de Bauaria olim, vt dicitur, discorditer in Romanorum Regem electum, aduersus Deum & Romanam ecclesiam, & felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, per coaceruationem multiplicium & atrocium offensarum nequiter perpetrati; quos, velut toti mundo notorios, nos omnes recensere præsentibus (quia nimium longum esset) sed paucos de multis breui quadam epilogo prouidimus referendos. Ipse enim contra processus prædecessoris eiusdem & prohibitiones ipsius, de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio factos et habitos, diuersas spirituales et temporales pœnas et sententias continentes, inuasit Italiam: nonnullos Italiæ hæreticos, de hæresi publice et notorie per ipsum prædecessorem et inquisitores hæreticæ prauitatis auctoritate apostolica condemnatos, in consortium publicæ participationis admisit, tenens et astruens hæreses manifestas, ac fouendo secumque tenendo hæreticos, publice dogmatizantes prædictarum hæresum detestabiles et horrendos errores; hæretica quoque

Obiurgatur Anglus a maiorum vestigiis deficere

Propositi illi Ludouici flagitia.

Inuasio Italiæ.

Hæretico rum patrocinii.

Hæreseon promulgatio.

quæ dogmata scienter, immo dementer potius approbauit; & in euidentiam approbationis huiusmodi illa per diuersas literas, suo noto sigillo munitas, deduxit in aliorum publicam notionem.

Anathema.

8 Nomen etiam sibi imperiale postmodum vsurpare, & administrare iura imperij in eadem Italia & Alemannia contra processus & prohibitiones prædictas detestabili temeritate præsumpsit; ex ijs præter pœnas alias, excommunicationis & anathematis sententias incurrendo. Et tandem ausus ausibus, & excessus accumulando excessibus, commeauit ad Vrbem, vbi in illam virulentæ nequitiæ prorupit insaniam, vt meditatus Vrbi et orbi vniuersalis schismatis perniciosum suscitare dispendium, quemdam hypocritam diabolicæ præsumptionis virum, nomine

Schisma.

Petrum de Corbaria, velut abhominationis horrendæ simulachrum, in Apostolica sede pro Romano Pontifice statuere moliretur; idque, quantum in ipso fuit, produxit in actum, et eum fuit veneratus, vt Papam: et consecrationem, immo verius execrationem et diadema imperiale de facto ibidem recepit, vt de multis alijs eius insanis processibus, quinimmo detestandis excessibus, per eum & dictum Petrum præsumptione perpetratis hæretica, taceamus: propter quæ idem

Vt iuste ob hæc omni dignitate sit exauctoratus.

prædecessor eundem Ludouicum denuntiauit a Domino omni dignitate & honore fore priuatum: & ipse in eum, tantarum hæresum & schismatum maculis irretitum, exercuit gladium apostolicæ potestatis, eum eum omnibus, qui adhærerent eidem, vel præstarent auxilium, consilium, vel fauorem, vel pro Romano Rege vel Imperatore haberent, tenerent, vel etiam nominarent

Intentatū eius fœderatis anathema.

eundem, non solum excommunicationis & anathematis, sed etiam alias pœnas et sententias, tanquam in fautores, auxiliatores, et valitores hæretici et schismatici proferendo, et a iure declarando prolatas, prout in diuersis processibus, super ijs habitis per prædecessorem eundem, plenius et seriosius continetur.

Ecclesiæ benignitas.

Quas quidem pœnas, quantumcumque promeritas per Ludouicum eundē, & in eum iusto ecclesiæ iudicio promulgatas, si vere pœnitens se habilitasset ad gratiam, ob desiderium salutis & reconciliationis ipsius, quantum decenter fieri potuisset, eadem ecclesia benignasset, & ei ad suum gremium redeunti tanquam filio prodigo, de longe venienti, apertis brachijs occurrisset, immolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum saginatum. Propter quod, quamquam tam prædictorum excessuum, quam eorundem processuum, per dictum prædecessorem contra eum, exigente iustitia, postmodum habitorum, notitiam habuerimus & etiam habeamus; vt tamen ipsum a peccatorum nexibus liberatum, de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, diuersos nuntios eius diuersis vicibus ad

De tractatibus cū ipso habitis.

nos missos benigne recepimus, & pro reconciliatione ipsius, per fructum veræ suæ pœnitentiæ promerenda, varios tractatus habuimus & tenuimus cum eisdem: & adhuc etiam ijdem tractatus coram nobis pendere noscuntur, bonum fructum vt credimus habituri, si ipse vere & fideliter se pœnitentem veraciter ostendat. Cuius etiam nuntijs, ad magnam eorum instantiam, non absque displicentia nostra, cum nobis dictorum tractatuum interpolatio non placeret, sed ipsorum continuatio grata esset, vsque ad proximas kal. futuri mensis octobris pro resumptione dictorum tractatuum, tunc faciende, terminum duximus prorogandum.

Monitus Eduardus ne cum ipso nondū in ecclesiā adscito pacisceatur.

9 Quare, fili charissime, cum dicti tractatus adhuc pendeant, vt præfertur, dictusque Ludouicus sit adhuc eisdem peccatis, pœnis, & sententijs inuolutus, necdum meruerit per satisfactionis debitum & dignæ pœnitentiæ fructum reconciliationis eiusdem ecclesiæ gratiam obtinere; serenitatem tuam attente rogandam duximus, & etiam requirendam, quatenus prudenter aduertens, & in scrutinium internæ considerationis adducens grauitatem pœnarum in quas inciderent, & sententiarum quas incurrerent, quantisque se periculis & discriminibus implicarent, qui dicto Ludouico sic publice & notorie de prauitatibus hæresis, & sic odiosi schismatis condemnato, priusquam reconciliationis eiusdem ecclesiæ gratiam mereatur, participare præsumerent, sibique impendere consilium, auxilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiæ cultum, vel titulum regalis vel imperialis nominis assignarent; a cuiuslibet participationis fœdere contrahendo cum ipso, & exhibitione reuerentiæ & honoris sibi tanquam Regi seu Imperatori, donec idem Ludouicus reconciliationis eiusdem ecclesiæ gratiam meruerit obtinere, omnino te retrahere, & totaliter studeas abstinere; vt tibi famæ seruetur integritas, & illibata tui generis claritas conseruetur. Nec latere te volumus, quinimmo in memoriam tuam reduci præterita tempora, in quibus claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ auus tuus cum nonnullis magnatibus Theutoniæ, credens eos sibi fidei promissæ constantiam seruaturos, vinculum confœderationis seu colligationis iniuit: sed qualem fidem sibi seruauerint, vt qualiter promissa eidem auo & alijs progenitoribus tuis tenuerint, si relegerentur annalia, vbi gesta veterum conscribuntur, eorum recensita veritas edoceret.

Proposita Germanorum incōstantia.

10 Insuper te nolumus ignorare, quod per dilectum filium magistrum Paulum de Montefloro clericum & nuntium tuum ex parte tua nuper fuimus requisiti, vt tibi participandi cum Ludouico præfato, teque confœderandi cum eo licentiam largiremur. Cui nos, attendentes prædicta pericula, & quod magnam infamiæ maculam imponeres tuæ gloriæ & honori, si cum eo, donec prædictis peccatis, pœnis, & sententijs fuerit irretitus, participares publice vel occulte, sibi omnino negauimus concessionem licentiæ supradictæ, multas sibi causas rationabiles assignantes, propter quas te non decebat requisitioni eidem insistere, vel nos tibi applaudere super ea, de quibus per eundem Paulum, cui prædicta tibi referenda commisimus, serenitas tua plenius poterit informari. *Dat. Auin. XIII. kalend. augusti anno III.*

Negata ineundi cum Bauaro fœderis potestas.

Solicitati fuere alijs literis Ioannes [a] archiepiscopus Cantuariensis, & Lincolniensis [b] Vvintonniensisque [c] episcopi, tum Saresberiensis [d] comes ad dandam operam, vt Eduardus apostolicis monitis obsecundaret; sed auersi erant ab huiusmodi consilijs sequendis illorum animi, immo tractandi impij fœderis firmandique auctores præcipui extitere, atque Eduardus ambitionem religioni prætulit.

a To. 3. ep. secr. 156.
b Ib. ep. 187.
c Ep. 158.
d Ep. 189.

55 Cum vero infesti ex Germania rumores in aulam pontificiam peruasissent, factas aduersus Francorum Regem coitiones, ex quibus magni

periculi terror Gallijs impendebat, illum Pontifex, vt procellam discutere posset, præmonuit a.

a Ep. 10. 3 ep. secr. 311.

12 *Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.*

Hæc, quæ sequuntur nobis his diebus præteritis sunt relata. Primo videlicet, quod solemnes tractatus sunt habiti, vt Ludouico de Bauaria Iuri Romani imperij per eum vsurpato cedente, sibique regno Alamanniæ retinente, dataque sibi propterea magna pecuniæ quantitate per electores seculares, non modicis pecuniarum summis mediantibus, Rex Angliæ in Regem Romanorum promouendum in Imperatorem eligatur, vel quod idem Rex Angliæ his vel alijs modis exquisitis ad imperium, & etiam regnum Alamanniæ assumatur. Item quod si hæc de facili fieri non valerent, quod idem Rex Angliæ deputetur ad vitam suam irreuocabiliter vicarius regni Alamanniæ pro parte inferiori, vt propter vicinitatem, te fili charissime, regnumque tuum Franciæ possit opportunius & fortius impugnare. Item quod pro prædictis complendis magna de diuersis pecuniarum summis & alijs rebus pretiosis facta sunt deposita [confirmantur hæc a Rebdorffio, qui Anglico auro emptos venales Germanos principes narrat a] & certi obsides etiam assignati, & alij vlterius assignandi. Item quod quasi omnes principes Alamanniæ seculares, excepto Rege Boemiæ illustri, contra te, fili, ac domum & regnum tua fecerunt colligationes & confœderationes diuersas, in quibus inter cætera infrascripta contineri dicuntur, scilicet quod ipsi, suis coadunatis viribus & potentijs, ad aggrediendum, inuadendum, & offendendum te, domum, & regnum prædicta, viriliter, quod non sinat Altissimus, se accingant [Adijcit Benedictus plura conflari illius fœderis capita, quibus Philippi hostes ad promouenda consilia, euertendumq; illius regnum se comparabant: quæ cum a certo auctore acceperit, contulerit cum Cardinalibus Gallici sceptri honoris cupidissimis, vt opportunis remedijs hostium conatus eludantur. Addit Pontifex nonnullas causas, quæ Ludouicum in ipsum concitarint].

Agitata de Anglo ad imperium euehendo cõsilia.

Aut de vicaria præfectura cæsarea illi in Germ. inf. deferẽdo.

a Rebdorf.

13 Præterea excellentiam regiam volumus non latere, quod nuper dictus Ludouicus sub imperiali titulo, quo vtitur siue abutitur, respondendo quibusdam literis dudum sibi directis, quarum transcriptum tunc regiæ magnitudini misimus, inter cætera nobis scripsit, quod ipse contra pactiones, promissiones, & pacta, inter tuas & suas gentes tuo & suo nomine inita, & iuraméta inde præstita, ex eo non videtur venisse, quia dicit, quod prius multa bona & iura imperialia pro parte regia indebite fuerant occupata, & postmodum etiam ipse super reconciliatione sua per te vel gentes tuas fuerat impeditus; & nihilominus subsequenter certa castra & fortalitia, quæ in diœcesi Cameracensi asserit ad imperium pertinere, in præiudicium imperij extiterant regio nomine occupata, ad quæ recuperanda se teneri dicit astrictum. Et subinferendo aliqua verba super vnione olim facta inter ecclesiam Romanam & imperium, nos requirebat, & monebat humiliter & instanter, vt te salubribus monitis & pijs exhortationibus ad restitutionem præmissorum sibi & imperio faciendam exhortari & inducere curaremus: quodque, si huiusmodi monitis & exhortationibus acquiescere recusares, eidem super prædictis repetendis assistere deberemus. Super ijs autem cum arroganter & præsumptuose nimis scripserit, & præsertim te, fili dilectissime, non vocando Regem, sed Philippum, qui se dicit Regem Franciæ, nullum sibi curauimus dare responsum, &c. [Addit Coloniensem archiepiscopum ea in ipsum coitione se non implicuisse, vt archiepiscopi oratores sacramento affirmauere: se vero illum apostolicis literis vrsisse, vt ab eo fœdere alienus esset, viderique Iuliacensem comitem, magna in ijs auctoritate pollentem coniuratis non se coniuncturum. Tum subijcit magna impendere pericula, ad quæ auertenda opus esse, vt Eduardum Anglorum Regem sibi conciliet].

Objecta Gallo Regi a Bauaro.

14 Denique his, quæ de pactis & colligationibus præmissa sunt, diligenter attentis (quæ nisi prouidentia diuina, quæ in sui dispositione non fallitur, malis ex eis, vt videtur, conceptis clementer obuiauerit, magnam turbationem Christianitatis & effusionem Christianorum sanguinis, aliaque varia tam animarum quam personarum & rerum, non facile reparanda, dispendia comminantur; & ex quibus, si quod auertat misericordiarum Dominus, procederent, gaudiosa materia infidelibus catholicæ fidei hostibus pararetur, & luctus grandis mœstitiæ Christicolis merito donaretur) ad obuiandum talibus illud videretur admodum multipliciter opportunum, si dissidium inter te, fili dilectissime, dictumque Regem Angliæ ratione ducatus Aquitaniæ, vel alias hoste procurante humani generis inuicem suscitatum, duceretur per viam tractatus amicabilis & amicos communes, & etiam, si pacis Auctor concederet, sopiretur: sicque Rex ipse, ad tuam dilectionem, vnitatem, & fidelitatem attraheretur dulciter, & indissolubiliter firmaretur in illis. Quo quidem Rege sic tibi vnito, proculdubio existimamus, quod Theutonici tibi tuoque regno prædicto nocere de facili, multis sibi super hoc necessarijs deficientibus, non valerent. Super quibus regalis circumspectio, inclinando regium ad concordiam animum, prudenter & consulte attendat, & videat quid agendum. Demum vero, cum æmuli regij non solum ad inuasionem regni, sed ad offensionem personæ regiæ tuique primogeniti aspirare dicantur, celsitudinem tuam cautam esse cupimus & attentam, vt in omni actu, qui possit contingere circa tuam & eiusdem primogeniti custodiam, operosam diligentiam, non exponendo te ac ipsum euidentibus periculis, adhibeas & facias iugiter adhiberi: nam te, fili, dictoque primogenito stantibus, etiam aduersa, si quod absit, contingerent, possent cum Dei adiutorio & beneplacito reparari, etc. *Dat. VIII. id. nouembris anno III.*

Philippus periculi imminentis admonitus.

Consulit vt cum Anglo pacem ineat.

15 Saluberrima hæc dedit consilia Pontifex optimus Philippo Regi, vt imminens Anglicum bellũ auerteret, de quo hæc Paulus Æmilius scribit a: *Nullum atrocius Anglico arma Francorum exercuit, nullum diutius tenuit, nullum maiori cruore contentioneque gestum, nullum sæpius repetitum, neutris felix lætumue, rei Christianæ calamitosum, pijs luctuosum, hostibus religionis exoptatum.* At negligentiæ suæ in ijs sequendis Philippum pœnas dantem visuri sumus inferius. Nec minus desudatum est a Benedicto, vt Eduardum ad pacem cum Philippo redintegrandam flecteret b. De apostolica porro Benedicti solicitudine ad conciliandos Reges adhibita hæc narrat illius vitæ auctor c: *Cum ad notitiam domini Benedicti Papæ peruenisset, quod guerra inter ipsos prædictos Reges crescebat, & continue inualescebat,* dam-

a Paul. Æmil. in Phil. Val. Ingentes Anglici belli calamitates.

b To. 3. ep. secr. 181. 182.

c Gesta Ben. apud Bosq.

damnaque quamplurima hinc inde inferebantur, circa ipsorum pacificationem, prout etiam suo statui congruebat, partes suas interponere decreuit: destinauitque ad ipsos causa tractandi, ac ineundi pacem & concordiam inter eos, suos nuncios legationis officio fungentes dominos Petrum Gomezij Hispanum tit. S. Praxedis presbyterum, & Bertrandum de Montefauentio S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales. Consentiunt de missis legatis alij auctores a, extantque in pontificio regesto subiectæ literæ b, quibus hoc munus illis demandatum est.

Legati pro sopiendo bello decreti.

a Io. Vill. l. 11. c. 71. & alij.
b An. 3. p. 1. ep. cur. 1.

Benedictus, &c. dilectis filijs Petro tit. S. Praxedis presbytero & Bertrando S. Mariæ in Aquiro diacono Cardinalibus Apostolicæ sedis nuntijs.

Pridem infausti rumoris relatibus intellecto, quod hostis humani generis, pacis æmulus, amator litium, ac zizaniæ seminator inter eosdem Reges [nempe Philippum Francorum & Eduardum Anglorum] tanta sanguinis propinquitate & affinitate coniunctos materiam grauis dissensionis conabatur ingerere, ad id eorum animos incitando, vt exortas causas discordiæ inter eos, quæ per magnates & nobiles dictorum regnorum vel partium vicinarum vtriusque communes amicos amicabiliter tractari debuerant & etiam terminari, bellicosis congressibus, qui periculosos habere consueuerunt euentus, decreuerit dirimendas; animus noster vehementer indoluit, & eo potius intima cordis nostri amaricauit acerbius, & punctionis aculeo durioris afflixit, quo periculosas huiusmodi discordiæ circumstantias nobis intensioris considerationis discussio repræsentat. Attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerit, & commoda piaque Dei negotia, quæ si procedat, quod Deus auertat, impediet (vtinam non extinguat). Quis enim dubitet ex tali rumore discordiæ non solum Babylonicum hostem, sed etiam alios Reges & regulos Agarenos sumpturos audaciā ad acriores solito & perniciosiores molestias Christianorum Regibus, atque regnis & populis inferendas? Quis etiam, quantumlibet studiosus concipere poterit, quantum tantorum principum hostilis congressio Christiani sanguinis hauriet, quas hominū strages ingeret, quæ animarum pericula, quæ rerū damna producet, quot profluuia sumptuum, & expensarū abyssos, tantorū principum horribilis grauisque commotio postulabit?

Benedicti hac de re literæ.

Deplorat illius belli calamitates.

Mahometanos religioni insultaturos

Christianam cem pessumdatum iri.

Volentes igitur sic perniciosis obuiare periculis, eisque congruum, quantum nobis concedetur ex alto, remedium adhibere, cum ad nos, qui licet insufficientibus meritis potestatis plenitudine fungimur desuper nobis concessæ, singulariter pertineat in vniuersali ecclesia cunctaue congregatione fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius obseruari; ad vos viros laudandæ virtutis, scientia & innata prudentia præditos, cultores iustitiæ, sedulos pacis amicos, & concordiæ zelatores, licet vestra præsentia nobis & apud nos ecclesiæ vniuersalis perutili careamus inuiti, nostræ conuertimus deliberationis intuitum, vosque pro vestrarum consideratione virtutum, vobis a Domino in abundantia concessarum, ad eosdem Franciæ & Angliæ Reges, eorumque regna tanquam pacis angelos de fratrum nostrorum consilio pro huiusmodi tractanda & perficienda, concedente pacis Actore, optata pace atque concordia inter eos, prouidimus destinandos; firma tenentes fiducia, quod actus vestros illo dirigente, qui nouit praua in directa & aspera in vias planas conuertere, per vestræ circumspectionis industriam prætactis periculis & discriminibus laudabiliter & vtiliter poterit obuiari.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta de fratrum prædictorum consilio committimus & mandamus, quatenus prudenter attendentes ad negotium tam insigne, tamque præmissis attentis periculis insidens cordi nostro, * vos confidenter duximus eligendos, vos Regum prædictorum præsentiam adeuntes, ipsos ad pacem & concordiam, iuxta datā vobis ex alto prudentiam, solicitis monitis & efficacibus persuasionibus inducatis, vt faciente pacis Actore per ministerium vestrum iuxta desiderium nostrum inter Reges ipsos & adhærentes eisdem cesset discordia, regnetque concordia, quies veniat, pax resurgat ad Dei honorem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, & exaltationem populi Christiani; &c.] Instructi sunt legati amplissima auctoritate, vt armorum coitiones dissoluerent, rescinderent contraria sacramenta, ac turbatores pacis censuris coercerent. Quibus literis adiecta hæc temporis nota. *Dat. Auin. ix. kal. iulij anno* III. Adiectæ sunt aliæ literæ a, quibus recensentur ingentia mala, ex eiusmodi bello emersura, quæ in vtriusque Regis oculis defigere iussi sunt: auctique ijdem legati amplissimis mandatis, vt archiepiscopos & episcopos, ac Reges & principes nullo dignitatis habito discrimine censura ecclesiastica percellerent b, si pacis consilia disturbarēt: tum vt Regibus, si concordiā respuerēt, arma mouentibus imperarent inducias: ac si eas infringerēt, eosdem anathemate, atq; ecclesiastico interdicto eorundem ditionem afficerēt c. Spectabat siquidē ad summum ecclesiæ principē confundentes atrocissimo ecclesiam bello in concordiam redigere.

Iussi legati adire Reges.

* ad quod

Fulti amplissimis mandatis.
a lib. ep. a.

b Ep. 3.

c Ep. 4.

16 *Benedictus, &c.* Vt tam salubre tamque inhærens cordi nostro negotium, actore Deo, per solicitudinis vestræ ministerium prosperetur; & vt melius circa informationem pacis tam perutilia toti mundo quotidie inter eos eo liberius & efficacius intendere valeatis, quo vobis huiusmodi negotium prosequentibus fuerit per eosdem Reges & gentes ipsorum a qualibet hostili congressione cessatum; vbi forsan dicti Reges vel alter eorum requisitionibus & monitionibus vestris, immo verius apostolicis super cessatione commotionis seu congressionis hostilis nollent acquiescere, vel per seipsos seu intermedios eorum nuntios inuicem treugas inire vsque ad certum tempus, quod imminentis negotij per vos prosequendi & tractandi qualitas & necessitas exiget, duraturas; vobis & cuilibet vestrum indicendi treugas ad certum tempus vestro arbitrio moderandum inter Reges eosdem, ac fideles, adhærentes, & valitores eorum, & indictas eisdem Regibus & alijs, de quibus expediens fuerit, per vos, vel alium, seu alios notificandi, ac vbicumque vobis vtile visum fuerit, solemniter publicandi, & infringentes aut quomodolibet non seruantes easdem excommunicationis, & in eorum terras interdicti sententias promulgandi, & alia faciendi, quæ circa id fuerint opportuna; non obstante si eis, aut eorum aliquibus, vel alicui sub quacumque forma vel conceptione verborum a sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari vel eorum terræ ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsenti-

Ad imperandas inducias.

Anathema interdictumq; contumacibus incutienda.

Dissoluendas colligationes.

bus non expressam vel totaliter, non insertam effectus earum impediri valeat; vel quomodolibet retardari; & nihilominus omnes & singulas promissiones, obligationes, confœderationes, & colligationes, super huiusmodi nutrienda discordia inter quoscumque & a quibuscumque quomodolibet initas, velut contra bonum pacis præsumptas illicite & attentatas in diuinæ maiestatis offensam; & quascumque pœnas adiectas, & iuramenta præstita super illis sub quibuscumque modo, forma, vel expressione verborum, præsertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat (quæ & nos ex nunc auctoritate apostolica nulla fore decernimus, & quatenus de facto processerint, irritamus) nulla & irrita nunciandi vobis & vestrum cuilibet plenam tenore presentium concedimus facultatem. *Dat. Auin. ix. kal. iulij an. 3.*

At, si postea Reges ac principes apostolicis parerent mandatis, instructi sunt auctoritate ijdem legati a, vt irrogatas pœnas soluerent, moniti que b præsules ac principes Galli, vt suam Cardinalibus internuntijs ad redintegrandam concordiam opem commendarent. Decretum vt Cardinalium ipsorum auctoritas, postquam e curia pontificia discessissent, nullo euentu abrogaretur c. Data ijsdem imperia, vt ecclesiasticos proceres Gallos Anglosque ab inferendis mutuis iniurijs agendisue excursionibus abducerent d: cogerent e in vtroque regno præsulum cœtus, vt in ijs optima concordiæ consilia expedirent: coercerent religiosorum virorum temeritatem, ne e sacro suggestu faces accendendo bello subijcerent f. Consultum præterea est ecclesiastici ordinis dignitati, atque ad eam aduersus regiorum administrorum licentiam asserendam descripsit Pontifex g cunctas iniurias, quæ ab ijs contra sacerdotalem immunitatem irrogabantur in Gallijs, vt ea mala Gallorum Rex sedanda vel potius tollenda curaret.

a An. 3. p. 1. 10. cur. 1. b Ib. ep. 6. 7. 8. 9. c Ib. ep. 10. d Ep. 11. & 12. e Ep. 13. f Ep. 14. g Ep. 15.

Cogendos præsulum cœtus ad tractandā pacem.

Nauasā opera asserendæ immunitati ordinis ecclesiastici.

Benedictus, &c. dilectis filijs Petro tit. S. Praxedis presbytero, & Bertrando S. Mariæ in Aquiro diacono Cardinalibus Apostolicæ sedis nuntijs.

17 Ad nostri apostolatus auditum multorum insinuatio clamosa perduxit, quod nonnulli officiales & ministri ac familiares charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris eorum finibus non contenti, quibusdam ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & diuersis alijs personis ecclesiasticis in dignitatibus & personatibus, ac alijs beneficijs ecclesiasticis, quæ in regno canonice obtinere noscuntur, graues molestias inferunt & irrogant læsiones, & quampluribus ex eis dictis beneficijs per violentiam spoliatis, ijdem officiales, ministri, & familiares per falsi suggestionem, nonnulla ex eis sibi & alia diuersis alijs personis per dictum Regem conferri contra iustitiam procurarunt, multaque ipsi & quamplures nobiles dicti regni bona diuersarum ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum detinent violenter in personarum & ecclesiarum ipsarum dispendium occupata. Rex quoque præfatus, vacantibus cathedralibus ecclesijs regni sui, in quibus regalia asserit se habere, beneficia ecclesiastica etiam per Romanum Pontificem vel per alias personas ecclesiasticas, ad quas collatio pertinet eorundem, ante vacationem dictarum cathedralium ecclesiarum collata, si ante huiusmodi vacationem non fuerit eorum possessio apprehensa; & quod grauius est & omni contrarium rationi, beneficia etiam ex collatione eorum, ad quos prouisio fuerat longo tempore possessa pacifice, quæ similiter tempore regaliæ non vacarunt, si tamen de iure tempore regaliæ dicta beneficia obtinentes propter crimen vel aliam causam illis potuissent priuari, quamuis nulla priuationis vel declarationis sententia super tali vacatione per iudicem ecclesiasticum processisset, nititur conferre de facto, & possessione ipsorum absque aliquo iudicio ecclesiastico spoliare, & destituere possessores, compellens eosdem ad dimittendum illa personis, quibus de facto illa contulit per bonorum temporalium captionem: et si inter dictos possessores & eos, quibus illa præfatus Rex confert, controuersia oriatur, ad se seu curiam suam nititur cognitionem trahere, & super ijs etiam iudicare.

Quæ aduersus illā præsumpta sint in Gallijs.

Ecclesiasticæ opes a regijs administris occupatæ.

Sacerdotia præter fas a Rege collata

In multis insuper ecclesijs, in quibus prædecessores Regis eiusdem præteritarum vacationū dictarum ecclesiarum tempore vsi non fuerunt beneficiorum ecclesiasticorum collatione, idem Rex de nouo collationem beneficiorum tempore regaliæ sibi vendicare conatur, vt in Turonensi & in multis alijs regni ecclesijs dicitur attentasse: quamuis prædecessores ipsius, erga Deum & ecclesias sinceritate fidei & deuotionis integritate pollentes, nunquam talia vel similia, vtpote iuri diuino & humano contraria, et redundantia plurimum in oppressionem & conculcationem ecclesiasticæ libertatis, attentasse noscantur. Sensibus nostris ex eo multæ turbationis causa consurgit, quod cum de dignitatibus & beneficijs ecclesiasticis in regno & terris dicti Regis auctoritate apostolica sufficientibus personis & dignis, sicut sedes ipsa diuino & humano iure licite potest & consueuit temporibus retroactis, prouideri contingit, certis eis super hoc iuxta morem, quem sedes ipsa seruare in talibus consueuit, executoribus deputatis, nonnulli ex dictis officialibus & ministris, qui cum malefecerint gloriantur, licentiæ laxatis habenis, quamuis nulla in talibus attributa potestas, vel iurisdictio sit eisdem, executoribus ipsis, eodem dissimulante Rege, temerarie inhibere præsumūt, ne commissæ ipsis huiusmodi ministerium executionis exerceant, aut processus aliquos faciant super illis seu factos publicent vel faciant publicari, in excommunicationum sententias, quas vel plurimum executores huiusmodi gratiarum in quoslibet impedientes quominus dictæ gratiæ debitum sortiantur effectum proferunt, incidendo. Et nihilominus Rex præfatus, asserens præscriptionem sibi non currere, beneficium quod archiepiscopali vel episcopali sede vacante, apostolica vel ordinaria, ipsum eodem Rege tunc nō cōferente, auctoritate confertur, etiam si is, cui huiusmodi beneficium collatum existit, illud per plures annos possederit pacifice & quiete, alij confert, ac si tūc archiepiscopatus vel episcopatus ipse vacaret.

Regalis iuris tuēdi specie plura male tentata

Impedita ab administris regijs decretorum apostolicorum executio.

Prædicti autem officiales & ministri, præmissis grauaminibus non contenti, cum citationes super aliquibus negotijs siue causis ad ecclesiasticum forum spectantibus in eodē regno auctoritate dictæ sedis etiam contra ecclesiasticas personas emanant, iudicibus vel executoribus super negotijs seu causis huiusmodi deputatis & subdelegatis ab eis, ne ad citationes procedant easdem, aut illas fieri quoquo modo permittant, vel aliquem extra dictum regnum earundem literarum auctoritate conueniant; tabellionibus etiam, ne super ipsis publica conficiant instrumenta; citatis etiam, ne ratione citationum huiusmodi ad curiam ecclesiasticam accedant, vel citationibus eis-

Ecclesiastici ad profanas tribunalia tracti.

eisdem pareant vel intendant, sub personarum & bonorum pœnis grauissimis contra statuta canonica, quæ in suos excommunicationis sententias proferunt contemptores, inhibere præsumptione temeraria non formidant: & nihilominus, siue delegati sedis eiusdem, aut ordinarij memorati, seu quicumque ecclesiastici viri de causis ad ecclesiasticum forum spectantibus, prout pertinet ad eosdem, de consuetudine vel de iure dicti officiales & ministri impediunt minus iuste; & ne de cognitione huiusmodi se aliquatenus intromittant, eis districtius interdicunt: quos si contra interdictum huiusmodi, cui minime parere tenentur, eos venire contingat, bona eorum indebite capi faciunt, impediendo per hoc iurisdictionem ecclesiasticam manifeste, quam deberent pro dicta sedis reuerentia promptis studijs defensare.

Causæ sacræ ad ea auersæ.

Insuper autem officiales & ministri præfati in casibus, vbi custodia ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliorum locorum ecclesiasticorum ratione vacationis vel alias teneatur per eos, domos, vinaria, stagna, nemora, porcos, & feras ipsorum, molendina quoque & alia bona ad ecclesias, monasteria, & loca prædicta spectantia adeo damnose distrahunt, consumunt, & destruunt; quod non possunt per longi temporis spatium reparari. Nec adhuc dicti officiales, ministri, nobiles, & gentes tantis contenti pressuris, easdem personas & ecclesias diuersis grauaminibus opprimunt, lacessunt iniurijs, beneficijs ecclesiasticis & bonis alijs, iuribus, & iurisdictionibus proprijs spoliant violenter, & alias se infestos reddentes eisdem multipliciter & molestos, violare, dicto dissimulante Rege, conantur ecclesiasticam libertatem: propter quæ dicti officiales, ministri, nobiles, & gentes, ac alij præstantes circa præmissa auxilium, consilium, & fauorem diuinam offensam incurrunt, & pœnis noscuntur grauissimis subiacere.

His malis iussi occurrere legati.

18 Cum itaque vos ad regnum Franciæ pro magnis & arduis negotijs destinemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfato Regi diligẽter exposito, quod singularis ad personam suam nos vrget affectio, specialis afficit charitas, vt in præcauendo sibi non solum a noxijs, sed etiam ab ijs, quæ saluti suæ derogant, & excellentiæ regalis honori non congruunt, nil persuasisse sufficiat, sed persuasis semper æstimemus addendum; sibique per salubris suggestionis consilij solertius ostendentes, quod quanto inclytum genus suum ab olim plenius fouit & exaltauit ecclesia & personas ecclesiasticas, manutenere ac illibatam seruare studuit ecclesiasticam libertatem, tanto singularius in ipso ampliusque notatur, si ecclesias vel ecclesiasticas personas opprimi, ac libertatem ecclesiasticam diminui & conculcari permittit; quodque per hoc non leue pondus adijcitur excẽlletiæ status sui, cum excessus sublimium personarum tanto damnabilior habeatur, quanto facilius, quantoque periculosius deriuatur in alios per exemplum, & ideo minus ab ecclesia debet, minusque potest vrgente conscientia tolerari; eundem Regem, quod officiales, ministros, familiares, & nobiles, ac gentes prædictas a præmissis, per quæ Deus offenditur vltionum, suæ saluti detrahitur, honoris gloria maculatur, grauis nobis & dictæ sedi paratur offensa, pro diuina & ipsius Apostolicæ sedis ac nostra reuerentia cessare faciat & penitus abstinere, & ipse similiter cesset & abstineat ab eisdem, ac in statum debitum reuocet quidquid contra integritatem libertatis eiusdem in dicto regno noscitur attentatum, solerter inducere & efficaciter exhortari cum prouida persuasionis instantia studeatis, &c. *Dat. Auin. ix. kal. iulij anno III.*

Philippũ monere ne a maiorum gloria deficiat.

19 Atrocius longe in Anglia ab Eduardo regijsque administris dignitas & immunitas ordinis ecclesiastici violabatur: non enim recensitæ modo iniuriæ a Gallis magistratibus irrogari solitæ infligebantur sacerdotibus Anglis, verum etiam hæ, quæ in literis alijs ad legatos Cardinales datis a connumerantur. Iussi etiam sunt Cardinales dare operam apud Eduardum Regem, vt regiorum administrorum licentiam in ecclesiasticos comprimeret: quem etiam Benedictus ad asserendam pristinæ immunitati sacerdotalis ordinis dignitatem hisce literis excitauit. b

In Anglia eadem & alia contra liberta tẽ eccles. attentata.

a Ann. 3. p. 1. ep. cur 17.

b Ib. ep. 19

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

20 Optamus ab intimis, dilectissime fili, vt quemadmodum in orbe terrarũ inter catholicos Reges & principes natalium illustrium fulgore prærutilas, sic laudabilium claritate resplendeas actionum, & mentis oculis ad illum erectis, per quem regnorum culmina possidentur, eius beneplacitis te conformes, sibique reddaris acceptus cumulo meritorum. Habet quidem, amantissime fili, insinuatio clamosa multorum grauibus onusta querelis, quod nonnulli officiales regiæ celsitudinis & ministri, ac plures nobiles & alij de regno & terris tuis, eorum finibus non contenti, ecclesias & personas ecclesiasticas regni & terrarum prædictorum diuersis grauaminibus opprimunt, lacessunt iniurijs, beneficijs ecclesiasticis & bonis alijs, iuribus, & iurisdictionibus proprijs spoliant violenter, & alias se infestos reddentes eisdem multipliciter & molestos, violare, te dissimulante conantur (quod non absque turbatione multa referimus) integritatem ecclesiasticæ libertatis.

Repetitæ apud Eduardum preces põtificiæ.

Cum igitur, dilectissime, fili, piæ matris ecclesiæ perfecta sinceritas inter alios principes orbis terræ catholicos eximijs fauoribus te prosequatur, & brachijs multæ dilectionis astringat, teque gerat & conseruet assidue in charitatis visceribus prædilectum; nosque ad regni tui statum prosperum aspiremus, ad iurium regalium conseruationem omnimodam sedulis studijs intendendo, magnificentiam regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus prudenti meditatione considerans, quod ex præmissis benignitas Saluatoris offenditur, eiusdem ecclesiæ derogatur honoribus, tuæ salutis commodis obuiatur, & maculatur gloria regij nominis & decoris, prædictos officiales, ministros & nobiles, & alios, cuiuscumque conditionis existant, pro diuina & Apostolicæ sedis ac nostra reuerentia a prædictis grauaminibus, iniurijs, violentijs, ac spoliationibus, & omnibus alijs, per quæ libertatis eiusdem integritas violetur, cohibeas resilire, libertatem huiusmodi viriliter in regno prædicto sicut deuotionis filius defensando, vt veræ deuotionis zelus & constantia reuerentiæ filialis, quam ad nos & eandem ecclesiam te habere confidimus, fructibus laudabilium operum comprobentur; tuque in plenitudine beneuolentiæ dictæ sedis, quam libenter extendimus ad gratitudinis filios, continue residendo, illam ad ea, quæ regalis celsitudinis statum magnificent, & honoris tui

De coercenda administrorum licentia.

respiciant incrementa, tibi digne constituas magis beneuolam & benignam. Super ijs autem per dilectos filios nostros Petrum tit. S. Praxedis presbyterum & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales Apostolicæ sedis nuncios exhibitores præsentium, & eorum quemlibet latius aperire tuæ serenitati mandauimus mentem nostram; quorum circa præmissa relatibus plenam fidem adhibeas, & efficaciter acquiescas. *Dat. Auinion. IX. kalendas iuly anno III.*

Iussi legati ad id cũ adducere.

Muniti ijdem legati a potestate, vt regiorum præfectorum administrorumque licentiam in ecclesiasticos compescerent: tum pluribus prærogatiuis ad gerendam eum dignitate legationem ornati b, quibus inter alia permissum est c, vt cum ijs, qui fidelium communione pulsi essent agere possent.

a An. 3. p. 1. ep. cur. 18. b Ib. ep. 43. ad 45. c Ib. ep. 29

21 Antequam ij in prouinciam decretam se conferrent, adhibuerat Pontifex Guillelmum Senonensem d & Petrum Rothomagensem e archiepiscopos (quorum posterior accepto Clementis VI. nomine Benedicto successit) vt aduersas partes armis temperare hortarentur, quo paci via muniretur; pariterque Philippum Eduardumque rogauit f, vt a nouandis rebus absisterent, donec Cardinales legati ad ipsos peruenissent. Reges enim iam infestis signis cœpisse concurrere, consentiunt auctores; ac Philippum quidem multas Genuensium Gibellinorum ac Monachensium Guelforum triremes conduxisse g, quæ plurimas de Anglis prædas egere, ac mare Aquitanicum infestarunt: regio decreto Aquitanici ducatus iura reuocasse ad aulam Gallicam h immissoq; exercitu nõnullas arces expugnasse i, trãsmissa in Scotiam classe loca quædam flammis deleuisse. Nec minus Eduardum Flandriam bello tentasse, & Cagantum insulam ducibus præcipuis episcopo Lincolniensi comiteque Bertortio euastasse. Hæc erant ingentium bellorum inter Anglos Gallosque præludia. Interea Petrus ac Bertrandus Cardinales legati a Philippo Rege obtinuerant, vt Gallico exercitui daret imperia, ne vlterius signa promoueret in Aquitaniam, nisi Anglus Gallias inuaderet: cumque in Angliam penetrare meditarentur, vt Anglum a Gallica expeditione retardarent, prohibiti l initio sunt ab Eduardo Angliæ aditu, deinde tamen honorifice excepti. m

Præmissi Cardinalibus alij nuntij. d Eod. to. 3. ep. 177. e Ib. ep. 178. f Ib. ep. 181. 182. Ligures a Philippo conducti. g Folcer. hist. Ian. l. 6. Aquitania bello petita. h To. 3. ep. secr. 306. i Paul. Aemil. in Philip. VI. Flandria ab Anglo tentata. l Gest. Ben. apud Bosq. m To. 4. ep. secr. 249. 250.

Sed parum Pontificis studia in restinguendo exitiali bello valuere, ac frustra Cardinaliũ labores consumpti; ad parandũ enim bellũ incumbebant Reges, ac per fas nefasq; opes vndiq; cumulabant. Eduardus n enim Rex in Nothingamensi ordinum conuentu ingentia vectigalia ab Anglis elicuit, Cluniacensium & Cisterciensium opes inuasit, Italos mercatores diripuit, indictas triennales pro tolerandis Asiatici belli in Saracenos sumptibus decimas ecclesiasticas ad Christianum fundendum sanguinem conuertit. Similique modo cumulabat Philippus Rex opes o: Italos enim & ipse mercatores, obiecto fœnoris crimine, expilabat p: nummos aureos & argenteos minoris pretij percutiebat; ecclesiasticorum opes minis & terroribus extorquebat: Quorum sortem miseratus Pontifex legatis Cardinalibus dedit imperia q, vt ipsum ab iniustis eiusmodi extorsionibus abducerent. Inhiabat etiam ecclesiasticis decimis, flagitaratq; antea a Benedicto, vt Crucifixi opes pro conficiendo in Saracenos bello collectas auerteret in Anglos. Superiori siquidem exeunte anno Benedictus, purissimus ab omni auaritiæ sorde, acceptas a sacerdotibus decumas restitui iusserat, vt refert Ptolemæus Lucensis his verbis a: *Reuocauit etiam Papa Benedictus decimas decimarum quibuscumque concessas, ex quo passagium vidit neglectum tunc per Regem Francorum Philippum, qui hoc iurauerat, vt superius est dictum. Decreuit insuper, vt percepta de decimis prædictis restituerentur ecclesijs.* Et infra: *Et facta est prædicta reuocatio anno Dom. MCCCXXXVI. XVI. kal. ianuary.* Integritatis huius insigne monumentum est subiectum diploma tum datum ab eodem Pontifice. b

Conquisitæ iniquis artibus opes a Rege Anglo. Et a Franco. n Vvalsin. vbi sup. o Io. Vill. l. 11. c. 71. p Eod. c. 71. q To. 3. ep. secr. 305. a Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. vlt. c. vlt. Decumæ ecclesiasticæ restitui iussæ. b To. 2. p. 1. ep. cur. 16.

Benedictus, &c. archiepiscopo Aquensi & suffraganeis &c.

Cum in nonnullis prouincijs atque regnis iuxta ordinationes & modificationes in dictis literis [nempe Ioannis de sacra expeditione] contentas exactio, solutio, & depositio, seu repositio factæ fuerint certæ partis decimæ supradictæ, & adhuc restet alterius partis eiusdem decimæ exactio seu solutio facienda ad prædictum passagium propter impedimenta aliqua, quæ peccatis exigentibus videntur obicem dicto passagio præstitisse, sit pro præsenti tempore (quod dolenter referimus) impeditum; nos decens & congruum reputantes, quod postquam causa secuta non est, nec vicinitus sequi speratur, propter quod impositio ac solutio huiusmodi decimæ factæ fuerunt, eius deinceps exactio & solutio debeant omnino cessare, quinimmo eorum, quæ pro dicta decima sunt soluta, sit restitutio facienda; de fratrum nostrorum consilio vobis & vestrum cuilibet districte inhibemus, ne de cætero ad leuationem, collectionem, vel exactionem huiusmodi decimæ per vos vel per alios procedere quomodolibet præsumatis; *& infra*, præcipientes nihilominus vobis & vestrum cuilibet, vt præfatam decimam, si quam propterea per vos vel alios collegistis, etiam si iuxta ordinationem prædecessoris eiusdem vna cũ capitulis cathedraliũ ecclesiarũ infra ipsas ecclesias aut alibi in tutioribus locis reponi fecistis, singulis personis ecclesiasticis a quibus exacta extitit et soluta, si dictæ personæ adhuc superstites rebus humanis existant, et præsint eisdem beneficijs, ratione quorum huiusmodi decimam persoluerunt; alioquin, si forte dictæ personæ defecerint, vel alias dicta beneficia dimiserint eisdem beneficijs, ratione quorum huiusmodi decima extitit persoluta in vtilitatem dictorum beneficiorum per certas personas, quæ super hoc nobis rationem reddere teneantur, fideliter conuertenda, infra vnius mensis spatium post receptionem præsentium cum integritate, quantum ad vos pertinet, restituatis, etc.] Si deessent officio, dupli mulctam intentauit, quam si non soluerent factorũ vsu interdixit, aliasq; pœnas pro meritis irrogandas obiecit. *Dat. Auin. XV. kal. ianuary anno* II. Perculsus eo decreto, huiusque decumani auri auiditate, vt in bellicos aduersus Anglum sumptus illud profunderet, Philippus Rex hoc anno accessit ad Benedictum, vt illum suscipiendæ, confecto bello Anglico, Asiaticæ expeditionis pollicitatione demulceret. Siquidẽ Armenia ad extremum adducta discrimen ob inanes intentatas Saracenis a Gallis minas, ac patefactam nocendi voluntatem et impotentiam, lugebat; qua de re hæc narrat Ptolemæus Lucensis. c

Prohibita vlterior decumarũ exactio. Obiectæ exactas non restituentibus pœnæ. c Ptol. Luc. l. vlt. c. vlt. Arcanus Philippi Regis cũ Bened. cõgressus.

22 *Anno Domini* M.CCC.XXXVII. *V. nonas marty Rex Philippus Francorum venit ad Papam Benedictum, & ibi exclusis omnibus solus cum*

Pa-

Papa babuit colloquium super passagio, quod debebat incepisse kal. augusti proximis, & sic remansit inexpletum: ex quo multa mala inferebantur Christianis per Saracenos. In arcano hoc colloquio datum Philippo, iniqua postulanti, grauissimum hoc responsum, consignat memoratus vitæ Benedicti auctor a.

Fertur, inquit, *ipsum dixisse Philippo Regi Franciæ memorato, cum ad ipsum, vt supra* * *citatum est venit essentque ambo causa audiendi & exponendi illa, quæ idem Rex secum babebat agere, ac per ipsum fieri petere disponebat: quod si ipse baberet duas animas, vnam sibi libenter daret, & eam pro ipso exponeret: sed non babebat nisi vnam, quam vnice & summe diligebat, & eam volebat posse tenus conseruare. Quibus præsuppositis & præmissis, dixit eidem Regi, quod secundum hoc suas petitiones sic disponeret & limitaret, quod in eis non esset aliquid ad Dei offensam, & per consequens suæ animæ periculum seu damnationem: tandem videret quia, si sic esset, nullo modo ipsum exaudire intendebat. Quod verbum licet prima facie dicto Regi aliqualiter durum & extraneum extiterit, tamen ipso bene intellecto & ponderato ipsum bene gratum babuit, & rationabilem & sanctum iudicauit, prout etiam in rei veritate fuit*.

a Bened. gesta vbi supra. * recitatum

Graue Pontificis ad illius petita responsum.

Repulsam passus Philippus Rex de ecclesiasticis decimis in Anglos deriuandis, iterum hoc anno easdem importunas preces renouauit, quas ab oratoribus ipsius porrectas grauissimis hisce argumentis refregit Pontifex. b

Benedictus, &c. Regi Franciæ.

b To. 3. ep. secr. 67.

A regia non credimus memoria excidisse, qualiter per regios & dilecti filij nobilis viri Ioannis primogeniti tui ducis Normanniæ procuratores, olim ad sedem Apostolicam destinatos, in tuam & eiusdem ducis animas & de mandato expresso regio promissum extitit & iuratum, quod non acciperetis, nec accipi faceretis, seu consentiretis, quod aliu aliquid de ijs caperet, seu acciperet, quæ per sedem eandem erant in subsidium passagij transmarini concessa, ad hoc quod in vsus alios, quam in vtilitatem passagij conuerterentur prædicti; nec ea in vsus conuerteretis alios, nec pateremini a quouis alio scienter conuerti. *Et infra*: Et si modo contrarium fieres, maxime in guerris contra Christianos faciendis, decimales pecunias impositas & collectas pro dicto passagio expendendo, discutiat intra sui claustra pectoris regalis prouidentia, quid præter offensam diuinam, & vltionem exinde merito formidandam, de nobis & sede Apostolica & te, fili, cum secrete talia et absque fratrum nostrorum consilio nequiremus concedere, posset dici; mundus namque detractorijs oblocutionibus proclamaret, dicendo: Nunc patent delusiones quibus per ecclesiam & Regem deludimur, dum pecuniæ, concessæ ac collectæ pro eripienda terra sancta de impiorum manibus, ad effundendum Christianorum sanguinem conuertuntur.

Admonitus Phil. dati iurisiurandi.

Christiano orbi non esse illudendū

23 Aduertendum est etiam circa ista, quod si Deus daret opportunitatem passagij pro tempore pecuniæ sic consumptæ, recuperari nequirent de facili, & maxime a tuis heredibus, in sua præsertim nouitate, si a Domino interim vocareris: propter quæ in fidei & fidelium dispendium, tuæque salutis detrimentum animæ impediretur negotiū passagij antedicti: nam & si tunc forsitan sedes præfata pro passagio alias vellet decimas imponere, non deessent, vt existimamus proculdubio, qui derisorie vel contradictorie forsitan contra sedem eandem dicerent sibilando, & non absque nota magnæ ipsius sedis & tuæ infamiæ recensendo, quod illud, quod factum fuerat de alijs decimis, pro passagio terræ sanctæ impositis alias & collectis, ac demum in effusionem sanguinis Christianorum conuersis, posset sperari de illis fieri, quas vellet imponere sedes ipsa: & præter hæc sinceritas regia habet considerare prudenter, quid tuis prædecessoribus propter receptiones & consumptiones decimarum, alias impositarum & collectarum pro dicto passagio, creditur cōmuniter accidisse; quidque de te, si sinistrum tibi veniret aliquid, a quo te defendat Dominus, diceretur, &c. *Dat. Auin. 11. non. aprilis pontificatus nostri anno* 111.

Diuinam vindictam non defuturam.

Hæc si Philippus animo consilia reputasset, ingentia (vt pie credendum est) mala a se auertisset: sed illa Benedicti monita, vt plura alia, quæ veluti oracula erant, vt docuit euentus, a diuino Numine afflata, aspernatum vidimus, respuit: inuasit decimas orientali expeditioni sacras, & in bellum, quod vltro ad Scotorum gratiam in Aquitania inchoarat, conuertit, ingēresq; bellicos apparatus instruxit; sed quæ illi prædixerat Pontifex ad exitum sunt perducta; conductus enim ecclesiasticis opibus, religioni amplificandæ consecratis non voluntarijs & exitialibus rei Christianæ bellis suscipiendis, exercitus hostium solo aspectu difflatus dissipatusque est, vt suo loco dicetur inferius.

Vt exitus monitis pontificijs consenserit.

24 Attriti interea ab infidelibus fuere Armeni, de quibus hæc Ptolemæus a Lucensis: *Eodem anno fuerunt superati, & planitiem amittentes petunt montana, sperantes subsidium ecclesiæ & Regis Philippi*. Illata est a barbaris late strages, ac Leo Rex ad eas iniquas leges a furente victore adacta est, vt iureiurando spoponderis, nullos in posterum oratores vel literas ad Romanum Pontificem se missurum: quo accepto Benedictus, proximo anno Leonem ea religione apostolico diplomate exoluit b.

a Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. 24. c. vlt.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Leoni Regi Armeniæ illustri salutem, & apostolicam benedictionem.

b An. 4. p. 1 ep. com. 163.

Retulit hactenus sedi Apostolicæ cum doloris angustia famæ nunciatrio volucris, & fidedignorum assertio molestius affirmauit, quod adeo in tui detrimentum status, tuique regni dispendium soldani Babylonici rabies truculenta desæuit, & multitudo Saracenorum sui dominij, eidem regno præcipue vicinorum crucis salutiferæ hostium, prout ipse in Christicolas tyrannidis executor exillit, in te dictumque regnum durius insurrexit, quod per eorum potentiam (vtinam diuinitus reprimendam) huiusmodi Saracenorum multitudo quotidie regnum tuum intrant hostiliter, ciuitates & castra illius expugnant, capiunt, & soldano subijciunt antedicto: Christianum populum inibi degentem furenter trucidant, capiunt & secum adducunt, ac inhumaniter ponunt in ore gladij furibundi: sicque te tuisque regnicolis a soldano & Saracenis eisdem oppressis inæstimabiliter & afflictis, tu sensim cōspiciens, quod tantæ ipsorum potentiæ ad reprimendam vel propellendam eam resistere non valebas, violentia superatus, & vrgenti necessitate coactus, vt ijdem soldanus & Saraceni terram tuam seu prædictum regnum non dissiparent vel occuparent vlterius; sed te dictique regni subditos permitterent respi-

Adactus Leo Rex ad nefaria pacta.

ra-

rare, iuramentum ad sancta Dei euangelia inter cætera præstitisti nuntio ipsius soldani pro eo recipienti, quod ad summum Pontificem, qui esset pro tempore, siue ad Romanam curiam aliquem ambassiatorem, vel nuntium, aut literas ex tunc in antea nullatenus destinares. Cum igitur iuramentum huiusmodi beneplacito excellentiæ diuinæ obuiet, & iustitiæ contradicat, ac in derogationem tuæ regiæ dignitatis, honoris, & status redundare noscatur; nos hæc diligentius attendentes, & etiam considerantes attentius iuramentum ipsum a te non sponte sed coacte, vtpore per impressionem hostilem & violentiam inculcatam extortum per feram tyrannidem extitisse: quodque iuramentum, vt foret iniquitatis vinculum, non extitit institutum; ac volentes super hoc, prout nostra interest, de opportuno remedio prouidere, te ab eodem iuramento, illicito quidem, auctoritate apostolica prorsus absoluimus, & denuntiamus etiam absolutum; auctoritate decernentes eadem, te ad ipsius iuramenti obseruantiam aliquatenus non teneri. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. kal. maij anno IV.* Continuæ occidentis dissensiones obstitere, ne Armeniæ inferrentur auxilia: atque ita eam pronis in exitium rebus demum a sedis Apostolicæ obsequio diuulsam visuri sumus. Luctuosum porro fuit Reges Christianos mutuis constrictos affinitatibus, in mutua coniunctione iuribus sanguinis contineri non potuisse.

Rescissū illud sacramentum a Pont.

Armenia demum amissa, ob occidentalium discordias.

25 Cum vero disturbatam expeditionem Asiaticam vidisset Alfonsus Lusitaniæ Rex, edixit ne decretæ a Ioanne XXII. decimæ, quæ pro suppeditandis stipendijs Lusitanis, qui ad eam se compararent, soluerentur sedi Apostolicæ, easque opes occupauit, prætexens hunc fucum ne fine auctoritate sua consumerentur. Qua de re certior factus Pontifex, cum eas decimas in orientalium auxilium conuertere cuperet (flagitabat a enim opem Leo Armeniæ Rex, cuius oratores ac supplices literas hoc iterum adulto anno acceperat) tum libertas ecclesiastica inuasis sacris opibus violaretur, Alfonsum Lusitaniæ Regem corripuit, obiecitque quantam sedi Apostolicæ iniuriam inferret. Implicitus b erat Alfonsus Rex bello cum Alfonso Castellæ Rege genero, cum Mariam Reginam filiam suam ab illo illiberaliter tractari indignaretur c adeo, vt de ipsa repudianda & Gusmania, cuius vesanis erat irretitus Castellanus amoribus, corona regia ornanda, Petroque notho tradendis sceptris agitarit. Ad quos conciliandos Bernardus episcopus Rutenensis a Pontifice legatus est. Impetratæ sunt ab hoc induciæ, quas non respuit Lusitanus, si Castellanus eas admitteret. De quo Benedictus Lusitano actis gratijs, ad flectendum Castellanum studium conuertit, atque ob oculos ipsi proposuit d, quanta ex ijs discordijs nascerentur discrimina: conflictari regnum, atteri populos, hostium fidei potentiam confirmari. Quo antea argumento ad Lusitanum Regem scripserat. Comparabat enim se bello Albohacenus Rex Marrochitanus (quem Tremesenio regno superiori anno auctum fuisse refert Mariana e) ad inuadendas Hispanias: qua de re Beltraminus electus Theatinus & Henricus de Aste Apost. sedis internuntij eam fecere certiorem f. Missos superiori anno in Aragoniam ipsos vidimus, vt Petrum Regem, qui cum Regina Elionora nouerca eiusque liberis & illorum patruo ac tutore & Rege Castellæ, qui sororis viduæ clientelam acceperat, pernicio-

Lusitanus decimas sacras inuadit.

a To. 3. ep. 318.

Belli inter Castellanum & Lusitanū exordia.

b Ead. ep.

c Sur. l. 7. c. 33. Marian. l. 16. c. 4.

d Eod. to. 3 ep. secr. 377. 146.

e Marian. l. 16. c. 5.

f To. 3. ep. secr. 195.

Aragonico intestino bello sopiendo data opera.

se bellum gerebat, ad pacem reuocarent, dederentque operam, vt celebraretur ordinum regni conuentus, in quibus controuersia componeretur: nauatumque adeo strenue studium ab ijs fuit, vt demum pontificijs consilijs magna publicæ rei vtilitate paritum s fit. Commendanda vero hic solicitudo Pontificis, qui ex apostolico munere, quo publicis omnium regnorum Christianorum vtilitatibus consulere obstrictus erat, cum Regem Aragonium puerum a factioso consilio abripi in bella ciuilia intueretur, solemnes regni conuentus sua auctoritate celebrari ad regnum pacandum iussit, ac regij consilij turbarumque principem præfectum scrinij, regiæ ætatis abutentem imbecillitate, ad subsellia sedis Apostolicæ ad causam dicendam se sistere compulit b. Extincto itaque in Aragonia ciuili bello, Benedictus Petro Regi est gratulatus c, animum ad pacis consilia ipsum conuertisse, ac pie apostolicis monitis morem gessisse.

Redintegrata concordia.

a To. 3. ep. secr. 68.

b Marian. l. 16. c. 6.

c To. 3. ep. secr. 360.

Benedictus, &c. Petro Regi *Aragonum.*

Dilectorum filiorū Beltramini electi Theatini, & magistri Henrici de Aste canonici Ambianensis capellani nostri causarum palatij apostolici auditoris, nostrorum & Apostolicæ sedis nuntiorum, ad nos insinuatio grata perduxit, quod tu, fili dilectissime, nostris & eorundem nuntiorum ac aliorum, qui tuæ salutis, honoris, & commodi zelatores existunt, consilijs & persuasionibus salubribus acquiescens, ad extirpandam radicitus dissensionis periculosam & scandalosam materiam, quam inter te ex vna parte, ac inclytos infantes claræ memoriæ Alfonsi Regis Aragonum genitoris tui ac charissimæ in Christo filiæ nostræ Elionoræ Reginæ Aragonum illustris relictæ suæ natos fratres tuos, eandemque Reginam tutricem, ac dilectum filium nobilem virum Petrum dominum de Xerica defensorem eorum ex altera, suscitare studuerat hostis humani generis; ac pacis & vnitatis fœdera inuicem reformanda & stabilienda, cor regium effectualiter inclinasti. Super quibus, Deo & nobis gratis admodum, celsitudinem regiam multipliciter in Domino commendamus, eandem rogantes attentius, & in Domino exhortantes, quatenus pacis eiusdem attentis commodis, illam stabilire ac obseruare inuiolabiliter regalis circumspectio non postponat: ita quod recolendæ memoriæ Regum Aragonum prædecessorum tuorum, qui pacem & vnitatem nutrire cōsueuerunt in domo regia, laudabiliter imitando vestigia, te semper acceptiorem efficias Regi pacifico & excelso, tibique ipso largiente prospera cuncta succedant. *Dat. Auin. III. non. decembr. anno* III. Consuluit etiam pacis studio eidem Regi Benedictus d, ne Raimundū e Peralta Friderici olim Trinacriæ Regis generum classi præficeret, sed alium magnatem rei maritimæ peritia clarum; cum Raimundus antea Robertum Siciliæ Regem læsisset, ac fœdus quod ipsum inter & Aragonios intercedebat, infregisset; dum nimirum Trinacriam Robertus superioribus annis recuperare nisus fuerat.

Aragoni gratulatur Pontifex de suscepto pacis consilio.

In eo confirmatur.

d Ib. ep. secr. 382.

26 Excesserat e tum e viuis Fridericus Rex, quē Trinacriæ sceptrum scelere corripuisse vidimus; gessisse impie, cum e piorum cœtu segregatus diutissime vixerit; nec minori perfidia Petro filio transmisisse, cum fœderis leges, ex quo Apostolicæ sedis auctoritate iuste Regis nomen acceperat, ea re violasset: Trinacriæ enim aliarumque insularum adiacentium dominatus ad Siculos

e Ib. ep. sec. 244. Io. Vill. l. 11. c. 70. Marian. l. 16. c. 5.

Regis Trinacrij mort.

Vt posteros
in eyrannidis successionem induxerit.

Re-

Reges Gallici generis erat deuoluendus. Cæterum reliquit minori filio Inanni Athenarum & Neopatriæ principarum; sepultum vero Catanæ in beatæ Agathæ templo ferunt. Erectus est in spem, eo sublato, Robertus Rex auiti regni redintegrandi, atque a Pontifice, significata ei Friderici morte, contendit ne quid aduersus sua iura statueret. Cui Benedictus hæc quinto kalendas septembris rescripsit a: *Super ijs, quæ dictarum exprimebat series literarum, nihil in tuum & regni tui praiudicium attentari permittemus, quantum in nobis fuerit; immo tibi assistere intendimus, sicut cum Deo & honestate poterimus, super eis.* Ex his auctores recentiores emendandi, qui in alium annum Friderici mortem conijciunt. Fauebat Roberto pro recuperanda Trinacria Petri illius innasoris morum improbitas, quem Ioannes Villanus b parum ab insania abfuisse refert adeo, vt plures proceres a se abalienarit, inter quos Franciscus comes Vintimiliensis apertam rebellionē mouerit, atque a Roberto auxilia implorarit. Sed antequam ea venirent, Petri copijs oppressus est: duo enim eius filij in hostiū venere potestatem, ipseq; postmodū eum alio filio in acie occubuit bona, amplissima fisco sūt addicta: inde vero aliæ ex alijs discordiæ grauissimæ emersere.

a Super ep. 244.

b Io. Vill. l. 11 c. 70. Petrus Rex Trinacriæ.

Comitem Vintimiliensem opprimit.

c Baron. in not. M. S. ad hunc ann.

Laborabat non leuioribus intestinis dissensionibus reliqua Italia; ad quam componendam a Benedicto vrbibus imperij præfectos datos Baronius refert c: *Gubernatores*, inqnit, *per terram imperij in Italia direxit, hoc ad se pertinere vacante imperio asserens*. Præcipuus vero tyrannus Mastinus Scaliger, qui magnam terrarum imperij partem inuaserat, admodum depressus est. Carolus princeps Regis Boemiæ filius e Charinthia Bellunum & Feltria oppugnauit: fœderati ad Veronam excurrere, sed a Mastino cum minoribus copijs repulsi; inde ad Patauium belli moles incubuit d atque ab Albertino Carraria conflata couiuratione, Albertus Scaliger, qui superbe dominabatur, coniectus est in vincula, Carraria vero vrbis dominarum corripuit, seque alijs fœderatis adiunxit. Concidente porro in dies Mastini Scaligeri potētia, Brixia iugum illius excussit e, ac plura non ignobilia municipia defecere: accisis itaq; viribus, ille a Venetis pacem quæsiuit, sed nonnisi duriores conditiones referre potuit. In Vrbe Columnensium Vrsinorumque sessi discordijs Romani flagitabant f continentibus votis, vt Benedictus desolatæ Vrbi, cuius administrationem noua officij significatione illi deferebant g, sedem Apostolicam restitueret; quibus Pontifex hæc respondit: *Scire vos cupimus, quod ex quo fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, ad hoc præcipue nostra aspirauit intentio & aspirat, vt Vrbem ipsam de fratrum nostrorum consilio & cum ipsis fratribus personaliter visitemus: verū, sicut scire vos credimus, status æger & intranquillus occidentalium partium nostra in hac parte præsentialiter impleri desideria non permittit, &c. Dat. Auin. 21. kal. augusti anno III.*

Benedictus prouinciis imperij præfectos imponit.

d Io. Vill. c. 64. Auton. sup. cap. & S. Carrarius Patauij dominatu potitus.

e Id. c. 72. Scaligerorum extenuata potentia.

f Ibid. ep. 225. Rogatus Pontifex vt Romā redeat.

g Ead. epist. 225. & epist. 322. Quid rescripserit.

27 Abfuere ab eo Romanorum in Pontificem studio Bononienses, qui pulso iam ante Bertrando A. S. L. inter ciuiles tumultus Thadęo Pepulo vrbis tyrannidem detulerunt h, quos Pontifex perduellionis lege postulatos publico hoc edicto perculsit i.

Edictum in Bononienses.

h Io. Vill. l. 11. cap. 69. & alij.

i Anz. p. 2. op. cur. 20. & lib. primil. Rom. eccl. to. 1. pag. 388. & collect. processuū Benedicti tpr archiepisc. Auen. tom. eiusd. par. pag. 1.

Benedictus &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Fons sapientiæ verbum Dei, in operibus suis doctrinam infundens salutarem Israeliticum populum, quem priuilegio gratiæ specialis alijs præferebat, fouebat manna misericordiæ, ac rigoris virga regebat, sic beneficia ipsis impertiens, vt nō remitteret vltiones. Moyses etiam Dei amicus, licet pro dicto populo offerret vitulum labiorum munus tamen sacrificij non omisit; sed post supplicationis hostiam holocaustum satisfactionis humiliter offerebat, causam populi coram Domino precibus, & Dei causam in populo vltoribus gladijs prosecutus, &c. [Plura addit, si ignoscatur crimini, licentiæ fræna laxari; vnde interdum parcere tyrannidis sit, & misericordiæ desæuire. Tum subdit:] Cum enim venerabilis frater noster Bertrandus episc. Ostiensis, olim in tota prouincia Lombardiæ & nonnullis alijs Italię partibus apostolicæ legationis officio fungeretur, & in eadem ciuitate Bononiæ resideret, ac eiusdem ciuitatis, nec non comitatus, territorij, & districtus, ac pertinentiarum ipsius, dominium & iurisdictionem, ad Romanam ecclesiam pertinentia ab antiquo, pro dicta ecclesia teneret & possideret, & diu, pacifice, iuste, & legitime pro eadem ecclesia tenuisset, & etiam possedisset; sindici quoque communitatis, & vniuersitatis ciuitatis eiusdem, ad hæc specialiter cōstituti, recognouissent dominium & iurisdictionem prædicta pleno iure ad eandem ecclesiam ab antiquo pertinuisse & etiam pertinere; & ex abundanti eadem dominium & iurisdictionem primo eidem legato, & secundo felicis recordationis Ioanni Papæ XXII. prædecessori nostro, tunc viuenti, nomine eiusdem ecclesiæ recipientibus, expresse donassent, confectis exinde publicis instrumentis; nonnulli iniquitatis alumni incolæ ciuitatis prædictæ, tractatu etiam de hoc, vt dicitur, non absque proditionis reatu præhabito inter eos, rumorem & seditionem in eiusdem ciuitatis populo excitarunt, ac pluribus continuatis diebus, pulsatis hostili more campanis, ad præmeditatæ diutius eiusdem proditionis facinus perpetrandum in vnum Bononiensis populus congregatus flagitioso & sacrilego ausu eundem episcopum Ostiensem Apostolicæ sedis legatum, in castro per eum constructo pro eadem Romana ecclesia, sito infra ciuitatem prædictam, cum nullas tunc talium machinationum & proditionum verisimiliter formidaret insidias, residentem aggredientes hostiliter obsederunt, eumque per decem dies continuos, & amplius tenuerunt obsessum: ac conflatis earum robore & virtute cum balistis & alijs bellicis instrumentis aduersus dictum legatum, honorabile membrum Romanæ ecclesiæ, partemque corporis Romani Pontificis & de latere eius missum, non absque crimine læsæ sedis Apostolicæ maiestatis proijciendo lapides & quadrellos, nequiter & hostiliter expugnarunt. Fossata etiam dicti castri, & aquæductum ipsorum, & murum clusæ dictorum fossatorum ruperunt, ignemque posuerunt in aliquibus fortalicijs dicti castri: & vt idem legatus destitueretur omni auxilio & succursu, & ne aliquibus ad succurrendum eidē aditus præstaretur, cœperunt in circuitu dicti castri fodi facere foueas, seu fossata, vt idem legatus & gentes, suæ inedia fameque consumpti, eorum se tradere manibus cogerentur, in eiusdem castri obsidione huiusmodi terroris vocem vniuersaliter proclamantes: Moriatur legatus, moriatur legatus, & illi de lingua * Franci; sub magnis pœnis nihilominus prohibentes, ne per aliquos introducerentur in castrum prædictum aliqua victualia, vel res humanis necessitatibus

De concitata ob ipsi seditione in Bertrandum A.S.L.

Vt eundem obsederint.

Mortem truculētis vocibus intentarint.

*Franca

bus opportunæ. Sub pœna etiam capitis, voce præconia, & cum tubis fecerunt publice proclamari, ne quis castrum ingrederetur præfatum, aut loqueretur existentibus in eodem. In obsidione quoque prædicta, diurnis, & nocturnis temporibus tamdiu minaci & armata potentia perstiterunt, donec legatum cum familia, & alijs gentibus suis ad dictum castrum reductis, de dictis castro & ciuitate cum multis personarum, & rerum periculis exire oportuit, & festinare recessum.

Demum capta deditione arce recessit.

28 Eadem vero obsidione durante, ijdem Bononienses, ad omne nefas relaxatis habenis, dilectum filium Oliuerium Betaldi militem vicemarescallum gentis eiusdem ecclesiæ, in dicta ciuitate morantem, eiusq; officiales in palatio, in quo dictus vicemarescallus tunc morabatur, hostiliter inuaserunt, supponentes ignem præfato palatio, vt metu incendij facilius cogi possent: ac finaliter eosdem vicemarescallum & familiares ipsius ceperunt, & deprædati fuerunt, eosque vinculis & compedibus ferreis constrinxerunt, ipsos nihilominus, & maxime dictum vicemarescallum tormentis seu quæstionibus sæpius affligentes: omnesque alios officiales, per dictum legatum in ciuitate prædicta pro Romana ecclesia constitutos, hostiliter insecuti & prædati fuerunt, eosque de facto a suis officijs amouentes, in locum eorum alios posuerunt. Custodes etiam portarum ciuitatis eiusdem inuaserunt, supponentes ignem in aliquibus earundem, captis & interfectis aliquibus custodibus prælibatis; ac maleficos omnes & carceratos, in carceribus venerabilis fratris nostri Bertrādi episcopi Bononiēsis, & dilecti filij rectoris dictæ ciuitatis pro Romana ecclesia pro multis grauibus sceleribus perpetratis per eos ibidem detentos, effractis dictis carceribus, in eiusdem ecclesiæ contumeliam relaxarunt, omnesque bannitos de dicta ciuitate pro multis enormibus excessibus patratis per eos ad dictam ciuitatem temere reduxerunt.

Diffracti ab ijsdem carceres.

Reuocati exules.

Hostium quoque & rebellium eiusdem ecclesiæ, videlicet marchionem Estensem, contra dictum legatum auxilium inuocantes, de ipsorum stipendiarijs in ciuitatem præfatam magnam multitudinem induxerunt, ac venerabiles fratres nostros Bertrandum episcopum Ebredunensem, tunc Apostolicæ sedis in partibus illis nuncium, & Petrum Mirapiscensem, & præfatum Bertrandum Bononiensem episcopos, & quondā Bertrandum Nonantulanum Mutinēsis diœcesis & dilectum filium Iacobum S. Stephani Bononien. monasteriorum abbates, omnesque tam prælatos quam alios clericos religiosos & seculares, ac laicos vniuersos de familia & gente ipsius legati; nec non stipendiarios dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ in ciuitate, comitatu, territorio, & districtu prædictis existentes, absque aliqua causa rationabili, solius præconceptæ proditionis impulsu, hostiliter inuaserunt, eosque libris, capellis, equis, vasis argenteis, vestibus, armis, pecunia, & rebus eorum nequiter spoliarunt; dictumque abbatem Nonantulæ vsque ad femoralia nudauerunt, ipsumque decem diebus detinuerunt carceri mancipatum. Episcopale quoque palatium Bononien. supposuerunt incendio, & quoscunque reperire potuerunt de gente, familia, & idiomate dicti legati, ceperunt, multosque ex eis vulnerauerunt, & aliquos inhumaniter & crudeliter occiderunt: ac terras, castra & loca omnia prædictorum comitatus & districtus, nec non terras, castra, & loca supposita iurisdictioni dictorum episcopi, & ecclesiæ Bononien. in rebellionis deuium aduersus dictum legatum & Romanam ecclesiam deduxerunt.

Legati familia expilata.

Episcopale palatiū Bononien. se incensum.

Bononiensium in Gallos sæuitia.

29 Officiales insuper & gentes omnes in eisdem ciuitate, comitatu, & districtu, castris & locis pro prædictis Romana ecclesia & legato, et Bonon. Episcopo consistentes, ceperunt & spoliarunt, nonnullos ex eis familiares eiusdem Bononiensis episcopi crudeliter occidendo: inter quos quondam Bertrandus de Glat familiaris eiusdem episcopi Bononiensis feritatis detestandæ sæuitia euisceratus extitit, & per frusta concisus, eius carnibus datis in escam canibus & proiectis. Et inter huiusmodi enormitatum multiplicatos excessus eundem legatum, & per eum dictam Romanam ecclesiam de possessione vel quasi ciuitatis & castri, ac comitatus, territorij, & districtus Bononiensis, ac iurisdictionis & iurium prædictorum; in qua possessione vel quasi idem legatus nomine, & pro parte eiusdem Romanæ ecclesiæ diutius pacifice & quiete fuerat, & tunc etiam existebat, iniuriose per violentiam deiecerunt, dictaque possessione vel quasi eandem Romanam ecclesiam spoliarunt, & spoliari mandarunt, seu deiectionem & spoliationem ab alijs factam ratam habuerunt: dictamque possessionem seu quasi ciuitatis, comitatus, territorij, & districtus, ac iurisdictionis & iurium prædictorum, velut alienati filij non attendentes, quam durum existat contra stimulum calcitrare, in eiusdem ecclesiæ contumeliam occupare, & ex tunc occupatam tenere præsumpserunt nequiter, & præsumunt. Quinimmo furore damnabilis indignationis accensi, dictum castrum, per dictum legatum pro dicta Romana ecclesia, non sine magnis expensis opere decoro constructum, fuerunt funditus demoliri in grauem Apostolicæ sedis iniuriam & contemptum, &c.] Subdit, licet hæc omnia essent conspicua, Ioannem tamen de ijs inquisiuisse: se vero succedentem, cum perpenderet sæpius legatis Cardinalibus atroces huiusmodi iniurias illatas, iustitiam misericordia temperandam decreuisse, atque literis Bononienses ad officium solicitasse: tum opera archiepiscopi Ebredunensis in ijs partibus Apostolicæ sedis internuncij minas, ni redirent ad obsequium, iustas incussisse: quamuis autem is Bononiam se contulisset, flectere tamen ipsos non potuisse: atque ideo magistratibus Bononiensibus actionem intendit, vt Romanæ ecclesiæ iura omnia restituant, quibus Bertrando Cardinale legato potiebatur, ecclesia excurrente duorum mensium spatio, & claues vrbis Florentino & Imolensi episcopis vel Æmiliæ præsidi deferant, ac libero dominatu potiri sinant: detrectantibus apostolica imperia intentat anathema, vrbem & comitatum sacrorum templorum vsu priuat, ac ni magistratus lapso bimestri pontificium præfectum in Bononiæ possessionem induxerint, euoluto inde mense denuntiat publicarum scholarum iura Bononiæ eripi, atque scientiarum professores & dantes operam literis, ni academiam dissoluerint, censuris percellit. Magistratus præterea omnibus publicis muneribus, beneficijs, ac iuribus, quibus ab ecclesia erant exornati, euertit; imperatq; ne quis sacerdos, nisi in ancipiti mortis discrimine, ipsos censuris exoluat. Denique in iudicium, præter magistratus, præcipuos auctoritate ciues, atque inter alios Franciscum episcopum Cenetensem, Thadæum Pepulum legum doctorem, Ioannem et Iacobum eius filios, Ioannem Pepulum fratrem Tha-

Perduellio in Pontificem.

Arx ab ijsdem euersa.

Obiectæ pertinacibus pœnæ.

Inflictum interdictum.

dæi

dæi comitem de Pepulis eius filium; Lippum de Pepulis accersit, vt euoluto trimestri ad dicendam causam se sistant: populum vero oratorem pro expiando flagitio mittere iubet, ac ne ipsos id edictum latuisse obtendant, Auinionensis ecclesiæ foribus affigendum decernit. *Actum Auinion. in palatio nostro Apostolico 10. non. ianuary pontificatus nostri anno III.* Mediolanensi autem ac Rauennati archiepiscopis a, tum Florentino & Imolensi episcopis b Æmiliæque præfecto imperatum, vt hæc edicta ritu solemni euulgarent. Perculsi ijs censuris Bononienses proximo anno ad Benedictum oratores decreuere, qui in publico Cardinalium senatu professi Bononiam iuris esse pontificij, sacrosanctæ potestati se submisere, inque ecclesiæ gratiam restitui poposcerunt, de quibus agetur inferius. Meminit de Bononiensibus perduellionis lege postulatis Ioannes Villanus c, de quo supra memoraui, additque retulisse iusta improbitatis suæ præmia Bradalium Guzadinum, qui Bertrandum legatum Cardinalem concitata seditione pepulerat, dum exilio a Thadæo, cum quo de tyrannide disceptarat, mulctatus est.

Thadæus e Pepulis in ius vocatus.

a An.3.p.2.ep.cur.21.22. & lib.ep.23 & collect. potest. Bened.per archiep. Auinion. eo inferius pag. 6.

Promulgata in Bononienses censuræ.

c Io. Vill. l.11.c.69.

30 Hoc anno districta est pontificio iussu d legum seueritas in nonnullos magos ac præstigiatores, qui imagines cereas confinxerant, ac diabolica sacrorum Christianorum æmulatione ritu profano baptizarant ad inferendam Ioanni XXII. necem: qui cum Biterrensem episcopum, vt criminis auctorem accusarent, explorari certius rei veritas a Benedicto iussa est, ac publicæ tabulæ de ea re transmitti. Tradit autem Benedicti vitæ auctor e, flammis iniectum hoc anno pseudominoritam, qui apostolicis constitutionibus contrariam de Christi paupertate sententiam pertinacissime tuebatur: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXXXVII. *die tertia mensis iuny Venetys fuit tanquam hæreticus condemnatus, brachioque seculari traditus, & deinde crematus igne frater Franciscus de Pistorio ordinis Minorum, pro eo quod pertinaciter asserebat, quod Christus & eius discipuli nihil habuerunt in proprio nec in communi; cuius contrarium determinauerat Ioannes Papa* XXII. *in constitutione, quæ incipit: Cum inter nonnullos.* His consentanea in M. S. f Vaticano referuntur. Nondum enim illa insania ex plurium capite, nisi ferro flammaque excuti poterat; inter quos erant pseudominoritæ Michael Cæsenas, Guillelmus Ochamus, Franciscus de Asculo, atque alij nonnulli: *Qui*, inquit, *a quondam Petro de Corbario, tunc antipapa, hæresiarcha, & schismatico promotiones ad dignitates vel officia receperunt de facto*, quos Pontifex ob insignem eorum improbitatem beneficij illius expertes pronuntiauit g, quod cæteris sacri eius ordinis sodalibus, qui in hæresim vel schisma erant lapsi, impertierat vt solemnibus comitijs Caturci celebrandis censuris exolui, atque in gratiam cum ecclesia restitui possent.

Magi iudicio postulati.

d To.3.ep secr. 137.

e Gest. Bened. apud Bosq.

Minorita exustus Venetijs.

f M.S. bib. Vat. signat. 3765. in Ben. XII.

Propositis Minoritis lapsis venia.

g To 3.ep. secr. 109.

Benedictus, &c. ministro & diffinitoribus capituli generalis ordinis fratrum Minorum, in proximo celebrandi Caturci.

Nos, sequendo, quantum possumus, diuinæ miserationis exemplum, fratres prædictos, si vera sit eorum contritio, ad misericordiam recipi, & animarum ipsorum cupientes prouidere saluti, vobis, de quorum circumspectione fiduciam in Domino gerimus specialem, *& infra*, vt ab excommunicationis sententijs, quas incurrerunt propter prædicta, prouidere auctoritate nostra hac vice iuxta formam ecclesiæ, ac pœnitentias salutares iniungere, prout expedire animarum ipsorum saluti cognoueritis, valeatis (exceptis tamen eodem Michaele [nimirum Cæsenate supremo olim Minoritarum præfecto] ac Francisco de Esculo, Guillelmo Ocham, Bonagraria, & alijs, qui a quondam Petro de Corbario tunc antipapa, hæresiarcha, & schismatico promotiones ad dignitates vel officia receperunt de facto) plenam concedimus tenore præsentium facultatem, &c. *Dat. Auin. 16. id. may anno III.*

Ea de re literæ.

In Bosnia, cum recrudescerent hæreses, ac Stipocius Banus impijs studeret, suaque potentia illos tueretur, Pontifex seruandæ incorruptæ religionis studio finitimos principes, vt arma in hæreticum Banum corriperent, excitauit a: atque inter cæteros Neliptius comes Tunensis, Budislauus, Gregorius, & Paulus Corbaniæ, Daymo & Bartholomæus Seguiç, Paulus & Georgius Clussiæ, Paulus Esternicæ, Constantinus Cluci comites a Benedicto literis solicitati b ad fidei censores sua potentia & auctoritate fulciendos.

Bosnia infecta hæresi.

a To.3. ep secr. 123. ad 128.

b ibid.

31 Emicuit etiam pontificiũ studiũ in Græcis schismaticis ad Romanæ ecclesiæ coniunctionem prouocandis. Agitatum iam ante fuerat sub Ioanne XXII. de vtraque ecclesia copulanda, cum inde Christiana religio felicius de Mahumetica superstitione triumphatura videretur, ac Turcarum impetus reprimendi essent: cumque Benedicto expositum fuisset, Græcos redintegrandæ coniunctionis cupiditate teneri, ipseque ad rem perficiendam alacrem se præbuisset, ac perlatum fuisset Andronico Imperatori Constantinopolitano, Romanum Pontificem id vnum maxime gerere in votis; constituit Andronicus e Græcorum consilio tractatum ea de re inchoare, contestatus se & Græcos, vbi comperissent suos errores, ad eos damnãdos paratos fore. Quæ cum Benedictus accepisset, mox ad optatam adeo ecclesiarum coniunctionem vrgendam Andronicum Palæologum hisce literis prouocauit c.

De Græcorum ad ecclesiam reditu agitatum.

Magnifico viro Palæologo moderatori Græcorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

c Ib. ep.6. ext. etiam in M.S. arch Vat. de rebus Tart. Armen. et al. infid. & sequ. pag. 28.

Nuper ad nostram veniens præsentiam dilectus filius nobilis vir Stephanus Dourinus Dandalo miles asseruit coram nobis, quod ipso dudum tibi tuisque baronibus tecum tunc præsentibus exponente, nos intellexisse lætanter, quod Græci reuniri & reconciliari sanctæ Romanæ ecclesiæ affectabant; tu ad hoc respondisti de voluntate baronũ ipsorum, quod omnes Græci vnanimiter desiderabant fieri reunionem & reconciliationem prædictas, parati super hoc subire tractatum, ac nuncios & apocrisarios ad ciuitatem Neapolitanam destinare propterea, vbi nos nostros etiam mitteremus; cum de charissimo in Christo filio nostro Ruberto Rege Siciliæ illustri fiduciam obtineres: adijciendo nihilominus, quod vbi tu & Græci prædicti errare se cognoscerent in aliquo, parati essent errorem huiusmodi reuocare. Præmissis igitur per eundem militem apostolatui nostro expositis, nos (qui summi & æterni Pastoris, qui pro suis ouibus animam posuit, vices licet immeriti gerimus, oues ipsas extra ouile dominicum oberrantes, in illud reduci, ne faucibus diaboli, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quos deuoret, pateant deuorandæ, profundis desiderijs affectantes, de huiusmodi tuo & Græcorum laudabili & salutifero proposito, si eum in opus perfectionis curetis producere) multipliciter in Domino exultamus; ei qui te ac tuos sic beni-

De Andronico ad schisma exuẽdum comparato.

benigne inspirando præuenit, labiorum vitulum in humilitate spiritus exoluentes.

Bened. ad Græcos excipiendos promptum se exhibet.

Ideoque tuam excellentiam attentius in Domino exhortamur, quatenus bona innumera spiritualia & temporalia, quæ ex reunione ac reconciliatione tua & Græcorum prædictorum ad sacrosanctam Romanam ecclesiam, quæ mater cunctorum fidelium & caput omnium ecclesiarum existere noscitur, poterunt prouenire, quotque animabus salutis aperietur exinde ianua; nec non quæ ac qualia merita tibi, si tuo tempore ad effectum præmissa veniant, poteris apud Deum acquirere, diligenti meditatione intra tui pectoris claustra reuoluens, conceptum veritatis & salutis in hac parte spiritum non extinguas; sed inflammes potius & accendas, te ac Græcos prædictos ad reunionem & reconciliationem huiusmodi efficaciter disponendo; super tractatibus habendis super eis idoneos nuncios & apocrisiarios cum literis & mandatis sufficientibus ad nos & sedem Apostolicam, quantocyus commode fieri poterit, nihilominus transmissurus. Volumus autem te pro certo tenere, quod nos & sedem præfatam super ijs propitios, quantum honeste cum Deo fieri poterit, reperies & benignos: & cum reunio & reconciliatio prædictæ, cooperante diuina gratia, factæ fuerint & firmatæ, te tanquam charissimum & dilectissimum filium, paternæ dilectionis & charitatis brachijs astringendo, prosequemur opportunis gratijs, honoribus, & fauoribus te ac tuos. *Datum Auin. xvi. kalend. februarij anno iii.*

Robert⁹ Rex interpres concordiæ.

32 Sentiebat Pontifex e dignitate Romanæ ecclesiæ non fore, vt in Regis Siciliæ aulam apostolicos legatos ad tractandam cum Græcis coniunctionem ecclesiarum, agitandasque controuersias fidei mitteret; atque ideo Andronicum est deprecatus, vt apocrisiarios ad sedem Apostolicam legaret; ac Robertum Siciliæ Regem rogauit a, vt studio summo ad Græcos ad id adducendos incumberet; quamuis enim ingenio, eloquentia, ac sacrarum literarum peritia polleret, aptiorem tamen nullum ad rem agitandam locum futurum, quam in quo perficienda foret.

a To. 3. ep. secr. 9.

Benedictus, &c. Roberto Regi Siciliæ illustri.

Fili dilectissime, quia tuæ solicitudinis solertiam fructus vberes afferre posse huic negotio credimus; præsertim cum prælibatus moderator, specialem, vt præmittitur, fiduciam de te gerat, tuque (cui dator bonorum & distributor omnium gratiarum clarum ingenium, cultum eloquium, sacrarumque scripturarum intelligentiam ministrauit) magnum exinde acquirere tibi poteris meritum apud Deum; excellentiam rogamus regiam, & in domino attentius exhortamur, quatenus quot bona ex reunione huiusmodi, si daret eam Dominus, prouenirent; quotque animabus Græcorum prædictorum damnationi expositis ianua panderetur salutis, deducens in regiæ considerationis examen, memoratum moderatorem ad reunionem & reconciliationem cum eadem Romana ecclesia, quæ mater & caput est ecclesiarum omnium & magistra, faciendas mittendosque propterea nuntios & apocrisiarios cum sufficientibus literis & mandatis, inducere vijs & modis, quibus expedire cognoueris, iuxta datam a Deo tibi prudentiam non postponas. Et licet gratum nostris accederet affectibus, quod tractatus super reunione ac reconciliatione prædictis ibi fiant, vbi dictæ reunio & reconciliatio ad hono-

Rogatus, vt ad id operam naues.

rem et gloriam diuini nominis et animarum salutem citius et vtilius ex tractatibus ipsis sperari poterit, diuina cooperante gratia, prouenire; quia tamen tractatus eosdem melius, celerius, et vtilius et solidius posse fieri apud sedem Apostolicam, quam alibi, probabiliter existimamus, velit regalis circumspectio, quod ad sedem eandem destinentur dicti nuntij et apocrisarij, efficaciter procurare, etc. *Dat. Auin. xvi. kal. februarij anno iii.*

33 Fauebat huic Græcorum coniunctioni Imperatrix Ioanna, ex comitum Sabaudiæ stirpe catholica sata, illamque Pontifex, vt cœptis insisteret, hisce verbis incitabat a: *Sane, filia charissima, quia principaliter ad te, de domo & progenie, in quibus hactenus personæ fuerunt catholicæ, traxisse originem nosceris, multum spectat præfatum virum tuum tam propter te ipsam, quam eum, qui vna tecum caro est; & etiam ne viteri tui liberi & progrediendi ex eis a fide catholica, & eiusdem matris ecclesiæ vnitate remoti sint, vel quomodolibet alieni, ad reunionem & reconciliationem ecclesiæ memoratæ, quæ mater cunctorum fidelium & caput ecclesiarum omnium esse dignoscitur, operosis & efficacibus studijs inducere, illasque sedule procurare; maxime cum ad id sacra scripturæ pagina te inuitet dicente Apostolo: Vir infidelis saluabitur per mulierem fidelem.* Subiungit vt apud Imperatorem incumbat, vt apocrisiarios ad ecclesias coniungendas, et schisma eiurandum instructos auctoritate transmittat.

Ioanna Imperatrix fœd⁹ ecclesiarũ promouet
a Ib. ep. 7. eur. etiam in M.S. memorato pag. 30.

Excitauit pariter Aymonem comitem Sabaudiæ b, vt cum maxime de ipsius gloria ageretur, ne qui ex Sabauda stirpe a fidei puritate deficerent, vel aberrarent ab ecclesiæ gremio, in nepotibus imperij heredibus vna cum ceteris orientalibus ad Romanæ ecclesiæ obsequium reuocandis pium pietatis ardorem explicaret.

Excitatur Sabaudus vt operã suam ad id coniungat.
b Ib. ep. secr. 8.

34 Intermissa porro est coniungendarum ecclesiarum memorata tractatio, cum occidentales in dissensiones funestas abirent, nec promissa Græcis in Turcas auxilia submitterentur: ac præter Anglorum et Francorum exitialia bella, Genuenses et Veneti, qui sua potentia infideles facile comprimere potuissent, enses in mutuas cædes in oriente strinxerint c. Eiusmodi belli initium describit Ioannes Villanus c dum narrat, decem Monachensium Ligurum triremes totidemque alias Venetas, dum prædæ cupidine sulcarent Ægæum mare, in se mutuo incurrisse, ac demum cruentam luctuosamque victoriam Genuenses retulisse. Atque hæ primæ faces diuturni belli iniectæ fuere, quo vtraque respublica pene conflagrauit, ac Turca proferendarum victoriarum occasionem nactus est. Vertit etiam Andronicus arma in Martinum Zachariam Chij præfectum genere Genuensem, qui etiam, insulam ab Andronico seniore adeptus iure fiduciario, ingentia bellica facinora aduersus Turcas explicuerat: cumque assurgeret in dies illius potentia, Andronicus concepta de illo suspicione, conflata classe, ipsum proditione & perfidia insigni cepit; de quo hæc Nicephorus Gregoras: *Ipse vir strenuus & prudens, triremibus ædificatis, Asianos barbaros ora maritima accolas infestauit: piratis etiam circum insulas vagantibus infestus, quos breui tempore adeo perterrefecit, vt metu belli cladium annua illi tributa penderent. Ad magnas igitur opes & gloriam breui euectus, Romanis suspectus fuit, ne paulo post iugum Imperatoris excuteret: eaque de causa non palam eum Imperator ag-* gref-

Dissolut⁹ ob bella occident. de Græcorum coniunctione tractatus.
c Io. Vill. l. 11. c. 62.
Genuens. inter & Venetos belli exordia.
Zacharias Ligur. captus ab Andron.

gressus nullo negotio insulam cepit, & vinctum illum Byzantium misit. Ita Andronicus Turcarum egregium expugnatorem eodem furore, quo quis sibi dexteram amputaret, prodidit. Audito eo tristi casu, Pontifex ac Francorum Rex apud Andronicum intercessere, vt Martinum, quem in vinculis tenebat, restitueret libertati: extantque eo argumento deprecatoriæ ad Imperatorem IX. kal. maij huius anni datæ a Benedicto literæ a, quibus ipsum rogat, vt virum egregium, qui tot præclara gesta edidit in Turcas, vinculis exoluat: solutū autem postea & præfectum pontificiæ classi in Turcas a Clemente VI. visuri sumus. Premebat tum obsidione Patracensem vrbem & arcem in Achaia Bertrandus e Baucio, prouinciæ a Catharina Imperatrice Constantinopolitana (is erat inanis titulus ab ea retentus cum e Balduinorum Augustorum sanguine esset sata) præfectus: cum vero ea vrbs iuris esset ecclesiastici, atque ad archiepiscopum spectaret, Pontifex Catharinam & Robertum Siciliæ Regem lenirum monnit b, vt Bertrandum e Baucio soluere obsidionem cogerent, quem etiam asperioribus perstrinxit c literis, atque Olonensi & Coronensi d episcopis munus iniunxit, vt obiecta censurarum religione a cœptis eum diuellerent; tum ad oppida, si quæ Patracensi ecclesiæ eripuisset, restituenda compellerent: quæ literæ VI. kal. octobr. huius anni sunt consignatæ.

a To. 3. ep. secr. 80.

Patræ obsessæ.

b Epist. secr. 328. 329.
c Ib. ep. 330.
d Ib. ep. 337.

IESV CHRISTI
Annus 1338.

BENEDICTI PP. XII. annus 5.	VAC. IMP. OCCID. 25. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 7

1 CONcitauit grauissimas in ecclesia turbas anno a partu Virginis millesimo trecentesimo trigesimo octauo indictione sexta Ludouicus Bauarus, qui cum datam a Ruperto Palatino ac Vvillelmo Iuliacensi comitibus Pontifici fidem infringeret, exercendæque in Philippum Regem Francorum vltionis cupidine arderet, nec pacis tractatum cœptum cum ipso, quem Gallus exoptabat, promouere; sed cum Ednardo Angliæ Rege exitiale rei Christianæ bellum gerere meditaretur, fallaces dolos instruxit, vt de non perfecta sua reconciliatione inuidiam in Pontificem vel Gallum detorqueret: cumque artes illius Benedicti diligentia dissoluerentur, aduersus pontificiam maiestatem decretis inanibus nulla fultis auctoritate noua iura condere molitus est. Seruiebat illius cupiditatibus Henricus e Virneburg Moguntinus archiepiscopus vir ingratus, quem Pontifex periurum, perduellem, & fidelium communione segregatum vocat: isque vt Pontificem optimum, qui nil aliud quam diuinam augere gloriam, ad pacem dissentientes Reges adducere, Ludouicum piorum consortio tanto ardore restituere, deletis venia eius culpis cogitabat, in Germanorum clientumque imperij odium adduceret, nonnullorum episcoporum conuentus Spiræ indixit: in quo sancitum, vt præsules aliqui ad Ludouicum Bauarum mitterentur, ipsum ad ecclesiæ postulandam gratiam pronocaturi.

Ludouici Bauari in ecclesiam molimina.

Moguntinus archiep. eius cupiditatibus obsecundat.

Indicit suspectos conuentus.

Respondit callide Bauarus, se ad id præstandum, suamque causam, eorum episcoporum conuentus (in quo excommunicatus Romanæque hostis ecclesiæ Moguntinus archiepiscopus præsidebat) subijciendam esse paratissimum. Ii vero cum parum acute perspicerent dissimularentue, se Romanæ ecclesiæ indigne detrahere, atque abhorrere ab æquitate, vt Ludouicus a cœpto cum Pontifice tractatu discederet, neque ad sedis Apostolicæ, vt commissa in eam flagitia expiaret, sed ad aliorum, quorum pars cum schismaticis sentiebat, arbitrium staret; Vlricum Curiensem episcopum & Gerlacum Nassouiæ comitem ad aulam pontificiam misere, atque omnium nomine scripsere literas a, quibus ad colorandum religionis specie audax facinus (debuerant enim potius Bauarum vrgere, vt cœpta cum Romana ecclesia in opus adduceret, suasque controuersias cum Rege Francorum componeret, vel arbitrio sedis Apostolicę permitteret) multis verborum fucis iactarunt, se ob imminentia corporum & animarum pericula rem tractandam suscepisse, contenderuntque a Benedicto, vt eam totam ipsis permitteret.

Callidum Ludouici responsū.

Oratores ad Pont. decreti.

a Ext. apud Benedicto 4. post ep. secr. 130. & apud Heruvart. to. 2. hoc anno n. 29.

Subdola horum petita.

2 Acceptæ sunt non sine iusta indignatione eiusmodi literæ, dolo plenæ: insignis enim erat primum impostura fingere, non perfectam sedis Apostolicæ vel alterius quam Ludouici Bauari vitio reconciliationem, cum ille oratores suos, dum de fœdere ineundo agitabant cum oratoribus Regis Francorum, inuitis admodum ipsis, ac sede Apostolica rem ægre ferente, reuocasset: constituto ad redintegrandum tractatum die neminem misisset: non modo ad conciliandam sibi ecclesiæ gratiam non flexisset animum, verum magno publicæ quietis damno contra apostolica imperia precesque cum Anglis coitiones inijsset. Alienum etiam erat ab æquitate, vt sedes Apostolica Henrici Moguntini periuri & hostis, vel aliorum voluntatibus causam suam subijceret; ac non potius Ludouico supplici leges diceret.

Demonstratur Ludouici culpa extractam reconciliationem.

Non permittendā præsulib' suspectis ecclesiæ causam.

His alijsque de causis Pontifex Vlricum episcopum Curiensem atque Gerlacum comitem Nassouiæ, Spirensis conuentus legatos, de quibus paulo ante memoraui, ob susceptam indignam prouinciam verbis grauissimis perstrinxit: sanxitque, vt si Ludouicus in gratiam cum ecclesia redire cuperet, mitteret suos ad sedem Apostolicam oratores, qui pacem cum Gallo conficerent. Nec Moguntino archiepiscopo, a quo præcipue erant missi legati, respondendum e dignitate sedis Apostolicæ esse existimauit, cum anathematis nota inustus esset: sed Coloniensi b archiepiscopo alijsque e præsulibus Germanis, qui Romanæ ecclesiæ coniunctione fruebantur, iustissimas causas exposuit, ob quas oratores Spirensis conuentus repulisset; vtque non sua, non Regis Francorum, sed vnius Ludouici Bauari culpa tum ipse tum alij Germani ab ecclesia segregati piorum consortio restituti non fuissent. Fœdas etiam calumnias in sedem Apostolicam iactatas, quasi Romani imperij iura labefactare Benedictus niteretur, refutauit atque e sacro suggestu Romanæ ecclesiæ innocentiam illustrari in Germania iussit, nonnulla præfatus se, ad dissoluenda nefariorum hominum commenta ipsis vt fidissimis ecclesiæ propugnatoribus exponenda censuisse, quæ oratores a præsulibus Moguntinæ prouinciæ missi exposuissent, quæne responsa a sede Apostolica retulissent.

Edicit Pont. vt Ludouic' cum Gallo pacem ineat.

b To. 4. ep. secr. 263. c Ib. ep. secr. 264. 265. 266.

Benedictus, &c. archiepiscopo Coloniensi eiusque suffraganeis, gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentibus.

3. Dicti d prælati nobis per literas suas intimarunt, se precibus, consilijs, ac salutaribus monitis Ludouicum de Bauaria exhortatos fuisse, vt ipse

d Super ep. 263.

Pont. detentata a Germ. cōcordia literæ.

ipse ad nostrum & eiusdem Romanæ ecclesiæ honorem & renerentiam & quietem, & salubrem statum regni & imperij Romanorum vellet ad dictarum ecclesiæ & sedis Apostolicæ atque nostram gratiam cum denotione redire, se nostris & dictarum ecclesiæ atque sedis Apostolicæ beneplacitis humiliter conformando; adijcientes, quod idem Ludonicus modica deliberatione præhabita, se velle stare ac parere super materia dissidij, quod inter eandem ecclesiam dictumque Ludouicum extitit suscitatum, ac omnibus ipsum dissidium contingentibus, informationi & ordinationi dictorum prælatorum, in quantum cum Deo, iustitia, & honore suo posset fieri repromisit, suas parentes super hoc literas maiori suo sigillo munitas potestate huiusmodi dictis prælatis tradita, vt asserebant, eis dando; cautiones iuratorias & fideiussorias magnorum & pluriū principum & baronum eisdem prælatis, vt scribebant, super hoc nihilominus offerendo: propter quod dicti prælati precum instantia nos rogabant, vt redeundi ad gremium sanctæ matris ecclesiæ, promptitudine ipsius Ludonici, qui super materia dicti dissidij ordinationi, ecclesiasticarum personarum dumtaxat se submittere non expauit: præmissis quoque turbationibus, dispendijs, & periculis specialiter ecclesijs & personis ecclesiasticis imminentibus, ponderatis, dictum Ludouicum ad reconciliationis gratiam sub modo præmisso non recusaremus recipere; partes regni & imperij prædictorum, & præcipue ecclesias & personas ecclesiasticas earundem, de periculis & ærumnis præteritis ad statum optatæ quietis per reconciliationem huiusmodi reducendo.

Vt Ludouicus parturisse præsulum iudicio dixerit.

4 Sane tam literis, quam nuntijs dictorum prælatorum solita benignitate receptis, eisdem verbo & scriptura responsiones fecimus infrascriptas. In primis eisdem respondimus, quod per nos non steterat neque stabat, quin ad reconciliationem præfati Ludouici procederetur, & iam dudum fuisset processum: & quod semper nos exhibueramus promptos & paratos ad procedendum cum nuntijs eius, videlicet comite Iuliacensi & alijs dudum ad nostram præsentiam destinatis; & vt posset procedi cautius & celerius in reconciliatione prædicta, feceramus examinari procuratoria Ludouici præfati, & abbreuiari processus, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum factos & habitos contra eū, eorumque copiam fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus exhiberi, certum diem eisdem Cardd. assignantes ad procedendum in consistorio super negotio reconciliationis præfatæ: & quod ante præfatum diem per nos, vt præmittitur, assignatum & ab eisdem nuncijs acceptatum, dicti comes & alij nuncij impatientes adhibendæ in tanto negotio debitæ grauitatis, subito tunc petierunt licentiam de Romana curia recedendi; licet nos consuleremus eisdem, quod non omnes recederent, sed aliquis ex eis dicto Ludouico referret, quæ agebantur & acta fuerant cum ecclesia pro reconciliatione ipsius, quæue etiam acta fuerant cum nuntijs charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris super reformatione concordiæ inter eos, dictis etiam nontijs eiusdem Regis Franciæ instantibus apud dictos nuntios Ludouici præfati, vt de Romana curia non recederent, sed recepto super reconciliatione prædicta negotio imminerent; & quod dicti nuncij Ludouici præfati nec consilio nostro nec prædictis instantijs annuerunt, sed omnino recedere voluerunt. Quibus etiam recedentibus, nos ad procedendum in negotio reconciliationis præfatæ certum terminum competentem, videlicet festum B. Michaelis de mense septembri proximo præteritum, tunc futurum, sufficientem dictis nuntijs ad eundum ad dictum Ludouicum & consulendum eundem, & ad dictam curiam redeundum, duximus assignandum: ad quem quidem terminum idē Ludouicus, quasi de reconciliatione huiusmodi non curaret, neminem ad nos misit, nec se super hoc excusauit. Nihilominus tamen nos eum per literas inducere, quantum in nobis fuit, conati fuimus ad prosecutionem negotij reconciliationis præfatæ: ipse tamen vlterius huiusmodi reconciliationis negotium prosequi non curauit; sed mala malis, & contemptus aggregare contemptibus non expauit. Nec tamen ob hoc animum nostrum a consueta benignitate retraximus, nec retrahimus, nec in posterum retrahemus; nec etiam per nos stetit, nec stabit, dummodo veniat ad prosequendum dictum negotium eo modo quo debet, quin in huiusmodi negotio procedatur benigne & gratiose, vel per viam iustitiæ, prout ipse duxerit eligendum.

Non desiisse ecclesiam recipiendo Lud.

Abruptū fuisse ab eius oratorib. tractatum.

Adhibitas ab eccl. curas pro eo redintegran.

Spretas a Lud. preces.

Paratam eccles. ad rem instauran.

5 Eisdem quoque nuncijs diximus, quod tantum negotium non erat per dictos prælatos extra Romanam curiam pertractandum: sed si dictus Ludouicus & alij prælati vel principes Alamanniæ vellent prosequi reconciliationem prædictam eo modo, quo deberent, mitterent nuntios ipse & principes vocem in electione Regis Romanorum habentes, quos negotium multum tangit, quorumque propterea literæ erant necessariæ pro reconciliatione præmissa: quia parati eramus in negotio prædicto procedere, siue dicti nuncij essent prælati, vel principes, vel homines minoris status: & quod non sufficiebat, quod idem Ludouicus solus super negotio tanto procederet; sed expediebat, quod dicti principes procederent cum eodem, cum negotium reconciliationis huiusmodi eosdem principes & totam Alamanniam contingere dignoscatur.

Expetitos ad id Ludouici & electorū oratores.

Rursus eisdem nuntijs diximus, quod nunquam attentauimus, nec attentare intendebamus contra iura imperij, vel contra iura regni Alamanniæ; sed pro dictis iuribus defendendis & protegendis fortiter steteramus, & stare intendebamus: nec vnquam volueramus consentire petitionibus quorumcumque, in quantum tangebant diminutionem iurium regni Alamanniæ, & imperij, sed illas duxeramus rationabiliter repellendas; vt hæc pro parte nota sunt quibusdam ex dictis Cardinalibus, & etiam ambaxatoribus Ludouici præfati, & eisdem nuncijs, qui de proximo ab eadem curia recesserunt: & addidimus, quod si dicti Ludouicus & alij principes Alamanniæ vellent aliquid facere contra iura regni & imperij prædictorum, quantum in nobis esset, nos illud impedire secundum decentiam studeremus.

Refutatæ calumniæ sparsæ a schismaticis.

6 Diximus etiam nuntijs memoratis, quod illi, qui per Alamanniam dolose referre & dicere præsumpserant, quod contra dictorum regni & imperij iura, & contra regnum & imperium nostra intentio versabatur; & quod nos ecclesiam Maguntinam, atque castra & munitiones ipsius ad manus nostras recipere volebamus, ad illum finem, quod possemus lædere regnum & imperium supradicta, falsum dixerant, & mendacium manifestum, quia pro iuribus dictorum regni & imperij stare & laborare toto posse, vt præmittitur, volebamus. Verum est tamen, quod contra

Nil contra rum contra imperium.

di-

dictum Ludouicum, qui in imperio nihil habet, eum receperit & ascripserit sibi titulum ab illo vel illis, qui dandi non habuerant potestatem, & a dicto regno, cuius est violentus occupator & detentor, per ecclesiam est iuste priuatus, stetimus et stare intendimus pro conseruatione iustitiæ et iuris Romanæ ecclesiæ memoratæ. Vnde non contra dictum regnum et imperium, sed contra dictum occupatorem et alia contenta in dictis processibus, quæ commisit; et quod munitiones et castra dictæ ecclesiæ Moguntinæ in fauorem eiusdem ecclesiæ et archiepiscopi Moguntini, vt possemus illa de manu illiciti detentoris extrahere, ad manus nunciorum nostrorum recipi volebamus, eisdem nuntijs nostris districtius iniungentes, quod quamprimum inter dictum Moguntinum et Treuirensem archiepiscopos, tunc detentorem munitionum et castrorum prædictorum, concordia esset facta, munitiones et castra totumque archiepiscopatum Moguntinum dimitterent eidem archiepiscopo Moguntino.

Imperiū a Lud. oppressum.

Præterea eisdem nuntijs dictorum prælatorum diximus, quod ex eo, quod huiusmodi negotium reconciliationis præfatæ erat multum arduum, non intendebamus, quod super eo procederetur, nisi apud sedem Apostolicam coram nobis et fratribus nostris. Nec prosecutioni et terminationi dicti negotij expediens videbatur, quod coram alio, quam in nostra et dictorum fratrum præsentia dictum negotium ageretur: nam posset aliquis punctus insurgere, vel dubium euenire, quæ non possent per alium terminari, sed solum per Romanum Pontificem, qui potest quodlibet insurgens dubium declarare, et etiam terminare. Et ideo aliquos ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad partes illas propter hoc transmittere nobis expediens minime videbatur.

Ludouici causa agēda tantū apud sedē Apost.

7 Diximus etiam dictis nuntijs, quod super præmissis daremus eis literas apostolicas responsalea: non tamen intendebamus scribere dicto archiepiscopo Moguntino, quia eum habebamus pro infideli, rebelli, et excommunicato, propter illa quæ fecerat, veniendo contra proprium iuramentum et fidelitatis debitum in destructionem eiusdem ecclesiæ Moguntinæ. [Et infra, vbi archiepiscopi ingratum animum, qui ad eam dignitatem, repulsis Philippi Francorum ac Ioannis Boemiæ Regum, et archiepiscopi Treuirensis, qui ad eam ecclesiam vocabatur, precibus a sede Apostolica euectus esset subdit.]

Perfidia Moguntini archiepisc.

Rursus post responsiones prædictas nuntijs præfatis iniunximus, quod eidem Ludouico ex parte nostra dicerent, quod illa, per quæ præcipue reconciliatio sua poterat impediri, erat assumptio guerræ et bellici apparatus, quos faciebat contra Regem Franciæ memoratum: et quod ipsum inducerent ex parte nostra, quod a prædictis abstineat, pro firmo sciturus, quod nos et eadem ecclesia eundem Regem dimittere non possemus, nec etiam deberemus; maxime cum talis necessitas immineret, cum Reges Franciæ nunquam dimiserint ecclesiam memoratam]. Addit hæc omnia singillatim percensenda duxisse, vt gestæ rei veritatem in luce collocare, et obtrectatorum mendacia discutere, improbitatemq; comprimere possint: præterea iubere, vt populis pro concione exponant, ne calumnijs aduersariorum subornari se patiantur. *Dat. Auin. kal. iulij anno IV.*

Postulata pax Germanum inter & Gallum.

8 Spargebantur tum ab aduersarijs innumera mendacia, vt sedis Apostolicæ auctoritatem obscurarent, Regique Francorum crearent odium. Inter cætera in publicis comitijs querebatur Ludouicus, Francorum Regem, ne reconciliaretur ecclesiæ, obstitisse: vt mirum non sit a Germanicis scriptoribus a id mandatum historiæ, quamuis Pontificem contrarium testatum viderimus. Insigne vero est simile Alberti Argentinensis b mendacium, qui vbi de conuentu Spirensi mentionem fecit, de Curiensi episcopo ac Nassoniæ comite hæc subiecit: *Cum Papa Benedictus nuncios recepisset benigne, in aurem nuncijs flens quasi conquerebatur, quod ad principem esset inclinatus, & quod Rex Francorum sibi scripserit certis literis, si Bauarum sine eius voluntate absolueret, peiora sibi fierent, quam Papæ Bonifacio a suis prædecessoribus essent facta: nuncijque ad rogatum Papæ per delphinum per montana sunt vsque ad Lausanam perducti.* Et paulo supra: *Ex tunc Papa, qui ab initio quasi mortem non curans ea, quæ gessit in animo patefecit, motum suum didicit occultare.* Hactenus Argentinensis, cuius sententiæ tot sunt imposturæ, quæ ab Heruuarto vt oracula porriguntur.

Sparsa a Ludouici fautorib. mendacia

a Rebdorf in annal. b Argent. in chron.

Alberti Argentinensis imposturæ.

Primum enim falsum conuincitur, incussum a Gallo Pontifici mortis terrorem, cum datæ acceptæque literæ arctissimam inter eos coniunctionem demonstrent. Falsum est Pontificem mortis metu ab æquitate abductum, cuius tāta erat pietas & constantia, vt nil ipsi quā animę salus antiquius esset, ac non æqua Philippo postulanti olim responderit c, se vnicam tantum possidere animam, quam saluam omnino vellet: si alteram haberet, eam se pro ipso daturum: falsum metu necis suam pressisse animo sententiam, quam vniuersæ Germaniæ exponi iussit. Falsum detrectasse admittere in gratiam Ludouicum, quem ad officium omni studio pellicere nitebatur: cum tamen Ludouicus reconciliationis cum ecclesia ineundæ voluntatem præ se ferret, vt Francorum Regem ea confidentia bellicum apparatum negligentius adornantem opprimeret, vti e superioribus subiectisque literis d patebit.

Earum confutatio.

c Gest. Ben. apud Bosq.

d To. 4. ep. secr. 130.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Regiæ serenitatis literas de prorogatione termini ad instantiam nobilium virorum ducum Austriæ, ac missione nunciorum regiorum solemnium pro eodem termino prorogato mentionem inter cætera facientes, affectu solitæ benignitatis recepimus, & quæ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu. Sane, fili charissime, vtinam nuncij missi pro huiusmodi termino non existerēt sic solemnes, quia vix sperare possumus, quod exinde aliquid honoris vel commodi finaliter possit sequi, nisi Deus, in cuius ditione ac voluntate cuncta sunt posita, ordinaret aliter quam illi homines, sicut habet multorum assertio, se disponant. Audiueramus equidem, etiam antequam ad nos prædictæ literæ peruenissent, quod non solum illa summa pecuniæ in literis regijs prædictis expressa, immo maiores & ampliores summæ tam Bauaro, quam multis Alamanniæ principibus & potentibus sunt solutæ; quodque adeo sunt eandæ colligatæ ipsorum, quod quantumcumque Bauarus promitteret aliquid, non tamen propter hoc alios prohiberet vel retineret; sed eisdem potius circa damna tibi, fili dilectissime, regnoque tuo, quod auertat Dominus, inferenda faueret tam publice quam occulte.

Corrupti Anglico auro Germani.

Nam, sicut a fide dignis narratur, idem Bauarus, qui iam duo in diuersis partibus Ala-

Tria a Bauaro comitia celebrata.

manniæ tenuit concilia, ac tertium circa Coloniam se tenere disponit, in illis egit principaliter, quod per te, fili, tuosque prædecessores terræ imperij detinentur, & detentæ sunt hactenus in locis diuersis indebite occupatæ, exheredationem allegando iurium & honorum Imperij: & ad tuam & regni tui offensionem propter hoc omnes, tam principes, nobiles, & populos, quam vniuersitates & communitates ciuitatum & aliorum locorum insignium Alamanniæ concitando, & asserendo, quod sua reconciliatio ad nos & ecclesiam per te, fili, extiterat impedita; & nihilominus ad animandum Theutonicos vehementius se iactando, quod non abiret retro quomodolibet, donec fuisset regnum Franciæ, te volente vel nolente, ingressus.

Paratum ab eo in Gallos bellum.

9 Ex quibus & multis alijs, quæ audiuimus non parum displicibiliter sæpius & audimus, non indigne veremur, quod in dolo & fraude proferantur & prolata sint hactenus plura verba, quodque in dilationibus, quas illi Theutonici concedunt vel faciunt, minime recte agant; sed vt interim conglobare vires suas fortius valeant, & venientes subito te regnumque tuum reperiant, quod non sinat Altissimus, imparatos. Ideoque regalis prudentia dirigens ad eum, qui dat salutem Regibus, humiliter vota sua, per prouidentiæ clypeum circa prædicta & alia sibi occurrentia se muniat prudenter, vigilanter, & caute; de quibus habet & habebit super huiusmodi negocijs plene confidere, diligenter nihilominus aduertendo, &c. [Subiungit deinde narrationem responsi Spirensis conuentus oratoribus dati, cui aliud Ludouico redditum annectit, additque].

Illata dolo pacis métio ab eodem.

10 Item Ludouico prælato, quia illud, quod magis impedire poterat tractatum suæ reconciliationis, erat bellicus apparatus, quem contra te, fili faciebat, exponi per eosdem episcopum & nobilem voluimus, & eidem etiam suaderi, quod ab illo prorsus desistere procoraret; quia Romana ecclesia te, fili, deserere in ijs necessitatibus nec debebat nec volebat, sicut tu tuique progenitores eam nequaquam deserere consueuistis in suis, &c. *Dat. Auin. ix. kal. iulij anno iv.* Ex his ac superioribus, & alijs, quæ sequentur, perspicue refelluntur omnes falsæ apologiæ ad Ludouici commendationem multis verborum pigmentis fucisque compositæ; constatque in Ludouicum ac sequaces culpam reijcendam, si ecclesiæ conciliati non fuerint; scriptaque illa in speciem tuendi iuris cæsarei edita hoc tempore nonnullorum fraterculorum hæreticorum, quos habebat a commentarijs Ludouicus, quique pontificiam majestatem oderant, impia arte concepta fuisse. Vrebat porro Ludouicum denuntiatum fuisse a Pontifice a catholicis Germaniæ præsulibus, dum ad conuentus Spirensis petita respondit, vi occupari ab ipso imperium, nulloque iure augustalem titulum vsurpari, cum ab ijs, qui dandi nullam habebant potestatem, accepisset; regio etiam apice iustissimis edictis fuisse exauctoratum. Vertit itaque eo suos impetus Ludouicus, vt Germanis persuaderet, a pontificia confirmatione cæsareum apicem nō pendere, nec Ioannis edicta iusta fuisse. Itaque subornatos principes ad conuentus Konstaymenses in agro Moguntino traxit, in quibus septemuiri, excepto Rege Boemiæ, qui cum Pontifice & Gallo sentiens a Ludouici molitionibus erat alienus, xv. iulij die solemni fœdere ad iura, immunitates, consuetudines, dignitatemq. imperij ac septemuirorum defendenda se obstrinxere; eaque de re decretum edidere, quod apud Nicolaum pseudominoritam schismaticum extat a. Itaque die proxima decimasexta iulij apud Konstaym imperij dignitatis tuendæ specie pronuntiarunt b: *Hoc esse de iure & antiqua consuetudine imperij approbata, quod postquam aliquis a principibus electoribus imperij, vel a maiori parte & numero eorundem principum, etiam in discordia, pro Rege Romanorum est electus, non indiget nominatione, approbatione, confirmatione, assensu, vel auctoritate sedis Apostolicæ super administratione bonorum & iurium imperij, siue titulo Regis assumendi.*

Responsū Ludouico datum.

Multa nefaria scripta edita.

Circumuenti Germani. a To. 4. ep. secr. 263.

Confleta a nuidia Pontificibus. Electorum conuentus apud Kostaym.

a M.S. bib. Vat. sign. n. 4008. pag. 198. b Ib. pag. 199.

Cont. Edit Lud. Cæsarem Pōtificiæ approbatione non egere.

11 Agitata est hæc quæstio a pluribus viris doctis, qui præcipuum hoc argumentum vibrabant: non inferiorem cæteris Regibus Cæsarem, nec Germanos minus liberos, quam sint cæteri populi: vt ergo alij renuntiato Rege regium nomen & regni administrationem conferunt, ita vicissim a Germanis iure gentium & nomen cæsareum iusque nullo alio medio conferri. Quod argumentum ita repetit Augustinus Triumphus c: *Non est*, inquit, *inferioris conditionis Imperator, quam Reges & alij principes mundi. Sed Reges & alij principes statim post mortem prædecessorum possunt administrare. Ergo Imperator eodem modo statim post mortem prædecessoris eius post canonicam electionem potest administrare. Præterea per electionem aliquod ius acquiritur Imperatori. Sed non acquiritur sibi ius super administratione spiritualium. Acquisitum est ergo sibi ius super administratione temporalium.* Ad hæc ita idem auctor respondet: *Est dicendum, quod non est simile de Imperatore & alijs principibus mundi propter tria. Primo quia Papa confert Imperatori immediatam administrationem, & est minister ecclesiæ in administratione temporalium, quam non confert alijs. Secundo quia constitutio aliorum Regum vel principum vadit per successionem, non autem sic institutio Imperatoris. Tertio quia quidquid agitur circa imperium, tam eius electio quam eius confirmatio, totum est ex institutione ecclesiæ, quod non contingit de alijs.* Hæc ille. Vbi obseruandum est, non inde sequi, vt aduersarij obijciunt, cæteris Regibus inferiorem esse Cæsarem; immo longe ijs dignitate antecellere: si enim ipse Germanorum tantum Rex esset, possent vtique Germani regium ei nomen & administrationem regni, non rogata sedis Apostolicæ sententia, reliquorum populorū more in designatū principem transfundere: verum ille non Germaniæ modo, sed Romani quoque imperij apices a Pontifice acceptos gerit; nec tantum a populis, sed etiam ab ecclesia, cuius defensor constituitur, suam auctoritatem singulari ratione mutuatur: in quo Germani principes ius pontificium oppugnare non possunt, nisi vna suæ dignitatis a Romano Pontifice constabilitæ fundamenta conuellant. In hac autem controuersia nemo potiora Pontificis, quam septemuirorum edicta negauerit, qui septemuirorū auctoritatem a Pontifice dimanasse perpenderit; & ad legum conditorem spectare legem interpretari, si quæ in ea difficultas oborta sit: conditas autem a Pontifice creandi Cæsaris leges constat.

Argumentum illius præcipuū.

c August. Triumph. q. 39. ar. 1

Eius solutio.

Non enim de Cæsar alijs Regibus inferior est.

12 Confictum etiam a maledicis, vanumque penitus est, in Francofurtensibus cœtibus vi. die augusti promulgatum edictum d, in quo Pontificum auctoritatem, quam de confirmando Cæsare eoque imperiali apice exornando, dum imperium transtulere in Germanos, sibi reseruarunt, in-

d Extat sup. M. S. Vat. 4008 pag. 199. & apud Rabdorf. & alios.

infringere nititur, ſuggerentibus hoc maledicentiæ telum mendaciſsimis conſiliarijs: *Nonnulli ſcriptura intelligentiam ſe habere fatentes, ſed diuertentes a tramite recti ſenſus, in quadam iniqua & praua commenta, & in aſſertiones deteſtabiles proruperunt contra poteſtatem & auctoritatem imperialem & iura electorum Imperatoris & aliorum principum & imperij fidelium, mendaciter & fallaciter aſſerentes, quod imperialis dignitas & poteſtas eſt a Papa, & quod electus in Imperatorem ex electione non eſt verus Imperator, niſi prius per Papam ſiue per ſedem Apoſtolicam confirmetur.* Non ſunt praua commenta & mendacia, cum ipſi Imperatores acceptum ab eccleſia imperium profiteantur, vtque recentiora tantum delibemus, expreſſum eſt ea de re Rodulphi Cæſaris teſtimonium, his conceptum verbis a: *Prædeceſſores ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, qua de ipſius matris eccleſia vberibus ſuſceperunt, faciem gratitudinis conuertentes; nec minus attendentes, quod eadem mater eccleſia, ipſos in dulcedinis benedictione præueniens, transferendo de Græcis imperium in Germanos, eiſdem dederat id quod erant, &c.* Faſsi ſunt b idem principes electores, qui Rodulphum crearant, ſeque deſignandi Cæſaris ius a Romano Pontifice accepiſſe: *Nos principes electores vniuerſis præſentem paginam inſpecturis. Complectens ab olim ſibi Romana mater eccleſia quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram; plantans in ea principes tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum miranda potentia, vt ipſius eccleſia auctoritate ſuffulti velut germen electum per ipſorum electionem illum, qui frena Romani teneret imperij, germinaret.*

Inſignis calumnia negantiũ a Pontifice tranſlatum imperium.

a Ext. eius lit. annal. to. 14. an. Chr. 1278 n. 3. …

Refellitur a Rodulph. Cæſare.

b Ib. n. 6.

Et a principibus electorib'.

Teſtatur idem Albertus Rex his verbis c: *Recognoſcens*, inquit, *quod Romanum imperium per ſedem Apoſtolicam de Græcis tranſlatum eſt in perſona magnifici Caroli in Germanos; & quod ius eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum, certis principibus eccleſiaſticis & ſecularibus eſt ab eadem ſede conceſſum, a qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladij poteſtatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum;* mox hæc addit, *pia deuotione & ſincero corde profiteor, quod Romanorum Reges, in Imperatores poſtmodum promouendi, per ſedem eandem ad hoc potiſſime ac ſpecialiter aſſumuntur, vt ſint ſanctæ Romana eccleſia aduocati, catholica fidei, ac eiuſdem eccleſia præcipui defenſores.* Ex eo igitur, quod Albertus dicat, Romanorum Reges in Imperatores eſſe poſtmodum promouendos, oſtendit perſpicue ex ſola electione decus imperiale non comparari. Sed quid veterum Cæſarum cumulanda ſunt teſtimonia, cum poſtremi Cæſaris Henrici publica monumenta ſuperiore tomo produxerimus, quibus vetere inſtituto confirmari a Romano Pontifice flagitauit d? Atque etiam ipſe Ludouicus ante biennium faſſus ſit e Regem non in ipſa electione, ſed poſtmodum in Imperatorem promoueri: *Damus*, inquit, *prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum, vt ſupra, plenam, meram, & liberam poteſtatem*, & infra, *ſupplicandi pro aſſumptione noſtra, & in integrum reſtitutione ad famam, honorem, & ſtatum priſtinum; nec non aſſumptione noſtra in Regem Romanorum, & approbatione perſonæ noſtræ, ad imperialem dignitatem poſtmodum promouenda.* Hæc ille.

c Ibid. to. xiv. ann. 1303. n. 10

Et ab Alberto.

Et ab Henrico.

d Annal. to. xv. an. 1309. nu. 10. & 13.

e To. xvi. 1335. n. 37.

Et ipſius Ludouici teſtimonio.

13 Ex quibus diſcutiuntur falſitatum tenebræ, quibus obſitum eſt hoc eiuſdem Ludouici decretum: *Declaramus*, inquit, *quod imperialis dignitas & poteſtas eſt immediate a ſolo Deo.* Ecquis Cæſarum vnquam immediate a ſolo Deo creatus eſt Imperator? quo ſigno cælitus oſtenſo? Imperialis quidem dignitas a Deo oritur tanquam primo principio & fine vltimo, at medio Pontifice, qui tranſtulit imperium, qui electores inſtruit, qui electum confirmat, & inungit. Vmbratilia etiam ſunt quæ ſequuntur: *De iure & imperij conſuetudine antiquitus approbata eſt, quod poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue in Regem ab electoribus imperij concorditer, vel a maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt verus Rex & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus.* Seruatum contrarium morem ab eo tempore, quo tranſlatum eſt imperium, neque imperiale nomen niſi poſtquam a Romano Pontifice ſacro oleo fuiſſent delibuti vſurpaſſe, docent annales, in quibus repetendis immorandum non eſt, cum Ludouicus ipſe faſſus ſit paulo ante, imperiale nomen non ſeruato vetere ritu ſe iniuſte corripuiſſe, ſuis quippe oratoribus mandata hæc dederat a: *Item ad confitendum vice & nomine noſtro & pro nobis, nos aſſumpſiſſe titulum imperialem & vnctionem in Roma peruerſe, male, & iniuſte, & a poteſtatem non habente. Item ad confitendum vice & nomine noſtro & pro nobis, quod ad ſummum Pontificem ſpectat hoc facere & ad nullum alium, & quod ſimulabamus nos bene facere, huiuſmodi titulum aſſumendo & tenendo.*

An imperialis dignitas ſit a ſolo Deo.

Veteri more confirmanda a Pont. Cæſaris electio.

a An. Chr. 1336. n. 35

Cæterum in eiſdam oſtijs eadem die, qua nefarium decretum affixum eſt, affixos etiam in Ludouicum fuiſſe pontificios anathematiſmos, refert Francofurtenſe chronicon b his verbis: *Eodem anno in curia fratrum Theutonicorum VIII. augusti hora prima Ludouicus Imperator ornatu & ſedibus imperialibus edidit legem talem: Electus Francofordia in Regem Romanorum a principibus electoribus adminiſtrationem imperij ante confirmationem habet p'euam.* Et infra: *Eodem die, reſponſiones Ludouici prædicti ad obiecta Papa Ioannis XXII. ſigillo imperiali ſigillata foribus Maria eccleſia S. Bartholomai, qua ibi vocatur ab imagine B. Virginis, adhuc ibi extante, ſunt affixa. Habebat autem Romanus Pontifex hic ſuos quoque commiſſarios, qui affigebant ad eandem eccleſiam tantum anathema & proceſſus contra Ludouicum cum ſeueriſſimis commiminationibus in omnes, qui illi communicarent.* Addit auctor ampliorem & ſaniorem cleri partem, tum religioſos ordines Pontifici obtemperaſſe: quæ etiam confirmat Serarius c. Vt vero propterea perſecutionem ſint paſsi, dicetur inferius.

b Io. Latõ. in chron. Francof. apud Freher in append. ad vn. rer. German.

Anathematiſmi in Lud. eodem die promulgati, quáluis decreta promulgatis.

c Serar. Mogunt. rer. l. 5. in Hen. III.

14 Quod porro attinet ad illas Ludouici reſponſiones ad obiecta Ioannis XXII. de quibus chronicon Francofurtenſe meminit; prætermittendum non eſt, Ludouicum cum animaduertiſſet plurea catholicos apoſtolicis potius imperijs, quibus veritum erat Ludouico priuſquam eccleſiæ conciliatus fuiſſet, obſequi, pariturus; prolixum aliud decretũ multis fallacibus argutijs contextum eadem die promulgaſſe, quo probare niſus eſt ſuis imperijs morem gerendum, nec ſe Ioannis XXII. edictis cæſareo iure exutum fuiſſe. Extat eiuſmodi Ludouici conſtitutio apud Nicolaum Minoritam d in M. S. Vaticano, ab his

Conſtit. alia Lud. multis cõtexta argutijs.

d M. S. bib. Vat. ſign. n. 4008. pag. 193.

verbis ducens exordium, *Fidem catholicam*, cui hęc temporis nota ascripta est: *Datum in oppido nostro de Franckenfurt* VI. * *die augusti sub sigillo nostrę maiestatis anno Domini* MCCCXXXVIII. *regni nostri anno* XXIV. *imperij vero* XI. typisque etiam cusa circumfertur a. Ea vero promulgata, quasi viam ad alia consilia struxisset, quasdam propositiones b edidit, quibus primũ constabilire quasi tot gradibus cæsareum ius annisus est: ac demum instillatum a pseudominoritis virus impietatis effudit, dum hæresim Fraticellorum de Christi dominio decretis Ioannis damnatam, atque ab ipsomet Ludouico repudiatam, iterum propugnauit, contenditque decretum fidei pontificium hæreticum esse, atque aduersus illud ad concilium a se rite appellatum, oblitus se iam ante excusasse, eam appellationem Vdalrici flagitio conceptam. His præmissis Ludouicus alia indigna aggressurus, decreta Pontificum Clementis V. primum, ac subinde Ioannis XXII. oppugnauit, obtrudentibus illi, vtpote dogmatum imperito, impia sua scripta hæresiarchis, quæ & alia ab eo edita vt indigna luce prætermittimus; tum quia hæc omnia perperam gesta a Carolo IV. Imperatore rescissa fuerunt his verbis c: *Omnia, quæ per se seu alium in Italia fecit seu gessit, etiam sub regali nomine; & cætera etiam omnia, vbicumque gesta ab eo per se vel alium, quæ ex defectu iurisdictionis vel potestatis facere sibi non licuit, nulla esse ac cassa & irrita pronuntiamus & declaramus: illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullamus & penitus in his scriptis reuocamus.*

* al. VIII
a Apud Nauclor. vol. 3. gen. 45. Freher in append. rer. Germ. to. 1. Heruuart. to. 2. ad hũc ann. n. 47. & seq.
Permixta Ludouici statutis hæresis.
b Ext. apud Nic. Minor. M.S. bib. Vat. sign. n. 4008. pag. 196.
Vt eius gesta a vero Imp. sint rescissa.
c Ext. in lib. priu. Rom. eccl. to. 2. pag. 162.

15 Abalienato porro ita ab ecclesia Ludouico, elatus Michael Cęsenas hæresiarcha vna cum Occhamo & Bonagratia & Hęrico e Chalem apostatis impiam prouocationem d aduersus Benedictum, impacta illi hæreseos calumnia, quod decreta fidei a Ioanne edita tueretur, conscripsit. In qua hi perfidi hæretici disceptarunt, decretum fidei editum a Romano Pontifice vt hæreticum reijci posse, donec concilium de eo pronuntiasset; cum tamen a Pontifice, in fidei controuersia ferente sententiam, nemini liceat prouocare, & illi decreto standum sit non aliter quam a concilio œcumenico, fidei articulum decernente, ad aliud concilium appellari non potest. Compactis vero superioribus articulis alijsque sanctionibus, exercitam in catholicos persecutionem, refert chronicon Francofurtense Ioannis Latomi his verbis e: *Cum canonici*, scilicet Francofurtenses, *illic summo Pontifici obedientiam, vt tenentur præstarent, Ludouicus superbiæ eos insimulans, paulo post potissimis prædijs, villis & decimis spoliauit, Dominicanos postridie oppido eiecit, qui* XXIV. *annis exclusi fuerunt; Carmelitæ ab Henrico de Firnberg archiepiscopo Moguntino*, nempe ob periuria anathemate percusso, *in gratiam Imperatoris quoque sunt pulsi. A Teutonicis & Franciscanis similiter diuina officia sunt suspensa vsque ad depositionem episcopi*. Nonnullisque interiectis, quibus ait, præpositum sancti Bartholomæi & collegium S. Leonardi in gratiam Ludouici diuina prophanasse, subdit: *Talis fuit status non solum Francofordiæ, sed per totum Rheni tractum, & in Sueuia*. Hæc ille, quibus consentanea tradunt alij.

Michaelis hæresiarchæ & sociorum impia molimina.
d Ext. apud Nicol. Minorit. M.S. bibl. Vat. sign. n. 4008. pag. 199.
e Apud Freher. tom. vn. rer. German.
Catholicus clerus diuexatus a Ludouico

16 At licet tot tantaque facinora Ludouicus in Pontificem & catholicos in dies patraret, fascinatus ab hæresiarchis, quos instar draconum alebat in sinu; Benedictus tamen instar pij patris non literis modo, quibus spiritum consilij sanioris benedictionis Apostolicæ vice comprecabatur eum excitauit, verum internuntium quoque Arnaldum e Verdala transmisit a, hortatusque ipsum est, vt arcanos ei animi sui recessus panderet, consiliaque perspicue expromeret, Inconstans enim hactenus adeo erat visus b, vt vix eius verbis dari fides posset; ac recenter, cum Albertum Eberacensem abbatem Cisterciensem ad sedem Apostolicam cum literis misisset, in ijs se in pristina pia mente atque fidissimi obsequij præstandi Pontifici voluntate, quam sub pontificatus primordijs detulerat, constantem perstare significabat; at longe Alberti oratoris verba Pontifici exposita ab eius literis discrepabant. Instruxit c vero nuntium apostolicum Benedictus, qua ratione cum Ludouico se gerere deberet, atque in primis aperiret quanto eripiendæ ex æterno exitio & inferorum supplicijs, quibus se hactenus obnoxium reddiderat, illius animæ & aliarum, quæ errantem sequebantur, ad gregem dominicum & vitæ pascua reducendarum desiderio teneretur: *Ad hoc*, inquit, *quidem nos & ecclesiam ipsam, quantum cum diuino beneplacito, ac decentia et honestate nostris & ipsius ecclesiæ fieri poterit, suaque saluti expedierit, reperiet propitios & benignos, sicut, nisi stetisset per partem suam, noscitur reperisse*. Ex his & alijs refelluntur, qui Benedictum velut hebetem ex Alberto Argentinensi d describunt, & Gallicis manicis constrictum, ne Ludouicum iustum & pium (vt volunt) absolueret.

Ad reuocandũ ad officium Lud. transmissus nũtius Apostolicus.
a An. 4. p. 1. ep. cur. 50.
b To. 4. ep. secr. 310.
c Ibid. ep. 321.
Iussus illi diuinum amorem inserere.
Ludouic⁹ culpa sua in gratia cũ ecclesia non restitutus
d Alb. Arg. in chron.

17 Imperat præterea nuntio Benedictus, vt suadeat Bauaro, ne se eorum consilijs subornari sinat, qui vel ad captanda sua commoda, vel ex insita improbitate ipsum a suscepto redeundi in gratiam cum ecclesia consilio abducunt; oratores idonea auctoritate, sed perfectius ac sincerius instructos quam alij fuerint, ad rem perficiendam mittat; iusta enim petita se promptissime admissurum: significare etiam studeat de concordia inter Reges sancienda, *qualiter*, inquit, *via dudum tacta, vt videlicet inter ipsius personam, & Franciæ ac Siciliæ & Angliæ Reges iuxta dudum formam prælocutam, vel alias solida concordia in nostris manibus firmaretur, esset proculdubio magnum præparatorium, & patens aditus ad reconciliationem prædictam facilius et liberius obtinendam*. Flagitatum fuerat vt ad muniendam concordiæ cum ecclesia viam templorum & sacrorum vsus ad aliquod tempus restitueretur; internuntioque data prouincia, vt significaret, nõ videri vlli bono rem futuram, cum omnes pene earum partium ea decretis apostolicis anathematis vinculis irretiti tenerentur: quæ literæ e extremo anno idibus decembris Arnaldo e Verdala missæ sunt. Data vero illi antea, nimirum X. kal. nouembris, erant imperia f, ne ad habenda cum principibus electoribus colloquia, vel ineundos tractatus se implicaret.

Admonitus cum Gallo & Siculo suas lites cõponere
e Super ep. 321.
f To. 4. ep. secr. 333.

18 In Germania hoc anno ingentes Iudæorum strages editæ, efferatique sunt in eam barbariem aduersus eos, fideles, vt nullo iudiciorum seruato ordine sontes insontesue trucidarent. Dedit tumultui occasionem, hostiam in oppido diœcesis Patauiensis sub paleis sanguine delibutam repertam esse haud procul a Iudæi domo, creditumque a Iudæis ferro violatam. Perlata re ad Albertum Austriæ ducem, vehementer is æstuare cœpit, an vere sacrata esset hostia, & miraculo diuino tincta sanguine, an ab aliquo respersa cruore ad creandam Iudæis inuidiam, cum alias nonnulli clerici de simili scelere conuicti essent;

Seditio in Iudæos concitata

Pon-

Pontificemque consuluit, quid in ea te agendum videretur. Cui Benedictus rescripsit a, diligentissimam inquisitionem agendam, eamque se episcopo Patauiensi commisisse, vt si Iudæi consecratam hostiam Christi odio confodissent, traderentur supplicio, vel eo afficerentur impostores, qui magno religionis scandalo id scelus ipsis affinxissent.

a Ib. ep. 194.

Benedictus, &c. dilecto filio nobili viro Alberto duci Austriæ.

Ex zelo fidei, & deuotionis feruore processisse confidimus, ea quæ nobis nuper tamquam vir catholicus & zelator fidei orthodoxæ tuis literis intimasti. Ex tenore siquidem dictarum literarum accepimus, quod in quodam oppido Pulka nomine Pataniensis diœcesis quædam hostia cruore conspersa ante domum cuiusdam Iudæi, extra tamen limites eius, in strata sub paleia a quodam laico fuit inuenta, quam populus dicti oppidi, verum corpus Dominicum fore credentes per manus sacerdotis ecclesiæ loci tolli fecerunt, & in ecclesiam transportauerunt: quam etiam, in dicta ecclesia consistentem, non cessarunt, nec cessant laudibus venerari, asserentes illam existere corpus Christi, & secundario Christum a Iudæis perfidis fore passum, & martyrizatum: propter quod in terria tuis magna Iudæorum strages a Christi fidelibus fuit exorta, quæ timetur in posterum verisimiliter augumentari, multique Iudæi a Christianis fuere perempti, non tantum ob caussam seu occasionem prædictam quantum, vt aliquorum habet opinio, ad Iudæorum pecuniam rapiendam; ex eo præsertim quod eadem cædes Iudæorum, iuris ordine totaliter prætermisso, ac sine iudicio terrenæ cuiuslibet potestatis, impetu vulgi crudeliter fuit commissa. Præmissis etiam adiecisti, quod nouissime in oppido Syntz eiusdem diœcesis contra Iudæos occasione simili error cœpit similis pullulare: sed quia euidentiorum signorum scientia, eiusdemque hostiæ sic repertæ, consecrationis certitudo aliqua non habetur, tu vna cum pluribus alijs Christi fidelibus, quid circa præmissa credere, quidue super his tenere debeatis, incipitis sicut asseris dubitare.

Illius causæ.

Hostia cruore tincta reperta.

Dubitatū an flagitio conflata Iudæis inuidia.

19 Quam quidem dubitationis materiam, inde te asseris suscepisse, quod olim in ducatu Austriæ in oppido Neirmiburch præfatæ diœcesis quædam hostia non consecrata cruore madefacta per quandam clericum in ecclesia dicti oppidi posita fuit, qui postmodum in præsentia bonæ memoriæ Vveruhardi episcopi Patauiensis, præsentibus fidedignis personis adhuc viuentibus confessus fuit, se dicto cruore præfatam hostiam madidasse, ad præsumptionem inducendam, quod a Iudæis contumeliose dehonestata taliter extitisset in opprobrium Saluatoris: quæ etiam cum a Christi fidelibus per aliquod temporis spatium, tanquam verum corpus Christi adoraretur, demum vermibus tineisque scaturiens, demolita extitit penitus & consumpta. Quam quidam clericus eiusdem ecclesiæ sic consumptam aspiciens, suggestione diabolica persuasus, errorem errori accumulans, aliam hostiam non consecratam, cruore per ipsum intinctam, loco prædictæ hostiæ sic consumptæ reponere minime formidauit, sicut postmodum per confessionem eiusdem clerici, talia perpetrantis, extitit reuelatum: eademque hostia in alterius locum supposita, vt scripsisti, vsque ad hodiernum diem tanquam verum corpus Dominicum a Christifidelibus, huiusmodi fraudem ignorantibus, veneratur. His etiam addidisti, quod casus similis ob inuidiam & odium Iudæorum in oppido Vverchartstorf cœperat exoriri; sed huiusmodi casum fuisse erroneum, Deo faciente, probationibus luce meridiana clarioribus extitit comprobatum: quare nobis humiliter supplicasti, vt quomodo te regere debeas circa præmissa, tibi qui doctrinæ sanctæ Romanæ ecclesiæ ac sedis Apostolicæ tanquam fidelis Christianus in omnibus, maxime in ijs, quæ catholicam fidem respiciunt, obedire desideras, ac firmiter adhærere, nostris rescribere literis curaremus.

Præsumpta a clerico impietas.

Nouo cumulata scelere.

Consultus in eo dubio Pont.

20 Quia igitur propter locorum distantiam, eorundem factorum, & circumstantiarum ipsorum inuestigare veritatem, sicut expedit, non valemus; considerantes quod ad indagationem veritatis præmissorum, non segniter & remisse, sed solerter & diligenter est summæ prudentiæ studio procedendum, cum exhibere laudes diuinas hostiæ non consecratæ vergat in ludibrium, & deceptionem fidelium; & scelus tanti facinoris, si illud execrabilis Iudæorum impietas perpetrauit, per dissimulationem vel negligentiam indiscussum relinquere, & per consequens impunitum, fidei nostræ confusionem induceret, & aduersus fideles, qui talia paterentur, diuinæ indignationis aculeos prouocaret; ac de venerabilis fratris nostri .. episcopi Patauiensis circumspectionis industria, & experta prudentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, onus indagandæ veritatis huiusmodi, & processus super præmissis habendi eidem episcopo, qui dictorum locorum diœcesanus existit, prouidimus imponendum. Propter quod eidem episcopo nostris damus literis in mandatis, vt de præmissis & circumstantijs omnibus, in talibus attendendis & inuestigandis, adhibitis; ad hæc secum viris grauibus & prudentibus, habentibus Deum præ oculis, diligentius & consultius per fide dignos testes locorum, vbi talia contigerunt, & modos alios, & quæcumque alia adminicula, ex quibus præmissorum possit elici & detegi veritas, & falsitas reuelari, eiusque conscientia non ex credulitate leui & temeraria, sed probabili & discreta potius informari, inquirere studeat veritatem: qua comperta, sic super præmissis consulte & circumspecte prouideat, vt reatus tanti facinoris, si forsan ad patrationem illius dictorum Iudæorum processit impietas, non transeat impunitus; sed animaduertat pro expiatione sic flagitiosi piaculi debite in eosdem, quod si inquisitio & indagatio huiusmodi veritatis comperta dictos Iudæos ostenderit innocentes, in huiusmodi tam detestabilis commentæ nequitiæ patratores, ex qua dictorum Iudæorum strages & bonorum prædationes & spolia processerunt, talem rigorem canonicæ seueritatis exerceat, quod pœna ipsorum cedat alijs in correctionem pariter & terrorem. In quo casu prædictas hostias non consecratas tollat de dictis ecclesijs, vt per populares & vulgares personas, & alios vanis deceptos erroribus, eisdem hostijs non consecratis diuinæ laudes de cætero non præstentur. Ex quibus omnibus, cum per dictum episcopum fuerint consulte peracta, tibi fili, & alijs Christifidelibus plena patebit instructio, qualiter circa præmissa vos gerere debeatis. *Dat. Auin. IV. kal. septembris anno IV.*

Patauien. præsul de his iussus inquirere.

Flagitium coercere supplicio.

21 Extant hoc argumento ad Patauiensem episcopum literæ b, in quibus post exposita superiora dubia subiectis verbis indagandæ di-

b An. 4. p. 1. ep. cur. 49.

li-

ligentifsime tel pronincia Impofita eft.

Benedictus, &c. venerabili fratri epifcopo Patauienfi.

Ad eun- dé Pont. literæ.

Fraternitati ruæ per apoftolica fcripta committimus & mandamus, quatenus de præmifsis & circumftantijs omnibus in talibus attendendis & inueftigandis, adhibitis ad hoc tecum viris grauibus & prudentibus, habentibus Deum præ oculis, diligentius & confultius per fide dignos teftes locorum, vbi talia contigerunt, & modos alios, & quæcumque alia adminicula, ex quibus præmifforum pofsit eligi & detegi veritas & falfitas reuelari, tuaque confcientia non ex credulitate leui & temeraria, fed probabili & difcreta potius informati, inquirere ftudeas veritatem: qua comperta, fic fuper præmifsis confulte & circumfpecte prouideas, vt reatus tanti facinoris, fi forfan ad patrationem illius dictorum Iudæorum procefsit impietas, non tranfeat impunitus; fed animaduertas pro expiatione fic flagitiofi piaculi debite in eofdem. Quod fi huiufmodi inquifitio & indagatio veritatis compertæ dictos Iudæos oftenderit innocentes, in huiufmodi tam deteftabilis commentæ nequitiæ patratores, ex qua eorundem Iudæorum ftrages & bonorum prædationes & fpolia processerunt, talem rigorem canonicæ feueritatis exerceas, quod pœna ipforum cedat alijs in correctionem pariter & terrorem. In quo cafu prædictas hoftias non confecratas tollas de dictis ecclefijs, vt per populares & vulgares perfonas, & alios vanis deceptos erroribus, eifdem hoftijs non confecratis diuinæ laudes de cætero non præftentur, inuocato ad hoc, fi opus fuerit, auxilio brachij fecularis; contradictores per cenfuram ecclefiafticam, appellatione poftpofita, compefcendo. Teftes autem, qui fuerint nominati, fi fe gratia, odio, vel timore fubtraxerint, cenfura fimili, appellatione ceffante, compellas veritati teftimonium perhibere. Quibus omnibus per te confulte peractis, eidem duci [nempe Alberto Auftriaco] & alijs Chriftifidelibus plena patebit inftructio, qualiter fe gerere debeant in præmifsis. *Dat. Auin. 10 kal. feptembris anno 10.*

a Ben. vitæ auct. apud Bofq.

Meminit de Iudæorum ftrage edita fub hæc tempora Benedicti vitæ auctor a, ac deinde in Chriftianos ad prædas agendas rufticorum furorem verfum: *Surrexit*, inquit, *quidam in partibus Alemanniæ, qui, adunata fibi multitudine rufticorum, Iudæos quofcumque reperire poterat trucidari ordinabat fub colore zeli fidei Chriftianæ. Sed demum hic in perniciem & damnum Chriftianorum redundare cœpit; nam etiam tales fic coadunati in Chriftianos fæuire tentarunt: propter quod fuit eis obuiatum, & præfertim per Ludouicum ducem Bauariæ memoratum, qui licet alias effet admodum peruerfus, prout fua facta demonftrant; tamen in hoc bene egit: procurauit namque, & operatus eft, quod capitaneus feu ductor prædictorum occifus eft: & fic demum illa congregatio difperfa & confufa difparuit.*

Cæfus feditionis auctor a Lud. Bau.

Vngari prælati a Rege oppressi.

b Ext. apud Ben. to. 4. poft ep. fecr.

22 In Vngaria graui iugo Carolus Rex oppreffetat ecclefiafticos, qui libertatis fuæ tuendæ caufa confugere ad fedem Apoftolicam, atque hunc libellum fupplicem Benedicto porrexere b.

Confugiunt ad Pont.

Significant fanctitati veftræ deuoti & humiles filij veftri epifcopi Vngariæ, & maxime ij ex eifdem, qui de falute regia & de bono ftatu regni, ac ecclefiarum Dei & veftrarum deuotiori animo, potiori vigilantia intendunt, in primis quod ftatus ecclefiarum, libertates, & priuilegia, regni etiam immunitates, ac iura aut penitus annullata, aut in exidio lethali conftituta exiftunt, &c. Recenfent præfules iniurias fibi illatas, extincto nimirum aliquo præfule, mox omnia illius bona fiue ecclefiaftica fiue paterna a regijs adminiftris occupari, & contra decus illius corpus multis diebus infepultum iacere, vt alienis fumptibus funus curandum fit, diffugientibus hinc inde fuis affinibus, ne tormentorũ vi ad ea non modo, quæ pro exhibitis officijs accepere, verum etiam aliunde parta donanda cogantur, ecclefiarum poffeffiones a laicis teneri, obuentionefque diffipari: fi quem adminiftrandæ ecclefiæ admoueri contingat, regiorum miniftrorum opera in poffeffionem induci, atque ingentem vim auri pendere; adeo vt bona ecclefiæ oppignerata maneant: ecclefias etiam cathedrales diu antequam excedant e viuis antiftites, a Rege conferri; ita ut a viginti tribus annis nullus nifi ad Regis imperium electionis iure promotus fit, ficque intrudi gerendo muneri viros impares, fimoniaca labe infectos: ius patronatus, quod diuinum effe conftat, pro libidine dari a Rege ijs, qui non patrocinium fed latrociniũ in ecclefias exerceant: vocari ad figna præfules feculares ac regulares; cum tamen officij ratio ipfos ad id non aftringat, nifi ad propulfandos infideles, aut fchifmaticos, cum in regnum irruperint: ineunte quoque anno archiepifcopos duos ad ducentas marchas, epifcopos ad quinquaginta xeniorum nomine offerendas cogi: ecclefiarum fubditis grauiffima imponi vectigalia: clericos nulla exceptione fori ad tribunal feculare rapi: feculares contra ecclefias triginta annorum præfcriptione fe defendere, ecclefias vero contra laicos etiam centum annorum non poffe, nifi priuilegiorum inftrumenta exhibeant, quæ duplici Tartarorum excurfione flammis deleta fuerunt: in difceptandis litibus damnari fæpius ad fingulare certamen fubeundum ecclefiafticos, vt iuribus fuis cadant, cum leges canonicas in eo violare perhorrefcant: vetitos effe generales ordinum conuentus, in quibus regni ftatus temperabatur: nobiles fine iudiciorum ratione fuis muneribus deijci, bonifque exui: extinctas effe iam omnes probas confuetudines, abolitas libertates, iura fublata, quibus nobiles ac populi a fanctiffimis Regibus Stephano, Ladiflao, alijfq; aucti fuerant: quamuis fæpius Rex facramento fe ea iura libertatefq; in priftinum ftatum reuocaturum deuinxerit, effluxiffe iam præfixa ab eo pro ijs reftituendis tempora adeo, vt ob fpretam ab ipfo fidem vniuerforum Vngarorum animi verfi fint in feditionem, ac grauis terror impendeat, ne fides Chriftiana in eo regno extinguatur: ac licet vetus confuetudo ferret, vt Reges præfulum confilijs ducerentur, adeo tamen illorum obfoleniffe auctoritatem, vt fœdiffimam etiam repulfam patiantur, cum viduarum, pupillorum, orphanorumque vel aliorum, qui iniufte fpoliati fint, caufas fufceperint. Demum omnibus precibus a Benedicto demiffe contendunt, vt tot tamque mala pontificia auctoritate comprimat: pergunt enim.

Recenfent grauamina.

Morientium præfulum opes inuadi.

Extorquent iniquè aurum.

Electiones vi regia fieri.

Xenij nomine exerceri latrocinia.

Ecclefiar. iura diffipari.

Veteres leges aboleri.

23 *Vndecum in præmiffis & ijs fimilibus, ad quem recurrere pro remedio falutari, poft diuinum auxilium neminem habeant, poffint, vel debeant nifi profundam prouidentiam veftræ clementiffimæ fanctitatis, formidantes vltra modum apud Dei iudicium, & veftræ fanctitatis examen dirius redargui de taciturnitate, & tanta calamitatis ecclefiarum, & etiam animarum, ni præmiffa in detrimentum eccle-*

Pro reftituenda re ecclef. implorata Pont. auctoritas.

fia-

stiarum vestrarum & regni Vngariæ, quod semper deuotum & peculiare sanctæ Romanæ ecclesiæ extitit, per abusionem introducta, per diuturnitatem ab alijs regni successoribus in exemplum trahi valeant, supplicant vestræ benignæ sanctitati, quatenus sancta vestra celsitudinis sapientia & iustitia, quæ de vestra sanctitate cum Dei laude, per orbem prædicantur, de benignitate sedis Apostolicæ præmissis dignetur compassionis visceribus misericordibus remedio succurrere opportuno: ita tamen, pater sanctissime, quod propter relationem præmissorum, regia indignatio non possit inuenire contra quem vel quos in his partibus vel alijs queat quoquo modo debacchari, quia aliter tam prælati, quam nunc inevitabiliter subijcerentur scandalo, & confusioni aut periculo personali.

Auditis præsulum querelis, Pontifex vindicandæ ecclesiasticæ libertatis in pristinum splendorem studio Carolo Regi porrectum sedi Apostolicæ libellum supplicem transmisit, vt quæ in eo erant contenta, si veritate niterentur, emendaret. Tum grauissimis sententijs recuperatum ab eo diuino præsidio regnum, partas de infidelibus & schismaticis clarissimas victorias proposuit ob oculos a, quibus ad diuini Numinis administros venerandos, suæque asserendos dignitati obstrictus esset, ad maiorum Regum scilicet Gallorum, Siciliæ, & Vngariæ exempla prouocauit, qui ecclesiasticos singulari honore & amore essent prosecuti; cum maxime ipse ecclesiæ patrocinio fretus ad eam, qua fulgebat, gloriam ac solium Vngaricum assurrexisset.

Monitus Vngarus, vt hæc emendet.

a Rad. ep. secr. 522.

Carolo Regi Vngariæ.

24 Si diligenter attenderes, fili charissime, gesta magnifica, & piæ deuotionis insignia, quibus progenitores tui catholici Reges, & principes regnorum Franciæ, Siciliæ, & Vngariæ, de quorũ claro germine processisti, ad Deum & ecclesias rectitudine deuotionis & fidei claruerunt, easdem ecclesias & personas ecclesiasticas, bona, & libertates earum suæ potentiæ clypeo protegendo, easque in suis munificentijs, erga illas immensitatem pro mensura ponentes, multis libertatibus ampliando, si commoda plurima, & immensa beneficia tibi misericordi & miraculoso munere Dei collata (qui te ab olim ad regnum Vngariæ, ad personam tuam iure hereditario deuolutũ, ab annis teneris sub aliorum tutela non tuta & ambigua curatorum cura deductum, & inter manus extraneas tãquam pupillam oculi salubriter custodiuit; cuius gratia de virtute in virtutẽ proficiens, ac in virilis & robustæ ætatis annos perueniens, regnũ tuum in diuersas partes multorum tyrannide laceratum, eisdem tyrannis sola diuina virtute sublatis, ad integrum & solidum tuum dominium reduxisti, & de tuis hostibus paganis, & alijs per concessas tibi dextera diuina victorias feliciter triumphasti) in obliuionem non duceres, sed ad mentis tuæ memoriam, vt teneris, frequentius reuocares; zelus Domini & ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum regni tui in te exardesceret velut ignis, & quid Domino retribueres pro omnibus, quæ retribuit ipse tibi, vt te ingratitudinis rubigo non tangeret, iugis meditationis studio cogitares.

Proposita diuina in eum beneficia.

Partę cœlestibus victoria.

Referendam Deo gratiam.

25 Cum igitur, sicut multorum minus grata relatio ad apostolatus nostri deduxit auditum, multa per te insolita & damnosa grauamina ecclesijs & personis ecclesiasticis hactenus sint illata, & quasi in consuetudinem dispendiosam ecclesijs iam deducta, quæ dicenda est verius corruptela, continue inferantur, & per alios nobiles regni tui per dissimulationem vel patientiam tuam eisdem ecclesijs & personis in grauem diuinæ maiestatis offensam; similia irrogentur, ex quibus, si vera sint, Regem Regum & dominum vltionum contra te & domum tuam grauiter prouocari dubium non existat; nos præmissa, si veritate nitantur, quæ in tuæ salutis periculum & famæ dispendium redundare noscuntur, salua conscientia nequeuntes conniuentibus oculis pertransire, quin illa ponentes ante oculos mentis tuæ, prout ad apostolicæ seruitutis spectat officium, paternis obiurgationibus arguere studeamus, serenitatem tuam, &c.] mixtis precibus imperijs monet, vt immunitate ecclesiastica in pristinum statum vindicata, diuinam beneuolentiam quam illatis illis damnis atque iniurijs a se abalienauit, conciliet. *Dat. Auin. xii. kal. octobris anno iv.*

26 Contraria sorte in Polonia vir ecclesiasticus regiam maiestatem indigne habuit a: Ioannes enim episcopus Cracouiensis manu promptus ac temerarius, cum Casimirus Rex abesset regno, Reginam Annam in arce obsedit. Impulerat ipsũ in eum furorem ea occasio, aliquem e suis in ea arce teneri in vinculis: tum etiam præsente in templo Rege Casimiro nulla illius culpa, non sine regia ignominia, diuina intermitti iusserat: pontificiam etiam lædere auctoritatem non erat veritus, retentis contra iussa apostolica decimis, quas e clero collegerat. Quibus querelis permotus Pontifex, acerrime Ioannem episcopum ab officio discedentem corripuit b, & Casimiri Regis & Annæ Reginæ gratiam quibus par erat officijs conciliare iussit: tum ex benignitate apostolica Galhardum e Carceribus præpositum ecclesiæ Titulensis Colocensis diœcesis A.S.N. sedandis inter Regem & episcopum Cracouiensem discordijs operam dare iussit: Regis iras blandis studuit mulcere literis, vtque Ioannem in gratiam admitteret, ac Polonum clerum commendatum haberet, exorauit.

Cracouiẽs. episc. in Polon. Regem coniurat.

a Eod. to. 4. ep. secr. 83.

b Ib. ep. secr. 82.

27 Vt vero aliarum ecclesiarum iuribus tuendis non defuit Benedictus, ita ad defendenda ecclesiæ Romanæ iura Gonzaluo archiepiscopo Bracharensi partes dedit c, vt duarum marcharum auri censum pontificio nomine exigeret a Rege Lusitaniæ, cui exposuit d, vt Alfonsus Rex, olim ab Alexandro III. insignibus regalibus auctus, Lusitaniam ecclesiæ Romanæ vectigalem ad quatuor uncias auri pendendas hactenus obnoxiam, liberalitatis ergo ad duas marchas auri obligasset: *Cum sicut*, inquit, *in regestis ecclesiæ Romanæ continetur antiquis, claræ memoriæ Alfonsus Rex Portugalliæ prædecessor tuus, olim a felicis recordationis Alexandro Papa III. prædecessore nostro regij nominis titulo insignitus, quatuor uncias auri, quas pro tota terra sua, quam tunc habebat vel haberet in posterum, de censu annuo ecclesiæ Romanæ prædictæ soluere tenebatur, in duas marchas auri purissimi post Lateranense concilium duxerit augmentandas; excellentiam regiam rogamus attentius, & in Domino exhortamur, quatenus animæ tuæ consulere in hac parte procurans, de censu huiusmodi, prout teneris, venerabili fratri nostro Gonsaluo archiepiscopo Bracharensi, nomine nostro & eiusdem ecclesiæ recipienti, cui super hoc per alias literas potestatem concedimus, sic liberaliter & plenarias impendi, quod a Deo consequaris meritum, ac nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam vberius merearis. Dat. Auin. 11. kal. decembris anno iv.*

Lusitania eccl. Rom. vectigalis.

c Eod. to 4. ep. secr. 431.

d ep. secr. 428.

Duas marchas auri pendit.

Exigit hũc censum Pontif.

Exa-

Exactum Sard. & Corsicæ vectigal.

28 Exactum etiam est a Petro Rege Aragonum vectigal Sardiniæ & Corsicæ, iure beneficiario acceptarum ergo; ac duo millia marcharum argenti ab eo recepta nonis aprilis, quæ superiori anno in festo Apostolorum Petri & Pauli ærario pontificio inferẽda erant, data ea de re syngrapha docet a. Defuit vero officio Petrus Rex, nõ soluto alio cẽsu, vt tenebatur, hoc anno recurrente eorũdem Apostolorum festo, quem cũ nec euolutis a constituta die quatuor mensibus soluisset, anathema contraxit: sed cum imminente natali Domini festo soluturum se illum polliceretur, atque regio nomine Bernardus clericus Cæsaraugustanus censuris liberari deposceret, ea ipsum lege Pontifex restituit b fidelium communioni VI. id. decembris, vt nisi excurrente ad natalitia Domini temporis spatio censum penderet, iisdem pœnis irretitus censeretur.

a To. 4. ep. secr. 93. b Ep. secr. 436.

Similiter ne alia Romanæ ecclesiæ iura, quæ in Calaritanum principatum in Sardiniæ insula, in Aragoniam, in Angliam, in vtramque Siciliam obtinebat, lapsu temporum obsolescerent, solicitus Pontifex (neque enim auaritia vel nimio rerum terrenarum amore, a quibus in summa earum affluentia erat auulsus, ducebatur; sed ad diuinam gloriam seruandi splendoris pontificij studio incitatus) Ioanni de Amelio archidiacono Foroiuliensi cameræ apostolicæ clerico iniunxit c, vt Asisium se conferret, ascitisque Spoletano præside ducatusque eiusdem ærarij præfecto, ac duobus vel pluribus tabellionibus adhibitis, vetera monumenta in thesauro Romanæ ecclesiæ in Assisinate sacrario asseruato recondita perquireret, atque opera tabellionum exscribenda redigendaque in publicam formam curaret, vt iis fidem præstandam auctoritate apostolica decerni posset; confectaque accurate exempla mitteret, deferretue. Præfectum vero d ærarij Spoletani ducatus, & præsidem ac Minoritas Asisinates e, eorumque rectorem f, quem guardianum vocant, Ioanni opera non deesse iussit: quæ res ab illo perfecta summa cum diligentia. Pretiosissima vero ea monumenta g, a Cardinale Baronio cum pluribus alijs hereditario iure congregationi oratorij nostræ transmissa, in bibliotheca Vallicellana asseruantur, e quibus plura in annalibus velut tot flosculos decerpsimus, publicique iuris fecimus.

c Ep. secr. 353. Vetera ecclesiæ monumẽta iussu Benedicti descripta. d Lib. ep. 354. e Lib. ep. 361. f Lib. ep. 361. g To. 4. ep. secr. 14. Extant in M.S. bibl. Vallis sign. lit. B. n. 12 & M. S. sign. lit. D. n. 1.

Sed ad institutam narrationem de Benedicti in tuendis Romanæ ecclesiæ iuribus studio redeamus. Intendi iussit h ab episcopo Albiensi iudicium Oliuerio vicecomiti Montisclari tutori Sicardi Scuriensis castri domini, vt accepti ab ecclesia iure fiduciario eius castri nomine clientis officia sedi Apostolicæ præstaret; *Cum*, inquit, *castrum de Scuria tuæ Albiensis diœcesis sub certo censu annuo in feudum ab antiquis temporibus a Romana ecclesia teneatur, & domini dicti castri, qui fuerunt præteritis temporibus, pro eodem castro Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, sicut tenebantur, certis temporibus fidelitatis iuramentum & homagium ligium præstiterint, prout constat ex regestis eiusdem ecclesiæ aliisque documentis autenticis & publicis euidenter, &c. Dat. Auin. XI. kal. iunij anno IV.*

h To. 4. ep. secr. 176. Scuria ecclesiæ beneficiaria.

29. Nec dispari diligentia prouinciam dedit Benedictus Bertrando patriarchæ Aquileiensi, vt comitatum Cenetensem ad Romanam ecclesiam spectantem viriliter (vt ait) ac potenter ex inuasorum eriperet manibus: tum etiam in eos, qui Bartholomæum episcopum Veronensem enecarant, apostolica auctoritate legibus animaduerteret a. Neque minor collocata est ab optimo Pontifice solicitudo, vt ditionem ecclesiasticam ex inuasorum tyrannide vindicaret, quam in tuendis aliis fiduciarijs bonis posuerat. Incitabat plerosque cupiditas ad rapiendas opes ecclesiasticas, inuadendas vrbium præfecturas, atque nouos principatus e ruinis ecclesiæ conflandos. Vt improbos igitur reprimeret, decretum pontificium edidit b quo, obiectis diuinis humanisque pœnis grauissimis, ne quis vrbium, oppidorum, municipiorum, arcium, vicorum, pagorum dominium administrationemue sine pontificia auctoritate capesceret: idque ab Hugone Augerij canonico Narbonensi patrimonij B. Petri in Tuscia præside diuulgari, atque in præuaricatores legis seueritatem exerceri iussit c.

Cenetensis comitatus eiusdem eccl. vectigalis. a Lib. ep. secr. 318. Ditio ecclesiastica a tyrannis laniata. b Lib. ep. secr. 116. Sanctio Bened. in eos lata. c Lib. ep. secr. 137.

30 Defixi censuris Bononienses ob pulsum Bertrandum episcopum Ostiensem A. S. L. exercitamque in eius milites & administros sæuitiam, redeundi in Pontificis iusti eorum principis obsequium voluntatem concepere, misereque oratores, qui Bononiam iuris esse pontificij professuri, de concordiæ legibus paciscerentur: de quorum accessu, habitaque in Cardinalium senatu oratione, multis demissionis & obseruantiæ notis insigni, hæc tradit Benedictus. d

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Commune, vniuersitas, & populus Bononiensis, tangente Domino cor ipsorum, & caliginem de mentalibus eorũ oculis auferente, ad sinu eiusdem ecclesiæ matris suæ, a qua velut alienati filij propria culpa recesserant, redire saniori consilio cupientes; dilectos filios magistros Paulum de Lizarijs decretorum, & Mathaguanum de Aczoguidis, ac Petrum de Bompetris legum doctores ambassiatores, ac Rolandum quondam Ioannis de Pantucijs syndicum & procuratorem & nuncium specialem, eorum ciues Bononienses, ad nostram & eiusdem sedis præsentiam destinarunt. Qui coram nobis & eisdem fratribus nostris in consistorio publico comparentes, præsente in dicto consistorio tam prælatorum quam aliorum fidelium multitudine copiosa, a nobis ex parte communis, vniuersitatis, & populi prædictorum deuotę & humilis supplicationis instantia postularunt, vt non attendentes eiusdem populi insipientiam & excessus, sed pie considerantes eiusdem sedis & Romanæ ecclesiæ benignitatem & clementiam consuetam; & quod prædicti Bononienses fuerunt hactenus eiusdem ecclesiæ deuoti filij, & esse perpetuo proponebant; & quod idem populus in seruitio eiusdem ecclesiæ contra indeuotos ipsius sanguinem suum fundere & bona sua exponere minime dubitarat; populum ipsum dignaremur respicere oculo pietatis, & ei redeunti & pœnitenti sinum & gremium eiusdem ecclesiæ misericorditer aperire, dictumque populum dirigere, vt ipsa ciuitas nostra sub alis pietatis nostræ & eiusdem ecclesiæ in pacis plenitudine & pulchritudine valeat gubernari: quod fieri indubitanter credebant si eiusdem sedis clementia super articulis infrascriptis pie dignaretur ipsorum communis, vniuersitatis, & populi supplicationibus inclinare. Idemque sindicus & procurator, habens ad infrascripta omnia & singula recognoscenda, tractanda, petenda, supplicanda, facienda, promittenda, iuranda, perficienda, & complenda speciale mandatum, sindicario & procuratorio nomine constituentium eorundem deuo-

d Ben. an. 4. ep. cur. 66. & an. 6. ep. cur. 48. & M. S. Vall. sig. lit. B. n. 19 pag. 481. Bononienses pro fugiranda rebellionis venia oratorem mittunt. Profitentur Bononiam iuris esse pontificij.

note & humiliter confessus fuit, & etiam recognonit, quod ipsa ciuitas Bononiensis, & comitatus & districtus eiusdem pleno iure & in temporalibus, quoad dominium, ac merum etiã mixtum imperium, & omnimodam iurisdictionem ad Romanam ecclesiam in solidum pertinerent, ac etiam ab antiquo pertinuerunt; ac iurauit ad sancta Dei euangelia, a se supradictis nominibus & in animas constituentium prædictorum corporaliter sponte tacta, dictos constituentes recognoscere, nos & omnes Romanos Pontifices successores nostros veros esse eorum dominos; nosque & successores eosdem pro ipsorum veris dominis in perpetuum habere & tenere, ac nobis nostro, & successorum nostrorum & eiusdem Romanæ ecclesiæ nomine possessionem & quasi ciuitatis, comitatus, & districtus, ac meri & mixti imperij, & omnimodæ iurisdictionis; nec non cæterorum iurium ciuitatis, comitatus, & districtus eorundem, quibus nos ac dictus prædecessor noster [nimirum Ioannes] & eadem Romana ecclesia fuimus spoliari, plene & integre restituere, reddere, & integrare, & ex nunc ea omnia & singula nobis & dictis successoribus, ac eidem Romanæ ecclesiæ libere dictus sindicus & procurator sindicario & procuratorio nomine supradicto omnino dimisit; nosque & successores nostros & eandem Romanam ecclesiam redintegrauit & restituit plene & libere ad dictam possessionem & quasi, & ad omnia & singula supradicta: & in signum & nomine traditionis huiusmodi corporalis possessionis & quasi, ac restitutionis & redintegrationis prædictarum, claues ciuitatis eiusdem sindicario & procuratorio nomine supradicto nobis in eodem publico consistorio præsentialiter tradidit, & realiter assignauit: ac promisit solemniter & iurauit nomine & in animas constituentium prædictorum, quod infra medietatem proxime futuræ quadragesimæ dicti commune, vniuersitas, & populus dictam possessionem & quasi omnium & singulorum prædictorum illi seu illis personis, quam seu quas ad hæc duxerimus deputandas, realiter, plene, & integre reddent, restituent, & assignabunt nostro & dictorum successorum nostrorum & dictæ ecclesiæ nomine recipiendam, habendam, & tenendam libere & absque impedimento quocumque. Promisit etiam solemniter & iurauit nomine & in animas constituentium prædictorum, quod in ciuitatem eandem, eiusque comitatum & districtum Ludouicum de Bauaria vel quemuis Imperatorem seu Regem Romanorum, vel de ipsorum gentibus aliquem vel aliquos notabilis preeminẽtiæ, potẽtiæ, seu potestatis, de quo vel quibus posset verisimiliter dubitari seu presumi, mutationem status, vel occupationem ciuitatis eiusdem debere contingere aduersus nos & ecclesiam memoratã, nõ introducent, non assument, nec recipient absque licentia sedis Apostolicæ speciali per ipsius literas concessionem licentiæ huiusmodi specialiter exprimentes, &c.]

Pristina ecclesiæ iura restituunt.

Spondent Cæsarem sine Pontificis iussu se non admissuros in vrbem.

31 Nuncupauit idem orator Bononiensium nomine fidei sacramentum in verba Pontificis, cuius iurisiurandi formula suis concepta verbis a nobis allata est alias. Spopondit etiam, conscendentibus primum sacrosanctum solium singulis successuris Pontificibus vnius anni flexu Bononienses misso procuratore idem sacramentum repetituros: additaque est sponsio, nunquam cum hostibus ecclesiæ coitionem vllam inituros. Tum aliæ leges adiectæ de ducentia equitibus egregie armis instructis ad septuagesimum a Bononia milliare annis singulis mittendis ad castra pontificia, ac trimestri sumptu Bononiensium sustentandis, cum a Pontifice aut senatu Cardinalium iussi fuerint; resarciendis iniurijs illatis Bertrando Cardinali ac Bononiensi & Mirapiscensi episcopis, restituendis seditione raptis, reuocandis exulibus, pendendo censu & alijs exhiber. dis officijs, asserendoque iure ecclesiastico; quibus litteris hæc temporis nota adiecta est: *Dat. Auin. xv. id. octobris anno iv.* Ad hæc mandanda operi Guigo e S. Germano Apostolicæ sedis internuntius decretus est, instructusque hisce mandatis. a

Fideisacra mentum nuncupant.

Pactiones aliquas ineunt.

Benedictus, &c. Guigoni de S. Germano A.S.N. a An. 4. p. 1 ep. cur. 67.

Discretioni tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus tenore dictarum literarum diligenter inspecto, teque ad ciuitatem, comitatum, & districtum Bononiensem prædictos personaliter conferens, dictisque vniuersitati, communi, & populo ciuitatis eiusdem præfatis literis publicatis solemniter & expositis diligenter; factaque prius per eos actualiter, realiter, & corporaliter restitutione & assignatione corporalis possessionis & quasi ciuitatis, comitatus, & districtus prædictorum, ac meri & mixti imperij, ac omnimodæ iurisdictionis cæterorumque iurium ipsorum, ad nos & Romanam ecclesiam pleno iure spectantium, tibi recipienti nostro & successorum nostrorum ac Romanæ ecclesiæ prædictorum nomine, ac per te nomine supradicto huiusmodi reali & corporali possessione & quasi recepta, apprehensa, & habita pacifice & quiete; factis etiam per constituentes eosdem recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus affirmationibus, confirmationibus, emologationibus cum iuramentorum præstationibus, obligationibus quoque super dicto censu, & alijs omnibus, & singulis cõtentis in dictis literis distincte, specialiter, & expresse; ac præmissis omnibus iuxta promissiones, obligationes, & iuramenta dicti syndici, ac secundum modum, formam, & ordinem in eisdem literis nostris expressos debite & efficaciter adimpletis, & de his omnibus & singulis confectis publicis instrumentis, iuxta dictarum literarum seriem nobis quantocyus, vel saltem infra prædictam proximo futuram mediam quadragesimam fideliter destinandis, *& infra*, sententiam interdicti, cui ciuitas, comitatus & districtus prædicti, ac vniuersitates, & communia eorundem propter præmissa subiacere noscuntur, *& infra*, auctoritate prædicta omnino relaxes, &c.] Amplissimis etiam mandatis instructus est nuntius, vt alias pœnas solueret, academiam pristino restitueret statui, commissaque crimina venia deleret. *Dat. Auin. xv. id. octobris anno iv.* Data etiam eidem nuntio prouincia, vt cum ex concordiæ legibus Bononienses Pontifici tres ciues idoneos ad publicam rem administrandam essent propositvri, vnum ex ijs nomine pontificio Bononiæ præficeret a. Verum postea obortæ in complendis promissis nouæ difficultates: cumque condicto tempore Bononienses initas cum ipsorum oratore pactiones non confirmassent Benedictus prioribus illos pœnis deuinctos teneri promulgari iussit. Vt vero demum, mitigata nonnullarum contentionum acerbitate, in gratiam fuerint admissi, dicetur inferius.

Missus ad ineunda Bononiæ possessione internuntius.

Et soluendas censuras.

a lib. ep. 63

Ortæ nouæ difficultates. Extracta reconciliatio.

32 Impacata erat per id tempus Italia ob Florentinorum & Venetorum, aliorumque sociorum Insubrum bella aduersus Mastinum Scaligerum, in quem cum tyrannidem latius proferre

Bellum in Scaligeros gestum.

nite-

niteretur, vnanimes coniurarant. Promota sunt fœderatorum castra, atque ab ijs arx, cui Monrecchium nomen est, rapta [a]: inde Vincentia, expugnatis suburbanis, in discrimen adducta [b], iterumque auxiliares Mastini cohortes fusæ: qua ipse clade consternatus, cum se Veronæ obsidendū expauesceret, Venetos pacis arbitros constituit [c]: dat æque a senatu Veneto eæ leges, vt Taruisium, Castrum francum, & Bassanum Venetæ reipublicæ parerent: parta a fœderatis retinerentur: (Carrarienses Patauium, nouo principatu condito, & Azo Vicecomes Brixiam iam eripuerant) Florentini vero prçter plura oppida, quæ ex Lucano principatu detraxerant, Pisciam, Bugianum, & Altopassium reciperent. Ita elisa est Mastini, quæ adeo excrescebat, vt Italiæ dominium affectaret [d], potentia ad quam ex infima conditione assurrexerat: tradit enim Io. Villanus [e] familiæ conditorem Iacobum nomine compingendarum scalarum artem exercuisse, illiusq; filium Mastinum sub Ezelino e Romano sæuissimo marchiç Taruisinæ tyranno stipendia fecisse, vnde canes innitentes scalæ prætulere insignibus, quæ ab arte & nomine acceperant: quamquam alij a mercatore Montagnanæ genus duxisse ferant. Cæterum in illum iudiciariæ actionis instruendæ ob cæsum Bartholomæum episcopum Veronensem prouincia demandata est a Pōtifice [f] Aquileiensi patriarchæ. Vt vero defletum facinus rite expiarit Mastinus, nec non qui hactenus exercuerat tyrannidem, iusti principis titulum fuerit assecutus, sequenti anno dicetur, quo Veronæ, Vicentiæ, & Parmæ vicariatum a Romana ecclesia, propter interregnum accepisse visuri sumus. Nunc reliqua bella Italica prosequamur.

a Io. Vill. l. 11. c. 96. Accisa eorum potentia. *b Eod. lib. c. 88.* Datç ipsis a senatu Veneto leges. *c Cap. 89.* *d Super c. 96.* *e Cap. 49.* Scaligerorum exordia. *f An. 4. p. 1 ep. cur. 53*

33 Pertentauit Petrus [g], Friderici olim Regis Trinacriæ filius, transfusum flagitio insulæ dominatum varijs rationibus sibi asserere aduersus Robartum, qui illud regnum tum auito iure, tum ex fœderis a Bonifacio sanciti legibus repetebat; misitque ad curiam pontificiam oratores, qui apostolica liberalitate Trinacriam sibi tradi deposcerent, clientelarem exhiberent Pontifici ritu solemni sponsionem, ac de remittendo sibi annuo censu, quem Fridericus annis pluribus fisco pontificio non intulerat, paciscerentur; quos amplissimis mandatis subiectis literis instruxit.

g Ext eius lit. in lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 349.

Petrus secundus Dei gratia Rex Sicilia.

Præsentis scripti serie manifestum fieri volumus vniuersis, etsi zelo sanctissimæ fidei Christianæ, studio charitatis sinceræ, quam erga sanctam catholicam & apostolicam & vniuersalem ecclesiam ardentibus desiderijs animo gessimus & gerimus, cordi nobis & in voto nostro fuerit; & sic nunc prçcipue in regni nostri primordijs ardentissimis affectibus & mente deuota noster animus propulsetur ad sanctissimum patrem & dominum dominum Benedictum, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ matris & vniuersalis ecclesiæ summum Pontificem, & reuerendissimum cœtum venerabilium dominorum Cardinalium, qui dictam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam constituunt & repræsentant, vt cultui Christiano et sanctæ & reuerendissimæ sedi Apostolicæ debitam reuerentiam & honorem præcipuum redderemus, ac omnia, ad quæ de iure tenemur & debemus, deuotissime & plenissime nostra firmæ & indefessa deuotio, vt desiderat, adimpleret personaliter nos conferre, & eos debitis & humilibus obsequijs visitare; tamen quia consideratis guerrarum tempestatibus, & periculis, quæ inter Christicolas, specialiter Italicos, nunc vehementius solito inardescunt, & præsertim guerræ calamitatibus, quæ inter nos & illustrem Regem Robertum efferbuit, & actu manifesto nunc efferuet, noster accessus ad Romanam curiam, qui non sine magno nostro nostrorumq; fidelium personali & reali periculo posset verius consummari, nobis rationabilibus excusationibus denegatur; propterea habito consilio diligenti, ad vitandum præcipue personalia pericula, & ad præmissorum & infrascriptorum conceptum & desideratum opus perficiendum coram prædicto domino summo Pontifice, & præfato cœtu venerabilium Cardinalium, proposuimus, & ordinauimus per mediam personam in prædicta Romana veneranda curia comparere.

Petri Trinacrij conatus pro asserendo sibi regno

Se studiosum esse ecclesiæ ostendere nititur.

Oratore, ad curiā pontifici. decernit.

34 Et ideo confisi de fide, sufficientia, & legalitate nobilium Nicolai de Lauria & Andreæ de Ioffo de Messana militum, consiliariorum, familiarium, & fidelium nostrorum, eos & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior cōditio occupantis, sed quod vnus incœperit, alter prosequi valeat & finire, sponte constituimus, fecimus, & ordinauimus nostros veros & legitimos procuratores, ambaxiatores, & nuncios speciales præsentes, & procurationem & ambaxiatam & nunciationem ipsas sponte suscipientes, ad conferendum & præsentandum se nomine & pro parte nostra in dicta Romana curia coram sanctissimo patre & domino nostro Benedicto, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ matris & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifice, & reuerentissimo cœtu venerabilium Cardinalium, & coram eis, debitis reuerentia & honore propensius exhibitis, præmissa narrandum, & nos excusandum, qualiter præmissis rationibus atque causis & alijs, de quibus sunt verbo informati, ad prædictam Romanam curiam & coram eis nunc accedere personaliter commode non valemus; nec non ad petendum, impetrandum, & recipiendum ab eisdem domino summo Pontifice, & dicto reuerendissimo cœtu dominorum Cardinalium pro nobis nostrisque heredibus & successoribus inuestituram perpetuam, confirmationem, & concessionis renouationem prædicti regni Siciliæ, cum omnibus insulis ei adiacentibus & vicinis, & cum omnibus & singulis dignitatibus, honoribus, iurisdictionibus, mero & mixto imperio, iuribus & pertinentijs eorum, sub debito & consueto annuo censu, præfato domino summo Pontifici & præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ singulis annis in perpetuum per nos, heredes, & successores nostros integraliter præstando & soluendo: ac ad offerendum & obligandum nos, heredes, & successores nostros, & promittendum quod ex nunc inantea prædictum regnum Siciliæ cum omnibus prçdictis insulis habebimus, tenebimus, possidebimus, et recognoscemus a dicto domino summo Pontifice, et prædicta sancta Romana ecclesia sub recognitione et annua solutione dicti annui census: et quod prædictum annuū censum pro prædictis regno et insulis anno quolibet dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ integraliter persoluemus: nec non ad offerendum eisdem domino summo Pontifici, et reuerendissimo cœtui dominorum Cardinalium nomine dictç sanctç Romanæ, et eidem ecclesiç pro prçdictis regni et insulis puram et perpetuam fidelitatem, et amodo in perpetuum eorum esse subditum et fidelem, et sub eorum fidelitate stabiliter perpetuo permanere. Et ad maiorem securitatem ipsorum domini summi Pontificis, et reue-

Petit sibi regnum pontificio beneficio tradi.

Pollicetur censum se pensitaturum.

Ad clientelarem sponsione se obstringit.

reuerendissimi cœtus dominorum Cardinalium, et præfatæ sanctę Romanę ecclesiæ debitum fidelitatis offerendum, et præstandum efficax sacramentum & manus & oris homagium; etiam de pecunia restanti ad soluendum dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ pro temporibus retroactis, pro quibus eidem ecclesiæ solutum & satisfactum non extitit pro annuo censu non soluto, a prædicto domino summo Pontifice, & præfato reuerendissimo cœtu dominorum Cardinalium, gratiam, remissionem, liberationem, finem, & quietationem omnimodam & finalem petendum, impetrandum, & recipiendum de prædicto ipso annuo censu non soluto sed restanti ad soluendum pro prædictis retroactis temporibus dictæ sanctæ ecclesiæ vt supra eum prædictis domino summo Pontifice, & dicto reuerendissimo cœtu dominorum Cardinalium nomine præfato, & eum eadem ecclesia componendum, transigendum, & paciscendum, prout cum eis poterunt melius & commodius conuenire: insuper etiam ad petendum, obtinendum, & impetrandum nomine & pro parte nostra, successorum & vasallorum nostrorum, indulgentiam, remissionem, & relaxationem omnium & singularum pœnarum, culparum, & sententiarum, quas bonæ memoriæ Rex Fridericus reuerendissimus genitor noster, nos, nostri regales consiliarij, familiares, subditi, & vasalli nostri, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, regnum etiam nostrum ratione dicti census non soluti, vel quacumque alia ratione, occasione, vel causa, de iure, vel de facto incurrissemus vel incurrere aliquatenus potuissemus, &c. *Dat. Messanæ anno dom. incarnationis* M.CCCXXXVIII. *mense martij vltimo eiusdem sextæ indictionis.*

Solui suscepti ce (n)suris effla(gi)tat.

35 Iniqua erant Petri petita, cum ex ipsis Roberto iusto insulæ Regi fieret iniuria, quare eius oratores repulsam sunt passi. Missis quippe oratoribus Robertus Rex, ius a sede Apostolica didici poposcit, causæque suæ æquitatem proposuit: in primis Fridericum vitio Trinacriæ imperium post concitatam a Petro seditionem corripuisse; cumque iusto bello Catania & plurea insulæ arces ac loca a Caroli II. ducibus parta fuissent, spesque de subijcienda Trinacria affulgeret, compositum a Carolo Valesio ejs pactionibus dissidium, vt Fridericus ad vitam tantummodo Trinacriæ administratione regioque titulo potiretur, atque ecclesiasticis eorum iura restitueret: post mortem autem ipsius Trinacria Carolo vel heredibus traderetur: at violatas a Friderico fœderis leges; nam primum pacto eum hoste Henrico Cæsare fœdere, cum nulla de eo suspicio maleuolentiæ concepta esset, proditione Calabriam inuasisse, iterumque cum Ludouico Bauaro ecclesiæ perduelli coijsse armorum societatem, ac filium Petrum classe instructum, vt se illi coniungeret, submisisse variaque maritimæ oræ loca vastasse: denique licet ex fœdere antea esset professus, Trinacriam post ipsius mortem restitutum iri; contra iura tamen Petrum filium heredem regni testamento scripsisse. Poposcit igitur Robertus a Pontifice, vt ius in ea causa tanquam Siculi regni supremus princeps daret. Benedictus itaque iudiciariam instruxit actionem aduersus Petrum inique Trinacriæ incubantem, in qua varias ob causas nullo iure illius corripuisse imperium demonstrauit, ac legatos creauit, qui censuris ipsum ecclesiasticis desigerent, ni iniustam possessionem dimitteret.

Repulsam patitur Petrus.

Robertus Rex imploratęc(?) elesiæ opē pro recuperanda Trinacria

Quæ ad iura sui gratiam proposuerit.

Decreti ad illius gratiam a Bened. legati.

Benedictus, &c. venerabilibus fratribus Gervasio patriarcha Constantinopolitano & Raterio episcopo Vasionensi A. S. N.

36 In agro dominico ab eo, per quem Reges regnant, & principes imperant, & qui solus habet in regnis hominum præcipuam potestatem, licet insufficientibus meritis, operarij positi & custodes, necesse habemus interdum de statu dictorum regnorum, & specialiter quæ Romanæ ecclesiæ iuris & proprietatis existunt, cum fratribus nostris ad pacem & iustitiam populorum sic consulta prouisione disponere, vt per inuasiones & occupationes illicitas eorundem populorum, quinimmo ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum status non turbetur publicus, iustitia exire non patiatur exilium, nec tranquillitas, quæ ex concordia prouenit, extinguatur; sed, euulsis exinde malorum radicibus, in pacis pulchritudine sedeant, & in requie opulenta quiescant. Dudum post proteruæ rebellionis insultum, in insula Siciliæ contingentem, ac subsequentem inuasionem & occupationem ipsius per quondam Petrum olim Regem Aragonum attentatas, & per quondam Fredericum eiusdem Petri genitum cum accessione vitij continuatas in culpam (ex quarum rebellionis, & inuasionis excessu, & illicita continuatione prætacta, prout declarat, proh dolor! multiplicium malorum secutus euentus, multa prouenerunt Christianitati non facile numeranda discrimina, quæ guerrarum diffidia, collisionesque regnorum, animarum pericula, corporum strages, facultatum lapsus, & destructiones multimodas induxerunt) dum eodem Frederico, candem insulam continuato vitio tam obstinate, quam illicite detinente, Apostolicæ sedis & claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ potens militaris exercitus contra dictum Fredericum & rebelles Siculos processisset, inter charissimum in Christo filium nostrum Robertum Regem Siciliæ illustrem, præfati Regis Siciliæ primogenitum, tunc ducem Calabriæ, & quondam Carolum Alanconij & Valesij comitem præfectos eiusdem exercitus ex parte vna, & iam dictum Fredericum ex altera tractatus pacis fuit habitus mutua inter ipsos, vt potuit, firmitate vallatus. Quo quidem tractatu præsentato conspectui felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, & per solemnes nuntios Frederici præfati ab eo eum deuotione petito; vt tractatum ipsum confirmare benignius de Apostolicæ potestatis præsidio dignaretur; idem prædecessor, pensans attente, quid Apostolicæ sedis exigeret in ea parte decentia, quid vtilitas suaderet, quia tractatum ipsum inuenit in multis informem, & a censura considerationis rationabilis discrepantem, illum absolute primo respuit confirmare: ac eligens viam mediam, omissis extremis, volensque dictum Fridericum in benedictione dulcedinis preuenire, vt reduceret tramites eius ad lineam, & vt erroris ac deuij fugata caligine eo libentius atque suauius veritatis posset semitam ingredi, quo per Apostolicæ benignitatis suffragium sentiret secum benignius, atque clementius fore actum, mandauit & fecit ipsum ab excommunicationis sententia, qua ligatus erat, absolui certo modo, quem prouidi cautela consilij suadebat; & prosequendo debitū pastoralis officij, & charitatem etiam pij patris, benignas literas & speciales nuntios suos ad memoratum Fredericum in insulam præfatam transmisit, inducens eundem, vt ipse de deuio, in quo eum falsitas erroris aduexerat, ad rectum salutis ingressum se prudenter con-

Datum illi diploma.

De Siculis conturbatione, & quanta mala inuexerit.

De inito postea fœdere.

conuerteret,& circa informationem prædicti tractatus suum animum rationabiliter inclinaret.

37 Qui prædecessoris eiusdem exhortationibus acquiescens, quondam Hugonem de Empurijs marescallum, Fredericum de Incisa militem magistrum rationalem, & Bartholomæum de Insula iudicem curiæ Frederici præfati ad eundem prædecessorem transmisit cum certo procuratorio sufficienter instructos, super reformatione prætacta,& distinctis capitulis eiusdem Frederici noto sigillo sigillatis a tergo (quæ dictus prædecessor in archiuio Romanæ ecclesiæ seruari mandauit) continentibus supplicationem & reformationem pariter multorum, quæ series iam dicti tractatus pacis omiserat, & quæ minus prouide deducta fuerant in eodem, Qui siquidem nuntij pro parte eiusdem Frederici eisdem prædecessori & Romanæ ecclesiæ, prout in mandatis habebant, promiserunt solemniter & expresse, quod dictus Fredericus præfatam Siciliæ insulam cum insulis ei adiacentibus, omnibusque alijs prædictis iuribus & pertinentijs suis in vita sua teneret, haberet, & possideret ab eodem prædecessore sub eo ac ecclesia memorata, & esset vassallus & censuarius ipsius ecclesiæ pro illo iure, quod idem Fredericus in ipsa insula Siciliæ, dicta sua vita durante obtinebat: & ex tunc eius nomine præfati nuntij promiserunt bona fide tenere sub annuo censu trium millium unciarum auri ad generale pondus regni Siciliæ in festo B. Petri, vbicumque Romanus Pontifex foret, eisdem Romano Pontifici & Romanæ ecclesiæ per eundem Fredericum, dum viueret, annis singulis soluendarum,& pro certo alio seruitio, in dictis promissionibus tunc expresso, per dictum Fredericum eidem ecclesiæ exhibendo: quod si per Fredericum prædictum, dum viueret, in præfati census trium millium vnciarum foret suo termino a solutione cessatum, in illas spirituales & temporales pœnas Fredericus præfatus incideret, quæ in connentionibus initis inter Romanam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum primum Regem Siciliæ in capitulo solutionis & cessationis census, seruato ordine in eodem expresso capitulo, continētur. Pro quibus quidem recognitione,& promissione prætactis efficacius roborandis præfati nuntij eiusdem nomine Frederici eisdem prædecessori & Romanæ ecclesiæ pro illo iure, quod in ipsa insula Siciliæ cum prædictis iuribus & pertinentijs suis idem Fredericus, sicut prædicitur, tunc fuerat habiturus ad vitam, ligium fecerunt homagium,& præstiterunt fidelitatis debitum iuramentum.

Missis pro eo confirmando ad sedem Apost. oratoribus.

Vt sponderit Fridericus Trinacriā restituturū iri,

Persoluturum censum ecclesiæ,

38 Promiserunt etiam præfati nuntij pro parte & nomine Frederici præfati eisdem prædecessori & Romanæ ecclesiæ, quod idem Fredericus teneret & haberet inimicos eorundem Romanorum Pontificum & Romanæ ecclesiæ pro inimicis suis,& amicos eorum pro amicis haberet: quinimmo præfatos inimicos Romani Pontificis & ecclesiæ prædictorum ad ipsius ecclesiæ mandatum intenderet persequi toto posse,& quod idem Fredericus restitueret & restitui faceret omnes ecclesias prædictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum circumadiacentium, si forte tunc non restitutæ fuerant, plenarie & cum effectu ad omnia bona & iura ipsarum, in quorum possessione fuerant eo tempore, quo insula memorata Siciliæ contra dictum Regem Carolum rebellarat, per quoscumque præfata bona & iura ablata & occupata fuissent vel essent, & etiam tunc detinerentur; nisi forte infra prædictum tempus aliqua iusta alienatio per personas auctoritatem habentes inde iuste & rationabiliter facta esset: & quod omnes prædictas ecclesias, & personas ecclesiasticas ecclesiarum ipsarum idem Fredericus libertatibus, priuilegijs, & immunitatibus, a sacris canonibus eis concessis: & specialiter quod immunes essent a collectis & tallijs, gaudere permitteret & faceret; & quod si aliqua dubietas vel contentio emergeret in præscripto tractatu pacis vel circa ipsum, idem prædecessor Bonifacius, seu successor ipsius Romanus Pontifex inde foret tanquam communis dominus cogniturus; eidem prædecessori humiliter supplicantes, vt cum Fredericus ipse secundum assertionem ipsorum ad dictorum prædecessoris & Romanæ ecclesiæ mandata in spiritu sinceritatis integre ac deuotionis interne redijsset, ac circa reformationem præfati tractatus pacis obedienter ac paterne descendisset, & obedienter in futurum dictorum prædecessoris & ecclesiæ beneplacitis se disponeret coaptare, tractatum ipsum cum reformatione promissionum huiusmodi confirmare benigne de auctoritate sedis Apostolicæ dignaretur.

Eosdem hostes & amicos cū ecclesia habiturū.

39 Idemque prædecessor præmissum tractatum, ad hoc ipsius Regis Siciliæ accedente consensu, cum reformatione præscripta ex certa scientia confirmauit; ita quod per tractatum ipsum reformationemque prætactam, & per huiusmodi confirmationem suam, ac dicti Regis assensum, conuentionibus ipsis initis inter Romanam ecclesiam & præfatum Carolum primum Regem Siciliæ, quibus ipsum regnum Siciliæ & terra alia citra pharum prohibetur diuidi, nullum præiudicium mutilatio vel diminutio afferretur, quin præfato Frederico defuncto iam dicta insula Siciliæ cum insulis ei adiacentibus, omnibusque alijs præfatis iuribus & pertinentijs suis ad vnitatem, integritatem, & soliditatem alterius partis dictæ terræ citra pharum positæ, sicut erat concessionis tempore factæ per Romanam ecclesiam præfato quondam Carolo Regi Siciliæ de regno & terra prædictis, & tempore motæ guerræ in insula prælibata Siciliæ, ipso iure, & sine aliquo facto hominis iuxta dicti tractatus pacis seriem reuerteretur; sicq; liceret tunc prænominato Regi Siciliæ & legitimis heredibus suis dictam insulam Siciliæ cum insulis ei adiacentibus alijsque prædictis iuribus & pertinentijs eius ad integritatem & soliditatem prædictæ terræ alterius citra pharum,& vnitatem totius regni Siciliæ auctoritate propria & sine iussu alicuius præsidentis seu iudicis reuocare, prælatis conuentionibus inter ecclesiam Regemque prædictos habitis, ac tractatu pacis prædicto in sua permanentibus firmitate.

Ea pactione confirmatum fœdus, vt insula ad Caroli heredes rediret.

40 Idem quoque prædecessor de fratrum suorum consilio & assensu declarauit expressius ac decreuit, quod nec per diuisionem ipsam præfatæ insulæ Siciliæ a terra posita citra pharum, quæ per memoratam tenutam, quam Fredericus prædictus de ipsa insula Siciliæ tunc fuerat habiturus, in vita sua contingebat, nec per eandem confirmationem prædecessoris eiusdem & reformationem prætactam, aut per dicti Regis assensum vel distributionem & receptionem dictorum cēsus & seruitij, nec per nominationem dicti Frederici factam & faciendam, de titulo Regis Trinacriæ, ius sibi aliquod acquireretur vltra vel præter tenutam ipsam, quam habiturus erat in vita sua iuxta formam prælibati tractatus de insula Siciliæ memorata:

Sancitū nullū ius ad posteros Friderici deriuatū iri.

rata; specialiter exprimendo, quod per nominationem ipsam Regis Trinacriæ honori regalis tituli, qui de toto regno Siciliæ vltra pharum & citra apud præfatum Carolum Regem Siciliæ remanebat, quemque apud eum idem prædecessor remanere volebat, nullum in aliquo, etiam quantum ad vulgi labia, præiudicium afferretur: nec ex prædictis vel prædictorum aliquo eidem Regi Siciliæ aut heredibus suis vltra tẽpus possessionis & tenutæ præfatæ in proprietate, possessione, ac iure ipsius insulæ Siciliæ & pertinẽtijs eius, ad quantumcumq; temporis spatium se dicti Friderici vita protenderet, generaretur dispendium seu præiudicium aliquod quoquo modo; cum possessio præfatæ insulæ Siciliæ & pertinentiarum ipsius (quam ex præmissis recognitione & præstatione homagij & iuramenti fidelitatis, tunc factis dictis prædecessori & ecclesiæ pro parte Frederici præfati per nuntios sæpedictos, ac solutione census & præstatione seruitij prædictorum faciendis in antea, eiusdem Frederici vita durante, idem prædecessor & Romana ecclesia retinebat (prædicto Regi Siciliæ & suis heredibus tanquam directis & veris feudatarijs Romani Pontificis & eiusdem ecclesiæ specialiter afferret præsidium, & dicta possessio eis prodesset; nullaq; per aliquos contra ipsos ex præfata possessione seu tenuta allegari posset præscriptio vel opponi.

41 Sane in concessione eiusdem regni Siciliæ & dictæ terræ citra pharum, præfato Carolo I. Regi Siciliæ facta, super capitulo præstationis iuramenti fidelitatis & ligij homagij, Romano Pontifici faciendorum seu præstandorum, continetur expresse, quod idem Carolus Rex Siciliæ verum & legitimum vassallagium faciens ecclesiæ Romanæ pro regno prædicto & tota terra, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ; ciuitate Beneuentana cum toto territorio, districtibus, & pertinentijs suis excepta, fidelis & obediens esset B. Petro & Romano Pontifici, &c. vt in iuramenti capitulo continetur; & quod huiusmodi homagium ipse & heredes sui facerent & iuramentum fidelitatis præstare secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia foret, infra sex menses; si vero eum extra Italiam esse contingeret, infra annum post dicti regni adeptum dominium teneretur: & quod singulis successoribus & eidem Romanæ ecclesiæ renouaret tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum. Continetur etiam in dictis conuentionibus, videlicet in præfato capitulo solutionis & cessationis census, quod ab eodem Carolo I. Rege pro toto generali censu ipsorum regni & terræ octo millia vnciarum auri ad pondus ipsius regni in festo B. Petri, vbicumque Romanus Pontifex esset, ipsi Romano Pontifici & Romanæ ecclesiæ annis singulis soluerentur. Si vero ipse vel sui in ipso regno heredes quocumque termino non soluerent integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfacerent, eo ipso forent excommunicationis sententia innodati: quod si secundo termino infra subsequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persoluerent, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta ecclesiastico essent supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos mẽses proximos per plenam satisfactionem illius eiusdem census sibi ducerent consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino & duobus proximo subsequentibus mensibus non esset de octo millibus vnciarum huiusmodi primi termini ipsi ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem regno et terra ipso iure caderent ex toto, et regnum ipsum et terra integre et libere reuerterentur ad Romanam ecclesiam prælibatam. Si autem de censu octo millium vnciarũ huiusmodi primi termini infra dictos tertium terminum, et duos subsequentes menses plenarie * satisfacerent, seu pro singulis octo millibus vnciarum singulorum terminorum simili modo in eorum solutione cessarent, vel illa non soluerent, similes pœnas incurrerent, saluis alijs pœnis et processibus, quæ vel qui de iure inferri vel haberi possent per Romanum Pontificem in hoc casu. Dicti quoque nuncij eiusdem Frederici promiserunt, quod idem Fredericus huiusmodi capitula et omnia et singula contenta in præfatis conuentionibus habitis inter eandem Romanam ecclesiam et præfatum Carolum I. Regem Siciliæ tam affirmatiue quam negatiue, seu in faciendo seu non faciendo consisterent, prout contingebant dictum Fredericum, et contingere poterant, tempore vitæ suæ compleret integre, et inuiolabiliter obseruaret. De quibus omnibus & singulis, complendis integre & obseruandis inuiolabiliter per Fridericum iam dictum, dicti nuntij, ad hæc plenam potestatem habentes, in animam eiusdem Friderici præstiterunt ad sancta Dei euangelia iuramentum.

Quæ conuenta inter Carolum I. & ecclesiam fuerint firmata.

* non

Vt Fridericus ad eadem officia se obstrinxerit.

42 Porro, sicut nobis & fratribus nostris certum reddit indubia & notoria certitudo, idem Fredericus nec eidem prædecessori Ioanni, dum vixit, nec nobis postquam diuina prouidentia fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, iuramentum fidelitatis præstitit, nec ligium homagium fecit iuxta reformationem conuentionis & capitula supradicta, nec etiam toto apostolatus nostri, nec antea dicti Ioannis prædecessoris tempore per multos annos præfatum censum trium millium vnciarum, prout secundum præfatam reformationem, conuentiones, & capitula arctabatur, soluere curauit ecclesiæ memoratæ: propter quæ eo ipso fuit excommunicationis vinculo innodatus, dictaque insula ecclesiastico supposita interdicto; ac nihilominus ab omni iure & beneficio dictarum conuentionum, & tenutæ dictæ insulæ & aliarum insularum sibi adiacentium ex toto cecidit ipso iure.

De multiplici illius in ecclesiam periurio.

Rursus Fredericus præfatus ecclesijs eiusdem insulæ Siciliæ non restituit bona & iura earum, sicut illa habuerant & tenuerant ante tempus & tempore rebellionis præfatæ: sed dicta bona per se & alios sibi adhærentes occupauit, & occupata detinere præsumpsit vsque ad obitus sui tempus, & alias contra priuilegia, libertates, & immunitates eorum, a sacris canonibus eis concessa, multa eisdem ecclesijs grauamina irrogauit. Terram quoque regni eiusdem Regis Roberti positam citra pharum, dum per aduentum quondam Henrici Romanorum Imperatoris ad partes Italiæ prosperioris & potentioris fortunæ arridere sibi sperasset auspicia, cum dicto Henrico, eiusdem Roberti Regis publico inimico, inito & firmato conspirationis fœdere, inuadere, ac ciuitatem Rhegij & nonnulla alia castra dicti Regis, in confinibus Calabriæ ac terra, vtique dicti Regis posita citra pharum constituta, insperato & inopinato hostili, quinimmo insidioso congressu violenter occupare & detinere diutius occupata præsumpsit; pacem inter dictum Robertum Regem & eum firmatam, & conuentiones alias iuramento

Non seruatis ab eo fœderis legibus.

Vt armorum societatem cũ Henrico aduersus Robertũ pepigerit.

Inuaserit Calabriã.

 val-

vallatas, non absque reatu periurij, temere violando.

Ludouico Bauaro se coniunxerit.

43 Ludouico quoque de Bauaria, hosti Dei & ecclesiæ manifesto, ac per processus eiusdem prædecessoris Ioannis pluribus & diuersis excommunicationis sententijs cum suis participibus & fautoribus innodato, & de crimine hæresis & schismatis condemnato, tam in Vrbe quam in diuersis alijs partibus, prout notoria facti euidentia docuit, & fere notum reddit toti mundo, publice adhærere; & ad eum, tunc morantem in Vrbe, Petrum primogenitum suum cum non modico stolio galearum temere & damnabiliter destinare præsumpsit, faciens per præfatum Petrum in eius progressu, quem fecit ad Ludouicum præfatum, & regressu ciuitates, loca, & castra eiusdem Roberti Regis, citra pharum consistentia, & nonnullas etiam alias ciuitates & loca terrarum eiusdem Romanæ ecclesiæ hostiliter inuadi, & per hominum cædes, spolia, rapinas, atque incendia nequiter deuastari; ex quibus pœnas & sententias in fautores, auxiliatores, & valitores Ludouici præfati, & adhærentes eidem, vel sibi præstantes auxilium, consilium, vel fauorem per processus eiusdem Ioannis prædecessoris, nec non in hæreticorum fautores, tam a sacris canonibus, quam legibus promulgatas, noscitur incurrisse. Ex quibus etiam eundem Fridericum cõtra reformationem & conuentionem præfatas, iuramento vallatas, publicos hostes dictæ ecclesiæ nõ habuisse pro hostibus, sed amicos, & amicos ac deuotos eiusdẽ ecclesiæ pro inimicis habuisse, ostendit ex suorum operũ euidentia manifeste. Ex quarum etiã reformationis & conuentionũ, quæ iuramenti vinculo fuerant roboratæ, violatione multiplici, vt præfertur, idem Fredericus non solum fuit notatus infamia, verum etiam omni emolumento priuatus, quod ex reformatione & conuentionibus illis fuerat consecutus: quæ quidem omnia adeo sunt nobis & dictis fratribus nostris notoria, quod nulla possunt tergiuersatione celari.

Bellum contra se mouerit.

Exciderit ipso Trinacriæ vsufructu iure.

44 Nec omittendum duximus, quinimmo in exaggerationem suarum culparum prouidimus referendum, quod olim in promotionis nostræ primordijs ad pacem apostolicæ dignitatis attendentes, eiusdem Frederici excessus & culpas, sine pœnitentiæ salutaris remedio per longa tempora continuatos, iugiter nouorum coaceruatione culparum in diuinæ maiestatis offensam & eiusdem ecclesiæ scandalum augmentari; ad Fredericum eundem literas nostras, ac venerabilem fratrem nostrum Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem, virum vtique prouidum & consilij maturitate pollentem, personaliter duximus destinandos; per easdem literas præteritas suas offensas & culpas, & multas alias per succedentium temporum decursiones prædictis grauiores adiectas; tam in violatione pacis prædictæ reformatæ per sedem eandem, quam in fractione treguarum per eundem Ioannem prędecessorem inter dictum Robertum Regem & præfatum Fredericum indictarum (propter quod idem Fredericus excommunicationis sententiam in infringentes treguas ipsas per eundem prædecessorem prolatam incurrerat, & prædicta insula Siciliæ & aliæ insulæ sibi adiacentes suppositæ fuerunt ecclesiastico interdicto) non ad certiorationem ipsius, cum de culpis proprijs esset certus, sed potius ad suorum recognitionem errorum, eiusque conuersionem in melius, si forte cor ipsius tetigisset Dominus referentes: per hæc eum ad deuotionem eiusdem ecclesiæ & communionem fidelium & recognitionem dictorum excessuum & culparum reuocare, roris desiderijs affectantes; firmiterque etiam tunc sperantes, quod ipse per salubres monitiones & inductiones nostras, per dictas literas & præfatum archiepiscopum paternæ dilectionis affectu efficaciter sibi factas, deberet in hac parte per obedientiæ bonum & satisfactionis debitum Deum sibi exhibere propitium, placare eandem ecclesiam, ac saluti & honori suo salubriter prouidere; adijciendo in literis supradictis, quod si huiusmodi monitionibus & exhortationibus paternis acquiesceret cum effectu, & de præmissis omnibus satisfactionem debitam nobis & eidem ecclesiæ exhiberet, aperte cognosceret, nos & dictam ecclesiam adesse sibi, quãtum cum Deo possemus, fauoribus & auxilijs opportunis: alioquin pro firmo teneret, quod rata sustinere vlterius non possemus, quin procederemus debite contra eum, prout expediens videremus. Et licet dictus archiepiscopus eidem Frederico dictas literas assignasset, ac nihilominus super reductione ipsius ad deuotionem nostram & eiusdem ecclesiæ, & communionem fidelium per satisfactionem prædictorum excessuum & culparum salubriter, quantum in eo fuit, consilijs, inductionibus, & exhortationibus inducere laborasset; idem tamen Fredericus huiusmodi monitis interioris hominis non præstans auditum, nullumque conuersionis in melius votum ferens, nec pœnitens de commissis, sed voluntariam & obstinatam habena perseuerantiam in similibus committendis, nonnullas friuolas excusationes prætendit, per quas nitebatur ostendere, sibi prædicta cõmittere licuisse: cuius excusationes fuisse dolosas, continuata ipsius inobedientia, ac indeuotio & præmissorum incorrectio manifestant.

Vt ad resipiscentiã prouocatus monitis spreuerit.

Inanibus fucis colorarit flagitia.

45 Rursus Fredericus præfatus dictas reformationem & conuentiones & contenta in eis & iuramenta super ijs præstita, velut propriæ salutis oblitus, ducens penitus in contemptum, non absque nostro & eiusdem ecclesiæ dictique Roberti Regis præiudicio, sicut habet fidedigna relatio, eundem Petrum primogenitum suum de facto in Regem dictæ insulæ coronauit. Nec his contentus, de dicta insula Siciliæ, cuius in vita sua dumtaxat simplicem tenutam habebat, de facto testari, & in ea dictum Petrum heredem instituere, & alias institutiones & substitutiones descendentium & collateralium suorum facere, sicut percepimus ex multorum insinuatione, præsumpsit; nil aliud ex tali partu nequitiæ & testamenti reproba factione laturus, ve creditur, nisi vt eisdem ecclesiæ & Roberto Regi in posterum pareret obiectus, & taliter seminato guerrarum incendio, eundem Robertum Regem & heredes ipsius iniustis bellorum commotionibus fatigaret; quamuis de dicta insula, vtpote re aliena, a nostro & eiusdem ecclesiæ, dictique Roberti Regis nomine possessa, nulla testandi habuerit facultatem. Quod quidem testamentum, si est ita vt præfertur, ex abundanti quatenus de facto processit, quoad dictam insulam Siciliæ & alias insulas adiacentes eidem, reuocamus, annullamus, & irritamus omnino, ipsumque decernimus, prout est, nullum, cassum, vacuum, irritum, & inane.

Contra conuenta filium coronaredimerit aus.

Et testamento cõtra fas heredẽ scribere.

46 Nos igitur iustitiam nostram & ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, qui alios in sua iustitia confouemus; ac attendentes, quod pœnæ prædictæ, quas, vt præfertur, idem Fredericus incurrit, non solum eundem Fredericum, sed di-

dictum Petrum, eius primogenitum proprijs etiam iniquitatibus aduersus eandem Romanam ecclesiam, vt præmittitur, perpetratis per eum eiusdem insulæ & aliarum insularum prædictarum omni emolumento priuatos, aliosque natos & posteros eius afficere dignoscûtur; desiderantes quoque ad tanti executionem negotij tales deputare personas, quæ per circumspectionem prouidam, & prouidentiam circumspectam illius magnitudini debeant conuenire, quæue ea, quæ ipsis per nos & sedem committentur eandem, studeant exequi laudabiliter & prudenter; ad vos, quos per familiarem notitiam nobiscum fidelitate probatos, & consilij maturitate discretos, & de quibus propterea in ijs & alijs plenam & specialem in Domino fiduciam obtinemus, direximus oculos mentis nostræ. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad dictam insulam Siciliæ seu loca vicina, de quibus vobis expedire videtur, vos personaliter conferentes, cum prædicti excessus contumaciæ atque culpæ, aduersus nos & eandem ecclesiam Romanam commissi, per publicam euidentiam eorundem sint notorij, & nullius operæ examinationis indigeant; sed solum executionem pœnarum, quibus dicti Fredericus, Petrus, & alij eius heredes propterea sunt affecti, exposcere dignoscantur; eundem Petrum & alios natos seu heredes Frederici præfati auctoritate apostolica declaretis a iure dictæ tenutæ omnique, commodo & emolumento ipsius tenutæ eiusdem insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium ex præmissis tam in faciendo quam non faciendo commissis, vt clare superius enarratur, totaliter cecidisse: dictamque insulam Siciliæ & alias insulas sibi adiacentes ex ijs ad eandem Romanam ecclesiam fore reuersas, & per consequens alteri parti terræ Siciliæ citra pharū redintegratas & consolidatas existere ipso iure, & ad dictum Robertum Regem tanquam verum & directum feudatarium eiusdem ecclesiæ pertinere: ac nihilominus eundem Petrum & alios natos Frederici præfati, qui de facto post eiusdem Frederici obitum incubuerunt detentioni dictæ insulæ & aliarum insularum sibi adiacentium et incumbunt, dictasque insulas in dictorum Romanæ ecclesiæ et Roberti Regis Siciliæ damnum et præiudicium, et animarum suarum periculum detinent occupatas, auctoritate Apostolica, per vos, vel per alium, seu alios, si tute fieri poterit, personaliter vel per publicæ requisitionis edictum per vos solemniter præsente multitudine copiosa fidelium proponendum, diligenter et solicite requiratis et inducatis auctoritate prædicta; districtius præcipientes eisdem, quod prædictam Siciliæ et alias adiacentes insulas cum omnibus iuribus ac pertinentijs earundem præfato Roberto Regi Siciliæ, tanquam vero et directo feudatario nostro et eiusdem ecclesiæ, ac alij vel alijs eius nuntijs, quos idem Rex ad id duxerit deputandos, infra certum terminum peremptorium competentem, quem eisdem Petro et alijs natis eiusdem Frederici ad hoc duxeritis præfigendum, plene et integre restituant, et ea omnino dimittant, vel dimitti faciant, reuocatis omnino et exclusis omnibus, per quos dictas insulas ac ciuitates, castra, fortelitia, et alia bona ipsarum faciunt detineri; ipsa vacua, libera, et ab omni impedimento penitus expedita prædictis nuntijs eiusdem Regis Roberti totaliter dimittentes, nunquam vlterius dictam insulā Siciliæ, et alias insulas sibi adhærentes per se vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte occupaturi, vel ad eas preter voluntatē dictæ Romanæ ecclesiæ reuersuri; sic quod idem Robertus Rex eiusdem insulę Sicilię et aliarum insularum sibi adiacentium, ac ciuitatum, castrorum, fortelitiorum, et aliorum bonorum ipsarum possit libera, pacifica, et plena possessione gaudere.

Nuntij promulgare missi, insulam contra fas a Petro detineri.

Præceptū vt eandē restituat.

47 Omnes insuper, qui eidem Petro, vel ipsius nato, aut fratribus suis, vel alicui eorundem ratione dictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium iuramento tenentur fidelitatis astricti, a iuramento huiusmodi auctoritate apostolica perpetuo absoluatis, ac firmiter inhibeatis eisdem, ne quisquam deinceps eisdem Petro, & nato, ac fratribus ratione iuris cuiuslibet dictæ insulæ vel insularum sibi adiacentium, cum nullum ius eis competat in eisdem, pareat vel intendat. Quod si præfati Petrus & alij fratres eius nati eiusdem Frederici, ad huiusmodi requisitionem nostram infra prædictum terminum per vos præfigendum eisdem, præfatas Siciliæ & alias insulas ac ciuitates, castra, & fortelitia ipsarum cum omnibus iuribus & pertinentijs suis plene & integre non restituerint eidem Roberto Regi, seu nuntio vel nuntijs eius; ipsaque vacua, libera, & penitus expedita non dimiserint, vel dimitti fecerint, reuocatis & exclusis cunctis omnino, per quos detinentur prædicta; præfatos Petrum & fratres ipsius, & omnes consiliarios, fautores, auxiliatores, & valitores eorum, cuiuscumque dignitatis, etiam si pontificali, vel regali, vel qualibet alia præfulgeant dignitate, & alias singulares personas dictæ insulæ, qui vel quæ facto, verbo, consensu, auxilio, vel fauore quocumque culpabiles fuerint in prædictis, excommunicationis sententia percellatis, a qua nullus præterquam in mortis articulo ab alio, quam a Romano Pontifice, vel vobis seu vestrum altero possit absolutionis beneficium obtinere: & si aliquis de prædictis in mortis articulo a prædicta sententia fuerit absolutus, nisi postquam ad conualescentiam peruenerit, quamprimum commode poterit de ijs, pro quibus excommunicationem incurrit, satisfecerit, in eandem sententiam recidat ipso facto.

Soluti sacramēto fidei, qui in Petri verba iurauerant.

a Verum cum, crescente contumacia, pœna debeat augmentari, si præfati Petrus & fratres post decursum primum terminum, infra alium terminum competentem, quem sibi duxeritis præfigendum, in contumacia perstiterint supradicta; contra eos & quoscumq; alios; eis in dicta contumacia adhærentes, seu fauentes, vel præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis extiterint, etiam si pontificali aut quacumque alia dignitate fulgeant, ad pœnas alias spirituales & temporales, etiam priuationis dignitatum ecclesiasticarum & secularium, & feudorum & beneficiorum, quæ in dictis insulis obtinent & inhabilitationis personarum et alias grauius, auctoritate apostolica, qua plene vos in hac parte fungi volumus, procedatis sicut videritis expedire; non obstantibus quibuscunque priuilegijs, etc. Dat. Auin. IV. non. Iulij anno IV.

Et Petro, & sequacibus censuræ, ni pareant, obiectæ.

a Ibid. ep. 15. ad 46.

48 Instructi a fuit ijdem internuntij amplissimis prærogatiuis, vt impositum munus cum dignitate gererent. Traducere etiam ad Roberti Regis obsequium Trinacriæ populos blandis literis nisus est Benedictus, pollicitus Robertum illos regia clementia complexurum, restituturum veterem libertatem, quæ in Sicilia Guilielmo II.

Traducere ad Roberti partes Trinacrios nititur Bened.

Rege floruerat; nec non sanctiones Honorij IV. ad leuanda onera populorum latas, instauratum iri. Conceptæq; sunt eadem verborum formula ad Syracusanos, Agrigentinos, Panormitanos, Messanenses scriptę literę a. Adiungenda erat verbis armorum vis, ac Robertus Rex florentissimā classem ad redigendos ad officium Trinacrios immiserat, cui Pontifex his verbis est pridie kal. maij, gratulatus: *Accepimus quod tu sustitiam tuam, quinimmo S. R. E. cœlestis auxilij virtute suffultus aduersus indeuotos ecclesiæ & inuasores ac detentores insulæ Sicilia, ad eandem ecclesiam ac te & successores concessione eiusdem ecclesiæ pertinentis, intendis viriliter prosequi & potenter.* Vt felicius gereretur ea expeditio, quam Carolus dux Dyrrachij Roberti nepos erat docturus, concessit Pontifex, vt is princeps tum alij proceres ac tribuni portatili ara vterentur, in qua sacerdotes diuinam rem peragerent. Adiunctum Dyrrachino Nouellum e Baucio comitem narrat Io. Villanus b, sed tanto apparatui belli exitum non respondisse. Neque intestinarum dissensionum expers Neapolitanum regnum fuit, cum populi varias factiones sectarentur, c

a Ib. ep. cur. 41. 42. 43. 44.

Instructa a Roberto in Trinac. expeditio.

Præfectus illi Carolus Dyrrachinus, Ara subductiles permissa in castris, b Io. Villa. l. 11. c. 78. et 85. c Ead. l. c. 79. Ibi haud prospere gesta.

Concitare porro Petrum Regem Aragonum ad inferendum Roberto Regi bellum Iolanda Despina Græcorum despotę vidua, annitente missoque oratore discordiam verbis in Robertum atrocibus incendere moliente; Pontifex, vt malo occurreret, Aragonium Regem admonuit d, vt inter Aragoniam et Siculam stirpes fœdera arctissima inita fuerant, atque affinitatibus confirmata, ex quibus matrimonijs procreati erant principes, ac multę vtilitates in vtrumque regnum redundarant; nec Siciliç Rex quidquam aduersus Aragonios molitus vnquam fuerat: coleret itaque Roberti amicitiam, nec peruersis consilijs subornari se pateretur. Quibus literis xvi. kal. septembris dies adscripta.

Aragonius monetur ne Roberto bellū inferat. d To. 4. ep. secr. 263.

49 Fouendę quoque publicę pacis studio, cum belli discrimen inter Petrum Aragonum ac Iacobum Balearium Reges immineret; vocabat enim Petrus Iacobum, vt Aragonię aulę fiduciarium solemni ritu se profiteretur, Iacobus vero ab eo vehementer abhorrebat; Pontifex cum Petro Rege egit e, vt diem Iacobo indicere ad recurrens S. Ioannis Baptistæ natale festum insequentis anni, vel ipsius Petri accessum ad sedem Apostolicam, ad clientis nimirum officia Sardinię et Corsicę beneficio Romanæ ecclesiæ acceptarum nomine præstanda differret; cum maxime necessarium esset, vt Iacobus aduersus Garporum Regem, magnos bellicos apparatus instruentem, se compararet.

Balearis Aragonij clientem se profiteri refugit. e Ead. to. 4 ep. secr. 450. Quæstio Aragonum belli executatio.

Petro Regi Aragonum illustri.

Qualiter immanis hostis ille catholicę fidei, Rex Garporum videlicet, ad regnorum Hispaniarum exterminium et confusionem aspirans, se vt habet rumor implacidus et infestus, ad inuadendum et occupandum regnum Maioricarum et insulas adiacentes, in quibus viget cultus eiusdem fidei, conflatis viribus disposuerit et disponat, excellentiam tuam, fili charissime, credimus non latere. Cum autem charissimum in Christo filium nostrum Iacobum Regem Maioricarum illustrem ad resistendum hostis prędicti malitię regnumque suum in manu forti, sicut opus fuerit, defendendum multos, laboriosos, et sumptuosos facere oporteat, vt intelleximus, apparatus; magnificentiam regiam attentius deprecamur, quatenus premissis, quę non solum te, fili dilectissime, regnaque tua, quin etiam Reges alios Hispaniarum dignoscuntur contingere, consideranter attentis, a citatione seu vocatione dicti Regis Maioricarum, quam ad certum terminum fecisse occasione quarumdam recognitionum diceris, absque tui et sui iuris prçiudicio vsque ad instans festum natiuitatis B. Ioannis Baptistę, vel quousque ad nostram veniens pręsentiam nobiscum (qui super hoc vt intente et ipsum vnitatis et pacis fœdera, sicut exigunt iura sanguinis remaneant solida, partes nostras interponemus) hbetor colloquium habueris et tractatum, sic prompte et beneuole velis, pro nostra et Apostolicę sedis reuerentia suspendere vel differre, quod dictus Rex non impediatur super apparatu prędicto; nec scintilla discordię, quę vtrique periculosa esset, præsertim his temporibus, valeat quomodolibet suboriri. *Dat. Auin. xvi. kal. ianuarij anno iv.*

Garporū Rex Christianorū hostis.

Hispaniæ cupiditate imminet.

Aduersus illum Rex Balear. se munit.

50 Vt Petrum Regem facilius ad sua adduceret vota Benedictus, proceres Aragonios, ad quos regni consilia referebantur, Petrum scilicet principem comitem Ripacurtię Regis patruum, ac Petrum Cęsaraugustanum, et Arnaldum Tarraconensem archiepiscopos rogauit a, vt suam apud Regem auctoritatem adhiberent. Erumpebat enim ea inter Reges controuersia in bellum, in qua sequenti anno sopienda Pontificem occupatum videbimus, vt rei Christianę in graue discrimen adductę consuleret. Albohacenus enim Rex Marrochitanus cum Rege Granatensi ad inuadendas Hispanias bello se comparabat. Augebat barbarorum animos Christianorum dissensio, pacata namque omnino non erat Aragonia, et Castellę ac Lusitanię Reges acriter dissidebant: ad quos conciliandos missus anno superiori fuerat Bernardus Rutenensis episcopus A. S. N. adeoque apud eos perfecit b, vt inducię primum inter Reges feliciter initę fuerint ad natalitia Domini, de quo certior factus Pontifex Alfonso Castellę Regi est gratulatus c: eius vero socerum Alfonsum Lusitanię Regem est adhortatus d, vt inducias seruaret, seque compararet ad pacem firmandam: *Sic te*, inquit e, *filii benedictionis & gratiæ, super ijs habiturus, quod merito Rex dici debeas pacificus; & illam beatitudinem, quam veritas repromittit pacificis sub nomine Dei, filij mereris.*

a Ib. ep. secr. 451. 452. 458.

Pontificię pro conciliandis Hisp. curę. b Ep. 125. 195. 321. c Ib. ep. secr. 190. d Ep. secr. 191. e Ead. ep. 191.

51 Concitarat Lusitanum ad id bellum iusta indignatio, generum Regem Castellæ, habita ludibrio Regina Maria, pellicem Gusmaniam habuisse in delitijs, & ad regium pene fastigium euexisse. Vt itaque e voluptatum cœno Castellanum extraheret Pontifex, hisce literis f proposuit illi ob oculos quantum dedecus sibi ex adulterio apud homines pareret, quantum diuinam læderet maiestatem, in quanta denique pericula se ac regnum coniiceret.

Monita Castellano data. f Ib. ep. secr. 596.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Sane, fili dilectissime, dolemus super te grauiter; & afflicta prę angustia paterna viscera commouentur, dum te qui, sicut titulus exigit regiæ dignitatis, tam te ipsum, quam tuos subditos regere imperio rationis teneris & debes, ipsa succumbit ratio, seque non sine dispendiosis periculis subijcit voluptati, cum illam mulierem publice tenes concubinam & adulteram, & ei adhæres impudice, charissima in Christo filia nostra.. Regina vxore tua legitima derelicta quodammodo, & contempta. Vtinam, fili aman-

tissi-

tissime, regalis circumspectio diligenter attenderet, & reuolueret apertis rationis oculis intra præcordia mentis suæ, quam grauiter Regem æternum, cuius gratia solium regiæ dignitatis obtines, ex præmissis offenderis & offendis; quantamque maculam posueris in tui nominis gloria, detrahendo non modicum famæ tuæ longe lateque per orbem diffusæ, quam facis labijs obloquentium, proh dolor! plusquam posses forsan credere tua sublimitas, lacerari: Nam, etsi de quocumque catholico, quantumcunque in statu infimo constituto, per reatum adulterij dehonestante matrimonium a Domino institutum, irritetur Altissimus merito, de persona tamen sublimi, populis præsidente, prouocatur vehementius non indigne, cum peccatum illius redditur manifestius pluribus, qui exinde ad damnationis præcipitium impelluntur. Quid autem exinde vulgus non solum in regnis & terris tuæ ditioni subiectis, sed vbique per orbem de te clamet, attende fili quæsumus; & considera diligenter, si vox communis, quæ tantum Regem vociferat publice cum adulterum, & famæ claritatem obfuscat nominis regij, dulcis vel amara esse debeat in auribus cordis tui, cum non solum subditos inficit, sed hostibus fidei catholicæ tuis prædictis regnis & terris vicinis materiam deridendi & contemnendi, proh dolor! tribuat, sicut intelleximus, legem Dei.

Exposita criminis grauitas.

Exempli in subditos transfusi pernities.

Nec esse in hac parte credimus tuis rectis considerationibus omittendum, sed tibi potius terribiliter formidandum, quod quamuis diuina pietas, quæ omnes quærit saluos fieri, & neminem vult perire, ad pœnitentiam diutius peccatores expectet; quandoque tamen, cum demum conuerti renuunt, iugiter post sua peccata currentes, eos punit in quo peccauerunt, condignæ vltionis iudicium exercendo. Vnde visum & auditum est alias, quod magnates in tali perseuerantes peccato, prole legitima Dei iusto iudicio priuabantur. Colligi autem & ad memoriam reduci satis potest de facili, quot & quanta dispendiosa, & perniciosa pericula propter bastardos in illis partibus retroactis temporibus contigerunt. Rogamus igitur, &c.] addit preces, vt Reginam Mariam coniugali amore prosequatur, atque honorifice tractet. *Dat. Auin. xv. id. iunij anno iv.*

Dei misericors patientia.

52 Parere apostolicis monitis visus est Rex Castellæ, ac Benedicto ad iungendum cum Rege Lusitano socero fœdus paratissimum se exhibuit, atque arma in barbaros vertere decreuisse significauit: quem Pontifex ad bellum strenue aduersus Saracenos, qui ex ipsius discordijs insolescebant, instruendum hisce literis incendit. [a]

Redit ad officium Castellanus.

a Eod. to. 4. ep. secr. 322.

Benedictus, &c. Alfonso Regi Castellæ.

Fili charissime, quia respondendo exhortationibus & monitis nostris salubribus, de fonte charitatis, qua te velut benedictionis & gratiæ filium prosequimur, vtique manantibus, vt ad reformanda pacis & vnitatis fœdera cum charissimo, in Christo filio nostro Alfonso Rege Portugalliæ illustri tecũ, hostis humani generis procurante malitia, diffidente regium animũ inclinares, venerabilis fratris nostri Bernardi episcopi Rutenensis apostolicæ sedis nuntij, ad partes illas per nos propter hoc specialiter destinati, persuasionibus & inductionibus benigne acquiescendo, super his prudenter & deuote regia serenitas per literas prædictas obtulit se, sicut treugas cum Rege præfato [nimirum Lusitano] exhortationibus nostris obtemperando inierat, ad huiusmodi pacis & concordiæ tractatum adeo prompte ac beneuole condescendere rationabilem & decentem, quod merito possemus cognoscere qualiter tu, fili dilectissime, Rex esse vis & vocari pacificus, tuasque vires potentiæ aduersus Agarenos inimicos fidei catholicæ desideras exercere; nos ex his exultantes in Domino, & ei, qui cor tuum rore suæ perfudit gratiæ, sic illustrare dignatus est mentem tuam, laudis iubilum exoluentes; & exinde nihilominus magnitudinem regiam laudum & commendationum præconijs extollentes, regalem celsitudinem rogamus attentius in Domino & hortamur, quatenus rectum huiusmodi conceptum & a Domino inspiratum spiritum sic accendas, quod cursus præsumptuosi fastus & superbiæ, quem prætextu dicti diffidij ascendisse creduntur infideles prædicti, Christianorũ sitientes sanguinem, & ad tuum & Regis præfati exterminium aspirantes, non solum deprimatur, sed potius per tuam & memorati Regis potentiam, inuicem reformata concordia, dilaceretur penitus & frangatur, & in illis partibus per tua gesta magnifica dilatetur cultus fidei orthodoxæ, vt sicut claræ memoriæ progenitorum tuorum clarum nomen tuum exaltetur in gentibus, & tandem in retributione iustorum coronam regni merearis percipere sempiterni. *Dat. Auin. iv. non. octobris anno iv.* Scriptis eodem die ad Alfonsum Regem Lusitaniæ literis ipsum hortatus est, [a] vt cum genero firmam pacem sanciret, ac tum Reginam Beatricem [b] pluresque proceres [c], vt in id summo studio incumberent rogauit: iterumque anni exitu vtrique Regi acriores stimulos ad fœdus illud optatum redintegrandum, armaque socialia in barbaros imminentes coniungendi auctor extitit [d]. Et quidem feliciter inter Petrum Aragonum, Alfonsum Lusitanum, Alfonsumque Castellanum Reges percussum ad retundendos Saracenos fœdus, Surita testatur [e]: quare de re sequenti anno sermo recurret. Bernardus vero episcopus Rutenensis, cuius industria strenue in tanto opere desudarat, cardinalitia purpura, vt dicetur, extremo hoc anno ornatus est. [f]

Arma in Saracenos vertere cogitat.

Ad id consilium vrgetur.

a Eod. to. 4. ep. secr. 324.

b Ib. ep. secr. 326.

c Ep. 323. 325. 327.

Iniitum fœdus inter Hispaniæ Reges.

d Ep. 448. 449.

e Sur l. 7. c. 46.

f To. 4. ep. secr. 444.

53 Neque externis modo bellis cum finitimis Christianis Regibus finem posuit Castellæ Rex imminentium barbarorum metu, sed intestinas etiam dissensiones pacare studuit, Ioannemque Manuelis principis filium in gratiam admisit, auxitque honoribus. Cui Benedictus gloriosum victoriæ genus in vincendo clementia hoste retulisse, est gratulatus [g]: *Tu, inquit, quidem prudenter considerans & attendens, quod per clementiam vincere gloriosum victoriæ genus in principibus reputatur, dilectum filium nobilem virum Ioannem Manuelis natum recolendæ memoriæ Manuelis infantis, qui dudum satore discordia, humanæ quietis & salutis æmula procurante a gratia regia separatus, te plerumque grauiter offenderat; ad gratiam huiusmodi per tuam benignitatis & mansuetudinis, remissis clementer culpis & offensis præteritis, & expulsis de corde regio rancorum odijs reuocasti, eum ad tua beniguius obsequia nihilominus admittendo. Hæc siquidem a Rege supremo, qui suam omnipotentiam parcendo & miserando maxime manifestat, tibi fili dilectissime inspirata diuinitus, ad illius cedant beneplacitum, tuique commodi, famæ & honoris augmentum, &c. Dat. Auin. xv. kal. septembris anno iv.* Hactenus de turbis Hispanicis: iam funesta Anglorum & Francorum bella aggrediamur.

Pacatæ intestinæ dissensiones.

g Ib. ep. 284.

Solicitat ad clementiam Castellæ Rex

Ad

De Anglico in Gallijs bello.

54 Ad discutienda imminentia rei Christianæ luctuosissima mala Benedictus superiori anno Petrum Hispanum, & Bernardum e Monte Fauentio Cardinales ad Francorum & Anglorum Reges conciliandos transmiserat; eumq; Philippus Rex se ad pacem redintegrandam paratum offerret, circa huius anni initia in Angliam nauigarũt; quibus de felici traiectu Pontifex gratulatus est a. At auersos a pacis consilijs Anglos reperere. Queritur Vvalsingamus b, ipsos Francorum magis studuisse quam Anglorum Regi, atque in præsulum conuentu Cantuariensem archiepiscopũ ijs se opposuisse; deinde disseminatum in Anglia rumorem, Eduardum in Gallicum sceptrum potiora quam Philippum iura contendere: ferturque eam Eduardi animo ambitionem insudisse transfugam Robertum Attrebatensem. Subornarunt c mox Angli Flandros, pulsusque est Ludouicus comes a Iacobo Arteuelda, qui tyrannidem arripuit. Concitato in rebellionem aduersus Philippum Regem Belgio, atque Germania d ad conspirationem magna vi auri adducta, cum Ludouicus Bauarus ad principes magis commouendos, præter Anglorum ingentia proposita stipendia, in pluribus solemnibus conuentibus iactaret, se Francorum Regis inuidia ab ecclesiæ gratia repulsum, imperij iura ab eo occupata, atmisque vindicanda, nec bello discessurũ e nisi in Gallias victor irrupisset, Eduardus f Rex vigesimo secundo iulij Antuerpiam trecentarum nauium classe vectus, plurimoque auro atque amplissimo exercitu instructus applicuit.

Card. legati in Angliam pergunt.

a Ib. ep. secr. 249.

b Vvalsing. in Ypodig. Neustr.

Eduardus Gallicum sceptrum affectat.

c Io. Vill. l. 11. c. 81. Vvalsing. ubi supr. Paul. Aemil. Meyer. l. 12. Froissar. l. 1. & alij.

Subornati ab eo Flandri.

Bauarus in Gallia conspirat.

Angli in Belgium aduentus.

d To. 4. ep. secr. 130.

e Ibid.

f Io. Vill. l. 11. c. 83. Froissard. Meyer. Vvalsing. Paul. Aemil. ubi sup. & alij.

55 Audito eius aduentu Benedictus, cum bellum atrox Galliç imminere prospiceret, Philippum Regem ad diuinum implorandum præsidium excitauit, atque adeo ad adipiscendam diuini Numinis gratiam, ac tollenda omnia, quæ illius læderent maiestatem; pacandam conscientiam, ne intus bellum gereret, absistendum ab ecclesiasticorum & inopum oppressione, denique vt pacis vel induciarum honestas leges, admitteret, consuluit g; cum enim in eo bello plurimus sanguis Christianus spargendus esset, coram diuino tribunali atque etiam apud homines ab omni illius effusi crimine purus appareret: ne spem in virium potentia sed in diuina virtute collocaret; se vero cum vniuersa ecclesia Deo preces pro ipso porrecturum.

Monita a Pont. Gallo data.

g To. 4. ep. secr. 272.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Non sine mentis amaritudine, doloreque cordis audimus nimio, qualiter tui, fili charissime, hostes & æmuli ad tuam & regni tui offensionem, conglobatis in multitudine magna viribus, se disponont. Sane quia nescitur quo Dei occulto iudicio huiusmodi procellarum & turbinum tempestates insurgunt, ad eum, qui dormiens in mari discipulorum mergi timentium precibus excitatus imperauit marinis intumescentibus fluctibus, & eius imperio facta tranquillitate prospera quieuerunt, essa cum sinceritate deuotionis & fidei credimus principaliter recurrendum, vt ipse, qui pacis est auctor & humanæ salutis amator, si forsan prouocatus peccatis extiterit, suam misericorditer indignationem auertens, procellosos dissensionum & guerrarum turbines in auram optatæ pacis & tranquillitatis conuertat. Vt autem preces effundendæ super ijs ante thronum diuinæ clementiæ offerantur confidentius, & pro te, fili dilectissime, regnoque prædicto exaudibiliores in auribus Altissimi possint credi; magnitudini regię paternis & charitatiuis affectibus suadeimus, vt in domo propriæ conscientiæ pacem stabilias & cõfirmes, ne remorsus peccati alicuius, diuinæ maiestatis oculos offendentis, eam aggrauet, vel bellum in ea tibi moueat intestinum. Et quia ecclesiarum & personarum tam ecclesiasticarum, quam secularium, maxime pauperum, oppressiones indebitæ Deum offendunt, proculdubio grauiter eum, qui iustitiam, misericordiam, et veritatem diligit, ad iracundiam nihilominus prouocando, videat et circumspiciat, quæsumus, regalis prouidẽtia diligenter, si per se aut eius officiales et ministros in regno eodem oppressiones huiusmodi sint illatæ, et eis, quos oppressos minus iuste repererit, sic pie, misericorditer, et benigne prouideri de remedio faciat opportuno, quod placato Domino, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia, gratiam et benedictionem diuinam assequi merearis vberius non indigne.

Hortatur, vt ad Deũ perfugiat.

Mundet omni noxa animũ.

56 Rursus admodum expediens, considerata præsentis qualitate temporis, existimatur, quod si pacis vel treugarum tractatus, aut earum seu alterius ipsarum finales offerantur effectus, qui rationabiles vel tolerabiles reputentur, celsitudo non respuat regia, nec similes etiam offerre, sicut fuerit opportunum, omittat, vt te, fili, velle vitare innoxij effusionem sanguinis, et amplecti pacem, charitatem, et concordiam per hæc euidentius attesteris, et eiusdem pacis dulcedine, si eam Dominus dederit, spiritualiter et temporaliter perfruaris; alias autem, cum per te non steterit, habearis merito in conspectu Dei et hominum excusatus. Demum vero, ponens ante oculos mentis tuæ, quod in exercitus multitudine non est victoria, sed de cœlo fortitudo consistit, et quibus vult, cum paucis etiam Dominus victoriam impertitur, non in tua et tuorum potentia, sed in Dei virtute cõfidas, anchoram spei et fiduciæ tuæ, agendo tamen magnanimiter et viriliter, in eo semper ponens. Speramus igitur in Domino, quod si huiusmodi monitis et persuasionibus nostris, de fonte charitatis vtique prodeuntibus, acquieueris effectualiter in hac parte, ipse qui cor contritum et humiliatũ non despicit, sed potius eleuat et exaltat, tibi præsidijs opportunis propitius super tuis agendis assistet; maxime cũ ab hostibus fidei, et sanctæ matris ecclesiæ rebellibus impugneris. Nos quoque, qui tuam et regni prædicti salutem et statum prosperum appetimus, preces deuotas super præmissis cum sancta Dei ecclesia effudimus et etiam effundemus, prompti quantum cum diuino beneplacito, ac honore Dei et ecclesiæ poterimus, ad ea, quæ tuum et regni prædicti commodum respicient et honorem. *Dat. Auin. v. id. augusti anno iv.*

Ad inducias pacẽue promptus sit.

Spem victoriæ in Deo collocet.

57 Incubuit eo maiori ardore Benedictus ad tentandam inter Francorum et Anglorum Reges concordiam, quo ij ad pugnam instructi procurrebant: Philippo enim atque Eduardo grauissimis literis, quibus adiecta x. kalend. augusti dies, datis proposuit ob oculos a, quam nefarium et horrendum esset, Christi domini sanguine redemptos homines in mutuas cædes consurgere: cum maxima sanguine essent coniunctissimi. Tum subijcit in literis Philippo missis: *Videtur nobis, quod multum tibi & dicto Regi ac vtriusque regno foret expediens, si per te pro parte tua aliqua vel aliqua sufficientes eligerentur personæ; & per dictum Regem Anglorum similiter personæ assumerentur idoneæ, potestatem habentes, inter te & dictum Regem exortas controuersias & discordias prouidis & salubribus consilijs terminandi*; quæ etiam ad

Carpitur ob immissas sacras opes.

a To. 4. ep. secr. 270. 271.

Proposita a Pont. inter Reges cõcordiæ rationes.

Re-

Regem Anglorum munita ſcripta ſunt. Vrgebant illum pacis tractatum Cardinales legati Petrus tit. S. Praxedis presbyter, & Bertrandus S. Mariæ in Aquiro diaconus Cardinales a iuſſu pontificio b: quibus demum Imperia data c x. kal. decembris, vt cum concordiæ ex eo tractatu oriundæ ſpes euaneſceret, proponunt vtriq; Regi Pontificem componendę controuerſiæ prouinciam admiſſurum: *Quia*, inquit, *reformatio pacis inter Reges præfatos mutua non ſolum Regibus ipſis ac eorum regnis & ſubditis, ſed toti Chriſtianitati multipliciter accommoda inſidet admodum cordi noſtro, & eam intenſis & ardentibus deſiderijs affectantes, deuotis & inſtantibus precibus a Domino poſtulamus pro ea non reſpueremus anxios & intolerabiles etiam ſubire labores: propter quod præmiſſis vobis alias ſcriptis, vt præfertur, non obſtantibus, nos cum illius auxilio, qui vera pax eſt, ſuſcepturos labores huiuſmodi ſi, quando, & prout honori noſtro & eccleſiæ, ac vobis, & negotio, de quo agitur, expedire præuia deliberatione cognoueritis, offeratis. Dat. Auin. xv kal. decembris anno 1v.*

a Ib. ep. ſecr. 271.
b Ib. ep. ſecr. 311.
c Ib. ep. 309.

Pontifex ſe pacis arbitrum offert.

58 Deſudarunt Cardinales nuntij pro coniungendo inter Reges fœdere in conuentu Atrebatenſi, de quo meminit Meyerus d, atque a Philippo Rege archiepiſcopum Rothomagenſem, Lingouenſem & Bellouacenſem epiſcopos miſſos addit; ab Eduardo vero Cantuarienſem archiepiſcopum, ac Lincolnienſem & Dunelmonſem epiſcopos, præfuiſſeque Cardinales legatos; nec tamen pacem conciliari potuiſſe: neque enim ignobilia Aquitaniæ oppida Anglum, ſed nobiles prouincias repetijſſe ferunt. Quod ad Eduardi in Germaniam ex literis pontificijs profectionem attinet; Ioannes Villanus ac plerique auctores teſtantur e eo ſe contuliſſe, vt a Ludouico Bauaro vicariatum, vt vocant, imperij excepta Italia acciperet; idque etiam increpatoriæ ad Eduardum datæ literæ demonſtrant f, quibus illum obiurgat Benedictus eo nefario facinore & regiam obſcuraſſe dignitatem, & cenſuris eccleſiaſticis alijſque pœnis grauiſſimis ſe irretijſſe; Ludouicum Bauarum inuaſorem eſſe imperij, neq; vlla in eo iura obtinere; ac licet vt ab impio fœdere diſcederet, admunitus iāpridem antea fuiſſet, apoſtolica tamen iuſſa protriuiſſe. Iactas præterea de nimio in Regem Francorum ſtudio querelas retringit, hortaturque, vt titulum vicarij regio indignum faſtigio deponat: ac denique, ni paternis monitis morem geſſerit, ſeueritatem in eum ex officij religione ſe diſtricturum.

Atrebati agitata pax.
d Meyer. hiſt. Flan. l. 12.
Irrito exitu diſcuſſa.
Eduardi in Germ. profectio.
e Io. Vill. l. 11. c. 83. Alb. Arg. in chron. geſt. Bened. apud Boſq. Thom. Vvalſig. Paul. Aemil. in Phil. IV. Froſſard. hiſt. l. 1. Meyer. l. 12.
Vicarij cæſarei nomen accipit a Bauaro.
f To. 4. ep. ſecr. 380.

Chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

59 Dudum te, fili chariſſime, clara imitari veſtigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & ſacroſanctam Romanam eccleſiam, velut peculiares eius alumni & deuoti filij, plenitudine deuotionis & fidei claruerunt, tuamque ſplendorem proſapiæ a quauis obfuſcatione nebuloſi contagij præſeruari, eamque in te prælucere clarius cupientes; ex paternæ charitatis & dilectionis affectu, quo te ſtatumque tuum proſequimur, noſtras tuæ celſitudini literas direxiſſe meminimus, inter cætera recenſentes, qualiter exceſſus per nobilem virum Ludouicum de Bauaria, olim vt aſſerebatur, diſcorditer in Regem Romanorum electum, aduerſus Deum & eandem Romanam eccleſiam, ac felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum per coaceruationem multiplicium & atrocium offenſarum nequiter perpetrati, tuum præteriſſe nequibant auditum: quos, velut toti mundo notorios, non omnes, cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitiſſet, ſed ex eis aliquos in eiſdem literis prouidimus, vt ſequitur, recitandos.

Corripitur a Pōt.
Propoſita Ioannis edicta in Bauari ſtudioſos.

Idem namque Ludouicus contra proceſſus prædeceſſoris eiuſdem et inhibitiones ipſius, de cunſilio fratrum ſuorum eiuſdem Romanæ eccleſiæ Cardinalium factos et habitos, diuerſas ſpirituales et temporales pœnas et ſententias continentes, intrauit Italiam, et nonnullos hæreticos, de hæreſi publice et notorie condemnatos in conſortium publicæ participationis admiſit, tenens et aſſerens hæreſes manifeſtas, ac fouendo, ſecumque tenendo hæreticos publice dogmatizantes prædictarum hæreſum deteſtabiles et horrendos errores; hæretica quoque dogmata ſcienter immo potius dementer approbans, et in euidentiam approbationis huiuſmodi ea per diuerſas literas ſuo noto ſigillo munitas deduxit in aliorum publicam notionem. Sibi etiam nomen imperiale poſtmodum vſurpare, et adminiſtrare iura imperij in eadem Italia et Alamannia contra proceſſus et prohibitiones prædictos deteſtabili temeritate præſumpſit, ex ijs, præter pœnas alias, excommunicationis et anathematis ſententias incurrendo.

Vt idem Bauar. hæreſim ſit profeſſus.
Imperiū contra fas corripuerit.

60 Et tandem auſus auſibus, et exceſſus accumulando exceſſibus, ſe conferre non expauit ad Vrbem, vbi in illam nequitiæ prorupit inſaniā, vt meditatus Vrbi et orbi vniuerſalis ſchiſmatis ſuſcitare diſpendium, quendam hypocritam, diabolicæ præſumptionis virum, nomine Petrum de Corbaria, velut abominationis horrendæ ſimulacrum in Apoſtolica ſede pro Romano Pontifice ſtatuere moliretur, idque quantum in eo fuit, produxit in actum, et eum fuit veneratus vt Papam; conſecrationemque, immo verius execrationem, ac diadema imperiale de facto recepit ibidem, vt de multis alijs inſanis proceſſibus, quinimmo deteſtandis exceſſibus, per eoſdem Ludouicum et Petrum præſumptione perpetratis hæretica, taceatur. Propter quæ dictus prædeceſſor præfatum Ludouicum fore a Domino denunciauit omni dignitate et honore priuatum, et ipſe in eum, tantarum hæreſum et ſchiſmatum maculis irretitum, exerens gladium apoſtolicæ poteſtatis, eumque cum omnibus, qui adhærerent eidem, vel præſtarent auxilium, conſilium, vel fauorem, ſeu pro Romanorum Rege aut Imperatore ſcienter haberent, tenerent, vel nominarent eundem, non ſolum excommunicationis et anathematis, ſed etiam alias pœnas et ſententias tanquam in fautores, auxiliatores, et valitores hæretici et ſchiſmatici promulgauit, et a iure declarauit prolatas, ſicut in diuerſis proceſſibus, per præfatum prædeceſſorem habitis, ſerioſius continetur. Super quibus quidem pœnis, quantumcumque per ipſum Ludouicum prometitis, et in eum iuſto eccleſiæ iudicio promulgatis, ſi vere pœnitens ſe habilitaſſet ad gratiam, benignam reperiſſet eandem eccleſiam, quæ ipſum tanquam filium prodigum, de longinquo redeuntem ad ſuum gremium, apertis brachijs recepiſſet, immolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum ſaginatum.

Schiſma conflarit.
Nefaria edicta ediderit.
Vt ob hęc Ioannes Ludouicū ac ſequaces damnarit.
Vt Lud. vere pœnitens nōdum extiterit.

61 Rurſus adiecimus in literis ſupradictis, quod quamquam tam prædictorum exceſſuum, quam eorundem proceſſuum per dictum prædeceſſorem contra dictum Ludouicum, exigente iuſtitia, poſtmodū habitorum, notitiam habuiſſemus

mus et etiam habeamus; vt tamen ipsum a peccatorum nexibus liberatum de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, diuersos nuncios eius diuersis vicibus et temporibus ad nos missos receperamus benigne, ac pro reconciliatione ipsius per fructum veræ pœnitentię promouenda, prolocutiones varias habueramus cum eis, et tunc pendebat etiam ad proloquendum vlterius terminus assignatus: in quo proculdubio per nos non stetit, quominus vlterius fuerit super negocio reconciliationis eiusdem processum.

Sæpius monitus sit officij.

62 Quare, fili dilectissime, serenitatem tuam requirendam tunc duximus per easdem literas et rogandam, vt prudenter aduertens, et in scrutinium internæ considerationis adducens grauitatem pœnarum, in quas inciderant, et sententias quas incurrerent; quantisque se periculis et discriminibus implicarent, qui præfato Ludouico, sic publice et notorie de prauitatibus hęresis, et sic odiosi toti Christianitati schismatis condemnato, antequam reconciliationis gratiam eiusdem ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, sibique impenderent consilium, auxilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori aut Regi Romanorum reuerentiæ cultum, seu titulum regalis vel imperialis nominis assignarent scienter; a cuiuslibet participationis fœdere, contrahendo cum ipso et exhibitione reuerentiæ, et honoris sibi tanquam Regi vel Imperatori, quousque dictus Ludouicus reconciliationis eiusdem ecclesiæ meruisset gratiam obtinere, penitus te retrahere, et totaliter abstinere curares, vt tibi famæ integritas, ea illibata tui generis claritas seruarentur.

Vetitus Anglus nondum ecclesiæ conciliato adhærescere.

63 Cum autem rumor implacidus admodum et infestus ad nos perduxerit his diebus, quod tu, fili, requisitionibus et rogaminibus nostris huiusmodi, vtique salubribus et de fonte prodeuntibus charitatis, non sine detrimento tuæ salutis, et famæ (quod dolentes referimus) obauditis, non solum cum prędicto nondum eidem reconciliato ecclesiæ, nec a pœnis & sententijs, quibus propter præmissa & alia multa grauia commissa per ipsum implicatus esse noscitur, liberato; nec etiam processibus sæpefati prædecessoris, per quos, vt præmittitur, aduersus omnes & singulos cuiuscumq; præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel status, etiam si pontificali, regali, vel quacumque alia ecclesiastica seu mundana dignitate fulgerent, præfato Ludouico adhærentes, seu præstantes directe vel indirecte, publice vel occulte consilium, auxilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori aut Regi Romanorũ reuerentiam exhibentes seu titulũ regalis vel imperialis nominis assignantes, seu ascribentes, graues spirituales & tẽporales pœnæ ac sententiæ infliguntur, nequaquam relaxatis, immo in sui roboris efficacia perdurantibus, participationis confœderationes inire, sibique adhærere, ac præstare fauorem, consilium, & auxilium præsumpsisti: immo (quod perniciosius, proh dolor! & damnabilius noscitur existere) si veritas relatibus suffragetur, vicariatus officium per totam Alamanniam & Germaniam, ac vniuersas & singulas earum prouincias siue partes, ab eodem Ludouico, sub imperialis nominis titulo, vt asseritur, suscepisti de facto, cum idem Ludouicus nec Rex, nec Imperator sit, vt præfertur. Cuius prætextu nonnullis prælatis ecclesiarum & personis ecclesiasticis in terris imperij constitutis, ac in nostra & ecclesiæ memoratæ deuotione ac fidelitate debitis persistentibus, sub pœnis grauibus per tuas eis literas comminatis, mandasse diceris, & districtius iniunxisse, vt ad te tanquam eiusdem Ludouici in Alamannia & Germania & partibus supradictis vicarium, audituri sententiarum & iudiciorum ipsius Ludouici, tuorumque mandatorum recitationem, ac præstituri eidem Ludouico vel tibi eius nomine recognitiones & homagia de terris, bonis, & iuribus, quæ tenent ab imperio, conuenirent.

Monetur patrati flagitij ex inito cum Bau. fœdere.

Ludouicũ nec Imp. nec Regẽ esse.

Eduardi iniquum edictum.

64 De te igitur, fili, vbi sit tua tuorumque consiliariorum prudentia, ex eo præsertim non sufficimus admirari, quod cum tu, sicut audiuimus, pro illorum repetitione iurium, quæ ad te asseris pertinere, non sine grandium personarum periculis, ac expensarum & sumptuum profluuijs, peregrinari ad partes Alamanniæ curaueris, & multos super hoc feceris apparatus; nunc spretis dictis eiusdem prædecessoris nostri processibus, ac deductis damnabiliter in contemptum, pœnis & sententijs supradictis, quibus te manifeste, si quæ nobis referuntur vera sunt, non absque horrenda nota, quæ non parum obfuscat tui claritatem generis, proculdubio implicasti. Et nihilominus; quamuis nos & ecclesia ipsa te nunquam offenderimus, nec contra te aliquid fecerimus (quamquam, vt intelleximus, falso & mendaciter suggestum tibi per eos, qui te, salutem, & honorem tuum minime diligunt, fuerit quod nos charissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Franciæ illustri in auxilium guerræ suæ ingentem pecuniæ quantitatem de nostra camera dederamus, quodque institutionem personarum ecclesiasticarum concesseramus eidem in omnibus ecclesijs regni sui; quæ omnimoda carere veritate noscuntur, talia namque nunquam postulata fuerunt a nobis, nec nos ea concessissemus quomodolibet, cum quantacumque instantia petita fuissent; nec decimas contra te Regi præfato Franciæ concessimus; sed aduersus Theutonicos Ludouico adhærentes prædicto, ipsiusque Romanæ ecclesiæ inimicos, qui ad inuasionem regni Franciæ se, vt habebat rumor publicus & notorius disponebant, sicut in concessione decimarum ipsarum continetur expresse: non fuit nempe intentionis nostræ aduersus te fomentum ministrare discordijs, vel ea alicuius subsidij administratione fulcire, quinimmo statum regni tui & etiam regni Franciæ pacis & concordiæ prosperitate & vnanimitate potiri summis desiderijs affectantes, ad hoc serenitati tuæ & dicto Regi Franciæ per nos sæpe directis literis & etiam nuncijs, videlicet sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus ad partes illas de latere nostro missis, votis ardentibus laborauimus, & laborare non cessamus nec cessabimus, vt inter te ac Regem eundem & vtriusque regna pacis & vnitatis serenitas illucescat) tu tamen, fili dilectissime, fide, vt videtur adhibita prædictis falsis suggestionibus & mendosis, te nostrum & eiusdem Romanæ ecclesię matris tuę constituendo persecutorem & hostem, inuadere ac occupare honores & iura nostra, & eiusdem ecclesię, ad quos regimen & administratio imperij Romani, eo vacante, sicut nunc vacare noscitur, pertinent pleno iure, moliris molestando pręlatos & personas ecclesiasticas, in nostra & ipsius ecclesię deuotione ac fidelitate debitis, vt pręmittitur, persistentes; ipsosque ad obedientiam dicti Ludouici de diuersis, vt pręmittitur, hęresibus & schismatibus, alijsque crimini-

Arguitur ecclesiam læsisse.

Mendacibus susurronibus dare aures.

Persecutorem se ecclesiæ promulgasse.

tutis

ni-

nibus sententialiter condemnati, ac iure regni & imperij, si quod ad eum forsan competierat, vel etiam competebat, iusto Dei & ecclesię iudicio priuati, ac pręstationem huiusmodi recognitionis et homagij sibi vel tibi eius nomine faciendam attrahere ac inducere coactinis impulsibus, et commonitionibus satagendo. Vtinam, fili, antequam te ijs tam periculosis & detestandis inuoluas amplius, attente consideres, et matura deliberatione pręuia constituas ante oculos mentis tuę circuitus periculosos, et nodosos laqueos, quibus te subtilibus ingenijs et fraudibus exquisitis aliqui, de suis potius quam de tuis soliciti negotijs et commodis, pręmissis inuoluere, tibiq; onus, quod a se quodammodo reijcere cupiunt, non nimis leue, si diligenter circumstantias attendis, imponere moliti sunt, et non sine periculo tui pręcipitij moliuntur.

Inuoluere se grauib' periculis.

65 Nec latere te volumus, quod præfatus prædecessor olim per quandam constitutionem, ab ipso de dictorum fratrum suorum consilio editam, in omnes & singulos, cuiuscunque status, dignitatis, vel conditionis existerent, etiamsi patriarchali vel quauis alia superiori, aut pontificali, vel regali dignitate fulgerent, qui absque sedis Apostolicæ licentia speciali vicarij seu cuiusuis alterius officij nomen in prædicti terris imperij, eo vacante, sicut tunc vacabat & nunc etiam vacat, vt præmissum est, assumere, vel assumptum vltra duorum mensium spacium retinere, seu dimissum reassumere quoquo modo; ac in obedientes, parentes, & intendentes eisdem excommunicationis et alias graues pœnas, et sententias promulgauit.

Contraxisse statutas Ioannis edictis pœnas.

66 Nos itaque, qui erga te, fili, claudere viscera paternæ dilectionis nequimus, & cordis dolore tangimur intrinsecus, cum talia percipimus ad tuum tuique honoris, status, salutis, & famæ dispendium machinari; tuam rogamus magnificentiam, requirimus, & in Domino attentius exhortamur, sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus ea quæ præmisimus, & alia quæ circa illa tibi possunt occurrere, deducens in rectæ deliberationis & discussionis examen; ac insuper tenens certius & attendens, quod dictus Ludouicus, vt præmisimus, nec Rex neo Imperator est, nec aliqua quæ ipse fecerit vel faciet quamdiu fuit & erit dictis processibus ac pœnis & sententijs irretitus, quicquam valuerunt, vel valent, nec sunt aut fuerunt alicuius auctoritatis, roboris, vel momenti; quodque tibi periculosum est, ac multipliciter formidandum, te bellorum subijcere discriminibus, maxime si esses supradictis processibus, pœnis, & sententijs, a quibus liberari non posses, nisi dumtaxat per sedem Apostolicam, quæ absolutionem eorum sibi expresse retinuit, inuolutus, ac Dei & eiusdem Romanæ ecclesiæ persecutor & hostis effectus (a quibus te misericordiarum Dominus protegat & defendat) consideransque præterea diligenter quod, licet humanum sit peccare, in peccatis tamen perseuerantia diabolica est censenda; te a præmissis & singulis sic horrendis deuijs, si ad illa forsan declinaueris serpentina deceptione seductus, antequam inualescant pernitiosius, seu in conspectu Dei & hominum fœteant deterius & putrescant, resilire penitus, pedesque tuos ad viam rectam, Deo placidam, ac tuis statui, saluti, & honori congruam, dirigere quantocyus non postponas, eorundem Cardinalium, qui te statumque tuum sincere diligunt, super reformatione pacis inter te dictumque Regem mutuæ, placibili Deo, & hominibus amabili acquiescens.

Præsumpta a Lud non valere.

67 Videtur equidem, quod, etiamsi prædicti processus, pœnæ, ac sententiæ * quibus, vt præmissum est, adhærentes dicto Ludouico ligantur, & absque Dei & ecclesiæ memoratæ a vero & catholico Imperatore, si esset, alicui valeret vicariatus officium assignari; adhuc tamen tuum, qui tam magnus tantusque Rex & princeps existis, tantoque nomine ac titulo regio existere nosceris insignitus in orbe, nō deceret honorem, quod nominareris vicarius alicuius domini temporalis. Quanto minus ergo tuam decuit vel decet excellentiam, illius vicarium appellari, qui auctoritate nulla, sicut sæpedictum est superius, præeminet; sed, proh dolor! tantorum existit respersus labe criminum, tamque grauibus pœnis & sententijs cum omnibus sibi adhærentibus implicatus? sciturus, fili amantissime, quod si monitis nostris huiusmodi salutaribus acquieueris cum effectu, tibi sic impulso, vt caderes, manum benignam porrigemus, quantum cum Deo poterimus, subleuantem: alias autem non poterimus desistere, cum id a nobis exigit officium apostolicæ seruitutis, quo minus super prædictis prouidere de opportunis remedijs, procedendo contra te, quod molestum & graue nobis erit admodum, si necesse (quod absit) fuerit, prout exigente iustitia debebit & poterit, fieri procuremus. *Dat. Auin. idib. nouembris anno IV.*

Solicitatur, vt pacet se accómodet. * non essent. Ne regiũ decus vilis tituli adiectione inquinet.

68 Sane Eduardum, in Germaniam hoc anno profectum, Confluentiæ cum Bauaro iunxisse fœdus, porrecta illi maxima auri vi, narrat Rebdorfius a. Immo Nicolaus Minorita addit b tunc in Confluentinis illis conuentibus, secunda die mensis septembris huius anni editam Francofurti sanctionem, quæ ab his verbis, *Licet iuris vtriusque testimonia*, exorditur (de qua actum est) præsente Eduardo repetitam fuisse: siquidem, cum hæc duo contineret, primum ad electum Regem a septemuiris spectare administrationem imperij sine pontificia confirmatione; secundum eos proscriptos qui ipsi non parerent, siue vt exponit Rebdorfius, *quod quicumque de cætero ipsum Ludouicum tenet excommunicatum, aut qui cessat a diuinis propter sententias papales, proscriptus sit corpore & in rebus*; armatus eiusmodi sanctione est Eduardus, vt præsules Ludouici, exauctorati ab ecclesia, respuentes imperia obtereret, ac præcipue episcopum Cameracēsem, qui suo principe viduato imperio, Galli patrocinium sibi asciuerat, de quo hæc habet M.S. Vaticanum c. *Huius temporibus Eduardus Rex Angliæ, tunc factus inimicus Philippi Regis Franciæ, venit in Franchford Maguntina diœcesis ad Ludouicum Bauarum, gerentem se pro Imperatore, pro auxilio sibi ferendo: qui Ludouicus eundem fecit vicarium imperij. Cuius vicariatus prætextu renitentem sibi populum Cameracensem & ciuitatem, quæ est camera imperij in Francia obsedit, sed non cepit.* De Cameracensi obsidione postea agetur.

Eduardi in Germaniam accessus. a Rebdorf. in annal. hoc anno & alij. b Nic. Min M.S. bibl. Vat. sign. n. 4008. pag. 199.

Non parētes Ludouico opprimēdos suscipit.

c M.S. bib. Vat. sign. n. 3765. Accersit proregis Cæsarei fucus.

69 Interea Pontifex ad reprimendos iniquos illius conatus legatis Cardinalibus prouinciam dedit d, vt cum vacuo augustali solio imperij administratio ad sedem Apostolicam spectet, neq; iustus vicarius imperij Eduardus esset, nec Ludouicus Rex vel Imperator, vetarent clientes imperij Eduardo vel Ludouico iura imperialia accepta solemni sponsione referre; prætereà vt antequam in præsules, qui Eduardo vel Ludouico studebant, grauiora ederent decreta, ipsos mo-

Vetiti clientes imperij Eduardo parere. d To. 4. ep. secr. 197.

monerent a officij, vtque ab illarum partibus se subducerent. Incubuit belli moles in Leodiensem & Cameracensem episcopos. Et quidem in Leodiensem Brabantiæ ducem cum Ludouico Bauaro coniurasse, vt cum octo millibus equitum & sexaginta peditum millibus in eum incurrerent, ne hostis a tergo relinqueretur, refert Ioannes Villanus. b

a Ib. ep. 398.

b Io. Vill. l. 11. c. 77.

In rebus vero adeo trepidis Benedictus Leodienses confirmare ad constantiam annisus est subiectis literis. c

c An. 4. p. 1 epist. 66

Dilectis filijs Scabinis, magistris, & consiliarijs ac vniuersitati ciuitatis Leodiensis.

Solicitantur a Pōt. ad constātiam.

Claruit antiquis & modernis temporibus fidei vestræ constantia erga sacrosanctam Romanam ecclesiam vniuersalem matrem fidelium & magistram: claruit etiam commendabilis vestra deuotio erga defensionem honorum & iurium Leodiensis ecclesiæ, cuius estis peculiares filij & fideles; & ideo, cum temporis opportunitas exigit, ad ea, quæ circa continuationem deuotionis & fidei erga Deum & ecclesias prælibatas fidelitatis vestræ incrementa respiciunt, & profectum vestrarum sapiunt animarum, eo fiducialius vos sequirimus, quo ex præteritis vestræ deuotionis insignijs vos promptiores apostolicis beneplacitis credimus inuenire. Sane nuper fidedigna insinuatione percepimus, quod Ludouicus de Bauaria, hostis Dei & eiusdem sanctæ matris ecclesiæ manifestus, de præteritis culpis non pœnitens, sed atrociores continue prioribus coaceruans, nouiter venerabili fratri nostro . . episcopo Leodiensi minaces, requisitorias, & monitorias literas destinare præsumpsit, inter alia, vt dicitur, continentes quod in octauis resurrectionis dominicæ proxime venturæ in ciuitate Coloniensi vbi, sicut in dictis literis dicitur contineri, se prætendebat principes electores cæterosque magnates, prælatos, barones & vassallos imperij conuocasse super arduis imperij negotijs coram eo sub debito fidei & feudi, quod idem episcopus ab imperio obtinet, dictum feudum ab ipso Ludouico inibi suscepturus omnibus postpositis excusationibus debeat personaliter comparere: alioquin idem Ludouicus in dictis literis, vt dicitur, minabatur contra dictum episcopum secundum iura & leges curiæ imperialis processus suos certitudinaliter se facturum.

Propositę iniquę Ludouici minæ.

70. Cum itaque Ludouicus præfatus per processus felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri velut abiectus & reprobatus a Deo omni iure, si quod sibi forsan fuerat ex electione, quæ dicebatur de ipso in discordia celebrata, quæsitum, prædictis culpis suis & sceleribus exigentibus, sententialiter sit priuatus propter publicam fautoriam hæreticorum & damnatam hæresim, quam astruxit, & publicum schisma, quod in vniuersali ecclesia mente vesana & sacrilega suscitauit; de hæresi & schismate iusto eiusdem matris ecclesiæ iudicio fuerit condemnatus, ac pro suorum coaceruatione facinorum non solum in eum præcipuum tantarum iniquitatum actorem, sed in omnes participes, fautores, valitores, & auxiliatores ipsius per diuersos processus prædecessoris eiusdem plures & diuersæ excommunicationum sententiæ, in vniuersitates quoque & personas quaslibet singulares, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis existerent, quæ dicto Ludouico adhærere, vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum obedire, vel eum pro Imperatore habere, recipere, vel nominare, vel sibi quandiu in rebellione seu contumacia contra dictam Romanam ecclesiam perstiterit, dare præsumpserint auxilium, consilium, vel fauorem, priuationis feudorum, quæ ab ecclesijs vel imperio obtinerent, ac quorumlibet priuilegiorum, honorum, & dignitarum, & nonnullæ aliæ pœnæ per processus eosdem legitime fuerint promulgatæ, prout in eisdem processibus plenius & seriosius continetur; vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, vobis per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus præfato episcopo vestro præsuli & animarum vestrarum pastori in omnibus, quæ ad honorem Dei & eiusdem Romanæ ac Leodiensis ecclesiarum, et libertatum, et iurium suorum et ecclesiæ suæ defensionem, antiquæ quoque fidelitatis et deuotionis vestræ præconium, atque laudem, quas erga Deum et dictas ecclesias hactenus habuistis, redundare noscantur, robustis et intrepidis animis assistentes; ac prouida meditatione pensantes graues pœnas, non solum per dictos processus, sed etiam per nonnullas aliorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sacras constitutiones in generalibus concilijs editas, tam in dictorum hæreticorum et schismaticorum personas, quam in receptatores et fautores eorum et adhærentes eisdem, ac etiam in progeniem eorundem notabiliter promulgatas; eidem Ludouico, quamdiu damnatis prius erroribus per eundem se reconciliare non studuerit Deo et ecclesiæ memoratæ, in nullo obediatis, sed ab eius communione, participatione, et obedientia penitus abstinere curetis, non trahentes iugum cum infideli contra doctrinam Apostoli, sed ipsum totaliter deuitantes, ac in ecclesiæ deuotione constantissime persistentes. Alioquin si, quod absit, pro vano timore vel fauore transitorio et caduco, seu quocumque præmio temporali, quæ velut nubes matutina et ros mane pertransiens subito euanescent, obedire tyranno elegeritis contra Deum, diuinæ indignationis aculeos in hac parte Deum et sponsam suam ecclesiam offendendo, infallibiliter incurretis. *Dat. Auin. 111. kal. aprilis anno IV.*

Iure illam exauctoratum insinuatur.

Exercendam in aduersis virtutem.

71. Excitati, pariter Leodiensis principatus ordines ad constantiam, vt ad Ludouici Bauari retundendos impetus fortiter se accingerent: tum Adolphus episcopus Leodiensis vetitus b, Coloniam ad clientelarem sponsionem Ludouico exauctorato exhibendam se conferre. Monitus c etiam Vvalramus archiepiscopus Coloniensis, ne cum Ludouico aduersus Leodienses sentiret: *Quia*, inquit, *nuper audiuimus, quod idem Ludouicus, culpas culpis accumulans, & scelera sceleribus coaceruans, ad offensionem venerabilis fratris nostri episcopi & ecclesiæ Leodiensis sua molimina conflare proponit; fraternitati tuæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quod in tua considerationis scrutinium consulte deducens graues pœnas, quæ participando cum dicto Ludouico eiusque complicibus, fautoribus, & sequacibus tam per dictos processus, quam per antiquos sacros canones incurruntur, teque a prædictarum incursione pœnarum, eiusdem Ludouici participium & communionem totaliter deuitando, praeseruans immunem, eidem Ludouico in nullo pareas vel intendas: nec præfatos episcopum & ecclesiam Leodiensem offendas, nec permittas, quod a tuis gentibus offendantur; sed eisdem assistas auxilijs & fauoribus opportunis, &c. Dat. Auin. 111. kal. aprilis anno IV.*

a Ib. ep. com. 67.

b Ib. ep. 68.

c Ep. 59.

Coloniensis archiepisc. vetat communicare Ludouico.

De præmonitis episcopo & clero Leodiensi,

vt

vt ad retundendos Ludouici impetus strenue se accingerent; meminit Hocsemius a, ac literas eo argumento datas superioribus consentientes adducit. Consuluit b etiam Adolpho Pontifex, vt armorum societatem cum episcopis catholicis imperij iniret: *Quia*, inquit, *virtus vnita fortior esse noscitur se dispersa, cum venerabilibus fratribus nostris Coloniensi & Bisuntino archiepiscopis, ac Virduuensi, Basiliensi, Argentinensi, Cameracensi, Metensi, Tullensi, Lausanensi, Bellicensi, Traiectensi, Monasteriensi episcopis, quibus per nostras opportunas literas inde scribimus; vel illis ex eis, de quibus tua circumspectioni videtur expedire, colligationes & confœderationes, prout expedientes cognoueris, ineas & facias, &c. Dat. Auin. idib. nouembris anno IV.* demum Leodiensis vi oppressus fœdus cum hostibus iniuit c. Excepit vero fortius primos Eduardi impetus episcopus Cameracensis, quem Pontifex idibus iulij est adhortatus ne Ludouicum Bauarum vel sequaces, qui in Regem Francorum conspirarant, admitteret, atque ad id clerum ac populum Cameracensem adduceret, quem etiam alijs literis, vt hostem repellerent excitauit d: qua de re extant ad Francorum Regē vt ipsis opem ferret, datæ literæ e Philippum vero validissimo præsidio eam vrbem muniuisse, testantur auctores; sed de his proximo anno agetur.

a Hocsem. l. 2. c. 34. c To. 4. ep. secr. 383.

Præsules Pontificis item partium.

c Vill. sup. c. 77. Paul. Aemil. in Phil. vi. Gaguin. in eod. & alij. d To. 4. ep. secr. 240. 241. e Ibid. ep. 242.

71 Feliciora gerebat bella Hugo Rex Cypri, qui cum nobilem de Turcis victoriam anno superiori, vt facile ex adscripta Pontificijs literis die colligitur, retulisset, Benedictus hoc ineunte anno ipsi est eam gratulatus: ac nouos alios triumphus illi a diuino Numine conferri precatus, studia Apostolica est pollicitus f.

Cyprios infestant Turcæ.

f Eod. to. 4. ep. secr. 33

Benedictus, &c. Hugoni Regi Cypri illustri.

Fili charissime, literarum prædictarum lectio, gloriosam tibi dudum datam de cælo victoriam contra Turcos blasphemos nominis Christiani recensens, & infidelitatem illorum salsorum Christianorum, qui velut suæ professionis Christianæ degeneres, & fidei catholicæ inimici, Turcis eisdem contra te tuamque gentem catholicam astitisse, damnaque intulisse gentibus eisdem in mari, seties denotat literarum ipsarum, subinngens nobis de victoria ipsa gaudium & lætitiam, & de damnis prædictis tristitiam non immerito ministrauit. Verum, fili dilectissime, quia dum circa depressionem Turcorum prædictorum, qui ad confusionem & exterminium redemptorum pretioso Christi sanguine, aspirare noscuntur, intendis, non solum tuam, sed illius, qui pro redemptione humani generis seipsum in ara crucis obtulit, causam agis, spes tibi certa promittitur, & præstatur fiducia, quod ipse tibi, pro zelo & recta intentione agenti, nequaquam super his deficiet, sed suum potius dirigendo, & fulciendo negotium, tibi de sua omnipotentia oppurtunum tribuet auxilium, si ad eum deuote leuaueris oculos mentis tuæ. Ideoque regalem excellentiam in Domino attentius exhortamur, quatenus considerantes attendens, quod Deus, cuius occulta sunt iudicia, fideles suos pati aduersitates quandoque non ad depressionem eorum, sed ad probationem potius pro acquirenda maioris meriti corona permittit; dāna & aduersitates huiusmodi non demittant in hac parte magnanimitatem regiam, sed extollant, vt aduersus infideles hostes prædictos eorumque fautores, adiutores, & complices (etiam si falsi & impij Christiani existerent, sicut superius est expressum) fortior & robustior, dextera Dei tecum faciente virtutem, tanquam

His se iungunt pseudo Christiani.

Parta de illis victoria. Gratulatur Cyprio Pontifex.

princeps catholicus & strenuus appareas & existas; tam prædictam victoriam, quam alias, quas tibi aduersus præfatos hostes concedet Dominus, vt speramus, non ex humana strenuitate virtutis, sed de manu Domini, a quo est omnis virtus & potentia, recusciperē recognoscendo cum spirituali lętitia, & fatēdo, &c. *Dat. Auin. v. id. feb. an. IV.*

Florebat tum in Cypro Elias archiepiscopus Nicosiensis, qui strenuam in Græcis, Armenis, et Iacobitis ad ecclesiæ Romanæ pium studium reuocandis operam collocabat: cuius zelum Benedictus eo nomine commendauit a, deque amplissimis missis muneribus gratias egit. Ceterum lugendum admodum est Christiano charactere insignitos adeo obcæcatos fuisse, vt quasi nulla ipsos in alia vita supplicia vel præmia manerent, tanto sacrilegio religionem obruisse, vt pro Turcico nomine contra Christianum arma gererent. Sed adoranda etiam diuina prouidentia in suam ecclesiam, quæ dum hi deficiebant, coniungebantq; se Turcis in Cyprios, alij ducibus Ludouico Bauaro et Eduardo Anglo ipsam oppugnarent, distraherentque arma Gallica, ne in Turcas et Saracenos stringerentur; in extremo oriente ferocissimos populos ad ecclesiæ obsequium pelliceret.

Flores In coborte pol lecti ad ecclesiam a Eod. l. 4. ep. secr. 181.

72 Accessere hoc anno ad sedem Apostolicam oratores Magni Chami Tartarorum Imperatoris, quibus Alanos et alios imperij sui Christianos pontificiæ beneuolentiæ commendabat, rogabatque vt apostolicam benedictionem sibi imperti-ret: tum vt de nuncijs ad pontificiam et Tartaricam aulam vltro citroque commeaturis agerent. Adiunctique erant ijs alij principum Christianorum, qui in imperiali aula Tartarica auctoritate florebant, oratores de Christiana amplificanda in Tartaria religione agitaturi. De quibus honorifice atque amantissime receptis hæc Philippo Benedictus significauit b.

Imp. Tartaror. ad Pontif. legatio.

Benedictus, &c. Regi Francorum illustri.

b Ib. ep. secr. 130.

Nuntij maioris Imperatoris Tartarorum nec non et quorundam principum Christianorum, qui familiaribus obsequijs eiusdem Imperatoris insistunt, nuper ad nostram præsentiam venientes exhibuerunt nobis literas, quarum transcriptum per eos, qui linguam & literas nouerunt ipsorum, in Latino translatum vna cum copia literarum dictorum prælatorum Alamanniæ continet cedula præsentibus interclusa. Quos quidem nuncios mente benigna, & sereno vultu recepimus, & quæ voluerunt coram nobis proponere, mediante interprete intelleximus, & eos fuimus etiam dulciter & fauorabiliter, vt decuit, allocuti. Tandemque omnibus plenarie intellectis, tam eidem Imperatori, quam alijs Imperatoribus sibi subiectis, regratiando eis super multis fauoribus, quos impendunt Christianis in suis dominijs degentibus, eosque mouendo & inducendo ad deuotionem, & vt lumen fidei Christianæ aspiciant sinceris cordibus, illiusque radijs illustrentur, ac fauores prædictos continuent, & exhibeāt erga Christianos prædictos; præsertim vt ecclesiæ, basilicæ, & oratoria reparentur, & de nouo construantur ibidem, in quibus diuina officia celebrentur, liceatque antistitibus & religiosis prædicare verbum Dei, & veritatem fidei orthodoxæ; insuper Christianis principibus in illis constitutis imperijs, & generaliter omnibus Christicolis, in partibus orientalibus degentibus, exponendo per extensum fidem catholicam, per diuersas scribimus literas oppurtunas, & nihilominus

Actæ illi ob impensa Christianis sua gratiæ.

nus intimamus eisdem, quod iuxta supplicationem eorum nuntios vel legatos, qui eos consolentur, instruant, & confirment in fide prædicta, ipsisque prædicent clarius & ostendant, ad eos & partes illas proponimus, diuina suffragante gratia, destinare. Præfatis quoque Imperatoribus offerimus, sicut maior prædictus instanter petijt, quod nuncios eorum recipiemus libenter & amicabiliter, & nostros mittemus ad ipsos, vt salubrius & clarius eis via possit ostendi, per quam de faucibus erepti diaboli, circuire quærentis iugiter quos deuoret, ad semitam æternæ vitæ dirigere valeant feliciter gressus suos. *Dat. Auin. 1x. kal. iulij anno 1v.*

a Extant apud Som. 16. ep. 131.

74 Producendæ in lucem visæ a sunt Tartarorum Imperatoris literæ, vt pudeat hæreticos, ac peruersos Christianos religione ab infideli vinci; & discant a Tartaris, quam honorifice sit de Romano Pontifice sentiendum.

In fortitudine omnipotentis Dei Imperatoris Imperatorum præceptum.

Literæ Imperatoris Tart. ad Pont. Expetit eius benedictionē.

Nos mittimus nuncium nostrum Andream Francum cum quindecim socijs ad PAPAM DOMINVM CHRISTIANORVM in Franchiam vltra septem maria, vbi sol occidit, ad aperiendum viam nuncijs sæpe mittendis per nos ad Papam, & per Papam ad nos; & ad rogandum ipsum Papam, vt mittat nobis suam benedictionem, & in orationibus suis sanctis semper memoriam faciat de nobis, & quod Alanos seruitores nostros, filios suos Christianos habeat recommendatos. Item quod adducant nobis ab occasu solis equos & alia mirabilia. *Scripta in Cambalec in anno Rati mense sexto tertia die lunationis.* Porrectæ fuere aliæ a principibus Tartaris, qui religione Christiana erant imbuti, literæ quibus flagitabant supplices, vt pontificius legatus ac sacerdotes in Tartariam mitterentur.

In fortitudine omnipotentis Dei, & in honore Imperatoris domini nostri.

Principū Christian. Tart. lit.

Nos Futim Ioens, Charicen Tungy, Gemboga Euenzi, Ioannes Iukoy sanctum patrem dominum Papam nostrum, capitibus ad terram positis pedes osculantes salutamus, petentes benedictionem suam & gratiam, & quod in orationibus suis sanctis faciat de nobis memoriam, & nunquam obliuiscatur nostri. Hoc autem sanctitati vestræ sit notum, quod longo tempore fuimus informati in fide catholica, & salubriter gubernati, & consolati plurimum per legatum vestrum fratrem Ioannem Valentem, sanctum & sufficientem virum, qui tamen mortuus est ante octo annos, in quibus fuimus sine gubernatore & sine spirituali consolatione, licet audiuerimus, quod prouidistis de alio legato: ille tamen nondum

Præsulem poscunt.

venit. Quare supplicamus sanctitati vestræ, quod mittatis nobis bonum, sufficientem, & sapientem legatum, qui curam habeat de animabus nostris, & quod cito veniat, quia ouile stamus sine capite, sine informatione, & sine consolatione.

Vt mittātur ad Chamum oratores.

Supplicamus etiam sapientiæ vestræ, quod domino nostro Imperatori respondeatis gratiose; ita quod aperiatur via, sicut & ipse petit, & apta nuncijs sæpe mittendis a vobis ad ipsum, & ab ipso ad vos, & ad conferendam inter vos & ipsum amicitiam; quia si hoc feceritis, magnum bonum sequetur pro salute animarum, & pro exaltatione fidei Christianæ, quia fauor eius in imperio suo facere potest innumera bona: & ideo recōmenderis nos sibi filios vestros & fratres, & fideles alios, qui sunt in imperio eius, quia si ita feceritis, bona maxima facieris. Cum ita factum fuerit, quod ex parte vestra diuersis temporibus tres vel quatuor nūcij venerint ad præfatum Imperatorem dominum nostrum, a quo gratiose recepti fuerunt & honorati & remunerati, & ex tunc dictus Imperator nullum a vobis vel a sede Apostolica responsum accepit, licet singuli promiserint se a vobis responsa ad præfatum dominum reportare. Quare prouideat sanctitas vestra, quod hac vice, & deinceps habeat certum a vobis responsum & nuncium, sicut decet sanctitatem vestram, quia magna verecundia est Christianis in partibus illis, quando mendacia inueniuntur in ipsis. *Scripta in Cambalec in anno Rati mense sexto tertia die lunationis.*

75 Cumulauit gaudio Pontificem optimum tam pia barbari Imperatoris legatio; scriptisque ad Chamum literis a, ipsum ob eximium in fouendis Christianis studiū laudibus ornauit: excitauit ad cultum diuini Numinis, & Christiana sacra amplectenda: rogauit vt ecclesias ac sacella condi in imperij terris permitteret, in quibus diuina hostia pro ipsius ac Tartarorum salute incruente immolaretur; nuntios denique Apostolicos ad ipsum euangelica luce collustrandum, curandamque animæ salutem se missurum est pollicitus.

a Eod. to. 4. ep. secr. 598 extat etiam in M.S. arc. Vat. de rer. Arm. & alior. nat. & schis. pag. 30.

Magnifico principi.. Imperatori Imperatorum omnium Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

De egregio in Christianos studio gratulatur. Imperatori Tartaror.

Celsitudinis tuæ nuncios ad nostram nuper præsentiam venientes, vultu sereno, & læta mente recepimus, eosque fauorabiliter audiuimus & benigne. Sane quia tam ex his, quæ proposuerunt ipsi nuncij coram nobis per fidelem interpretem ad hoc adhibitum intellecta, quam ex tenore literarum tuæ magnificentiæ nobis exhibitarum per ipsos, percepimus & collegimus manifeste, quod tu ad sanctam Romanam, catholicam, & apostolicam ecclesiam, nostro commissam regimini, & ad nos qui, licet immeriti, locum Dei tenemus in terris, deuotionem magnam gerens, teque nostris humiliter orationibus recommendans, ob nostram, & eiusdem ecclesiæ reuerentiam, dilectos filios nobiles viros Fodim Ioens, Chyansam Tongi, Chembogam Vensij, Iohannem Yochoy, & Rubeum Pinzanum principes Alanorum & alios Alanos Christicolas, in tuo degentes imperio, beneuolis fauoribus, & opportunis gratijs pertractasti hactenus & pertractas; nos tam ex his, quam de missione nunciorum ipsorum admodum nobis grata, tibi referentes gratiarum vberes actiones, magnitudinem tuam rogamus attentius, & hortamur, quatenus beneuolentiam & fauores huiusmodi, erga præfatos Alanorum principes & alios Christicolas in eodem imperio commorantes, continuare pro nostra & ecclesiæ prædictæ reuerentia velit tua sublimitas, & augere: & vt antistites, & Religiosi catholici & Christiani alij ecclesias, basilicas, & oratoria, in quibus iuxta ritum & morem supradictæ Romanæ ecclesiæ diuinæ laudis peragantur officia, & offeratur pro delictis & peccatis populi hostia salutaris, per dictum imperium habere libere, fundare, construere valeant, & tenere; possitque vbique ibidem ab eisdem antistitibus, religiosis, & alijs Christicolis auctoritatem habentibus, super ijs verbum Dei, & veritas fidei catholicæ, sine qua nemo potest saluus fieri, prædicari, placeat tuæ magnitudini licentiam elargiri.

Alanos ei commendat.

Rogat, vt ecclesias excitari permittat.

76 Nos autem pro te, tuaque salute, & ve ille qui omnem hominem venientem in hunc mundum

dum illuminat, se illustrare digneţur suę charitatis & gratiæ lumine mentem tuam, quod eum cognoscas veraciter, & lumen recipias fidei, per quam in præsenti abundanter repleatis gratia, & in futura vita æternæ beatitudinis assequaris præmium, oramus & orabimus humiliter & deuote. Porro cum tua sublimitas affectu sincero, sicut credimus, nobis amicitias offerens, & illas a nobis postulans petieris, quod tui ad nos, & nostri ad te nuncij super ijs destinentur; scire magnitudinem tuam volumus, quod hæc nobis placibilia sunt & accepta, & nuncios tuos, quandocunque ad nos transmissi venerint, recipiemus fauorabiliter & lętanter: nostros vero nuncios seu legatos ad tuam præsentiam & partes illas mittere disponimus, qui te de nostra beneuolētia, & alijs quæ tuæ salutem animæ respiciunt, plenius informabunt. Quæsumus igitur vt eosdem nuncios nostros, cum ad te venerint, placide suscipias, sicque patienter audias & benigne, quod spargenda in agro cordis tui vitæ semina fructus producant vberes, quorum dulcedinem tandem, connumeratus inter redemptos pretioso Christi sanguine, in cælesti degustes patria, & eis æternaliter satieris. *Dat. Auin. id. iunij anno IV.*

Ad fidem amplectēdam hortatur.

Missurum legatos spondet.

77 Confirmare etiam in fide Christiana studuit Pontifex principes Alanos memoratos, quibus formulam orthodoxi dogmatis subiectis literis[a] transmisit.

a Ex. in eod. M.S. pag. 32.

Dilectis filijs nobilibus viris Fodim Iouens, Chyausam Tongi, Chemboga Vensc, & Ioanni Yotboy, & Rubeo Paisano Alanorum principibus, ac alijs vniuersis & singulis Christicolis in partibus orientalibus constitutis salutem, &c.

Serena facie, lætoque animo vestros, filij principes, nuncios ad nostram nuper præsentiam venientes, recepimus & eis super omnibus, quæ voluerunt coram nobis proponere, audientia benigna concessa, per interpretem fidelem adhibitum ea, quæ ipsi proposuerunt, intelleximus: & ipsi etiam responsionem nostram, & alia, quæ ipsis explicauimus, plenarie perceperunt. Sane quia tam per literas nobis per eosdem nuncios præsentatas, quarum seriem exponi fecimus, quam per ea, quæ proposuerunt, vt præmittitur, vestram & aliorum Alanorum Christicolarum illarum partium magnam deuotionem, quam ad nos & sacrosanctam Romanam ecclesiam, matrem omnium fidelium & magistram, fidemque catholicam, sine qua salui non est alicui, geritis; quodque in eadem fide, prout eam dicta Romana ecclesia tenet & prædicat, desideratis instrui & confirmari, percepimus euidenter; nos, qui velut pastor vniuersalis gregis dominici salutem omnium Christi sanguine redemptorum quærimus, grandi perfusi gaudio, ei qui vobis dictum dedit spiritum, & illustrate dignatus est suæ charitatis & gratiæ lumine mentes vestras, in laudis iubilum assurgimus, ac de ijs, dictorumque missione nunciorum sanctam & salubre deuotionis vestræ propositum cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendamus; nobilitatem & vniuersitatem vestram exhortantes attentius & rogantes, quatenus in eodem proposito, per quod ad brauium cœlestis & æterni præmij poteritis attingere, cum augmento deuotionis & fidei persistatis; nos equidem pro vobis oramus, et orabimus incessanter. Et vt eadem fides catholica, quam nos et ecclesia Romana cum toto cœtu Christianorum fidelium profitemur, prædicamus firmiter, et tenemus, vobis et cæteris partium prædictarum Christicolis clarius innotescat, vosque illam sequi, profiteri, et tenere firmius valeatis, eam clarius & apertius tenore præsentium explicamus.

Lit. Pont. ad Tartaricæ aulæ Christianos.

Laudatur eorū pietas.

Excitati ad constātiam.

78 Et quidem credimus sanctam Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum sanctum vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis, et maiestatis: creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quę sunt in cælo et in terra, visibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singularem quamque in Trinitate personam, vnum verum Deum plenum et perfectum. Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et coæqualem per omnia Patri in diuinitate; temporaliter de Spiritu sancto conceptum, ac natum ex Maria semper virgine cum anima rationali; duas habentem natiuitates, vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum, et hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum: non adoptiuum neque phantasticum; sed verum et vnicum Filium Dei in duabus et ex duabus, diuina scilicet et humana naturis, sed in vnius personæ singularitate: impassibilem et immortalem diuinitate; sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione, mortuū, et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die XL. post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in cælum, et sedere ad dexteram Patris: inde venturum iudicare viuos et mortuos, et redditurum vnicuique secundum opera sua, siue bona fuerint siue mala. Credimus etiam Spiritum sanctum plenum et perfectum, verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coæqualem, et coessentialem, coomnipotentem, et coæternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuisibilem, et incommutabilem. Credimus sanctam catholicam & apostolicam vnam veram esse ecclesiam, in qua vnum datur baptisma & vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam. Credimus etiam noui et veteris testamenti legis, ac prophetarum, et Apostolorum vnum esse auctorem Deum ac dominum omnipotentem. Hæc est vera fides catholica, et hanc super dictis articulis tenet et prædicat sacrosancta Romana ecclesia.

Proposita ijs fidei formula.

79 Sed et propter diuersos errores a quibusdā ex ignorantia, et ab alijs ex malitia introductos, dicit et prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos; sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum; quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignæ pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari, et ad pœnas huiusmodi releuandas prodesse eis fidelium viuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerint secundum ecclesiæ instituta: illorum insuper animas, qui post factum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post peccati contractam maculam, vel in suis manentes cor-

Baptismus non iterādus.

Lapsis per pœnitentiæ sacramentum datum.

Animæ omnis labis immunes in cælum mox admittuntur.

potibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, confitemur in cælum mox recipi, & essentiæ diuinæ beatifica perfrui visione. Illorum autē animas, qui in mortali peccato vel cū solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana ecclesia credit, & firmiter asseuerat: & quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis proprijs rationem.

Diuina perfruuntur visione. Decedentes in peccato lethali, & alij in originali tantum in disparia inferorum loca descendunt. De extremo iudicio.

Tenet etiam & docet eadem Romana ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta. Vnum scilicet baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos. Aliud est pœnitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum ordinis. Aliud est matrimonium. Aliud est extrema vnctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana ecclesia, tenens & docens, quod in ipso sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem domini nostri Iesu Christi. De matrimonio tenet, quod nec vnus vir simul plures vxores, nec vna mulier simul habere permittitur plures viros; soluta vero lege matrimonij per mortem alterutrius coniugum, secundas, & tertias, & deinceps nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat.

De sacramentorū numero. De transubstantione in euchar. Nuptiæ secundæ, &c.

Nec omittimus, quod ipsa sacrosancta Romana ecclesia summum & plenum primatum super vniuersam catholicam ecclesiam obtineat, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet iudicio definire; ad quam potest grauatus quilibet in negotijs, ad forum ecclesiasticum pertinentibus, appellare. Sed & in omnibus causis, ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri iudicium, & eidem omnes ecclesiæ sunt subiectæ, ipsarumque prælati & obedientiam & reuerentiam sibi debent: apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, & patriarchales præcipue, diuersis priuilegijs eadem Romana ecclesia honorauit; sua tamen prærogatiua tam in generalibus concilijs, quam in quibuscumque alijs semper salua.

De primatu Rom. ecclesiæ. Ad eam in causis ecclesiasticis prouocari potest.

Porro cum præscriptam purissimam & fidelissimam orthodoxæ fidei veritatem, euangelicæ doctrinæ consonam, a sanctis patribus traditam & Romanorum Pontificum in suis synodis diffinitione firmatam, in vobis confirmari & augeri, fidemque ipsam vbique ampliari, vt ad laudem diuini nominis populus Deo seruiens & in numero & merito nostris augeatur temporibus, & animæ diabolica fraude deceptæ, agnita & suscepta huiusmodi fidei veritate, de faucibus eripiantur dæmonum, summis desiderijs affectemus; certos nuntios seu legatos nostros, qui vos & alios Christicolas partium illarum consolentur, & in fide ipsa instruant, consolident, & confirment, & ad eam errantes attrahant, ad partes easdem proponimus, diuina suffragante gratia, destinare. *Dat. Auin. id. iunij anno IV.*

80 Conscriptæ a sunt ijsdem principibus literæ, quibus singulos seorsim hortatur ad fidem Christi amplificandam, & sacras ædes extruendas, *in quibus*, inquit, *iuxta ritum & morem eiusdem Romanæ ecclesiæ diuina peragantur officia, & immoletur hostia salutaris pro peccatis populi*. Actæ b etiam a Pontifice gratiæ Chansi principi Tartarorum ob sacros concionatores beneuole exceptos, concessamque euangelij promulgandi facultatem. Commendati c pariter Catasmon & Iohanam in Tartarica aula gratia & auctoritate florētes, ob promotam eorum studijs rem Christianam, condiramque Armalechi ecclesiam. Rogati præterea Vsbech d Imperator Tartarorum Aquilonarium, eiusque filius Tynibech e, vt efflorescenti religioni orthodoxæ fauerent, extrui sacella permitterent certissima diuinæ remunerationis spe: ijsdemque studia apostolica pro adipiscenda felici immortalitate est pollicitus. Decreti f porro legati ad Tartaros ad fidem apud eos amplificandam fuere Nicolaus Bonetus theologus, Nicolaus Molanus, Nicolaus Ioannes Florentinus & Gregorius Vngarus Minoritæ amplissimis ad proferendam latius religionem prærogatiuis, quas in pari re meminimus proficiscentibus ad gentes concessas, instructi; ac literis g apostolicis omnium Tartarorum summo Imperatori, tum Chansi mediæ Tartariæ, tum Vsbecho Aquilonarium Imperatoribus, ac Tynibecho huius filio; denique Fodim Iouens h Alanorum fidelium principi commendati.

a To. 4. ep. secr. 199. b Ib. ep. 104. c Ep. 805. d Ep. 106. e Ep. 369. Aquilonares Tartari, vt faueāt Christianis, solicitati. f Ep. 364. Minoritæ missi ad Tartaros. g Ep. 366. 367. 368. 369. h Ep. 371.

At contra animaduertendum fuit in nonnullos impostores Armenos, qui cum se antistites fingerent, ac Romanæ ecclesiæ addictos, eoque nomine a Latinis fouerentur, in tribules tamen suos orthodoxa fide informatos tyrannidem exercebant, varijsque erroribus eos inficere moliebantur. Ex quorum hominum genere Petrus i Armenus, archiepiscopi Ierosolymitani eiusdemque Nazarethani antistitis titulos sibi arrogans, grassabatur Patauij: Florentiæ Ezechiel l istius vicarias partes sibi vendicabat: Romæ Athanasius m Veriensem episcopum se iactabat, cuius scelera hisce verbis describit Benedictus: *Errores contra fidem catholicam dogmatizabat, ac quibusdam falsis literis & priuilegijs apostolicis, falso sub quorundam Romanorum Pontificum nomine fabricatis, vti sex verius abuti temere præsumebat: Armenos catholicos, tenentes quod tenet, & credentes quod credit sancta Romana ecclesia mater cunctorum fidelium & magistra, diuersis persecutionibus affligebat: baptizatos quoque secundum formam eiusdem ecclesiæ abominabatur, & asserebat seu vocabat renegatos, eosque per personarum captionem, incarcerationem, aliaque flagella, variasque persecutiones retrahere nitebatur a deuotione & fide eiusdem ecclesiæ, & ad pristinos errores & perfidiam, quibus idem Athanasius imbutus esse creditur, resumendos damnabiliter reuocare*. Consentiebant in eodem scelere Petrus Armenus, eiusque vicarius memorati: quare Benedictus hos tres in carcerem compingi ab Anagnino episcopo, vicariam in Vrbe gerente sacrarum rerum præfecturam, atq; a Florentino & Patauino episcopis iussit n. Dedit etiam imperia Geraldo supremo ordinis Minoritarum præposito o, vt comprehenderet Laurentium Anconitanum Minoritam fugitiuum, antea factæ fidei censorem apud Picenates, quod in absoluendis Andrea & Lipario a crimine hæreseos, quo antea fuerant rite damnati ab alijs censoribus, exagitati-

Nonnulli impostores Armenī tribules suos vexant. i An. 4. p. 1 ep. cur. 58. l Ib. ep. 57. m Ep. 56. Male sentiunt de baptismo Latinorū. Vinculis tradi iussi. n Ibid. o Ib. ep. 5.

tique a Ioanne XXII. pontificiam auctoritatem invasisset.

Creati a Bened. Cardd.

81 Exeunte hoc anno, cum Pontifex grauissima rerum mole premeretur, augendum numerum Cardinalium ad optima in dubijs & difficillimis rebus consilia explicanda, censuitquo honoris gradu tantum praesules insignes virtutibus ornauit, vt ipse in subiectis literis ad Petrum archiepiscopum Rothomagensem, quem in summis rebus a Francorum Rege adhibitum vidimus, datis a testatur: quemq; postea, accepto Clementis VI. nomine, lapsis aliquot annis Apostolicam sedem conscendentem intuebimur.

Inter hos Rothom. arch. numeratus futurus Pont.

a To. 4. ep. secr. 443.

Dilecto filio Petro S. R. E. presb. Card. olim archiepiscopo Rothomagensi.

Bened. ad eum lit.

Vrgens vniuersalis ecclesiae, non dissimulanda, necessitas ijs temporibus nos & fratres nostros reddidit anxios in perquirendis viris secundum cor nostrum idoneis ad Cardinalatus praeeminentiam assumendis. Opus quidem esse ipsi ecclesiae conspicimus, vt ad tantum ministerium exercendum viri assumantur idonei, Deum timentes, diligentes iustitiam, & auaritiam abhorrentes. Ideoque nos cum fratribus eisdem, praehabita deliberatione prouida & matura, inter alios, quos ad tantum gerendum officium nostrum & dictorum fratrum consilium honorari decreuit, ad personam tuam, quam bonorum omnium largitor Altissimus multis virtutibus insigniuit, nostrae considerationis intuitum dirigentes, te ad onus huiusmodi ministerij de fratrum ipsorum consilio duximus assumendum, &c. *Dat. Auin. XIV. kal. ianuarij anno IV.*

b Ib. ep. 442.
c Ep. 444.

82 Conceptae sunt eadem verborum forma literae ad Gotium b patriarcham Constantinopolitanum & Bernardum c episcopum Rutenensem, quem ad firmandam inter Alfonsos Castellae & Lusitaniae Reges pacem incumbentem vidimus, vt arma in Marrochitanos & Granatenses verterentur.

d Gesta Ben. apud Bosq.
Aliorum Cardd. nomina.
* fuit
* Arimino
* al. de Vetio vel de Deocio dioc. Bricen. alij de Deucio.

De his vna cum alijs Cardinalium numero adscriptis agit vitae Benedicti auctor his verbis d: *Anno Domini* MCCCXXXVIII. *die decima octaua mensis decembris, quae * feria VI. quatuor temporum, dictus Benedictus Papa vnam fecit creationem sex Cardinalium, quos in presbyteros assumpsit, qui fuerunt isti, videlicet Gotius de * Aramono Italicus tunc patriarcha Constantinopolitanus, dominus Bertraudus de Deucio * diaecesis Vticensis tunc archiepiscopus Ebredunensis, dominus Petrus Rogerij diaecesis Lemouicensis monachus ordinis S. Benedicti tunc archiepiscopus Rothomagensis, dominus Guillelmus Curti diaecesis Tolosana ordinis Cisterciensis tunc episcopus Albiensis, dominus Bernardus de Albia diaecesis Apamiarum tunc episcopus Rutenensis, & dominus Guillelmus de * Aura diaecesis Carcassonensis tunc abbas monasterij S. Olivi ordinis S. Benedicti: fuitque reputata creatio huiusmodi multum notabilis, nam omnes praenominati erant famosi & profundi doctores in iure canonico vel ciuili, aut magistri in theologia.* Haec auctor: quibus consentanea affert ex libro obligationum Felix Cantelorius e. Meminit etiam de hac Cardinalium creatione Bosius f, additque ad Benedicti commendationem, illum proculcato carnis & sanguinis affectu neminem nisi virtutibus & meritis spectatissimum ad Cardinalatum euexisse, quibus Albertus Argentinensis consentanea scribit, dum haec de Benedicto tradit g: *Rogatus*, inquit, *ipse Benedictus super promotione suorum respondit: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Porro e memoratis Cardinalibus tres tantum in pontificia curia versabantur, nimirum Ebredunensis, Albiensis, & Montis Oliui; alij vero tres legationibus amplissimis in Gallia, Hispania, & Italia fungebantur: quare celeberrimo ritu agentibus in aula apostolica proximo ineunte anno ijs pilei & tituli Cardinalitij attributi fuerunt. Ritus vero in huiusmodi creatione Cardinalium, vetere more & instituto seruati, describuntur ab auctore eius temporis teste oculato, & rituum praefecto, qui de ijs luculentum volumen edidit a, ex quo ea, quae sequuntur, delibauimus.

e Cantel. in elench. Cardd. Benedicti I.
Benedictus a suorum amore diuulsus.
f Bos hist. eq. Ierosol. p. 2. l. X.
g Argentin. gestis Ber tol. episc. Argentin.
Insignis eiusdem sententia.

De ritib. in creatione Cardinaliū seruari solitis
a Ext. in M. S. bibl. Vat. sign. n. 4737. pag. 34. & c.

Cerimonia & solemnitates solita seruari in creatione nouorum Cardinalium.

Consulitur Cardinalium senatus de creandis nouis Cardinalibus.

83 *Die mercurij IV. temporum dominus Papa in consistorio consueuit quaerere a Cardinalibus, an expediat fieri creationem nouorum Cardinalium, faciendo ibidem primitus aliqualem breuissimam collationem, quod expediat creare nouos Cardinales: Cardinales vero postea omnes, quilibet secundum ordinem suum, consueuerunt respondere & consulere an expediat vel non. Quo facto, dominus Papa consueuit dicere: Nos sequimur consilium dicentium, quod fiant, vel non fiant, secundum quod melius videtur ei fiendum. Et vbi eligit viam, quod fiant, immediate interrogat Cardinales, de quanto numero videtur eis fiendum. Quo responso per eos vt supra, dominus Papa dicit: Nos sequimur consilium dicentium, quod fiant vsque ad talem numerum. Deinde dicit ibidem: Cogitabimus & cogitetis de personis nominandis, & die veneris agemus super eo, Deo dante. Ista sunt vera quando Cardinales omnes in consistorio sunt praesentes. Si autem sint aliqui in domibus suis infirmitate detenti, est consuetum in consistorio per dominum Papam mandare duobus Cardinalibus, quod vadant ad Cardinales absentes, & requirant & habeant eorum consilium super praedictis duabus quaestionibus: & relatione facta postea domino Papae in consistorio, audientibus omnibus Cardinalibus, per illos Cardinales deputatos, ipse postmodum eligit in consistorio, an velit sequi consilium Cardinalium dicentium, quod fiat noua creatio Cardinalium, & de quanto numero.*

Deque eorum numero.

Priuatim etiam expenduntur singulorū consilia.

Die veneris vero sequenti mandatur etiam in consistorio per dominum Papam duobus Cardinalibus, quod vadant ad requirendum & habendum consilium Cardinalium absentium super personis in Cardinales de nouo creandis. Quo consilio habito veniunt ad consistorium dum dominus Papa audit consilia auricularia Cardinalium, & ei referunt ad partem, dum est in cathedra sua, consilia Cardinalium absentium. Qua die veneris, facta primitus reuerentia Papae per Cardinales, Papa mandat quod portetur cathedra nuda. Quo dicto omnes Cardinales exeunt consistorium, & ponit se in fine illius aulae vel camerae, vbi tenetur consistorium excepto priore episcopo Cardinale, qui remanet ibi, & ponit se ad sedendum super cathedram nudam, quae debet esse ad latus Papae dextrum parata. Dominus Papa consueuit dicere illi Cardinali, & alijs post eum venientibus secundum ordinem suum: Nos cogitauimus de talibus personis, quas ibi nominat: dicatis quid vobis de istis, vel de alijs videtur esse fiendum. Tunc Cardinalis ille, & alij successiue postea per ordinem suum venientes, respondent quid eis videtur, secundum quod Deus eis ministrauit. Et cum omnes Cardinales successiue secundum ordinem suum responderunt, omnes redeunt ad sedendum in consistorio secundum ordinem suum. Quo facto dominus Papa consueuit eis dicere: Deo gratias. Nos habemus

Exponuntur creandorum nomina & merita.

de personis concordiam omnium fratrum, vel quasi omnium, vel maioris partis, secundum quod fuerit; nihil tamen aliud super ipsa concordia specifice exprimendo: & immediate ipse ibi creat Cardinales tam præsentes quam absentes a curia, dicendo: Auctoritate Dei *omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra talem, si sit prælatus, absoluimus a vinculo, quo tenebatur ecclesiæ suæ, & ipsum assumimus in presbyterum S. R. E. Cardinalem; vbi vero ille non esset prælatus, dicit: Talem assumimus in presbyterum vel diaconum S. R. E. Cardinalem, secundum quod eidem domino Papæ magis placebit super hoc ordinare. Quibus Cardinalibus creatis dominus Papa vadit ad cameram suam, & Cardinales ibidem publicant prouisionem nouorum Cardinalium, quibus eis placet. Dominus vero Papa interdum ibidem, cum ad cameram suam redierit, consueuit nouis Cardinalibus creationem de eis factam mandare per domicellum suum, interdũ non.*

Formula qua renũtiatur Cardinalis.

84 *Die sabbati sequenti dominus Papa, facta ei reuerentia in consistorio per Cardinales, mandat quod aperiantur portæ aulæ, vbi tenetur consistorium, omnibus intrare volentibus: & ibidem debent venire ad consistorium, & infra consistorium in terra sedere camerarius, notarij, & capellani domini Papæ & auditores palatij & clerici cameræ domini Papæ: alij vero debent stare pedes extra consistorium. Domini Cardinales noui debent tunc temporis esse extra consistorium in aliqua camera ibi satis prope, quousque dominus Papa mandet eos vocari. Dominus vero Papa facit ibi in præsentia omnium vnum breuem sermonem: in fine vero sermonis descendit per ordinem ad nominationem Cardinalium tam præsentium in curia quam absentium, quos creauerit quemlibet ipsorum commendando de scientia, fidelitate, prudentia, & alijs, prout merita cuiuslibet requirunt, & in fine commendationis dicit cuilibet nouorum Cardinalium sic: Talem absoluimus a vinculo quo ipse ecclesiæ suæ tenebatur, & eum assumpsimus & assumimus in presbyterum S. R. E. Cardinalem. Si vero non sint prælati, non fit mentio de absoluimus, sed dicit: Assumpsimus & assumimus in presbyterum vel diaconum S. R. E. Cardinalem. Quo facto dominus Papa facit vocari Cardinales nouos, qui debent venire ad eum secundum ordinem, quem dominus Papa dederat in eos nominando, & stare pedes retro consistorij, & firmare se retro bancham, quæ est ab opposito sedis cathedræ domini Papæ, vbi sedent alij antiqui domini Cardinales. Et tunc dominus Papa debet dicere nouis Cardinalibus aliqua ad instructionem eorum, quales debent esse in concilijs & alijs agendis. Quibus dictis vocat eos, quod veniant ad eum, & in introitu consistorij duo diaconi Cardinales antiquiores recipiunt nouum Cardinalem primo nominatum per dominum Papam, alij vero duo diaconi Cardinales antiquiores post primos recipiunt aliũ Cardinalem secundo nominatum, & sic deinceps faciũt alij Cardinales diaconi per ordinem suum, si sint plures Cardinales de nouo creati & eos adducant ad osculũ pedis domini Papæ.*

De publico habendo consistorio.

Vt cuique nouo Cardinali sui tribuatur elogium.

Vt præceptis informentur.

Quibus per Papam ad osculum pedis receptis, immediate omnes Cardinales antiqui & cæteri supranominati surgunt, & capellani Papæ, Te Deum laudamus, cantare incipiunt alta voce. Et Cardinales antiqui secundum ordinem suum bini & bini primo vadunt ad altare, quod debet in aula, vbi dominus Papa tenet consistorium, tunc temporis esse paratum, sine cruce tamen: & post eos duo diaconi Cardinales antiquiores ducunt nouum Cardinalem ad altare primo nominatum per dominum Papam, alij vero duo diaconi Cardinales alium, & sic deinceps faciunt alij duo diaconi, si sint plures Cardinales de nouo creati secundum ordinem supradictum. Et cum peruenerint ad altare, Cardinales noui debent stare genuflexo ante altare prostrati, quandiu cantatur, Te Deum laudamus. Quo completo prior episcoporum Cardinalium debet dicere submissa voce; Pater noster; & postea cantando ℣. Et ne nos inducas in tentationem ℟. Sed libera nos a malo ℣. Saluos fac seruos tuos ℟. Deus meus sperantes in te ℣. Mitte eis auxilium de sancto ℟. Et de Sion tuere eos; ℣. Domine exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te veniat ℣. Dominus vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

Quæ preces repetendæ.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis, & dirige eos secundum clementiam tuam in viam salutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant.

Alia oratio.

Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio & oratio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Prædicta debent dici per episcopum prædictum in libro, qui super altare debet esse paratus. Quibus finitis capellani domini Papæ bini & bini recipiunt nouos Cardinales, & eos faciunt osculari altare. Deinde ipsos adducunt secundum ordinem suum ad osculum oris Cardinalium antiquorum, & primo veniunt ad episcopos, secundo ad presbyteros, subsequenter ad diaconos Cardinales, quemlibet eorum secundum ordinem suum osculando. Quo facto antiqui Cardinales bini & bini redeunt ad consistorium ad sedendum secundum ordinem suum. Diaconi vero Cardinales antiquiores ducunt iterum bini & bini nouos Cardinales secundum ordinem supradictum ad osculum pedis & oris domini Papæ & postea eos ducunt vsque ad sedem, in qua debent stare in consistorio secundum ordinem per dominum Papam in nominatione eorum eis datum.

Vt admittantur ad osculum & amplexum.

85 *Postea omnes alij non Cardinales recedunt: post quorum recessum dominus Papa imponit silentium dominis Cardinalibus nouis, quousque ipse dominus Papa de consilio antiquorum Cardinalium os duxerit eis aperire: & tunc dicit eis, qualiter debent cum reuerentia loqui in consistorio, cum loquuntur alijs Cardinalibus, & etiam cum loquuntur tam in viam consilij quam in viam collationis, non contradicendo seu impugnando dicta aliorum Cardinalium; sed alias dicendo prudenter cum reuerentia quod eis Dominus inspirauerit: & qualiter etiam alios Cardinales debeant honorare: qualiter etiam in consilijs dandis debeant Deum præ oculis habere, & in mente & in ore tunc temporis sinceritatem & puritatem habere, amota omni partialitate amoris, odij, vel fauoris. Aliquando consueuit eis tum silentium imponere illo tunc, & reliqua proximo pro præcedenti eis dicere, dum eis decreuerit os aperire. Quibus dictis Papa surgit, & vadit ad cameram suam: & Cardinales omnes remanere consueuerunt in domo Papæ quousque mensæ pro prandio sint paratæ, & illa die omnes Cardinales comedunt in aula cum Papa. Et tum dominus Papa exit de aula cameræ, et venit ad prandium, associant ipsum duo diaconi Cardinales antiquiores vsque ad mensam ipsam præcedendo: & post prandium simili modo associant eum vsque ad cameram. Et sedent Cardinales in mensa primo secundum ordinem suum a parte dextra Papæ episcopi & presbyteri Cardinales tam antiqui quam noui, diaconi Cardinales iuxta modum consistorij.*

De imponendo eis silentio.

Post

Ritus in dando pileo rubeo

Post prandium eundem ordinem seruant in sedendo tam antiqui quam noui Cardinales: & cum fuerit tempus recedendi, dominus Papa, sedendo in cathedra sua, dat capellum rubeum nouis Cardinalibus secundum ordinem per eum in nominando eos eis datum, & ipsum capellum cuiuslibet ipsorum capiti imponit, ipsis Cardinalibus, nouis stantibus, coram eo genuflexis: & immediate familiaris domini Papæ, qui debet ibi esse paratus, capellum de capite ipsius Cardinalis recipit: & tunc quilibet eorum post prædictam impositionem capelli immediate secundum ordinem suum pedem domini Papæ osculatur. Et postea ipse dominus Papa quemlibet eorum ad osculum oris recipit secundum ordinem prædictum, & quilibet nouorum Cardinalium, osculo per eum a domino Papa recepto, ad sedem suam ibi redit. Quo facto, dominus Papa surgit ac itidem omnes Cardinales: & postea si ecclesia cathedralis sit ibi prope, noui Cardinales aliquoties ad orandum consueuerunt immediate ire, deinde ad domos suas redire.

Ve salutandi sint ob hoc gratia Cardinales veterani.

Sequenti autem die noui Cardinales debent simul incipere visitationem omnium Cardinalium antiquorum, quemlibet ipsorum in domibus quas inhabitant visitando, non attendendo in visitatione Cardinalium antiquorum, qui sint vel fuerint antiquiores Cardinales, sed secundum quod Cardinalibus nouis magis placebit. Et ipsi Cardinales antiqui debent nouos Cardinales tunc, dum visitantur, in camera sua secrete instruere quam dominum Papam & Cardinales antiquos debeant verbo & facto honorare & etiam revereri, et quem modum loquendi in consistorio vel alibi cum domino Papa vel Cardinalibus in viam consilij, seu collationis, seu alloquendo, vel insedendo debeant obseruare. Postquam vero Cardinales noui Cardinales antiquos visitauerint in suis domibus, Cardinales antiqui debent Cardinales nouos singulariter singuli in eorum domibus visitare immediate cum sunt creati per Papam.

De apertione oris.

86 *Dominus vero Papa in consistorio secundo, quod tenuerit, vel ad tardius in tertio consueuit os Cardinalibus nouis de consilio Cardinalium antiquorum aperire: & tunc eos hortari quomodo debeant in consistorio loqui reuerenter, & etiam alia bona verba, prout supradictum est, tunc temporis eis dicendo. Attendendum est tamen, quod dum prædictum consilium petitur, Cardinales noui debent exire consistorium, & stare in aliqua camera ibi prope, donec datis prædictis consilijs per Cardinales antiquos, postea per iuniorem antiquorum Cardinalium de mandato Papæ vocetur quod redeant ad consistorium: quibus reuersis, Papa consueuit eis os aperire. Papa vero singulis nouis Cardinalibus in consistorio die, qua eis os aperuit, dare consueuit titulos & annulos in fine consistorij: & quilibet nouus Cardinalis consueuit tunc temporis, dum Papa imponit annulum digito ipsius, genua flectere, & immediate post dationem annuli manum & pedem dicti domini Papæ osculari, & osculo per eum a domino Papa recepto, postea redire ad sedem suam. Noui vero Cardinales annulos portare non debent, etiam si, antequam Cardinales fierent, prælati extiterint, quousque dominus Papa in consistorio det eis titulos & annulos, vt est dictum.*

Quando dantur tituli & annuli.

Forma vero, quæ antiquitus consueuit seruari in apertione oris nouorum Cardinalium, & assignatione titulorum, & datione annulorum, est infrascripta; videlicet quod postquam sederint Cardinales tam antiqui quam noui in ordine suo in consistorio, tunc quando domino Papæ placebit, dicitur per eum nouis Cardinalibus, quod sedeant ad partem: & ipsis absentibus, dantur consilia circularia per Cardinales antiquos, an ora ipsorum nouorum Cardinalium sint aperienda: & si consulant, quod sic, reuocantur ad consistorium idem Cardinales absentes, & sedent in locis suis: & tunc Dominus Papa, proposita aliqua auctoritate, si placet, cum breui vel modica & quasi nulla ipsius prosecutione ora ipsorum aperit, dicendo: Nos aperimus tibi os, vel vobis, si sint plures, tam in collationibus quam in consilijs, & in electione Romani Pontificis, & in omnibus actibus tam in consistorio quam extra, qui ad Cardinales spectant, & quos sint soliti exercere. Ipsi vero ad proposita nihil respondent.

87 *Post hoc in fine consistorij, vel ibidem post apertionem prædictam, secundum quod domino Papæ videbitur, singuli Cardinales noui singulariter vnus post alium genuflectit coram Papa: & tunc Dominus Papa recipit vnum ex annulis præparatis ad hoc, & immittit digito Cardinalis noui; dicendo tunc hæc vel similia verba, quæ sequuntur: Ad honorem Dei omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Priscæ vel alterius sanctæ vel sancti, ad cuius honorem est fundata ecclesia, quam Cardinali nouo committit, committimus tibi ecclesiam S. Priscæ cum clero & populo & capellis suis, si est in presbyterum Cardinalem assumptus, & sic in similibus; & interdum adijcitur: Secundum formam, quæ committi Cardinalis consueuit, qui eandem ecclesiam intitulatam pro tempore habuerant. Si vero esset in diaconum Cardinalem assumptus, dicitur: Ad honorem, &c. vt supra, committimus ecclesiam sanctæ talis cum clero & populo suis, & omittitur capellis. Cardinalis vero qui recipit annulum, osculatur manum & pedem Domini Papæ, & dominus Papa ipsum post ad osculum oris recipit: & sic consequenter de alijs nouis Cardinalibus obseruatur. Quibus completis, vadunt prædicti domini Cardinales noui sedere in locis suis, nec tunc etiam Cardinales noui aliquid prædictis verbis & factis respondent. Attendendum etiam quod Dominus Papa tunc, præsentibus omnibus Cardinalibus, ordinat quos titulos habere debeant noui Cardinales absentes, vt inde solicitudo tollatur. Attendendum etiam quod præmissa, quantum ad apertionem oris ac donationis annuli & tituli, interdum consueuerunt fieri extra consistorium, quando dominus Papa vocat omnes Cardinales ad cameram suam pro consilio super negotijs habendo: & tunc omnes præmissæ solemnitates per omnia seruantur secundum ordinem antedictum; prout factum fuit anno a natiuitate Domini MCCCXXXIX die XVI. mensis ianuarij Auin. per dominum Papam Benedictum XII. in personas dominorum Cardinalium Ebreduncnsis, cui tunc fuit commissus titulus S. Marci, & Albi, cui tunc etiam commissus fuit titulus ss. Coronatorum: & Montis Oliui, cui tunc etiam commissus fuit tit. S. Stephani in Cælio monte, in camera prædicti domini Papæ Benedicti.*

Formula commissæ ecclesiæ.

Absentibus etiam conferuntur tituli.

Memoratur ritus in superiori Cardd. creatione seruatus.

IESV CHRISTI

Annus 1339.

BENEDICTI PP. XII. annus 6. VAC. IMP. OCCID. 26. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 8

Præcipua hoc anno gesta.

1 PArta est de Africanis & Granatensibus Saracenis illustris victoria anno Christi millesimo trecentesimo trigesimo nono indictione septima: Aragonius Sardiniam & Corsicam pontificiæ liberalitati solemni ritu acceptas in apostolica aula retulit: egere Andronici Imperatoris oratores de ecclesia orientali ad coniunctionem

nem cum Romana adducenda: præfecit sibi *ducem, mutata publicæ rei forma, Liguria; dati apostolica auctoritate imperij prouincijs in Italia vicarij: Eduardus Anglorum Rex censuris ob id munus in Germania inferiori Ludouici auctoritate gestum irretitus: concurrere infestis signis paratus Christianæ nobilitatis flos, iniecto diuina prouidentia furori fræno, abscessit; denique Bauarus, intermissum de sua reconciliatione tractatum redintegrauit. Pellicere ipsum ad Christianam pœnitentiam atque ab æterno exitio eripere Pontifex optimus enitebatur, sed nil ipsius benignitas profuit: ille enim impiorum, quibus agebatur, consilijs subornatus, confirmata potentia Anglorum Regem Germanici imperij creauit vt diximus vicarium, vt reliquos quos nondum sibi subiecerat, Eduardi Regis viribus opprimeret: elatusque in id potentiæ fastigium plura aduersus pontificiam auctoritatem erat molitus. Benedictus mollire iterum furentem clementia studuit, paternisque literis proposuit a ob oculos, quantis ac nunquam intermissuris supplicijs se addiceret: infelicis meminisset æternitatis humanæq; vitæ inconstantiæ, nec diuinam patientiam nouis sceleribus fatigaret.

Addit a Lud. Bauaro veteribus noua facinora.

a To. 5. ep. secr. 392.

2 *Magnifico viro Ludouico de Bauaria promereri gratiam in præsenti, per quam assequi valeat gloriam in futuro.*

Literas magnificentiæ tuæ benignitate solita recepimus, & quæ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu. Sane cum tam per eas, quam diuersas tuas literas alias hactenus nobis missas te reconciliationem tuam nobis & ecclesiæ sanctæ Dei desiderare asserueris, & afferas affectibus feruentibus & deuotis, in eis nihilominus subiungendo, quod nostris & ecclesiæ Romanæ iuribus & honoribus derogare non intendis in aliquo, sed ad eorum exaltationem te proponis impendere reuerenter; non sufficimus admirari, quod licet nos propter prælocutiones olim super eadem reconciliatione inceptas, quas desiderabamus, sicut adhuc desideramus, ad debitum finem perduci, procedere contra te super ijs etiam, quæ per te attentata referuntur interim, de quibus inferius aliqua exprimuntur, te per viam mansuetudinis ab ijs & alijs detestandis excessibus cupientes retrahere, omiserimus aggrauare processus per prædecessorem nostrum aduersus te, vt nosti, habitos diuersas spirituales & temporales pœnas & sententias continentes, tenendo negotium huiusmodi sub spe reconciliationis eiusdem de benignitate apostolica in suspenso; tu tamen, sicut habet rumor implacidus & infestus, deducens, vt videtur, huiusmodi nostram benignitatem & mansuetudinem in contemptum, statuta de facto fecisse vna cum nonnullis partium earum principibus his diebus præteritis diceris, per quæ licet nulla tibi esset vel sit attributa quomodolibet auctoritas super hoc vel potestas, prædictos processus habitos, & sententias promulgatas contra te per eundem prædecessorem de consilio fratrum suorum S.R.E. Cardinalium cum magna solemnitate, præsente multitudine fidelium copiosa, & in diuersis mundi partibus publicatos, dixisti & pronunciasti de facto, vt præmittitur, fore nullos (quamquam nulli homini quantacumque sit auctoritate suffultus, liceat se de ijs, quæ per Romanum Pontificem, maxime super ijs, quæ ad iudicium spectant ecclesiæ, ordinantur intromittere, nisi de licentia & auctoritate ipsius) honori & primatiæ præfatæ Romanæ ecclesiæ præsumptuose nimis & temerarie, quantum in te fuit, si sinceritas suffragetur relatibus, detrahendo.

Vt Ludouicus clementiæ pontificiæ illuserit.

Detrahere nisus sit pontificio primatui.

3 Præterea statuendo de facto mandasti, vt asseritur, quod in partibus Alamanniæ mandata non recipiantur apostolica, nec pareatur eisdem; nec illos, quibus per sedem prædictam prouideri contingit de dignitatibus & alijs beneficijs ecclesiasticis dictarum partium, permisisti aut permittis ad dignitates & beneficia huiusmodi recipi & admitti. Et vlterius prælatos, religiosos, & alias personas ecclesiasticas partium earundem ad violandum interdictū ecclesiasticum, auctoritate apostolica in diuersis ciuitatibus, villis, terris, & locis partium earundem appositum propter captionem & capriuationem personarum ipsorum, ac bonorum subtractionem, & alias crudeliter & immaniter (non absque plurimorum scandalis, contemptu clauium ecclesiæ, ac animarum periculis) non erubescis compellere, faciendo diuina officia in locis eisdem interdicto ecclesiastico, vt præmittitur, suppositis damnabiliter profanari: quamplurimos etiam religiosos, & præsertim fratres ordinis Prædicatorum (qui Dei timorem & amorem, ac reuerentiam sedis prædictæ, suarumque animarum salutem iniustis & iniquis mandatis & præsumptionibus sacrilegis & damnandis huiusmodi præferentes, profanare in locis prædictis recusarunt diuina) fugando, affligendo, & sic crudeliter persequendo, quod multi conuentus eorum propter hoc sunt, proh dolor! dissipati.

Germaniam ab eccl. cath. diuellere sit nisus.

Profanarit sacra.

4 Ad hæc detrahendo non parum eiusdem ecclesiæ Romanæ iuribus & honoribus, vicarium in certis partibus Alamanniæ, quamquam ad te non pertineat, deputasti, vt fertur. Hæc autem, quæ præmisimus (vt de multis alijs, quæ fert rumor huiusmodi taceatur ad præsens) si vera sunt, in diuinæ maiestatis contumeliam & offensam, ac iurium & honorum detractionem sedis prædictæ, fideique læsionem catholicæ cedere procuidubio dignoscuntur. Talia namque, quæ non solum Deum & sedem eandem grauiter non immerito prouocant, sed horrore mentes concutiunt & commouent catholicorum Regum, magnatum, & principum orbis terræ; maxime cum ex ijs fides tangatur catholica, ex qua iustus viuit, & extra quam non est alicui gratia neque salus; non sunt signa vel facta pœnitentis hominis Deum timentis, ac volentis reuereri sacrosanctam ecclesiam matrem suam, & reuerti ad eius gremium, cum se sentit esse, delictis & offensis suis exigentibus, extra illud. Quis enim fidelis dubitat, quin illi homines pestilentes hæretici & schismatici manifesti, qui adhuc sub tegmine alarum tuarum morari dicuntur, te de cuius salute ac honore non curant; sed ad hoc eum euidenti tuæ salutis & famæ detrimento tantum aspirant, vt tuo protecti munimine sibi pro suis sceleribus effugiant vltionem, retrahere moliti fuerint hactenus, & etiam adulando pestifere, moliantur in huiusmodi & alia præcipitia confusionis & damnationis æternæ *?

Arguitur fictam esse eius pœnitentiam.

Hæresiarchas sub tueri patrocinio.

*te impellere

5 Nos igitur, qui te super præmissis paterna charitate alloquimur, & tuam desideramus salutem, præmissa quæ tuæ optatæ reconciliationi obuia sunt admodum, & augmentum procurant indignationis diuinæ, ponentes tenore præsentium ante oculos mentis tuæ, tibi consulimus, & paternis exhortationibus & salutaribus monitis suademus, quatenus diligenter considerans vias

Monitus, vt animæ saluti prospiciat.

tuas

tuas malas, & dum tibi vitæ tempus superest, ab eis conuertere, & ad vias rectas dirigere non differas gressus tuos, vt possis illa verba prophetica dicere Domino; *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua*; non solum sæpe, sed sæpius intra tua præcordia reuoluendo, quod moriturus es, & tibi, qui iam in annos processisti plurimos, mortis terminus appropinquat, & ignoras penitus dies mortis. Et quid etiam, si (quod absit) te contingeret in tali statu & cum talibus operibus terminum claudere vitæ tuæ, exinde, cum te tua sequerentur opera, reportares? Profecto nihil aliud, nisi pœnas cruciatus perpetui, & tormenta. Et vt tua reconciliatio, tibi vtique salutifera peccatis tuis non impediatur proprijs, sed potius Deum & ecclesiam sanctam suam, ac nos & eandem sedem tibi magis placabiles constituas in hac parte; a præmissis excessibus omnino desistere studeas, & cum effectu attentata, vt præmittitur, circa hæc tam pie quam prouide reuocare, non procrastinando, dum tempus habes, sicut præmisimus, prosequi reconciliationem eandem; circa quam, si te digne ad id coaptaueris, nos & sedem prædictam, quantum cum diuino beneplacito, & honore ipsius ecclesiæ fieri poterit, propitios reperies & benignos. Et inter cætera satis expediens videretur, quod ab offensa & irritatione illorum, qui prodesse vel obesse tibi valerent super his, abstineres. *Dat. Auin. x. kal. febr. anno v.*

Proposita æterna supplicia.

Pœnitenti ostensa veniæ spes.

Superiora decreta[a] ac gesta impia aduersus pontificiam auctoritatem cum audisset Petrus Rex Aragonum, adeo exhorruit, vt tuendæ dignitatis Apostolicæ zelo Benedicto aduersus ipsius hostes armorum potentiam obtulerit; cui Pontifex gratias egit a ob eximium illius in ecclesiam studium, nuntiumque apostolicum ad Ludouicum, cum redeundi in gratiam cum ecclesia voluntatem præ se ferret, se transmisisse significauit.

Aragoni⁹ vires regias contra Bauarũ offert. a Eod. to. 5 ep. secr. 12

6 Versabatur b in aula Bauarica Arnaldus e Verdala A. S. N. pontificioque nomine cum Ludouico agebat, vt illius animum ad Christianam pœnitentiam flecteret, abduceretque ab Eduardi Regis fœdere, quo occidenti ac rei Christianæ necessaria pax restitueretur: cumque propositas nonnullas a Ludouico reconciliationis ineundæ rationes exposuisset Pontifici, is adhibitis in consilium quibusdam Cardinalibus Arnaldo respondit c; ac primam quidem a Ludouico oblatam conditionem non videri nec vtilitati nec honori sedis Apostolicæ conducere, neque in opus perduci posse; cum enim in ea dicat, se in omnibus controuersijs, quæ ipsi vna cum Rege Francorum intercessere, vel exoriri possint, pontificio iudicio statutum; absonam esse, cum nulla dissensio inter Regem ac Ludouicum ipsum exarserit, nisi imperij causa, in quo nullum sibi ius Bauarus arrogare possit, ad quod assequendum ecclesiæ gratiæ restitui optabat: vnde fit, vt si eam Ludouici submissionem, antequam conciliatus esset, sedes Apostolica admitteret, non leuem sibi iniuriam ac damnum pareret. Quod ad secundam attinet; restituto fidelium consortio Ludouico, si Francorum Rex arbitrum Pontificem vellet deligere, Regem Anglorum Ludouici arbitrio controuersias omnes permissurum; atque ita, imperatis inducijs, bellum inter ipsos Reges sopitum iri. At neque id videri sedi Apostolicæ honorificum, cum vni parti se addiceret; illam vero deceat in neutram inclinare; neque etiam id fieri posse, cum Francorum Rex Anglorum Regem fiduciarium & clientem suum appellet; nec dissentiat Eduardus: vnde cum Francorum Rex sit Anglorum Regis in vectigalium terrarum causa, de quibus lis vertitur, iudex, non facile in alterius arbitrium controuersiam collaturum; tum maxime, si de omnibus controuersijs agatur, cum Philippum non latear, Eduardum plura eaque maxima deposcere, de quibus putandum non sit, Francorum Regem compromissum facturum: præterea id exiguam vtilitatem pariturum, cum prius Ludouici reconciliatio perficienda, eaque diuturni temporis tractum consumptura sit; interea vero si bella sopita non fuerint, cum illorum incerti sint exitus, ea posse emergere, quæ resarciri postea non possint; & quamuis illa omnia abessent, non facile Pontificem & Ludouicum in eodem loco ad dirimenda, quæ compromissa essent, conuenturos; quare ab illis Francorum Regi denuntiandis se abstinuisse: hanc autem rationem conciliandæ totius rei componendæque ineundam.

b lib. ep. secr. 393. Missus ad Lud. inter nuntius.

Proposita a Lud. pactiones.

c To. 5. post ep. secr. 394.

Si, inquit, *idem Ludouicus ad nostram præsentiam suos certos super facto reconciliationis suæ destinaret nuntios, & dictus Rex Angliæ etiam suos cum potestate plena tractandi pacem cum eodem Rege Franciæ vellet transmittere, scribimus efficaciter eidem Regi Franciæ, quod idem duceret faciendum: & nos libenter laboraremus, vt reconciliatio & pax prædicta ad bonum peruenirent effectum; ita tamen quod interim pendentibus prædictis coram nobis guerræ, ex quibus innumera mala proueniunt, omnino hinc inde cessarent: & hæc via videretur cuilibet factibilis & honesta, &c.* Præcipit vt Ludouicum ad hoc consilium inflectat, ac si ipsum ad id adducere non potuerit, ne se alijs tractatibus irretiat, sed ad sedem Apostolicam his missis, se conferat. Petenti vero ad nonnullorum improborum hominum gratiam liberi & tuti commeatus syngrapham, cum ad eandem sedem pro flagitanda venia se conferre meditarentur, respondit: *Cæterum quia non est de more ac honestate Romanæ curiæ sceleratis hominibus dare conductum, illis hominibus, de quibus fiebat in tuis literis mentio, non concederemus eundem: sed si de sua salute solliciti gratis & spontanee ad sedem Apostolicam venerint, veniam & misericordiam humiliter petituri, eos (quos magis lucrifacere Domino, quam perdere cupimus) misericorditer, prout eorum exegerit deuotio & contritio meruerint, mansuete tractabimus & benigne, rigore iustitiæ oleo misericordiæ temperato. Dat. Auin. x. kal. februarij anno v.*

Proposita a Pont. concordia ratio.

Liberi cõmeatus syngrapha sceleratis non datur ab ecclesia.

7 Optabat sane Benedictus implere demãdatas sibi illius vices, qui prophetico ore contestatur: *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur et viuat*; idque etiam in Ludouici & aliquorum principum electorum, qui superiori anno Romanæ ecclesiæ maiestatem læserant, causa demonstrauit: hos enim, ac Ludouicum Pontifex paterno sinu, si flagitij ipsos pœnituisset, amantissime se excepturum respondit. a

a To. 5. ep. secr. 393

Benedictus, &c. magnifico viro Ludouico de Bauaria promereri gratiam in præsenti, per quam assequi valeat gloriam in futura.

Quia principes electores, quorum aliqui Deum, ac nos & sedem eandem grauiter offendisse noscuntur, benigne ac mansuete tractari per easdem literas supplicasti, asserens id esse prædictæ reconciliationis negotio multipliciter opportunum; scire te volumus, quod cum sedes prædicta, quæ benignitatem seueritati consueuit

Electoribus eius sequacib⁹ venia ostẽsa.

pro-

proue in Deo expedire cognoscit præferre, vere pœnitentibus & contritis non claudat gremium miserationis & gratiæ, tanto miserando benignius, quanto granius fuerit prouocata; offensores prædictos, prout eos de commissis huiusmodi pœnitentes & contritos, ac nobis & eidem sedi fideles & deuotos, vt tenentur & debent, cognouerimus; præsertim dicti consideratione negotij, propter ea, quæ præmisimus, insidentis admodum cordi nostro, recipiemus clementer, ac fauorabiliter & benigne tractabimus, rigore iustitiæ oleo misericordiæ temperato. *Dat. Auin. x kal. februarij anno v.*

Ludouici petitio, a Super ep. 393. Responsio Pontificis.

8 Flagitauit a quoque Bauarus a Pontifice, vt Arnaldo e Verdala apostolico nuncio reconciliationis illius perficiendæ auctoritatem tribueret: cui respondit Benedictus, missum illum ea de causa fuisse, vt ipsi suam mentem atque arcanas voluntates panderet: rem vero nisi in Cardinalium consistorio perfici non posse. Reuersus itaque est Arnaldus ad sedem Apostolicam, qui ob virtutis premium ad Magalonensem episcopatum euectus est, de cuius legatione Germanici historici b meminere; ac significauit Pontifici, Ludouicum ac principes electores decreuisse solemnes oratores pro optatissima reconciliatione perficienda transmittere: qua de re idem Pontifex ad Robertum Siciliæ, & Philippum Galliæ Reges scripsit c, vt legatos mitterent, quo rationibus suis consulerent.

b Alb. Arg in chron. & alij.

c To. 5. ep. secr. 111.

Extant porro in regesto pontificio nonnullæ pro Ludouici oratoribus ad sedem Apostolicam accessuris liberi commeatus syngraphæ, altera d quidem III. non. iunij huius anni consignata, in qua hæc adiecta conditio: *Dummodo dicti nuntij & familiares sexaginta numerum non excedant, nec sint de hæresi condemnati*; altera nonis octobris data e tum pro Bauari, tum principum electorum oratoribus. At interea Bauarus promissa Pontifici data infringebat, cumq; ab eo toties flagitatum esset, vt a coeundis molitionibus in Regem Francorum absisteret, ea enim re ipsius reconciliationē disturbatum iri; inuadendis tamē Gallijs, opprimendisque ecclesiasticis, qui sedis Apostolicæ partes tutari fuerant, inhiabat. Quem Benedictus monuit f, vt nonnulla, quæ contra datam fidem gesserat, et in arcana schedula descripserat, reuocaret: *Cæterum tibi*, inquit, *benigno suademus affectu, vt interim, huiusmodi coram nobis super reconciliatione prædicta pendente tractatu, prudenter abstineas a qualibet noxia nouitate; & maxime ne contra charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Franciæ illustrem, ac ecclesias & ecclesiasticas personas per te vel gentes tuas aliquid attentes aduersum: quinimmo ea, quæ contra promissiones tuas in dictis literis tuis contentas attentata sunt, studeas efficaciter reuocare; pro firmo sciturus, (quod si secus fieret, id dicto negotio magnum posset impedimentum & obstaculum generare. Dat. Auin. v. id. octobris anno v.*

d Ib. ep. secr. 466.

e Reg. post vand. ep.

f Ib. ep. secr. 416.

Monitus Bauarus, vt a Gall. & ecclesijs opprimendis absistat.

9 Inuadebat tum Gallias Eduardus Anglorum Rex Ludouici armorum præsidio fultus, et Cameracensem episcopum, accepta Germaniæ inferioris Bauari auctoritate præfectura, quam vicariatum vocant, imperij fiduciarium ad eliendis præstanda Ludouico officia adigere, vtque Regis Francorum fœderatum bello opprimere tentabat. Vt vero in oppugnando ecclesiastico principe imperij aliquem iuris colorem Anglus prætexeret, subornato sacerdote Cameracensi, Guillelmo episc. iudicium ineunte anno intentauit, vt sibi tanquam proregi cęsareo comitatum Cameracensem imperiali beneficentia acceptum referret. At episcopus de intentata sibi lite ad sedem Apostolicam prouocauit, ad quam spectabat causa, cum Ludouicus iura cęsarea non teneret. Benedictus itaque, vt accersitos ab Anglo iuris fucos ad colorandum iniustum bellum dilueret, edicto pontificio promulgauit, iniquam esse motam ab illo litem: iuris formulas tamquam a cęsareo legato editas rescidit; ipsumque Eduardum Regem ac reliquos principes, qui bellum comitatui Cameracensi inferrent, anathemate defixit. a

Eduardus cæsaream præfecturam gerit.

Eo fuco intendit litem episcopo Cameracēsi.

a An. 5. ep. com. 2.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Nuper venerabilis frater noster Guillelmus episcopus Cameracensis, non sine graui querela ad apostolatus nostri deduxit auditum, quod licet ciuitas & comitatus Cameracensis iure veri dominij spectent ad episcopum & ecclesiam Cameracensem, ac episcopi Cameracenses, qui fuerunt pro tempore a longis retro temporibus per tempora, quorum in contrarium memoria non existit, iusto & vero titulo ciuitatem & comitatum possederint supradictos pacifice & quiete; nuper tamen (quod non absque multa admiratione percepimus) charissimus in Christo filius noster Eduardus Rex Angliæ illustris, prætendens se vicarium imperij constitutum per Ludouicum de Bauaria, a sede Apostolica de hæresi & schismate condemnatum, omnique iure, si quod sibi in regno vel in imperio Romanorum ex electione, quæ dudum de ipso celebrata dicebatur, vel alio quouis modo forsan competijsset, suis culpis exigentibus, sententialiter & iuste priuatum; licet etiam vacante imperio, sicut nunc vacare dignoscitur, ad Romanum Pontificem, cui in persona B. Petri terreni simul & cęlestis imperij iura Deus ipse commisit, iurisdictio, regimen, & dispositio ipsius vacantis imperij pertinere noscantur; de facto, quamquam de iure non posset, eundem episcopum citari fecit sub pœna priuationis & amissionis omnium bonorum, feudorum, priuilegiorum, bonorum, & aliorum, quæ ab imperio tenere dignoscitur, vt coram eo certo iam elapso termino compareret: quare præfatus episcopus, qui huiusmodi citationi non paruit, prout nec parere etiam tenebatur, dubitans quod idem Rex forsitan eundem episcopum reputans contumacem, saltem de facto contra eum & præfatam ecclesiam Cameracensem procedat, ad Apostolicam sedem super hoc duxit humiliter recurrendum.

Intentat iniuria queritur Pontifex.

Licet igitur manifestum existat, quod prædicta citatio ac omnes processus, qui contra dictos episcopum & ecclesiam per præfatos Ludouicum & Regem, vel de mandato ipsorum propter hoc forsitan facti essent vel fierent, vel sententiæ, quæ propterea promulgarentur, iuribus non subsistant, nec subsistere possint, nec aliquam habeant, nec habere possint roboris firmitatem; ne saltem de facto dicti episcopus & ecclesia prægrauentur, nos prout tenemur ex apostolicæ seruitutis officio, huiusmodi insolentijs obuiare, & eiusdem & aliarum ecclesiarum præcauere dispendijs solicitis studijs intendentes, dictam citationem, omnesque processus & sententias per præfatos Ludouicum seu Eduardum Regem Angliæ, se vicarium dicti Ludouici vel imperij prætendentem, contra dictos episcopum & ecclesiam Cameracensem, forsan post dictam

cita-

citationem secutos vel subsequendos, dictasque pœnas in citatione prædicta comminatas; & sententias quaslibet super præmissis vel præmissorum occasione prolatas, vel in posterum proferendas per eosdem Ludouicum & Eduardum Regem vel alium, seu alios de mandato ipsorum super ciuitate & comitatu prædictis, & alijs bonis, feudis, priuilegijs, & honoribus, quæ ab imperio obtinent, habitos vel habitas, habendos vel habendas, latos vel latas, seu ferendos vel ferendas, quatenus de facto processerint vel procedent; auctoritate apostolica reuocamus, cassamus, annullamus, vacuamus, & irritamus omnino, ipsos nullos, cassos, vacuos, & irritos nunciamus, & nullam eos habere decernimus roboris firmitatem; districtius iniungentes, & etiam inhibentes vniuersis & singulis ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, & alijs personis singularibus quibuscumque, nec non cōmunibus & vniuersitatibus quibuslibet ciuitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, ne contra reuocationem, cassationem, annullationem, irritationem, & decretum nostra huiusmodi facere vel venire vel quidquam attentare, vel ciuitatem aut comitatum prædictos in toto vel in parte inuadere vel occupare, aut inuasos vel occupatos per se vel alios deincee præsumant in præiudicium dictorum episcopi & ecclesiæ, nec non præpositi, decani, & capituli ecclesiæ memoratæ. Ac nihilominus omnes & singulos, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, & status existant, etiamsi pontificali vel regali præfulgeant dignitate, contrarium facere præsumentes, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto: ac ciuitates, castra, villas, & alia loca ipsorum interdicti sententiæ eo ipso decernimus subiacere; nihilominus irritum & inane auctoritate apostolica decernentes, si secus super ijs per quoscumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque priuilegijs & indulgentijs apostolicis vel imperialibus eidem Eduardo Regi, vel præfatis ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, & alijs personis singularibus, nec non cōmunibus & vniuersitatibus quibuscumque sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, &c. *Dat. Auin. 11. id. ianuarij, pontificatus nostri anno v.* Data [a] est Leodiensi, Traiectensi, & Tornacensi episcopis diuulgandi huius edicti prouincia.

Rescindit Ludouici & Eduardi edita.

Vetat Cameracum inuadi.

a Reg. post eand. ep.

10 Verum Eduardus, cum frustra proditione nonnullos Cameracenses subornare nisus esset, aperto bello rem gerere aggressus, exeunte septembri maximo succinctus exercitu, stipatusque duce Brabantiæ, Geldriæ & Iuliaci comitibus, quorum primus ducis, alter marchionis titulos a Ludouico erant eblanditi, Cameracum cæsareæ quidem ditionis vrbem, sed quam episcopus idemque comes, vacuo solio imperiali, Francorum Regis clientelæ addixerat, eiusque milite præsidiario firmarat, obsidione cinxit; de qua hæc prodit vitæ Benedicti auctor [b]: *Dictus Odoardus Rex Angliæ intrauit Alemanniam, venitque in Frankford oppidum imperiale ad dictum Ludouicum ducem Bauariæ, petens ab eo auxilium & iuuamen contra dictum Philippum Regem Franciæ; fueruntque adinuicem contra dictum Philippum confœderati & colligati: dictusque Ludouicus, qui licet se falso gerebat pro Imperatore, talemque se nominabat, ipsum Regem Angliæ, quantum in ipso fuit, constituit vicarium imperialem in partibus Italiæ * & nonnullis alijs terris. Cuius occasione & prætextu idem Rex Angliæ Cameracensem ciuitatem, quæ est camera imperij, voluit intrare: sed negato sibi aditu, eam obsedit: ciuibus tamen eiusdem sibi viriliter resistentibus.* Dum Cameracum vrgeret obsidione Eduardus, Pontifex illum anathemate deuinctum ob fœdus armorum cum hoste ecclesiæ percussum, bellumque episcopo Cameracensi præfecturæ Germaniæ susceptæ scelere prætextu indictum, reuocare a cœptis studuit hisce datis ad ipsum literis [a].

Non pari tum est Pontifici.

b Gesta Benedict. apud Bosq.

Cameraci obsidio

* Cod. Reg. Galliæ Germaniæ potius legitur ex Benedictinis constat.

Benedictus, &c. magnifico principi Eduardo Regi Angliæ illustri spiritum consilij sanioris.

Ab ea reuocare Eduardum nititur Benedictus.

a T. 5. ep. secr. 417. est etiam apud Walsing. in Eduar. III.

Dudum te, fili charissime, clara imitari vestigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & sacrosanctam Romanam ecclesiam velut peculiares eius alumni & deuoti filij plenitudine deuotionis & fidei claruerunt, suæque splendorem prosapiæ a quauis obfuscatione nubili contagij præseruarunt, eaque in te prælucere clarius cupientes; ob paternæ charitatis & dilectionis affectum, quo te statumque tuum prosequimur, nostras tuæ celsitudini literas direxisse meminimus, inter cætera recensentes, qualiter excessus per nobilem virum Ludouicum de Bauaria olim, vt asserebatur, discorditer in Regem Romanorum electum, aduersus Deum & eandem Romanam ecclesiam, ac felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum per coaceruationem multiplicium & atrocium offensarum nequiter perpetrati, tuum præterire nequibant auditum: quos velut toti mundo notorios non omnes, cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitisset, sed ex eis aliquos in eisdem literis prouidimus, vt sequitur, recitandos.

Proposita in eum maioresque sedis Apost. beneuolentia.

Idem namq; Ludouicus contra processus prædecessoris eiusdē, &c. [Repetit vetera Ludouici in ecclesiā facinora ijsdem pene verbis, quibus antea illa recensuerat [b], nimirum irruptionem Italicam, susceptum hæreticorum patrocinium, promulgatam publico libello hæresim, creatum pseudopontificem, arreptum contra leges imperiale nomen, contractas censuras a Ioanne XXII. irrogatas, tum subdit:] Super quibus quidem pœnis, quantumcumque per ipsum Ludouicum promeritis, & in eum iusto ecclesiæ iudicio promulgatis, si vere pœnitens se humiliasset ad gratiam, benignam reperisset eandem ecclesiam, quæ ipsum tanquam filium prodigum de longinquo redeuntem ad suum gremium apertis brachijs recepisset, immolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum saginatum.

De edictis in Ludouicum Bauar.

b An. Chr. 1337. n. 7 & 8. vsq. cōtinetur.

11 Rursum adierimus in literis supradictis, quod quamquam prædictorum excessuum contra eorundem processuū per dictum prædecessorem contra dictum Ludouicum, exigente iustitia, postmodum habitorum notitiam habuissemus & etiam habemus; vt tamen ipsum a peccatorum nexibus liberatum de faucibus sempiternę mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apostolatus summi apicem assumpti, diuersos nūtios eius, diuersis vicibus & temporibus ad nos missos, receperamus benigne: ac pro reconciliatione ipsius, per fructum veræ pœnitentiæ promerenda, prolocutiones varias cum eis *.. & tunc pendebat etiam ad proloquendum vlterius terminus assignatus, in quo proculdubio per nos non stetit quominus vlterius fuerit super negotio reconciliationis eiusdem processum: quare, fili dilectissime, serenitatem tuam requirendam tunc duximus

Monitus deinde fit vt in sinū ecclesiæ redeat.

* habueramus:

Monitus Eduardus ne Ludouico non cõciliato ecclesiæ adhærescat.

mus per easdem literas & rogandam, vt prudenter aduertens, & in scrinium internæ consideratonis adducens grauitatem pœnarum, in quas inciderent & sententiarum quas incurrerent, quantisq; periculis, & discriminibus se implicarent, qui præfato Ludouico sic notorie & publice ab omnibus hæresis & sic odiosi toti Christianitati schismatis condemnato, antequam reconciliationis gratiam eiusdem ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, sibique impenderent auxilium, consilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiæ cultum seu titulum regalis vel imperialis nominis assignarent scienter, ac cuiuslibet participationis fœdera contrahendo cum ipso, & exhibitione reuerentiæ & honoris sibi tanquã Regi vel Imperatori quousq; dictus Ludouicus reconciliationis eiusdem ecclesiæ meruisset gratiam obtinere, penitus te retrahere & totaliter abstinere curares, vt tibi famæ integritas, & illibata tui generis claritas seruarentur.

Post quæ tumore implacido & infesto ad aures nostras deducto, quod tu requisitionibus & precibus nostris huiusmodi, de fonte prodeuntibus charitatis, non sine detrimento tuæ salutis & famæ, quod dolentes referimus, obauditis eisdem processibus prædecessoris eiusdem, per quos aduersus omnes & singulos cuiuscumque præeminentiæ, conditionis, vel status, etiam si pontificali vel regali vel quacumque alia ecclesiastica vel mundana dignitate fulgerent, præfato Ludouico adhærentes seu præstantes directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel fauorem; vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiam exhibentes, seu titulum regalis vel imperialis nominis assignantes seu ascribentes, graues spirituales & temporales pœnæ & sententiæ infliguntur, in sua perdurantibus firmitate; præsumpseras confœderationes inire cum eo, sibique adhærere ac præstare auxilium, consilium, & fauorem: &, quod est grauius, in serenitatis tuæ gloria notabilem ponere maculam non formidans, per totam Alamanniam & Germaniam ac vniuersas & singulas earum prouincias vicariatus officium sub imperialis nominis titulo susceperas ab eodem de facto, cum idem Ludouicus nec Rex nec Imperator existat; tali prætextu ecclesiarum prælatis & personis ecclesiasticis in terris imperij constitutis, ac in nostra & eiusdem ecclesiæ deuotione et fidelitate consistentibus, sub pœnis grauibus per tuas literas iniungendo, vt ad te, tanquam eiusdem Ludouici in partibus illis vicarium, super diuersis contentis in eisdem tuis literis conuenirent, prout in dictis tuis literis, quas tuo sigillo munitas præsentatas nobis oculata fide perspeximus, plenius continetur, contemnens damnabiliter pœnas et sententias prædictas, illis te manifeste, non absque horrenda tui status macula atque nota, procul dubio implicando; nos considerantes, quod huiusmodi vicariatus officium et alia, præmissa per te præsumpta ad tui honoris et status et famæ dispendium tendebant, te per dictas literas nostras requisiuimus et hortati fuimus, tibi paterno consilio suadentes, vt præmissa et alia, quæ circa illa tibi possent occurrere, deducens in rectæ discussionis et deliberationis examen; ac insuper tenens certius et attendens, quod idem Ludouicus, vt præfertur, nec Rex nec Imperator existit, nec aliqua, quæ fecerit vel faciat sub imperiali vel regali nomine sunt alicuius roboris vel momenti; quodque tibi periculosum erat ac multipliciter formidandum

Proposita pœnæ canonicæ in Ludouici sequaces.

Arguitur illis se irretisse.

Ludouicũ cæsareos apices iure non tenere.

bellorum subire discrimina, si fores dictis processibus, pœnis, et sententijs inuolutus, ac per hoc Dei et eiusdem ecclesiæ persecutor et hostis effectus, a quibus semper desideranimus teddere te immunem; ab huiusmodi præsumptionibus penitus resilires, gressusque tuos in viam rectam ac Deo placitam, tuisque statui, saluti, et honori congruam dirigere quantocyus nõ differres. Sperabamus enim, quod oculis tuis apertis ad bonum, et declinantibus non in erroris deuium, sed in callem rectitudinis et semitã veritatis, salutis monita deuote susciperes, et efficaciter adimpleres; nec Deum ac nos et eandem ecclesiam vlterius per grauiores excessus, ac oppressionea ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum contra te ad iracundiam prouocares.

12 Sed, sicut nouiter ex conquestione venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi Cameracensis, non sine admiratione et animi turbatione percepimus, et referimus cum dolore, tu prædictis monitis, requisitionibus, hortationibus, et precibus apostolicis deductis penitus in contemptum, aduersus præfatum episcopum et ecclesiam Cameracensem, ac comitatum & terras ipsorum quosdam voluntarios & odiosos processus, non absque diuinæ maiestatis & Apostolicæ sedis offensa & derogatione ecclesiasticæ libertatis, de facto prætextu vicariatus huiusmodi habere cœpisti, & grauiores facere continuas, ac contra ciuitatem Cameracensem, quæ ad episcopum & ecclesiam prædictos pleno iure noscitur pertinere equitum & peditum armatorum exercitum congregasti, ipsamque in dictorum episcopi & ecclesiæ damnum non modicum & præiudicium obsedisti, eamque detinere præsumis obsessam.

Iniquum in Cameracenses bellum gerit.

Cum itaq; processus, vel verius excessus huiusmodi non possimus salua conscientia, nec etiam debeamus conniuentibus oculis pertransire, quin ad tuitionem & defensionem eiusdem Cameracensis & aliarum ecclesiarum, in quarum oppressione iura nostra & Romanæ ecclesiæ opprimi dubium non existit, apponamus manum apostolicæ potestatis; excellentiam tuam iterato requirimus, & rogamus attente, per apostolica scripta tibi districtius iniungentes, quatenus attendens consultius, & reuoluens prudentius in scrutinio mentis tuæ quam periculosum tibi tuisque heredibus in posterum reddi posset, quod aduersus eiusdem prædecessoris processus notorie habitos, & per vniuersa fere orbis climata publicatos te procaciter erigas, & publice venias contra eos; quantaq; nota infamiæ & ignominia ex præsũptione tam damnabili respergaris: considerantius etiã cogitãs quale tibi tuisq; heredibus possit in posterum parturiri dispendiũ, si publicatus fautor hæretici & schismatici de hæresi & schismate condẽnati per solemnes processus eiusdem sedis Apost. deuiteris, consulto & prouiso consilio per emendationem debitam huiusmodi studeas præcauere periculo, et dispendia euitare, prædictum exercitum ab obsidione prædicta quantocyus reuocando, et a similibus in posterum abstinendo, dictoque vicariatus officio, per quod fama tua læditur, et status dignitatis regiæ non mediocriter minoratur, vlterius non vtendo. Alioquin, cum non sit deferendum homini contra Deum, nec ecclesiarum oppressiones possimus salua conscientia æquanimiter sustinere, contra te, licet inuiti, ad publicationem dictarum pœnarum et sententiarum, in dictis eiusdem prædecessoris processibus et constitutione contentarum et etiam prolatarum,

Proposita Ioannis XXII. edicta.

rum, quas te propter prædicta non est dubium incurrisse, infallibiliter procedemus, & procedi per alios faciemus, prout viderimus expedire. *Dat. Auin. IV. id. octobris anno V.*

13. Florebant apud Eduardum gratia & auctoritate Ioannes archiepiscopus Cantuariensis, & Richardus episcopus Dunelmensis, quibus Pontifex apostolico pro imperio iniunxit a, vt Regi exponerent, quantis periculis in gerenda Germanica præfectura, colendoque Bauarico fœdere se obijceret; atque ad sedis Apostolicæ capessenda iussa adducerent. Data etiam Cardinalibus nuntijs Petro tit. S. Praxedis & Bertrando S. Mariæ in Aquiro imperia b, vt Eduardum Angliæ Regem pœnas & censuras in decretis apostolicis aduersus Bauari sequaces latas contraxisse pronuntiarent; atque etiam pontificio nomine ipsi denuntiarent, nisi Cametacensem obsidionem solueret, ac præfecturam imperij in Germania Ludouici auctoritate susceptam abijceret, grauioribus in eum pœnis ac sententijs animaduersurum. Compararat sibi aduersus Eduardum æmulum Philippus Francorum Rex ingentia auxilia, accesserant c enim illius signis Ioannes Boemiæ & Philippus Nauarræ Reges, Aymo comes Sabaudiæ, Imbertus delphinus Viennensis, ac vigintiquatuor vel quinque millia equitum, peditumq; innumeram multitudinem ad bellum traxerat, parabatque d florentissimo illo succinctus exercitu irrumpere in Germaniam inferiorem, ne bellum in suo, sed hostium solo gereretur; cum Benedictus, veritus ne Germanis sæuiendi magis in Gallos præberetur occasio, suasit Philippo, vt hostem intra regni limites opperiretur: *Cum*, inquit, *intellexerimus noviter, quod Theutonici Regi Angliæ adhærentes prætextu præcessus cuiusdam processus, quem Rex ipse, se vicarium imperij nominans abusiue, aduersus ecclesiam & comitatum Cameracensem fecisse de facto dicitur aliquas in eodem comitatu ceperunt facere nouitates, existimantes forsitan callide quod tu, fili dilectissime, regnum tuum ad ipsos aggrediendos exires, sicque præstaretur occasio principibus & alijs Alamanniæ nobilibus te ac regnum tuum ex eo iuste inuadendi & offendendi, quod tu primo intrando terras regni Romani & imperij hostiliter inuasisses; nobis, qui te regnumque tuum prædictum sincera dilectione prosequimur, deliberatione cum quibusdam ex fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus honoris & commodi regni zelatoribus habita diligenti, expediens non videtur, quod regnum tuum prædictum quomodolibet exeas pro præmissis: sed sicut illum inclyta memoria Philippum Regem Franciæ prædecessorem tuum in casu quasi consimili gessisse testatur historia, cum apparatu decenti eos infra dictum regnum tuum, si forte, quod absit, illud ingredi attentarint, expectes: super quibus mature, prudenter, & consulte circumspiciat regia prouidentia, quid agendum, &c. Dat. Auin. VIII. id. octobris anno V.*

Secutus est pontificium consilium Philippus Rex, & castra ad flumen Isatam Regis Anglorum castris proxime admouit e. Laborare cœperat commeatuum inopia Germanorum Anglorumq; exercitus, cum Eduardus, metuens ne exercitus sensim absumeretur, vniuersi certaminis aleæ spes suas committendas censuit. Prouocauit itaque Philippum Regem ad pugnam; sed prudentes eam suaserunt declinandam ne Gallia in apertum discrimen conijceretur; hostemque vincendum consilio, atque interclusis commeatibus atterendum, vt obseruat Hocsemius a, qui rei exitum accurate describit: *Sextadecima*, inquit, *die dicti mensis*, nempe octobris huius anni, *Rex Franciæ cum vigintiquatuor millibus equitum transit flumen Sommam per pontem Peronæ interim Rex Angliæ se retraxerat versus Guisiam versus Terraciam propter defectum victualium, quæ gens Regis Franciæ non permittebat venire: & die XXIII. scilicet sabbatho de sero, exercitu soluto, recessit*. Tribuendum vtique est diuinæ prouidentiæ, vt potentissimi exercitus infestis signis non concurrerent, ne tantus Christianus sanguis funderetur, ex quo fidei hostes maiores animos collegissent ad rem Christianam euertendam, vt expendit Benedictus in suis ad Eduardum Anglorum & Philippum Francorum Reges datis literis. Scriptas ad Eduardum Regem affert Thomas Vvalsingamus b: quæ vero Francorum Regi missæ, subiecta verborum forma sunt conceptæ. c

14 *Benedictus, etc. Philippo Regi Franciæ illustri.*

Dum diligenter attendimus, & profundis cogitationibus meditamur, quanta summi & æterni Regis fuerit benignitas, & misericordissimæ affluentia pietatis, quod pridem tuis, charissime fili, & illustris Angliæ Regis eiusque colligatorum ordinatis aciebus, & multum ex propinquo ad confligendum terribiliter ex animo se dispositis hinc & inde, secuta non extiterunt pericula, quæ tantus fragor armorum & armatorum impetus minabantur; eidem laudum exoluimus præconia, cum hoc ad donum Dei maximum, & grande opertum misericorditer a clementia diuinæ prouidentiæ, quæ in sui dispositione non fallitur, miraculum reputetur. Ex hoc quidem colligi potest etiam apertius, quod Altissimo, qui bella conterit, & gentibus ea volentibus per prophetam dissipationis exterminium comminatur, tanta sanguinis redemptorum pretioso cruore dominico, quanta fuisset, si conflictum sibi dedissent acies prædictæ tunc temporis in totius Christianitatis damnum & opprobrium ac animarum multarum periculum, effusio non placebat. Regalis quoque circumspectio potest etiam aduertere diligenter, quantum tu & Rex prædictus indignationem habeteris formidare diuinam, si populos Dei, quos ipse a periculis animarum & corporum eripuit sic benigne, iterum simili subijcere discrimini curaretis. Timendum esset proculdubio, vt adeo accenderetur, et præsertim vehementius contra illum, qui huiusmodi discrimini daret ampliorem operam, ira Dei, vt tanta strages tantaque confusio sequerentur, quod tota concuteretur Christianitas, et reformatio pacis et concordiæ non solum difficilis, sed impossibilis (quæ non sinat misericors et miserator Dominus contingere) redderetur. Et insuper nec minus considerandum videtur, quantum occasione guerrarum præsentium multis et varijs modis, vt fertur, regij subditi non modicum sunt exhausti pecunijs, et alijs bonis suis; et etiam quod, si continuatio talium onerum sequeretur (quod absit) amplius grauarentur: quodque bellorum euentus est dubius, et multum, vbi Dei timetur indignatio, formidandus.

Idcoque regiam magnificentiam rogamus in Domino attentius, et hortamur, eam nihilominus per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus præmissa et alia, quæ possunt occurrere circumspectioni regiæ in hac parte, reuoluens intra claustra pectoris regij, et deducens in exactæ deliberationis examen; ad reformandam pa-

Marginal notes:

a Ead. l. 5. ep. secr. 418. 419.

Legati Cardinales ad Angliâ missi.

b Ib. ep. 420.

Interdicta illi ecclesiastica.

Parat Gallus irrumpere in Germ.

c Io. Vill. l. 11. c. 85. Masson. vbi sup.

d To. 5. ep. secr. 415.

Id consilium dissuasit Pontifex.

Additamento.

Confirmata exemplo.

e Io. Vill. l. 11. c. 85.

f Masson. in Phil. VI.

a Hocsem. l. 2. c. 25.

Gallus XXIV mill. equitum educit.

Intereclusis Anglo commeatus. Soluti vtrinque sine cæde exercitus.

b Vvalsin. in Eduar. III.

c To. 5. ep. secr. 425.

Monitus Phil. vt certamen detrectet.

Paci animum accõmodet.

pacem cum Rege præfato vel treugas incundas (vt tuis, dilectissime fili, tuorumque obuietur periculis; & Deo, qui pacem diligit, & in viris pacificis delectatur, magis placeas, reque acceptiorem eidem efficias) animum habilites regium & inclines; dilectorum filiorum nostrorum Petri tit. S. Ptaxedis presbyteri & Bertrandi S. Mariæ in Aquiro diaconi Cardinalium, Apostolicæ sedis nunciorum, zelatorum vtique regij honoris & commodi, quos dudum ad partes illas propterea de consilio fratrum nostrorum destinauimus, monitis & salubribus circa hæc persuasionibus effectualiter nihilominus acquiescens, &c.] Adiungit preces, vt si ad mutuam pacem a Cardinalibus adduci non potuerint, inducias ineat; seque apostolicas partes in concilianda controuersia adhibiturum; atque ideo oratores summa ad id auctoritate instructos mittat, quibus regiam aperiat voluntatem. *Dat. Auin. x. kal. ianuarij anno v.*

15 Ex superioribus literis atq; alijs antea indicatis pontificius illustratur zelus in conciliandis Regibus, belloque exitiabili sopiendo adhibitus: ad quem magis collustrandum tentata ab eo varijs huius anni temporibus cumulanda visa sunt. Egit a in primis III. non. martij cum Cardinalibus nuntijs de varijs ineundæ pacis inter Reges rationibus explorandis; mense vero iulio induciarum paciscendarum nonnullæ leges propositæ ab Anglis, quarum primæ rationi consentaneæ, duæ postremæ Regi Francorum admodum iniquæ, vt nimirum Scotis nulla auxilia submitterentur, atque arces in Aquitania superiori anno occupatæ restituerentur; de quibus suam sententiam Pontifex ita protulit. b

a To. 5. ep. secr. 395.

Proposita a Pont. cõcordię ratio.

b Ib. ep. secr. 410.

Petro tit. S. Praxedis presbytero Card. A. S. L.

Velle ad tractarum pacis pro parte dicti Regis Angliæ asserentes redire, petunt in treugis pro tractatu eodem ineundis quinque subsequentes conditiones apponi. Primo videlicet, quod damna, quæ illata durantibus treugis fuerint, hinc inde rationabiliter emendentur. Secundo quod alligati & amici vtriusque partis, vigẽtibus treugis, possint ire per terras & dominia vtriusque Regum prædictorum libere ac secure. Tertio quod mercantiæ resque aliæ de vno regno ad aliud deferri similiter valeant & conduci. Quarto quod dictus Rex Franciæ Scotis interim auxilium non impendat. Et quinto quod restituat occupata per ipsum de ducatu Aquitaniæ, postquam idem Rex Angliæ mare transiuit. [Expugnasse e nonnullas arces Philippi duces, referunt historici, ac Burdegalam a ipsis deditam hoc anno, cum repente coniurati ciues in Francos incautos duce Inghamo Anglo insurrexere, atque vrbe non sine strage pepulerunt. Porro conditiones duriores ita mollire studet Pontifex]. Nos igitur præmissis diligentius intellectis, primam & tertiam simpliciter & secundam conditiones huiusmodi cum temperamento, quod alligati & amici prædictorum Regum terras & dominia ipsorum hostiliter vel cum armigera gente non intrent, satis rationabiles, & reliquas duas difficiles existimamus; quamquam super quarta posse videretur lenitatis antidotum adhiberi, vt scilicet Rex præfatus Franciæ procuraret, vt inter Scotos & Regem Angliæ prædictum inirentur treugæ per tempus, quo inter Reges eosdem fierent duraturæ; vel quod negotium Scotiæ vna cum principali Regum prædictorum negotio in nostris manibus poneretur. Ea vero, quæ quinta conditio continet, magis principale negotium deducendum in pacis tractatu, quam treugas indicendas concernit. Sane quia veremur, quod via pacis prædictæ, quam accensis optamus desiderijs, intentione recta & modo debito non quæratur, expedire credimus, quod per te dictumque Cardinalem collegam tuum non respondeatur præmissis; sed potius per partem alteram & vos tanquam mediatores ad temperandum, partesque reducendum ad concordiam, sicut iuxta ea quæ præmisimus, & alia quæ vobis occurrerint expedire cognoueritis, diligentibus studijs intendatis; vt si, misericordia faciente illius, qui concordiam in sublimibus operatur, aditus pandatur accõmodæ pacis tractatui, adsit vestra fidelis & sedula solertia operatrix: alias autem nec nobis nec vobis, quin quod potuimus in hac parte fecerimus, possit a Deo vel hominibus, sicut sæpe refricauimus, imputari, &c. *Dat. Auin. XVII. kal. augusti anno v.*

Variæ in Aquitan. conuersiones.

c Froissard. hist. l. 1. d Vualsin. in Eduard III.

16 Cum nullæ firmari induciæ potuissent, iterum XII. kal. octobris Benedictus Reges flectere ad pacis consilia pertentauit a, proposuitque ob oculos rem Christianam ex eo bello euerti, insolescere fidei hostes, perire animas, atque innumera mala pullulare in republica Christiana. Obsurduerant regiæ aures ad hæc monita apostolica, armorum fragore oppletæ, fessique Cardinales nuntij pacem surdis canere, flagitabant ad sedem Apostolicam reuocari: quos Benedictus eo maiori ardore ad procurandam concordiam XI. kal. octobris iussit incumbere b, atque ad Eduardum se conferre, quo Reges maiori furore ad bellum procurrerent; tum VIII. id. octobris Philippum grauibus monitis, ne sectandæ paci deesset, instruxit. c

a To. 5. ep. secr. 413.

Difficta pacis consilia.

b Ib. ep. secr. 414.

c Ep. 415.

Non deerant porro muneri suo Cardinales in his Eduardo exponendis: at non nisi tristia belli nuntia retulere Benedicto, qui vna cum ijsdem Cardinalibus versus in lachrymas conceptum ex rei Christianæ exitio dolorem cum ipsis partiti ac delinire conscientiæ integritate studuit d: *Ex ijs quidem*, inquit, *filij dilectissimi, amaricata corda vestra sentimus hactenus, proculdubio sentimus, & nos non minus paternis commotis visceribus dolore cordis tangimur intrinsecus, & suspiramus amare præfatorum Regum & aliorum Christi fidelium gratia exinde pericula formidantes. Verum quia nos & vos quod potuimus circa præmissa fecimus sic, quod credimus esse debere apud Deum & homines excusati, restare non videtur agendum aliud, nisi quod ad diuinum auxilium recurrentes, si per operationes nostras & vestras aliud vtile ad obuiandum tantis malis & periculis possit agi, non simus tepidi vel remissi. Dat. Auin. v. kal. nouembris anno v.* Confectus itaque dolore ob filiorum, in mutuas cædes ruentium, dissensiones pater optimus Cardinalibus, desperatis de concordia rebus, præceperat e XIV. kal. decembris, vt ad sedem Apostolicam, si Philippo Regi ita visum esset, reuerterentur: cum X. kal. ianuarij Anglorum & Francorum Regibus significauit f, se ad suscipiendam dirimendarum omnium controuersiarum prouinciam paratissimum, modo ea de re missis ad sedem Apostolicam oratoribus inducias paciscerentur.

Concepte exinde a Pont. grauis dolor.

d Ib. ep. secr. 422.

e Ead. to. 5 ep. secr. 423.

f Ib. ep. 425. 426.

17 Perfici pax non potuit, cum in ea tractanda Eduardus Anglorum Rex difficillimum se præberet, vt queritur Pontifex g; cum tamen Francorum Rex ad pacis consilia incliuaret, ac

Anglus concordiã respuit.

g Ib. ep. 413.

Pon-

a Ibid.

Pontifici & nuntijs Cardinalibus obsequeretur a: affectabat enim Eduardus non ignobilia oppida Aquitaniæ, sed vniuersum Francorum regnum, vt vel aliquam prouinciam, Normanniam, Britanniamue adipisceretur. Auxit vero eius res Belgarum a Gallo Rege defectio, quam extremo anno contigisse Hocsemius, harum conuersionum spectator, narrat b.

b Hocsem. l. 2. c. 25.

Belgarũ a Gallo defectio.

Interim, inquit, *Flamingi, percipientes quod Rex Angliæ in Francia sic iacebat, terram comburendo & deprædando, sibi nemine resistente, se congregauerunt in finibus terræ suæ, mandantes Regi Franciæ, quod Insulam, Duacum, & terras reliquas, quæ dudum ad Flandriam pertinebant, restitueret: alioqui Insulam obsiderent.*

Desciuisse Belgas a Francorum Rege, seditionis principe Iacobo Arteuelda Gaudauensi ceruisiæ venditore, comitemque pepulisse, tradunt historici: ipsiusque consilio ad religionem, qua Gallo ictis præteritis fœderibus obstricti erant Flandri, eludendam Eduardum Gallica corripuisse insignia ne periuri dicerentur; de quibus dicetur inferius. Extant porro Eduardi literæ hoc anno Antuerpiæ ad Benedictum & Cardinales datæ, quibus plura de Philippo Rege conquestus, rationes, quibus ad regnum Francorum annitebatur, exposuit. a

Ab eo vsurpata Gallica insignia.

Argumenta Eduardi in consectanda Gall. corona.

a Ext. apud Vval in Eduar. III.

Euidentia, inquit, *facti notorij præsupponit, quod celebris recordationis Philippus olim Rex Franciæ, pater claræ memoriæ Caroli Regis Franciæ immediate defuncti & serenissimæ dominæ Isabellæ Reginæ Angliæ matris nostræ, fuerit auus noster, cum eidem Carolo tempore mortis suæ ex descendentibus secum ab eodem Philippo masculus superstes proximior fuerit nullus nobis; & persona fœminea dicti regni per ius in eodem regno seruatum antiquitus, sit non capax: quod ius regni præfati fauorem in viam causæ finalis attendens, ne regnum ipsum sub fœminea fragili gubernatione labatur, & propter hoc personam mulieris excludens, non excludit personam masculi per sic exclusam fœminam descendentis, ne fiat iuribus semper odibilis prorogatio odiorum, persona videlicet ad personam, sexus ad sexum, causa ad causam, odij ad fauorem, nec contra legum traditiones communis * fœmineum genus, vbi maxime de odio agitur, concipiat masculum.*

* in

*Ad hoc etiam per ius memoratum a regno fragilitas muliebris excluditur, vt regno salubrius consulatur, & proximior masculus admittendus alias admittatur potissime ad ius illius, qui primordialiter a matre sic exclusa non oritur; sed in nepotem propagatum ab auo originaliter deriuatur: alioquin sequeretur & alia iniquitatis absurditas per prorogationem odibilem supradictam, quod excluderentur collaterales coniunctorum, vt remotior vocaretur, cum ipso iure gentium naturali fratres eorumque filij in successione mutua collateralibus alijs alterius lineæ præferantur, & inde dictum ius pro regni fauore, ac odio fœmineæ inhabilitatis ad regnum exoritur tam * iuris quam descendentium, ne per fœmineam masculorum iniuriæ occasio nasceretur, &c.*

* mulieris

Interiectis in eandem sententiam nonnullis, queritur Eduardus latam contra se a paribus Francorum proceribus iniquam sententiam, ac suos procuratores, obiecta mortis formidine, reiectos: tum Philippum eiusdem iura oppressisse in Aquitania, fœdus cum Scotis Anglicæ coronæ perduellibus coniunxisse:

Querelæ in Philippum.

coniurasse semper in exitium suum; ac nocendi studio iuratam Christi causam deserere exprobrat: atque ideo ad conquirenda vndique auxilia iure naturæ se incubuisse; excusatque initam cum Ludouico Bauaro coitionem, cum id eo consilio egerit, vt ipso veluti scuto in hostem vteretur; bellumque in solo hostili gereret: neque ea re ab ecclesia defecisse, erga quam regium studium, supremamque in terris Pontificis auctoritatem hisce verbis profitetur.

Periuriũ illi obijcit

18 *Non igitur apud vestra viscera misericordiæ & sanctitatis locum inueniat detrahentium informatio æmula, vel sinistra, facta de filio, qui suorum hereditario iure maiorum in vestra & Apostolicæ sedis gratia & obedientia semper inconcusse persistet: immo si quauis de filio taliter facta suggestio pulsauerit beatitudinis * forsitan aures, nõ prius a vestra dignatione sancta credulitas illi detur, quam auditus sit filius, qui tangitur, qui confidit, et indesinenter intēdit ante sanctitatis vestræ iudicium omni præsidens creatura (quod negare, hæresim est probare) iustã dicere vel iustam facere quamlibet causam suam. Illud demum dicimus, ad nostræ intentionis maiorisque deuotionis euidentiam subiungentes, quod si sit aliquis nobis fœdere naturæ coniunctus, nobisque ad nostram defensionem adiunctus, qui per viam obedientiæ Apostolicæ sedis vestræ non ambulet, sicut debet, dare intendimus, quam non parum vtiliter dare posse fidimus, operam indefessam, vt omnium dimisso deuio, ad viam obedientiæ redeat, omnemque faciat semitam suam rectam.*

Initum cum Bauaro fœd' excusat.

* vestræ

Supremã Pont. auctoritaté negare hęresim vocat.

Vnum rursus quod a multis audiuimus, petita venia cum reuerentia, non tacemus, quod alias inauditum fuit quantoq; consideretur attentius, pungit atrocius mentem nostram, videlicet quod aduersarij nostri manus, notorie nunc vt prius ad nostri tantum laborantis exitium cum guerram faceret nemo sibi nec ipse alij nisi nobis de Christi patrimonio sit armata, quod certe Reges Angliæ nostros prædecessores illustres Christi pugiles, fidei athletas, sanctæ Romanæ iuris ecclesiæ amantissimos zelatores, eiusque mandatorum deuotissimos seruatores, vt nos etiam, nec scimus nec credimus meruisse. Et licet propter hoc dicatur a pluribus, non a nobis, quod contra nos facta subuentio quod ad nos actus patris vel matris non extiterit, sed nouercæ, nihilominus tamen constanter asserimus quod sumus & perseueranter erimus vestræ sanctitatis vestræque sedis deuotus & humilis filius, non priuignus, &c. Dat. apud Anduuerp. XVI. die iulij anno Domini MCCCXXXIX.

Queritur sacras decumas aduersus ipsum auerti.

Corripuisse sequenti anno Gallica insignia Eduardum visuri sumus, eaque de re a Pontifice obiurgatum. Vt vero potentiam suam confirmaret magis ad inuadendas Gallias, filium eum ducis Brabantiæ filia matrimonio iungere statuit: sed Pontifex Philippo Regi canonicas leges ad filij Eduardi gratiam precesuo non solutum iri, est pollicitus a, cum non deceat vt ecclesia eos suis beneficijs prosequatur, qui ipsam iniurijs, inito cum hoste fœdere, affecerunt.

a To. 5. ep. secr. 411.

19 Dum occidens Eduardi Philippique Regum dissensionibus æstuabat, orientis Imperator Andronicus iam ante a Ioanne XXII. Philippo Francorum & Roberto Siciliæ Regibus, ac Venetis, inuitatus ad coniunctionem, Barlaamum abbatem ac Stephanum Dandalum oratores ad sedem Apostolicam misit, qui Benedicto exponerent, Græcos ad coniunctionem ecclesiarum inclinare ijs legibus, vt in concilio œcumenico de processione Spiritus sancti orthodoxum dogma

Græcorũ ad Pont. legatio.

concertationibus theologicis illustraretur statueretur que: & antequam cogeretur synodus, auxilia Græcis ad quatuor vrbes principes a Turcis in Asia recuperandas submitterentur. Confectæ sunt de eo tractatu subiectæ tabulæ a, quæ ob rei dignitatem silentio præteriri non possunt,

a Ext. a-pud Bzou. to.3. ep. secr. 289.

*In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno a natiuitate ipsius millesimi trecentesimo tricesimo nono ad præsentiam sanctissimi patris domini Benedicti diuina prouidentia papæ XII. apud ciuitatem Auinionensem, vbi cum sua curia residebat, Barlaam dictus abbas monasterij domini nostri Iesu Christi saluatoris Constantinopolitani vna cum nobili viro Stephano de Dandulo milite veniens, & literas *... dominorum Philippi Franciæ & Roberti Siciliæ Regum illustrium, continentes inter cætera, quod idem Barlam cum milite prædicto ex parte magnifici principis Andronici moderatoris Græcorum pro negotio reunionis Græcorum ecclesiæ Romanæ, ac ipsius catholicæ vnitati missus fuerat ad has partes: coram præfato domino nostro summo Pontifice ipsiusque sacro collegio dominorum Cardinalium in effectu proposuit quæ sequuntur: videlicet quod in generali concilio, per eundem dominũ nostrum summũ Pontificem conuocando, articulus de processione Spiritus sancti per disputationes & concertationes ibidem concordaretur inter Latinos & Græcos: quodque ante omnia super recuperatione trium vel quatuor ciuitatum magnarum, quæ per Turcos infideles in præiudicium imperij Græcorum occupatæ detineri dicuntur, per ipsum dominum summum Pontificem & ecclesiam, dictosque Reges ac fideles alios præstaretur auxilium, & aliæ non modici ponderis gratiæ a sede Apostolica Græcis exhiberentur prædictis.*

* ferens Barlaam & Steph. Dandalus ea functi,

Poscunt Græci cõcilium,

Et auxilia contra Turcas,

Et licet prædicti Barlaam & miles interrogati ab eodem domino nostro summo Pontifice ipsiusq; collegio, si habebãt super præmissis vel alijs proponendis & audiendis ab illo, qui se dicit patriarcham Constantinopolitanum in illis partibus, aut moderatore prædicto, vel alijs personis magnatibus dictarum partium, ecclesiasticis aut mundanis, literas vel mandatum, ne frustratorie aut delusorie procederetur super his; cum, sicut ex gestis antiquis colligitur, olim super vnione prædicta solemnibus tractatibus habitis & negotio concordato, postquam Ioannes tunc patriarcha Constantinopolitanus & quondam Michael Palæologus moderator Græcorum synodano suo celebrato concilio per suos solemnes apocrisiarios idoneis mandatis suffultos fidem catholicam, quam tenet, docet, & prædicat eadem Romana ecclesia, fuerunt in generale concilio Lugdunensi professi; retro respicientes damnabiliter a professione huiusmodi recesserunt, & ad vomitum redierunt, eadem ecclesia Rom. quantum in eis fuit, remanente delusa. Confirmantur hæc ex ijs, quæ ante a nobis dicta sunt b, Palæologũ a Martino IV. fuisse percussum anathemate non iniuria ad Caroli Siciliæ Regis gratiam, sed ob turpem in vetus schisma lapsum. Pergunt superiora documenta; *Finaliter Barlaam & miles responderunt prædicti, se nequaquam habere huiusmodi literas vel mandatum. Tamen præfati dominus noster & ipsius collegium reunionem affectantes prædictam, ex qua, si daretur a Domino, salus animarum multarum proculdubio resultaret, ea quæ dicti Barlaã & miles valebant proponere ad experiendum, si forte fructus exinde posset aliquis elici, vnde via vtilis aperiri valeret negotio reunionis prædictæ, fecerunt sibi dari quæ quibusdam coloratæ rationibus sequuntur in hunc modum.*

Expetitũ ab ijs principis patriarchæ ue mandatum.

Postulati causa,

b To. 14. ann. Chr. 1281. n. 26.

Quid responsum a Barlaamo

20 *Quoniam diuinum & adorabile mandatum factum est mihi a vestra sanctitate, vt dicam modum per quem reputo ego possibile esse orientalem ecclesiam vniri occidentali, ecce vestro obediendo mandato, hoc Deo præcedente iam faciam. Primum autem omniũ deprecor Deum, vt sicut ero cum omni veritate & puritate cordis loquar de istis, sic & ipse emittat ad sanctam animã vestram quod sit ad gloriam quidem & laudem vestræ magnificentiæ, destructionem autem impiorum, perfectionem vero & vnitatem omnium Christianorum. Sanctissime pater. Duo sunt modi, per quos potest aliquis reputare possibile esse fieri prædictam vnionem, vnus quidem, qui fit violenter, hoc est si vim passi habitantes orientem nolentes recipiant vestram communitatem. Alius vero, qui fit voluntarie, hoc est si per doctrinalia verba eruditi & humiliati volentes vobiscum vniantur. Horum ergo duorum modorum prior quidem omnino dimittatur, quoniam & vobis placet. Secundus autem, qui est voluntarius duplex est, alius est enim modus, per quem possibile est sapientes nostros concordari vobiscum, & alius per quem populum communem. Sapientium quidem modus simplex est & facilis: nam si venerint ad vestram sanctissimam maiestatem ex nostris sapientibus triginta & quadraginta, aut quotcumque sint, bene scio quia concordabuntur vobiscum statim facillime. Quare? quia neque vos quæretis vt irrationalis appetitus vincat, neque illi: sed & vos & illi quæretis vt vincat veritas. Ergo quoniam & ambo desideratis veritatem, credendum est, quia & cito ipsam inuenietis, & cito concordabimini: sed isti, postquam fuissent concordati vobiscum, reuersi ad orientem non poterunt reducere populum nostrum ad credendum, quæ fuerunt concordata vobiscum, cum salua essent dogmata sanctorum patrum: sed surgens alij quidam aut propter inuidiam aut vanam gloriam, aut forte reputando benefacere, & docebunt totum contrarium plebi, & dicent: Viri fratres, videte ne seducamini neque audite eos: isti enim, cum sint corrupti propter munera & vanam gloriam, aiunt quæ dicunt. Nihil ergo remoueatis ex his quæ tenetis. Isti ergo, sanctissime pater, dicendo talia verba, humiliabunt plebem credere magis eis: sapientes autem, qui vobiscum fuerint concordati, nihil facere poterunt, sed magis erunt in periculo a turba pereundi: vnde prædictus modus propter quidem sapientes sufficiens est, propter vero populum nequaquam.*

Eiusdem ad Pont. & Card. I. oratio.

Qui modi ad Græcos ad Latinorum coniunctionem reuocandos fingi possint.

Cur non sequatur vnio ex missis in occidentẽ Græcis.

21 *Quis ergo est modus, qui & plebem & sapientes simul adducet ad vnionem vestram? Ego dicam: audiendo communis populus, quia sexies factum est generale concilium, & quoties factum est, ad perfectionem ecclesiæ factum est, & ad correctionem errorum, qui erant in illis temporibus opinionem receperunt omnes ad animas suas, quia quod sit determinatum a generali concilio rectum & sanum est. Ergo si fiet & nunc de differentijs, quas habetis cum Græcis, generale concilium, et nos ostendemus quæcumque in generali concilio determinata fuerint, omnes orientales libenter hæc recipient, & nemo erit, qui his contradicat: & sic vnanimitas statim & vnio facta erit. Si autem aliquis dicet, quia iam factum est de istis generale concilium in Lugduna, in quo fuerunt & Græci; sciat quod nemo poterit humiliare populum Græcorum, vt recipiant illud concilium sine alio concilio. Quare? quia illi Græci, qui interfuerunt isti concilio, non fuerunt missi neque a quatuor patriarchis, qui gubernant orientalem ecclesiam, neque a populo; sed a solo Imperatore, qui conatus fuit facere vnionem vobiscum ex vi, & non voluntarie.*

Lugdunẽse concilium fine alio concilio ab oriẽtalibus nõ exceptum iri.

Expetuntur legati pontificij in orientē mittendi.

Si ergo vestra sanctitas concedat, vt fiat de isto generale concilium, sit taliter eius initium. Mittantur a vobis ad orientalem ecclesiam legati viri religiosi & timentes Deum, & pleni spiritu humilitatis & patientiæ, & portent a vobis literas, habentes istum modum: Viri fratres, scitis quia communis inimicus noster diabolus posuit scandala inter nos & vos, & separauit nos ad inuicem: debemus ergo & nos & vos tristari super hoc, & commune damnum reputare istam separationem. Rogamus ergo vos, vt fratres in Christo, patriarcham Constantinopolitanum & patriarcham Alexandrinum, Antiochenumque & Ierosolymitanum, & alios pontifices ac electos viros, vt conueniamus simul in aliquo loco, & quaramus communiter cum spirituali affectu de propositis, & quod nobis reuelabit Spiritus sanctus, hoc determinabitur: & speramus in misericordia Dei, quia scandala foris eÿcientur, & vnanimitas & amor dominabuntur nostri. Si sic, sanctissime pater, mansueta verba audierint orientales, Imperatorque & patriarcha & populus maxime gaudebunt, & statim incipient operari ad propositum, & cum vestris nuntÿs ordinabunt modum, tempus, & locum, in quo vniuersale fiet concilium, in quo sine omnium dubio est credendum, quia vnio firmiter facta erit. Postea quot interfuerimus isti concilio, exibimus ad communem populum, & dicemus: Viri fratres, sanctum & generale concilium determinauit hac & hac; debetis ergo recipere ea: & omnes ea sine dubio recipient. Iste, sanctissime pater, solus modus est, sicut videtur mihi, per quem vnio ecclesiæ fieri potest. Consulo autem, id hoc magis vero deprecor.

Obiectæ conuersionis populorū spes.

De recuperandis quatuor insignibus Asiæ vrbibus.

22 *In Turchia quatuor sunt ciuitates magnæ & diuites, quæ hactenus fuerunt Græcorum, & propter peccata nostra multo tempore iam traditæ fuerunt in manus impiorum: nunc vero qui tenent & custodiunt illas, erant quidem Christiani, ex vi autem facti sunt Turchi. Isti ergo, volendo iterum reuerti ad Christianam fidem, notum fecerunt domino meo Imperatori, vt vadat cum exercitu ad eos, & ipsi illi tradent prædictas ciuitates: Imperator vero, non confidendo in sola sua gente, misit nos ad Christianissimum Regem Francorum, quærens propter hoc auxilium: nam si apprehensæ fuerint illæ ciuitates & reuersæ ad nos, primum quidem totam virtutem, quam habent Turchi per mare, statim perdent & deficient mala, quæ patiuntur Christiani per mare ab eis. Etiam regiones & ciuitates, quæ sunt inter prædictas ciuitates & nos, omnes tradentur nobis, & erit magna ianua aperta sancto passagio. Et audiens hæc Rex Francorum, misit nos ad vos, vt discat quid vobis de isto placeat. Vnde supplicamus vobis, sanctissime pater, vt concedatur & mittatur auxilium ad partes illas aut priusquam vadant illuc prædicti vestri legati, aut simul: hoc autem dico propter duas rationes.*

Turcas inde reprimendos.

Conciliādos Græcos beneficiis.

Prima quidem, quod naturaliter omnes homines magis volunt subiugari benefacientibus eis, quam vim facientibus: nam & Iudæi, cum sint ingratissimi omnium hominum, tamen quando Christus nutriuit eos ex quinque panibus in deserto, cum voluerunt eorum Regem facere: ergo et Græci, videntes sibi iam factum vestrum auxilium, magis erunt parati recipere verba vestrorum legatorum, et ipsa adimplere. Etiam nos, qui desideramus ecclesiæ vnionem, poterimus fiducialiter vnionem populū docere, et Imperator noster, accipiens occasionem, poterit & patriarchæ & alÿs pontificibus & principibus dicere: Videte quomodo Latini sunt boni homines, & quærunt nos fructuosis operibus & gratiosis verbis. Debemus ergo & nos similiter diligere eos, et quærere modum, per quem cum ipsis concordemur.

Perdomitis Turcis de concilio œcumenico actum iri.

Secunda autem ratio est ista: non poterit Imperator dare se ad ordinandum generale concilium, nisi prius guerra, quam habet cum Turcis finiatur; neque enim cum guerra sit, poterit quatuor patriarchas et alios pontifices in vnum coniugare, nec concilio poterit interesse: & propterea oportet, vt ipsi amuli prius ab imperio aliquantum longius expellantur, & tunc Imperator accepta tranquillitate, quantum ex sua parte est, poterit perfecte adimplere. Quod vero dicunt quidam ex vobis, quia oportet prius vniri nobiscum Græcos, & tunc ibimus contra Turcas; non mihi videtur bene dictum esse propter sex argumenta. Primum quia Turci non solum nocent Græcis, sed etiam Armenis & Cyprianis et Heraclÿs, qui omnes sunt subditi vestri, & omnibus habitantibus insulas: vnde quando propter Græcos non vultis mittere auxilium contra Turcos, ad minus propter miseros Armenos, qui sunt iam desolati, & propter alios Christianos subditos vestros debetis mittere ad partes illas vestrum auxilium.

Argumēta cur vertenda occidentaliū arma in Turcos. Non Græcorū modo, sed & Latinorū rem agi. Oppugnari Græcos non vt schismaticos, sed vt Christi cultores.

Secundum: quia Turci expugnant Græcos nō tanquā Græcos, nec quoniam differunt a vobis: sed quia crucem sunt adorantes; vnde per se quidem expugnant crucem, per accidens autem Græcos. Si ergo abieritis contra Turcos, non ibitis ad auxilium Græcorum, sed crucis, quæ est communis salus omnium Christianorum. Ergo iustum est sicut Græci sunt defensores crucis, & vos similiter sitis.

Stante Græcorū imperio Turcos facile perdomitum iri.

23 *Tertium quia nunc quidem, dum sit saluum imperium Græcorum, & sit in viribus suis, facillimum est Latinis cum Imperatore Græcorum Turcos prosternere. Quare? quia primum quidem Græca militia scit bene per experientiam modum guerræ Turcorum, & insuper per totam Turchiam & Saraceniam sunt commixti plurimi & adhuc Christiani, & alÿ iam renegati, qui valde diligunt dominium Græcorum: isti ergo cum audiuerint quia cum exercitu Imperator vadit ad eos, statim vnanimiter subÿcientur sibi. Si autem, quod Deus non permittat, Turcæ euerterent imperium Græcorum, tantum erunt fortiores ex natura loci & rerum, quod aut omnino impossibile aut difficillimum erit vobis prosternere eos. Vnde donec facile est prosternere eos, ne vos pigeat, ne dimittatis venire illud tempus, in quo erit vobis meditatio non quomodo ibitis super eos, sed quomodo cauebimini ab eis, & erit magnum quid vobis visitet ab eis.*

Victis Græcis Latinos periclitaturos.

Infideliū societas admittitur aduersus alios infideles multo magis admittenda Græcorum societas.

Quartum: si soli Turchi venissent ad vos, dicentes: O Latini, volumus quidem esse saltem Turchi, tamen rogamus vos, vt simul vobiscum expugnemus Tartaros & Saracenos, & disperdamus eos, recepissetis vtique eorum supplicationem. Quare? quia magis esset vtile vobis cum Turchis expugnare Tartaros & Saracenos, quam si soli expugnassetis omnes tres. Ex simili ergo vtilius est vobis cum Græcis tam si concordentur vobiscum, quam si non, impios expugnare, quam si soli expugnetis Græcos & impios.

Leniendo esse beneficÿs Græcorū odia.

Quintum: scitote etiam hoc vere, quia non tantum differentia dogmatum separat corda Græcorum a vobis, quantum odium, quod intrauit in animas eorum contra Latinos ex multis & magnis malis, quæ per diuersa tempora passi sunt Græci a Latinis, & adhuc patiuntur per singulos dies: quod odiū nisi primo abÿciatur ab eis, non poterit vnio fieri. Verumtamen nisi prius eis fiat a vobis magnū beneficium, neque prædictum odium abÿcietur, neque poterit aliquis audere loqui ad eos ea, quæ sunt vnionis.

Missa ab imp. audu unionis ea arcano hæc legatio.

Sextum: scitote et hoc, quia nunc non communis populus Græcorum misit me, ut quæram a vobis auxilium & unionem; sed Imperator solus secrete, qui nisi prius mittatur auxilium ad partes illas, non poterit se manifestare plebi suæ, quod vult vestram unionem.

24 *Ecce dixi & narravi vobis omnia. Deus faciat quod melius est. Prædictum quidem modum unionis habeo manifestum: & si possibile est vobis facere eum, sit gratia Deo: si vero non, dicam vobis alium modum, qui in dubio quidem est, tamen potest Deus facere etiam per ipsum unionem. Quod ergo iam dixi, magnum odium intravit in animas Græcorum contra Latinos ex multis malis, quæ passi sunt ab eis: quod odium nisi prius eiciatur, nemo poterit docere Græcos vestram unionem. Ut ergo prædictum odium prius eiiciatur, supplicamus ut adimpleatis nobis illas tres supplicationes. Primam, ut concedatis Regi Francorum mittere ad partes illas auxilium. Secundam, ut detis indulgentiam peccatorum omnibus volentibus ire ad auxilium Græcorum contra impios, & omnibus volentibus adiuuare cum rebus eorum, & omnibus morientibus in bello Turcorum. Tertiam, ut omnes Græci, qui fuerunt venditi a Latinis ubicumque sunt, liberentur & de cætero ut non vendantur Græci; & si quidam vendiderint vel emerint eos, vel vadant contra eos, sint excommunicati. Et postquam facta essent ista, mittantur a vobis ad partes illas doctores; & doceant populum, Imperatore dante eis securitatem: et forsitan illi, videntes prius vestra beneficia, verecundabuntur, & humiliabuntur recipere etiam sine generali concilio vestram unionem. Tamen supplico sanctitati vestræ, ut si inuenietis alium modum, per quem possibile erit populum recipere vestram unionem, ostendatis nobis ipsum: & nos, quod possibile est, parati sumus ducere ad effectum.*

Petitur ut indulgentiæ in auxilium Græcorum ituris proponantur.

Capti a Latinis Græci liberentur.

Mittantur ad Græcos erudiendos doctores.

25 *Quibus per eosdem dominum nostrum summum Pontificem & collegium visis & diligenter intellectis, habitaque super eis deliberatione matura, breuiter responderunt, quod cum olim a sanctis patribus & viris catholicis in Ephesino partium Græciæ, quod est unum de quatuor principalibus conciliis; nec non Toletano & Lugdunensi, & aliis diuersis conciliis per Romanos Pontifices & ecclesiam Romanam, vel auctoritate ipsorum in diuersis mundi partibus tam orientalibus quam occidentalibus celebratis solemniter, determinatum catholice fuit ac etiam definitum, quod Spiritus sanctus æternaliter a Patre & Filio tanquam ab uno principio & una spiratione procedit; & quamuis opinio contraria reprobata extiterit & damnata, non esset decens nec expediens præfato domino nostro & ecclesiæ sanctæ Dei cœtuique fidelium sic clarum, determinatum, & definitum articulum fidei huiusmodi, quem Græci antiquissimo tempore piæ memoriæ Hormisda Papa Romano & Ioanne patriarcha Constantinopolitanæ ecclesiæ tunc præsidentibus, & Iustino Imperatore regnante, professi fuerunt expresse; nec non subsequenter post lapsum longi temporis super professione ipsius articuli Ioannes tunc patriarcha Constantinopolitanus, & Michael Palæologus tunc temporis moderator Græcorum, prius ab eodem patriarcha synodatico celebrato concilio, solemnem epistolam recolendæ memoriæ Ioanni Papæ XXI, miserunt; nunc per nouas disputationes vel altercationes, aut alias quomodolibet in dubium reuocare: nec prouidentia sedis Apostolicæ circumspecta, quæ in suis actibus & processibus, maxime super his, quæ fidem orthodoxam concernunt, maturitatem obseruat & obseruare solet debitam, a rectitudinis & veritatis tramite non discedens, ea quæ per eam prouide, solemniter, & catholice determinata & definita sunt, in concertationes vel disputationes superfluas deducere, maxime ad schismaticorum & hæreticorum instigationem vel instantiam, consueuit: & si hoc fieri super articulo memorato determinato iuxta veritatem catholicam, ut præfertur, permitteret, circa illum videretur dubitare, quod absit.*

Quæ responsa sint a Pont. & Cardd.

Habita de processione Spiritus S. plura concilia.

Non adducendā in disceptationē fidem.

Græcos Iustino & Palæologo Imperatoribus eum articulū professos.

26 *Rursus cum prædicti Barlaam & miles, huiusmodi responsione audita, dicerent quod saltem si ad profitendum dictum articulum Græci forsan induci non possent, reunione facta permitterentur ipsi Græci quod super eodem articulo tenent credere, Latinique crederent catholice Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere secundum veritatem catholicam, sicut credunt; responsum extitit, hoc esse nullatenus tolerandum, quia in ecclesia catholica, in qua una fides esse noscitur, quoad hoc duplicem fidem minus veraciter esset dare; dictusque dominus noster summus Pontifex cum ipsa ecclesia, huiusmodi manifesto non resistendo errori, videretur eidem, quod auertat Dominus, consentire.*

Barlaami iniqua deprecatio.

Constātet repulsa.

27 *Verumtamen ad huiusmodi & alios expellendos de cordibus Græcorum errores, ipsosque inducendos ad unitatis catholicæ veritatem, idem dominus noster aliam viam magis facilem et accommodam, quæ sibi et dicto collegio dominorum Cardinalium occurrebat, duxit prælibatis Barlaam et militi ostendendam, videlicet, quod per illum, qui se in partibus illis patriarcham Constantinopolitanum appellat, et per moderatorem Græcorum, qui nunc est, conuocatis illis, qui se Alexandrinæ, Antiochenæ, et Ierosolymitanæ ecclesiarum antistites in eis partibus nominant, ac clero partium earundem, principalibusque nobilibus et maioribus populi in synodatico concilio conuocatis, certi assumerentur sapientes, et ad has partes occidentales mitterentur idoneis mandatis suffulti, qui cum aliis viris sapientibus, doctis in lege Domini et peritis, per sedem Apostolicam super hoc deputandis, non per modum disputationis vel concertationis, sed instructionis quoad Græcos ipsos salutiferæ haberent maturos et diligētes tractatus, ut tandem super prædicto articulo et dubiis, si quæ Græci prædicti habeant, alia circa fidem ab ipsis Græcis luce catholicæ veritatis percepta, et de cordibus eorum fugatis errorum tenebris, ad ouile reuerterentur dominicum, cuius est unus pastor, & extra quod non est alicui gratia neque salus: nam concilii generalis conuocatio, quæ longi temporis tractum exigeret ac expensas, et labores varios et intolerabiles, quod occidentales et orientales prælatos et personas ecclesiasticas, nec non Reges, principes, et alios conuocandos ad illud secum traheret, non videtur (præsertim hoc præsenti, turbato, et impacato tempore, peccatis, proh dolor! exigentibus) expedire. Ad hoc autem, quod de præstando eisdem Græcis ante omnia subsidio, et aliquibus exhibendis gratiis, ut exprimitur superius, petebatur, fulciebatur proposse dicti Barlaam rationibus quibusdam ab eo datis in scriptis, ut sequitur in hunc modum.*

Propositus a Pont. unionis modus.

De celebranda a Græcis synodo.

Si ab ea viri prudētes mittātur instruantur.

28 *Licentia mihi data a vestra sanctitate respondendi, fiducialiter respondebo. Dicunt quidam inconueniens esse, si posuerimus iterum in examinationem quod habemus iam sicut manifestum. Mihi autem videtur totum contrarium: si manifestum est, multo magis conuenit ipsum poni in examinationem, si aliqui dubitant de eo propter quatuor rationes, quarum prima est ista: vos confitemini nunc, quia Spiritus sanctus procedit ex*

Vrget Barlaamus, congregādum œcumenicum conciliū.

Fi-

Filio sicut & ex Patre; sed hoc a Græcis dubitatur: si autem verum est & ponetur in communem examinationem, sicut est nunc vobis solis manifestum, sic & tunc fiet Græcis manifestum, quod vos deberetis maxime desiderare: quemadmodum enim natura aromatum quanto quis ista mouet manibus, maiorem emittit odorem, sic & natura veri quanto magis examinatur disputatione, tanto magis pura & clara apparet; omnis enim examinatio non consueuit facere dubia quæ primo erant manifesta, sed contrarium: ea enim, quæ prius erant dubia, ipsa examinatio habet a natura ad clarum ducere. Ea ergo quæ prius erant manifesta, ipsa examinatio manifestiora facit. Secunda ratio est; iustum est, vt vos exemplum assumatis a sanctis patribus: illi enim habebant quidem manifestum, quia Filius Dei eiusdem substantiæ est Patri; tamen quia Ariani dubitauerunt de hoc, posuerunt hæc in examinationem, vt & illos saluarent: similiter & in alijs concilijs orthodoxi patres habebant quidem manifesta ea, de quibus hæretici dubitabant; tamen quoniam desiderabant & illos iuuare, ponebant ea in communem examinationem: non enim erat in eis prohibens eos facere, & credebant vere, quia quæ habebant ipsi manifesta, posita in examinationem adhuc manifestiora fierent: & multos iuuabant. Ergo & vos, si similiter volueritis facere, ad gloriã vobis continget.

Eius ratio cur id a Latinis expetendum.

Confirmat exẽplo.

Tertia ratio est ista: ego quidem sciens bene Latinos, nunquam audebo dicere de eis aliquid blasphemum, prudentes enim viros & sapientissimos scio eos: sed alij Græci, qui non noscunt eos sicut ego, dicent quia pro timiditate noluerunt venire ad examinationem, timendo ne forte videantur Græci dicere veriora quam ipsi: qui enim confidit sibi & reputat firmiter habere veritatem, non effugit examinationem; qui autem hanc effugit præstat suspicionem timiditatis: sicut enim si quis cambians aurum negat experiri in lapide, cum recipiens ipsum peteret hoc fieri, suspicionem dat, quia non credit purum esse aurum suum; sic & vocatus in iudicium & examinationem pro aliqua re, & nolens accedere, suspicionem dat, quia non confidit in seipso, neq; reputat firmiter firmari in veritate. Attendite ergo si bonũ est talem opinionem dare aliquibus de vobis ipsis, quia ab omnibus hominibus differtis secundum meam opinionem sapientia & magnificentia.

Si negetur concilium, dãdã iri Græcis detrahendi occasionem.

29 Quarta ratio est ista: Non debet aliquis timere, ne forte contingat ecclesiæ Dei ex isto concilio aliqua desaltatio, considerando quia quoties factum est generale concilium, semper ad exaltationem & honorem ecclesiæ & maiorem firmitatem veritatis factum est. Ergo et nunc credendum est, quia si fiet de propositis generale concilium, exaltatio magna ecclesiæ sequetur.

Nullum e concilio in ecclesiã redundaturum malum.

Si aliquis autem vult dicere, quia istud opus indiget multis temporibus & magnis expensis, sciat quia pro isto opere non tantum pecuniam & tempora pro nihilo debemus reputare, sed & sanguinem nostrum libenter propter hoc effundere, si necesse fuisset, debemus. Quod maius opus quam vniri Græcos cum Latinis, sub cælo poterit homo inuenire?

Tantum esse coniunctionis ecclesiarũ bonum, vt non modo opes, sed corpora pro eo exponenda sint.

Quem ergo habeo residuum modũ vnionis, iam dicam; tantum protestando, quia certissime quidem non possũ dicere si fiet per istum modum vnio; tamẽ credo, quia Deo possibile est. Potestis, si vultis mittere ad quatuor patriarchas orientalis ecclesiæ, et ad Imperatorem legatos vestros, dicentes: Viri fratres, quoniam vos et nos confitemur in diuinis vnam substantiam et tres personas, etiam vnum principium, et neque vos neque nos adducimus in dubium aut identitatem personarum, aut diuisionem substantiæ, sufficiant ista vobis, vt haberemus vnionem: de processione autem Spiritus sancti non diuidamur ab inuicem; sed sapientes quidem vestri cum nostris disputent de ista quæstione si volunt: communiter vero non haberemus propter hoc diuisionem, sed tenete vos quod vultis de isto, & nos similiter: & non damnemus propter hoc alterutrum, sed factum sit tantum. Vos quidem date ecclesiæ Romanæ illum honorem, quem dabant & antiqui patriarchæ in tempore vnionis, quem determinauerunt etiam leges Imperatorum & canones sanctorum patrum, & plus non petimus a vobis. Nos autem parati sumus dare & firmare ecclesiæ orientali, & specialiter ecclesiæ Constantinopolitanæ & imperio Constantinopolitano omnia iura, quæ sunt, vel ab antiqua consuetudine, vel determinata aut a legibus Imperatorum aut a canonibus sanctorum patrum. Ista verba, sanctissime Pater, audientes Græci, si omnes recipient non possum dicere: tamen credo, quia plurimi recipient, & forsitan per istum modum Deus dabit vobis vnionem. Tamen supplicamus vestræ sanctitati non emittatis nos sine portare aliquam gratiam a vobis domino meo Imperatori, vt optatum suum, quod habet, vnionis ecclesiæ, non obscuretur, sed potius illuminetur.

Iniquus definitæ concordiæ mod' suggestus a Barlaamo.

30 Supradictus dominus noster summus Pontifex cum suo collegio prædicto respondendo dixit, quod eisdem rationibus nequaquam obstantibus, ex eo iusta prædicta petitio non videtur, quia si fortificati, ditati, exaltati, & confortati per sedem Apostolicam, Reges, principes, & populos catholicos ante reunionem prædictam postea terga & non faciem verterent Romanæ ecclesiæ memoratæ, sicut alias dum credebantur reuniri, prout expressum est superius, fecisse noscuntur; procul dubio idem dominus noster summus Pontifex, ecclesia, & fideles alij remanerent delusi: & decipestet opprobriose non modicum, quod suos & fidei inimicos iuuauerant & fortificauerant inimicos & hostes, & participassent scandalose cum eis: sed si per illum, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, eorundem Græcorum cordibus infusione gratiæ spiritualis illustratis per viam tactam per eundem dominum nostrum vel aliam accommodam & honestam ad obedientiam, vnitatem, & deuotionem eiusdem Rom. ecclesiæ redire curauerint cum effectu, ipsos tunc effusis gaudijs, ac gratijs & fauoribus largiflue dispensatis, tanquam de regione dissimilitudinis reuertentes, ipse dominus noster & Apostolica sedes recipient, eos charitatiuis brachijs amplexando, non solum super his quæ petunt, sed super alijs eorum opportunitatibus exhibituri tunc, quantum cum Deo & honestate fieri poterit, auxilia, consilia, & fauores.

Refellitur a Pontifice.

Promissa redeuntibus ad gremium ecclesiæ auxilia.

Porro post præmissa dictus Barlaam, qui ad partes Græciæ prædictas erat, vt asseruit, rediturus, quamuis responsionem huiusmodi iustam & rationabilem reputaret; viam tamen, quam de mittendis pro parte Græcorum prædictorum sapientibus tactam, vt præmittitur, difficilem seu impossibilem æstimat, nisi Deus, cui nihil est impossibile, illam sola sua virtute perficere dignaretur; causas difficultatis huiusmodi exprimendo per quandam schedulam, quam in scriptis tradidit sub hac forma.

31 Sanctissime Pater. Quamuis receperim a vobis perfectum responsum, adhuc supplico vestræ sanctitati, vt dignetur audire & ista pauca verba: necessaria enim sunt & mihi dicere & vobis scire. Quod iam vestra sanctitas mihi dixerat super facto vnionis ecclesiæ orthodoxæ, vt veniant ex partibus illis legati, habentes literas imperiales & synodicas; exoro Deum vt faciat illud possibile, quia ex se est

Barlaami tertius supplex libellus.

valde

valde difficile multis de causis, videlicet quia Imperator non audet manifestare se, quod velit vniri vobiscum, quoniam si manifestasset se, multi ex principibus suis etiam ex populo, timentes ne forte ipse vellet facere, sicut fecit ipsis Michael Palaeologus, quaererent opportunitatem interficiendi illum. Praeterea ecclesia Constantinopolitana non mitteret ad hoc negotium legatos suos sine consilio & consensu patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Ierosolymitani: quare oportet eos in simul congregare, quod est difficile propter guerras; & praeter hoc incertum est, si vocati ad hoc voluissent venire: & dato, quod iam venissent, & omnes vnanimiter concordassent ad mittendum legatos super praedictis, ipsi non darent vnquam plenum posse super hoc talibus legatis, nec promitterent illud, quod factum fuisset per ipsos legatos ratum habere, nisi sub certis articulorum pactis, qua pacta vos nullatenus admitteretis. Quapropter videtur mihi, quod tales legati aliqualiter non venirent, eo quod scirent pactorum articulos per vos nullatenus admittendos: vnde si tales legatos contingat ad vestram sanctitatem venire, habeatis quod ex Deo est, cui difficile nihil est: si autem non veniant, non imputetur Imperatori, neque suspicetur, quod eius negligentia sit in causa, cum ipse diu est ad praedictam vnionem animatus. Adiecit quoque verbotenus postmodum Barlaam supradictus, quod non obstante quod, vt praemisit, praemissa ei difficilia, vel impossibilia videantur; ipse tamen circa ea fideliter laborabit. E sic ab eodem domino nostro summo Pontifice explicante expressius, quod aliter eidem dictoque collegio posse non videbatur, nisi prout superius dixerat & tetigerat, negotium perfici supradictum, rediens vt dixit praefatus Barlaam ad partes Graeciae praedictas, discessit.

Pontificiae sententiae in exitum perducendae difficultatem exponit.

Promittit se nauaturū operā pro Graecis reducendis.

32 Hactenus publica documenta de Graecorum oratorum cum Pontifice gestis. Quae vero a Benedicto Papa & senatu Cardinalium responsa sint, tum ex antea dictis, tū ex subiectis literis ad Gallorum Regem datis constat, nimirum rogatos primum fuisse, num aliquibus mandatis ab Imperatore & patriarcha instructi essent, quibus caueretur, ne post instauratam ecclesiarum coniunctionem iterum a coeptis deficerent, vti antea Palaeologo Imperatore post celebratam synodum Lugdunensem, tantaque maturitate habita plura cōsilia, acciderat. Negante vero Barlaamo, fultum se ad id idonea auctoritate, sed vt tantum subsidiarias copias ad aliquas prouincias Asiaticas Turcarum seruitute liberandas deposceret; deinde de synodo oecumenica, in qua veteres controuersiae dirimerentur, congreganda ageret; responsum a Benedicto est, Spiritum sanctum ex Patre Filioq; procedere, iam ante in Ephesino concilio in Graecia, Toleti in Hispania, Lugduni in Gallia definitum, idemque Graecos Iustino primum tum Palaeologo Imperatoribus professos; nefasque iam in disceptationem fidei articulum adducere. Si tamen Graeci post habitam suorum synodum aliquos misissent, eos a Latinis doctoribus instruendos fore, & omnem dubiorum & obiectionum caliginem discussum iri. Quod ad petita autem auxilia spectabat; eademum submittenda, cum Graeci ad Romanae ecclesiae gremium reuersi essent, ne si ijs fulti subsidijs suas res amplificarent, confirmatis inde viribus insolescentes Romanae ecclesiae illuderent. Quae singula Francorum Regi, a quo Graecus Imperator flagitabat auxilia, Benedictus hisce literis exposuit a. Repetitaq; ob rei dignitatem luminatori taediū allatura putamus.

Responsi pontificij summa.

a To. 5. ep. secr. 290.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciae illustri.

Nuper ad nostram venientes praesentiam Barlaam dictus abbas monasterij domini nostri Iesu Christi saluatoris Constantinopolitani, & dilectus filius nobilis vir Stephanus de Dandulo miles, nobis literas praesentarunt regias, inter caetera continentes, qualiter ipsi cum literis credentiae magnifici principis moderatoris Graecorum se pridem cōspectui regio praesentantes, duo proposuerant sub credentis eis per dictum moderatorem commissa, primo quod ordinaretur tractatus super reunione Graecorum sanctae Rom. ecclesiae, ipsorumque reuocatione vnitati eiusdem. Secundo vero vt super recuperatione trium vel quatuor ciuitatum magnarum, quae detineri dicuntur per Turcos infideles occupatae in praeiudicium imperij Graecorum, eis a nobis & ecclesia, teque fili charissime, alijsque fidelibus auxilium praestaretur: super quibus excellentia regia nos rogabat, vt partes nostras circa haec interponere, tuaeque celsitudini ad hoc auxilium offerenti rescribere, quae ordinare super ijs nos contingeret, curaremus.

Pont. de his ad Franc Regē literae.

33 Sane regalem volumus prudentiam non latere, quod praefatis Barlaam & milite benigne receptis a nobis, & quae super praedictis voluerunt proponere fauorabiliter & plenarie intellectis, nos & fratres nostri S. R. E. Cardinales ad memoriam reducentes, quod olim super reunione Latinorum & Graecorum inter ecclesiam Romanam & ipsos Graecos solemnibus & diutinis tractatibus habitis & finaliter concordatis, ac per patriarcham tunc Constantinopolitanum & moderatorem Graecorum synodatico per eos tunc celebrato concilio, & solemni praecedente tractatu, & suis apocrisarijs mandatis suffultis idoneis, fide catholica, prout eam tenet, praedicat, & docet eadem Romana ecclesia, specialiter & expresse in concilio generali Lugdunensi professa, totoque reunionis negotio sicut credebatur feliciter consummato; dicti Graeci retro respicientes damnabiliter, a professione recesserunt huiusmodi, & ad vomitum in eorum damnationem & delusionem eiusdem Romanae ecclesiae redierunt; & propterea cupientes, ne nobis illuderetur praesentialiter, quantum potuimus praecauere, praefatos Barlaam & militem interrogauimus, si ab illo, qui se dicit patriarcham Constantinopolitanum, & moderatore praedicto, aut alijs personis ecclesiasticis vel mundanis magnatibus partium illarum, ne quod ageretur cum eis redderetur delusorium habebant super ijs, quae proposuerant vel intendebant proponere, literas vel mandatum: quibus licet se, protinus respondentibus, literas vel mandatum huiusmodi non habere; quia tamen nos & fratres praedicti reunionem eandem, ex qua, si daretur a Domino, salus animarum multarum, & alia innumera commoda vniuersis Christi fidelibus prouenirent, feruentibus desiderijs affectantes; & nihilominus experiri volentes, si ex propositis vel dictis praedictorum Barlaam & militis elici fructus posset aliquis vtilis, viā aperiēs negotio reunionis praedictae, illa quae proposuerant, & proponere intendebant ab eis, in scriptis fecimus nobis dari. Quae quidem, aliquibus coloratarationibus, haec erant breuiter in effectu; vt scilicet in generali concilio, a nobis super tractatu reunionis huiusmodi conuocando, articulus de processione Spiritus sancti, per disputationem & concertationem concordaretur inter Latinos & Graecos: sed

Quid sit a Pont. Graecis responsum.

Obiecta a Lugdun. concilio defectio.

quod

Poſtulata a Græcis ſubſidia.

quod ante omnia ſuper recuperatione dictarum ciuitatum, per nos & eccleſiam teque, fili dilectiſſime, præpararetur eiſdem Græcis auxilium, & aliæ gratiæ non modici ponderis in fauorem & releuationem ipſorum Græcorum exhiberentur a nobis, ad quæ nos & dicti fratres deliberatione matura præuia prouidimus, vt ſequitur, reſpondendum.

34 Primo namque, quod cum a ſanctis patribus & viris catholicis olim in Epheſino partium Græciæ, quod eſt vnum de quatuor principalibus concilijs, nec non Toletano, Lugdunenſi, & alijs diuerſis concilijs per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & eccleſiam Romanam, vel auctoritate ipſorum in diuerſis mundi tam orientalibus quam occidentalibus partibus ſolemniter celebratis, determinatum catholice fuerit, ac etiam definitum, quod Spiritus ſanctus æternaliter a Patre & Filio tanquam ab vno principio & vna ſpiratione procedit, & quæuis opinio contraria reprobata extiterit & damnata; non eſſet decens, nec expediens nobis & eccleſiæ ſanctæ Dei cœtuique fidelium, ſic clarum determinatum & definitum fidei articulum huiuſmodi, quemque Græci antiquiſſimo tempore, tunc piæ memoriæ Hormiſda Papa Romanæ, & Ioanne patriarcha Conſtantinopolitanæ eccleſijs præſidentibus, ac Iuſtino Imperatore regnante, profeſſi fuerunt expreſſe: nec non ſubſequenter poſt lapſum longi temporis, ſuper profeſſione ipſius articuli, Ioannes olim patriarcha Conſtantinopolitanus & Michael Palæologus tunc moderator Græcorum, prius ab eodem patriarcha ſynodatico celebrato concilio, ſolemnem epiſtolam recolendæ memoriæ Ioanni Papæ XXI. prædeceſſori noſtro miſerunt, nunc per nouas diſputationes vel alias in dubium quomodolibet reuocare. Nec prouidentia ſedis Apoſtolicæ circumſpecta, quæ in ſuis actibus et proceſſibus (maxime ſuper ijs, quæ fidem orthodoxam concernunt) maturitatem obſeruat & obſeruare ſolet debitam, a rectitudinis & veritatis tramite non diſcedens, ea quæ per eam prouide, ſolemniter, & catholice determinata & definita ſunt reuocare per concertationes vel diſputationes vanas & ſuperfluas in dubium (maxime ad ſchiſmaticorum & hæreticorum inſtigationem vel inſtantiam) conſueuit: & ſi hoc fieri ſuper articulo memorato, determinato iuxta veritatem catholicam, vt præfertur, permitteremus, circa illum videremur dubitare, quod abſit.

De proceſſione Spiritus ſancti.

Vt eam Græci ſint profeſſi.

Negat Benedictus illam in diſceptationem adducere.

35 Ruſus cum prædicti Barlaam & miles, huiuſmodi reſponſione audita, dicerent quod ſaltem, ſi ad profitendum dictum articulum Græci forſan non poſſent induci, demum reunione facta permitterentur ijdem Græci, quod ſuper eodem articulo tenent credere, Latinique crederent catholice Spiritum ſanctum a Patre & Filio procedere ſecundum veritatem catholicam ſicut credunt, diximus diuerſitatem huiuſmodi fore nullatenus in eccleſia tolerandam, quia in ipſa eccleſia, in qua vna fides eſſe noſcitur, ſic quoad hoc duplicem fidem minus veraciter eſſet dare; noſque cum ipſa eccleſia, huiuſmodi manifeſto non reſiſtendo errori, videremur eidem, quod auertat Dominus, conſentire. Veruntamen ad huiuſmodi & alios expellendos de cordibus Græcorum errores, ipſoſque reducendos ad vnitatis catholicæ veritatem, aliam viam magis facilem & accommodam, quæ nobis & fratribus ipſis occurrit, prælibatis Barlaam & militi duximus oſtendendam, videlicet quod per illum, qui ſe patriarcham Conſtantinopolitanum in illis partibus Græciæ nominat, & moderatorem Græcorum, qui nunc eſt, conuocatis illis, qui ſe Alexandrinæ, Antiochenæ, & Ieroſolymitanæ eccleſiarum antiſtites nominant in eiſdem partibus, ac clero partium earundem, principalibuſque nobilibus & maioribus populi in ſynodatico concilio congregatis certi aſſumerentur ſapientes, & ad has partes occidentales mitterentur idoneis mandatis ſuffulti, qui cum alijs viris ſapientibus, doctis in lege Domini & peritis, a nobis ſuper hoc deputandis non per modum diſputationis vel concertationis, ſed inſtructionis, quoad Græcos ipſos ſalutiſere haberent maturos & diligentes tractatus, vt tandem ſuper prædicto articulo & dubijs, ſi qua Græci prædicti habeant alia circa fidem ab ipſis Græcis luce catholicæ veritatis percepta, & de cordibus eorum fugatis errorum tenebris, ad ouile reuerterentur dominicum, cuius eſt vnus paſtor, & extra quod non eſt alicui gratia, neque ſalus. Nam concilij generalis conuocatio, quæ longi temporis tractum exigeret ac expenſas, & labores varios & intolerabiles, quoad occidentales & orientales prælatos & perſonas eccleſiaſticas, necnon Reges, principes, & cæteros conuocandos ad illud ſecum traheret; non videtur (præſertim hoc præſenti turbato & impacato tempore peccatis, proh dolor! exigentibus) expedire.

Fides vnica eſt.

Inuitati præſules Græci ad diſceptandam controuerſia.

36 Cæterum ad hoc, quod de præſtando eiſdem Græcis ante reunionem prædictam ſubſidio, & alijs exhibendis gratijs & fauoribus petebatur; diximus reſpondendo, quod ex eo iuſta huiuſmodi petitio non videtur, quia ſi fortificati, ditati, exaltati, & confortati per nos & alios fideles Græci prædicti ante reunionem eandem poſtea terga & non faciem verterent nobis & eccleſiæ memoratæ, ſicut alias, dum credebantur reuniti, vt expreſſum eſt ſuperius, feciſſe noſcuntur; procul dubio nos & fideles alij remaneremus deluſi; & dici poſſet opprobrioſe non modicum, quod noſtros & fidei iuueramus & fortificaueramus inimicos & hoſtes, ac ſcandaloſe participaueramus cum eis. Sed ſi per illum, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, cordibus eorundem Græcorum, infuſione ſpiritualis gratiæ illuſtratis, per viam prædictam, quam tetigimus, vel aliam accommodam & honeſtam, ad obedientiam, vnitatem, & deuotionem eiuſdem Romanæ eccleſiæ redire curauerint cum effectu, eos tunc, effuſis gaudijs ac gratijs & fauoribus largiflue diſpenſatis, tanquam de regione diſſimilitudinis reuertentes, recipiemus lætanter, ipſos paternæ charitatis brachijs amplexando; nõ ſolum ſuper his quæ petũt, ſed alijs eorũ opportunitatibus exhibituri tunc, quantum cum Deo & honeſtate fieri poterit, auxilia, conſilia, & fauores.

Cur negata Græcis auxilia, ni prius redirent ad officium.

Paterna in Græcos expoſita beneuolentia.

37 Demum vero præfatus Barlaam, qui ad partes Græciæ prædictas erat, vt aſſeruit, rediturus, quamuis reſponſionem noſtram huiuſmodi iuſtam & rationabilem reputaret; viam tamen, quam de mittendis pro parte Græcorum prædictorum ſapientibus tetigimus, difficilem prorſus exiſtimãs (niſi Deus, cui nihil eſt impoſſibile, illam ſua ſola virtute perficere dignaretur) cauſas difficultatis huiuſmodi ſic expreſſit. Præfati namque qui ſe aſſerunt Alexandrinæ, Antiochenæ, & Ieroſolymitanæ eccleſiarum patriarchas, & clerus earundem partium adeo a Conſtantinopoli ſunt diſtantes, quod vix, præſertim guerrarum fremitibus in diuerſis locis partium illarum ingruentibus, valerent commode congregari: & ſi forſan

adeſ.

adesset eis super congregatione huiusmodi facienda facultas; deesset, vt opinamur, voluntas. Præterea moderator Græcorum, quamquam optet reunionem prædictam, suum non audet propositum propalare, timens a suis principibus & populis exinde sibi mortis periculum intentari: & adiecit vlterius Barlaam memoratus, quod si omnes prædicti conuenirent in vnum, & de dictis mittendis sapientibus concordarent, plenam & sine conditionibus, per nos & ecclesiam minime admittendis, eis vt arbitratur, non concederent potestatem. Sed quamuis hæc sibi difficilia vel impossibilia, nisi a Deo solo fierent, videantur; ipse tamen circa hæc fideliter laborare promisit: & sic a nobis, expresse sibi explicantibus, quod aliter nobis & fratribus prædictis posse non videbatur negotium prædictum commode perfici, redeundo vt asseruit ad dictas partes Græciæ, cum licentia nostra discessit. *Dat. Auin. 11. non. septembris anno v.* Conceptæ eadem verborum forma literæ ad Robertum Regem transmissæ a, cui etiam Pontifex Barlaamum Constantinopolim redeuntem, commendauit b.

Andronicus ob suorum metũ clã reconciliationem tentauit.

a Ecd. to. 5 ep. secr. 291.
b Ib. ep. secr. 288.

38 Plurimam sane ad Græcos in sinum Romanæ ecclesiæ traducendos nauauit operam Barlaamus, extantque insignia ipsius opuscula, quibus eorum errores refellit, ac doctrinam orthodoxam de primatu ecclesiæ Rom. deque processione Spiritus sancti ex Patre & Filio asserit c varijs argumentis, quorum nonnulla delibanda visa sunt: *Deus nullam multitudinem in entibus dimittit inexpertem virtutis vnius, per quam infinitum multitudinis & indeterminatum termino & ordine formari valeat: sed semper multis superstatuit vnum commune principium, non solum longinquum & alterius generis, & multa alia non eiusdem generis comprehendens, sed etiam propinquum & cum multis eiusdem generis. Et hoc, si quis incipiendo a Deo, qui est commune omnium principium, voluerit mente transire per supercælestes & cælestes, & inferiores naturas, & cum his videre veteris testamenti facta, & quæcumque alia prouidentiæ acceptantis sunt in vniuerso opera, indubitabiliter ita se habere in omnibus inueniet, & conuenienter. Vt enim ait theologus in primo de Filio sermone, pluralitas principiorum & carentia principij initia sunt inordinationis, ex hac autem oritur solutio: solutio vero est omnino Dei alienum. Quapropter & factus propter nos homo, & duodecim eligens viros, quos sapientia decorans missurus erat ad nostri generis reconciliationẽ, his principem & caput superstatuit Petrum, primum aliorum eum constituens, per ea (quamuis communiter omnibus data) singulariter ipsi & manifestius tradita. Ligandi enim & absoluendi potestatem, atque pastorale ministerium, quæ & ante resurrectionem & post per communia & alia verba omnibus dederat, specialiter & expressius Petro dat, ipsi dare pollicens claues regni cælorum, & super eum ecclesiam suam firmissime ædificare, & eius fidem nunquam deficere, & suos ipsum fratres confirmare, & adhuc pascere totam ecclesiam ter ei præcipiens: quia enim per hæc caput ipsum aliorum Apostolorum constituebat Dominus, & hoc intendebat, multa huius argumenta esse possunt.*

Barlaam docet Græcos primatũ Rom. ecclesiæ agnoscendum. Argumẽtum quod debeat vnus esse ecclesiæ princeps.

c MS. bibl. Vat. sign. n. 4068. pag. 7. & apud Canis. antiq. lect. to. 6. pag. 13. etc.

Institutũ re ipsa a Christo Petrum.

39 *Primum enim si nihil differentius ab alijs per ea Petrus accipiebat, non facile inuenietur alia causa, ob quam nihil frustra faciens sapientia hæc singulariter Petro loquebatur. Deinde & euangelistæ & in euangelijs & in actis vbicumq; commemorant Petrum cum alijs, vel omnibus vel aliquibus semper & vbique ipsum alijs præordinant: quod non vtique obseruanter facerent, nisi scirent, eum primum aliorum a Domino constitutum. Inuenio etiam Apostolos illi vt suo primati semper cedentes: in actibus enim, alijs Apostolis pariter cum eo existentibus, ipsum video semper sermonem inchoantem, alios vero sequentes. Deinde & illud considero, quod cum ea, quæ sacramenti incarnationis magis sunt necessaria, sicuti est crux, passio, mors, resurrectio, & per quatuor euangelistas plenius scribantur: ea vero quæ in tantum non sunt necessaria, ab alijs omittantur, & ab alijs dicantur; illa, per quæ Petri primatus ostenditur, tanquam existentia illorum, quæ magis sunt necessaria, & a quatuor conscripta sunt: tanquam valde necessarium sit, omnes scire cui ecclesiæ principatus a Domino creditus est. At vero & diuinus Dionysius in tertio de diuinis nominibus verticalem theologorum summitatem magnum Petrum nominat, & ex tunc vniuersa ecclesia, addito ipsi diuino Paulo, summos Apostolorum Petrum & Paulum nominat, illum similiter præordinans. Quare vndique manifestum est ab ipso domino Christo ipsum accepisse aliorum principatum; & hoc valde decenter, quoniam enim oportebat eum, qui erat proprie & vere aliorum Apostolorum princeps, non semper eis corporaliter adesse, sed secundum corporalem præsentiam relinquere eos, vnum de duodecim vice sua principem aliorum præponit hominum hominum, vt facta dispensationis neque * in hoc alijs prouidentiæ operibus appretianda sunt: sed videamus reliqua.*

Collatum Petro principatum demonstratur.

* minus

*Multi nostrorum doctorum * .. pontifices quidem locum obtinere duodecim Apostolorum, presbyteros vero septuaginta. Ergo primi pontificum Apostoli sunt. His adhuc prior quidem primitus Christus, secundo vero & ab omnium primo constitutus ad habendam principandi rationem ad alios beatus Petrus. Quid igitur? oportet ne pontificale quidem ministerium non in ipsis Apostolis circumscribi, sed etiam successoribus ipsum tradi vsque ad fines seculorum, vt semper in mundo sint pontifices successores eorum; pontificatus vero primatum in ipsis oportebat finiri, vt quemadmodum in illis factus est aliquis decreto Dei primus, quem alij pro capite suo ducebant, hoc nequaquam ad reliquos transeat, vt alij aliquem vnum suum principem putent, sed omnes per omnia coæquales sint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, vt pontificale quidem ministerium transeat ad successores, principandi vero officium secundum pontificatum minime, cum vtraque similiter essent a Domino ostensa & similiter multitudini fidelium necessaria existant? Vel quomodo totaliter prouidentiæ opus esset, omnia sapienter administrantis, Apostolis quidem prouidere vt habeant primatem, qui ita gratia erat perfectura, vt non indigeant in multis ducem hominem habere; post illos vero multitudines fidelium inprincipatas & inordinatas deserere ferre? Ego enim contrarium credo, ideo Petrum principem aliorum constitutum fuisse, vt secundum eandem formam semper in ecclesia ad vnum reducantur omnes principium.* Et infra.

* scribunt

Illum ad successores necessario propagatum propagata ecclesia.

40 *Aliarum quidem ciuitatum pontifices inuenies nihil, vt plurimum, æstimantes oportere curiosius agere vltra illa, quæ ad suam diœcesim pertinebant: Romanos vero Pontifices, tanquam totius orbis prælaturam & curam habentes, vniuersalia administrare mox ordientes, ad vniuersas partes regulares epistolas mittentes, & quæ vbiq; peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus statuentes, vt potest hoc scire, si quis regulares episto-*

Petri successores eum principatum exercuisse ostẽditur.

stolas Romanorum Pontificum a B. Clemente vsque ad S. Siluestrum discurrere voluerit, in quibus non pauca inueniet contenta etiam eorum, quæ nunc ecclesia Græcorum facit, ab illis Pontificibus instituta, & originem habentia: vnde quod in machina vniuersi contingit, quod quæ longinquius a Deo distant, procliuiora sunt ad peccandum, & minus determinata, & mutabiliora; quæ vero propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata; idem etiam in ecclesia profecto contingit: plurimæ enim & deterrimæ hæreses in partibus magis a Romana distantibus ortæ sunt, Romæ vero vel prope auctores hæresum facti non sunt: matre enim ecclesiarum omnibus veritatis radios emittente, profecto contingebat propinquiores magis, quam longinquiores clarius illuminari. Cum autem diuina prouidentia respublica ad Christianos venisset, piorum Imperatorum legislatores Constantinus & post eum Iustinianus consequenter superiori traditioni & possessioni legibus & decretis eiusdem ecclesiæ primatū statuunt, in parte pietatis hoc facientes, manifeste determinantes Rom. ecclesiam oportere habere rationem ad reliquas omnes, & ipsi conuenire omnibus dominari, & omnia retractare, & quæ vbiq; de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipsam referre, & conuenientem examinationem & definitionem consequi; atque Sardicensis concilij canones, omnium aliorum Pontificum sententias iudiciales, si quis ad ipsam appellauerit, ipsam oportere retractare & confirmare vel irritare.

Viguisse semper in Rom. ecclesia fidei puritatem.

Cultum a concilijs Rom. Pontificis primatum.

Similiter statuit & generalia quædam concilia, nouæ Romæ episcopum honorare volentia, oportere ipsum habere decernunt primatum post episcopum antiquæ Romæ: & quod omnium maximum est, quod & in canonibus & legibus nullius ecclesiæ sedes Apostolica nominatur, nisi tantum Romanæ: vnde multi magni viri de orientali ecclesia, arbitrantes se iniuriam esse passos, ad sedem illam refugerunt: magnus Athanasius, S. Maximus. Sed neque B. Chrysostomus suum ignorauit caput: passus enim maximas iniurias ad tunc sanctissimum Papam omnia refert, qui quantum in se erat, manum auxiliatricem dare iniuriam passo nullo modo neglexit. Sed & Agapetus sanctissimus Papa, cum aduenisset nouam Romam tempore Iustiniani Imperatoris, quoniam vidit Anthimum patriarcham quandam hæresim defendentem, illum quidem deposuit de sede, Menam vero virum orthodoxum in patriarcham creat: & cum aliquando quatuor patriarchæ cum Imperatore aduersus venerabiles imagines impie gessissent, non paucisque annis in hac hæresi perseuerassent, atque ad delendas honorabiles figuras communia quædam concilia, quæ generalia esse & nominari probabant, celebrassent, & suis decretis B. Stephanum se subscribere cogere voluissent, repudiat eos ille sanctus non ex alio, nisi quod non habebant consentientem Romanum Pontificem, dicens huiusmodi synodum non debere generalem nominari, illo absente, quo sine non licet fieri generale concilium, & si fiat robur non habere: quamquam Ephesinum concilium nihil impediuit generale & esse & nominari, neque Antiocheno patriarcha præsente, neque Constantinopolitano assentiente: & Chalcedonense similiter, Alexandrino patriarcha non assentiente. Neque igitur generale concilium, neque aliud quidquam ad vniuersi vtilitatem vnquam celebratum est sine illa sede. Et ex illa quidem ecclesia nulla hæresis superioribus temporibus ortum habuit: nulla vero aliunde ortarū occidit sine illius prouidentia. Omnibus quidē modis, quibus iuste aliquid possideatur, totius ecclesiæ illa primatum obtinuit sedes, sistit diuina sententia, Apostolorum institutionibus, synodorum canonibus, sanctorum decretis, multitudinis assensu, temporis præscriptione, ab omnibus consensu, & quod omnibus superioribus temporibus pie & rebus communibus vtiliter dominium exercuit, &c.

Patriarchas Constantinopolitanos illi fuisse subditos.

Præfuisse concilijs Romanū Pontificē.

41 Interiectis nonnullis, ratiocinatur Romanæ ecclesiæ primatum agnoscendum: ac primum grauissima scandala exponit oboritura, si ecclesiæ omnes ab inuicem diuulsæ essent, vt altera alterius imperio libera foret: pullulaturas quippe hæreses, neque vnquam eas excisum iri. Vtilius itaque & pulchrius esse, vnam alijs imperare. Omnes vero dotes, quæ in ecclesia cæterarum principe desiderari possint, in Romana ecclesia radiare: nam & illam ex viris pietate & doctrina conspicuis collectam, & qui senatum pontificium conspexerit, nullam aliam ecclesiam parem dignitate visurum. Spectare etiam ad decus principis omnium ecclesiarum, vt nulli terreno Regi subsit, cum poscat ratio vt anima imperet corpori, & cœlestia præsint terrenis, tum vt contra electorum voluntatem nullus solio sese obtrudat. Eo vero imperio & hac libertate Romanam ecclesiam potiri oportere etiam, vt illius immortalis ecclesiæ principatus nō aliquo corruptibili fundamine, sed incorruptibili innitatur: & Regum quidem potentiam in exercitibus, qui interdum cæduntur ferro, in arcibus quæ corruunt, locatam; at Romanam ecclesiam diuinis verbis Petro dictis, cælo & terra firmioribus, inniti. Si etiam digna illius ecclesiæ fastigio spectentur opera, illam per vniuersum orbem terrarum sacros præcones ad euangelium gentibus inferendum mittere, cohortari schismaticos ad officium, afflictis vbiuis Christianis subuenire, nec si lustretur vniuersus orbis, vllam reperiri ecclesiam, quæ hisce ornamentis sit insignita. Hanc itaque conclusionem infert: *Quoniam ergo, mouens meas cogitationes vndique, inuenio per omnia melius esse, vt sit aliqua ecclesia, sub qua aliæ ordinatæ sint, & has perquirens, solam video Romanorum, & habentem & facientem quæcumque oporteret, diuino beneplacito omnium dominaturam, & habere, & facere: non possum, prouidentiam esse credens, Romanæ ecclesiæ maiestatem & sublimitatem fortunæ & casui dare, & non in maximis prouidentiæ operibus & solemnissimis & hoc computare. Ex his igitur primatum illius ecclesiæ sufficienter demonstratum esse puto. Venio rursus ad Paracleti processionem.*

Sublato eo primatu, quanta mala oboritura.

Quæ sit basis pontificij principatus.

Pia auctoris conclusio ad Græcos.

42 *Quoniam multis annis post septem generalia concilia vidit eadem ecclesia aliquos eorum, qui denuo consueuerant in hæreses frequentius delabi, asserentes Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, & minime ex Filio, & sermonibus persuasibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes; propinquiorem vero sibi multitudinem, & ad hæreses semper tardiorem, a principio sapientem Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, quid eam, quæ semper consueuerat huiusmodi controuersijs finem congruum imponere, & vnitatem omnibus monstrare, oportuit facere? silentione rem præterire, & ordinem suum deserere? Sed non erat hoc eius.* Et infra: *Quid igitur fecit? Ad suos doctores, quos longis sursum temporibus pro sanctis habuit, recurrit beatos Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, & Gregorium: & horum scripta perscrutata, videt eos tamquam ex vno ore multis locis & frequentius, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere asserentes. Et neque vsque ad hoc stat: sed & orientalis ecclesiæ patres perquirit, & videt horum similiter plures & principaliores id ipsum sapientes: reli-*

De controuersia processionis Spiritus sancti.

quos

quos vero minime obium dicentes, prater vnum scilicet Damascenum, qui videtur contrarium dicere: quamquam non dicit ipse, quod Spiritus sanctus non est ex Filio; sed quia non dicitur ex Filio: ac si diceret, quod in diuina scriptura non inuenitur verbo dictum; quia ex Filio. At vero videtur & ipse dicere Spiritum sanctum a Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filij Spiritum, & ad Patrem ita se habere Filium & Spiritum, quemadmodum ad solem se habent radius & illuminatio, quo vtraque ex sole quidem sunt, sed per radium est illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium tenere: ipsum enim illuminationem, & ex sole per radium esse dicere, & rursus ex sole & radio, verum est. Quemadmodum & in Trinitate: quorum enim est communiter auctor Pater & Filius, hac & vtroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium, et ex Patre et ex Filio.

Vt in ea Rom. ecclesia con sentium SS. Patrū Græcorū & Latinorum sequuta sit.

Tantorum itaque Patrum concordiam cum vidisset, et propter rei magnitudinem adhuc his non contenta, conuocat ad se vniuersos ecclesiarum prælatos ad inquisitionem communicandam. Vno itaque verbo his, qui voluerint interesse, simul congregatis, et omnibus post factam rei congruam inquisitionem ad idem consentientibus, denique apostolica auctoritate hoc esse, quod oportet credi, declarando determinat, et contrarium dicentes in portione hareticorum decernit. Qua igitur erit nunc mea excusatio, si noluero quieti obedire; sed tantorum patrum et matris ecclesiarum sententia de re vincente vires naturalis cogitationis præposuero meam cognitionem; neque illud valens considerare, quod indignum erat penitus diuina prouidentia, non solum illam ecclesiam sublimare et caput catholica ecclesia a principio facere, quam nouit insanabiliter casuram, et infinitas multitudines secum dimissuram, sed et cum a rectis cecidit dogmatibus, adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare; cum vero, qua recte et a principio restitit, contrarium pati permittere? Concludit demum Barlaamus, verissimum esse Christi oraculum, portas inferi nunquam aduersus ecclesiam præualituras esse; cum autem illæ aduersus Græcam præualeant, inferendum Romanam veram esse ecclesiam; *Cogor*, inquit, *Romanam ecclesiam orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse, cum sibi subiecta multitudine vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam; in quam credere iubemur, & aduersus quam porta inferi neque præualuerunt, neque vnquam, Deo ipsam tanquam nouam Ierusalem regente, præualebunt.* Hactenus Barlaamus, quem nonnulli Græci narrant a, vt sanctorum Ambrosij, & Hieronymi commentaria, vbi illi de processione Spiritus sancti loquuntur, Græcis verbis redderet: respondítque ad varias obiectiones a Demetrio Thessalonicēsi propositas.

Humanas argutias aduersus illum non valere.

Certissimum signū quo Rom. ecclesiam vera esse demonstratur.

a In col. M.S. bibl. Vatic. & apud Canis.

43 Floruit hoc tempore in Germania egregiæ pietatis opinione Græca sanctimonialis Vngara genere, quæ Coloniæ in monasterio vndecim millium virginum & martyrum rebus diuinis vacabat: cui Pontifex ob missas sibi S. Margaritæ vnius ex illo triumphali agmine sacras reliquias gratias egit, atque ad constantiam in rerum cœlesti in tractatione est adhortatus b. Tum hæc non prætermittenda subiecit: *Caterum cum, dilecta filia, nobilis vir Henricus miles, qui nobis pro parte tua reliquias præsentauit, te sibi narrasse asseruerit coram nobis, quod omnipotens Dominus meritis eiusdem virginis & martyris Margareta multa fecerat te sciente miracula, tuque quasdam visiones deuotas & reficientes animam videris propter ea; exhortationibus nostris adijcimus, vt nos per tuas literas particulariter & seriose certiores de ijs omnibus efficere, quanto citius commode poteris, non postponas. Dat. Auin. III. id. iunij anno v.*

Græca monialis sanctitate illustris.

b To. 7. ep. secr. 207.

44 Grassabantur a eodem tempore in orientali mari nonnulli Ligures Monachienses, qui grauiora Venetis damna intulere, & eorum diripuere naues: inuasere etiam pontificias, quæ ad reprimendos Turcas ea sulcabant maria: adeo vesana cupiditas peruersos Christianos obcœcarat. Cum vero ij Roberti Regis Siciliæ clientelę addicti dicerentur, conceperant Veneti odia in Regem: sed Pontifex, factus de re tota certior, Monachienses b ac Robertum c Regem in improbos grassatores animaduertere iussit; tum Venetiarum ducem docuit, vt piratæ illi, licet Guelphi videri vellent, nō Roberto tamen Regi, sed hosti illius inuasori Trinacriæ Petro Aragonio adhærescerent ac plura damna eiusdem Roberti subditis inferrent. Denique ad colendam regiam amicitiam Venetum ducem est adhortatus d. Adhibita vero apud Venetos hæc studia a Pontifice fuerunt, ne Robertum Regem a recuperanda Trinacria distraherent: deuoluta quippe illius iura ad eum vidimus, atque adeo Petrum maiorem Regis Friderici natu filium, qui regios apices inter suos gerebat, non Regem, sed iniuriosum insulæ detentorem vocauit e. Tum missi ab eo superiori anno internuntij apostolici, qui obiecta censurarum religione Trinacrios in iusti Regis Roberti obsequium cogerent: a quibus subiecta acta iudiciaria in perduelles, & in Petrum alieni iuris occupatorem hoc anno concepta sunt. f

Ligures grassantur in orientali mari.

a To. 1. ep. secr. 271.

b Ib. ep. secr. 355.

c Aug. post eand. ep.

d Super ep. 271.

e Ead. ep. 271.

Iussi Trinacrij Roberto parere.

f Ext. in lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 359. & in arce S. Angeli inter collect. Plat. to. 2. pag. 490.

Gotius Dei gratia S. Romana ecclesia presbyter Cardinalis, olim patriarcha Constātinopolitanus, et Raterius eadem gratia episcopus Vasionensis Apostolica sedis nuncij, commissarij & executores ad infrascripta per sedem Apostolicam specialiter deputati. vniuersis et singulis huius processus seriem inspecturis, ad certitudinem præsentium et memoriam futurorum.

Dudum de mense septembris proxime præteriti nos Gotius & Raterius commissarij & executores præfati contra dominum Petrum primogenitum quondam domini Frederici olim Regis Trinacriæ, & alios natos & heredes ipsius domini Frederici iuxta formam literarum apostolicarum, nobis per sanctissimum patrem & dominum nostrum dominum Benedictum Papam XII. directarum, executionem debitam facientes, ad ciuitatem Regij vicinam insulæ Siciliæ & ciuitati Messanensi per tres leucas personaliter nos contulimus. Vbi die vigesima quinta dicti mensis assumpsimus religiosos viros fratres Thomam de Rosis, Petrum de Getatio, Angelum de Meuania, & Amicum de Tarano ordinis fratrum Minorum beati Francisci, pro nuncijs nostris in prædictam insulam dirigendis: quos iurare fecimus, tactis scripturis sacris corporaliter ab eisdem, quod literas apostolicas & nostras, quæ domino Petro præfato, & communitatibus Messanensi, Panormitanæ, & alijs communitatibus dictæ insulæ dirigebantur, fideliter præsentarent, & de responsionibus eis factis relationem nobis facerent plenariam & fidelem.

Internuntiorum pontificiorū in eos acta.

Minoritæ ab his delegati.

45 Qui quidem fratres euntes in quadam barca ad insulam præfatam, & ciuitatem Messanensem intrare volentes, fuerunt prohibiti, ne intrarent. Veruntamen ducti fuerunt per gentes de dicta insula ad comitem Matthæum de Palicio, di-

Prohibiti aditu.

dictam ciuitatem Messanensem pro dicto domino Petro regentem, & exponentes dicto domino Matthæo negotium, pro quo illuc erant transmissi, idem dominus Matthæus non permisit ciuitatem præfatam intrare, nec prædictas literas alicoi præsentare; asserens, quod nedum ipsos, sed Papam illuc intrare non permitteret, nec nos etiam silremus: & eosdem fratres per totam diem illam ieiunos, absque cibi & potus receptione ad nos compulit retroire, prout hæc & alia in ipsorum relatione nobis data in scriptis continebantur seriosius, sigillis eorundem cuiuslibet sigillata. Ex quibus verisimiliter videbatur, quod per nos ad dictam insulam non poterat securus accessus haberi: quinimmo videbatur, eundem dominum Petrum facere manifeste, ne nobis commissa per sedem Apostolicam possent ad eius notitiam peruenire.

Quapropter vt idem dominus Petrus non posset de sua malitia gloriari, cum excessus, contumaciæ, atque culpæ, aduersus Romanam ecclesiam & dominum nostrum Papam commissi, per publicam euidentiam eorundem essent & sint notorij, & nullius ope examinationis indigerent; sed solum executionem pœnarum, quibus quondam dominus Fredericus, & dominus Petrus præfati, & alij nati eius propterea erant, & sunt affecti, exposcere noscebantur; die tertia mensis octobris proxime præteriti declarauimus auctoritate apostolica prædicta, dictum Petrum & alios natos præfatos, exigentibus culpis & demeritis dicti quondam domini Frederici, quibus ipsi dominus Petrus & alij nati eiusdem quondam domini Frederici etiam sunt affecti, a iure tenutæ, omnique commodo & emolumento ipsius tenutæ insulæ Siciliæ, & aliarum insularum sibi adiacentium totaliter cecidisse: dictamque insulam Siciliæ, & alias insulas sibi adiacentes ad dictam Romanam ecclesiam fore reuersas; & per consequens alteri parti terræ, scilicet citra pharum redintegratas & consolidatas consistere ipso iure, & ad dominum Robertum Regem Siciliæ tanquam verum & directum feudatarium Romanæ ecclesiæ pertinere.

Petrus all iuris in Trinacria habere pronunciatus.

46 Monuimus etiam per publicæ nostræ requisitionis & monitionis edictum dominum Petrum præfatum & alios natos & heredes dicti quondam domini Frederici, qui de facto post dicti quondam domini Frederici obitum incubuerunt detentioni dictæ insulæ, & aliarum insularum sibi adiacentium & incumbunt, eisdem districtius sub excommunicationis pœna mandantes, quod prædictam Siciliæ & alias adiacentes insulas, cum omnibus iuribus & pertinentijs earundem, præfato domino Roberto Regi Siciliæ, tanquam directo & vero feudatario dictæ ecclesiæ & dicti domini nostri Papæ, ac alij vel alijs nuncijs ipsius, quos ipse dominus Robertus Rex ad id duceret deputandos, infra duorum mensium terminum domino Petro & alijs natis & heredibus antedictis ad hoc peremptorie assignatum, plene & integre restituerent, & ea omnino dimitterent, vel dimitti facerent; reuocatis penitus & exclusis omnibus, per quos dictas insulas ac ciuitates, castra, fortilitia, & alia bona ipsarum facerent detineri, ipsa vacua, libera, & ab omni impedimento penitus expedita, prædictis nuncijs eiusdem domini Roberti Regis totaliter dimittentes, nunquam vlterius dictam insulam Siciliæ & alias insulas sibi adiacentes, per se vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, occupaturi vel ad

Promulgatus Robertus illius princeps.

Moniti Trinacrij de excipiend. eius imperijs.

eas præter voluntatem dictæ Romanæ ecclesiæ reuersuri; sic quod idem dominus Robertus Rex, eiusdem insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium, ac ciuitatum, castrorum, fortilitiorum, & aliorum bonorum ipsarum, posset libera, pacifica, & plena possessione gaudere.

47 Omnes quoque, qui dicto domino Petro aut fratribus suis, vel alicui eorundem ratione dictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium, iuramento tenebantur fidelitatis astricti, auctoritate prædicta absoluimus ab huiusmodi iuramento; eisdem firmiter inhibentes, ne quisquam eorum deinceps domino Petro, & eius nato, ac fratribus supradictis ratione iuris cuiuslibet dictæ insulæ & aliarum insularum sibi adiacentium pareret, vel intenderet, cum nullum ius eis competeret in eisdem. Quod si præfati dominus Petrus & alij fratres eius admonitionem, requisitionem, & inductionem nostram huiusmodi infra prædictum duorum mensium terminum, per nos eisdem, vt præmittitur, peremptorie assignatum, præfatas Siciliæ & alias insulas adiacentes eidem insulæ, ac ciuitates, castra, & fortilitia ipsarum cum omnibus iuribus & pertinentijs suis plene & integre non restituerent domino Roberto Regi præfato, seu nuncio vel nuncijs eius; ipsaque vacua, libera, & penitus expedita non dimitterent, aut dimitti facerent, reuocatis omnino, & exclusis cunctis, per quos detinentur prædicta; præfatos dominum Petrum, & fratres eius, & omnes consiliarios, fautores, auxiliatores, & valitores eorum, cuiuscunque dignitatis, etiamsi pontificali vel regali vel qualibet alia dignitate fulgerent, & alias singulares personas dictæ insulæ, qui vel quæ facto, verbo, consensu, auxilio, consilio, vel fauore quocunque essent culpabiles in prædictis, elapso dicto termino, per nos eisdem peremptorie assignato, excommunicationis sententia feriremus; a qua nullus, præterquam in mortis articulo, ab alio quam a Romano Pontifice, vel a nobis, seu nostrum altero, posset absolutionis beneficium obtinere: & si aliquis de prædictis in mortis articulo a sententia esset absolutus præfata, nisi postquam ad conualescentiã perueniret, quamprimum commode posset, de ijs, pro quibus excommunicationem incurrisset, satisfaceret, in sententiam eandem recideret ipso facto.

De restituendo regno.

48 Verum si præfati dominus Petrus & fratres eius post decursum dictum terminum duorum mensium, eis per nos peremptorie assignatum, infra alium terminum competentem, quem assignaremus eisdem, in contumacia supradicta persisterent; eum crescente contumacia, pœna etiã augmentari deberet, contra eos, et quoscunque alios in dicta contumacia adhærentes, seu præstantes eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscunque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis existerent, etiamsi pontificali vel quacunque alia dignitate fulgerent, ad pœnas alias spirituales & temporales, etiam priuationis dignitatum ecclesiasticarum & secularium, & feudorum, & beneficiorum, quæ in dictis insulis obtinerent, & inhabilitationis personarum, & alias grauius auctoritate apostolica, qua idem dominus Papa nos fungi voluit in hac parte, sicut nobis visum esset expediens, procederemus; non obstãtibus quibuscunq; priuilegijs, indulgentijs seu literis, quibusuis vniuersitatibus vel singularibus personis ecclesiasticis vel secularibus, cuiuscunq; status, conditionis, vel dignitatis essent, etiamsi pon-

Obiectæ aduersantibus pœnæ.

Nullum dignitatis discrimen habitum.

pontificali vel regali vel qualibet alia dignitate fulgerent, seu literis, vel ordinibus, generaliter vel specialiter ab eadem sede concessis, de quibus, quorumque totis tenoribus, aut de ipsorum locorum, ordinum, & personarum nominibus proprijs, in literis apostolicis habenda esset mentio specialis, per quæ nullum in hac parte idem dominus Papa voluit afferri suffragium; sed illa, quatenus commissioni vel executioni præsentium præstare possent obstaculum, auctoritate apostolica renocauit, & decreuit nullius fore penitus firmitatis.

49 Insuper eisdem domino Petro & fratribus suis, consiliarijs, fautoribus, auxiliatoribus, & valitoribus eorum, ac adhærentibus eisdem in dicta contumacia, cuiuscunque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis, etiamsi pontificali, vel regali, seu quacunque alia dignitate fulgerēt, primam diem iuridicam post dictum duorum mensium terminum per nos peremptorie superius assignatum cum continuatione sequentium; & alteri cuicunque, qui sua interesse putaret, duximus peremptorie assignandum, vt coram nobis in ciuitate Terracinæ de prouincia maritima, quæ de iurisdictione spirituali & temporali Romanæ ecclesiæ existit notorie, & ad quam per terram, & per mare poterat securus accessus haberi, legitime & peremptorie comparerent ad videndum & audiendum nostras alias requisitiones, inductiones, edicta, mandata, excommunicationum sententias, & alia, quæ circa prædicta & prædictorum quodlibet, coniunctim vel diuisim, dicto elapso termino faceremus, ac etiam ferremus.

Petri sequaces postulati iudicio.

50. Postmodum die quarta mensis decembris proxime præteriti, domino Petro & fratri suo, ac consiliarijs, fautoribus, auxiliatoribus, & valitoribus eorum prædictis pro termino peremptorio vt præmittitur assignata, quæ fuit prima dies iuridica post assignatum duorum mensium terminum antedictum, eisdem domino Petro & fratribus peremptorie assignatum, nos commissarij & executores præfati in ciuitate Terracinæ præfata personaliter existentes, licet dies statuta interpellaret pro homine; ex abundanti tamen dominum Petrum & fratrem suum, ac consiliarios prædictos, quibus dicta prima dies iuridica fuerat assignata, fecimus in eodem loco publice proclamari; quos per se, aut per procuratores, vel defensores legitimos ipsorum coram nobis minime comparentes, licet vsque ad horam congruam expectatos, reputauimus exigente iustitia contumaces. Et quamquam contra ipsos, tanquam contumaces procedere potuissemus ad actum per nos assignatum ad diem eandem; de æquitate tamen ad diem quintam proxime subsequentem duximus expectandos. Qua die quinta, cum dicti dominus Petrus & germanus ipsius, ac consiliarij & cæteri supradicti, quamuis publice proclamati & vsque ad horam debitam expectati, comparere coram nobis in loco præfato per se, aut per procuratores, vel defensores ipsorum legitimos non curarent; volentes, iuxta Apostolum, vlcisci inobedientiam eorundem, excommunicauimus in scriptis dominum Petrum detentorem præfatum, & cōsiliarios, fautores, auxiliatores, et valitores eiusdem, & germani sui præfati; nec non & quoscunq; alios eisdem domino Petro & germano eiusdem in dicta cōtumacia adhærentes, seu præstantes eisdem consilium, auxilium, vel fauorem, cuiuscunq; conditionis vel dignitatis existerent, etiāsi pontificali, vel regali, aut quauis alia dignitate fulgerent, qui facto, verbo, consensu, auxilio, consilio, vel fauore quocunque essent culpabiles in prædictis.

Iidem Petrus ac frater principes.

Damnati contumaciæ.

51 Monuimus insuper, & requisiuimus per nostrum edictum propositum per nos, præsente fidelium multitudine copiosa, donnum Ioannem germanum dicti domini Petri, Ioannem de Claromonte, qui se intitulat comitem Moach, Damianum de Palicio, qui se intitulat cancellarium regni Siciliæ, Matthæum de Palicio, qui se intitulat comitem de Nucaria, Blascum de Aragona, & Raimundum de Peralta, tanquam notorios fautores, auxiliatores, consiliarios, & valitores dicti domini Petri detentoris: qui nedum eidem in prædictis excessibus dabant, sicut adhuc dant, auxilium, consilium, & fauorem; quinimmo in crimine detentionis & occupationis insulæ Siciliæ & aliarum insularum adiacentium eidem prædictarum participabant & fauebant, sicut adhuc participant & fauent notorie cum eodem; mandantes sub pœna excommunicationis eisdem omnibus & singulis, vt infra triginta dierum subsequentium spatium, quod pro peremptorio termino assignauimus ipsis, & cuilibet eorundem, a fautoria, valitudine, participio, consilio, auxilio, & fauore huiusmodi desisterent penitus, & cessarent. Alioquin prima die iuridica post dictum triginta dierum terminum in loco prædicto in omnes & singulos prædictos, dicto elapso termino, excommunicationis sententiam ferremus, & alias procederemus contra eosdem ad pœnas alias spirituales & temporales iuxta nobis traditam seu concessam in literis apostolicis potestatem.

Moniti officij proceres.

Indicta dies iudicij.

52 Subsequenter die martis quinta mensis ianuarij proxime præteriti, quæ fuit prima dies iuridica post elapsum triginta dierum terminum supradictum, nos commissarij & executores antedicti, existentes in ciuitate Terracinæ præfata, cum præfati donnus Ioannes & alij nominatim moniti cum eodem, mandatis nostris, immo verius apostolicis prædictis sibi factis non parerent infra terminum supradictum; nec ipsi in die quinta præfata per nos, vt præmittitur, comminata ad ferendum excommunicationis sententiam in ipsos & quemlibet eorundem, licet expectati vsque ad horam debitam, per se, aut per procuratores, vel excusatores aliquos ipsorum coram nobis in loco prædicto comparere curarent, ideo ipsos propter prædicta reputauimus merito contumaces. Et quanquam ipsa die potuissemus ferre excommunicationis sententiam in eosdem; tamen eiusdem diei terminum ad diem sabbati, nonam videlicet dicti mensis ianuarij, ad actum eundem duximus prorogandum. Et quia die nona præfata moniti antedicti per se, aut per procuratores, vel excusatores eorum coram nobis in eodem loco comparere nullatenus curauerunt; quinetiam ipsi mandata nostra, immo verius apostolica supradicta contemnentes, & in sua obstinata malitia persistentes, dicto domino Petro detentori in crimine detentionis & occupationis insularum prædictarum notorie participabant & fauebant, sicut adhuc participant & fauent; sibique adhærebant, sicut adhuc adhærent in contumacia supradicta; ac præstabant, sicut adhuc præstant eidem in his consilium, auxilium, & fauorem (quæ quidem vltra pharum & citra in regno Siciliæ adeo sunt notoria, quod nulla possunt tergiuersatione celari) ne ipsorū malitia impunita transiret, excommunicationis sententia innodauimus in

Iterum extracta.

Spretæ ab ijs leges.

Contortū in eos anathema.

scri-

ſcriptis donnum Ioannem tanquam contumacem in reſtitutione & dimiſſione prædictis, & ex cauſis alijs ſupradictis, Ioannem de Claromonte, Damianum, & Matthæum, ac Blaſcum & Raimundum præfatos tanquam notorios fautores, auxiliatores, & valitores dicti domini Petri detentoris, ſibique in prædicta contumacia adhærentes; quinimmo eidem in crimine detentionis & occupationis inſularum prædictarum notorios participes & auctores, nec non & præſtantes eidem in illis auxilium, conſilium, & fauorem notorie, vt præfertur, & alias ſingulares perſonas, qui vel quæ facto, verbo, conſenſu, auxilio, conſilio, vel fauore quocunque, dicto duorum menſium elapſo termino, per nos peremptorie aſſignato eiſdem, fuerunt culpabiles in prædictis.

53 Et quia propter delictum domini temporalis, terræ, quæ per ipſum detinentur, ſupponi poſſunt eccleſiaſtico interdicto; notoriumque exiſteret, ſicut adhuc exiſtit, dictum dominum Petrum dictæ inſulæ Siciliæ, & aliarum inſularum ſibi adiacentium, eſſe illicitum detentorem & occupatorem; idcirco prædictam Siciliæ inſulam & alias inſulas ſibi adiacentes, ciuitates, caſtra, & loca alia vniuerſa inſularum earundem, & quælibet alia loca dicti domini Petri vbique conſiſtentia in ſcriptis eccleſiaſtico ſuppoſuimus interdicto.

Moniti præſules ne ijs faueant. Inſuper, cum excõmunicatus per denunciationem ipſius non amplius ligaretur, monuimus & requiſiuimus per edictum publicum vniuerſos & ſingulos reuerendos patres dominos patriarchas, archiepiſcopos, & epiſcopos, & venerabiles viros abbates, præpoſitos, priores, archipresbyteros, plebanos, & alios eccleſiarum rectores, ad quos proceſſus tunc factus perueniret, eiſdem ſub excommunicationis pœna mandantes, vt ipſi & quilibet eorundem, qui ſuper hoc eſſent requiſiti, per ſe vel alium ſeu alios dominum Petrum detentorem præfatum, & donnum Ioannem germanum ipſius, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, Blaſcum, & Raimundum præfatos; nec non & quoſcunque conſiliarios, fautores, auxiliatores, & valitores eiuſdem domini Petri & germani ſui prædicti, ac eidem domino Petro & fratri ſuo præfato in dicta contumacia adhærentes, ſeu præſtantes eiſdem in prædictis conſilium, auxilium, vel fauorem, cuiuſque dignitatis exiſterent, etiamſi pontificali, vel regali, aut quacunque alia dignitate fulgerent, & ſingulares perſonas dictæ inſulæ, qui vel quæ facto, verbo, conſenſu, auxilio, conſilio, vel fauore quocunque eſſent culpabiles in prædictis; in eorum eccleſijs ſingulis diebus dominicis & feſtiuis, dum miſſarum ſolemnia celebrarentur, coram fideli populo, pulſatis campanis & candelis accenſis & demum extinctis, ſic excommunicatos, vt præfertur, publice nunciarent, vel facerent nunciari. *Intentat anathema* Monuimus quoque vniuerſos & ſingulos Chriſti fideles, ad quos idem proceſſus perueniret, quod ipſi abſtinerent a participatione omnium prædictorum, eiſque commiſimus, vt ſi ad hoc requiſiti forent, monerent nominatim ſubditos ſuos, quod ipſi etiam abſtinerent a participatione omnium prædictorum. *Repetita ad populos monita.* Alioquin prima die iuridica poſt quintamdecimam diem menſis februarij tunc futuri, nunc vero præteriti, procederemus ad pœnas & ſententias debitas contra eos.

54 Adhæc per noſtræ publicæ requiſitionis, monitionis, & inductionis edictum requiſiuimus, monuimus, & induximus dominum Petrum & donnum Ioannem germanos, Ioannem de Claromonte, Damianum & Matthæum, Blaſcum & Raimundum præfatos; nec non Agrigentinenſem, Syracuſanum, & Cephaludenſem epiſcopos, ac alios omnes & ſingulos abbates, & quoſcunque alios, dignitates, perſonatus, ſeu officia, aut quæcunque alia beneficia eccleſiaſtica obtinentes in dictis inſulis, & alibi vbicunque; ac omnes & ſingulas vniuerſitates terrarum & locorum inſularum earundem, ipſiſque & cuilibet eorundem mandauimus auctoritate prædicta, vt infra xv. diem dicti menſis februarij tunc futuri nunc vero præteriti (quem terminum omnibus & ſingulis ſupradictis pro peremptorio termino duximus aſſignandum) ipſi dominus Petrus & donnus Ioannes præfatam Siciliæ inſulam, & alias inſulas ſibi adiacentes cum omnibus iuribus & pertinentijs earundem, præfato domino Roberto Regi Siciliæ, tanquam directo, & vero feudatario dicti domini Papæ & eiuſdem eccleſiæ, ac alij vel alijs eius nuncijs, quos idem dominus Rex ad id duceret deputandos infra terminum ſupradictum, quem eiſdem domino Petro & donno Ioanni ad hoc duximus præfigendum plene, & integre reſtituerent, et ea omnino dimitterent, vel dimitti facerent, reuocatis omnino & excluſis omnibus, per quos dictas inſulas ac ciuitates, caſtra, fortilitia, et alia bona ipſarum faciunt detineri, ipſa vacua, libera, et ab omni impedimento penitus expedita, prædictis nuncijs domini Roberti Regis præfati totaliter dimittentes, nunquam vlterius dictam inſulam Siciliæ & alias ſibi adiacentes per ſe vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte occupaturi, vel ad eam præter voluntatem dictæ Romanæ eccleſiæ reuerſuri; ſic quod idem dominus Robertus Rex eiuſdem inſulæ Siciliæ & aliarum inſularum ſibi adiacentium, ac ciuitatum, caſtrorum, fortilitiorum, & aliorum bonorum ipſarum poſſet libera, pacifica, & plena poſſeſſione gaudere; dictique Ioannes de Claromonte, Damianus, & Matthæus, ac Blaſcus & Raimundus, nec non & Agrigentinenſis, Syracuſanus & Cephaluden. epiſcopi, & alij omnes & ſinguli epiſcopi, abbates, & quicunque alij dignitates, perſonatus, aut officia, vel quæcunque alia beneficia eccleſiaſtica obtinentes in inſulis prædictis & alibi vbicunque, & vniuerſitates, terrarum & locorum inſularum earundem, a prædictis auctoria, valitudine, fautoria, participio, adhærentia, præſtatione, conſilio, auxilio & fauore prædictis domini Petri detentoris præfati deſiſterent, & omnino ceſſarent. Alioquin, cum creſcente contumacia, creſcere deberet & pœna, contra ipſos ſuperius nominatos & ſingulos eorundem, ac contra quoſcunque alios in dicta contumacia adhærentes ſeu fauentes, vel præſtantes auxilium, conſilium, vel fauorem, cuiuſcunque ſtatus, ordinis, conditionis, vel dignitatis exiſterent, etiamſi pontificali, vel regali, aut quacunque alia dignitate fulgerent, coniunctim vel diuiſim, prima die iuridica, poſt dictam diem quintamdecimam dicti menſis februarij ſubſequenti, in ciuitate Beneuentana, domino Papæ & Romanæ eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus immediate ſubiecta, ad pœnas alias ſpirituales & temporales iuxta poteſtatem apoſtolicam procederemus nobis traditam ſæpedictam; non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, indulgentijs, & literis quibuſuis vniuerſitatibus & ſingularibus perſonis, &c. prout in literis apoſtolicis, & ſuperius exprimuntur.

Dicta Petro dies de reſtituendo regno.

Repetita eius ſequacibus eadem impens.

Obiecta pœna.

55 Poſt quæ nos ijdem commiſſarij & execu-

Designata Roma ad exercendum iudicium.

torea considerantes, quod Roma omnium communis est patria, ad quam etiam accessus potest securus haberi per requisitos & monitos antedictos; In domibus monasterij S. Seucrini Neapoli existentes, & pro tribnnalibus sedentes die iouis xI. mensis februarij proxime præteriti, terminum per nos superius comminatum ad procedendum ad pœnas alias spirituales & temporales in ciuitate Beneuentana ad primam diem iuridicam post quiutamdecimam dieor dicti mensis februarij, peremptorie per nos etiam assignatam domino Petro et donno Ioanni germanis præfatis ad restituendum et dimittendum domino Roberto Regi præfato insulas supradictas, et Ioanni de Claromonte, Damiano et Matthæo, Blasco, et Raimundo, nec non Agrigentinensi Syracusano et Cephaludensi episcopis, et alijs monitis cum eisdem ad cessandum, abstinendum, et desistendum ab sautoria, valitudine, et alijs supradictis ad primam diem iuridicam post octauam resurrectionis dominicæ proxime preteriram, tunc futuram, ad procedendum ad easdem pœnas spirituales & temporales cõtra omnes & singulos supradictos in vrbe & basilica beati Petri continuandũ duximus & etiam prorogandum. Et eiusdem termini proroga:ionem & continuationem similem, ad diem & locum præfatos nos Raterius commissarius & eaecutor præfatus vice & nomine dicti domini Cardinalis commissarij & coexecutoris & nostri, se ex causa legitima excusantis, ac committentis nobis vices suas in hac parte, & nomine & vice nostris, in ciuitate Benenentana præfata personaliter existentes, & pro tribunali sedentes die martis sextadecima mensis februarij proxime præteriti, quæ fuit prima dies iuridica post dictam quintamdecimam diem dicti mensis superius comminata, fecimus iterato, præsente populi multitudine copiosa. Quas quidem termini prorogationes & continuationes eisdem intimauimus per publicæ nostræ intimationis edictum, & ad eandem diem primam iuridicam per publicum citationis edictum citauimus dominum Petrum & donnum Ioannem germanos, Ioannem, Damianum, Matthæum, Blascum, Raimundum, & Agrigentinensẽ Syracusanũ & Cephaludensem episcopos, & alios superius monitos cum eisdem, ad comparendum coram nobis in vrbe & basilica supradictis, & ad dicendum causam rationabilem, si quam haberent; videlicet dicti dominus Petrus & donnus Ioannes, Ioannes de Claromonte, Damianus, Matthæus, Blascus, & Raimundus, quare non debeat grauius procedi contra eos ad pœnas alias spirituales & temporales prædictas: dicti vero Agrigẽtinensis, Syracusanus & Cephaludensis episcopi & alij supradicti, quare non deberent excommunicationis sententia innodati.

Prorogata illius dies.

Petrus & socij iterũ sunt vocati.

56 Insuper per nostræ publicæ requisitionis, monitionis, & inductionis edictum, fidelium multitudine copiosa præsente propositum, requisiuimus, monuimus, & induximus officiales, consiliarios, auxiliatores, & valitores dicti domini Petri detentoris; videlicet comitem Manfridum de Claromonte magnum senescalchum & vice admiratũ, dominum Mattheum de Sclafano, Aloysium de Incisa, et comitem Robeum magistros rationales, et alios infrascriptos expresse nominatos cum eis, qui in crimine detentionis & occupationis insularum prædictarum eidem domino Petro detentori participabant & fauebant, sicut adhuc participant & fauent notorie; sibique in prædicta contumacia adhærebant & præstabant, sicut adhuc adhærent & præstant eidem in his auxilium, consilium, & fauorem: ipsisque omnibus & singulis sub excommunicationis pœna mandauimus, vt ipsi & quilibet ipsorum infra octauam resurrectionis dominicæ tunc futuram, nunc vero præteritam, quem terminum eisdem omnibus & singulis pro peremptorio termino assignauimus, a participatione & fautoria dicti D. Petri detentoris in dicto crimine detentionis & occupationis, & ab ipsius adherentia in contumacia supradicta, & a præstatione auxilij, consilij, & fauoris eiusdẽ in prædictis abstinerent penitus, ac cessarent. Alioquin dicta prima die iuridica post octauam prædictam, in vrbe & basilica prædictis contra dominum Petrum & donnum Ioannem germanos, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, Blascum, & Raimundum præfatos ad pœnas alias spirituales & temporales prædictas procederemus: dictos vero Agrigentinensẽ Syracusanum & Cephaludensẽ episcopos, ac omnes & singulos infrascriptos requisitos & monitos nominatim excommunicationis sententia percelleremus, ipsorum absentia seu contumacia non obstante, eisdem monitis & requisitis ad comparendum coram nobis in vrbe & basilica antedictis & ad videndum & audiendum per nos ferri dictam excommunicationis sententiam in eosdem, dictam primam diem iuridicam post octauam prædictam pro peremptorio termino assignantes.

Proposita ijs pœnæ.

57 Nos itaque commissarij & executores præfati, die quinta mensis aprilis, quæ fuit prima dies iuridica post octauam prædictam, domino Petro & donno Ioanni germanis, ac alias citatis & monitis prædictis peremptorie prorogata & assignata, existentes in vrbe & basilica supradictis, ipsos dominum Petrum & donnum Ioannem, ac alios monitos, citatos, & requisitos præfatos per se, aut per procuratores, vel excusatores ipsorum, coram nobis minime comparentes, licet vsque ad horam debitam expectatos, reputauimus, exigente iustitia, contumaces: ipsos tamen ad diem sequentem, de benignitate duximus expectandos.

Et quia dicta die sequenti per se, vel per procuratores, aut excusatores ipsorum coram nobis comparere nullatenus curauerunt; quinimmo eorundem domini Petri & donni Ioannis germanorum, et Ioannis de Claromonte, Damiani, Matthæi, Blasci, et Raimundi corda insipientia, non absq; graui et notabili cõtemptu clauiũ, sic reperimus indurata, vt ipsi more Pharaonis in eorũ pertinacia obcæcari, descendentes in malorũ profundũ, monitionibus nostris non pareant, cõminationes, et mãdata nostra, immo verius apostolica cõtemnant, ac apostolicas, nostrasque sententias paruipendant: considerantes etiam, quod dominus Petrus præfatus propter accessum dudum notorie factum per eum cũ non modico stolio galearũ ad Ludouicum de Bauaria tunc in Vrbe morantem, propter processus felicis recordationis domini Ioannis Papæ xxII. pluribus et diuersis excommunicationis sententijs cum suis participibus inuodatum, excommunicationis et alias pœnas et sententias in fautores, auxiliatores, et valitores Lodouici præfati et adhærentes eidem, vel sibi præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, noscitur incurrisse, et easdem excommunicationis et alias sententias, absolutione non petita vel obtenta, tam diu pertinaciter, et dãnabiliter tolerauit; nos congruum et rationabile fore censentes,

Iidẽ pertinaciter iura spernũt.

vt

Petrus de hæresi suspectus pronunciatur.

ut tanti nefandissimorum flagitiorum ultionis severitas extendatur, Christi nomine invocato, pro tribunalibus sedentes, et habentes præ oculis solum Deum, dicimus eundem dominum Petrum propter prædicta de hæresi vehementer suspectum: et in his scriptis pronunciamus ipsum esse infamem et intestabilem, ita quod nullus eidem, nec ipse alicui ex testamento vel alia ultima voluntate, aut ab intestato succedere possit, eundemque omnibus bonis, iuribus, et feudis, quæ a Romana vel quavis alia ecclesia tenet, et privilegijs, indulgentijs, et quibuscunque gratijs eidem sub quacunque forma verborum ab Apostolica sede concessis, auctoritate sedis eiusdem privamus et idem districtius inhibentes, ne deinceps Regem Siciliæ se nominet vel intituler, sigilloque regio non utatur, nec etiam in dicta insula Siciliæ et alijs insulis sibi adiacentibus ut Rex quicquam ordinet, mandet, vel faciat, aut fieri faciat: quod si secus per eum factum, ordinatum, mandatumve fuerit, illud decernimus irritum et inane.

Vetitus regios apices sibi arrogare.

58 Præfatos vero donnum Ioannem, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, Blaseum, et Raimundum, qui eidem domino Petro in crimine detentionis et occupationis insulæ Siciliæ et aliarum insularum prædictarum fuerunt et sunt notorij participes et auctores, sibique adhæserunt et adhærent, ac eidem præstiterunt in his auxilium, consilium, et favorem; et excommunicati et denunciati propterea per nos, excommunicationem eandem sustinuerunt et sustinent animis induratis, propter quæ pœna eisdem debet etiam augmentari; auctoritate prædicta privamus omnibus bonis, iuribus, et feudis, et quibuscunque gratijs, sub quacunque forma verborum eis et cuilibet eorundem a prædicta sede, vel quavis ecclesia, concessis. Eundem quoque Damianum omnibus beneficijs et officijs ecclesiasticis, quę ipse obtinet, eadem auctoritate privamus, et reddimus inhabilem ad quæcunque beneficia seu officia ecclesiastica inposterum obtinenda. Eosdem quoque donnum Ioannem, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, et prænominatos alios cum eisdem, pronunciamus fore infames et intestabiles, ita quod nec ipsi alijs, nec alij ipsis ex testamento, vel quacunque alia ultima voluntate, aut ab intestato succedere possint. [Recensitis præcipuorum Petri sequacium, qui censuris percelluntur, nominibus subditur.]

Pœnis mulctati eiusdem sequaces.

Prohibitũ Petri commercium.

Præterea, quamvis cum excommunicatis communicare non liceat, sed id generaliter omnibus iuris auctoritas interdicat; quia tamen solet plus timeri quod specialiter prohibetur, idcirco universis et singulis Christi fidelibus, et specialiter duci, consiliarijs, et civibus civitatis Venetiarum, potestatibus, capitaneis, consiliarijs, civibus, incolis, et habitatoribus civitatum Ianuæ, Pisarum, Anconitanæ, et omnium civitatum, castrorum, et locorum aliorum maritimorum, necnon et universitatibus earundem, et singulis de ipsis civitatibus, omne commercium spontaneum cum excommunicatis & aggravatis prædictis interdicimus; monentes nihilominus eosdem universos & singulos primo, secundo, & tertio, ac peremptorio, et eisdem sub excommunicationis pœna mandantes, ut nullus ipsorum ab excommunicatis et denunciatis ac aggravatis prædictis vel ipsorum aliquo emere, aut ipsis vel alicui eorum vendere, vel cum eisdem contractum vel obligationem aliquam facere vel inire, aut mittere, vel sponte accedere ad insulam Siciliæ et ad alias insulas supradictas, nec etiam in eorum terris et locis excommunicatos, denunciatos, et aggravatos præfatos, vel ipsorum aliquem scienter receptare præsumant. Alioquin in eosdem, omnes & singulos, qui sic interdicti, moniti, & iussi intra xv. dies per sententiam interdicti, monitionis, & iussionis huiusmodi, quos dies ipsis & cuilibet ipsorum pro peremptorio termino assignamus, contra interdictum, monitionem, & iussionem nostram huiusmodi cum excommunicatis & aggravatis prædictis qualecumque habere commercium, quive prædictum mandatum nostrum contumaciter præterire præsumpserint, ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis; civitates vero, castra, seu loca cætera & universitates eorum, qui scienter secus fecerint, in his scriptis ecclesiastico supponimus interdicto, &c. *Sub anno a nativitate domini MCCCXXXIX. indictione VII. die septima mensis aprilis pontificatus eiusdem sanctissimi patris domini Benedicti Papæ XII. anno V.*

Obiectæ illud monentis pœnæ.

59 Detrectante igitur Petro transmissum flagitio a patre regnum Roberto Regi restituere legibus, ad arma concursum fuit, immissaque a hoc anno est in Trinacriam valida classis, præfecto Goffredo Nanaanio Squillacij comite: qui cum Liparim insulam obsideret, comes Claromontis, Petri Aragonij copiarum dux, classe in portum invectus, cum abscedente Goffredo partam victoriam arbitratus incautior ageret, insequenti die summo mane reversa Roberti classis impetu inopino Trinacrios oppressit; comes Claromontis captus inter cæteros, ac nonnisi pauci ex ea clade evaserunt; arxque Lipari insulæ imposita ea clade attonita deditionem fecit. Partam exiguo cruore eam victoriam, ut de animarum pauciorum salus periclitata sit, gratulatus est Pontifex Roberto Regi b, cui Trinacriam iam antea eius maioribus a sede Apostolica iure fiduciario traditam, atque ab Aragonijs occupatam, restitui exoptabat.

Expeditio Roberti in Trinacriam. a Vil. l. 11. c. 107.

b To. 5. ep. secr. 389.

Benedictus, &c. Roberto Regi Siciliæ illustri.

Tam læti rumores, quam præsentatæ nobis celsitudinis tuæ regiæ literæ, datam tibi, fili charissime, divinitus in loco Lipari ijs diebus præteritis de hostibus tuis insulæ Siciliæ gloriosam victoriam nunciantes, cor nostrum rore gaudij perfuderunt: sed non parum modus & processus ipsius victoriæ per easdem literas denotati huiusmodi exultationis et gaudij materiam ex eo præsertim in Domino adauxerunt, quia, sicut ex serie literarum ipsarum colligitur, virtutum Dominus, qui mirabilia operando de cælo dat fortitudinem, et cui vult victoriam impartitur, absque strage magna hominum, et per consequens sine grandibus periculis animarum, multitudinem magnam hostium, adversariorum et rebellium tuorum, dilectissime fili, et ecclesiæ sanctæ suæ, quorum in hac parte negotium est connexum, suam revelando iustitiam, et iustum iudicium exercendo, in tuis et tuorum manibus cum omnibus vasis navalibus et cæteris bonis, quæ ipsi adversarij secum habebant tunc temporis, suæ potentiæ extenso brachio conclusit. Unde nos, qui hominum strages in eis formidantes, animarum periculum abhorremus, super tantis tamque mirabilibus donis Altissimo, a quo cuncta bona procedunt, exolvere labiorum vitulum in humilitatis spiritu non * cessantes, rogantes magnificen-

Parta apud Liparim victoria.

* cessam.

centiam regiam, et in Domino attentius exhortantes, quatenus præmissa non humanæ, sed omnino diuinæ potentiæ cum humilibus actionibus gratiarum ascribens, cœptum feliciter negotium, quod velut pro parte tua et ecclesia in iustitia et veritate fundatum clementia diuina videtur benignis et fauorabilibus oculis intueri (propter quod est de ipsius prospero et votino successu sperandum) prosequi ac continuare regalis magnanimitas, confisa de diuino auxilio et fauore nostro, quantum cum Deo poterimus, potenter et viriliter non omittat. *Dat. Auin. 11. id. decembris anno v.*

Funesto corrupta exitu. a Io. Vill. l. 11. c. 107.

Iustitia in Neapolitano regno male administrata. b To. 5. ep. secr. 135. c An. 6. ep. com. 24. Quorum vitio id acciderit.

Oborta turbæ.

60 Data est alijs literis ad Roberti Regis gratiā prouincia Auersano episcopo et abbati Cumensi, vt Liparenses censuris soluerent ea lege, vt si ad hostem deficerent, iterum priori nexu irretiri tenerentur. Reuertebatur Neapolim victrix Roberti Regis classis a, cum sæua tempestate dissipata est; et quatuor triremibus, quæ captiuis plenæ erant, in Corsicam actis, plures Siculi euasere: adeo inconstans est humanæ felicitatis status. Cæterum exortis in Sicilia citeriori dissensionibus, vrbium ciues immania odia exercuisse, superius ex Ioanne Villano vidimus, ac Robertum ob non compressum improborum furorem in inuidiam vocatum: quem quidem in administranda iustitia fuisse remissiorem, ex literis pōtificijs b constat, quibus Benedictus recti et æqui amantissimus, vtque supremus regni dominus grauiora ea mala enumerauit, illaque regia auctoritate tolli iussit. Manabant illa præcipue ex eo fonte, vt refert Pontifex c, quod procerum clientes aduersus ipsos testes esse detrectarent; *In castris*, inquit, *& locis eorum maxime committuntur vetita & inculcant liceuter, inde sumpta fiducia, quod per eorum subditos et vassallos contra eos non potest verum haberi testimonium: et sic accusationes et denuntiationes, quæ fiunt in curia charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris de excessibus eorundem, vim non obtinent, nec debitum sortiuntur effectum.* Ad coercendam igitur eam improbitatem Dei vicarius damnauit anathemate illos, qui publicos grassatores exciperent, ipsorumque loca interdicto subiecit; tum eos, qui ad repetendam armis vltionem coitionem facerent. Eo vindictæ appetitu elati nonnulli proceres Campaniæ fœderati aduersus Fundorum comitem in Neapolitanum regnum excurrerunt, dum regiæ vires ad redigendam ad officium Trinacriam distractæ erant, non sine Roberti Regis iactura, verum etiam contemptu ecclesiæ, quæ anathema aliasq; graues pœnas Roberti regnum infestantibus obiecerat. Persolutum porro Romanę ecclesię octo millium vnciarum auri censum syngrapha pontificia testatur. d

d To. 5. ep. secr. 214. Petri Regis Arag. ad sedem Apost. accessus. e Ib. ep. 395. f To 6. ep. secr. 1. g Marian. l. 16. c. 6. Sur. l. 7. c. 48. h Apud Bosq. & M.S. bibl. Vat. sign. n. 3705. in Ben. XII.

Similiter insequenti die a Petro Rege Aragonum Sardiniæ et Corsicæ liberalitate sedis Apostolicæ acceptarum nomine duo millia marcharum argenti sunt in pontificium fiscum illata e. Accessisse vero Petrum ad eandem sedem, vt clientis obsequia ex officij religione solemni ritu Pontifici addiceret, non modo pontificiæ literæ anno proximo ineunte exaratæ f ostendunt; sed etiam testantur historici g, e quibus Benedicti vitæ auctor hæc affert h: *Ad dictum Papam venit Auinionem Petrus Rex Aragonum, fecitque ei homagium, & præstitit iuramentum fidelitatis in forma debita pro regno Sardiniæ, quod tenet in feudum ab ecclesia Romana, fuitque idem Rex honorifice receptus per dictum Papam: licet die introitus sui in curia incendium magnum fuit in coquina, vbi parabantur cibaria pro prandio dictorum Papæ, Regis, & Cardinalium, prout est fieri consuetum: sed hoc non obstante omnia fuerunt bene disposita & parata sic & taliter, quod omnes remanserunt bene contenti. Venit etiam cum dicto Rege, qui satis iuuenis erat, Iacobus Maioricarum, qui quasi dicti Regis pro tunc regimen & gubernationem habebat, saltem quoad personam.* De exorta inter hos Reges discordia, cum Petrus a Iacobo solemnia clientis officia exigeret, in rebus Hispanicis dicemus: nunc institutum de Romanæ ecclesiæ fiduciarijs principibus sermonem prosequamur.

Clientelaris sponsio ab eo præstita.

Proceres Insubriæ Pontificis fiduciarij.

61 Constituti sunt hoc anno in Italia plures magnates sedis Apostolicæ fiduciarij, qui e tyrannis in iustos principes, accepta a Benedicto, vtpote interregni tempore administratore imperij, quam antea scelere arripuerant auctoritate, euasere. De Luchino post Azonis Vicecomitis Mediolanensis mortem Mediolani principe meminit Ioannes Villanus a illumque decem aureorum millia in annos singulos Pontifici pendere pollicitum; sed de eo suo loco inferius: Mastinum similiter, non quinquaginta (error enim in auctorem irrepsit, sed quinque, vt ex literis pōtificijs constat) millibus census annui pactis, plurium vrbium principatum accepisse: qua occasione auctor in exclamationes ineptas in Romanam ecclesiam prorumpit. Quid tandem diceret, si Angliæ, Hiberniæ, Aragoniæ, Sardiniæ, Corsicæ, Trinacriæ, Siciliæ Reges, pluresque alios, de quibus Baronius nosque meminimus in annalibus, vt alios pluros inferiores principes mittamus, Romani Pontificis clientes se professos audiret, atque honori & triumpho duxisse suos illius, cui *data est omnis potestas in cælo & in terra*, vicario principatus subiecisse? Quo vero ritu, quaue consilij maturitate expetentibus Italis gesta res sit, ex publicis documentis tum editis delibanda narratio visa est.

a Io. Vill. l. 11. c. 100.

Constituti b sunt a Scaligeris procuratores Bonauentura e Ponte petræ, & Guillelmus e Pastrengo, vt a Benedicto Veronensem præfecturam deposcerent: *Ad comparendum coram sanctissimo in Christo patre & domino Benedicto, diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, & ad supplicandum eidem, quod ipsos dominos Albertum & Mastinum & vtrumque eorum in solidum dignetur constituere vicarios ipsius domini summi Pontificis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ vsque ad tempus, de quo eidem summo Pontifici videtur expedire, vacante imperio, in ciuitatibus Verona, Parma, & Vicentia, ac castris, villis, territorijs, districtibus, & comitatibus ciuitatum earundem ad regendum, gubernandum vice, iure, & nomine dictæ Romanæ ecclesiæ & præfati domini Romani Pontificis, vel alterius, qui erit Romanus Pontifex pro tempore, ciuitates, districtus, territoria, & comitatus, & alia castra & villas prædictas, & habitatores laicos ipsorum: ac merum & mixtum imperium, & iurisdictionem omnimodam temporalem, ac vniuersa iura imperialia in omnibus & singulis ciuitatibus, castris, villis, territorijs, districtibus, & comitatibus eisdem, & vniuersos habitatores laicos ipsorum exercendum & administrandum vice, iure, & nomine proxime dictis, & ad tempus prædictum, & vacante imperio prædicto; & ad recipiendum a sanctissimo domino Benedicto Romano Pontifice huiusmodi vicariatum in ciuitatibus; castris, villis, districtibus, & comitatibus, & habitatoribus omnibus su-*

b M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 206. Scaligeri creati vicarios cæsareos vacuo solio imperiali a Pont. poscunt. Data procuratoribus ea de re mandata.

supradictis, vt hæc & multa alia & plura constant publico instrumento procurationis, scripto sub signo & nomine mei Ioannis Panacia notarij infrascripti die iouis xxv. mensis februarij MCCCXXXIX, indictione VII.

62. Extracta est in plures menses conferendæ Scaligeris, vacuo augustali solio, vicariæ præfecturæ tractatio, ac demum e publica re visum est eos creari proreges: atrocissima enim bella Italica componenda, promouendam diuinam gloriam, animasque ad adipiscendam felicem immortalitatem facilius perductum iri. Transmissum itaque est ad Scaligeros hoc decretum.

Ob Italiæ quietem collata ea dignitas.

Benedictus episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs nobilibus viris Alberto & Mastino de la scala fratribus, vicarijs nostris & S.R.E. in Veronensi, Parmensi, et Vicentina ciuitatibus, ac castris, villis, territorijs, districtibus, et comitatibus earundem salutem et apostolicam benedictionem.

Attendentes grauia longe lateq; diffusa, proh dolor! animarum pericula, quæ in nonnullis Italiæ, & maxime Lombardiæ & marchiæ Teruisinæ prouincijs absque rationis iudicio dissensionum suscitatæ materiæ generarunt, ex quibus strages corporum & dispendia facultatũ, & alia non facile numerãda pericula prouenerunt, sub spe illius, cui facile est res etiã desperatas sine moliminis tarditate perficere, ad id solicitudinem nostram conuertimus, vt sublatis huiusmodi dissensionibus per opportuna prouisa remedia salutaris & consulti regiminis, scandalorum succidere & propulsare materias, plantare pacem, populis securitatem adijcere, ac in eis firmam stabilire quietem Deo propitio valeamus, vt eædem prouinciæ, per bonum regimen securitate gaudentes, in pacis pulchritudine sedeãt & in requie opulenta quiescãt. Sane nos diligenter, etc. *& infra*, attento quod imperio Romano vacante, prout nunc vacat, eius regimen, dispositio, & iurisdictio ad solum Romanum Pontificem, cui in B. Petri Apostolorum principis cœlestis simul & terreni imperij iura Deus ipse commisit, pertinere noscuntur, & ea ipse præfati imperij vacatione durante per se vel alium seu alios exercet in imperio memorato, &c. [Subijcit vt oratores Alberti & Mastini præfecturam Veronensem postularint ad iustitiam administrandam, ac plura promiserint ad populorum salutem & ecclesiæ decus, inter quæ hæc].

Qui siquidem procuratores, principalis & substitutus, procuratorio nomine vestro nobis, in fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium præsentia solemniter promiserunt, quod vos & quilibet vestrum merum & mixtum imperium, iurisdictionem, iura, & vicariatum prædicta exercebitis & administrabitis, ac ciuitates, castra, villas, districtus, & comitatus prædicta, ac ciues, incolas, & habitatores ipsorum regetis & gubernabitis vice, iure, & nomine nostris, ac successorum nostrorum & ecclesiæ prædictorum, non tyrannice sed secundum iura communia & leges, ac consuetudines rationabiles, & libertati ecclesiasticæ non repugnantes, vigentes & hactenus obseruatas in ciuitatibus, castris, villis, districtibus, & comitatibus memoratis: & quod in exercitio, administratione, regimine, & gubernatione huiusmodi, & vniuersis proclamationibus, bannis, & actibus, propterea faciendis denominabitis vos vicarios Romani Pontificis & Romanæ ecclesiæ prælibatæ: & quod in omnibus, & singulis ciuitatibus, castris, villis, comitatibus & districtibus prædictis ecclesiasticam cõseruabitis libertatem: & quod vos & quilibet vestrum communiter & diuisim Ludouicum de Bauaria, qui se dicit Imperatorem, & quemcumque alium, qui se nominaret Imperatorem vel Regem Romanorum, vel se diceret in Imperatorem vel in Regem Romanorum electum, qui per dictam Romanam ecclesiam approbatus non esset, non recipietis in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, & districtibus antedictis, vel alijs terris ditioni vestræ subiectis, vel in posterum subijciendis, nec ipsos in eis recipi per vestros subditos permittetis: quinimmo pro posse vos opponetis, quod ciuitates, castra, villas, districtus, comitatus, & territoria, quæ nunc obtinetis, vel in posterum obtinebitis, aut aliquam seu aliquem, vel aliquod ipsorum non intrent vel occupent, ac etiã super his resistetis eisdem: & quod de ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, districtibus, & territorijs supradictis vniuersos hæreticos ab ecclesia denotatos, vel in posterum denotandos expelletis et facietis expelli, et ipsius ecclesiæ rebelles, in quantum potueritis, impugnabitis et recipietis fideles ipsius, eosque admittetis in eis, et benigne tractabitis, in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, et districtibus, ac territorijs supradictis, et maxime ad mandatum Romani Pontificis et Romanæ ecclesiæ prædictorum, nisi in receptione et admissione et tractatu dictorum fidelium vobis ex causis euidentibus vel probabilibus coniecturis periculum immineret; quodque vos et quilibet vestrum fideles eritis nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, et Romanæ ecclesiæ prælibatæ, ac nostræ et successorum et Romanæ ecclesiæ prædictorum, honores et iura conseruabitis illibata, ac nostros et successorum, et ecclesiæ prædictorum legatos, et nuncios, eundo, morando, et redeundo honorifice tractabitis, et adiuuabitis in necessitatibus eorundem.

Scaligeri iura iuste administraturos.

Cæsarem nisi ab ecclesia confirmatum non agnituros.

Fidem ad persequendos hæreticos deuinciunt.

Obsequiis Pontifici bus vere deuouent.

63. Et in signum superioritatis nostræ et eiusdem Romanæ ecclesiæ, pro concessione vicariatus huiusmodi, cum omnibus iuribus, fiscalibus, et imperialibus supradictis, præfati procuratores vestri, habentes ad hoc a vobis speciale mandatum et plenariam potestatem, procuratorio nomine vestro et cuiuslibet vestrum in nostra et dictorum fratrum nostrorum præsentia et in publico consistorio, præsente multitudine copiosa fidelium obtulerunt, dederunt, et constituerunt nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, et eidem Rom. ecclesiæ vsque ad finem temporis, quo huiusmodi vicariatus officium vobis duxerimus concedendum; vel quousque præfata vacatio imperij durabit, si forte ante finem constitutionis et concessionis vicariatus huiusmodi cessaret vacatio memorata, pensionem quinque millium florenorum auri puri iustique ponderis et cunij Florentini, vbicunq; Romanus Pontifex fuerit, eidem Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et Romanæ ecclesiæ, vel ipsi ecclesiæ vbi ipsa fuerit, sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, et pro portione collegium ipsius ecclesiæ Cardinalium contingente, anno quolibet inchoando in primo futuro festo beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et ex tunc in antea annis singulis in festo prædicto, huiusmodi vicariatu durante, vestris et cuiuslibet vestrum sumptibus et expensis, sub infrascriptis pœnis et sententijs, si in aliquo termino fuerit in huiusmodi solutione cessatum, integraliter et sine diminutione aliqua persoluendam: et quod eidem Romanæ ecclesiæ, quandocunque pro parte ipsius fue-

Censum quinque millium aureorum spondent.

fueritis requisiti, exhibebitis ducentos equites, et trecentos pedites secundum morem patriæ bene armatos, in Lombardia, marchia Anconitana, et prouincia Romandiolæ, ac ciuitatibus Bononiensi et Ferrariensi, et districtibus eorundem, pro iuribus et bonis dictæ ecclesiæ defendendis, recuperandis, et conseruandis, seruituros eidem ecclesiæ, et in eius seruitijs moraturos pro tribus mensibus singulorum annorum, quibus durabit vicariatus prædictus, proprijs sumptibus et expensis vestris et heredum vestrorum: et quod vltra istos tres menses liceat nobis et dictis successoribus, seu dictæ ecclesiæ præfatos equites et pedites retinere, nostris tamen et dictorum successorum et ecclesiæ sumptibus et expensis; vosque et quilibet vestrum facietis et curabitis cum effectu, quod ipsi equites et pedites, in seruitio dictæ ecclesiæ remanebunt pro stipendio competenti.

De vectigal equitare.

64 Rursus dicti procuratores, nobis nostro et successorum et ecclesiæ prædictorum nomine solemniter stipulantibus, prædicto procuratorio nomine promiserunt, quod si qua bona, possessiones, vel iura qualiacunque sint, et in quibuscunque consistant, locorum vel personarum ecclesiasticorum, per vos vel vestrum alterum, aut alios vestro nomine vel mandato, vel quoscunque alios sunt occupata, vel detenta illicite, vel subtracta in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, et districtibus ac territorijs supradictis, seu aliquo eorum, bona fide et integre restituetis, et restitui facietis libere, et cum effectu locis et personis eisdem: et quod possessiones, bona, et iura ipsius vlterius non occupabitis vel subtrahetis, nec occupari, vel subtrahi permittetis, nec occupare, seu subtrahere volentibus consentietis, nec eis dabitis auxilium, consilium, vel fauorem; dictasque personas ecclesiasticas in suis iuribus et libertatibus defendetis, easque de facto, et quantum ad vos pertinuerit, etiam de iure iuuando et permittendo ipsas frui libere et pacifice omnibus possessionibus, bonis, et iuribus ac libertatibus eorundem, et a qualibet violentia et iniuria, eis quomodolibet in ipsis possessionibus, bonis, et iuribus, ac libertatibus, vel ipsorum personis, nec non fructibus, redditibus, et prouentibus possessionum, bonorum, & iurium eorundem inferenda, penitus studebitis abstinere; ac personas easdem, earumque familiares benigne & fauorabiliter tractabitis, omnesque libertates & immunitates ipsis de iure concessas obseruabitis, & obseruari per alios facietis, eosque benigne tractari.

De restituendis ecclesiasticis possessionibus.

Seruanda immunitate sacerdotali.

65 Insuper dicti procuratores vestri voluerunt & consenserunt expresse procuratorio nomine supradicto, quod propter huiusmodi oblationem, & constitutionem dictæ pensionis, & solutionem ipsius, & supradicti adiutorij ducentorum equitum & trecentorum peditum præstationem, vel aliquod aliud præmissorum, eadem Romana ecclesia non teneatur suis sumptibus vel expensis ciuitates, castra, villas, districtus, & comitatus prædicta defendere, vel vobis eisque quodcunque aliud temporale adiutorium exhibere, nec in ipsa aliquod aliud ius transferre, nec se vobis in aliquo propterea obligare. Eadem tamen Romana ecclesia pro defensione vicariatus huiusmodi, ac bonorum & iurium prædictorum, vbi per vos vel vestrum aliquem fuerit requisita, si & quando, & prout sibi decere & expedire videbitur, spirituale auxilium, censuram videlicet ecclesiasticam, vobis de solita suæ benignitatis gratia exhibebit: vosque nihilominus & quilibet vestrum remaneatis, ac ciuitates, castra, villæ, territoria, districtus, & comitatus prædicta, & habitatores ipsorum remaneant & consistant, huiusmodi vicariatu durante, sub protectione eiusdem Romanæ ecclesiæ speciali.

Acceptus in clientelã Apost. Scaligerorum principatus.

Iidemque procuratores, nobis nomine nostro & successorum nostrorum solemniter stipulantibus, promiserunt procuratorio nomine supradicto, se facturos & curaturos cum effectu, quod omnia & singula supradicta per eos promissa vos & quilibet vestrum rata & grata habebitis perpetuo, & tenebitis, obseruabitis, & adimplebitis: & quod contra ea, vel ipsorum aliquod, durante vicariatu prædicto, non facietis vel venietis aliqua ratione, occasione, colore, vel causa; ipsaque omnia & singula supra & infrascripta infra festum natiuitatis Domini proxime futurum, in præsentia nuntij seu nuntiorum nostrorum, quem vel quos ad hæc deputauerimus, & ad ciuitatem Veronensem, vel aliquam aliam de prædictis duxerimus destinandum vel destinandos, nec non tabellionis publici ad hæc specialiter adhibendi, affirmabitis, confirmabitis, ratificabitis, & emologabitis specifice & expresse vosque solemniter promittetis per vos & quemlibet vestrum, corporaliter præstito iuramento, quod omnia & singula præmissa, secundum quod per dictos procuratores promissa, oblata, & constituta sunt, efficaciter obseruare studebitis & complere sub pœna mille marcharum argenti, Romanæ ecclesiæ & eius cameræ toties committenda & soluenda, quoties contra præmissa vel aliquod præmissorum veneritis vel etiam facietis, ratis & firmis nihilominus manentibus omnibus & singulis supradictis; confecto exinde per tabellionem eundem publico instrumento, nobis & eidem Romanæ ecclesiæ, infra dictum terminum post affirmationem, confirmationem, ratificationem, emologationem, & iuramenti præstationem huiusmodi fideliter transmittendo, & realiter assignando; durante tamen vicariatu prædicto, quem vicariatum, vos & quilibet vestrum, & heredes vestri, nomine nostro & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, & eiusdem Romanæ ecclesiæ, per vos & heredes vestros tenendum & exercendum, non possitis dimittere, vel a vobis abdicare, imperio præfato vacante, vsque ad temporis finem, quo eum vobis dictisque heredibus duxerimus concedendum; vel etiam vltra tempus prædictum, quamdiu videlicet placebit nobis & dictis successoribus nostris, vacante tamen dicto imperio, per vos et heredes vestros prædictos vicariatum huiusmodi exerceri, nisi cessaret antea vacatio imperij memorati. Quam quidem vacationem tamdiu intelligimus, et per alios intelligi volumus perdurare, quousque aliquis in Imperatorem vel Regem Romanorum concorditer et canonice electus fuerit, et per sedem Apostolicam approbatus: post quam approbationem vicariatus huiusmodi statim debeat expirare. Dictique procuratores, de prædictis omnibus et singulis promissis per eos, per vos tenendis, adimplendis, et inuiolabiliter obseruandis, procuratorio nomine vestro præstiterunt in animas vestras corporaliter iuramentum.

De nuntijs apostolicis excipiendis honorifice.

Obiecta, si fidem violarint, pœna.

Definitũ præfecturæ temp⁹ ad imperatoris creationẽ.

66 Denique prædictis omnibus, per dictos procuratores nomine procuratorio supradicto in præsentia nostra, et dictorum fratrum nostrorum peractis solemniter et perfectis, nos huiusmodi ve-

vestræ deuotionis, et laudabilis considerationis propositum in Domino commendantes, ac promissa, oblata, constituta, gesta, et habita per procuratores eosdem pro parte vestra nomine procuratorio prælibato acceptantes expresse securitati quoque, tranquillitati, paci, et quieti vestræ, nec non ciuitatum, castrorum, villarum, districtuũ, territoriorum, et cumitatuum prædictorum, eorumque salubri regimini prouidere, ac præfatis obuiare periculis et dispendijs cupientes, dictorum procuratorum nobis pro parte vestra porrectis supplicationibus inclinati, vos et quemlibet vestrum in solidum, et heredes vestros ex vobis legitime descendentes, vsque ad decem annos a data præsentium computandos, et vltra quamdiu nobis et successoribus nostris placuerit, dicta tamen imperij vacatione durante; si tamen in tenendo et exercendo vicariatum huiusmodi vltra dictum tempus decem annorum vestra vel heredum vestrorum voluntas accesserit prædictorum, constituimus auctoritate apostolica vicarios nostros, nomine nostro et successorum nostrorum, et ecclesiæ Romanæ prædictorum, in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, districtibus, et territorijs supradictis, castro burgi sancti Donini Parmensis diœcesis cum eius territorio et districtu excepto (quod in constitutione et concessione vicariatus huiusmodi volumus non includi) ad gerendum in eis pro nobis, ac nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum et Romanæ ecclesiæ prædictorum nomine vicariatus officium, etc. [Præscripta est etiam sacramenti forma a Scaligeris nuncupanda ijsdem concepta verbis, quibus ecclesiæ clientes deuinciri solent, ex qua etiam ij in verba pontificia iurare iussi. Pergit Pontifex:] Huiusmodi autem homagium vos et quilibet vestrum et dicti heredes facere, et iuramentum fidelitatis præstare secundum præscriptam formam nobis infra dictum festum natiuitatis Domini, et cuilibet successori nostro Romano Pontifici infra sex menses a tempore promotionis suæ, si in Italia fuerit, si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum teneamini et singulis eisdem successoribus et eidem Romanæ ecclesiæ renouabitis tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum, durante tamen præfectura prædicta. In optione autem et beneplacito erit Romanæ ecclesiæ vos et heredes vestros vocare ad præstandum personaliter iuramentum fidelitatis huiusmodi, et ligium homagium faciendum Romano Pontifici & eidem ecclesiæ, &c. *Dat. Auin. kal. septembris pontificatus nostri anno v.*

De præsti da clientelari sponsione.

67 Cruentarant se Scaligeri iam ante cæde Bartholomæi episcopi Veronensis, in quos Bertrandus patriarcha Aquilejensis, cui Verona in sacrarum rerum administratione contributa erat, iudiciariam actionem instruere iussus fuerat. Cum vero responderent cæsum calentibus ira animis proditionis reum ob coitiones initas cum hostibus, structasque ipsorum vitæ insidias; tum de violata episcopali maiestate veniam poscerent, ea lege in gratiam admissi fuere, vt tunica & supertunicali tantum induti, tenentes manibus cereas faces, centumque alios præferri iubentes, a Veronensis vrbis porta ad principem ecclesiam progrederentur, veniam illatæ episcopo cædis a canonicorum collegio deprecaturi: sacella aliquot conderent, vt in ijs res diuina fieret: imperata etiam donaria in eadem ecclesia collocanda; nec non ieiunia & eleemosynæ eroganda in pauperes. Quæ singula in literis ad episcopum Mantuanum, cui iniunctum est munus, vt eos ritu ecclesiastico expiaret, datis, expressa sunt.

Scaligeri illatæ Bartholomæo episcopo Veronēsi necis rei.

a An. 5. ep. sur. 29.

Benedictus, etc. venerabili fratri episcopo Mantuano.

Licet atrocissima sit illorum iniuria, qui manus sacrilegas in necem spiritualium patrum extendunt, & indigne auxilium ecclesiæ inuocent, qui eam tam acerbiter in sublimibus eius columnis atque sponsis offendunt; quia tamen ipsa, quod matris est exhibens, non consueuit redeuntibus claudere gremium, sic recipit pœnitentes, quod delinquentes pœna castiget, cum sint culpæ, quarum grauitate pensata crudeliter parcitur, & misericorditer desæuitur. Sane nobiles viri Mastinus natus quondam Albuini de la scala, & Albuinus natus quondam Canis grandis de la scala ciues Veronenses per dilectum filium Guillelmum de Pastrengo nuntium & procuratorem eorum, ad infrascripta specialiter constitutum, ac per eos ad hoc ad nostram præsentiam destinatum, nobis humiliter exponere curauerunt, quod dudum ad audientiam, immo sicut asseritur notitiam eorum deducto, quod bonæ memoriæ Bartholomæus de la scala episcopus Veronensis tractabat cum Venetis & Florentinis, tunc eiusdem Mastini capitalibus inimicis, ciuitatem Veronensem de manibus præfati Mastini violenter eripere, ipsumque proditorie interficere; eodemque Mastino de his certificato tam per literas super huiusmodi tractatu habitas & inuentas, quam per relationem fidedignarum personarum; nec non per iactationem & collationem verbalem, quam idem episcopus cum multis ciuibus Veronensibus & etiam forensibus, de quibus credebat posse confidere, faciebat, eos ad similis machinationis operam & consensum omnibus, quibus poterat, persuasionibus inducendo; idem Mastinus, timens propter dictorum inimicorum potentiam per tractatus & persuasiones huiusmodi perdere statum suum, ac ex his ad iram commotus, eiusque calore succensus; ipse & Albuinus præfatus in personam dicti episcopi fecerunt insultum, ipsumque multis sibi illatis vulneribus occiderunt: de quo siquidem reatu plurimum pœnitentes, per eundem procuratorem, præmissa nobis deuote & humiliter exponentes, & quod ad præsentiam nostram propter multorum inimicorum suorum insidias, quas probabiliter formidabant, absque personarum periculo se conferre personaliter non valebant, nobis humiliter supplicarunt, vt eos de huiusmodi reatu plurimum, vt præfertur, dolentes pariter & contritos, ac ad gremium sanctæ matris ecclesiæ redire cupientes, ac super ijs stare paratos mandatis eiusdem ecclesiæ atque nostris ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, absolui de ipsius ecclesiæ misericordia mandaremus.

Allata ab his excusatio de nece ab episcopo sibi parata.

Petita de misse a Pont. venia.

68 Nos igitur eorundem Mastini & Albuini magnæ contritionis indicia nobis pro parte ipsorum exposita attendentes, ac de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ab eisdem Mastino & Albuino de parendo mandatis nostris & eiusdem ecclesiæ prius recepto corporaliter iuramento, ipsos auctoritate nostra ab huiusmodi excommunicationis sententia iuxta ecclesiæ formam absoluas; iniungens eis sub debito præstiti iuramenti, quod infra octo dies post absolutionem

Admissi ad crimẽ sacra pœnitentia expiandũ.

nem huiusmodi ab introitu eiusdem ciuitatis Veronensis, cuius episcopum occiderunt, pedites in tunica sine caputio & supertunicali ac alio quolibet cooperimento, capitibus discoopertis, incedant & vadant; ac ante se portari faciant centum cerea tortitia accensa, quodlibet ponderis sex librarum, & eorum quilibet vnum accensum cereum dicti ponderis propria manu portet ad eiusdem ciuitatis ecclesiá cathedralem: & ibi in aliquo die dominico vel solemni hora, qua missa maior cantatur, & in dicta ecclesia maior fuerit populi multitudo, offerant dicta tortitia cerea, & a canonicis dictæ ecclesiæ veniam dicti delicti cum humilitate deposcant. Et deinde infra medium annum, a die absolutionis huiusmodi computandum, vnam imaginem argenteam B. Mariæ ponderis triginta marcharum, & decem lampades de argento, quamlibet ponderis trium marcharum, in dicta ecclesia offerant inibi perpetuo remansuras, ac redditus annuos perpetuos assignent pro oleo habendo ad dictas lampadas necessario. Et nihilominus infra dictum annum in ipsa ecclesia sex capellanias dotent, quamlibet de viginti florenis auri de Florentia annui & perpetui redditus pro sex presbyteris qui in dicta ecclesia vltra illos, qui esse consueuerunt ibidem, officiare perpetuo teneantur; quorum duo pro anima eiusdem episcopi interempti, vnusquisque videlicet per hebdomadam suam debeat celebrare.

Offerri pœnitentium ritu iussi cerei

Argentea icon Virginis offerenda.

Appendē dæ lampades.

Imperati sacerdotales census

In die vero, qua dictus episcopus extitit interfectus, quilibet eorundem Mastini & Albuini singulis annis habeat reficere viginti quatuor pauperes, & singulis singulas tunicas conferre, ac toto tempore vitæ suæ ieiunent sextas ferias & vigilias festiuitatum B. Mariæ, nisi infirmitate vel senectute fuerint impediti: & tunc pro illa die, qua propter causas prædictas non poterunt ieiunare, duos pauperes reficere teneantur. Et cum fiet passagium generale, idem Mastinus & Albuinus, si viuant, viginti homines in equis armatos in terræ sanctæ subsidium mittere teneantur, ibidem per annum vnum proprijs expensis mittentium moraturos: si vero tunc rebus non superessent humanis, ordinare dum vixerint sint astricti, quod id per successores eorum debeat adimpleri. Aliam vero pœnitentiam publicam, quam dicti Mastinus & Albuinus ob prædictum reatum facere tenebantur, & pœnas alias, quas per sacros canones ipsi ipsorumque liberi seu posteritates circa amissionem feudorum & aliorum iurisdictionum & iurium, vel alias ob prædictum facinus incurrerunt de iure, eisdem de magnæ ipsius sedis misericordia, superexaltante iudicium, auctoritate apostolica tenore præsentium duximus remittendas, eos plene restituentes ad famam de apostolicæ plenitudine potestatis, &c. *Dat. Auin. x. kal. octobris anno v.* Affecti his beneficijs Scaligeri contulere dono Romanæ ecclesiæ Magnanum & Caprariam oppida Veronensis agri: quæ Pontifex ijsdem Scaligeris iure fiduciario possidenda tradidit, imperato vnius marchæ auri vectigali annuo, recurrente principum Apostolorum festo die pendendo. Qua de re extant publica documenta a: in quibus etiam formula clientelaris sponsionis nuncupanda suis verbis concepta traditur, quę a nobis prætermittitur, cum alias allata fuerit.

Eleemosynę & ieiunia imperata.

Data Romanæ ecclesiæ a Scaligeris oppida.

a An. 5. ep. cor. 21. lib priu Rom. eccl. to. 2. pag. 140. 246. 247. M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. 0. 12 pag. 199. 207. 299. b To. 5. ep secr. 216.

Optarant per id tempus Cogienses b Romanæ ecclesiæ ditioni accedere, ac se suaque Benedicti clientelæ addicere, qui humaniter recepti: dataque Bertrando Aquileiensi patriarchæ impetia a, vt oppidi possessionem pontificio nomine iniret. Impleuit iussa patriarcha b: ac ne ob id aliqua cum Venetis controuersia suboriretur, Benedictus senatum Venetum ducemque monuit, ne qua illos afficerent iniuria; ac si ius in ijsdem contenderent, apud sedem Apostolicam disceptarent, salua enim & illibata eorum iura futura.

Cogienses in eccl. ditionem accepti.

a To. 5. ep. secr. 217. b Ib. ep. secr. 219. 230.

69 Ad tutandam vero contra tyrannos ditionem ecclesiasticam, idoneos prouincijs præfectos imposuit Benedictus c, Ioannemque de Amelio auctoritate d instruxit, vt obiecta censurarum religione ac pœnarum, quæ in edictis Ioannis XXII. cōtinebantur, terrore intentato, omnes qui iura ecclesiæ occupassent, ad ea restituenda adigeret: in quos etiam Raimbaldum episcopum Imolensem e Romandiolæ præsidem, tum Piceni præfectum f, animaduertere iussit. Perduellium principes erant Franciscus Ordelaffus g, nonnullique Malatestarum h Ariminensium stirpe sati, qui cædibus & rapinis prouinciam fœdabant, ipsisque accesserat Eustachius i Polentanus Rauennas: ijque Meldulam l, arces m S. Cassiani & Elineæ inuadere moliebantur. Ad quos reprimendos Pontifex Florentinos n, vt ecclesiæ opera non deessent, exaratis viii. kal. iunias, nonis augusti, & x. kal. septembris literis, rogauit; neue in pacis tractatu ab ijs suscepto deludi, atque ecclesiæ iura interire paterentur. Conciliatam o paulo post Florentinorum opera mense septembri in Æmilia pax inter Foroliuienses, Cæsenates, Malatestas Ariminenses, & Polentanum Rauennatem fœderatos, quos ecclesiæ hostes fuisse ex literis pontificijs vidimus, aduersarumque partium socios Fauentinos, Imolenses, Guidos comites, & alios, qui nimirum cum ecclesia sentiebant. Agitauit quoque Pontifex p cum Francisco episcopo Florentino, vt Mercennarium in Piceno tyrannum, qui Firmum nonnullasque vrbes & arces inuaserat, certis legibus in gratiam restitueret: sed tyrannus, cum beneuolentiam pontificiam sperneret, sequenti anno ineunte, vt refert Io. Villanus q, similiterque Acorrimbonus Tolentinas alijq; tyranni cæsi sunt a populis tyrannidis impatiētibus. Laxatis etiam furori habenis, improbi in nonnullis alijs prouincijs, præcipueque in Campania grassari r, quibus reprimendis data opera: in Vrbe vero cum factionibus contrarijs diu certatum fuisset, pax est felicissime reuocata.

c Ib. ep. sec. 48. 50 52. 56. 60. 223. 318. 320. 323. ad 357.

Repetitæ a tyrannis vrbes ecclesiasticę

d Ib. ep. 278. e Ep. 286. f Ep. 287. g Ep. 280. h Super ep 287. i Ep. 256. l Ep. 189. m Ep. 280 o Ep. 189. 256. 280.

Nonnulli ex his in gratiam admissi.

o Io. Vill. l. 11. c. 103.

p To. 5. ep. secr. 172.

q Io. Vill. l. 11. c. 106. r Lib. 5. ep. secr. 63. 69

Restituta vrbi pax.

Tumultuatum s est in Pedemontio, atque Asta Roberto Regi Siciliæ a marchione Montisferrati erepta exiguo labore, cum ob non soluta stipendia præsidiatij milites arma & equos oppignerassent non sine regij nominis labe & macula.

s Io. Vill. l. 11. c. 193.

70 In Liguria etiam noui seditionum motus a populo ex falsis rumoribus acceptæ a nobilibus, qui a Francorum Rege conducti in Anglum fuerant, ignominiæ dolore furente concitati t: mutataque reipublicæ Genuensis forma, dux creatus est vir popularis Simeon Buccanigra, Spinularum & Auriarum familiarum arces ipsis ereptæ, ac denique, vt nouus principatus cruore sanciretur, sequenti anno duo e Spinularum familia proceres alijque coniurati in nouum ducem obtruncati. Illum vero vt recti æquique amantem laudant historici: ac sane necessarium erat, vt strenui alicuius viri prudentia reuocaretur inter Genuenses æquitas, cum nonnulli adeo opum cupiditate deflecterent a iustitiæ tramite, vt in-

Exorti in Liguria motus.

t Eod. lib. c. 101. Foliet. hist. Ian. l. 8.

me-

mediterraneo mari ad Turcarum gratiam inuaderent pontificias & Venetas naues, vti dictum est superius, & in oceano Saracenis Africanis & Granatensibus contra orthodoxos Hispanos magno Christiani nominis opprobrio operam locarent: quamobrem ipsos Benedictis subiectis literis increpuit a.

Nonnulli fauēt barbaris.

a To. 5. ep. secr. 354.

Benedictus, &c. dilectis filijs communi ciuitatis Ianuensis.

Increpiti a Pont.

Multorum assertio, horrore non vacua, his diebus perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod nonnulli Ianuenses conciues seu districtuales vestri, laborare damnabiliter contra suæ professionem fidei non verentes, illi profano hosti & aduersario Dei & fidei Christianæ Regi Garporum, & suo execrando exercitui Saracenicæ nationis (qui ad inuasionem & occupationem terrarum charissimi in Christo filij nostri Alfonsi Regis Castellæ illustris ac offensam, confusionem, & exterminium fidelium degentium in eisdem crudeliter aspirantes; ad hoc damnatos vitium suarum conatus festinarunt & festinant dirigere quantum possunt) non erubescunt assistere, ac eis prælitate contra Regem Castellæ præfatum eiusque catholicos subditos orthodoxæ fidei defensores damnanda, proh dolor! auxilia, consilia, & fauores; non attendentes quam grauibus animarum suarum periculis se subijciunt, ac quot & quantis pœnis & sententijs spiritualibus & temporalibus per constitutiones sedis Apostolicæ aduersus tales falsos, perfidos, & impios Christianos inflictis; præter nimiam infamiam, quæ contra ciuitatem vestram & ciues eiusdem ex vulgari voce populi Christiani ex his oritur & suscitatur; tanquam suæ salutis & famæ prodigi se exponunt]. Addit preces, vt cum Rex Castellæ ad ipsos oratores ad conducendas naues & conficiendam classem ad infidelium impetus infringendos mittat, suum erga rem Christianam studium explicent, ac subditos a ferendis barbaris auxilijs arceant, cum in Cardinalium consistorio se ad id oratorum opera sacramento adstrinxerint: ita se gerant denique vt a diuino Numine gratiam ineant, ac veram laudem apud homines colligant. *Dat. Auin. xv. kal. nouembris anno v.*

Solicitati vt Castellano se coniungāt

Inter Castell. & Arag. fœdus in Mauros.

b Smis. l. 7 c. 46.

71 Pacti erant b aduersus Abomelicum Albohaceni Marrochitani filium Alfonsus Castellæ & Petrus Aragonum Reges, vt in freto Gaditano mensibus maio, iunio, iulio, augusto, septembri triginta triremes ad barbarum ingressu in Hispanias prohibendum tenerent, quarum viginti Castellanus instrueret, decem Aragonius; alijs vero mensibus Alfonsus septem, quatuor Petrus munitas milite et commeatu haberent. Sed tardius c ea comparata sunt auxilia, transeuntibus Mauris, antequam classis Hispanica adueniret. Interea non cessabat Pontifex Castellæ et Lusitaniæ Reges ad pacem vel inducias firmandas adhortari d, vt pariter in communem hostem arma conuerterent: *Præsertim*, inquit, *cum Agareni fidelium inimici, regnorumque prædictorum æmuli, concepta sicut ferebatur ex dissidijs eisdem ingenti lætitia, & audacius Christianos inuadendi præsumpta fiducia niterentur, sicut adhuc nituntur, vt asseritur, eadem regna, & fideles eorum offendere periculosius*. Desudabat in ijs conciliandis Bernardus Cardinalis apostolicus internuntius, sed obstabat adultera Gusmania, quæ Castellanum ad Mariam Reginam Lusitani filiam male habendam impulerat, quamque Pontifex grauissimis literis e eijci iusserat, quas etiam diuulgari a Cardinale voluit, vt omnibus pijs constaret, scelus horrori esse. Cedere visus est Castellanus apostolicis monitis, posterioribus enim literis ad pacem cum socero iungendam paratum se offerenti, seque in Saracenos bello accingenti Pontifex est gratulatus a.

c Io. Vill. l. 11. c. 98.

d To. 5. ep. secr. 116. 117

Lusitani & Castell. discordia res Christianæ infausta.

e Ib. ep. secr. 118.

Pellex regia pelli iussa a Pont.

Paret Castellæ Rex

a Ib. ep. secr. 259.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Gratulatur ipsi Pont.

72 Nos, qui licet insufficientibus meritis, illius vices in terris gerimus, qui cogitationes pacis, et non afflictionis se cogitare testatur, reformationem pacis prædictæ, velut vtrique vestrum totique Christianitati non parum accōmodam, desiderijs feruentibus affectamus; de tuæ circumspectionis mansuetudine, laudabilique in hac parte proposito, exultationis et lætitiæ rore perfusi, prudentiam et beneuolentiam regiam super his cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendamus; regalem rogantes magnificentiam attentius et hortantes, quatenus in eodem proposito illud vsque ad pacis votiuum effectum, quantum cum honestate decentiaque tua fieri poterit, prosequendo persistas; exinde quidem te Deo acceptiorem efficies, et diffundes per orbem diffusius celebrem famam tuam. Nos autem destinandos ad præsentiam nostram pro negocio huiusmodi nuncios regios benigne recipere, fauorabiliter & patienter audire intendimus, & circa reformationem prædictæ pacis & concordiæ vijs & modis, quibus vtilius & decentius poterimus, laborare.

Auctor est vrgendi belli in Mauros.

Cæterum adiecit, nobis referendo delectabiliter Cardinalis prædictus, quod tu, fili amantissime, inclytæ memoriæ progenitorum tuorum, qui zelo accensi fidei orthodoxæ pro ea defendenda & dilatanda, spretis personarum periculis & expensarum profluuijs, sicut eorum gesta testantur magnifica, & rei euidentia notoriat, insudarunt strenue, vestigia cupiens imitari, aduersus Agarenos eosdem pro defensione ipsius fidei, & tuorum cum tuo potenti exercitu regio te potenter & viriliter accinxisti. Nos autem his lætanter auditis, ei, qui tibi propositum inspirauit huiusmodi, labiorum vitulum in humilitate spiritus exoluentes, regalem magnificentiam exhortamur in Domino & rogamus, vt de diuinæ virtutis potestate confisus, ac spiritu fortitudinis & robore magnanimitatis accinctus, inchoatum Dei negotium huiusmodi sic constanter & intrepide prosequaris, quod exinde apud Deum perennis mercedem præmij, & apud homines condignis præconiorum attolli titulis merearis. *Dat. Auin. v. id. augusti anno v.* Cæterum conuenerat b Castellani socer Alfonsus Lusitaniæ Rex suos ad aulam pontificiam pro stabilienda concordia oratores missurum; vtque regnum aduersus impiorum excursiones tutaretur se comparauit.

b Ib. ep. 250.

73 Studebat etiam Benedictus ob imminens barbaricum bellum alios Hispaniæ Reges conciliare arctiori fœdere, neque enim Belmarini Regis filius vnius vrbis, sed Hispaniarum Regem se vocabat, quas Maurorum dira eluuie inundare parabat. Gliscebat vero inter Petrum Aragonum & Iacobum Balearium Reges discordia, ad quos ad fœdus adducendos incubuit, Aragonium quidem, ne asperius sua iura a Iacobo Baleari exigeret, vtq; controuersiam communium amicorum arbitrio committeret admonuit c, ne si res erumperet in bellum, ingentia inde discrimina emergerent.

Dissensio inter Aragon. & Balearem.

c Ib. ep. 109.

Bene-

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

Aragon. ad concord. sollicitatus.

Tam literali quam verbali relatione displicibili admodum & infesta percepimus, quod hostis antiquus humani generis, æmulus charitatis & pacis, ibi suæ virus nequitiæ diffundere satagens, vbi se amplius existimat obfuturum, inter te, charissime fili, & charissimum in Christo filium nostrum Iacobum Regem Maioricarum illustrem, propiuquis tibi, sicut nosti, nexibus sanguinis & affinitatis coniunctum, periculosa nimis diffidia nititur suscitare; sicque vos inuicem periculosius commouere, vt prætextu illorum, quæ per te, fili dilectissime, petuntur ab eodem Rege pro regno & terris suis, Rege ipso dicente, vt asseritur, se credere modo, quo petuntur, ad ea non teneri; ad guerrarum Deo displicibiles, & vtrique vestrum periculosissimos fremitus & congressus bellicos prorumpatis hinc inde.

Nos igitur, qui te præfatumque Regem, & domos vestras regias paternæ dilectionis affectu prosequimur, & gerimus in visceribus charitatis, innumera dispendiosa discrimina, quæ commotiones huiusmodi, si quod absit, procederent, secum trahunt (præsertim his temporibus, quibus ille hostis profanus, & crudelis aduersarius orthodoxæ fidei, Marrochitanus Rex scilicet, ad Christianorum exterminiũ ac inuasiones, offensiones, & occupationes terrarum tuarum & ipsius Regis Maioricarum, vt habet rumor vulgaris, aspirans, multos ad hęc apparatus facere dicitur) attendentes diligentius, & eis obuiari salubriter cupientes, regiam rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus ea, quæ præmisimus; nec non quam grauiter Deum offenderes, quantamque maculam in tui nominis gloria poneres, si Regem eundem Maioricarum sic, vt præmittitur, tibi coniunctum, cuius progenitores & prædecessores de tua domo Aragonum inclyta descenderunt, offenderes per inuasiones hostiles, quantaque gaudij, & exultationis materia exinde præfato Regi Marrochitano & Saracenis alijs suis valitoribus & complicibus præstaretur; & insuper quanta expensarum & sumptuum profluuia bellicus vtrius Regis aduersus alium apparatus exposcit, quodque belli euentus existere dubius noscitur & incertus, in examen rectæ considerationis adducens; & aduertens nihilominus diligenter, quod nondum inter te ac charissimum in Christo filium nostrum .. Regem Castellæ illustrem, qui fauere Regi prælibato Maioricarum dicitur, nondum concordia plenarie solidata, vt fertur, maius posset ex præmissis dispendiosum scandalum suboriri; & demum hæc & alia multa, quæ tibi circa præmissa possunt occurrere, ponens & statuens prudenter & prouide ante oculos mentis tuę, propositum tuum, si forsan circa guerram faciendam contra Regem Maioricarum prędictum conceperis, omnino velit tua serenitas deserere, & in melius commutare: vt videlicet per communes amicos, viros vtique fideles & expertos in talibus, qui litigia et iurgia odiant, pacem zelentur et concordiam, ac tuum et memorati Regis Maioricarum statum affectent pacificum, ac honorem et commodum diligant, hinc inde communiter eligendos, exorta dissensionis huiusmodi materia per viam pacis & tractatus amicabilis sopiatur, &c. *Dat. Auin. xv. kal. aprilis anno v.*

Deterret ab inferendo bello.

Proposita ex eo grauiora incommoda.

74 Agebatur a in ea controuersia, an Baleares insulæ & aliæ terræ, quas Iacobus obtinebat, Arogoniæ coronæ iure fiduciario addictæ essent: contendebat Petrus Rex esse, ac maiorum iura afferebat: at Iacobus vi & iniuria ab Aragonijs rem vsurpatam querebatur. Vrgente autem Petro, ac diem Iacobo, vt clientis officia præstaret indicente, Pontifex conciliandæ controuersiæ cupidus Aragonium exorauit, vt ipsam extraheret, cum Iacobus grauissimis occupationibus esset implicitus. Cessit Petrus Rex sedis Apostolicæ precibus, ea tamen lege, vt Iacobus, excurrente ante vel post dominicum pascha decem dierum spatio, literis polliceretur, se lapsuro ad S. Ioannis natalitia tempore liberalitate Regis Aragonum regnum ac principatus accepisse præsens agnosceret. Qua de re Petro Benedictus gratias egit a: atque interim vrgere non destitit Regem Balearium, cui hæc omnia significauit b, vt fidem Petro Regi deuinciret: iam enim ante ipsum Iacobi & Alfonsi Regum fiduciarium Regem se professum esse: patruum itidem Sanctium & Iacobum auum Balearium Reges regnum Regibus Aragonum acceptum retulisse: agnosceret vetera pacta, ac dissensionis causam omnem aboleret.

a Eod. to. 5 ep. secr. 95

Disceptatum de supremo Balearium imperio.

a Ib. ep. 96 b Super ep. 95.

Monitus Balearis de præstãda Aragonia clientelis sponsione.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Iacobo Regi Maioricarum illustri.

Circumspectionem hortamur regiam, paterno eidem nihilominus consilio suadentes, quatenus consideranter attendens, quantum expediat, vt inter te, ac Regem præfatum obseruetur vnitas in vinculo charitatis & pacis, quantaque dispendiosa discrimina secum ferret dissensio, si procurante pacis æmulo, inuicem suscitaretur, quod absit; & nihilominus in rectæ iudicium rationis deducens conuentiones & pacta prædicta, iuxta quæ inclytæ memorię Iacobus auus, & Sanctius patruus tui Reges Maioricarum Regibus Aragonum, vt asseritur, præstiterunt; & tu, fili, primo sub potestate tui tutoris existens, cum eius auctoritate recolendæ memoriæ Iacobo & successiue per te Alfonso Regibus Aragonum auo & genitori, ac immediatis prædecessoribus dicti Petri Regis Aragonum, qui nunc est, cum innouatione conuentionum & pactorum huiusmodi diceris præstitisse, sicut hæc tua prudentia melius & prudentius nosse debet; te sic consulte, ac mature gerere studeas in hac parte, quod scintilla dissensionis, quę nobis esset proculdubio displicibilis admodum & infesta, ob culpam vel defectum tuum, nullatenus valeat suboriri. Et ecce, fili dilectissime, quod pro maiori tua informatione tibi literas, quas nobis misit supradictus Rex Aragonum, inclusas præsentibus destinamus. *Dat. Auin. VIII. id. martij anno v.*

Proposita maiorum exempla.

75 Vrgere iterum iterumque perrexit c eundem Regem Benedictus ad concordiam; imminere ex Africa Regem Marrochitanum, qui dissentientem vtrumque opprimeret: timendum esse ne obnoxij populi ab ipso ad Aragonium deficerent, neque opes tanto suscipiendo bello pares esse: regiam dignitatem ab Aragonia stirpe accepisse, rationique consentaneum, vt illi acceptam referret.

Impēdēs ab Afris discrimē. c Ib. ep. 110.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Iacobo Regi Maioricarum illustri.

Licet ad eum [Petrum nimirum Regem Aragonum] retrahendum a proposito guerræ huiusmodi, si illud forsitan concepisset, & ad viam tractatus pacis amicabilis promptius inclinandum, multa eidem pericula, sicut in eadem cedula videre plenius poteris, ostendamus; tibi

ta-

tamen, fili dilectissime, illa eadem & longe maiora exinde pericula, præsertim his temporibus, quibus ille profanus hostis fidei Christianæ, Marrochitanus Rex ad tuorum & ipsius Regis Aragonum terrarum inuasiones & occupationes, vt rumor fert vulgaris aspirat, imminere noscuntur. Credimus itaque, te tuarum facultatum nequaquam esse ignarum: debere perpendere sumptus expensarum innumerabiles, quos exposcit procuIdubio talis guerra, cuius finis omnino est dubius & incertus, & si dictæ ad hoc sufficerent facultates. Nec minus tibi attendenda est potentia dicti Regis, & aduertendum diligentius, si prædictis tuis facultatibus ad id suppetentibus in tali turbatione subditi tui aduersus Regem ipsum reperirentur in assistentia tua & fidelitate constantes, cum de contrario sit timendum.

Balearis ad pacem sollicitat.

Exponit subditos facile ab eo defecturos.

Rursus æstimamus esse intra tua præcordia profundius reuoluendum ea, quæ circa illam materiam, de qua præfatus Rex agit, tam per te, quam per tuos progenitores & prædecessores facta sunt temporibus retroactis: & nihilominus quod, cum domus tua regalis a domo Aragonum descenderit, & inde præmunita fuerit dignitate regali, deferre super ijs, quæ decent, teneris eidē, &c. *Datum Auin. XI. kal. aprilis anno V.* Paruit demum pontificijs monitis Iacobus: clientelarem enim sponsionem hoc anno Petro Regi exhibuit a solemni ritu, quam summo rigore seruari Aragonius voluit in sacello regio, cum Iacobus postulasset ne in aula publica obsequia debita præstaret. Contemptum vero se arbitratus a Petro Balraris, postea a promissa fide resilijt.

Balearis Aragonio fidem addicit.

a Sur. l. 7. c. 47.

76 Conciliaris igitur Hispaniarum Regibus, Africanos & Granatenses contundere facilius fuit: triginta triremes, quas Aragonum & Castellæ Reges instruere pactos vidimus ad freti Gaditani fauces obsidendas, cum pluribus maioris alueι ac minoris nauibus percurrere ea maria, sed tardius: Garpi enim barbari ex Africa fretū maximo numero traiecerant. Notat porro Io. Villanus b omnes Saracenos ab Africa ad extremā Arabiam cōmunibus armis & sumptibus bellū pro tuendo Granatensi regno & instauranda in Hispanijs superstitione gerere solitos, vt Christiani pro restituenda Christianæ religioni Syria proficisci ex vniuersis occidentis regnis consueuerant: deplurat q; tandiu illud magno Christianorum, a quibus cinctum erat, dedecore stetisse. Tum carpit Pontificem, quem bella alere queritur: at qua ratione, e superioribus hominis calumnia detegitur. Sed his missis ad partam a Christianis de barbaris nobilissimam victoriam properet oratio. Promotā erant Lindam Christiana castra c, cingiq; obsidione vrbs cœperat, cum barbari magna multitudine ad ferendam obsessis opem procurrere. Superior numero erat hostis, doloque vincendus fuit. Comparatæ itaque sunt certo loco insidiæ, & Christianus exercitus, cum fugā simulasset, barbarūm dissolutis ordinibus insequentem, conuersa fronte, adortus est: erūpentibusque alijs ex insidijs innumera multitudo est profligata, viginti millia infidelium cæsa captaue, in ijsque Regis Mauritaniæ siue Belmarini filius, qui Regis Hispaniarum nomen inuaserat, ac duo Saraceni alterius Regis filij trucidati. Præcipuus tantæ victoriæ auctor fuit Gundisaluus ordinis Alcantaræ magister, qui mox tanto triumpho plures gloriæ inuidos sibi peperit. Periclitantem autem in iudicio Pontifex apud Alfonsum Regem defendit, instititque d ineunte sequenti anno, ne Gundisaluum optime de ipso meritum, relata victoriæ fama insignem, exagitaret.

Garporū in Hisp. expeditio.

b Io. Vill. l. 11. c. 98.

Saraceni pro tuendis Granaten. fœderati.

c Io. Vill. eod. cap. Marian. l. 16 c. 6. Surit. l. 7. c. 50.

Parta de ijs victoria.

d To. sup. (?) Iter. 434.

Benedictus, &c. Alfonso Regi Castellæ illustri.

77 Sane relatu fidedignorum percepimus his diebus, quod dudum dilectus filius Gundisaluus Martini magister domus militiæ de Alcantara, de mandato & beneplacito regio ad exercitum frontariæ contra Saracenos perfidos, qui ad occupationem & offensionem regnorum & terrarum tuorum ac Christicolarum degentium in eisdem præsumptuosis & temerarijs ausibus aspirabant, cum certo numero tam regiorum, quam suæ religionis militum ac aliorum armatorum accedens, fideliterque ibidem agens & strenue, post diuersos conflictus cum eisdem Saracenis in ampliori longe numero ibidem, quam Christiani existentibus, virtute Domini sub tuo nomine habitos, de hostibus victoriam obtinuit triumphalem; in qua illius hostis Regis Belmarini filius, qui se quorundam locorum & specialiter Hispaniarum Regem denominari abusiue faciebat, ac duo filij cuiusdam Regis alterius, & nonnulli alij Saraceni tam magnates & nobiles apud eos, quam inferioris status in grandi multitudine mortis infelicis in ore gladij persoluerunt occasum: quodque subsequenter magister ipse, zelo Dei feruens & fidei, & honorem cupiens regium totis viribus ampliari, ad confortandum fideles illarum partium, & fortalitia regia muniendum procederet, & vlterius ad persecutionem & confusionem hostium se disponeret eorundem, intendens exinde victoriam huiusmodi, tibi desuper per suum & commilitonum suorum ministerium concessam, ac signa interfectorum Saracenorum prędictorum magnatum, quæ sub regio nomine ac honore acquisiuerunt, tuæ celsitudini, sicut erat decens & debitum, pręsentare, atque præter diuinæ retributionis pręmium sibi, gratiam, fauorem, & amorem regium vberius vindicare; tristis & dolens audiuit, quod quidam miles mandato fultus regio ad ipsum capiendum, vel interficiendum, si alias captiuari nequiret, fuerat specialiter destinatus: fratribusque suæ religionis prædictæ pro parte remandatum extiterat, vt ipsum tanquam magistrum non admitterent, sed eum potius caperent, & pro alio magistro eligendo apud Alcantaram conuenire curarent.

Gratulatur victoriam Pont. Regi Castellæ.

Barbaror. Regum filij cæsi.

Gundisaluus præcipuus victoriæ auctor ab inuidis circumuentus

78 Profecto, fili dilectissime, si hæc, quæ vix credere possumus, veritate nitantur, magnam nobis & alijs audientibus ministrarunt admirationis materiam non indigne: obsequiosis siquidem & benemeritis debentur præmia & fauores, vt debito satisfiat gratitudinis, & alij ad similia vel maiora exhibenda obsequia feruentius animentur, &c.] Addit preces, vt cum optime de ipso totoque regno Gundisaluus meritus sit, inuidorum telis excipi non patiatur; sed præmijs potius illius virtutem exornet: si qua in re regiam læserit dignitatem, seueritatem clementia temperet, non ad crudelitatem detorqueri sinat: denique illum vt virum religiosum, si iustitia exercenda sit, non ad regium, sed apostolicum tribunal accersendum; quem si male tractet, magnum dedecus oppresso homine de se benemerito sui sceptrorum, censurisque ecclesiasticis irretitum iri. *Dat. Auin. IV. non. ianuarij anno V.* Deterrere alijs literis a est conatus Pontifex Gundisalui æmulos, ne illi molesti essent. Præterea Barnabam episcopum Oxomensem in Castellana aula auctoritate florentem solicitauit b, vt Gundisaluo stu-

Susceptū illius a Pont. patrocinium.

a Ib. ep. 436.
b Ib. ep. 435.

studium & opem explicaret, pontificijsque voluntatibus obsecundaret. Sed nil pontificiæ preces valuere, ob partam enim gloriam, qua Regem antea a Saracenis victum superare videbatur, vetis seu falsis criminibus appetitus, ignibus perijt a: indigno genere supplicij, etiam si reus fuisset, postquam Hispanias e Saracenorum inuasione vindicasset.

Indignũ Gundislaui supplicium.

a Marian. l. 16. c. 7.

79 Efferati accepti clade Saraceni filij mortem Marrochitani Regis vlcisci cupientes, maximos exercitus in Hispanias sequenti anno miserũt qui diuina virtute prostrati. Barbarico autem bello Castellæ Rex implicitus, cum vectigalia sacerdotum, qui ex regno Castellæ non erant oriundi, vel ecclesijs cultum diuinum non impendebant, occupasset; necnon tertias templorum sartis tectis reficiendis sacras, a Benedicto subiectis literis perstrictus est b.

Castellæ Rex opes ecclesiæ inuadit.

b To. 5. ep. secr. 261.

Benedictus, &c. Alfonso Regi Castellæ illustri.

Displicibilis nimis insinuationis assertio his diebus perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod tu, fili dilectissime, per aliquos forsan impulsus, qui plus circa te lucra quærunt venari propria, quam tuis saluti & famæ consulere ac indemnitatibus prouidere, per diuersas partes regnorum & terrarum tuorum fructus, redditus, & prouentus dignitatum, præbendarum, portionum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in regnis & terris eisdem consistentium, & ad quoscumque, qui non sint oriundi exinde, nec personaliter eis deseruiunt, spectantium & aliorum beneficiorum etiam, quæ ibidem ad dispositionem sedis Apostolicæ spectantia vacare noscuntur; necnon illas partes prouentuũ ecclesiasticorum, quæ vocantur tertiæ, fabricis ecclesiarum ex antiqua partium illarum obseruantia debitæ, pro parte regia colligi, recipi, & custodiri mandasti, pro tuæ voluntatis arbitrio postmodum dispensandis.

Corripitur a Põt.

Hæc itaque, fili amantissime (quæ si vera sunt, in diuinæ maiestatis contumeliam, ac nostram & eiusdem sedis totiusque vniuersalis ecclesiæ iniuriam & offensam, ac libertatis ecclesiasticæ læsionem redundant) manifeste nobis & eidem sedi magnam admirationis & turbationis materiam, cum alias attentari simi ia in aliqua parte Christianitatis nequaquam audiuerimus; ministrant non immerito, & in cordibus audientium stuporem ingerunt & horrorem. Vtinam, fili, charitatem progenitorum tuorum (qui non solum ab offensis abstinentes ecclesiæ, sed eam potius in obseruatione ac ampliatione immunitatum, libertatum, & iurium honorantes, a Deo & ipsa ecclesia meruerunt vice mutua honorari) diligenter attenderes, & repulsis quorumuis malitiosis & dolosis suggestionibus, studeres perspicacius eorundem progenitorum recolenda vestigia imitari; vt matrem tuam ecclesiam, & Deum patrem in ipsa ecclesia honorando similiter in præsenti tibi augerentur honores, & vitæ longitudine, quæ parentes honorantibus promittitur perfrui, & in futuro perennis mercedis lætari præmio merereris, &c.] Adiungit preces, vt manus ab ecclesiasticis vectigalibus temperet, illatamque famæ suæ maculam quamprimum deleat, possitque cum propheta canere; *Impulsus eram vt caderem: manus autem misericordiosa Domini me suscepit;* qui si in cœptis obfirmatus perstiterit, non posse apostolico se muneri deesse, vt quamuis veluti filium amantissimum charum habeat, errantem non castiget. *Dat. Auin. id. augusti anno* 1.

80 Certabat contrarijs studijs Casimirus Poloniæ Rex ecclesiam regijs beneficijs deuincire, illamque vt matrem amantissimam singulari beneuolentia complectebatur: quem Benedictus his elogijs commendauit a.

Polonus Rex egregie meritus de ecclesia.

a To. 5. ep. secr. 265.

Charissimo in Christo filio Casimiro Regi Poloniæ illustri.

Exultamus in Domino admodum & lętamur quod sicut fama diuulgat celebris, & dilecti filij magistri Galhardi de Carceribus præpositi ecclesiæ Tirulensis Colocensis diœcesis, nostri & Apostolicæ sedis in partibus regni tui nuncij, grata nuper insinuatio patefecit, tu fili charissime diuinis præuentus benedictionibus, & ab eo, a quo cuncta bona procedunt, sic virtutibus es dotatus, quod timorem & amorem diuinum habens ante oculos mentis tuæ, pacem & iustitiam colis & diligis, & ingentis deuotionis affectu reuereris tanquam filius benedictionis & gratiæ sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam, ad ea, quæ ipsius honoribus & beneplacitis congruunt, te promptis & deuotis operibus impendendo. Super quibus, vtique Deo ac nobis & sedi Apostolicæ gratis non indigne plurimum, & acceptis, ei qui tibi rectum dedit spiritum, in laudis iubilum assurgentes, & serenitatem tuam regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, exhortamur regalem magnificentiam attentius & rogamus, quatenus in huiusmodi tuo laudabili proposito, per quod Deum tibi sẽper magis propitium constitues, & vberiorem dictæ sedis vendicabis gratiam, constãter & stabiliter perseueres circa conseruationem & tuitionem tuorũ & regni tui ac ecclesiæ memoratæ honorum & iurium, de diuina & sedis prædictæ confisus gratia; viriliter nihilominus intendendo, & assistendo, sicut opportunum & honestum extiterit, in agendis pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia nuncio memorato. *Dat. Auin. XVI. kal. septembris anno* V.

Gratulatoriæ Põt. literæ.

81 Delegit hoc anno in solemnibus ordinum Poloniæ conuentibus Casimirus, cum prole mascula careret, sceptri successorem Ludouicum filium Regis Vngariæ, de quo hæc Michouias b: *Anno* MCCCXXXIX. *Rex Cazimirus, facto generali conuentu omnium terrarum regni in Cracouia pro festo sancti Stanislai in maio, eo quod filium successorem non haberet, Ludouicum Caroli Regis Vngariæ filium & nepotem suum ex sorore germana regnaturum post se nominauit. Cum enim militum auxilia pro subsidio regni Poloniæ a Carolo Rege Vngariæ Rex Cazimirus postularet, interrogauit quid præmij pro talibus beneficijs Rex Carolus habiturus esset; Cazimirus Rex Poloniæ Ludouicum filium eius tanquam nepotem suum post se regnaturum renunciauit. Ob hoc Carolus Rex Vngariæ filios suos Andream in Sicilia, Stephanum in Vngaria, & Ludouicum in Polonia regnare in animo destinauit; quod sic euenerat, sed alijs morte præoccupatis, Ludouicus in Vngaria & Polonia regnauit: Anna autem Regina consorte sua & filia Gedemini principis Lithuaniæ eiusdem anni decima octaua mensis iunij in castro Cracouiensi mortua atque sepulta, & vnicam filiam Elizabeth relinquente, Casimirus Rex cum certis episcopis & magnificis personaliter septima mensis iulij in Vissegrod Vngariæ perueniens, præfatum Ludouicum Regem Poloniæ, se absumpto, sub certis fœderibus ac conditionibus successurum oretenus designauit, & non duces Mazouiæ, nec Oppolienses.* His consentientia refert Cromerus c, & Casimirum ijs, qui Zemouitum aut Ianussium duces Masouiorum vel Vvladislaum Oppoliensem e vetusta Regum Poloniæ prosapia oriun-

Ludouic. Vngarus delectus sceptri Polon. successor.

b Mich. l. 4. c. 12.

Vngarus tribus filijs tria regna comparat.

c Crom. l. 12. in Casimir. Bonfin. dec. 2. l. 9.

oriundos ad sceptri successionem vocabant aduersatum in solemnibus regni conuentibus, cum Silesij duces ob secutas Boemorum partes eo honoris fastigio indignos se reddidissent: ex Oppoliensibus regni clientibus nihil dignitatis Poloniæ accederet; Caroli vero Vngari filios, matre Polona ortos, regnum Poloniæ Hungaricis viribus & opibus tutaturos amplificaturosque.

De Caroli Vngari pietate.

82 Efferebat in dies diuina prouidentia Carolum Regem ad maiorem amplitudinem, cum ille ab annis teneris suas in Numine spes collocasset: cuius pietatis in Deum, cultusque in B. Virginem insigne monumentum producimus.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Vngariæ illustri.

a dat. 1. ep. cur. ...

Paternæ charitatis affectu, quo tuæ celsitudinis personam zelamur in domino Iesu Christo, prosperi tui status diligentes augmentum, tuique regni tranquillitatem assiduam affectantes, petitiones tuas, quas ea intentionis deuotæ puritate prodire perpendimus, libenter audimus, & fauorabiliter exaudimus. Sane, sicut exposita nobis tuarum literarum series indicauit, tu iamdudum tempore, quo in puerili quasi constitutus ætate, cum ad regnum Vngariæ, quod magnates ipsius, tunc a recto deuij iustitiæ inter sese diuiserant & tenebant, ductus fuisses, conspiciens te in recuperatione dicti regni & eius regimine assequendo auxilij diuini succursu, eiusque suffraganie gratia indigere cum ob hoc, tum etiam vt ipsorum magnatum, tunc temporis tibi parere non curantium, astutias & insidias sine tuo periculo personali euadere posses, diuersis temporibus & vicibus Deo viuo & vero, ac beatissimæ Virgini Mariæ genitrici suæ, ipsiusque sanctis vota emisisti deuota de dicendis oratione dominica et angelica salutione ad dictã Virginem, ac legendo antiphonam, Salue Regina, quæ quidem oratio et salutatio certis diebus ad centenum, & quibusdam alijs similiter diebus ad ducentenum iam numeros peruenerunt, certis etiam lectionibus de eadem antiphona adiunctis eisdem; vnde cum ex repetitione frequenti seu quotidiana orationis, salutationis, lectionis, antiphonæ, aliarumque lectionum præfatarum instantia in consilijs & negotijs eiusdem regni ac terrarum tuarum, & alias in eorum regimine atque iustitia ministranda impediaris multipliciter, ac etiam occuperis; nobis deuote ac humiliter supplicasti, vt vota huiusmodi commutare, teque super eis alleuiare iuxta circumspectionis apostolicæ prouidentiam dignaremur.

Vt in regni exordio vota de fundẽdis certis precibus nuncuparit.

Proponit eorum numerum nimium grauisse.

Quamuis igitur feruentibus studijs amplectamur opera pietatis, ea tamen cum sunt nimium onerosa de ratione & ex potestate nobis cœlitus elargita in alia etiam pia impẽdia possumus commutare; Quare tuis deuotis supplicationibus inclinati, frequentiam & quotidianam instantiam huiusmodi orationum & salutationum præfatarum dictis diebus ad quindenum numerum restringimus & etiam limitamus, & ab vlteriori & numerosiori earum obsequio diurno vel nocturno auctoritate apostolica te absoluimus, tecumque super hoc dispensamus de gratia speciali. Volumus autem, & tibi eadem auctoritate iniungimus ad salutem, quod illis diebus, quibus te per votum obligasti ad dicendum orationes & salutationes præfatas vltra quinquagesimum numerum, duodecim pauperes præter illos, quos communiter consueuisti benigne reficere, pie pascere, seu illis refectionem diuinæ pietati amabilem impendere tenearis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. xvi. kal. februarij anno v.*

Commutatum ad illius grauam vota.

83 Delatæ fuerant de Rege Vngaro apud Pontificem graues querelæ, occupata fuisse, vacuo Colocensis & Bachiensis coniunctarum ecclesiarum archiepiscopali solio, prædia & castra, quæ iuris erant ecclesiastici, a regijs administris, dissimulante eodem Rege; ac tum ipsum monuerat Benedictus, vt a sacris opibus temperaret manus, atque antecessorum suorum, qui ecclesias locupletarant, exempla sequeretur. Qui cum Pontifici rescripsisset, id ad tuendum limitem regni Vngarici, re Rasciæ Rex schismaticus ijsdem oppidis inuadendis inhiaret, gestum; partes datæ [a] sunt a Benedicto Strigoniensi archiepiscopo, vt eiusdem Regis rationes in publica documenta redactas ad sedem Apostolicam transmitteret. Cum vero idem Rex continua cum fidei hostibus prælia gereret, ad sacro ardore accendendos eius milites Christi vicarius felicem ijs immortalitatem, criminumque gratuitam veniam in religiosa ea expeditione occubituris proposuit. [b]

Commendatæ illi ecclesiæ.

a Ib. ep. 164.

b Ib. ep. 180.

Benedictus, &c. vniuersis Christifidelibus per regnum Vngariæ constitutis.

Innotuit nobis ex insinuatione humili & deuota charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Vngariæ illustris, quod cum paganis & schismaticis, regno & terris suis contiguis & vicinis, guerram quasi continue ipsum cum gentibus suis exercere contingit, et specialiter cum quibusdam schismaticis a deuotione sanctæ Romanæ ecclesiæ deuiantibus: ac insuper subintelleximus plenius fidedigne, quod ab schismaticis & infidelium nationibus circumpositarum regionum persecutiones personales, reales, & periculosas & damnosas dictum regnum perpessum extitit temporibus retroactis, & talis persecutio recipit modica interualla; quodque idem Rex vestro stipatus præsidio vna vobiscum præfatis schismaticis & infidelibus se murum defensionis ad honorem et robur dictæ fidei opposuit, et opponere satagit, dimicando contra illos viriliter et feruenter.

Proposita indulgentia Vngaris dimicaturis cõtra impios.

Nos igitur, ex ijs pietate paterna compatientes ipsius Regis ac vestris laboribus, periculis, et iacturis, vestraque corda roborare charitatis igniculo cupientes, vt cognoscatis temporalem vitam fragilem et caducam in aliam perpetuam et immarcescibilem commutare; de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vobis omnibus cæterisque Christifidelibus, quos pro defensione prædictæ catholicæ fidei in bello, seu pugna in eodem regno Vngariæ alijsque fidelium terris et partibus, eidem regno adiacentibus seu vicinis eisdem, habitis contra schismaticos et infideles præfatos, aliasque permixtas nationes ipsorum infidelium, vel ex vulneribus in eisdem bello vel pugna receptis mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis et confessi, plenam concedimus veniam peccatorum, præsentibus post sexennium minime valituris. *Dat. Auin. xvi. kal. februarij anno v.*

84 In Dania ijs temporibus magni motus fuere concitati, et Christophorus Rex, ob nimiam tyrannidem suis inuisus, regno depulsus est. Inde magis excreuit seditio, et Scania, vt præpotentis principis clientela ab innasorum iniurijs vindicaretur, Magni Suecorum, Gothorum, et Norvvegorum Regis obsequijs se addixit: isque vt quartum diadema in capite firmaret, flagitauit a sede Apostolica, vt cum Dania sedis ipsius stipendiaria

Dani in Christophor. coniurant.

Magnus trium regnor. princeps.

esset, Scaniæ dominatum ipsi confirmaret; ac si reliquam Daniam, pulsis tyrannis, qui ipsam opprimebant, sceptris posset adiungere, pontificia id auctoritate corroboraret. Cui respondit Benedictus a, non vocata aduersa parte de alienis rebus quidquam statui non posse.

a To. 5. ep. secr. 31.

Benedictus, &c. Magno Sueciæ, Gothorum, atque Norauegiæ Regi illustri.

Sane petitionis pro regia parte tua nobis exhibitæ series continebat, quod quondam Christophoro, tunc in regno Daciæ dominante, suis demeritis exigentibus de regno ipso violenter eiecto, maior & sanior pars prælatorum, cleri, magnatum, & personarum nobilium terræ Skaniæ dicti regni Daciæ, nec non communitas eiusdem, te in eorum Regem & dominum affectantes, tibi iuramentum fidelitatis & homagij tanquam eorum vero Regi & domino præstiterunt: ac demum eisdem ob defensionis defectum in corporibus & rebus nimium prægrauatis, tu pietate motus, & pro dicta terra Skaniæ memorati regni Daciæ ad statum prosperum reducenda, quibusdam tyrannis, qui regnum ipsum eiusque munitiones & castra tunc de facto occupata tenebant, vt abinde recederent, ac clerum & populum dictæ terræ, quos opprimebant immaniter, in pace dimitterent, triginta sex millia marcharum argenti puri, sicut asseris, persoluisti, volens propter hoc guerrarum malis & dispendijs tuorum, eiusdemque terræ damnis & violentijs obuiare: quare nobis humiliter supplicasti, quod cum dicta terra Skaniæ dictorum regnorum tuorum sit ianua & clausura, per quam si ad manus alienas deueniret, tibi tuisque subditis & posteris guerræ & mala innumera possent procul dubio suscitari, tibi tuisque posteris & heredibus, dictam terram Skaniæ, per te tuosque posteros & heredes retinendam perpetuo & etiam possidendam, confirmare auctoritate apostolica dignaremur; adijciens in supplicatione prædicta, tibi concedi, vt si quas alias terras dicti regni Daciæ acquirere adhuc possis, in parte vel in toto de manibus tyrannorum prædictorum, quod hoc facere valeas de nostra licentia speciali; maxime cum dictum regnum Daciæ in nullo vnquam fuerit subiectum imperio, sed Romanæ ecclesiæ censuale, quem censum paratus esses soluere secundum quod deuoti & fideles Reges dicti regni hactenus exoluebant.

A Scanijs in Regem asciscitur.

Postulat a Pont. vt rem confirmet.

85 Licet igitur, fili, ob merita tuæ deuotionis eximiæ, quam erga dictam Romanam ecclesiam te habuisse & habere percepimus, libenter tuam & heredum tuorum personas, quantum cum Deo & iustitia possumus, fauoribus apostolicis prosequamur; quia tamen iustitiæ debitum exigit, & mos obseruationis antiquæ prædecessorum nostrorum Romanorū Pontificum introduxit, vt ad confirmationem huiusmodi bonorum temporalium, nisi citatis omnibus, qui fuerunt euocandi, & inquisita prius de statu talium bonorum diligentius veritate, quomodolibet procedatur ad confirmationem huiusmodi et concessionem aliorum, quæ vt præmittitur postulabas, non duximus, sicut nec iuste potuimus, procedendum. Regalem tamen excellentiam tuam illa beneuolentia speciali prosequimur, vt libenter in alijs tibi gratis et vtilibus placeamus, etc.] Adhibet preces, vt se ab eorum societate ac fœdere diuellat, qui ecclesiæ aduersantur, ne pariter ipsorum pœnis se irretiat. *Dat. Auin. x. kal. februarij anno v.* Frustratus votis Magnus Rex, ad asserendam sibi Scaniam, perfecit, vt quarto post anno, assentiente Christophoro Rege Daniæ, qui belli molem ægre sustinebat, Petrus Lundensis et Hemmingus Vpsalensis archiepiscopi, congregata suffraganeorum episcoporum et abbatum synodo, Scaniam a Dania diuulsam coniunctamque Sueciæ publicis literis a promulgarint: de quibus pluribus Magnus archiepiscopus Vpsalensis in Gothorum ac Suecorum historia. b

Quid illi a Bened. responsum sit.

a Ext. apud Magn. hist. l. 21. c. 2.
b Ibid. cap.

IESV CHRISTI
Annus 1340.

BENEDICTI PP. XII. annus 7. VAC. IMP. OCCID. 27. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 9

1 Auctæ sunt, corripiente Eduardo Anglorum Rege Gallica insignia, anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo indictione octaua pristinæ dissensiones, quæ annis superioribus ipsum inter ac Philippum Francorum Regem magno rei Christianæ excidio exarserant: quibus elati animis infideles ad religionem euertendam conatus suos conuertere, Armeniam concussere Babylonij, Vngariam et Poloniam affectarunt Tartari, Turcæ fœdarunt Græciam, Hispanijs Mauri se infuderunt. Sed non defuit ecclesiæ suæ fluctuanti diuina prouidentia, quæ exiguis copijs repressit impios: Romanusque Pontifex nihil intentatum reliquit, vt pacem inter Anglos et Francos reuocaret. Traxerat in belli societatem aduersus Philippum Francorum Regem Eduardus præter Brabantinos et Hannonios, vt refert Ioannes Villanus c Belgas Gallicæ aulæ clientes extremo superiori anno: quorum audita coniuratione Benedictus, vt periculis imminentibus occurreret, ac Flandris etiam consuleret, grauioribus enim ipsi diuinis humanisque pœnis ob illam perduellionem ex antiquo inito fœdere Apostolica auctoritate confirmato se irretiebant; Hiprenses d, Brugenses e, Gandauenses f præcipuos conspirationis socios monuit officij, vt fidem Regi Francorum sacramento firmatam, et veterem pacis formam seruarent: atque etiam apostolicam operam obtulit ad eos Regi conciliandos, et abolendam iniuriam omnem: cum in quæ mala et pericula se vltro conijcerent, ob oculos proposuit. g

Auctæ inter Franc. & Angl. Reges dissensiones.

Belgæ Anglorum socij.

c Io. Vill. l. 11. c. 108. Froissar. l. 1. Paul. Aemil. l. 8 in Phil. VI & alij.

Monet officij.

d To. 6. ep. secr. 247.
e Ib. ep. 248.
f Ib. ep. 249.
g Eod. ep. 249.

Benedictus, &c. aduocato, scabinis, consulibus, & communi villæ Gandensis Tornacensis diœcesis.

2 Vtinam, filij, statum vestrum & patriæ, negotijque huiusmodi qualitatem, antequam innouetis aliquid circa hæc, diligentius attendentes, procurare studeatis vobis vtilia, & vitare nociua: est namque communis opinio, quam a veritate non credimus discrepare, quod prædicta patria Flandriæ, quæ multis bonis villis, & populorum nobilium, quam aliorum numerositate refulget insignis, adeo gratia, beneuolentia, & fauore Regis & regni ac regnicolarum Franciæ continue noscitur indigere, quod sine illis nec abundare victualibus, nec in mercantijs, quibus specialiter insignitur, aut in alijs sibi necessarijs & vtilibus posset quomodolibet diutius prosperari. Cæterum, prout credimus vos non latet, quot & quanta ex odijs & guerris Regum Franciæ prædecessorum dicti Regis tam in personis, quæ innumerabiliter, proh dolor! in ore gladij perierunt, quam facultatum lapsibus hactenus, dum eisdem

Proposita bellorum discrimina.

Regibus rebellionis opponebatur stimulis, ipsa patria est perpessa. Quamobrem cum ex præteritis habeatur coniectura verisimiliter de futuris, si occasione rebellionis vel inobedientiæ notabilis per Regem memoratum guerra contra vos & alios Flandrenses moueretur, quod absit, de magnis & grauibus animarum, personarum, et rerum periculis esset proculdubio formidandum.

Nec est circa considerandas huiusmodi negotij circumstantias omittendum, quod vos et alij incolæ eiusdem Flandrensis patriæ, qui sub dominis naturalibus, comite videlicet immediato, et Rege supremo soliti estis vti libertatibus, et gaudere libere bonis vestris, sub tyrannis subijceremini iugo grauissimo, ad quod principaliter illorum ferri videtur intentio, qui vos a via veritatis & iustitiæ retrahere, et ad præcipitium fraudulenter et dolose deducere, vt asseritur, moliuntur, etc. *Dat. Auin. vi id. ianuary anno vi.*

Cauenda tyrannorum seruitus.

Conceptæ sunt eadem verborum forma ad Iprenses et Brugenses literæ [a]; vtque religione Belgas magis ad officium constringeret Pontifex, cunctis Belgij præsulibus, alijsque inferioris dignitatis ecclesiasticis viris religiosis ac secularibus religioso pro imperio iniunxit [b], vt in singulis ecclesijs & parœcijs populos sibi obnoxios ad parendum pontificijs monitis pro virili parte impellerent. Ludouicum etiã Flandriæ comitem ad reuocandos ad Regis Gallorum obsequium Flandros excitauit [c]: exposuit accepta ab ipso ingentia beneficia, a quo post illustrem victoriam, regio partã sudore, restitutus contra hostium potentiam principatui fuisset: si qua porro in re grauati fiot Belgæ, pontificia solicitudine iniustis oneribus leuatum iri. De quibus etiam omnibus Benedictus Philippum Regem certiorem fecit [d], vtque Flandris, si redirent ad obsequium, perhumanum se præstaret, ac si quæ contra vetera fœdera tentata essent, rescinderet est hortatus.

[a] Super ep. secr. 247. 248.
Præsules iussi populos ad Galli Reg. obsequium hortari.
[b] Ib. ep. 250.
[c] Ib. ep. 251.
[d] Ib. ep. 257.

3 Auertere aures apostolicis monitis Belgæ ingenti suo malo, magnis enim ex secuto bello attriti e sunt cladibus. Neque continere ipsos in officio potuit Ludouicus comes, cum Iacobus Arteuelda tyrannidem inuasisset: ad quam firmandam immortale bellum inter Anglos & Francos Reges accendendum ratus, Eduardo Anglorum Regi auctor extitit [f], vt Gallicum nomen regium Anglico adiungeret, veteribusque insignibus lilia adderet, pactus ea ratione Flandros ad ipsius, vt Regis Francorum, obsequium adducendos: hos vero delusit ea specie, censuris ecclesiasticis rebellionis causa non deuinctum iri, neque alijs pœnis afficiendos, si Eduardo Francorum Regum insignibus adornato tanquam iusto Galliæ Regi fidem obstringerent.

[e] Meyer. annal. Fland. l. 12.
Arteuelda rebellionis princeps.
Anglum ad corrip. Gallica insignia adducit.
[f] Froiss. Gag. in Phil. VI. Paul. Æmil. in eod.

Sumpsit itaque vigesima tertia ianuarij die [g] Eduardus Francorum Regis nomen Gandaui, vt referunt historici, inter quos hæc habet Hocsemius [h]: *Deinde Rex Angliæ reuersus in Flandriam dignata, id est signa militaria Francorum Regis assumpsit in armis & sigillo (Regem Franciæ se scribendo) interquadrando, in duobus scilicet quadrantibus angulariter oppositis pingens Francorum signa in duobus reliquis signa sua: de quo multi non immerito mirabantur.* Mox Eduardi clientelæ Flandri sacramento se obstrinxere, ac simul ob periurij crimen insigne sacrorum vsu & fidelium communione, vt e Clementis VI. literis visuri sumus, se orbarunt. Cum vero post eam defectionem a Philippo Rege Francorum missuri essent ad sedem Apostolicam oratores (moniti quippe a

[g] Io. Vill. l. 11. c. 108.
[h] Hocsem. l. 2. c. 25.
Anglus a insignia Francorũ Rex salutatus.
Belgæ censuris deuincti.

Benedicto officij in Reges Francorum fuerant) ac liberi commeatus syngrapham exposcerent, Pontifex cum præuideret ad fucandam recentem perfidiam, non ad damnandam illos legari, Philippum Regem consuluit [a], an aditus liber ijsdem permittendus foret: *Verentes, inquit, quid ipsi Flamingi agant seu agere intendant, præsertim super nominatione regia franau. inter, cum per litteras quasdam de partibus Alamanniæ percepimus, nouiter nobis missas, quod ipsi Flamingi, qui sicut præmittitur, nobis scribunt, iuramentum fidelitatis Regi Anglorum, ipsum expresse nominando Regem Franciæ, præstiterunt ijs diebus præteritis, & vt tali, an sit honestum & expediens eorum nuntijs, quos pro intentione sua nobis plenius exponenda se velle ad præsentiam nostram destinare asserunt, literas de securo conductu per nos, & te, fili charissime, super hoc concedere non immerito dubitamus, &c. Dat. Auin. XIV. kal. aprilis anno VI.*

[a] To. 6. ep. secr. 278.
Clientes Eduardi se professi sunt.

4 Tentauit Eduardus Anglorum Rex ad inuadendæ Belgarum clientelæ, correptique regij Francorum nominis eluendam inuidiam, apud sedem Apostolicam causæ suæ æquitatem probare: missisque Pontifici literis [b] amplissimis, in quibus Regis Francorum nomine ac sigillo liliato vsus est, multis argumentis contendebat, Francorum regnum ad se hereditario iure deuolutum, ac Philippum Regem illud vi & iniuria inuasisse. Quem Pontifex ad pacem cum Philippo Rege componendam est adhortatus, ac nullo iure ad sceptrum Gallicum ipsum anniti ostendit; cum apud Gallos e consuetudine, veterum temporum lapsu multisque exemplis confirmata, fœminæ successionis ad regnum iura nulla obtinerent; ob Belgarum amicitiam nouos arripere titulos non debuisse, cum ij incõstantes & infidi essent: Philippum Regem iamdudum quiete coronam Gallicam gestasse, eidemque ab ipso ob fiduciarias terras clientis officia præstita fuisse: plures Reges ac principes ob correptum Gallicum nomen ipsi aduersaturos: inanibus eiusmodi titulis pacem, quæ conciliari posset, disturbatum iri; Francos acrioribus animis eum insectaturos; denique Germanos & Flandros, vbi Anglicas opes exhauserint, terga versuros: atque ideo ad sectanda pacis consilia rediret, grandumque cum Philippo Rege fœdus paterne solicitauit [c].

Anglus apud Põt. Gallicum stemma iure a se susceptum cõtendit.
[b] Ext. apud Vvalsing. in Eduard. III.
Monetur a Pont. vt illud abijciat.
[c] To. 6. ep. secr. 255.

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Nuper excellentiæ regiæ literis nostro apostolatui præsentatis, & contentis in eis plenius intellectis, noua in eis descriptus titulus, & impressio sigilli Franciæ armis & Angliæ sculpti, vt prima facie videbatur, stuporis & admirationis magnam nobis materiam ministrarunt. Nempe, fili charissime, quanto te amplioris dilectionis prærogatiua prosequimur, tanto grauius in interioribus anxiamur, dum peruersis & fraudulentis consilijs te trahi, & induci percipimus ad ea, quæ non expediunt neque decent: nec ea tacere vel dissimulare nos interna sinit affectio, quominus ea, vt prouidere tibi super illis consultius, & salubrius valeas, ponamus ante oculos mentis tuæ. Siquidem certum & indubitatum asseritur, quod cum consuetudo hactenus inconcusse seruata successionem ad regnum Franciæ per fœmininam lineam non admittat, tibi qui, vt nosti, de stirpe domus Franciæ descẽdisti ex fœminina linea, dicitur successio non deberi: & si etiam consuetudo non prohiberet ad coronam dicti regni successionem ex fœminina linea procedentem, sunt pro-

Datæ eo argum. literæ.
Proposiũ fœminas in Gall. regno non succedere.

[Adducta exempla.]

secto claræ memoriæ Regum Franciæ, qui gradatim inclytæ recordationis Philippo Regi Franciæ auo tuo successerunt, filiæ ac proles earum quæ quo ad successionem eandem proximiores, vt fertur, existerent Regibus patribus suis, quam existatis tu & charissima in Christo filia nostra Isabellis Regina Angliæ illustris mater tua, nata Philippi Regis prædicti: sed adeo, vt prænittitur, obseruata est præteritis temporibus ipsa consuetudo irrefragabiliter, & etiam obseruatur, quod successionem ad regnum prædictum ex fœmmina linea non admittit.

[Vt nunquam regnum occupatură.]

5 Cogitare autem, quod per viam potentiæ regnum posses occupare prædictum, nequaquam attenta Regis & regni Franciæ magnificentia & potentia existimantur ad id sufficere vires tuæ; & quod in regno eodem nihil tenens & possidens te Regem Franciæ facias nominari, armaque illius sumpseris, vt præfertur, de malo & iniquo consilio proculdubio creditur emanasse. Si vero qui tibi suaserunt talia, nitantur asserere palliādo, quod in Flandria, quæ de Regis & regni Franciæ noscitur existere feudo, dominaris; profecto attēdendum & considerandum est, & potest discutere regia circumspectio diligēter, qui & quales cuiusque conditionis sunt illi, qui te introduxerunt ibidem: in ipsis namque hactenus virtus constantiæ & fidelitatis nequaquam extitit commendata; naturales enim dominos suos, quibus erant debito fidelitatis astricti, violato fœdere fidei, pro suarū voluntatū libito sæpe de ipsa Flandria turpiter eiecerunt; & si hoc fecerunt de illis, quos teneri naturaliter tenebantur, quid de te, fili, præsumendum sit; & qualis exinde possit assumi vel formari titulus, tua quæsumus prudentia consideranter aduertat.

[Neq; sibi blandiendum de Belgis cōciliatis,]

[Infidis nō fidendum]

6 Attende rursus, etiam si de bono & recto consilio processerit, quod charissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Franciæ illustri regnante, qui per multos annos tam quam Rex Franciæ regnum pacifice tenuit et possedit, & cui tu sicut tali pro terris, infra dictum regnum ad te pertinentibus, fidelitatem et homagium ligium faciendo, eum in Regem Franciæ tuumque dominum pro terris recognouisti prædictis; te Regem Franciæ facias nominari. Stupent quidem qui audiunt, id non ad discretionē, sed ad simplicitatem et vanitatem potius arbitrantes. Denique perspicacius credimus attendendum, quod talia denominatio re carens et commodo, quam tibi persuasisse dicuntur qui te non diligunt, sed cum tuis iacturis lucra propria venari satagunt, adeo se posse attingere plenius existimantes, cum te altioribus intricationibus, et periculosioribus necessitatibus et negotijs illaqueari procurauerint, et inuolui. Radix venenosa esse timetur germinatura verisimiliter, nisi prouideatur aliter, fructus amaritudinis et doloris.

[Philippū multa annorū possessione potitum.]

[Tristes exitus e lætis initijs secuturos.]

7 Præterea existimamus tibi non minus diligentius aduertendum quot, quales, et quantos Reges, principes, et magnates, qui de stirpe domus Franciæ processerunt, aut habent affinitatem seu confœderationem cum ipsis, qui se tibi non opponebant super tuis negotijs antea, ex nominatione seu intitulatione huiusmodi contra te prouocares, et expressius, si eidem, quod absit insisteres; irritares talemque ordiri nominatio ipsa posset (quod auertat Dominus) materiam, per quam pacis reformatio inter te dictumq; Regem Franciæ impossibilis perpetuo, quantum ad humanum spectat iudicium, redderetur: et etiam principes, et alij regnicolæ dicti regni (qui se, vt vulgaris vox sonat, prius mortis periculis et perpetuis bonorum suorum perditionibus exponerent, quam sustinerent prædicta) promptiores, potentiores, valentiores, et animosiores aduersus te, ad defensionem dictorum Philippi Regis et regni per nominationem seu intitulationem efficerentur eandem. Nec est tibi, amantissime fili, vt alias tibi scripsisse recolimus, multum confidendum de Theutonicis et Flamingis, nam eos affabiles et propitios tibi reperies, quamdiu facultates tuas poterunt exhaurire; alias autem de ipsorum assistentia non confidas. Et si gesta progenitorum tuorum reuolueris, qualiter erga eos se olim gesserunt ijdem Theutonici & Flamingi, quomodo possis de ipsis confidere, reperies manifeste.

[Gallos intrepide se pugnaturos.]

[Belgas Germanosq; esse defecturos.]

Itaque celsitudinem regiam rogamus, & attente in Domino exhortamur, quatenus præmissa, quæ de beneuolentia paterna & affectione sincera scribimus, beneuolo suscipias animo, eaque vna cum alijs, quæ tibi circa hæc possunt occurrere, adducens in rectæ considerationis & discussionis examen, omissa intitulatione prædicta, regium inclines animum ad viam pacis & concordiæ, per quam quæ tui iuris erunt, assequi & pacifice retinere valeas, mutua inter te dictumque Regem concordia reformata: vt sicut nexu sanguinis & affinitatis iungimini, sic sitis perpetuo vinculo fœderis & amoris connexi. *Dat. Auin. 111. non. martij anno 6.*

8 Consignatæ sunt eadem die aliæ literæ a [a] Pontifice ad Eduardum missæ, quibus ipsum perstrinxit monitum superiori anno 1v. id. octobris ecclesiasticarum censurarum aliarumque pœnarum grauissimarum terrore obiecto, vt a Ludouici Bauari studio ac fœdere discederet, nil sedi Apostolicæ rescripsisse. Gesserat enim se Eduardus Ludouici Bauari vicarium in Germanico imperio, vt Germanicis viribus in Francos vteretur, qua de re Pontifex hisce verbis queritur.

[a To. 6. ep. secr. 254.]

[Corripitur Eduardus legatum se gessisse Ludouici.]

Per totam Alamanniam, Germaniam, ac vniuersas & singulas earum prouincias vicariatus officium sub imperialis nominis titulo ab eodem Ludouico, qui nec Rex nec Imperator est, de facto susceperas, teque faciebas pro eo vicarium in illis partibus publice nominari. Auctores vero erant [b] Pontifici Petrus tit. S. Praxedis presbyter & Bertrandus S. Mariæ in Aquiro diaconus Cardinales Apost. sedis internuntij, vt intentatæ Eduardo Regi censuræ ob retentam illam imperij præfecturam, incuterentur. Quibus rescripsit Benedictus, vt a publicis in Eduardum edictis absisterent, donec rem maiore consilij maturitate cum Cardinalibus expendisset. Vt vero Eduardo ab ipso Ludouico ob Tornacenses inducias, se inconsulto, cum Rege Francorum initas, id vicariatum munus abrogatum sit, dicetur inferius. Vrgebat etiam in superioribus literis 111. nonas martij exaratis [c] Eduardum Benedictus, vt pacem cum Philippo Rege redintegraret: Philippus quippe ad eam propendebat, ac monitus a Pontifice, vt sedi Apostolicæ controuersiam permitteret, assenserat ac missurum se oratores idonea auctoritate instructos, si suos Anglus legaret, responderat, qui in Benedictum vt priuatum hominem compromissum facerent: quamobrem Philippus a Pontifice est commendatus.

[b Ib. ep. secr. 256.]

[Deliberatum de eo censuris percellendo.]

[Sententia ad remittendum censet.]

[Tentat concordiæ rationes.]

[c Super ep. 254.]

At non ita Eduardus [d], qui literis x. kal. janua-

[d Ead. ep. 254.]

ianuarij superioris anni datis admonitus, vt animum ad pacis consilia flecteret, ac Pontifice illi offerente, vt si Petrus Bertrandusque Cardinales apost. internuntij fœdus conciliare non possent, se communem & æquum controuersiæ arbitrum futurum; ambiguis & obscuris verbis responderat, quem ideo iterum vrsit his verbis Pontifex, vt mentem enucleatius explicaret: *Sane fili dilectissime, cum super dictis duabus literis super prima*, ea nimirum, qua vicariam in Germania præfecturam acceptam a Bauaro erat iussus abijcere, *nihil, & super secunda*, de Pontifice scilicet arbitro pacis deligendo, *clare & aperte non duxeris respondendum; magnificentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus super eis, & si viam tractatus pacis huiusmodi coram nobis prosequi volueris, nobis clarius & apertius rescribere celeriter non omittas, vt videre quæ agenda circa præmissa fuerint valeamus. Dat. Auin. 3 . non. martij anno vi.* Iniunctum est iisdem Petro & Bertrando Cardinalibus a ... vt has literas Eduardo porrigendas curarent, casumque certa responsa quantocius transmitterent. At respuit Eduardus omnia pacis consilia, & Cardinales consumptis frustra multis laboribus ad pontificiam aulam rediere, vt vitæ Benedicti auctor enarrat. b

Arbitrũ sese exhibet.

a To. 6. ep. secr. 186.

Repudiata ab Eduard. pax.

b Vita Bened. auct. apud Bosq.

9 Titillabat quippe Eduardum magne regni Francorum occupandi spes, cum a Belgis efferretur; vtque sua ad sceptrũ Gallicum iura quibus poterat argumentis commendaret ornaretque, hunc libellum c summo Pontifici a suis oratoribus tradi iussit: in quo præcipuas rationes, quas Benedictus ad Philippi Regis gratiam obiecerat, labefactare nisus est, contenditque licet fœminæ ob sexus imbecillitatem moderando sceptro idoneæ non putentur apud Gallos, prognatam tamen ex ijs prolem masculam gerendo regno imparem non esse, nec successionis iure excludendam.

Argumenta suæ causæ exponit Pontifici Angl.

c Ext apud Bened. to. 6. post ep. secr. 302.

Vt sanctitati domini nostri summi Pontificis clare pateat, quod iuste petit Dominus Rex Angliæ iure hereditario regnum Franciæ, datur informatio, quæ sequitur per nuntios dicti Regis. Factum ex quo dominus Eduardus Rex Angliæ ius habere se dicit ad regnum Franciæ sic se habet. Publice notum est & fuit, quod dominus Carolus iunior filius Philippi Regis Franciæ, Pulchri communiter nuncupati, post mortem domini Philippi fratris sui, cum idem dominus Carolus immediate iure hereditario in dicto regno successit, fuit verus Rex Franciæ, & quod sibi dictum regnum Franciæ fuit iure successorio legitime deuolutum, & quod ipse dominus Carolus dictum regnum tanquam verus Rex Franciæ suo tempore, quo regnauerat, tenuit & possedit pacifice & quiete; & quod tandem idem dominus Carolus, nullo fratre suo tunc superstite, decessit sine herede masculo de corpore suo procreato. Certum est etiam de iure, quod in successionibus hereditarijs, ab intestato venientibus, proximior de sanguine defuncti inspecto mortis tempore habilis ad succedendum omnes remotiores de sanguine eiusdem defuncti prorsus excludit, siue per masculi siue per fœminæ personam defuncto iungebatur. Et certum est, quod tempore mortis dicti Domini Caroli Regis Franciæ, vt præfertur, proximior ipsius cognatus fuerit dominus Eduardus Rex Angliæ supradictus, qui fuit filius sororis eiusdem domini Caroli, videlicet dominæ Isabellæ Reginæ Angliæ, in secundo gradu consanguinitatis dumtaxat distans ab eodem domino Carolo supradicto: dominus vero Philippus de Valesio, qui occupat dictum regnum Franciæ, fuit filius patrui ipsius domini Caroli Regis, filius videlicet domini Caroli de Valesio fratris prædicti domini Philippi Pulchri, sic distans notorie ab ipso Rege Carolo tertio gradu consanguinitatis: & per consequens de iure communi prædictus dominus Eduardus Rex Angliæ, filius sororis prædicti domini Caroli Regis defuncti, iure successorio tribuit & debet præferri in successione regni Franciæ prædicto domino Philippo de Valesio, qui dumtaxat in tertio gradu consanguinitatis ipsum dictum Regem Carolum attingebat. Fundata ergo intentione domini Regis Angliæ de iure communi, non restat aliud nisi obiectibus respondere.

Argum. ex successione hereditaria.

Et proximitate sanguinis.

10 *Primo obijcitur per partem domini Philippi de Valesio, pro Rege Franciæ se gerentis, contra Regem Angliæ supradictum, quod idem Rex Angliæ fecit sibi tanquam Regi Franciæ homagium pro ducatu Aquitaniæ & pro comitatu Pontiui, & sic ipsum dominum Philippum suum fore & esse dominum ac Regem Franciæ recognouit.*

Respõdet ad obiecta.

Obijcitur etiam ipsi Regi Angliæ, quod ipse homagium ligium & iuramentum sibi fecit, & quod de his prædictus dominus Philippus habet penes se literas sigillo prædicti Regis Angliæ consignatas: item quod literæ huiusmodi fuerunt in Anglia sigillatæ.

De client. sponsione.

Item obijcitur prædicto Regi Angliæ, quod ipse non est de sanguine domus Franciæ, nisi per medium mulieris, videlicet dominæ Isabellæ matris suæ: & quod mulier non poterit, neque debet, obstante consuetudine in regno Franciæ approbata & legitime præscripta, admitti ad obtinendum iure successorio dictum regnum, & per consequens per medium ipsius filius eius non succedet.

De success. per fœminam.

Ad vacuandos istos obiectus datur informatio, quæ sequitur per nuntios supradictos. Primo quod homagium factum præiudicare non debeat prædicto Regi Angliæ in effectu, quia idem Rex Angliæ tempore factionis homagij supradicti notorie fuit minoris ætatis, nec annum ætatis suæ octauum decimum tunc compleuit: quo debuisset, sicut cæteris minoribus læsis, infra tempora in integrum restitutionum legibus cauta per competentem iudicem, si fuisset iudex competens, beneficio restitutionis in integrum subueniri: in defectum tamen iudicis competentis vsus est idem Rex Angliæ infra prædicta in integrum restitutionis tempora alijs iuris remedijs, quæ sibi debent sufficere in hac parte.

Excusatio de exhibita sponsione.

11 *Præterea Rex Angliæ prædictus, minoris ætatis existens, vt præfertur, ante factionem homagij per quemdam procuratorem suum, ad hoc specialiter constitutum, protestabatur palam & expresse, quod per homagium quodcumque domino Philippo de Valesio, tunc pro Rege Franciæ se gerenti, per ipsum Regem Angliæ pro ducatu Aquitaniæ seu pro comitatu Pontiui faciendum, non intendebat nec intenderet renuntiare iuri hereditario, quod sibi ad regnum Franciæ competebat, seu eidem iuri aliqualiter derogare, etiamsi literæ super hoc suo sigillo quocumque in posterum signarentur: & protestabatur, quod non faceret prædicto domino Philippo aliquod homagium sua spontanea voluntate, sed dumtaxat illud faceret propter metum iustum amissionis dictorum ducatus & comitatus; & quia metuebat, quod nisi huiusmodi homagium sibi faceret, alia etiam perhorrenda pericula & damna irreparabilia nullatenus euitaret: de veritate vero præmissorum fecit idem Rex Angliæ per procuratorem suum prædictum præstari in animam suam, tactis sacrosanctis euangelijs, coram multis ad id vocatis testibus iuramentum.*

Concedit vim sibi illatam.

Ad

Negat sacramentũ se nuncupasse.

12 Ad obiectum de iuramento, quod Rex Angliæ in homagio debuit præstitisse, seu quod ipse sic iurauerit declarasse, salua reuerentia, non est verum; quia nec ipse dominus Rex Angliæ, nec aliquis progenitorum suorum vnquam iurauerit in præstatione homagij cuiuscunque, prout liquere poterit euidenter ex inspectione registrorum, continentium formas homagiorum prædictorum: nec in aliquibus literis sigillatis sigillo Regis Angliæ, quod sic iuratum fuerit continetur. Nec dici potest, quod in homagio facto per dictum dominum Regem, fuerit contentum tacite iuramentum ex hoc, quod sigillata fuerint aliqua litera sigillo Regis Angliæ, in quibus continebatur huiusmodi homagium fuisse ligium, quia verbum ligium nullatenus ex sui significatione hoc importat.

Colores pro excusandis literis,

13 Et ad id, quod dicitur, quod huiusmodi literæ fuerunt in Anglia sigillatæ, & sic sine metu; respondetur, quod non sine metu, cum instaret metus amittendi totum ducatum prædictum per paratum exercitum ad ipsum Regem in ducatu & in Anglia per partes Scotiæ inuadendum; & quod dictæ literæ huiusmodi, dum idem Rex notorie minoris ætatis fuerat, vt præfertur, non de plena dicti Regis intelligentia, nec habita iuris sui seu præiudicij notitia, sicut nec propter ætatis fragilitatem potuit tunc haberi; sed ex prioris erroris consequentia fuerant sigillatæ. Præterea restituendus fuit in integrum in hoc casu infra tempora ad hoc apta dominus Rex prædictus, si competentem iudicem habuisset: & quia iudicem competentem non habuit, vsus est tempore debito alijs iuris remedijs, per quæ de iure plenius est succursum: & vult Rex Angliæ dominum nostrum Papam certius informari, quod ipse Rex nunquam fecit aliquid ex proposito ipsi domino Philippo, pro Rege Franciæ se gerenti, propter quod cessare vel desistere debuit aut debeat a prosecutione iuris sui supradicti, seu propter quod senserit vel sentiat in hac parte conscientiam suam læsam: & quod sis inuocat Deum testem.

Licet excludatur mater, filium non excludi di sceptro.

14 Ad obiectum, quo dicitur, quod dictus dominus Rex Angliæ non est de sanguine Franciæ nisi per medium mulieris, quæ iuris hæreditarij regni Franciæ non est capax; respondetur, quod etsi de consuetudine regni Franciæ mulier de genere regio a iuribus hæreditarijs regni Franciæ sit exclusa tamen ex hoc non sequitur, quod eius filius masculus, ad regnandum habilis, a successione priorum parentum ad heredes legitimos deuoluenda debeat excludi, quia Rex Angliæ successionem sui auunculi domini Caroli Regis defuncti secundum gradus sui prærogatiuam vindicat vt cognatus eiusdem defuncti Regis proximus, qui excludi non debet ab hæreditate auunculi vel auita per remotiorem in gradu consanguinitatem; licet ipsius Regis mater propter conditionem sexus exclusa fuerit, vel subducta.

Ad præiudicia respondet.

15 Etsi dicatur, quod aliqui nepotes vel consanguinei dominorum Ludouici & Philippi fratrum prædicti domini Caroli Regis, sibi inuicem succedentium, exclusi fuerint a successione regia ex illo capite, quod ipsi prædictis Regibus per fœminarum personas medias dumtaxat iungebantur, sicut & Rex Angliæ dicto domino Carolo auunculo suo per medium fœminæ dumtaxat, videlicet matris suæ, iungebatur; respondetur, quod non ex illo capite dicti nepotes fuerunt exclusi, sed ex eo quod nullus dictorum nepotum fuit in rerum natura tempore mortis illius Regis, de cuius hæreditate agebatur: & hoc clare patet ex facto infrascripto. Sciendum est enim quod dominus Philippus Pulcher Rex Franciæ decessit relictis tribus filijs, videlicet Ludouico primogenito, Philippo Longo secundo nato, & Carolo tertio & vltimo nato, ac quadam filia, videlicet Isabella Regina Angliæ; Ludouicus senior successit patri suo Philippo Pulchro immediate in regnum Franciæ, & procreauit vnam filiam: subsequenter mortuus est Rex Ludouicus relicta dicta filia, quæ non concepit prolem aliquam, ipso Ludouico Rege superstite & vxore sua impregnata, quæ post mortem dicti Regis peperit filium masculum nominatum Ioannem, qui post nouem dies, quibus pro Rege Franciæ habebatur mortuus est: & successit sibi immediate in dictum regnum Philippus Longus medius frater trium prædictorum. Iste Philippus Rex tres filias sed nullum masculum procreauit, quarum filia senior fuit matrimonialiter copulata duci Burgundiæ, secunda delphino de Vienna, tertia et iunior comiti Flandriæ. Ex prima filia duci Burgundiæ copulata suscitatus fuit quidam filius masculus vocatus, vt dicitur, Robertus, Rege Philippo superstite: sed iste Robertus moriebatur antequam moreretur Rex iste Philippus auus suus, & sic non fuit in rerum natura tempore mortis dicti domini Philippi Regis aui sui. Ex secunda filia delphino copulata nulla fuit proles viuente dicto Philippo Rege, neque ex alia nupta comiti Flandriæ suscitata. Post mortem prædicti Regis Philippi successit sibi immediate tertius & iunior frater suus, videlicet dominus Carolus, qui demum, relictis duabus filiabus non coniugatis sine prole masculina decessit. Ex quibus liquet, dictum dominum Carolum fuisse verum & legitimum Regem Franciæ, & per consequens dominum Regem Angliæ qui fuit filius dominæ Isabellæ Reginæ Angliæ sororis prædicti Caroli, vt præfertur, debere sibi tanquam eius cognatum proximum succedere in regno prædicto.

De Phil. Lõgi progenie.

Præcipuũ Gall. argum.

Ad id nõ respondet Eduard.

Dissimulauit Eduardus in eo libello præcipua argumenta, quibus Philippi causa nitebatur, Reginã Isabellã, si nulla ad regnum Gallicum obtinebat iura, in filium illa transfundere non potuisse; nec latam tantum apud Gallos legem ne mulieres ob fragilitatem sexus in sceptra succedant, sed etiam ne regnum ad exteros deuoluatur: liberos vero populos eam condere potuisse, vt publicæ rei consultum sit, ratio & gentium iura docent: quibus non assentiente Anglo, in atrox bellum nomini Christiano perniciosissimum res versa est. Rediit in Angliam Eduardus mense februario a, Flandris pollicitus, se cinctum copijs in Belgium reuersurum: Ioannes vero Hannonius & Falcamontius in Gallias aprili excurrere, illamque rapinis, cædibus, flammis fœdarunt: ac vicissim maio ineunte magister equitum Francorum in Hannoniam ad Valentianas irrupit, grauissimaq; intulit damna: atque ita datis acceptisque cladibus, vniuersa regio fœdissime attrita est.

a Io. Vill. l. 11. c. 108. & alij. Excursiones actæ in Gallia.

Anglicus orator ex curia Põt. in Gall. abreptus.

16 Dum Galli Anglique mutuis se cladibus conficiebant, ex insano illo odio atrox facinus in ipso sedis Apostolicæ gremio aduersus Nicolinum Fliscum Eduardi Regis Anglorum oratorem qui Auenionem accesserat, commissum est a nonnullis Gallis, qui spreta sedis eiusdem obseruantia, propositisq; in eos, qui ad ipsam accedentes agentesue, capiunt censuris cõtemptis apud eã Auenione nocte intẽpesta, effractis domus foribus, armati vna cum filio Andrea in Regis Frãcorum ditionis terras mancipandum vinculis abduxere. Qua iniuria affectus Pontifex, vt sedis Apostolicæ maiestatem tueretur, edicta mox grauissima in omnes illius criminis auctores participesue edidit, Galliasque ecclesiastico interdicto subiecit b. Purus ab eo scelere, erat Rex Francorum,

b To. 6. ep. secr. 269. 271.

ceque intellecta, Anglorum Regis oratorem reduci honorifico ad subsellia apostolica iussit, deque pontificia questus seueritate hisce literis a omnem a se rei gestæ labem absterſit.

a Ext. ib. n. 265.

Gallus Rex se ab eo facinore excusat.

Licet, inquit, *teste Deo, dicta captio de mandato nostro, seu de nostra voluntate aut conscientia facta non fuerit, & quando audiuimus dictos captos esse, in regno nostro perquiri ipsos mandauerimus, & ordinauerimus vt, eis repertis, statim ad sanctitatis vestra præsentiam, quod esse speramus breuiter, reducantur; dictis tamen processus in nostri denigrationem honoris factis & publicatis fuisse, nostramque conscientiam, quam semper mundam & illæsam seruare cupimus, pungere videntur: ex quibus quamplurimum causamur admirari, vestram sanctitatem sic repente, sicque rigorose, & nobis per literas vel alias non certificatis super hoc fieri, fecisse, ac mandasse publicari processus*. Et infra: *Idcirco, pater sanctissime, quanto possumus affectu maiori rogamus, quatenus dictos processus, & quidquid ex eis secutum est, reuocare & annullare velitis; & statim ab ipsorum publicatione & denunciatione mandare cessari, abstinentes de cætero, si placet, & abstineri tales commissarios mandantes, si casus alias in offensam vestram contingerent, quod absit, a talibus sic repente sicque rigorose & nobis non certificatis vel irrequisitis; vt vnio & sincera dilectio, quæ fuerunt, sunt, & semper erunt, Domino concedente, inter sedem Apostolicam & domum Franciæ vestris & nostris temporibus minui non debeant, sed augeri. Scriptum apud Moncellum prope montem S. Maxentiæ die xxi. maij. Deuotus filius vester Rex Francorum*.

Rogat inte-dictum solui.

Pontificiũ responsũ ad Philippum.

b Ead. to. 6. ep. secr. 266.

57 Rescripsit Philippo Pontifex b, nunquam se arbitratum illius facinoris conscientiam ad ipsum pertinuisse; adeo tamen immane extitisse, vt ea seueritas, qua erat vsus, distringenda esset: neque imminutum erga ipsum paternum studium, immo mutua animorum officiorumque consensione se eum ipso conspiraturum.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ illustri.

Rei gestæ seriem exponit.

Sane, fili precharissime, captionem huiusmodi de mandato, voluntate, vel conscientia regijs nequaquam credidimus processisse: illam tamen, vt de ipsa, vtique nefandissima, & eius horrendis circumstantijs regia prouidentia plenius informetur, succincte prouidimus describendam tuæ celsitudini per præsentes. Nempe cum Nicolinus præfatus tanquam illustris Regis Angliæ ambaxiator, & pro eius negotijs specialiter vt asseruit, super tractatu pacis inter te, precharissime fili, & eundem Regem reformandæ transmissus ad sedem venisset Apostolicam, & se nostro conspectui præsentasset, nondumque sua nobis ambaxiata aliter explicata in Romana curia moraretur, alios, vt dicebat, expectando pro Rege venturos prædicto; pridem circa mediæ noctis cœnæ dominicæ proximo præteritæ silentium per nonnullos ministros sathanæ, inter quos erant aliqui de curia ipsa & etiam de familiaritate nostra, de quibus posse confidere credebamus, proditorijs tractatibus diu ante præcedentibus, idem Nicolinus quiescens in lecto per magnam multitudinem hominum armatorum domum, in qua morabatur, latenter & proditorie intrantium, fracto deinde violenter cameræ, in qua iacebat, ostio captiuatus, cum eisdem filio et domicello extitit immaniter de lecto extractus, vixque permissus camisiam induere, quasi nudus ad turrem regiam in capite pontis Auinionensis cum nauigijs per Rhodanum ignominiose adductus, ibidemque detentus vsque ad diem sabbati sanctam sequentem: qua die per deuia, sicut rumor horribilis vehementer exclamauit, fuit ad alia loca transductus.

Porro si modum & qualitatem huiusmodi scelerum nefandorum in eadem Romana curia, vbi fidelibus ad eam confluentibus adesse debet securitas, & sanctissima nox cœnæ dominicæ, a cunctis fidelibus ob memoriam sacratissimæ passionis domini nostri Iesu Christi cum omni reuerentia & deuotione colenda, regalis circumspectio attenderit diligenter, admirari non debet, vt credimus, si super tam horribili facto, aduersus tam scelerosos patratores illius, vigore antiquorum processuum olim, tam per nos quam diuersos prædecessores nostros Romanos Põtifices solemniter habitorum, excommunicationis & anathematis promulgatas sententias contra illos, qui venientes ad sedem prædictam, aut ab ea recedentes, seu morantes apud eam, molestare indebite, captiuare, vel spoliare præsumunt continensium, & alias, prout de iure fieri potuit, processum extiterit diligenter. Cæterum cum te, fili amantissime, portemus in visceribus charitatis, ad tuum & regni tui prædicti honorem promouendum & commodum, quantum cum Deo possumus, aspirantes & cum tuo deuoto proposito in dictis literis regijs delectabiliter recensito, super quo tibi gratiarum actiones referimus, concurrentes, illam amoris & deuotionis vnitatem, quæ inter dictam Romanam ecclesiam & domum Franciæ viguit hactenus & vigere continue noscitur, tecum fili charissime confouere volumus & augere, &c. *Dat. Auin. III. kal. iunij anno vi*.

Criminis horror ex circumstãtijs augetur.

Redintegrata inter Pontificem Gallumq; amicitia.

58 Redux e paulo post ad sedem Apostolicam Bernardus Andreæ Nicolaum siue Nicolinum Fliscum atque Andream filium incolumes Philippi Regis Francorum iussu, cui Pontifex gratias egit a, sacrorumque ac templorum vsum Gallijs restituit b. Adhibuisse vero maximã seueritatem in eos e familia pontificia, qui Regis Anglorum oratorem ceperant, refert vitæ illius auctor c: in ipsos enim nullo dignitatis discrimine legibus agi iussisse, ac nonnullos ante domus effractæ fores laqueo præfocari: marescallum d autem pontificium, qui facinori assenserat, cum in carcere ex dolore ignominiæ necem sibi consciuisset, damnatum iudicum sententia, atque illius corpus in patibulo volucribus laniandum expositum.

Reductus ad curiam Angl. orator.

a To 6. ep. secr. 268.

b Ib. ep. 269.

c Vit. Ben. auct. apud Bosquet.

Auctores flagitij necati suspẽdio.

d Id ib. & M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII.

Ita sontium supplicijs Anglico oratori ac sedi Apostolicæ illata iniuria vindicata est, nec flecti Pontifex optimus precibus a Francorum Rege porrectis e potuit, vt ab æquitatis rigore discederet. Qui tamen rebus in iustis beneuolentiam in ipsum explicuit: ac regno consulturus, vt illud tutari facilius aduersus hostiles irruptiones posset, biennales illi decimas kalen. martij attribuit f: monuit vero ne ecclesiasticos grauares. Verum ijs decumis minime contentus Philippus, collectas antea pro bello in Saracenos Asiaticos decimas in hostes deriuandas censuit, scriptisque ad Pontificem literis g, vbi grates de biennalibus sacerdotiorum decumis sibi concessis egit, ac pluribus verborum officijs eximium suum in ecclesiam studium expleuit, data monita ad salutem animæ spectantia in intimum animum se demisisse significauit: denique subiecit, consultum sibi a præsulibus fuisse, vt cum vniuersorum Gallorum salus ageretur, & ho-

e Apud Ben to. 6. ep. secr. 270.

Biennales decumæ attributæ Philippo.

f Ib. ep. 252.

g Ext. apud Ben. to. 6. ep. secr. 259.

hostis regnum moliretur euertere, sacras Syriacis instaurandis rebus decimas aduersus hostem conuertere ipsum posse: cumque Brabantinos, duce filio Ioanne, inuadere meditaretur, deposcere vt sacramenti religione, qua ipse ac filius se obstrinxerant sacras illas decimas in nullos vsus quam aduersus Saracenos deriuaturos, apostolica auctoritate solueret, vel restituendarum tempus prorogaret.

Sanctissimo patri in Domino Benedicto diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, &c.

Fucata Philippi Regis officia.

19 Vere, pater sanctissime, ob hoc teneatis pro firmo, quod sit nostra intentio principalis, nos taliter gerere & habere pro posse erga ecclesiam, vt domini & prædecessores nostri se hactenus habuerunt: & quod Saluator noster contentabitur, vt speramus, & si gentes nostræ, pater sanctissime, aliqua bona ab ecclesijs assumpserunt, eis sit inde assignatio competens, & eis concessæ sunt a nobis plures gratiæ. Insuper, pater sancte, guerra nostra est pro resistendo illis, qui volunt exhereditare nos & subditos nostros, tam personas ecclesiasticas quam etiam seculares: quare, sicut vestra discretio non ignorat, in hoc casu omnes in missijs & expensis participare habent ad defensionem eorum, quorum res sua agitur sicut vestra *. Pater sancte, præfatus clericus noster vobis ex parte nostra supplicauit secrete, vt vobiscum super leuatis per gentes nostras de decimis concessis pro passagio terræ sanctæ vestra dignaretur sanctitas dispensare, aut ad remissionis vel prorogationis finem. Sed vos, pater sanctissime, ad nullum finium prædictorum nobiscum voluistis dispensare hucvsque, licet ipse a sanctitate vestra veniam postulasset pro nobis occasione super ijs nostro nomine præstiti iuramenti: & cum magna pars pecuniæ leuatæ pro dicto passagio in vsum aliquarum rerum ad dictum passagium necessariarum veraciter sit conuersa, quæ adhuc in esse consistunt, etiam pater sancte ea, quæ leuari & capi fecimus, leuata & capta fuerunt per consilium prælatorum & aliorum de consilio nostro, qui nobis omnes sine aliqua differentia retulerunt, quod ad tuitionem & defensionem regni nostri ea leuare et capere sana conscientia poteramus: in quo dictæ pecuniæ residuum fuit conuersum, & non in alios vsus vere; et, pater sanctissime, nostræ intentionis existat, breui inuadere ducem Brabantiæ inimicum nostrum, qui diffidauit nos, et primo mittere illuc dilectum primogenitum nostrum, vt contra illum, cui nocere et damna inferre volumus, et tenemur pluribus et iustis causis.

*nostra

Poscit sacras decimas auerti in hostes suas.

Adulatorum consilia proponit.

20 Et quia vos et ecclesia tantum * cordi debetis habere, quemadmodum sanctam discretionem vestram credimus non latere, sciatisq; quod bellorum euentus dubij, et periculosi existant, nihilque sit certius morte, incertius hora mortis; sanctitatem vestram rogamus, ac ei in quantum deuote possumus supplicamus, quatenus de leuatis per nos et gentes nostras e concessis decimis pro passagio terræ sanctæ remissionem plenam pro nobis et heredibus nostris dignemini facere de vestræ solita clementia sanctitatis, et a peccato quod incurrisse dicimur occasione præstiti super hoc iuramenti, nos et dictum primogenitum nostrum absoluere; nobis in hac parte veniam concedentes, et eam de vestræ beatitudinis gratia nullatenus denegantes, cum in casu isto omnia possibilia apud vos.

* nos

Sacramento solui flagitat.

Si autem, pater beate, dictam pecuniam nobis ad plenum remittere nolueritis, saltem restitutionis illius pecuniæ prorogare terminum dignetur eadem vestra sanctitas vsque ad sex annos post finem guerrarum nostrarum, vel ad tantum et tale tempus, quantum vestra summa prouidentia duxerit concedendum, quoniam non possemus commode illam restaurare pecuniam de præsenti; et nobis et dicto primogenito nostro super peccato, quod incurrisse dicimur ratione iurisiurandi prætacti, veniam misericorditer impertiri. Pater sancte, istud negotium habemus cordi sine dubio, nec est mirum, et inde remissionem et dispensationem totis viribus affectamus: sed renera, ex quo vestræ beatitudini non placeret, nos et primogenitum nostrum super hoc absoluere, et inde nobis absolutionem dare, quia per consilium factum fuit et cum difficultate tanta, quam nouit Altissimus dispensator, satis de facili esset nostra conscientia pacificata in istis, licet dispensationem, remissionem, et absolutionem vestras desideremus, et volumus ex intimis cordis nostri, etc. Pater sancte, dominus Iesus Christus vobis vitam longam tribuat ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ. *Script. apud Pissiacum xx. die martij. Deuotus filius vester Rex Francorum.*

Culpam fatetur.

21 Repulit Pontifex iniusta Philippi Regis postulata, grauissimisque sententijs in luce collocauit a, nuncupatum tanta religione sacramentum de non conuertendis in alios vsus, quam aduersus infideles sacris decimis sine grauissimo scelere infringi non posse: mirari se præsules adeo diuini timoris oblitos, vt nefarium illi consilium suggesserint: nec cœlestes tantum iras, sed omnium odia populorum in se concitaturum: ludibrio sedis Apostolicæ maiestatem habitum iri, si decretæ tam solemni pompa decumæ in fidelium strages vertantur: Anglorum Regem iactare certos sibi de eo triumphos polliceri, eum putaret ob non persoluta diuino Numini de orientali expeditione vota ipsum grauiori scelere diuinctum teneri: si petita concedantur, vniuersum orbem Christianum indignaturum; ac si quæ aduersa ipsi vel filio succederent, eorum periurio adscriptum iri: nec restituendæ vnquam illius pecuniæ sacræ spem affore, id testari prædecessorum Regum tristia exempla, qui sacris Asiatico bello decimis abusi misere extincti sint: caueret animam tanto grauare onere; nunquam certe Apostolicam sedem illius criminis participem futuram.

Iniusta petita repulsa a Pont.

a Bed. to. 6 ep. secr. 160.

Addit causæ grauissima.

Benedictus, etc. Philippo Regi Franciæ.

Sane, præcharissime fili, super tuæ deuotæ intentionis proposito, quod geris ad sacrosanctam ecclesiam matrem tuam ac restitutionibus & gratijs ecclesijs prædictis, a beneuolentia regali exhibitis, excellentiam regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, eam volumus tenere pro certo, quod in ijs, quæ per nos sine conscientiæ læsione honeste ad tuum & regni prædicti commodum & honorem possent agi, propitij reperiemur, sicut hactenus, & benigni: verum quod prælati vel alij, qui discretione polleant, Deum timeant, teque, salutem, & honorem tuum diligant, attentis causis, pro quibus tam solemniter & publice huiusmodi præstitum extitit iuramentum; & considerata materia, vtique pia & debita, super qua fundabatur, audeant regiæ serenitati asserere ac referre illa, quæ de dicto decimali subsidio sunt leuata, posse salua conscientia in vsus conuerti alios, non sufficimus admirari.

Præsulum Gallor. consilium vituperatur.

Proposita indictæ expeditionis solemnis celebritas

22 Profecto tales Deum timere, ac tuæ dictique primogeniti animarum salutem diligere non videntur: tenet namque nostra memoria, quod olim in præsentia cleri & populi de diuersis mũdi partibus copiosa per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum de consilio fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, ad tuorum solemnium nunciorum supplicationem instantem indicto passagio generali, teque illius duce & capitaneo deputato, & imposito nihilominus sub certis modis & formis decimali subsidio supradicto; ibidem pro parte regia & eiusdem primogeniti per procuratores ad hoc mandatis suffultos idoneis, & prædictis assistentibus nuntijs in publico huiusmodi præstitum extitit iuramentum, cuius forma habere inter cætera noscitur, quæ sequuntur; videlicet, quod de dicto decimali & alijs subsidijs, ad dictum passagium deputatis (quæ iuxta ordinationem prædecessoris prædicti per diœcesanos ecclesiarũ cathedralium, & collectores ab eis deputandos debuerunt colligi, & in deposito per ipsos diœcesanos conseruari, per eos certis assignanda personis, quæ de mandato quatuor prælatorum dicti regni, per sedem eandem & te, fili dilectissime, deputandorum deberent ad commodum eiusdem passagij huiusmodi subsidia dispensare) nihil regalis celsitudo acciperet, nec accipi scienter faceret, nec etiam consentiret, quod alius aliquid acciperet, vt in alios vsus quam vtilitatem dicti passagij conuerteret, nec pateretur conuerti; & quod si forsan aliquid de prædictis pro vsibus alijs a se vel alijs contingeret occupari casu aliquo vel conuerti, cum ad notitiam suam deuenire contingeret, illud in eorum manibus restitui sine dilatione morosa faceret ac reponi, apud quos secundum ordinationem apostolicam talis conseruatio pertineret. Et quod aliqui tuæ magnitudini præsumant asserere, quod huiusmodi iuramentum sic publice pro causa tam pia præstitum, & per diuersas mundi partes, vt regiam prudentiam latere non credimus, diuulgatum possit infringi, mirandum est proculdubio multipliciter, & stupendum.

Iurisiurãdi sanctitas.

23 Si autem in loco priuato præstitum extitisset secrete, forsan talium assertio quoad mundanam infamiam, non tamen quoad Deum, posset quodammodo colorari: sed cum præstitum super tali facto taliquo materia fuerit ita publice ac notorie, vt præfertur, occasione illius fama celebris tanti Regis tamque catholici principis exponeretur ex consilio & assertione talium labijs non solum detractorum & æmulorum, sed etiam populorum, præter diuinam offensam & animarum graue periculum laceranda, quod absit, de sano consilio procedere non videtur, nec nos participationem habere volumus in tali consilio quoquo modo. Displicenter nempe nimis & dolenter audiuimus & audimus, quod murmurationes & oblocutiones detractoriæ contra te, fili amantissime, non desunt in mundo ratione vel occasione passagij antedicti; & quantum non solum contra te, sed aduersus nos & sedem Apostolicam, præter vltionis æternæ vindictam terribilius formidandam, crescerent ex quibus * extingueretur periculose deuotio populi, si quæ petuntur pro parte regia, concederentur a nobis suspicari posset faciliter & verisimiliter formidari prædicaretur & diuulgaretur per mundum, equidem, nec a veritatis tramite discreparet, quod

Inferẽda eius famæ labes.

Exoritura scandala populorum.

*quod

illa, quæ solemniter & pie per sedem præfatam deputatæ & dedicata pro liberatione dictæ terræ, releuandisque miserijs & oppressionibus fidelium in partibus degentium transmarinis, fideque inibi dilatanda catholica fuerant, ad effundendum Christi fidelium sanguinem per nos & sedem ipsam ac te dissipata in cismarinis partibus in Dei contumeliam, & catholici delusionem populi extiterant, & consumpta. Circa quæ prostare videtur, quod continebatur in dictis literis regijs argumentum, scilicet quod terras nobilis viri ducis Brabantiæ hostiliter intendit regia magnitudo inuadere, illucque propterea præfatum primogenitum destinare.

24 Quamobrem attendat, quæsumus, regia circumspectio, si talis & tanta infamia, præter damnationis externæ periculum, sit vitanda: & vltra hoc etiam intra pectoris regij claustra diligenter reuoluat, quis amodo, si præmissa, quæ petuntur (quod absit) fierent, posset credere, quod per te, fili præcharissime, vel successores tuos negotium aliquod transmarini passagij compleretur, cum non solum tuis, sed aliquorum prædecessorum tuorum temporibus tot bona exacta pro passagijs huiusmodi conuersa in vsus alios fuerunt, nullo facto passagio, & consumpta. Dudum quidem meminimus quasdam illustris Regis Angliæ literas recepisse, in quibus inter cætera iactabat, quod quia te credebat peccatis propter passagium prædictum grauibus obnoxium, audacius & securius aduersus te de sua potentia confidebat. Absit igitur sinceritatem regiam peccatorum huiusmodi vinculis alligari. Sed pro tanto id recitare non omittimus, vt euidentius regalis perpendat prudentia, quid alij, proh dolor! obloquantur & obloquerentur crebrius, si per nos concederentur petita. Non minus etiam aduertendum videtur, quod si tibi vel eidem primogenito aduersi aliquid in bellis contingeret (quod clementia diuinæ pietatis non sinat) per te, fili, ac alios multos tam beneuolos quam æmulos peccatis adscriberetur prædictis. Rursus quantum ad prorogationem prædictam; regia sublimitas discutiat & attendat quando & qualiter restauraretur pecunia prædictis pijs, immo pijssimis vsibus deputata; & cum ex præteritis haberi valeat coniectura verisimilis de futuro, quid in similibus a tuis prædecessoribus factum temporibus præteritis extiterit, quidue ipsis exinde contigerit, & tibi, fili, posset (quod Deus auertat) contingere; necnon quot onera animæ tuæ, si non subsequeretur restitutio prædicta, incumberent, a quibus conscientia nostra immunis non euaderet, si prorogatio ipsa concederetur a nobis. *Dat. Auin. iv. non. aprilis anno vi.*

Insultatũ ab Anglo ob intermissam ab illo expeditionẽ.

Imminentes clades eius peccatis adscribẽdas.

25 Fuisse hæc summi sacerdotis tot oracula, quot sunt sententiæ, secuti rerum exitus docuerunt. Testantur historici, auertisse Philippum Regem in belli Anglici sumptus illas sexennales decimas, restituendæ in Syria Christianæ religioni sacratas, a quibus ipse ac maior natu filius Ioannes temperaturos se manus sanctissime vouerant. Et certe earum saltem partem inuasisse Philippum fatentem audiuimus, dum religionis aculeos, quibus sentiebat pungi animum, euelli a Pontifice poscebat. Sed diuina procul vindicta non abfuit, validissima enim eius classis conducta sacro illo auro, quod ex Crucifixi vectigalibus aduersus Crucifixi hostes pro eripiẽda e Saracenorum seruitute Palæstina coactum fuerat, dum Eduardum Anglorum Regem ex Anglia

Respondẽt dictis pontificijs exitus.

Philippi classis maxima clade dissipata.

in

in Flandriam traijcientem intercipere parat, tanta clade in Slusæ portu fusa dissipataque est die S. Ioanni Baptistæ sacra, vt florentissimam nauium numero classem pene vniuersam captam, mersamue cæsis decem Francorum millibus ac totidem vel pluribus captis referat Ioannes Villanus [a]. Variant in cæsorum numero Anglici [b], & Belgici [c] auctores, quem ad triginta millia ascendisse ferunt, atque inter alios id tradit M. S. Varicani auctor [d] his verbis: *Item suo tempore Rex Angliæ cum sua armata debellauit armatam Regis Franciæ in die S. Ioannis Baptistæ super Selusas portum Flandriæ, in quo bello mortui fuerunt circa triginta tria millia Gallici & Normanni; & amiserunt octingentas naues*; maioria scilicet minorisue aluei, neque exiguo Anglorum cruore, eam victoriam constitisse, captasque ad ducentas Francorum naues consentiunt: nec desunt, qui Gallicam classem ex quadringentis [e] nauibus, alij ex trecentis [f] octoginta conflatam fuisse scripserint. Redintegratum [g] vero postea maiori terrore & apparatu bellum est ab Eduardo Anglorum Rege, qui cum Brabantiæ & Iuliaci ducibus, Hannoniæ, Gueldriæ, Lossensi, Falcamontij comitibus, alijsque proceribus Germanis fœderatis & Flandris, Tornacum obsidione valida cinxit, adeo vt octoginta millia peditum, equitumque octo millia sub signis essent.

a Io. Vill. l. 11. c. 109. Paul. Aemil. in Phil. VI. Gaguin. Masson. in eod. & alij.
b Thom. Vvalsing. in Ypodig. Neust. & in Eduar. III.
c Meyer. l. 12.
Eduardo se coniungunt Germani.
Tornaci obsessum.

26 Interea, dum Francorum & Anglorum Reges in mutuas cædes delibatum Christiani populi florem committere pararent, Christi in terris vicarius, quem ante cruentam maritimam pugnam pro dirimendo bello desudasse vidimus, omni studio & contentione ad auertendas imminentes strages incumbere non destitit: ac primum vrgere cœlum precibus, virosq; religiosos incitare, vt ardentissimas preces pro optata inter Reges pace a Deo obtinenda funderent; inter quos Cistercienses suos ad solemnia ordinis comitia congregatos subiectis verbis prouocauit [h]: *Licet per nos & sedem Apostolicam modis varijs & diuersis, quibus commode fieri potuit, pro sedandis guerris & dissensionibus huiusmodi pacisque inter dissidentes reformanda concordia, & maxime inter charissimos in Christo filios nostros Francorum & Anglorum Reges illustres extiterit laboratum; quia tamen, hostis antiqui malitia præualente, attingi nequiuit adhuc ad fructus pacis huiusmodi, quos desiderijs feruentibus optabamus, solum restare videtur ad diuinum auxilium recurrendum: ideoque vos & ordo prædictus apud eum, qui pacis est auctor, & humanæ salutis amator, pro pace ac tranquillitate huiusmodi deuotis precibus insistatis, &c.* Adijcit, vt pro ipsius valetudine diuino Numini preces porrigerent: conflictabatur enim tibiarum morbo, ob quem cum celebrare in consueto loco consistoria non posset, Cardinalibus rogantibus, illa in cubiculo coegisse, vitæ ipsius auctor refert [i]. *Data vero superiores literæ Auin. 14. kal. sept. an. vi.*

Benedicti pro sopiendo eo bello curæ. Indictæ a Pont. preces pro sopiendo bello Anglico.
d M. S. bib. Vat. sign. n. 2043. in Ben. XII.
e Gaguin. hist. Fr. in Phil. VI.
f Meyer. vbi sup.
g Io. Vill. l. 11. c. 111. Vvalsing. vbi sup. Meye. l. 12.
h T. 9. 6. ep. secr. 155.

Paucis post diebus solemnes in Gallijs & Anglia supplicationes indixit, literisque encyclicis ad archiepiscopos & episcopos datis [l], vbi pluribus tristia, quæ ex ijs bellis emergebant, exitia, adhibitamque pontificiam pro ijs propulsandis solicitudinem exposuit; excitari fideles iubet, vt ad preces fundendas incumbant: *Quia non tantum*, inquit, *de remedijs humanis in hac parte confidimus, quantum de humili deuotorum fidelium supplicatione speramus, illorum quorum exempla præmisimus vestigijs, quantum possumus, inhærentes ad illum, qui maris imperat tempestati, quique illius tumida freta sternit, & quo iubente turbatio vertitur in tranquillum & pacem; ad orationum fidelium suffragia prouidemus recurrendum vt ipse pacis auctor & humanæ salutis amator, qui multorum preces clementer consueuit ad gratiam exauditionis benigne admittere, fidelium ipsorum precibus inclinatus eorundem Regum mentes & corda, turbationis, cuiusque subductis exinde fluctibus, de sua largissima pietate pacificet, et vniat, multiplicatis intercessoribus, voluntates. Quare fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus pro huiusmodi pacis & vnitatis concordiæ, dono cœlestis gratiæ concedenda, deuotas ad Deum tam processionaliter, quam alias preces effundere, ac per clerum & populos in vestris ciuitatibus & diœcesibus constitutos effundi facere studeatis. Dat. Auin. VIII. kal. septembris anno VI.*

i Vit. Bened. apud Bosq.
Data ea de re prg. fulib. imperia.
l Ead. to. 6. ep. secr. 279. ad 293.

27 Excitatis ad implorandum diuinum auxilium Gallis Anglisque, Pontifex Reges in mutua funera ad Tornacum concurrere paratos apostolicis mollire monitis atque ad pacis consilia adducere aggressus est, exaratis eadem verborum forma literis [a]. Illarum partem potiorem subijcio, quas Regi Francorum misit: vbi enim ingentia a se pro concilianda ipsum inter & Eduardum concordia interposita studia exposuit, scriptas crebras apostolicas literas hortatorias, nuntios frequenter missos, legatos Petrum tit. S. Praxedis presbyterum & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales, quorum pariter opera ac diligentia in adducendis ad pacis fœdera animis elusa fuerat; tristes funesti illius belli euentus, & ingentia, quæ ex eo emergebant mala ob oculos regios ponit [b].

Solicitati Reges ad pacem.
a To. 6. ep. secr. 293. 294.
Proponit belli clades.
b Ead. ep. secr. 293.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Ecce, fili dilectissime, quod sicut tristes & dolentes audiuimus & audimus, hoste ipso humani generis malorum omnium incentore, qui ad exterminium humanæ salutis aspirat, ignem dissensionis, rancoris, & odij adeo inter te ac Regem præfatum in flammas nociuas & pestiferas iugiter accendente, atque guerrarum fremitibus in diuersis partibus terrarum & maris crebrescentibus, hinc & inde innumerabilis multitudinis redemptorum pretioso cruore dominico sanguis innocens sic crudeliter, non parcendo ætati vel sexui (quod etiam apud infideles tam antiquis quam modernis temporibus vt paruuli, mulieres, senes, & debiles in ore gladij perimerentur immaniter, reputabatur horrendum) proh dolor! est effusus & effunditur etiam incessanter; & amplior effusio, nisi aliter clementia diuina disposuerit, formidatur, aliaque discrimina, damna & scandalosa pericula exinde subsecuta sunt, & continue subsequuntur. [Et infra, vbi descripsic regnum prædonum rapinis expositum, calcari iura, opprimi vectigalibus populos, inedia pauperes confici, diuites spoliari, ecclesiasticos ad inopiam redigi; adducit alia mala, quæ ex eo bello ad totius rei Christianæ in oriente & septentrione exitium redundabant:

Fûdi humanum cruorem.
Inde rem Christianam colligit.

28 Et insuper, vt literarum de vltramarinis & alijs longinquis partibus transmissarum lectione infesta, ac nuntiorum multorumque fidedignorum aliorum dolorosis relatibus percepimus, hostes fidei Christianæ, turbatam Christianitatem propter tuas & eiusdem Regis guerras exultantibus animis audientes, & ad eandem Christianitatem conculcandam & confundendam, præsertim in eisdem transmarinis & alijs eis vicinis partibus sibi tempus ad hoc opportunum, durantibus di-

Saracenos debacchari in fideles.

ctis guerris exiſtimantes adeſſe, faſtuoſam exinde aſſumunt audaciam;& ad inuadendum, opprimendũ,& offendendũ Chriſticolas & terras, quas Chriſtiani obtinẽt, ſicut Rex Marrochitanus Hiſpanias Turchi Romaniam & partes Chriſticolarum alias tranſmarinas, ſoldanus Armeniam, & Tartari Vngariæ & Poloniæ regna præſumptuoſius & audacius, terribilibus congregatis exercitibus, ſe diſponunt. Quæ quidem omnia,& alia inenarrabilia mala & periculoſa ſcandala, ex eiſdem guerris & diſſenſionibus tuis & Regis prædicti eidem Chriſtianitati prouentura, quaſi totus mundus tibi & Regi prædicto imputat & aſcribit.

Afros, Turcas, Tartaros, ingraueſcere.

Additæ blandæ preces.

Attendat itaque regia prouidentia diligentet, ſi pro vitandis tot & tantis malis, periculis, & ſcandalis, quibus merito irritatur Altiſsimus, & quodammodo derogatur nomini regio & honori, exinde depreſſa iuſtitia & tota Chriſtianitate concuſſa, eſſet flectendum cor regium ad dictæ pacis reformandam concordiam, vel ſaltem treugas ineundas. Eſt namque plurimum formidandum, quod dum via pacis rationabilis reſpuitur, Deus qui eſt pax vera, eamque diligit, & delectatur in viris pacificis, prouocatus exinde ſinat contra te dictumque Regem,& alios vtrique veſtrum adhærentes multiplicari tribulationes varias, & augeri, &c.] Rogat, vt ſe paci accommodet, populo Chriſtiano preces publicas ipſum ideo indixiſſe: mittere vero ad eum Guillelmum Amici, vt hæc altius viua voce in animo regio defigat. *Dat. Auin. VII. kal ſeptembris anno VI.* Propendebat ad pacem Philippus Rex tot cinctus periculis, quam vtinam antea, eum poterat, eſſet ſectatus: menſeque iunio Pontifici illius ineundæ deſiderium expoſuit a, vtque Ludouicus Bauarus interceſſorem ſe pro ea concilianda futurum polliceretur.

Philippus ad pacem inclinat.

a *Ext. eiꝰ lit. apud Ben. to. 6. ep. ſecr. 270.*

29 Non ita ſpectabat ad pacis conſilia Eduardus Rex Angliæ, quem Pontifex vt flecteret ſcriptis eodem, quas dabat ad Regem Francorum, argumento allatis ante a nobis literis, ingentia mala, quæ ipſius cauſa rei Chriſtianæ inuehebat diſcordia ob oculos poſuit b, vtque præter occidentis excidia, ob ipſius cum Rege Francorum exitialia diſsidia in Aſia Armeniam Babylonij, Græciam Turcæ inuaderent: Poloniæ & Vngariæ imminerent Tartari, Hiſpanias Marrochitani penetrarent: denique ad ea, quæ Vvillelmus e Norvvico decanus eccleſiæ Lincolnienſis capellanus pontificius ſacri palatij cauſarum auditor apoſtolico nomine expoſiturus eſſet, animum aduerteret. Hæc vero regio animo, vt ad pacem flecteretur, a Vvillelmo imprimi iuſsit.

Eduardus ab ea abhorret.

Repetitæ apud eũ preces.

b *Eod. to. 6 ep. ſecr. 294.*

Miſſus ad eum internuntius.

Credentia commiſſa per dominum Papam magiſtro Vvillelmo de Norvvico ſuper exponendis per eum Regi Angliæ: quam quidem credentiam idem dominus Papa per eundem magiſtrum Vvillelmum ſcribi mandauit, & fecit manu propria, & ſibi realiter aſſignari.

Monita Eduardo data.

Memoriale ſuper dicendis ex parte domini noſtri Papæ domino Regi Angliæ. Primo quod propter victorias, quas Dei gratia obtinuit mediante, non ſuperbiret, nec earum confidentia in pacis vijs vel tractatu recipiendis extraneum ſe redderet, vel difficilem: exemplo quorum vnus, decem ſeptem vicibus in bello ſuccumbens, decima octaua vice de inimicis ſuis finalem obtinuit victoriam: & alter duabus vicibus obtinuit, tertia vero vice cum toto ſuo ſuccubuit exercitu.

Læta exordiã triſti exitu claudi poſſe.

Infidos eſſe Flãdros qui comitem pepulere.

Secundo de perfidia gentis ſibi colligatæ, tam de Flandrenſibus, qui eũ dominum propriũ naturalem deceperint, multo magis eum, quem accidentaliter & momentanee receperunt in dominum, veriſimiliter deciperent in futurum. Nec multum ſe confidere habet de dominis Iuliacenſi, et Gueldrenſi comitibus, quod quaſi amore ſui iſtis ſe actibus exponerent pro eodem; quia magis, immo principaliter propter ſcandalum potionis, eiſdem per Regem Franciæ impoſitum, defenſionem ſuam propriam & peculiarem proſequi reputantur. De Alamannis etiam minus, qui ſemper conſueuerunt inſtabiles reputari. Aui etiam iſtius Eduardus bonus eorum inſtabilitatem vltimatæ ſuæ indigentiæ tempore experimento probauit.

Socios fidei defuturos.

30 *Tertio de potentia Regis Franciæ exceſſiua, qui licet decem bella in regno ſuo perdidiſſet, populum tamen in abundantia ad reſiſtendum cuique veriſimiliter recolligere poſſet: quod tamen in Rege Angliæ extra regnum ſuum, & in extraneorum manibus exiſtente, propriaque natione non ſtipato, difficile immo impoſſibile reputatur. Et hoc patet exemplo Regis cuiuſdam Angliæ, qui quondam infra regnum Franciæ plus habuit in redditibus, quam ipſe Rex Franciæ in regno proprio, & cum toto ſucceſſiue fuit expulſus. Et præſertim cum petitio dicti Regis Angliæ quoad regnum Franciæ, in quo nullum ius reputatur habere; ac quoad certos comitatus, in quibus centum annorum præſcriptione & vltra Reges Franciæ continue & quiete poſſeſſionem habuerunt, videatur iniuſta. Quare videtur, quod ducatu Vaſconiæ ſub forma, qua dominus Eduardus auus iſtius tenuit eundem, merito debeat contentari.*

Francorũ Regem præſtare viribus.

Domeſtica exempla memoret.

Iniuria Gallicum ſceptrum poſci.

Transigendum de Aquitano ducatu.

Quarto de timore Dei, quem ad memoriam ſemper reducere debet, in pectoris ſui ſcrinio reuoluendo proceſſus & cenſuras in & contra Bauarum factos & latas, quos per adhæſionem eiuſdem & aſſumptionem vicariatus imperij noſcitur incurriſſe: ſuper quibus dominus noſter præfatus eidem Regi tam exhortando quam monendo ſcripſit frequenter, & ſemel ſibi non vt filio, nec vt fideli eccleſiæ, ſed vt rebellibus & infidelibus adhærenti literas deſtinauit. Et præſertim propter incurſum hoſtium fidei Chriſtianæ, qui Chriſtianitatem vndique impugnare cœperunt, prout in literis domini noſtri ſpecifice continetur, ab iſtius guerræ continuatione deſiſtere iam deberet. Item in caſu, quo Rex diceret, merito ſe dubitare, ponere ſe in manibus domini noſtri; præſertim aſſiſtentibus ſibi dominis Cardinalibus, quorum maior pars & quaſi omnes de regno Franciæ ſunt oriundi, vel in perſonis proprijs vel in eorum nepotibus beneficiati, ac reddituoſi tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, & quorum pars magna publice partem faciunt contra eum in negocio, de quo agitur; haberem dicere beneuolentiam, quã dominus noſter habet ſpecialem ad perſonam domini Regis, & regnum; ac etiam quod in talibus negocijs, Romanam eccleſiam & eius patrimonium non concernentibus, Cardinalium conſilium requirere non conſueuit: & in hoc negocio, ſi in ſuis manibus poneretur, aliorum conſilium requirere non curaret.

Propoſitũ ſcelus ex Bauari fœdere.

Futurum ſe pacis arbitrum ſpondet Bened.

31 Cohortatus etiam eſt Pontifex ſapientes viros, ab vtroque Rege Eduardo et Philippo ad ſanctiora conſilia adhiberi ſolitos, vt eos ad concordiam ineundam impellerent: *Vniuerſitatem,* inquit c, *veſtram rogamus, requirimus, & in Domino exhortamur, quatenus habentes præ oculis ſolum Deum, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, ſuper tantis tamque periculoſis negotijs, ſtatum totius Chriſtianitatis, vt præfertur, concernentibus, eidem*

Monita ad Anglic. ſenatum.

c *Eod. to. 6 ep. ſecr. 295 296*

Regi, ac saluti, honoribus, & commodis suis; nec non Christianitati prædicta salubria, vtilia, & expedientia, cum bonis & rectis conscientiys credideritis, suadere ac consulere studeatis. Dat. Auin. viii. kal. septembris anno vi.

Induciæ ad Tornacū inductiæ. a ib. ep. 305.

32 Cum vtriusque Regis acies ad Tornacum accinctæ ad prælium essent a, nullo cruore fuso diremptæ sunt, vt similiter anno superiori Cameraco abscesserant, nullo commisso prælio. Perfunctos egregie suo munere apostolicos nuntios Guillelmum e Norvvico apud Eduardum, & Guillelmum Amici apud Philippum vtriusque Regis ostendunt literæ b; prosuitque admodum, vt Tornacensi consenescente bello, Ioanna Valesia sanctimonialis, Philippi Regis soror, apud Philippam Reginam Angliæ & Guillelmum filium comitem Hannoniæ pacis consilia promoueret: demum pactæ induciæ, solutaque Tornaci obsidio. Constitutum etiam inter Eduardi & Philippi Regum fœderatos fuerat, vt prope Tornacum pacis tractatus proximo a S. Martini festo die agitaretur: sed illum Eduardus receptis apostolicis literis, quibus propositis ingentibus malis, quæ bella traherent, quantaque exitia rei Christianæ, ni illa Deus auerteret, illatura essent, vrgebatur; ad sanciendas cum Rege Francorum inducias, mittendosque ad sedem Apostolicam oratores, vt vna cum alijs Philippi oratoribus conciliandæ pacis ratio iniretur, ad proxime recurrentem post festum purificatæ Deiparæ diem extrahi flagitauit; rescripsitque hæc c Pontifici, cuius arbitrio certis legibus permissam controuersiam, videbitur inferius.

b Ep. 302. 304.

Agitatū de pace.

c Ead. to. 6. ep. suc. 302.

Sanctissimo in Christo patri domino Benedicto diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Eduardus eiusdem gratia Rex Franciæ & Angliæ, & dominus Hiberniæ deuota pedum oscula beatorum.

33 Reuerenter & deuote recepimus sanctitatis vestræ literas [ac nonnullis interiectis, quibus Vvillelmū e Norvvico apostolicum internuntiū a se exceptum honorifice ait; hæc subijcit:] Et quidem, pater sanctissime, de tam pia visitatione vestra ac exuberante penes nos paterna beneuolentia nimium exultat deuotio filialis, laudes & gratias exsoluens propter hoc humiles & votiuas. Sed pungunt & amaricant interius mentem nostram mala quæ, sicut prædicitur, ex præsenti guerra prouenerunt, & præsertim quod terras Christianorum inuadere sic satagunt infideles, ad quorum repulsionem & insolentiam conterendam, si possemus, daremus operam libentissime, nouit Deus. Ad quod per Dei gratiam & vestri præsidium aspiramus; & ob hoc hactenus, quantum decuit, pacem quæsiuimus, & quærere voluimus cum effectu. Vnde cum nuper ante receptionem literarum vestrarum obsideremus ciuitatem Tornacensem, licet nobis arrideret expeditionis vberis spes propinqua; ad importunam tamen quorumdam instantiam sob spe tractatus pacis tolerauimus, quod inter alligaros nostros & alligatos partis aduersæ [Ioannem Regem Boemiæ cum duce Brabantiæ de pace colloquium inijsse referunt nonnulli d] capiebatur vna tregua, vsque ad festum natiuitatis S. Ioannis Baptistæ proxime futurum duratura: inter quos condictum extitit, vt in crastino instantis festi S. Martini episcopi prope Tornacum tractatus pacis haberetur; quem diem, receptis prædictis vestræ sanctitatis literis, prorogari fecimus vsque in diem dominicam proxime post festum purificationis B. Mariæ virginis, vt interim possemus vestram beatitudinem super intentione nostra & causæ nostræ iustitia plenius informare, & super ijs prouidum vestrum consilium, quod præ cæteris amplecti volumus, obtinere, &c. [Addit se oratores ob id ad sedem Apostolicam mittere, atque Pontifici ob nauatā pro liberando Nicolino e Flisco operam eximiam gratias agit. Denique subijcit:] Conseruet vos Altissimus ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ per tempora prospera & longæua. *Dat. apud Gandauum decimo die nouembris anno regni nostri Franciæ primo, regni vero nostri Angliæ quartodecimo.*

Eduardi circa te literæ.

d lou. Leyd. l. 28. c. 3.

34 Edendus hoc loco in lucem visus est libellus a, quem Eduardi oratores Pontifici porrexere, quo illius causæ æquitatem illustrare conati sunt, atque omnium bellorum originem in Philippum Regem transfundere tentarunt.

Postulata Eduardi. a Ext. apud Bened. to. 6. ep. secr. 114.

Hæc sunt in effectu, quæ dicta sunt vobis sanctissimo patri & domino per nos Vvillelmum de Norvvico decanum Lincolniensem, Ioannē de Offorde archidiaconum Eliensem, & Ioannem de Thoresby canonicum Sutvvellensem ex parte domini nostri Regis Angliæ illustris.

Sanctissime pater & domine. Vt beatitudo vestra de intentione dicti domini nostri Regis sincera & iusta, ac ad pacem rationabilem prona semper & parata, plenius informetur, aliquid est in facto referandum. Dominus Philippus, pro Rege Franciæ se nunc gerens, a tempore, quo regnum Franciæ primitus occupauit, verisimiliter æstimans, & merito, dictum dominum nostrum Regem ad regnum Franciæ suæ mentis oculos direxisse, vel velle saltem dirigere in futurum, visus fuit eum in Scotiæ partibus, Scotis realiter adhærendo & in ducatu Vasconiæ quamplurima vsurpando, adeo continue & fortiter occupare, quod circa recuperationem iurium suorum in Francia eidem intendere non vacaret. Et quia eidem in minori ætate constituto, iuris peritiam & agendorum experientiam non habente, propter insidias præsertim prædictas eidem, vt prædicitur, præparatas vsque ad tempora nouissima via non patuit iura sua quoad regnum suum Franciæ prædictum congrue prosequendi; idem dominus noster Rex, pacem desiderans & quietem, vias dicto domino Philippo obtulit infrascriptas pro sola recuperatione ducatus prædicti, & vt a subsidio Scotorum se totaliter amoueret. Primo videlicet maritagium filij sui primogeniti pro filia domini Philippi sine quacumque dote matrimonialiter copulanda. Secunda maritagium germanæ suæ, nunc dominæ Gelriæ pro filio dicti domini Philippi cum dote maxima & excessiua. Tertio maritagium germani sui domini comitis Cornubiæ pro quadam consanguinea sua. Quarto pro vexatione redimenda obtulit sibi vnam summam pecuniæ arbitrio dicti domini Philippi proprio moderandam. Quinto quia dictus dominus Philippus prætendebat, se velle in terra sancta subsidium transfretare; dictus dominus noster Rex ex magno zelo, quem semper habuit & habet ad sanctum passagium assumendum, obtulit se paratum passagium cum eo assumere supradictum, & Scotis treugas concedere competentes sub illa conditione finaliter, quod dictus dominus Philippus fideliter promitteret sibi, post reditum eorundem de ducatu sibi facere iustitiæ complementum. Sed ipse oblationes tam rationabiles, immo superrationabiles respuens & refutans, respondit se nihil velle facere quousque omnibus Scotis tam viuis quam heredibus mortuorum restitutionem plenam faceret de ijs, quæ suis temporibus in Scotia occupauit.

Queritur motum a sibi bellū a Phil.

Oblatam affinitatē respuisse.

Iuri se accommodare detrectasse.

nit. Et cum nuntij dicti domini nostri Regis respondissent, quod ad hoc nō habuerant potestatem, nec hoc credebant dictum dominum Regem facere velle; respondit dominus Philippus per hac verba: Nunquam bene erit, quousque vnus fuerit Rex vtriusque regni tam Francia quam Anglia. Ista publice prædicauit dominus archiepiscopus Cantuariensis Londonijs in prælatorum, comitum, baronum, & aliorum multitudine copiosa.

Anglicũ sceptrum affectasse.

35 *Audiens hac dominus noster Rex, ad discretionis annos iam perueniens, conuocari fecit parlamentum, in quo de consilio & assensu omnium prælatorum, comitum, baronum, & aliorum nobilium & popularium ibidem præsentium, & præsertim dicti domini Cantuariensis ad hoc specialiter instantis, extitit ordinatum, quod cum pacem per humilitatis viam obtinere non potuit, & ex sententia & decisione doctorum & aduocatorum tam Romana curia, quam studiorum Parisiensis & Oxoniensis & aliorum, nec non prælatorum omnium regni Anglia peritiorum & famosiorum, cum quibus ius suum fecerat solicite disputari, regnum Francia prædictum per mortem claræ memoria domini Caroli vltimi Regis Francia auunculi sui ad eum vt proximum heredem masculum iure successorio erat legitime deuolutum, ius suum prædictum etiam in manu forti curaret prosequi cum effectu. Et vt hoc securius & secretius facere posset, iurati ad hoc fuerunt domini Cantuariensis, Lincolniensis, Londoniensis, Saresberiensis, Lichefeldensis, & alij multi prælati, comites, barones, & alij nobiles maiores regni super crucem domini archiepiscopi Cantuariensis prædicti.*

Decretũ in Angl. senatu, ius armis petendum.

36 *Insuper inter alia extitit ordinatum, quod alligationes fierent in Alemannia iam facta, & quod dominus episcopus Lincolniensis, associatis sibi quibusdam nobilibus de Anglia, minister constitueretur ad perficiendum alligationes prædictas: qui ex ordinatione parlamenti prædicti, & dicti domini Regis præcepto dictum ministerium sic necessitatus admisit, & ad effectum perduxit. Quibus factis, dominus noster Rex, consilium secuturus prædictum, mare transiuit, & aliquas regni Francia partes cum suo & quorumdam alligatorum exercitu deuastauit. Instante postmodum tempore hyemali, dictus dominus noster Rex in Angliam reuersus audiuit, quod in mari maxima nauium multitudo adfuit & suorum inuasionem celerem parabatur. Qui de consilio suorum, sibi pro tunc assistentium, & principaliter domini Cantuariensis prædicti, subito se parauit ad purgandum mare, & ad transeundum se exposuit absque prouisione pecunia vel equorum, sub confidentia principaliter dicti domini Cantuariensis, qui infra certos & paucos dies pecuniam sibi sufficientem promiserat destinare: & mare transiens, inimicos suos inuenit in mari iuxta portum, quo proposuit applicare, & eam quam dedit sibi Deus obtinuit victoriam.*

Ineundũ cum Germanis fœdus.

Paratas mari sibi insidias.

Partam nauale victoriam

Qui postmodum, terram ascendens sub confidentia promissionis prædicta cum armatorum maxima multitudine, ciuitatem Tornacensem obsedit, ibidemque remanens longæuo tempore omni pecunia subsidio destitutus: licet ad multorum instantiam importunam, veraciter tamen sola pecunia frustratione coactus, treugis consenserat ineundis, in summo sic periculo & extremo necessitatis articulo constitutus, cum nullum denarium toto obsidionis tempore, vt dixit, ab Anglia recepisset. Et vltra suum contra dictum dominum archiepiscopum conceptum aperiens, dixit hac verba: Vere credo quod archiepiscopus voluit, quod propter defectum pecunia perditus fuissem & interfectus, & vlterius dixit mihi seorsum de vxore mea, & econtra talio dixit vxori mea seorsum de me, propter qua, si fuisset exauditus, ad tantam nos iram mutuam prouocasset, quod perpetua inter nos fuisset diuisio. Vere pater sancte dominus Rex omnia ista, dominum archiepiscopum tangentia, sæpissime mihi Vuillelmo de Noruuica tam ad partem quam coram alijs de consilio suo reduxit ad memoriam, & firmiter iniunxit sub iuramento, quod ea vestra sanctitati plene & fideliter recitarem. Ista, pater sanctissime, videlicet quod propter defectum pecunia dominus Rex treugis consenserat ineundis, & ea qua dominum archiepiscopum tangunt, si placet, teneantur secreta: catera omnia poterunt propalari.

Ob exhaustum ærarium assensisse induciis.

37 Porrectus etiam tum videtur ab ijsdem oratoribus Pontifici alter libellus a a nobis superius aptiore loco indicatus, quo probare nitebantur, regnum Francorum iure hereditario ad Eduardum spectare; quo vero illius consilia vergerent, his verbis expresserunt: *Sanctissime pater & domine. Vt specialiter & nude vestra clementia suam aperiat voluntatem, vestra significat sanctitati, quod prosequitur, & intendit prosequi totum regnum Francia tanquam sibi iure successorio legitime debitum & delatum: ob reuerentiam tamen vestram & Apostolica sedis, & propter discrimina vitanda, qua ex continuatione guerrarum poterunt verisimiliter prouenire, paratus est tractare de pace, & bona paci consentire; dum tamen in tractatu pacis facienda habeatur consideratio ad ius sibi competens in regno prædicto, & non solum ad ducatum, quia solo ducatu toto, & etiam ab omni seruitio & subiectione cuiuscumque libero, non intendit contentari. Insuper quia sanctitas vestra ad reformationem pacis summe soliciti per literas suas paratam se obtulit apud Apostolicam sedem in persona propria si partium nuntij propter hoc ad curiam destinentur vel per alios, prout honeste & commode fieri poterit, laborare; dominus noster Rex ex magna confidentia & reuerentia deuota consensit, quod hoc sit in electione sanctitatis vestra.* Durissima hæc erant Eduardi Regis postulata, neque vlla muniri via concordiæ videbatur: immo ijs auditis magis Philippum Regem inflammatum iri ad bellum, expectandum erat: atque ideo monuit Anglum Benedictus b, vt petitis modum poneret. Ab his enim Eduardo concedendis adeo Francorum Rex abhorrebat, vt cum regijs literis Benedictum pacis crearet interpretem c, illius arbitrio tantum permitteret, vt de ijs terris Aquitaniæ, quæ a Carolo Valesio parente Caroli IV. Regis temporibus bello partæ erant, cum Eduardus II. acceptam Gallicæ aulæ Aquitaniam solemni ritu sacramento referre detrectabat, ob quas retentas primas dissensionis inter Eduardum & Philippum causas fluxisse vidimus; vel ab ipso Philippo in hoc extremo bello armorum vi comparatæ erant restituendis Anglo pronuntiaret.

a Ext. sad pag. 114.

Non Aquitania modo, sed & alia expetita.

b Eod. to. 6 ep. secr. 303.

Monitus Anglus, vt petitis modum ponat.

c Ext. eius lit. apud Bened. ib. ep. 304.

Sanctissimo Patri in Domino Benedicto, diuina prouidentia sacrosancta Romana ac vniuersalis ecclesia summo Pontifici.

38 Sanctissime pater. Pridem per vos cum quibusdam vestræ sanctitatis literis ad nos missus vir venerabilis & discretus magister Guillelmus Amici auditor sacri palatij ex parte vestra multum secrete nobis exposuit viua voce, quod propter bonum pacis & affectionem sinceram, quam ad nos regnumque nostrum habetis, onus in vos libenter susciperetis, dum tamen nobis

N 2 pla-

placeret, pacificandi discordias inter nos & Regem Angliæ suscitaras, in quantum terras & loca per charissimum dominum & genitorem nostrum Regis Caroli tempore, ac pro ipso & postmodum per nos in Vascouiæ partibus acquisita tangere dignoscuntur. Super quibus vestram scire volumus sanctitatem, quod licet ad nos dumtaxat ratione nostræ superioritatis, quam per certas conuentiones pertineat cognitio de præmissis; nihilominus propter honorem & reuerentiā vestræ beatitudinis, & ob ingentem confidentiam, quam de vobis sēper habuimus & habemus, placebit nobis, quod vos vt priuata persona de & super prædictis per viam amicabilem & rationis, prout vobis bonum & expediens videbitur, cognoscere ac ordinare possitis; dum tamen ante omnia præfatus Rex Angliæ nomen Regis Franciæ, quod vsurpariue noscitur assumpsisse, ac sigillum de armis Franciæ, quo per tempus aliquod vsus est indebite, & adhuc vti nititur, omnino dimittat, ac eis renuntiet totaliter cum effectu. Personam vestram sanctissimam conseruet Altissimus ecclesiæ suæ sanctæ regimini feliciter, vt optamus. *Dat. apud S. Audoœnum prope S. Dionysium in Francia die* XXVII. *octobris, Deuotus filius vester Rex Franciæ.*

Philipp. de Aquitanis terris tantū compromittit.

39 Perspectis vtriusque Regis consilijs, Pontifex iusti fœderis ineundi rationem non explicari rescripsit a Philippo; cum tamen ipsius & Eduardi oratores proximis a celebrato purificatæ Virginis festo diebus pro tractanda pace conuenire apud sedem Apostolicam deberent; suam operam, si aduersæ partes assensissent, adhibiturum: quod ad eam legem a Philippo adiectam spectaret, vt prius Anglorum Rex Gallica insignia & nomen abijceret, antequam de Aquitaniæ terris illi vel Eduardo II. ereptis restituendis quidquam constitueret sedes Apostolica; subdidit, eam ab Anglo nunquam admittendam: *Quamquam*, inquit, *cum prædictis missis per Regem præfatum Anglorum super dimissione illius nominis & sigilli de armis Franciæ collocuti fuerimus, & eis quæ nobis videbantur expedientia circa hæc duxerimus explicando, reperire tamen non possumus nec sentire cum ipsis, quod Rex ipse ante tractatum pacis quoquo modo dimitteret supradicta.*

a To. 6. ep. secr. 305.

Conuenirūt apud Pont. Regum oratores.

Instat Philip. vt Anglus insignia Gallica abijciat.

Ne tamen Philippus ob id a tractanda pace discederet, vtque illi accommodaret animum, Pontifex ipsum obsecrauit; atque inter grauissimas rationes hanc subiecit: *Ponens nihilominus ante oculos mentis tuæ, quod licet superna benignitas offensas prædictas hactenus dissimulauerit patienter sibique Christianorum effusionem sanguinis non placere his tuis & Regis prædicti actibus, vt nosti, de propinquo dispositis ad bellandum ostenderit manifeste; verendum tamen est, & multipliciter formidandum, quod si vlterius prouocaretur similibus, sua non quiesceret indignatio, quin aduersus illum vel illos, qui horum causa essent, terribilis & forsan irreparabilis vindictæ vltionem, cum eius sint occulta iudicia exerceret, &c.* Denique vt Philippum ad pacem cum Anglo & bella Domini gerenda accenderet, de Rege Marrochitano atque alijs Africanis Regibus, qui traiecerant in Hispanias, a Castellano & Lusitano Regibus magna gloria debellatis certiorem fecit. *Dat.* XII. *kal. ianuarij anno* VI.

Monetur ne periculo se exponat exercitū.

40 Historiam aggressuri clarissimæ victoriæ, in qua maxima infidelium multitudo, pugnante pro ecclesia Christo, cæsa est, quæ præcesserint, ad eius perspicuitatem præmittimus. Nuntio de accepta superiori anno clade efferatus Mauritaniæ Rex, hoc ineunte maximos apparatus bellicos ad inuadendas Hispanias instruxit. Quo afflatus rumore Alfonsus Castellæ Rex, missis oratoribus, auxilia a sede Apostolica expetijt. Neque illi defuit Pontifex, indixit enim religiosam in Mauros expeditionem: Conchensi & Abulensi episcopis prouinciam dedit a, vt Christi fideles pro concione ad arma sacra corripienda concitandos, crucisque symbolo insigniendos curarent: imperatæ b ecclesiasticis ad sumptus bellicos sustentandos decumæ triennales; ac propositæ castra secuturis, vel stipem erogaturis indulgentiæ. De quibus Alfonsus Rex factus certior hisce literis c, vicissimque ad condendas in comparandis ab hoste locis ecclesias obstrictus.

Petita a Castellano contra Mauros subsidia.

a An. 6. ep. com. 17.

b Ib. ep. com. 15.

c Id. ib. ep. 14.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ & Legionis illustri salutem.

Exultamus in te, fili charissime, nos & Romana ecclesia mater tua, quod Rege Regum & domino exercituum mētem tuam in actus deuotos & strenuos salubriter dirigente, contra crucis hostes perfidos, videlicet Agarenos, ad exaltationem & defensionem catholicæ fidei velut Christi miles intrepidus, & eius prælij promptus & subsidiarius præliator, sic te hactenus murum opportunæ defensionis opponere studuisti, quod, dante Domino tibi & gentibus tuis virtutem, de Agarenis ipsis feliciter triumphasti, multis ex eis, qui ad Christianorum interitum furentis propositi armauerant voluntatem, vna cum infante nato profani & blasphemi Regis de Benamarin in ore gladij Dei digno iudicio interemptis: de quorum internecione idem Rex blasphemus, & maxime propter necem eiusdem infantis nati sui adeo in profanæ impietatis rabiem dicitur exarsisse, quod sicut publicis fidedignorum fertur relatibus, omnino citra mare ad partes Hispaniæ transire proponens, innumerosam Agarenorum multitudinem congregat, & ad quascumque ciuitates & portus, in quibus credit inuenire nauigia, nuntios suos cum multis pecunijs, in quibus plurimum dicitur abundare, pro habendis dictis nauigijs ad transitum suum necessarijs destinauit, ad perficiendum huiusmodi nequam propositi sui votum potentiæ suæ vires accelerans quantū potest.

De Mauritani Regis filio in acie cæso.

Quare tu prudenter attendens, quod ad obuiandum moliminibus eiusdem Regis blasphemi, & omnium Agarenorum, in magna potentia citra mare transire volentium cum eodem, toti Christianitati expedire dignoscitur, vt quamcitius fieri potest adhibeatur per opportunæ diligentiæ & solicitudinis studium, & promptæ suffragationis auxilium in necessarijs nauibus & galeis, ac alijs nauigijs armatis decenti, & ad hoc apta classe fidelium remedia opportuna; nobis per dilectos filios nobiles viros Ioannem Martini de Leyna & Petrum Didaci de Corduba milites speciales nuntios, ambassiatores, & procuratores tuos, ad præsentiam nostram propterea specialiter destinatos, humiliter supplicasti, vt tibi, qui velut catholicus princeps, & feruidum zelum gerens, pro defensione fidei Christianæ ad obuiandum potenter dictorum Agarenorum congressibus peregisti hactenus, et continue peragis circa hoc quod status et possibilitas tui requirunt, cum contra tantam multitudinem et potentiam Agarenorum, quam idem Rex blasphemus cum alijs Regibus Agarenis crucis hostibus continue congregare non desinit, non credas posse sufficere

Illius necem vlcisci parant Afri.

Contra eos se apparat Alfonsus.

Legatos ad Pont. decernit.

Quæ ab ijs fuerint proposita.

per

per te ipsum, prouidere tibi de infrascriptis subsidijs dignaremur.

41 Quamuis igitur ecclesijs et personis ecclesiasticis regnorum et terrarum tuorum prædictorum paterno compatiamur affectu, ac inuite ipsis grauamina imponamus; attendentes tamen vrgentem et probabilem supplicationis huiusmodi causam, et præsuppositę necessitatis instantiam, votis tuis super præmissis eo libentius annuendum fore prouidimus, quo illa apostolici fauoris fulcienda, et iuuanda præsidijs magis vtile et expediens existimamus. Præmissis itaque attenta consideratione pensatis, ac deliberatione super ijs cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus præhabita diligenti, sub infrascriptis promissionibus et obligationibus dictorū procuratorum et nuntiorum tuorum per eos factis, ac moderationibus nostris per dictos procuratores acceptatis, et iuramento, quod in tuam animam præstiterunt, vallatis supplicationes tuas huiusmodi ad exauditionis gratiam duximus admittendas. Prædicationem siquidem crucis in omnibus regnis, comitatibus, atque terris tam tuo quam etiam charissimi in Christo filij nostri Aragonum Regis illustris, dominijs et ditioni subiectis, nec non in regnis Nauarræ et Maioricarum per certos archiepiscopos et episcopos in literis nostris super hoc directis eisdem nominatim expressos, et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares ad id idoneas, per eosdem archiepiscopos et episcopos deputandas, tam contra dictum Regem de Benamarin, et quoscumque alios crucis hostes sequaces ipsius, quam contra Regem Granatæ cæterosque blasphemos, obsequentes eidem, siue ipsos Reges blasphemos contra te et regna, seu terras tua siue te, non solum regna & terras tua prædicta defendendo; sed etiam regna & terras eorum inuadendo seu impugnando, guerram mouere contigerit contra eos, fieri concedimus pro triennali tempore infrascripto; ita quod in dictis regnis & terris ac dominijs dictorum Regū catholicorum proponatur solemniter verbum crucis, & inibi venerabile signum eius tuis & aliorum fidelium in regnis, comitatibus, terris, & dominijs prædictis consistentium, vel illuc vndecumque confluentium, illam deuote suscipere volentium, humeris per eos, qui ibidem proponent verbum huiusmodi affigatur; vt prædictum negotium contra præfatos Reges blasphemos & sequaces eorum, viuificæ crucis muniti signaculo, te dictum negotium assumente, feruenter assumant, teque illud prosequēte, viriliter prosequantur [Pluribusque interiectis de subsidiario decumano auro, in bellicos sumptus ex sacerdotiorum vectigalibus redigendo, adiectæ a Pontifice hæ pactiones].

Indicta a Pont. etiā ceata militia.

Distingui iussi crucis signo milites.

Attributæ decumæ.

42 Vt autem huiusmodi negotium siue circa defensionem regnorum & terrarum tuorum, siue circa impugnationem crucis hostium prædictorum, tam per mare quam per terram felicius & securius, Deo tibi assistente propitio, prosperetur, huiusmodi ordinationis nostræ terminos non excedas; sed illos diligenter obseruans, ad Dei gloriam & exaltationem fidei dictorum crucis hostium impugnationi diligēter inuigiles, & solerter intendas, cum ipsi fidem catholicam & terras fidelium, potissime in ipsorum frontarijs constitutas, ac personas Christianorum non desinant impugnare, Christianos ipsos capiendo, suæque ditioni subdendo, ipsosque tam mares quam feminas & paruulos filios & filias eorundem engendo fidem catholicam abnegare, & nonnulla alia nefanda in eosdem catholicos committendo. In terris quoque, castris & locis in dicto regno Granatæ & alijs terris, per dictos Agarenos detentis, tam per te forsitan acquisitis, quam quæ diuina tibi suffragante virtute acquiri contigerit in futurum, construi & ædificari volumus ecclesias, seculares videlicet cathedrales secundum mandatum & ordinationem nostram & successorum nostrorum vel aliorum, quibus nos vel dicti successores ad id duxerimus vel duxerint committendum, considerata aptitudine, conditione, qualitate, & dignitate locorum, in quibus fuerint huiusmodi ecclesiæ ordinandæ. In quibus etiam de mandato nostro seu dictorum successorum ponentur & instituentur personæ ecclesiasticæ seculares, per quas in eis diuina celebrentur officia, & ministrentur habitatoribus ipsorum locorum catholicis ecclesiastica sacramenta. Collegiatæ vero & aliæ inferiores ecclesiæ a cathedralibus fundari possint de mandato prælatorū & aliorum catholicorū, quibus hoc de iure competit vel cōpetet in futurum: ac similiter institutio seu ordinatio personarum ecclesiasticarum, quas, vt prædicitur, seculares esse volumus, in eisdem collegiatis & alijs inferioribus ecclesijs ponendarum, possit fieri per eosdem, quibus competit id de iure, saluo iure patronatus tui, quod ius intelligi volumus illud esse, quod tibi iura cōmunia canonica in casu, de quo agitur, seu agetur, præstiterint. [Reperta etiam ea pactio, alias cum ipso Castellæ Rege & Aragone inita, vt in locis de hostepartis, in quibus Mauri permissi Christianis versarentur, non permitterentur peregrinationes ad Mecham iniri, vel alta voce perfidi Machmeti nomen proclamari. Adiectum demum de ecclesijs, ad sustentandos sacerdotes vectigalibus locupletandis].

Quibus pactionib' Alfonsus obstrictus.

Coercendæ excursiones Maurorū.

Excitandæ ecclesiæ in locis hosti ereptis.

Mahumetici ritus palam nō permittēdi.

43 Et quia spiritualia diu sine temporalibus non subsistunt, ac iustum est, qui altari seruit viuere debeat de altari, & iuxta verbum Apostoli mirum esse non debet, si temporalia metant ij, a quibus spiritualia seminantur; volumus quod pro bonis & rebus in dictis regno Granatæ & terris per dictos Agarenos detentis, per catholicos forsan, vt præmittitur, acquisitis vel in posterum, concedente Domino, acquirendis decimas & primitias ecclesijs & personis ecclesiasticis instituendis ibidem, cum super hoc per eos fueris requisitus, facias cum integritate persolui, secundum quod iura ad id te astringere dignoscuntur: & nihilominus libertas & immunitas ecclesiastica in ciuitatibus, castris, terris, & locis acquisitis, & quæ acquiri contigerit in regno & terris prædictis, eisdem ecclesijs & personis ecclesiasticis & alijs plene & libere seruabitur iuxta canonicas sanctiones. Volumus insuper, quod processus nostri & sententiæ excommunicationis & interdicti per nos, vt præmittitur, in personam tuam & ciuitates & loca prædicta latæ & præmissorum occasione ferendæ, per aliqua verba dicti procuratorij tui nullatenus restringantur; sed in sua firmitate consistant ita, quod si eas incurrere te contingat, tamdiu in persona tua ac ciuitatibus & locis prædictis eas habere decernimus roboris firmitatem, donec congrua satisfactione præmissa, dictas sententias de nostro & successorum nostrorum speciali mandato contigerit specialiter relaxari, &c. *Dat. Auin. non. martij anno vi.*

Decumæ in compārandis bel lo agris soluendæ sacerdotibus.

Cautum libertati ecclesiasticæ.

a Mariā. l. 16. c. 7. Sur. l. 7. c. 53.

Apparatus in Hispaniam expeditio.

44 Non frustra denuntiatus barbarici apparatus terror: Albohacenus a enim Marrochi-

tanus Rex, Abomelici filij cæsi in bello Hispanico necem vlturus, Septæ, Bugiæ, Tunetis Regum, soldanique Babylonij copijs auctus, comparata ingenti classe, exercitus partem traiecerat in Algeziræ portum appetente vere; cum apud Castellæ Regem Alfonsum Goffredus Tenorius regiæ classis præfectus in odium adductus est, & inertiæ accusatus, qui barbaros in Gaditano freto traiectu non arcuisset. Lacessitus ea iniuria Tenorius vniuersam barbarorum classem bello adoriri constituit [a], perijtque accepta insigni clade [b] paulo ante dominicam palmarum: quinque tantum triremes fuga Tariffam euasere [c]; meminit de amissa Regis Castellæ classe mense aprili Ioannes Villanus [d], quam tempestate laniatam ait adeo, vt vigintiquatuor triremes ex octoginta ad terram fuerint vi ventorum & maris illisæ: potuitque in ipso certaminis æstu classis procella discerpi, quem casum Pontifex in literis ad Regem Castellæ consolatorijs non obscure innuere videtur [e]. Nec felicius res Gilaberto Aragoniæ classis præfecto successit [f], quo in Algeziræ litore telo confosso in pugna tumultuaria: classis dissipata abscessit: barbari totis mensibus quinque ex Africa in Hispanias traiecere. Reficere naualem exercitum enisus est Alfonsus: Lusitani & Aragonij ad coniungendas vires solicitati [g]: exorati Genuenses, vt triremes regijs stipendijs conductas submitterent: eaque in re adhibita auctoritas Pontificis, qui vt facilem se in iuuando Rege Castellæ præbuit, ita ipsum ad permulcendas diuinas iras, quas impudicis adulteræ Gusmaniæ amoribus, iniustoq; magistri Alcantaræ ordinis supplicio in se concitarat, permouit [h]: monuitque vt opprimerentur interdum ob scelera principum populi; vincendum prius hostem, qui lateret in pectore, vt felicius de externo triumpharet; neue ex accepta nauali clade demitteret animum, sed more maiorum fortius in cœptum cum barbaris bellum incumberet.

[a] Id. ib.
Victoria naualis relata a barbaris.
[b] To. 6. ep. secr. 104.
[c] Marian. super cap.
[d] Io. Vill. l. 11. c. 132.
[e] To. 6. ep. secr. 104.
Classis Aragonia dissipata.
[f] Sur. l. 7. c. 53.
[g] Marian. vbi sup.
Genuenses rogati vt ferrent Hispanis opem.
[h] To. 6 ep. secr. 104.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

45 Casus ille sinister, quem pridem gentibus tuis, fili charissime, fidelibus cum perfidis Saracenis in mari Marrochitano pugnantibus, mœstia audiuimus relatibus contigisse, turbauit sicut creditur & concussit (super quo tibi paterno more compatimur) non immerito mentem tuam. Sane quia talē & tantum principem, tantæ virtutis, fortitudinis, & constantiæ decet esse, vt non eleuetur in prosperis, nec concidat etiam in aduersis; excellentiam rogamus regiam, & in Domino exhortamur, quatenus ad illum, a quo est omnis potestas, quique confidentes de sua misericordia non deserit, sed sustentat potius & exaltat, dirigens similiter vota tua, non demittendo propter huiusmodi casum, sed exaltando potius animum regium, magnanimior & robustior appareas & consistas, ac iugiter, præsertim cum Dei prosequaris negotium, confortetis. Equidem si gesta claræ memoriæ progenitorum tuorum laudabilia, qui pro defensione ac dilatatione fidei Catholicæ nec laboribus, nec expensarum profluuijs, nec demum effusioni pepercerunt proprij sanguinis, ante conspectum posueris mentis tuæ, nihil prorsus tibi graue reddetur circa prosecutionem operis Dei, quod inhærendo eorum vestigijs laudabiliter & commendabiliter incœpisti. Age igitur, fili dilectissime, viriliter & potenter, vt tibi assistente dextera diuinæ potentiæ, opus cœptum continues & perficias ad laudem Dei, & augumentum tui nominis & honoris.

Monita Regi Castellæ data.
Maiorum exempla proposita.

Optaremus tamen te attendere diligenter, quod proficiscenti ad bella principi multum inter cætera noscitur expedire, vt pacem in domo propriæ conscientiæ studeat stabilire, ne pugna lacessitus domestica, minus ab hostibus timeatur. Inter omnia sane prælia, illud magis est intimum, & dici debet rectius intestinum, quod sub Dei solius oculis in conscientiæ sinu geritur, & quietem animi nunc rodendo, nunc concutiendo, nunc lacerando, & prosternendo quandoque deijcit, vel perturbat.

Consilium dandum diuinam gratiam.

46 Ideo, fili amantissime, considera quæsumus diligenter, quid in domo conscientiæ tuæ agitur, & si ratione illius concubinæ, cui in tuæ salutis & famæ dispendium diutius adhæsisti; ac nihilominus, quod in illum quondam .. magistrum domus de Alcantara, personam vtique religiosam & ecclesiasticam, manus violentas vsque ad extinctionem vitæ illius super terram, non sine magno sententiarum latarum a canone periculo, per te vel alios extendisti; bella in domo tuæ conscientiæ moueantur, vel moueri debeant intestina voluens & reuoluens intra regij claustra pectoris diligenter, mulierem ipsam a cohabitatione tua corrigendo & mutando in melius amodo vitam tuam, remoueas & ad obtinendum absolutionis beneficium a dictis sententijs te disponas: sicque pace in tua conscientia firmiter & salubriter stabilita, teque accepto apud Deum, per quem regnas & regeris reddito, securius inire bellum poteris contra hostes.

Expianda crimina.

Et quia, sacra scriptura testante, quandoque propter peccata Regum punitur populus, ex tunc de peccatis prædictis, dum ab illis mundatus & liberatus fueris, non habebis quod te vel dictum populum periculis subijciant formidare, nec labores tuos ab æterni retributione præmij vacuabunt. Hæc autem tibi, fili prædilectissime, quem portamus in visceribus charitatis, paternis & charitatiuis monitis, sicut alias persuasisse meminimus, adhuc eo affectuosius, quo sæpius suademus. Porro receptis benigne nuper magnificentiæ tuæ literis, & contentis in eis diligentius intellectis, super habendis, conducendis, armandis, & muniendis galeis, & etiam falsis Christianis & impijs de Ianua, qui Saracenis adhærere dicuntur, contra te abinde retrahendis, dilectis filijs .. defensori, communi, & populo ciuitatis Ianuensis per literas scripsimus opportunas. *Dat. Auin. xi. kal. iulij anno vi.*

Futurum pœnitenti Deū propitium.

47 Extant eæ literæ [a] in pontificio regesto ad Alfonsi Regis gratiam ad Simonem Buccanigram ducē datæ, in quibus proposita hæc ratio: *Considerantes*, inquit, *attente, quod per mare illud Hispaniæ vasis naualibus Christianis deficientibus panderetur, quod absit, liber transitus Saracenis, fidelibus & fidei catholicæ imminentia pericula prouenirent.* Nonnullisque interiectis Simonem ac Genuenses hortatur, vt impios homines, qui Saracenis aduersus Christianos operam locare non perhorrescunt, comprimant, diramque infamiæ labem a suo nomine abstergant: *Cum sicut alias*, inquit, *vobis scripsisse meminimus, vox sonit horribilis & insonuerit hactenus, vos & ciuitatem vestram (licet ab ijs fitis quantum ad vos innocentes, vt credimus) infamia grauis respergens, quod aliqui subditi vestri, se constituentes falsos & impios Christianos, assistunt,* nimirum Saracenis, *arma, vasa naualia & alia, cum quibus Christianos ipsos impugnant, ministrantes eisdem, & se ad stipendia ponentes eorum, crude-*

[a] To. 6. ep. secr. 103.
Obiurgati operam apud Afros locantes.

delint quam Saraceni Christianos ipsos inuadunt, grauius & offendunt, quod in diuinæ maiestatis cedit contumeliam, Christiani nominis opprobrium, ac honoris & famæ dispendium, si est ita, &c. Dat. Auin. xIII. kal. maij anno vI. Et quidem diuinæ vindictæ datum est a, cum insequenti anno kal. ianuarij portus Veneris incendio conflagrasset, grassantibus tanto furore flammis, vt domos omnes, in quibus innumeræ opes erant, absumpserint: at eæ malis artibus erant quæsitæ, ij enim piraticam omnes exercebant, vel piratas fouebant.

Portus Veneris incendio consumptus. a Io. Vill. l. 11. c. 120.

48. Assensit pontificijs precibus monitisque Simon, ac triremes quindecim egregie instructas regijs sumptibus Alfonso submisit b. Florebant ea tempestate rei maritimæ gloria Genuenses, quos hoc anno in Ponto Euxino centum quinquaginta maioris seu minoris aluei naues Cerabis Synopensis profligasse refert Ioannes Villanus c, cæsis barbarorum sex millibus mersisue. Sed ad res Hispanicas redimus. Coniunxit d primum duodecim triremes cum aliquot nauibus Aragonius Perro Moncada præfecto, ac deinde alias septem adornauit: ita cum alijs Castellæ & Lusitaniæ Regum naualibus copijs maritima res redintegrata e. Exercuerant ante ij Reges gener socerque grauissimas simultates, ad quos, vt diximus, conciliandos Pontifex Bertrandum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem miserat f; iurgia vero leuiora imminentis belli barbarici grauissimus terror diremit. Rex Castellæ a petitis abscessit, Mariam Reginam vxorem ad parentem Lusitanum, vt eum leniret, transmisit g, ac postea cum socero ad Iutameuiam oppidum in Anæ ripa colloquium inije: dimisit Constantiam Emanuelis filiam ad Petrum Lusitaniæ principem tercentorum millium aureorum dote constituta; atque inter eos nuptiæ mox regio apparatu celebratæ. De qua firmata feliciter Lusitanum inter & Castellanum pace, mutuisque positis odijs Pontifex extremo anno Regem Francorum certiorem fecit h.

b Marian. l. 16. c. 7. c Io. Vill. l. 11. c. 126. d Bizar. l. 6. Aug. Iust. l. 4. Instaurata Christiana classis. d Sur. l. 7. c. 53. e Marian. super cap. f To. 6. ep. secr. 87. g Marian. super c. 7. Firmata inter Lusitan. & Castellan. fœdera. h To. 6 ep. secr. 305.

Cæterum vt conuerti facilius possent in hostem communem omnium Hispanorum fidelium arma, Pontifex ad diuinum implorandum præsidium archiepiscopos & episcopos Hispaniarum solemnes supplicationes, instructa religiosa pompa, celebrare iussit i, monereque populos, vt diuinas iras precibus auerterent, abstergerent lachrymis scelera, vt placatus Deus infidelium fastum contunderet, optatamque victoriam suis tribueret.

i Ib. ep. sec. 273. Indictæ solemnes supplicationes.

Benedictus, &c. venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Toletano eiusque suffraganeis.

49 Cum sicut habet rumor implacidus, & infestus, hostis ille profanus, Rex Marrochitanus videlicet, ad inuasionem, oppressionem, deuastationem, & occupationem partium Hispaniarum, & fidelium in eis degentium, extirpationemque cultus catholicæ fidei ac nominis Christiani aspirans, ex eo ad suos nefandissimos, nequissimos, & damnatos conceptus huiusmodi producendos, quod absit, in partum maiorem assumat audaciam, & ad id præsumptuosius cum suis nequam sequacibus se disponas, quia charissimorum in Christo filiorum nostrorum Regum Hispaniarum illustrium, vel aliquorum ex eis, ac nonnullorum aliorum magnatum & potentum earundem partium corda sentit discordia, & voluntates disiunctas; nos attendentes, quod licet super eorum reformanda concordia per nos & sedem Apostolicam laboratum alias multipliciter extiterit, sicut nostis, obsistente tamen hostis antiqui cunctorum malorum incentoris malitia, & etiam propter peccata grauia, quæ in diuinam offensam, & salutaris ecclesiasticæ disciplinæ contemptum, in illis partibus nimis impudenter vt asseritur committuntur, multiplicatis aduersantibus, attingi plene non potuit ad fructus pacis & concordiæ peroptatæ. Sperantes igitur in eo, qui cor contritum & humiliatum non despicit, sed propter pœnitentiam hominum peccata dissimulat & dimittit, iram indignationis in lenitatem & mansuetudinem misericordiæ conuertendo, quod si peccatores digne pœniteant, diuinæ propitiationis clementiam humiliter implorantes miserator & misericors Dominus, qui iustorum preces clementer exaudit, pacem reddet fidelibus, dabit eis robur virtutis & constantiæ, & ab aduersitatibus proteget & defendet; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus considerantes attente, quod hæc ad solicitudinem spectant vestri pontificalis officij, & in districto examine iudicij exinde ratio exigetur a vobis, officij debitum huiusmodi diligentibus & sedulis studijs exercentes, ad peccata diluenda, & faciendum dignos fructus pœnitentiæ, commissos vobis populos & subditos, per vos & personas ecclesiasticas, religiosas & seculares vestrarum ciuitatum & diœcesum monitionibus, exhortationibus, & alijs modis honestis & debitis solerter & fideliter inducatis: & nihilominus tam per vos, quam clerum earundem ciuitatum & diœcesum processionaliter, & alias orationum multiplicetis suffragia, & preces effundatis deuotas ad Dominum, & effundi ab eisdem clero & populo faciatis, vt ipse, qui pacis est auctor, & humanæ salutis amator, tam Regum quam aliorum partium prædictarum fidelium diffidentia corda pacificet, & ad suum exequendum beneplacitum, & defendendam, & dilatandam fidem eandem catholicam vniat multiplicatis intercessoribus voluntates; concedatque præfatis Regibus & populis fidelibus de inimicis eiusdem fidei, ad laudem diuini nominis, victoriæ gloriosæ triumphum. *Dat. Auin. vIII. kal. septembris anno vI.*

Pro comparanda de Afris victoria.

50 Missæ sunt eodem exemplo ad Tarraconensem, Compostellanum, Hispalensem, Cæsaraugustanum, Bracharensem, eorumque suffraganeos literæ a: quo vero fideles maiori ardore pugnarent cum barbaris, Pontifex cruce distinctos iussit incedere, atque indulgentiarum præmia ijs, qui trium mensium tempore bellicos labores tolerarent, stipemue in belli sumptus conferrent, proposuit; id enim beneficium Lieua Alfonsi Regis Castellæ orator flagitarat. Respondere Pontificis optimi votis ac studijs felices successus b, affuitque e cælo diuina virtus, quæ toties numerosissimos improborum hominum exercitus exiguo suorum numero contriuit. Confluxerant c ex Africa & Asia Saraceni, vt Christianam religionem euerterent: insultabant enim Christi fidelibus, qui post tantos apparatus iactatasque Asiaticas expeditiones velut amentia perciti in se ferrum strinxissent, atque ad Christianorum terras incolendas, quasi de triumpho certissimi, cum mulieribus & infantibus concurrerant tanta multitudine, vt ad sexcenta millia peditum, equitum sexaginta millia ascendisse scribant nonnulli d. In equitum numero consentiunt vel eũ augent alij: pedites autem ad quadrin-

Crucem induere iussi fideles. a To. 6. ep. secr. 274. 275. 276. 277. 278. b Marian. l. 16. c. 7. c Io. Vill. l. 11. c. 119. Sur. l. 7. c. 53. d Bos. hist. eq. Hosp. l. 2. ex anal. Hisp. Barbarorũ copiæ innumerabiles.

gen-

genta millia sub signis stetisse dicunt a: immanis certe multitudo (quod Pontifex in literis ad Eduardum Angliæ Regem testatur b) esse debuit, cum traiectus barbarorum ex Africa quinque menses tenuerit; præter Granatenses, qui cum Iuzepho Rege Afris & orientalibus se coniunxere. Impares longe erant c tanto numero Christiani, quorum copiæ recensitæ d sub Castellæ & Lusitaniæ Regibus quatuordecim equitum, peditum viginti quinque millia: sed fideles pius ardor vincendi in terra, aut fuso pro fide sanguine triumphandi in cœlo incenderat.

a Marian. & Sur. vbi supr. b To. 6. ep. secr. 303. c Ead. ep. d Marian. vbi sup.

Christiani sacramentis ad pugnam se muniūt

Lucis aduentu, inquit Mariana, *Reges & eorum exemplo cæteri confessione & Eucharistia rite procurati sunt. Mox acies adpugnam instructa. In primo agmine Lara Emanuel & D. Iacobi magister constituti, in postremo Gonsaluus Aquilarius: peditum incondita multitudo in subsidijs Petro Nunnio duce: mediam aciem cum robore copiarum Reges obtinebant. Aderat Aegidius Toletanus præsul, alijque episcopi & proceres: vexillum crucis Iugus natione Gallus Romani Pontificis iussu gestabat. Milites omnes rubra cruce distincti, vti aduersus impios pro religione pugnaturi. Lusitano inuadendi Granatenses cura imposita est. Adpeculiarem manum adiuncti Calatrauæ & Alcantaræ magistri. Castellæ Rex Albohacenum inuadere parans, concione aduocata milites oratione accendit.*

51 Cognito crucesignatorum aduentu Albohacenus, qui Tariffam premebat obsidione, castra mouit agmine composito occursurus, spe plenus opprimendi nostros barbarorum multitudine: sed leui prælio, iniecto diuinitus barbaris pauore, confusisque inconditæ multitudinis ordinibus, est ad Salsum flumen profligatus: *Magna cædes facta*, addit Mariana e: *supra ducenta Maurorum millia in prælio fugaque ceciderunt*. Surita f & alij plures consentiunt, ac Pontifex in literis ad Anglorum Regem, immanem multitudinem cæsam describit: quocirca errorem apud Io. Villanum g irrepsit in numero, dum defectu vnius apiculi arithmetici viginti millia pro ducentis millibus occubuisse refert. Pergit Mariana: *Captiuorum ingens numerus fuit: e Christianis, quod vix fidem faciat, viginti desiderati non amplius*; dissentit admodum Surita h, qui viginti quinque millia Christianorum occubuisse tradit. *Classiarij milites parum contulerunt, cum se Aragonij ad vnum tenuissent nauibus. Vascones in nullo huius belli vsu fuere, Philippo gentis Rege Gallicis bellis districta, republica moderatore Reginaldo Pontio homine Gallo: Aegidius Toletanus præsul a Regis Castellæ latere nunquam discessit, desertumque pene a suis & in confertos hostes irruere parantem voce manuque retinuit, ne tristis casus certam victoriam corrumperet. Salutis anno millesimo trecentesimo quadragesimo pugnatum est. De die scriptores variant: nobis certissimis monumentis exploratum est, tertio kal. nouembris die lunæ victoriam nobilissimam partam esse, vti in fastis Toletanis notatum est, vbi anniuersarijs sacris festaque lætitia veteri instituto eius diei memoria celebratur.*

Reportatus de barbaris triumph⁹ e Marian. super cap. f Sur. vbi supr. Cæsorum ingens numerus. g Io. Vill. l. 11. c. 119. h Sur. l. 7. c. 53.

Institutæ annuæ supplicationes.

52 Ascripta est miraculo i diuino hæc victoria. Euasere e strage Albohacenus Marrochitanus, qui Heracleam abijt, indeque in Africam eadem nocte, vt aiunt, traiecit. Iuzephus Granatensis Marbellam se recepit. Duo tamen filij Albohaceni in pugna occubuere: captorum maximus fuit numerus: spoliorum tanta vis, vt valor monetæ imminueretur, mercium pretium cresceret. Transmisere laureatas Castellæ & Lusitaniæ Reges ad Pontificem literas: quibus ille exceptis, solemni pompa ob perdomitos diuina virtute barbaros, qui religionem extinguere in Hispania erant conati, grates diuino Numini persoluit; vtque clerus & populus triumphales Christo laudes occinerent indixit. Gratulatorijs vero hisce literis a victores Reges fidei Christianæ defensores amplissimis laudibus exornauit.

i To. 6. ep. secr. 303. Victores Reges scribūt ad Pontificē.

a To. 6. ep. secr. 306. & post aand. ep.

Charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Gratulatoriæ ad Castell. literæ.

Prosperis & lætis admodum rumoribus, antequam tuæ nobis, fili charissime, præsentarentur literæ vltimo nobis missæ, audiueramus gloriosam victoriam, nobis & toto cœtui fidelium lætabundam, quam tibi & charissimo in Christo filio nostro Alfonso Regi Portugalliæ illustri dedit de cælo virtutum Dominus, contra hostem illum sæuissimum catholicæ fidei, & fidelium persecutorem ferocem, Regem Marrochitanum videlicet, qui magno fastu inflatus præsumptionis & superbiæ cum nonnullis principibus & magnatibus, aliorumque innumerabili equitum & peditum multitudine suę fœtidæ nationis & sectæ, ad fidei & fidelium ipsorum exterminium & confusionem aspirans, mare transiuerat; iamque aduersus terras tuas, & Christicolas habitantes in eis, apparatu terribili conceptum euomere cœperat virus suum. Sed subsequenter tuis & Regis prædicti Portugalliæ receptis exultanti animo literis, victoriam ipsam & depressionem hostium eorundem describentibus, inde perfusis maioris immensitate gaudij non immerito intimis cordis nostri, ei qui bella iniquorum conterens, & cornua peccatorum confringens, tibi tuisque robur fortitudinis & auxilium desuper ad conterendum sic gloriose hostes fidei præstitit, laudum cantica & gratiarum actiones deuotas in humilitate spiritus solemniter persoluimus, & a clero & populo fecimus reuerenter & deuote persolui. Profecto, dilectissime fili, ea quæ per te ac Regem præfatum Portugalliæ ante conflictum initum cum prædictis fidei hostibus facta iuxta beneplacitum diuinum audiuimus, nobis non indigne cum, vt sacra scriptura eloquitur, sapientia filij, sit patris lętitia, gaudium in Domino adauxerunt, &c. [Et infra maxima se lætitia ex accepto initæ cum Rege Lusitaniæ concordiæ nuntio delibutum esse testatus, hæc subijcit].

Ascribenda Deo gloria.

53 Ei, qui vobis huiusmodi consilij salutaris rectum dedit spiritum, multiplicatas gratiarum referimus actiones, tenentes indubie, quod misericordiæ Dominus, cuius auris benigna nunquam iustis & iustorum petitionibus auditum subtrahit, huiusmodi salubribus præparationibus cordium vestrorum auditis, de sede suæ magnitudinis vobis misit adiutorium inæstimabile ad huiusmodi victoriam sic gloriose ac miraculose, sicut creditur, obtinendam. Rogamus itaque magnificentiam regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus consideranter attendens, quod quanto gloriosior in prædicto prælio fueris, tanto te debes humiliorem in cæteris exhibere, non tuis & tuorum viribus, sed potius potentiæ maiestatis diuinæ victoriæ huiusmodi triumphum ascribas. Et vt clementiam diuinam tibi magis propitiam constituas & benignam, peccata grauia quæ inoleuisse, proh dolor! in partibus illis hactenus, & offendisse non leuiter supremi contemplantes retributoris oculos dignoscuntur, vitari procures, & facias quantum in te fuerit, deleri: prælatis, religiosis, & alijs personis ecclesiasticis,

Amplectenda in triumpho demissio.

qui-

quibus est cura gregis dominici, vel etiam prædicare verbum Dei competit, benignis, deuotis, & sinceris fauoribus nihilominus assistendo. [Eadem ad Lusitaniæ Regem, nonnullis immutatis, scripsit a. Cum vero Alfonsus, qui antea in Africano mari a Marrochitanis maritimo prælio fusus fuerat, pellicem, ob quam a Pontifice increpitus acerrime fuerat diuinas in se iras concitasse, eam repudiatis carnis lenocinijs a se amandasset, nunc victori hæc gratulatus est Benedictus.

a Reg. vest. eand. ep.

Caué dæmonis insidias,

54 Porro tibi, fili amantissime, summo studio & cura sedula instandum est & canendum, vt cum hostem antiquum humani generis, qui tuę salutis animæ inuidens, suis te retibus aliquibus detinuit temporibus inuolutum, a te virtuose vt lætanter audiuimus abieceris, tali vel simili laqueo nequaquam permittas de cætero te inuolui, nec Dominum tecum pugnantem impugnes: quod vtique proculdubio periculose tibi nimium faceres, si a voluntate tua & carnis concupiscentia, quibus per imperium rationis te dominari decet & conuenit, te sineres subijci vel subiugari, quod absit. Esto quidem, fili præcharissime, fortis & constans & magnanimus, non solum contra hostes visibiles, sed etiam inuisibiles fortiter dimicando; nam si hostem intrinsecus viceris, hoc de manu Domini tibi iugiter vendicabis, quod eaterius semper gloriosior tuorum & fidei hostium victor eris, augebiturque tui nominis & famæ gloria per orbem diffusius diuulgata, & tandem corona regni coronaberis sempiterni. *Dat. Auin. kal. VI. ianuarij anno VI.*

55 Sumpsit ex hac insigni Lusitaniæ & Castellæ Regum victoria occasionem Pontifex, vt Eduardum Anglorum Regem, qui rempublicam Christianam turbabat, atque Philippum Francorum Regem a bello Asiatico distrahebat, ad arma conuertenda aduersus infideles accenderet b: clarissimos illos esse triumphos, quibus amplificatur religio, augetur Dei gloria, ac regnum cœleste comparatur.

b To. 6. ep. secr. 303.

Benedictus, &c. Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Pontificię ad Eduardum literæ.

Ad hæc quidem te, fili amantissime, ac Regem prælatum [nimirum Francorum] debent proculdubio non modicum cum cordium compunctione illa mouere, quæ toti cœtui fidelium lætabunda per ministerium charissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castellæ ac .. Portugalliæ Regum illustrium diuina clementia, quæ nunquam iustorum se subtrahit iustis & deuotis petitionibus, operata extitit, sicut per literas Regum ipsorum lætanter percepimus his diebus. Nam, sicut ex lectione literarum ipsarum, & quorundam etiam habetur relatibus, cum hostis ille profanus, & persecutor nominis Christiani .. Rex Marrochitanus videlicet, coadunatis nonnullis suæ fœtidę nationis Regibus & principibus, ac innumerabili Saracenorū equitum & peditum multitudine congregata, mare in superbia & fastu magno hoc anno transiens, & ad extinguendam & confundendam Christianitatem non solum in illis, sed etiam in multis alijs partibus vehementer, sicut ferebatur, aspirans terras dicti Regis Castellæ in fortitudine graui, & apparatu terribili subintrasset, obsedissetque quendam fortissimum locum Regis eiusdem Castellæ, Christicolas ibidem existentes market impugnando; præfati Castellæ ac Portugalliæ Reges, qui iamdudum inter eos inuicē odijs, inimicitijs, & grauibus rancoribus, vsque ad congressus bellicos & offensiuos suscitatis hinc inde, inimici erant adinuicem, tandem nostris salutaribus acquiescentes tanquam filij benedictionis & gratiæ monitis; & attendentes, quod sine pace proximi pax Dei, quæ omnem sensum exuperat, cum eius gratia & misericordia nequit haberi; ob Dei honorem & sanctæ matris ecclesiæ reuerentiam, zelumque catholicæ fidei charitatiuæ pacis inter se adinuicem ac suos fœdera reformarunt, & derelictis vitiorum tribulis, corda sua Spiritui sancto munda quantum potuerunt, efficientes habitacula, sicque præparati eiusdem sancti Spiritus gratiam, tanquam strenui athletæ fidei humiliter implorantes cum paucis, respectu multitudinis innumerabilis hostium crucis Christi, contra hostes ipsos intrepidi processerunt ad bella. Quibus Regibus & exercitibus suis catholicis desuper potentia diuina, cuius auris benigna præparationes cordium eorum audiuerat, sic benigne astitit, sicque clementer eis maiestatis suæ dexteram adiutricem porrexit, quod de inimicis fidei orthodoxę gloriosum obtinuerunt triumphum; quibusdam ex principibus & maioribus Saracenis prædictis, & alijs inferioris status personis captiuatis in eorundem Regum catholicorum manibus, & alijs Saracenis qui erant ibidem, quorum numerum, solus ille nouit, qui omnium infallibilem habet notitiam (illis solum exceptis, qui euaserunt per fugæ subsidium) in ore gladij trucidatis. Ad talia nempe bella, proculdubio debent catholici Reges & principes, abhorrendo Christianorum effusionem sanguinis, deuotis animis & feruentibus desiderijs, extirpatis odijs & reformatis pacis fœderibus, animari; ac exponere viriliter & strenue, vt regiæ dignitatis sibi augerent exinde gloriam, ac æterni & incorruptibilis regni coronam immarcescibilem acciperent, vires suas, &c. *Dat. Auin. XV. kal. ianuarij anno VI.*

Propositia de Afris victoria,

Aliorum Regum exemplo solicitatus in Saracenos Anglus,

56 Exiguam sibi in hoc bello Petrus Rex Aragonum peperit gloriam, classis enim, quam Moncada præfecto ad fretum submiserat, nil memorabile gessit; terrestris vero exercitus ad tutandum limitem subsedit: metuebat a quippe Petrus, ne Saraceni Valentino regno, quod olim dum Marrochitano regno obnoxium esset, ipsis fuerat ereptum, auidi imminerent. Non leui vero dedecore regium decus ipse inquinabat, tanta Iudæis & Saracenis, qui in ipsius regno consistebant, data licentia, vt Viennensis concilij de ijs statuta obsolescere permitteret; ac licet ipsum Pontifex, dum apud sedem Apostolicam anno superiori agebat, vt tuendæ religionis studio illos legibus coerceret, obsecrasset, inertet tamen sacra implere promissa negligebat. Eum itaque Pontifex iterum solicitauit b, vt nominis Christiani opprobrium deleret.

a Sur. l. 7. c. 53.

Infidelium in Arag. tolerata licentia.

b To. 6. ep. secr. 1.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

Inter cætera, quæ tecum, fili charissime, cum esses nuper in nostra præsentia constitutus, super tuo & regnorum tuorum statu salubri fuimus paternis & charitatiuis affatibus collocuti, expressius meminimus explicasse, qualiter ex multorum fidelium in eisdem regnis degentium insinuatione percepimus sæpius repetita, quod licet olim Iudæis & Saracenis in nonnullis ciuitatibus, castris, & locis dictorum regnorum, in magna multitudine morantibus, certa loca clausa & distincta parietibus ad inhabitandum & negociandum, vt essent a familiaritate ac conuersatione Christianorum fidelium nimia & periculosa te-

Eos remoueri iubet Pont.

remoti, ab antiquo fuerint deputata; his tamen temporibus Iudæi & Saraceni prædicti locis huiusmodi non contenti, sed eis dilatatis seu dimissis omnino, mixtim inter fideles ipsos, etiam quandoque in eisdem domibus commorantur, panem suum in eisdem furnis faciendo decoqui, & in balneis simul se balneando cum eis, & in multis alijs periculose ac scandalose nimiū conuersandos ex quibus, non sine Dei offensa & grauibus animarum periculis, multa indecentia, nefanda, & horribilia subsecuta sunt, vt asseritur hactenus, & iugiter subsequuntur.

57 Rursus quod præfati Iudæi synagogas, & Saraceni mesquitas construunt & habent inter fideles eosdem, in quibus redemptorem nostrum dominum Iesum Christum, ac nomen et gloriam Christianitatis blasphemāt turpiter, et ipsi Saraceni nomen illius perfidi Machometi publice contra prohibitionem constitutionis olim editæ in concilio Viennensi extollunt: et insuper dum cultus diuinus a fidelibus in ecclesijs, monasterijs, & alijs sacris locis, circa quæ sūt in locis aliquibus vt asseritur, synagogæ & mesquitæ prædictæ, agitur; vel corpus dominicum ad communicandum infirmis defertur, aut alia sacramenta fidelibus ministrantur ecclesiastica, prælibati Iudæi & Saraceni cachinnationes & derisiones facere sæpius in diuinæ maiestatis opprobrium, fidelium perniciem, ac fidei detractionem catholicæ non verentur. Tu vero, fili amantissime, præmissis diligentius intellectis, nobis te instanter requirentibus & rogantibus, vt pro diuina reuerentia, eiusdemque zelo fidei, tuæque animæ salutis obtentu Iudæos & Saracenos prædictos prohiberes, & nullatenus sineres mixtim, vt præmissum est, cum fidelibus commorari, aut in præmissis vel alijs periculosis & illicitis, vt præfertur, quomodolibet conuersari, faceresque constitutionem eandem, quantum pertineret ad te, inuiolabiliter obseruari, in ipsos Iudæos & Saracenos pœnis inflictis grauibus, si secus attentare præsumerent quoquo modo; nobis prompte ac beneuole respondisti, te præmissa, prout ad te pertinuerit, effectualiter impleturum.

Nomen Machomethi proclamari vetat.

Segregan da infidelium habitacula.

Cum autem hæc insideant admodum non immerito cordi nostro, eaque pro reuerentia diuina, salute animarum, & Christianæ religionis honestate cupiamus feruentibus desiderijs effectibus mancipari, sicut verbotenus & ex corde, te fuimus super prædictis cordialiter exhortati, sic cordialius, si fieri possit, per scripturam, preces precibus, & exhortationes exhortationibus cumulamus. Et vt celeriorem & efficaciorem sicut decet & expedit, pium hoc nostrum desiderium capiat executionis effectum, venerabilibus fratribus nostris.. Terraconensi & .. Cæsaraugustano archiepiscopis eorumque suffraganeis per alias scribimus literas, vt celsitudinem tuam super ijs solicitent & requirant; ipsique, prout ad eos pertinet, partes suæ solicitudinis solerter & fideliter interponere non omittant: quorum requisitionibus, & monitis salubribus velit acquiescere regalis sublimitas in hac parte. *Dat. Auin. v1. id. ianuarij anno v1.*

58 Extant literæ eo argumento ad Cæsaraugustanum & Terraconensem archiepiscopos eorumq; suffraganeos datæ a, vt studio fidei accensi Regem, principes, ac magistratus ad reprimendam in Aragonia, Valentia, & Catalonia impiam Saracenorum & Iudæorum impudentiam percellerent, ne sacris Christianis posthac illudi, ne misceri fidelibus, ne publice infandum Machometi nomen inclamari, ne templa sacrilegæ illius superstitioni poni, ne blasphemis vocibus Christum appeti permitterent. Viri etiam eorum regnorum & comitatus primarij ad decus religionis ab impiorum iniurijs vindicandum excitati a: denique populus Cæsaraugustanus apostolicis exhortationibus, vt religionem in suum splendorem assereret, cohiberetq; blasphemos, inflammatus b.

Monita Aragonis præsulibus data.

a To 6 ep. secr. 2.

a Ib. ep. 3. 4. 5.

b Ep. 7.

Præter superiorem in Saracenis & Iudæis indulgentius habitis labem, Petrus Rex anathematis notam contraxerat c, cum debitum sedis Apostolicæ ærario censum non intulisset: censuris vero a Pontifice solutus est, cum duo millia marcharum argenti penderet, quæ accepta pontificia syngrapha Benedictus his verbis est professus: *Pro regno*, ita ipsum alloquitur Pontifex, *Sardiniæ & Corsica, quod a nobis & ecclesia Romana sub certis vassallagio, homagio ligio, & fidelitatis iuramento, aliysque certis pactis, conuentionibus, & conditionibus expressis plenius in literis apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feudum, &c. Dat. Auin. v. id. ianuarij anno v1.* Solutum & similiter est a Roberto Siciliæ Rege annuum octo millium vnciarum auri vectigal Romanæ ecclesiæ. Vtque addamus similia: persoluta sunt censu nomine Romanæ ecclesiæ quinque millia aureorum ab Alberto & Mastino Scaligeris, quibus subiecta syngrapha de ijs acceptis data est. e

c Ep. 97.

Solutus Sardicus census.

d Ep. 115.

Scaligeri vectigal Pontifici pendunt.

e Ep. 171.

Benedictus, &c. Alberto & Mastino vicarijs nostris & S.R.E. in Veronensi, Parmensi, & Vicentina ciuitatibus, ac castris, villis, territorijs, districtibus, & comitatibus eorundem.

De constituto illo Romanæ ecclesiæ, vacante imperio, censu secundum conuentiones & pacta inter nos & ecclesiam Romanam de consilio fratrum nostrorum, & ambasciatores, nuntios, & procuratores vestros, ad hoc sufficienti potestate suffultos, dudum habita, & per vos postmodum ratificata & approbata specialiter & expresse, vos ratione vicariatus Veronensis, Parmensis, & Vicentinæ ciuitatum, ac castrorum, villarum, territoriorum, districtuum, & comitatuum eorundem, per nos & sedem Apostolicam, ad quos, imperio Romano vacante, sicut tunc vacabat & nunc vacat, etiam pertinet, nobis sub certis modis & formis vsque ad certum tempus, sicut in literis apostolicis inde confectis plenius continetur, concessi ad soluendum nobis & eidem ecclesiæ in Romana curia, vbicunque fuerit, vestris sumptibus & expensis quinque millia florenorum auri singulis annis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli de annua pensione (quandiu vicariatum huiusmodi tenebitis) esse noscimini sub certis iuramento, pœnis, sententijs, & conditionibus in literis eisdem expressius astricti, &c.] Cum intermisissent nonnullis de causis censum illum ecclesiæ pendere, eo illato ærario pontificio, periurij nota ac pœnis sunt liberati. *Dat. Auin. 11. non. septembris anno v1.*

59 Hoc anno Bononienses, cum addicendi Romano Pontifici pristini obsequij, inque eius clientelam redeundi consilium ob nonnullas difficultates, quæ in præscriptis ante a Benedicto legibus, maxime in exulum patriæ restituendorum causa, obortæ erant, ad biennium extraxissent; illud demum perficere, decretis ad sedem Apostolicam oratoribus, qui Bononiam iuris esse pontificij profiterentur, atque ad imperia Benedicti procumberent,

Bononienses ad officium reuocati.

rent: tum ab eo nonnullas pactiones accommodas eorum rebus communibus expetitas votis referrent. De quibus publica edita documenta a, quorum præcipua pars subiectis concepta verbis delibanda visa est.

a Ext. apud Bon. an. 6. ep. cur. 48 & in M. S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 497.

Decreti ab ijs oratores.

Anno MCCCXL. indictione VIII. die IV. mensis aprilis generale consilium communis & populi ciuitatis Bononiensis, repræsentans vniuersitatem dictæ ciuitatis & districtus ipsius, & infra, ordinarunt ipsorum & dictæ ciuitatis communis & populi ac vniuersitatis prædictæ syndicos, procuratores, & nuntios speciales dilectos & honorabiles ciues, & ambassiatores suos in curia domini Papæ & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ dominum Petrum de Bompetris legum doctorem & magistrum Bonauenturam Iacobini, & infra, ad obligandum solemniter dictum commune, vniuersitatem, & populum Bononiensem, & ipsius bona, & ipsum commune, vniuersitatem, & populum, & se dicto nomine submittendum & supponendum iurisdictioni & coercioni dicti sanctissimi Patris & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & suorum officialium & auditorum quorumcumque pro obseruantia & executione plena & perfecta omnium & singulorum promissorum; & etiam ad præstandum corporale cuiuslibet generis iuramentum in animas & super animabus constituentium generale vel speciale quodcumque ab eis petierit, vel fieri occurrerit pro executione & obseruantia supradictis. Et infra: Et ad supplicandum humiliter, quod sanctitas sua dignetur alicui probo viro committere, quod in casu, quo possessio ciuitatis Bononiensis fuerit, sicut in literis reconciliationis continetur, ecclesiæ restituta, & ratificatio contentorum in ipsis literis (saluis declarationibus quibusdam, per ipsum dominum Papam faciendis, infra certum tempus per ipsum dominum nostrum Papam limitandis) fuerit subsecuta, concedat auctoritate apostolica super hoc sibi specialiter attributa domino Thadæo de Pepolis absque alia noua nominatione de ipso per populum facienda, administrationem plenariam iurium & bonorum ad Romanam ecclesiam in ciuitate, comitatu, & districtu Bononiensi pertinentium, gerendam & exercendam nomine & vice ecclesiæ prædictæ ad tempus, de quo sanctitati ipsius videbitur expedire; sacramento tamen fidelitatis, dominio, mero & mixto imperio, iurisdictione, & superioritate & bonorum recognitione, census constitutione, & de dandis armigeris obligatione; nec non & officialium ad iurisdictionem huiusmodi vice & nomine Romanæ ecclesiæ exercendam, & administratoris iurium & bonorum vniuersitatis eiusdem, per commune & populum Bononienses nominandorum, & per ipsam ecclesiam Romanam eligendorum, ponendorum, constituendorum, seu deputandorum electione, positione, constitutione, & deputatione, prout in literis reconciliationis continetur facienda, & alijs iuribus vniuersis in ciuitate, comitatu, & districtu Bononiensi ecclesiæ Romanæ competentibus saluis semper & illæsis permanentibus, & integraliter apud ecclesiam remanentibus supradictam, prout in literis apostolicis reconciliationis, & quibusdam alijs super certis modificationibus & declarationibus faciendis seriosius contineri reperietur: volentes & expresse consentientes ipsi constituentes & commune & vniuersitatem prædictam, vt præmittitur, repræsentantes quod, non obstante concessione prædicta dicto domino Thadæo, vt præmittitur facienda, ipsi constituentes & vniuersitas & commune Bononiense ad soluendum censum octo millium Florenorum singulis annis sub certis forma, modo, termino, & pœnis inter præfatum dominum Papam & sindicos vniuersitatis & communis Bononiensis alias ordinatis, Romanæ ecclesiæ propterea sint & remaneant obligati, &c.

Fulti amplissimis mandatis.

Profitentur Bononiam iuris esse pontificij.

Possunt dari præturam vrbis Thadæo Pepulo.

Cautum iuri pontificio.

Annuum censum octo millium aureorum pacifcuntur

Excepti sunt perhumaniter Bononiensium oratores a Benedicto, qui initas biennio retro euoluto pactiones temperauit, quarum singula capita in pontificio diplomate a, quod etiam in M. S. pergameno nostræ bibliothecæ Vallicellanæ inter alia insignia monumenta a Cardinale Baronio ad nos transmissa extat b, fuse descripta sunt. Inter alia vero sancitæ fixæq; hæ leges præcipuæ, vt Bononiæ possessio internuntio apostolico restitueretur: rapta seditione redderentur census, nimirum octo millium aureorum, Pontifici vel senatui Cardinalium, vacuo sacrosancto solio, quotannis penderetur: vectigal militare ducentorum equitum egregie armis instructorum, qui trimestri sumptu Bononiensium castra pontificia sequerentur, numero circumscriptum. Quibus pactionibus si deessent Bononienses, prioribus censurarum nexibus irretiti tenerentur. Consignatum est diploma XVIII. kal. Iulij pontificatus anno VI.

a An. 5. super ep. cur. 48.

b Sup. M. S. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 481.

Præcipuæ leges impositæ Bononiensibus.

60 Decretus vero est proximo die ad hæc conuenta perficienda Beltraminus Nouocomi episcopus Apostolicæ sedis internuntius, instructusque mandatis amplissimis c, vt Bononiensium ad pontificium imperium redeuntium sacramenta exciperet, vrbis iniret possessionem, constitueret magistratus, ciues censuris solueret, eos pristinis restitueret iuribus, academiamque suæ assereret dignitati; præturam etiam Bononiensem Thadæo Pepulo, imperato nummario & militari vectigali, pontificio nomine conferret. De quibus hoc diploma datum d.

c An. 6. ep. cur. 43.

d Ib. ep. cur. 44.

Venerabili fratri Beltramino episcopo Cumano A. S. N.

Beltraminus A. S. N. Bononiam missus.

Quoniam, sicut per viros expertos, & in regiminibus ciuitatũ & aliorum locorũ prælatos ciuitates & loca ipsorum commissa regimini vtiliter gubernantur, sic per inexpertos & nouos frequenter pacificus status locorum suo regimini commissorum euertitur, & multæ oriuntur noxiæ nouitates; expedire congnoscimus, vt in locis ecclesiæ Romanæ subiectis nouitates, ex quibus possunt oriri pericula, quantum cum Deo possumus, salubriter euitemus. His igitur circa nouitatem vitandam in regimine ciuitatis nostræ Bononiensis in scrutinium considerationis nostræ deductis, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus cum possessio & quasi ciuitatis Bononiensis, comitatus, & districtus, & aliorum iurium iuxta tenorem & formam literarum nostrarum super reconciliatione vniuersitatis, populi, & communis ciuitatis eiusdem hactenus confectarum, fuerit nobis & Romanæ ecclesiæ seu tibi, quem ad id per alias nostras literas deputandum prouidimus, nostro & eiusdem ecclesiæ Romanæ ac successorum nostrorum nomine restituta; & ratificatio omnium & singulorum contentorum in ipsis literis, saluis quibuscumque declarationibus, moderationibus, & suppletionibus nouiter per nos factis super certis articulis contentis in literis memoratis, prout in literis nostris super his confectis plenius continetur, infra kal. mensis septembris proximo futuras fuerit subsecuta a Thadæo de Pepulis legum doctori ciui Bononiensi, cu-

Cur Thadæo Pepulo Bononiæ administratio concredita.

si, cuius prouisione & diligentia dicta ciuitas, comitatus, & districtus (sicut vniuersitas, populus, & commune Bononiense nobis per eorum literas, nec non per magistros Petrum de Bompetris legum doctorem ac Bonauenturam Iacobum ciues Bononienses sindicos & procuratores eorum, ad nos & sedem Apostolicam destinatos, sindicario & procuratorio nomine dictorum constituentium intimarunt) fuerunt hactenus in statu pacifico conseruati, & sperant se verisimilitet in posterum conseruandos, & ob hoc ijdem vniuersitas, populus & commune de ipsius Thadæi regimine contententur; volentes nihilominus & consentientes expresse per eosdem sindicos & procuratores, habentes ad hoc speciale mandatum, vt ex procuratorio eorundem euidentet apparet (quod in archiuio Romanæ ecclesiæ facimus conseruari) quod ijdem populus & commune ad soluendum census annui nobis & successoribus nostris ac collegio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium debite faciendam, etiam huiusmodi præsenti concessione durante, remaneant obligati; ru absque alia nominatione de ipso per dictos vniuersitatem, populum, & commune facienda (prius tamen eodem Thadeo a cuiuslibet excommunicationis sententia vel sententijs, quibus propter contenta in literis reconciliationis prædictæ, vel auctoritate nostrorum processuum postmodum secutorum fore noscitur innodatus, post prædicta per te plenarie executioni mandata, saluis declarationibus, moderationibus, et suppletionibus supradictis, auctoritate nostra iuxta formam ecclesiæ absoluto; et iniunctis sibi super ijs pœnitentia salutari et alijs, quæ de iure fuerint iniungenda) administrationem plenariam iurium et bonorum ad eandem ecclesiam in ciuitate, comitatu, et districtu prædictis pertinentium, gerendam et exercendam per eundem Thadæum nomine et vice nostris et ecclesiæ memoratæ, vsque ad triennium apostolica auctoritate concedas: exceptis sacramento fidelitatis a potestate et capitaneo, quando ciues Bononienses per capitaneum regi voluerint, cæterisque officialibus et ciuibus ciuitatis eiusdem recipiendo: nec non dominio ac mero et mixto imperio, iurisdictione, et superioritate, et horum recognitione ciuitatis, comitatus, et districtus prædictorum, ad nos et dictam ecclesiam spectantibus: census quoque annui nobis et successoribus nostris ac collegio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ab eisdem ciuibus præstandi, et etiam mittendorum equitum ad seruitium eiusdem Romanæ ecclesiæ; receptione officialium quoque ad iurisdictionem huius vice et nomine dictæ Romanæ ecclesiæ exercenda, et administratoris iurium et bonorum vniuersitatis eiusdem, per commune et populum Bononiensem nominandorum, et per ipsam Romanam ecclesiam eligendorum, ponendorum, constituendorum, seu deputandorum electione, positione, constitutione, et deputatione faciendis: et alijs iuribus vniuersis, competentibus in ciuitate, comitatu, et districtu Bononiensi eidem Romanæ ecclesiæ, secundum quod in dictis literis super dicta reconciliatione confectis præmissa plenius exprimuntur. Quæ omnia nobis dictisque successoribus, et Romanæ ecclesiæ integraliter reseruamus, quæque prout hæc in dictis literis super dicta reconciliatione confectis plenius continetur, per nos et dictos successores ac eandem Romanam ecclesiam, seu de mandato nostro

Triennij tempus definitu.

Adiectæ leges.

et dictorum successorum et eiusdem ecclesiæ, non tamen per eundem Thadæum, fieri volumus, & etiam exerceri, etc.] Præscripta etiam est sacramenti formula, qua nuntius Thadæum Pepulum adacturus in verba Pontificis erat. *Dat. Auin.* XVII. *kal. iunij anno* VI.

61 Persunctus est magna laude Beltraminus demandato sibi munere, restituentibus illi vrbis imperium Bononiensibus, promissaque obsequia saucientibus, ac recurrente die Apostolis Petro & Paulo sacro octo aureorum millia vectigalis nomine in ærarium pontificium inferentibus. Ob rem vero præclare gestam idem Beltraminus Nouocomi episcopus ad Bononiensem sedem traductus [a] est. Reuersi etiam sunt eodem anno ad obsequium ecclesiæ Firmani [b], pontificijsque excitati [c] adhortationibus tyrannidem e suis ceruicibus depulerunt. Ad asserenda alia Romanæ ecclesiæ iura tyrannosque comprimendos Benedictus incubuit, cum nonnulli proceres ex ruinis ecclesiæ principatus scelere excitarent, vt e literis ad Aemiliæ præsidem constat: *Cum*, inquit, *nobiles viri Franciscus de Ordelaffis, Malatesta & Galeottus de Malatestis, Lippus de Lidosijs, & Eustachius de Palenta, ac quidam alij de prouincia Romandiola, cuius rector existis, Deum ac nos & eandem ecclesiam grauiter offendere, ac se statusq; suos non leuibus periculis subijcere minime formidantes, dictus Franciscus videlicet Forliuiensem & Casenatem, & præfati Malatesta & Galeottus Ariminensem, idem quoque Lippus Imolensem, ac Eustachius prælibatus Rauennatem & Ceruiensem ciuitates, ac tam ipsi quam alij nonnulla castra & loca alia in eadem prouincia ad nos & eandem ecclesiam pertinentia, seu nobis & ipsi ecclesiæ immediate subiecta occupauerint ac diu detinuerint in nostrum & eiusdem ecclesiæ contemptum & præiudicium occupata, &c. Dat. Auin.* XI. *kal. iulij ann* VI Deniq; solicitati [d] sunt Florentini, vt pontificijs præfectis aduersus Piceni et Æmiliæ tyrannos vires ac potentiam explicarent; tum ne Malatestam vlla re iuuarent.

62 Quod ad Florentinos spectat, intestinis seditionibus fame ac peste conflictatos referunt [e] adeo, vt sextam ciuium partem absumptam epidemia, alij quindecim & eo amplius millia perijsse tradant, quorum malorum prænuntium cometem aiunt. Laborauit etiam Roma inopia rei frumentariæ: qua de re certior factus Benedictus, ad leuandam annonam incubuit [f]: vtque egentes sustentaret, quinque millia aureorum Ioanni episcopo Anagnino, Guigoni electo Cassinensi Patrimonij in Tuscia præfecto, ac Petro Laurentij, canonico Atrebatensi altarario, vt aiunt, basilicæ Principis Apostolorum transmisit, vt eleemosynas erogarent: *Non absque*, inquit [g], *magna mentis compassione percepta, quod in Vrbe partibusque circumuicinis fame valida, nescitur quo Dei occulto iudicio, his temporibus ingruente, propter defectum ciborum ibidem pauperes miserabiliter & lamentabiliter moriuntur; nos, quamuis nobis & ecclesia Romana varia ineuitabiles necessitates super vires facultatum immineant incessanter, tamen pietatis paternæ viscera erga pauperes Vrbis eiusdem, nostros & ecclesiæ memoratæ peculiares vtique filios, claudere non valentes, quinque millia florenorum auri de Florentia de pecunia nostra cameræ pro emendis exinde bladis, pieque distribuendis inter pauperiores & indigentiores prædictæ Vrbis pro vtiliori sustentatione vitæ ipsorum mandauimus & ordinauimus fideliter vobis mitti, &c.*

Dat.

Beltraminus pacata re Bononiensi ad eam sedem traductus.

a An.6.ep. com. 143.

Firmani conciliati ecclesiæ.

b To.6.ep. secr.38.

c Ib.ep.42.

Variæ vrbes e tyrannis occupatæ.

Eas nititur recuperare Benedictus.

d Ib.ep. 113.

e Io. Vill. l. 11.c.113. 117. Ant. 3.p.t.21.c. 755. Leon. Aret. hist. Flor. l.6. & alij

f To.6.ep. secr. 205.

Italia fame laborat.

g Ib.ep.20

Consulit egestati Romanorum Pontifex.

Dat. Auin. kal. februarij anno VI. Non famis modo & pestilentiæ flagellis percussa est Italia, verum intestino quoque bello afflicta, externique maximus illi terror impendit: in Neapolitano quidem regno grauissimi tumultus concitati [a], quibus auditis Ludouicus Bauarus, vt Robertum Siciliæ Regem opprimeret, maximos militum delectus habuit, de quibus Benedictus Robertum ipsum VII. kal. decembris per apostolicas literas docuit.

a To. 6. ep. secr. 235.

63 Traiecisso hoc anno in Trinacriam Gotium patriarcham Constantinopolitanum, et episcopum Vasionensem nuntios apostolicos, de quibus antea actum est, ferunt historici [b] Siculi, vt pacem inter Robertum Siciliæ Regem ac Petrum dominatorem Trinacriæ, regno nimirum Roberto restituto, quod auctor prætermittit, conciliarent: illos vero a Messanensibus insulæ ingressu telis repulsos. Diffidebat nimirum Petrus Aragoniæ familiæ princeps causæ suæ iniustitiæ, ac verebatur ne ij Trinacrios religione ad Roberti obsequium adigerent. Repulsi itaque edictum pontificium quo insula sacrorum vsu ob perduellionem in legitimum Regem Robertum mulctabatur, in litore exposuere. Et quidem Benedictum æquitate motum, vt ecclesię et Roberti iura aduersus inuasores Aragonios tueretur, cum ex initis a Carolo II. cum Friderico legibus regnum ad Caroli successores post Friderici obitum deuoluendum esset, in Petrum inique sceptra tractantem edicta apostolica promulgasse, in literis sequenti anno afferendis ipse testatur [c]: *Contra dictum*, inquit, *primogenitum*, Petrum scilicet iniustum detentorem, *ac fratres suos, & quoslibet alios eisdem in detentione ipsius insulæ quouis modo præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, nonnullos processus fieri fecimus, excommunicationis & interdicti sententias & pœnas alias continentes, qui publicati in diuersis mundi partibus solemniter extiterunt.* Cum Pontifici supremo insulæ domino parere detrectaret Petrus, et caduca æternis præferret, conuersus ad arma Robertus, immissa florentissima classe, Mylas valida obsidione cinxit: quam cum frustra soluere niteretur Petrus Aragonius, ex castrensibus laboribus cōtracto morbo obijt, atq; arx ad deditionem compulsa est, reliqui vero insulani Ludouicum Petri filium sexennem principem creauere, data Ioanni patruo Randarij duci regni procuratione. In superiori vero expeditione Benedictus Roberto Regi permisit [d], vt præfectis castrorū tribunisque subductiles aras habere liceret, in quibus sacerdotes diuinam rem peragerent. Vt porro Siciliæ insula ob iniustam Aragoniorum dominationem varijs bellis diuexata sit, suis locis dicetur. Iam reliqua huius anni prosequamur.

b Fazell. hist. Sic. l. 9 — Nuntij non permissi Trinacriam ingredi.

c To. 7. ep. secr. 297. — Petrus a censuris defixus.

Mylæ Roberto captæ. Petri Trinacrij mors.

Succedit filius Ludouicus. *d An. 6. ep. com. 76.*

64 Institit Robertus Siciliæ Rex ad Philippi Balearis regiæ principis, quem antea votorum repulsam à Ioanne XXII. passum vidimus [e], gratiam apud Benedictum, vt nouam illi religiosam familiam, quæ præscriptam a S. Francisco in suo testamento religiosæ vitæ formulam, vt verba sonant, id est, pro cuiusque monachi libidine potius, quam interpretatione apostolica, seruaret condere permitteret, ac Paulum episcopum Fulginatem ea de causa ad sedem Apostolicam transmisit [f]. Non veram pietatem, quæ sine Christi vicarij obseruantia, atque ecclesiasticis imperijs colendis constare non potest, sectabatur Philippus: verum abreptus in deuia hypocritarum subornatus consilijs, fucatæ sanctitatis laruam amplectebatur, nec toties monitus a Pontificibus, vt alicui ex approbatis religiosis sodalitijs se aggregaret, peruicax ingenium vlli vitæ religiosæ formulæ accommodare potuerat; sed potius Beguinis gyronagis, neque hæreseos suspicione carentibus, se adiunxerat. Quid vero concupisset animo ac votis, in pontificijs ad Robertum Regem literis describitur. [a]

Phil. princeps Balearis nouum ordinem condere affectat. *e anno Chr. 1328. n. 82.* — *f To. 6. ep. secr. 143.* — *a Ead. ep.*

Benedictus, &c. Roberto Regi Siciliæ illustri.

Habebat series petitionis eiusdem [nimirum Philippi Balearis regiæ principis] quod B. Franciscus breuem regulam edidit, quam sicut in ea, et testamento suo sibi, vt asseruit, a Domino reuelato scripsit, intentionem suam super hoc explicando, ad literam obseruauit, et voluit a suis fratribus obseruari: et cum idem Philippus et nonnulli tam ordinis fratrum Minorum, quam alij cupiant, vt eadem describit petitio, eundem ordinem fratrum Minorum sub obseruatione literali dictæ regulæ profiteri, hæcque propter innumera impedimenta complere non possint; supplicat nobis idem Philippus, vt tam sibi, quam alijs, qui sunt vel infra annum erunt huiusmodi propositi, professionem faciēdi prædictam, et regulam eandem vt præmittitur, obseruandi sic, quod nullus de ordine prædicto vel extra valeat super his impediri, concedere licentiam dignaremur.

Regulam Minor. ad literā obseruand. postulat.

65 [Cum Philippi petita mature discussisset, Pontifex, illa inani pietatis specie fucata, et plena periculi, repetit. Data itaque ijs repulsa, Roberto Regi rationes grauissimas, quibus ad id adduceretur, exposuit.] Primo quia iamdudum eadem petitio tempore felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri in suo consistorio proposita & deliberatione plenaria præhabita super ea extitit penitus denegata: quod autem sic prouide in consistorio factum est, nec cōsueuit nec debet faciliter retractari. Rursus certum est, quod super regula prædicta, vt professores eiusdem secundum qualitates temporum possent sub ea virtutum Domino salubrius famulari, per prædecessores nostros Romanos Pontifices cum multa maturitatis prouidentia nonnullæ salubres & vtiles ordinationes & declarationes ad instantias & supplicationes fratrum eiusdem ordinis factæ fuerunt, quibusdam ex eis per modum constitutionis perpetuæ inter constitutiones eorundem prędecessorum nihilominus collocatis: quæ quidem ordinationes & declarationes, si concederetur dicta petitio, sic proculdubio turbarentur, quod ab ordine prædicto, in quo dissensiones, odia, & schismata nimis hactenus suscitare studuit hostis humani generis, & suscitare continue non desinet, pacis & charitatis vnitas exularet nosque qui religiones in vinculo pacis & charitatis tenemur & cupimus consonere, dici possemus, quod absit, auctores dissipationis & discordiæ Minorum ordinis supradicti. Et vlterius cum per sedem prædictam approbatæ solum quatuor religiones mendicantes existant, si concederetur quod petitio prædicta subiungit, esset quintam religionem concedere mendicantem, quod his temporibus fieri, sicut credimus, non expedit, neque decet. Et nihilominus nos religionem eorundem fratrum Minorum approbatam per sedem præfatam reprobare per concessionem alterius videremur, quod esset inter fratres seminare discordiam, absque magnis & grauibus periculis, scandalis & dispendijs non sedandam.

Causæ ob quas repulsam sit passus.

Decreta Pontificū non temere abrogāda.

Non inijcienda Minorum dissensionis causa.

Antevertenda secutura scandala.

Et cũ memoratus Philippus subiungat in petitione prædicta, quod impedimẽta sunt innumera, quibus ipse & sui sequaces alij nequeunt dictam regulam profiteri literaliter, & etiam obseruare: si nos impedimenta toleremus huiusmodi, notari possemus forsitan magis fauere religioni constituendæ de nouo quam alij, sicut prætactum superius, ab antiquis temporibus approbatæ, quod nequãquam rationi conuenit, nec decentiæ congruit status nostri. Sequeretur insuper aliud scandalum & periculum nimis durum, quia multi fratres tam illius quam aliorum ordinum, dum a suis prælatis, & superioribus per viam debitæ correctionis, vel alias secundum eorundem instituta ordinum tangerentur, ad effugiendum correctionem & disciplinam sui ordinis regularem possent, si concederetur petita licentia, in suarum animarum dispendium, & proprij ordinis confusionem & opprobrium ad illum nouum ordinem fictitie, vel alias se transferre: sicque multis, qui nunc etiam vix instigante illo, qui saluti humanæ inuidet, refrænati valent a suis inordinatis motibus seipsos decipiendi, & euagandi damnabiliter materia per viam huiusmodi præstaretur.

Inuisum supplicis nomen.

Vt Philip. Beguinis studuerit.

Denique quamquam præmissa & alia multa, quæ dici possent circa hæc non obstarent; adhuc tamen in personam dicti Philippi non posset decenter, quod petitur, a nobis & sede præfata concedi. Notorium quidem est, & per mundum sic communiter, proh dolor! diuulgatum, quod nulla potest tergiuersatione celari, quod idem Philippus sectæ Beguinorum per sedem reprobatæ prædictam, in qua diuersi Beguini sectæ sectatores eiusdem reperti sunt hæretici manifesti, promotor, defensor, rector, & conseruator extitit, etiam post reprobationem prædictam, illam contra determinationem & declarationem sedis prædictæ auxilijs, consilijs, prædicationibus, vel sermonibus quandoque publicis, quantum potuit nihilominus fulciendo. Et his nequaquam contentus tam contra præfatum Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, quam sedem prædictam multa enormia & hæretica, quamuis mendosa & falsa, laxata suis labijs licentia, publice asseruit, & etiam prædicauit interdum. Ex quibus, vt de alijs taceatur ad præsens, se rebellẽ sedi prædictæ, ac de labe prauitatis hæreticæ suspectum vehementer reddidit, vel respersum: nec audimus adhuc, quod ipse signa prætendat pœnitentiæ super his, & reconciliari aut reuniri petierit, relictis erroribus huiusmodi, vnitati ecclesiæ sanctæ Dei. Ex præmissis autem & alijs multis, quorum esset prolixa narratio si recitarentur per singula, petitioni prædictæ sine læsione honoris Dei, & ecclesiæ sanctæ suæ, ac nostræ remorsu conscientiæ non valemus annuere, nec debemus.] His de causis grauissimis Benedictus, religiosis institutis præclarisque virtutibus imbutus, Philippi e Maioricis postulata vt temeraria, plena periculi, atque a vera pietate abhorrentia repulit: monuitque Robertum, gloriæ suæ labem non leuem ipsum illaturum, si suspicione hæreseos laborantem illum, alio sue ea macula notatos in regno toleraret, foueretque, *Dat. Auin. vi. id. augusti anno vi.*

Postulata a Rob. Rege decumæ. a To. 5. ep. secr. 16.

66 Flagitarat a etiam oratorum opera Robertus Siciliæ Rex ab Apostolica sede, vt ad leuanda onera, quibus vrgebatur, vectigalium ecclesiasticorum in Etruria decimas apostolica liberalitate concederet; marchionem Montisferrati, qui Astensem ciuitatem iniuste occuparat, illam ipsi restituere literis iuberet; præciperetque Scaligeris et Mediolanensibus Vicecomitibus, ne marchioni opem afferrent, sed potius Regem armis iuuarent. Cui rescripsit Pontifex, quod ad petitas decimas attineret, attributas iam illi fuisse, quæ in ipsius regno ac terris colligerentur; extra ipsius ditionem non licere. Cuius respõsi hanc rationem subiecit: *His præsertim temporibus, vt te latere non credimus, præsumptuosa Bauari saucitia rugit, vt fertur, aduersus eandem Tusciam, & partes alias circumposita regionis: nec nobis nec tibi decens vel expediens existimatur, cum etiam trahi possent ad perniciosam quodammodo consequentiam propter nonnullos alios Reges catholicos.* Quod ad petitas in marchionem Montisferrati literas spectat; ad ipsum, vt decoris ratio ferret, scripsisse a: Mediolanensibus, cum adhuc ecclesiæ conciliati non sint, non potuisse, cum magis exasperarentur animi, si velut ad fidelium communione segregatos scriberet: Scaligeros vero licet in gratiam fuerint admissi, nondum tamen sacramentum nuncupasse.

Bauarus exped. in Ital. molitur.

a Ibid. eius lit. ib. ep. 37.

67 Agitasse Ludouicum Bauarum de inuadenda Italia consilia, quamquam ea postea perducere non potuit, ex alijs ad Bertrandum patriarcham Aquileiensẽ datis literis constat, quibus eũ admonet Pontifex b, vt cum ipsum ab episcopo Tridentino solicitatum acceperit, ad ineundam aduersus Ludouicum cum Tyrolensi comite, alijsque principibus armorum societatem ita prudenter rem gerat, vt quæ ad discutienda pericula fœdera contraxerit, ad ea accersenda non obsint.

b Ib. ep. 22

Inita ad intercludendos aditus fœdera.

Benedictus, &c. venerabili fratri Bertrando patriarchæ Aquileiensi.

Intelleximus, quod ad te venerabilis frater noster, Nicolaus episcopus Tridentinus his diebus accedens super colligationibus inter te ac aliquos Italicos cum nobili viro comite Tyrolis, filio magnifici principis Regis Boemiæ illustris, ne Bauarus vel gentes suæ transire possint ad partes Italiæ, faciendis tecum habuit colloquium et tractatum; quodque tu cum Florentinis & quibusdam alijs Italicis te habere velle deliberationem super hoc respondisti. Sane circa ligas huiusmodi esset, si fierent, aduertendum subtiliter & caute, ne id quod crederent pro parte tua in vtilitatem et fauorem ecclesiæ fieri, posset in eius detrimentum et periculum per malorum et falsorum hominum fraudes et malitias retorqueri; te præuisum super ijs reddere volumus et attentum, vt procedatur ad hæc, et etiam ne dicto Bauaro eiusque gentibus pandatur ad partes prædictas aditus, cautelas adhibeas opportunas, etc. *Dat. Auin. 3. non. februarij anno vi.*

Conciliari ecclesiæ postulat Bauarus.

Præbuit hoc anno, vt alias, Ludouicus Bauarus aliquam speciem conceptæ discedendi ab hæresi & schismate, ac recuperandæ ecclesiæ gratiæ voluntatis: petijtque a Benedicto, vt liberi commeatus syngraphas Pontificio & Regis Francorum nomine pro suis oratoribus, ac nonnullorum principum electorum ipsius studiosorum transmitteret. Cuius votis morem gessit Pontifex reconciliandi illius percupidus, seque ipsum admissurum in sinum ecclesiæ spopondit, si rite ad Christianam pœnitentiam se compararet: se tamen vereri significauit c, ne ad subornandos trahendosque in suas partes principes catholicos, vt antea egerat, pietatis inanem speciem obtenderet; in ijs locis, in quibus antea efflorue-

c To. 6. ep. secr. 261. & an. 6. lit. cur. 7. & 51.

rat

rat pietas, ex quo sibi illa subiecerat, violari interdicta ecclesiastica: pios & catholicos pœnis grauioribus, atq; etiam supplicio affici: ne sedem Apostolicam, vt antea, verbis deluderes, suamne reconciliationem ductis alijs ex alijs moris extraheret: ni recurrente sacro pentecostes die miserit oratores, iudiciorum seueritatem in eum se districturum.

Magnifico viro Ludouico de Bauaria spiritum consilij sanioris.

Pleno collegimus intellectu, quæ præsentatæ nobis nuper tuæ literæ continebant: & licet per eas petieris literas de securo conductu pro nuntijs tuis, & principum Alamanniæ, se ius habere in electione imperij dicentium, super negotio reconciliationis tuæ ad nostram præsentiam destinandis; quia tamen ex præteritis haberi solet coniectura verisimilis de futuris, per ea quæ circa negotium reconciliationis eiusdem acta, postquam diuina miseratio nos ad apicem summi apostolatus prouexit, per te fuerunt hactenus, sicut nosti, & in Alamanniæ partibus contra Deum & suam sanctam ecclesiam attentata, & etiam iugiter, sicut habet rumor implacidus, attentantur, spes non datur, quod ad obtinendum reconciliationem huiusmodi te vera & recta intentione disponas: sed veretur potius, quod sub colore illius fideles ecclesiæ partium illarum per te, vel tuos ab eiusdem ecclesiæ fidelitate subtractos, ad tuam attrahere studeas, sicut de Argentinensi episcopo & multis alijs fecisse noscetis, obedientiam & sequelam; & vlterius procures, vel facias procurari, quod in eisdem partibus, in quibus antequam tua pernitiosa ibidem vigeret, proh dolor! opera, cultus fidei catholicæ reuereter & salubriter colebatur, & ad sacrosanctâ Rom. ecclesiam matrem omnium fideliû & magistram salutaris habebatur reuerentię plenitudo, multiplicentur errorum & schismatum fermenta execrabilia & damnanda: cum, sicut ignominiosa infamia detulit ad sedem Apostolicam & deferre (quod dolentes referimus) non desinit incessanter, per te ac ministros tuos nonnulli prælati cathedralium & aliarum ecclesiarum, necnon capitula, collegia, & conuentus aliæque personæ regulares & seculares ecclesiasticæ in plerisque Alamanniæ partibus violare interdicta ecclesiastica, & profanare in locis interdictis diuina officia, non sine graui Dei offensa & animarum periculo & scandalis plurimorum coguntur, in eos, qui hæc tanquam viri fideles, timorati, & catholici facere contradicunt, vel renuunt grauibus pœnis inflictis, & varijs cruciatibus & iniurijs irrogatis: vt de multis alijs detestabiliter perpetratis, quæ breui nequirēt explicari sermone, si recitare otur per singula; quæue, si non resilires ab eis, te denotarent datum a Deo, tuis peccatis exigentibus, in sensum reprobum, præsentialiter raceamus.

Veretur Pont. fictè illum pœnitere.

Ea arte sibi subijcere catholicos.

Religionem inde euerti.

68 Sane quia salutem tuam, teque reduci ad viam veritatis & iustitiæ desiderabiliter affectantes, & experiri volentes si diuinæ pietatis clementia, quæ omnes quærit saluos fieri, & neminem vult perire, te misericordi respiciens oculo, & mentē tuam rore gratiæ spiritualis perfundens, reuocare ad fructuosam pœnitentiam dignaretur, & vt remaneamus excusati, si hoc forsan non fieret, apud Deum, mundusque luculenter cognoscat, quod per nos & sedem prædictam non steterit, quo minus a deuijs ad viam reuoceris salutis, populusque illarum partium ab imminentibus animarum periculis, quibus propter facta tua inuolutus existere noscitur, liberetur; ecce quod tibi tam nostras quam charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Franciæ illustris opportunas de securo conductu, vt petijsti, literas pro dictis mittendis nuntijs destinamus, intendentes (si te ad reconciliationem promerendam, prout decet & expedit, repererimus) nos, quantum cum Deo ac honore, decentia, & honestate nostris & ecclesiæ fieri poterit, exhibere super his fauorabiles & benignos. Tu vero, ad obtinendam gratiam reconciliationis huiusmodi effectualiter te disponens, vide diligenter & cura, quod per te dictosque principes personæ deuotæ ac catholicæ criminibus hæresis nullatenus condemnatæ, quæ statum illius zelentur salubrem & prosperum ad nostram pro præmissis præsentiam cum mandatis sufficientibus destinentur: nam tales benigne recipere, ac in veniendo, morando, & redeundo plena volumus securitate gaudere. Demum scire te volumus, quod cum deludi, vel per verba inutilia nolimus protrahi de cætero, sicut hactenus delusi fuimus & protracti, mittendos huiusmodi nuntios vsque ad instans proximum festum pentecostes tantummodo disponimus expectare processuri, si tunc venerint, super eodem reconciliationis negotio, sicut Dominus ministrabit: alias autem, si infra dictum terminum forsitan non venissent, ex tunc, eis non expectatis amplius, procedere aliter intendimus, prout secundum Deum & iustitiam videbimus expedire. *Dat. Auin. vi. id. aprilis anno vi.*

Paratam sedem Apost. ad illum recipiendum.

Datus illi commeatus eius oratoribus.

Constituta dies.

69 Traxit alias ex alijs moras Ludouicus impiorum, illius aures obsidentium, susurris retardatus; iterumque xv. kal. nouemb. liberi commeatus syngrapha pro eius ad sedem Apostolicam mittendis oratoribus transmissa est, sed irrito tum etiam exitu. Secutarum vero illius partium, cum in Italiam iam ante Ioanne XXII. Pontifice irruperat, pœnitentes Papienses solemnem hoc anno oratorem decreuere, qui culpæ veniam posceret, atq; eorum nomine profiteretur, nunquam Cæsarem nisi prius a sede Apostolica confirmatum ipsos veneraturos; ac tenere firmissime Imperatorem in Romanum Pontificem sententiam ferre non posse: tum alia promisere, quæ alios populos, schisma Corbarianum eiuraturos, vidimus spondere consueuisse.[a]

Papiensiū ad ecclesiam reditus.

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiusdem MCCCXL. indictione VIII. die luna penultimo mensis octobris, & infra, *Papiæ in publico & generali consilio*, & infra, *faciunt procuratorem & syndicum Guidolum de Calice ad deuote & humiliter comparendum coram sanctissimo patre & domino domino Benedicto, diuina prouidentia Papa XII. & coram sacro collegio reuerendorum patrum dominorum S. R. E. Cardinalium, & quolibet alio ab ipso domino Papa deputato sin deputando: & ad offerendum dicto nomine, quod ipsa ciuitas, vniuersitas, & communitas erit & permanebit deuota & fidelis sanctitati domini nostri Papæ prædicti sicut Christi vicarij, & sanctæ matris ecclesiæ sicut cæteri fideles ac catholici Christiani: & ad promittendum & iurandum dicto nomine in animas dictorum constituentium, quod stabunt & parebunt mandatis ecclesiæ super quibuscumque excessibus per eos contra Romanam ecclesiam perpetratis, & quod cos vel similes de cætero non committent: & ad dicendum & protestandum, quod non credunt ad Imperatorem spectare Papam deponere & alium facere; sed hoc hæreticum putant & hæresim per*

a Ext. apud Ben. an. 7. ep. cur. 35.

Publicis tabulis spondet se illa paritu ros.

Marsilianam hæresim execrantur.

ecclesiam damnatam, quam & ipsi constituentes, quantum ad eos spectat, anathematizant & damnatam reputant secundum determinationem ecclesiæ: & quod expellent & exterminabunt de dicta ciuitate eiusque districtu pro viribus vniuersos hæreticos, ab ecclesia de hæresi denotatos, & manifestos schismaticos; saluo, quod in ijs non includantur Papienses & alij damnati, vt dicitur, infrascriptis processibus, donec commissio de nullitate vel vigore, & iniustitia vel iustitia ipsorum processuum, fienda per dictum dominum Papam, & ipsorum processuum discussio pendebit.

Ludouico Bau. non adhæsuros spondent.

70 *Item quod non adhærebunt Ludouico de Bauaria damnato, nec alicui antipapæ vel schismatico scienter, nec eorum sequacibus vel complicibus, nec eis scienter dabunt auxilium, consilium, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte: nec eos scienter receptabunt in ciuitate prædicta, nec aliquibus terris eius iurisdictioni suppositis, quousque ad ecclesiæ redierint vnitatem & gratiam: nec aliquem vel aliquos, qui venirent sub nomine Imperatoris, vel Regis Romanorum, vel alterius tituli pro eis vel eorum altero sine approbatione aut contra mandata summi Pontificis, qui est vel pro tempore erit; sed contra eos pro posse stabunt, et eisdem resistent in fauorem sanctæ matris ecclesiæ ac domini Papæ et successorum canonice intrantium: et quod recipient et curialiter tractabunt nuncios et gentes domini summi Pontificis et sanctæ Romanæ ecclesiæ et suorum successorum canonice intrantium, transeuntes per ipsam ciuitatem vel loca eorum iurisdictioni subiecta vel subijcienda, ipsosque protegent et defendent, dummodo transeant pacifice et sine fraude, sicut alij: et quod vniuersos archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, præpositos, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, presbyteros, clericos regulares vel sæculares ecclesiarum, et ecclesiasticas personas gaudere permittent, nec impedient, quo minus gaudeant omnibus suis libertatibus, redditibus, iuribus, pertinentijs, et obuentionibus vniuersis in dicta ciuitate et alijs terris, eorum iurisdictioni subiectis, quantum in eis fuerit, ipsisque collectas non imponent, nec ab eis exigent, nec dabunt imponentibus vel exigentibus auxilium, consilium, vel fauorem,* & infra.

Pontificios nuncios a se honorifice habitu[ros].

Non violaturos immunitatem sacerdotalem.

71 *Et ad sponte confitendum, et recognoscendum procuratorio & sindicario nomine suprascriptis, quod dudum dicta ciuitas Papiæ & eius districtus, ac homines & habitatores eorundem ciuitatis & districtus fuerunt & steterunt sub dominio & subiectione ac obedientia quondam domini Matthæi de Vicecomitibus de Mediolano etiam contra Romanam ecclesiam: non tamen in hæresi, neque in aliqua fautoria alicuius hæresis, etiam temporibus, quibus dicitur, quod ipse dominus Matthæus fuit in rebellione eiusdem Romanæ ecclesiæ, et ei obedierunt.* Et infra.

Veniam poscunt, si Matthæo vicecomiti adhæserint.

Item ad confitendum, et recognoscendum etiam, quod dicta ciuitas et communitas, et homines et habitatores eiusdem ciuitatis et eius districtus fuerunt aliquibus temporibus obedientes et fauentes Ludouico de Bauaria, etiam in coronatione ipsius facta in ciuitate Mediolanensi, scientes ipsum tunc temporis esse rebellem sanctæ Romanæ ecclesiæ, et ei tanquam Regi Romanorum et se nominanti Imperatorem, licet non esset, per sanctam Romanam ecclesiam approbatus, fauerunt, obedierunt, et intenderunt, sicut supradictum est, in omnibus præterquam in hæresi vel aliqua fautoria seu specie hæresis, in quibus nunquam eidem Ludouico vel alicui alij obedierunt, nec fauorem aliquem præstiterunt; et etiam obedientiam et fauorem prædictos, vt dictum est, eidem Ludouico præstiterunt non voluntarij, sed inuiti et coacti per dictum Ludouicum seu gentes eiusdem, et quandoque propter timorem aliorum.

Vt pauerint Ludouico.

Item ad recognoscendum et confitendum nomine suprascripto, quod dicta ciuitas et communitas, ciues et homines et habitatores eiusdem ciuitatis et eius districtus aliquibus temporibus scienter receperunt nuntios Petri de Corbaria antipapæ tempore, quo in rebus humanis agebat bonæ memoriæ dominus Ioannes Papa XXII. ac prædicatores etiam prædicantes contra dictum dominum Ioannem Papam XXII. et eis fauerunt, ipsos vt tales honorabiliter recipiendo, et eis reuerenter obediendo, ipsosque fauorabiliter tractando; non tamen in hæresi, nec in aliqua fautoria alicuius hæresis, neque eis vel alicui eorum in aliqua hæresi vel in specie alicuius hæresis, seu contra catholicam fidem fauorem vel auxilium aliquod vlla modo præstiterunt: nec etiam vnquam crediderunt, dictum Petrum de Corbaria fuisse vel esse verum Papam, nec dictos nuncios fuisse vel esse nuncios veri Papæ, et etiam receptionem, obedientiam et fauorem huiusmodi, vt dictum est, præstiterunt et fecerunt non voluntarij, sed inuiti et coacti. Et infra: *Et ad supplicandum pro eis et eorum nomine sanctitati eiusdem domini Papæ, quod sua solita clementia dignetur et velit adhibere remedium opportunum circa amotionem et abolitionem et relaxationem quorumcumque interdictorum, processuum, et sententiarum, etc.* Pluribus alijs adiectis, quibus amplissimis mandatis oratorem fulciunt, adiectæ sunt prolixæ præcipuorum ciuium Papiensium subscriptiones. Eadem penitus verborum formula ad eadem præstanda Nouarienses [a], Vercellenses [b], Nouocomenses [c] memoratum Guidolum oratorem auctoritate instruxere: de quo publica documenta ciuium nominibus appositis discrepantia edita sunt. Soluti [d] eodem anno fuere censuris, restituto ijs sacrorum templorum vsu, Feltrenses & Belunenses qui Ludouici Bauari fœderatis Scaligaris adhæserant, posteaque excusso seruitutis iugo ad episcopi eiusdemque comitis obsequiũ redierant: & Nouocomensi Tridentino, atque Taruisino episcopis data prouincia est, vt singulos oppidanos, nuncupata prius rite de Cæsare non agnoscendo, nisi a sede Apostolica confirmatus esset, pellendis hæreticis, asserenda immunitate ordinis ecclesiastici, damnanda Corbariana perfidia, sacramenti formula anathemate liberarent. Ita Marsilianæ Iandunianæque hæreseos reliquæ fibræ ex Italia sensim euulsæ sunt.

Excepere antipapæ nuntios.

Solui censuris flagitant.

a An. 7. ep. cur. 37.
b Ib. ep. 38
c Ib. ep. 39
d Ib. ep. 73

72 In Germania aucta est hæreticorum multitudo, quæ etiam in finitimam Boemiam sese infudit: adeoque hæc pestis grassata est, vt eiusmodi tenebriones cœtus auderent cogere, sæuire in catholicos, atque etiam principes ad pugnam prouocare. Vocabant ij errorum magistros apostolos: quos vero profanos ritus sectarentur, non describitur. Non abest tamen coniectura, ipsos ex illorum, qui obscœnis voluptatibus felicitatem virtutemque metiebantur, volutabro emersisse. Cum vero ab his lacessitus Vlricus e Nouadomo expediret arma, vt ipsos ad officium cogeret, a Pontifice sacris indulgentijs subiecto diplomate [e] affectus est.

Hæretici in Boem. irrepunt.

e An. 6. ep. com. 269.

Benedictus, etc. dilecto filio nobili viro Vlrico domino de Nouadomo Pragensis diœcesis, baroni de regno Boemiæ.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod in terris tuo dominio temporali subiectis, in

Præ-

Pragensi & Olomucensi diœcesibus cõsistentibus, & etiam in toto regno Boemiæ infiniti hæretici communiter Theutonici & aduenæ, non absque infectione cultorum fidei orthodoxæ periculose, proh dolor! in magna multitudine pullularunt;& quod dicti hæretici, cum inquisitores hæreticæ prauitatis, auctoritate apostolica in illis partibus constituti, volunt procedere contra eos, fugiunt & latitant, ac catholicos capiunt, mutilant, expoliant,& alias proditionaliter offendunt eosdem, eorumque bona incendio ignis supponunt; & quod, licet per dilectum filium Gallum fratrem ordinis Prædicatorum, inquisitorem prauitatis prædictæ in illis partibus deputatum, tunc præsentem in Romana curia, multi infecti prauitate prædicta, abiuratis erroribus, deuote redierint ad agnitionẽ & obseruationem fidei orthodoxę; tamen post eius absentiam in errores pristinos sunt relapsi, conuenticulas illicitas cum magistris eorum, quos vocant apostolos, faciendo: qui etiam in tantum numerum excreuerunt, quod te tuosque subditos catholicos ausi sunt temere diffidare; quare tu in nostra præsentia constitutus nobis humiliter supplicasti, vt cum tu pro exaltatione catholicæ fidei & zelo ipsius intendas exponere te & tua ad hæreticorum exterminium prædictorum, vel reductionem ipsorum ad lucem catholicæ veritatis, dictoque inquisitori, eiusque inquisitionis officio assistere toto posse; ac ob hoc habeas dictorum hæreticorum machinationes & mortis pericula formidare, prouidere tuæ speciali saluti de solita sedis Apostolicæ clementia dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, tibi & ijs, quos tecum ad prosecutionem præmissorum duxeris assumendos, teque sic assumpti sequentur personaliter; quosque forte quocumque modo negotium fidei contra hæreticos prædictos prosequendo, machinationibus aut facto vel occasione dictorum hæreticorum mori contigerit; illam omnium peccatorum vestrorum, de quibus fueritis corde contriti & ore confessi, auctoritate apostolica veniam indulgemus, quæ per sedem Apostolicam indulgeri, vel concedi consueuit transfretantibus in subsidium terræ sanctæ. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. 11. non. mar. an. vi.*

Grassantur in catholicos.

Errorum magistros vocant apostolos.

Vlricus e Noua domo eos excindere parat.

Sacris indulgentijs afficitur.

Coacti hoc eodem anno fuerunt celeberrimi theologorũ cœtus a a Guillelmo episcopo Parisiensi, in quibus varij errores damnati sunt. Quorum primus ex Armenorum hæresiarcharum lacunis fluxerat, & nonnullos etiam Græcos, Palama auctore, hoc tempore infecit, diuinam nimirum essentiam in se neque ab homine neque ab angelo beatis videri, vel vnquam visum iri: quem quidem errorem a Benedicto Papa fidei decreto iam ante allato, discussum vidimus b. Fingebant enim illi errorum architecti tantummodo lucem quandam corpoream a diuina essentia manantem conspectum iri: quam nefariam opinionem Armenos eiurari iussos a Christi vicario proximo anno narrabimus c. Secundus & tertius error diuinitatem Spiritus sancti olim eiusque a Patre & Filio tanquam vnico spiratore & principio processionem oppugnabat: quem in concilio Lugdunensi damnatum Gregorio X. Pontifice vidimus d, atque etiam in Ephesino œcumenico antea superiori anno memorauimus e. Quartus hic erat, *quod multa veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse Deus*. Quintus error versabatur circa distinctionem creationis, an idem sit cum Creatore, an cum creatura, vel quid ab his distinctum: magnasque hoc tempore Constantinopoli turbas mouisse a vidimus. Sextus error circa angelos versabatur, nimirum, *quod angelus malus in primo instanti suæ creationis fuit malus & nunquam fuit non malus*. Septimus error iam antea damnatus a Benedicto apostolica sententia b repetitus ex ab impio Caluino c, mentiebatur, animas beatas & corpora gloria immortalitatis donata cælo empyreo cum angelis non excipi, vel exceptum iri. Octauus error, *quod angelus in eodem instanti potest esse in diuersis locis, et est vbique, si velit esse vbique*. Nonus error, *quod qui habet meliora naturalia, de necessitate habebit maiorem gratiam, et gloriam*. Decimus est, *quod diabolus nunquam habuit vnde possit stare, nec etiam Adam in statu innocentiæ*.

In celeberrimis theologorum cœtibus damnati errores.

Primus. a Lib. 4. bibl Patr. pag. 1318. b An. Chr 1336 n. 3.

Secundus & tertius. c Ann. Chr 1341. n. 51 & 105. d Annal. to. xiv. ann. Chr. 1274 n. 14. & 18. Quartus. Quintus. a An. Chr. 1339. n. 34.

Sextus. a Cantar. l. 2. c. 40. & Pontan. in notis ad idem cap. Septimus. b An. Chr. 1336. n. 3. Octauus. c Caluin. inst. l. 3. c. 20 § 24. Nonus. Decimus

73 Alluxit Bossinæ hoc anno Stephani Bossinensis siue Bosnensis bani religione catholicæ fidei splendor, quem hæresis densioribus tenebris obscurarat d: cum enim Geraldus supremus Minoritarum præpositus precibus Caroli Regis Vngariæ in eam prouinciam se contulisset, banus obuiam illi progressus, conceptum animo delendæ hæreseos consilium aperuit; qua de re Pontifex Geraldo hisce verbis est gratulatus e: *Idem banus, tibi obuiam occurrens in via, te honoranter recepit, et a te verba catholicæ veritatis et salutis libenter audiuit, tibique aperuit propositi sui votum, per quod euidentius cognouisti, quod bonam voluntatem gerit ad extirpandum de principatu Bosnensi cunctos hæreticos degentes ibidem, dummodo nos et sedes Apostolica, et idem Rex Vngariæ sibi super his fauorabiliter assistamus: quorum fautorem sibi opportunum æstimat propter schismaticos, quos habet sua terra vicinos, quorum schismaticorum auxiliũ dicti hæretici inuocarent, si se de terra prædicta cognoscerent extirpandos*. Addit Benedictus bano se studio & opera non defuturum in hæreticis excindendis, atque orthodoxos finitimos ad auxilium illi explicandum excitaturum. Cumque in primis ad prosternendos fidei hostes Caroli Regis Vngariæ potentia desideraretur, illum Benedictus accendit f, vt cæteris triumphis restitutæ in Bossina catholicæ religionis gloriam adderet.

Princeps Bossinæ ad fidem cathol. reuocatus. d To. 6. ep. secr. 33.

e Ib. ep. 32

Hæresim excindere e principatu molitur. Sedis Ap. auxilium implorat.

f Ib. ep. 31

Cum, inquit, *fili ad magnam gloriam tuam et securitatem regni tui cedere dignoscatur, si de præfata terra Bosnensi dicti hæretici, tuo ad hoc suffragante præsidio, extirpentur; serenitatem regiam rogamus, requirimus, et hortamur attente, tibi in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus diuinæ retributionis intuitu, et requisitionis apostolicæ interuentu eidem bano omnibus modis, vijs, et studijs, et consilijs, et auxilijs opportunis, quibus melius cognoueris expedire, prudenter et potenter assistas; vt idem banus de terra præfata possit euellere præfatam iam antiquam in ea contagionem hæreticæ prauitatis, et in ipsam reducere diuinum cultum, et ecclesias exinde destructas in statum pristinum ad laudem diuini nominis restaurare: ita quod exinde præmium consequaris retributionis æternæ, et regno tuo ex reductione dictæ terræ ad lucẽ catholicæ veritatis prapares et impẽdas pacis et securitatis augmentũ. Dat. Auin. 11. kal. mart. ann. vi.* Confirmare alijs literis g in pio suscepto reuocandæ in Bossinam puritatis catholicæ consilio Stephanum Banum studuit Pontifex, proposuitque ob oculos in quanta se heredesque pericula conijceret, si palam adeo grassari hæreticos fineret; quibus excisis, immortalem apud Deum hominesque gloriam esset collecturus.

Vngarus ad ferendum illi auxilium sollicitatus

Et instaurandas Bossin. ecclesias.

g Super ep 33. Confirmatus in cœptis Banus

Curat Tartaricam ecclesiam Benedictus.

74 Ad tuendam einsdem fidei puritatem, tum latius inter gentiles veteri imbutos superstione proferendam, ne apostolico deesset muneri, Benedictus archiepiscopos, episcopos & cæteros inferioris gradus præsules, qui in Tartarorum imperijs, ac vel in oriente, vel Seythia Asiatica versabantur, litteris ad constantiam in fide, vitæque labores spe immortalitatis perferendos; seruandam incorruptam religionem, eamque amplificandam est cohortatus. a

a Eod. to. 6 ep. secr. 152.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filijs electis, abbatibus, cæterisque personis ecclesiasticis regularibus, religiosis, et secularibus, ac vniuersis Christi fidelibus in Tartarorum imperijs, et partibus orientalibus et aquilonaribus constitutis.

Supra gregem dominicum tanquam pastor vniuersalis, disponente Domino, constituti, de subditorum salute profundis meditationibus cogitamus: inter quas illa solicitudo quotidiana nos angit præcipue, vt per vestræ cooperationis ministerium puritas catholicæ fidei, sine qua nemo potest saluus fieri, colatur & obseruetur vbique ad diuini nominis laudem & gloriam, fideliumque animarum salutem, semper felicia suscipiens incrementa. Etsi splendorem huiusmodi fidei orthodoxæ in illis mundi regionibus, in quibus plenarie ipsius cultus viget, resplendere cupimus, cuiusuis obfuscationis erroneæ caligine profugata; summis tamen desiderijs peroptamus, vt in vobis, inter nationes exteras constitutis, non extinguatur eiusdem lucerna fidei, sed vehementius accendatur, vt quanto maioribus pressuris & tribulationibus vos contingit subijci propter eam, tanto si constantes & perseuerantes in ea fideliter fueritis, ampliora & vberiora merita vobis exinde prouenient apud Deum.

Præsules imperij Tart. ad fidei constantiam hortatur.

Ad ferenda aduersa.

Idcoque vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente in domino Iesu Christo, quatenus spem vestram figentes in Domino, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum; pro fide ipsa, quæ vos cum operibus bonis ad æternæ quietis perducet beatitudinem, stetis viriliter, & eam firmiter & tenaciter obseruetis: vosque, fratres archiepiscopi & episcopi, ac filij electi abbates & alij religiosi ac seculares, quibus ex officio vel alias prædicare congruit verbum Dei, circa dilatationem eiusdem fidei verbis & exemplis salutaribus fideliter & sedule tanquam operarij veri & idonei laboretis, metentes messis manipulos in agro Domini, quos in eius horrea reporteris cum gaudio, vocem illam dulcissimam, *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, post huius vitæ miserabilis transitum audituri. Vt autem fides eadem catholica, quam nos & ecclesia Romana cum vniuerso cœtu Christianorum fidelium profitemur, prædicamus, & tenemus firmiter, vobis clarius & apertius innotescat, vosque illam sequi, profiteri, tenere, ac euangelizare firmius valeatis, eam tenore præsentium prouidimus, vt sequitur, explicandam. Credimus sanctam Trinitatem Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, &c. Concepta est ijsdem verbis hæc fidei formula, atque illa, quam Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori a Clemente IV. & a Ioanne XXII. Ossinio Armeniæ Regi b ac superiori anno a Benedicto Alanis propositam vidimus. *Dat. Auin. XVI. kalend. septembris anno VI.*

Ad gentiles probo exemplo ad Christum traducendos

Proponit fidei formulam.

b Annal. to. XIV. 1265. n. 73. & to. XV. ann. 1318. n. 30. & to. 16. Ann. Chr. 1338 n. 78.

75 Fauebat amplificandæ inter septentrionales Tartaros religioni Vsbech Imperator, qui oratores hoc anno ad sedem Apostolicam transmisit, quibus se erga ipsam egregie affectum exhibuit, precibusque pontificijs in euangelicis præconibus amplectendis, conferenda facultate vt templa Christo ponerentur, Christiana sacra exercerentur, disseminaretur fides, obsecundasse significauit, & omne erga fideles odium posuisse, cum nonnulli ipsos ob structas sibi insidias, subiectasque regiæ faces in inuidiam adducerent. Imperialia etiam, ac Tynibech a maioris natu filij, & Taydolæ b vxoris Imperatricis nomine magnifica Christi vicario munera transmisit. Quibus receptis Benedictus ijsdem Vsbecho Imperatori, Tynibecho filio c, ac Taydolæ Imperatrici de egregio in Christianos studio grates egit; excitauitq; ad sacra baptismalia suscipienda, vt cæleste imperium adipiscerentur.

Vsbech Imp. Tart. fidei Christianæ fauet.

a To. 6. ep. secr. 149. et in M. S. archiu. Vat. de rebus Tart. Arm. &c. pag. 33.
b Eod. to. 6 ep. secr. 150.
c Ib. ep. secr. 151.

Magnifico principi Vsbech Imperatori Tartarorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Lætanter & benigne recepimus dilectos filios nobiles viros Petranum de Lorto olim dominum de Capha, & Albertum eius socium fidei catholicæ professores, magnificentiæ tuæ nuncios vna cum dilecto filio Helym de Vngaria ordinis fratrũ Minorum nuncio viri egregij ducis Thynibech primogeniti tui, ad nostram præsentiã destinatos: & ea, quæ ipsi coram nobis pro parte tuæ celsitudinis curauerunt proponere, patienter & clementer audiuimus, & intelleximus diligenter. Cum autem nuncij præfati tuam magnificentiam & potentiam, nec non deuotionem & reuerentiam, quas ad nos & sanctam sedem Apostolicam geris & gessisti hactenus, multæ laudis & commendationis præmijs attollentes, narratione subiuncta placibili explicarunt, quod tu huiusmodi deuotionem & reuerentiam in laudabilium effectum operum perducendo, nuncios nostros, quos dudum ad partes Cathayensis imperij mittebamus, ad tuam præsentiam accedentes, ob diuinam & nostram ac dictæ sedis honorem & reuerentiam fauore benigno suscipiens, eis charitatiue fecisti de necessarijs & expensis ac vsque ad partes prædictas de conductu non modico, quin potius sumptuoso & magnifico prouideri; & vlterius exhortationibus & precibus nostris, quibus Christianos catholicos & Romanæ obedientes ecclesiæ in tuo degentes imperio beneuolentiæ tuæ commendauimus, fauorabiliter annuens, erga Christianos eosdem tuæ magnitudinis liberalitates & gratias ampliasti; eis reparandi nihilominus & ædificandi ecclesias & loca ecclesiastica, nec non antistitibus & religiosis catholicis prædicandi verbum Dei, & sacramenta ecclesiastica iuxta ritum & morem S. R. E. matris omnium fidelium & magistræ, ministrandi licentiam liberalem concessisti; profecto quidem speramus & credimus, quod prouidentia diuina, quæ in suis dispositione non fallitur, præmissa & alia pia opera, circa quæ, vt gaudenter percepimus, te liberaliter exerces, inspirauit & inspirare non desinit menti tuæ, vt tandem agnita veritate, quæ Christus est, illuminatusque fidei catholicæ claritate, & per susceptionem eiusdem fidei, sine qua non est salus alicui, ouile dominicum, cuius est vnus pastor, ingressus æternæ societatis pascuis post vitæ præsentis exitum non frauderis.

Colit Romanum Pont.

Excipit honorifice eius in seruitios.

Fidei propagandæ facultatẽ impertitur.

Solicitatur ad Christi cultum.

76 Nos igitur, qui licet insufficientibus meritis, locum Dei tenemus in terris, hæc pro tuæ salu-

salute animæ feruentibus desiderijs peroptantes, rogamus magnitudinem tuam & in Domino attentius exhortamur, quatenus intra tui pectoris

Vitæ incōstantia proposita.

claustra considerantur reuoluens, quam breuis est vita hominis, & quam incertus mundi huius exitus, quam frequenter fit etiam repentinus, quodcumque potest manus tua, vt choris possis adiungi cælestibus, instanter studeas operari: super quibus & alijs, salutem tuam huiusmodi concernentibus, deuotis insistimus & insistemus precibus apud Deum. Porro super fauoribus & gratijs a tua clementia Christianis prædictis catholicis, vt præfertur, exhibitis; necnon de exenijs pro parte tua & eiusdem incliti primogeniti, ac illustris Imperatricis consortis tuæ nobis per memoratos nuncios præsentatis, & a nobis grantanter mittentium consideratione receptis, excellentiæ tuæ referimus gratiarum vberes actiones;

Actæ de munerib' gratiæ.

nostris prædictis precibus & exhortationibus subiungentes, vt gratiæ fauor imperialis erga Christianos prædictos catholicos, & præfatæ Romanæ ecclesiæ obedientes, vt præmittitur, semper exuberet & accrescat. Et insuper cum, sicut intelleximus, inter tuos ac charissimorum in Christo filiorum nostrorum Vngariæ & Poloniæ Regum illustrium officiales & subditos in confinijs imperij tui & regnorum Regum prædictorum quandoque suscitari contingat dissensiones & guerras, ex quibus strages hominum, lapsus rerum, & animarum amarius deploranda pericula subsequuntur; velit tua sublimitas ab inuasione regnorum prædictorum desistere, quia si Reges prædicti inferent tibi vel tuis iniurias indebitas vel offensas, & id nobis duxeris intimandum, hæc per Reges ipsos procurabimus facere, quantum cum Deo poterimus, tibi & tuis rationabiliter emendari. *Dat. Auin. xvi. kal. septembris anno vi.*

77 Obtulit se Pontifex futurum illius controuersiarum interpretem, cum tunc maximus Tartaricæ in Poloniam irruptionis terror increbesceret post adiunctam a Casimiro imperio Polonico amplissimam Russiæ partem, postquam Boleslaus dux siue improbæ administrationis, siue religionis odio a Russis veneno extinctus fuisset.

Debellata a Casimiro Russia.

Describunt pluribus Poloni historici a secundas res gestas in ea expeditione, Leopolim aliasque arces captas, instauratamque veterem regni maiestatem: amplitudinemque ex qua Tartari, cum a Russis, qui iugum Polonicum ferre detrectabant, incitati Polono Regi bellum intentarent, admonitus Pontifex ad eorum propulsandos impetus religiosam militiam in Polonia, Vngaria, & Boemia promulgandam indixit b; Gnesnensique archiepiscopo, vt fideles sacro crucis symbolo insigniret, prouinciam dedit c. Tum Casimirum ad fortem animum gerendum excitauit d.

a Michou l. 4. c. 18. Chromer. l. 12.

b An. 6. ep. com. 240.

c lib. ep. 241

d lib. ep. 238.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Casimiro Regi Poloniæ illustri.

Nuper tua serenitas per suas literas nostro apostolatui patefecit, quod gens perfida Tartarorum, in tenebris ambulans, carensque lumine catholicæ veritatis, profana cogitatione considerans, quod regnum tuum Poloniæ, quod a fidelibus habitatur, est in vltimis Christianorum finibus constitutum; & quod propterea ad impugnationem regni præfati eisdem Tartaris absque catholicorum principum & aliorum fidelium obice iuxta profanos conceptus ipsorum facilior via patet; dictum regnum & Christianos habitatores ipsius inuadere & destruere feris & sitibundis animis conceperunt: ita quod ad tuum fidedigna relatione peruenit auditum, quod dicti Tartari huiusmodi conceptus iniquos continere sub claue silentij nequeuntes, prætensis occasionibus friuolis, publice comminantur, quod ipsi ad inuasionem & destructionem regni præfati, & desolationem fidelium habitantium in eodem, & religionem catholicam inibi profanandam, conflatis potentiæ suæ viribus, infra breue tempus hostiliter properabunt.

Intentatū illi a Tartaris bellum.

Propter quod tu attendens, quod dictum regnum est ecclesiæ Romanæ immediate subiectum, & etiam censuale; & quod tam tu, quam habitatores regni prædicti estis eiusdem ecclesię peculiares filij et fideles; et quod ex impugnatione dicti regni si, quod absit, dictorum Tartarorum rabiosa præsumptio procederet ad eandem, non solum dictum regnum eiusque incolæ, quinimmo fideles cæteri dicto regno tam proximi quam remoti proculdubio diris aduersitatibus læderentur, nostrum in hac parte, et per nos promptum aliorum fidelium subsidium et præsidium humiliter implorasti. Nos igitur attendentes, quod in defensione et tuitione regni prædicti nō solum tua et eiusdem regni, sed aliorum fidelium vicinorum, et etiam, vt præmittitur, remotorum salubritas agitur, et securitas procuratur, et barbaricæ feritatis audacia facilius, Deo propitio, in suis poterit refrænari et collidi principijs, quam si nullo parato resistentiæ obice permitteretur liberius in sanguinem Christianum desæuire; considerantes etiam vrgentem et probabilem tuæ supplicationis instantiam, votis tuis super præmissis eo libentius annuendum fore prouidimus, quod illa apostolici fauoris fulcienda et iuuanda præsidijs magis vtile et expediens existimamus.

Petita ab eo a Pont subsidia.

78 Præmissis igitur attenta meditatione pensatis, supplicationem tuam in hac parte benignius admittentes, vt serenitas tua aduersus eosdem Tartaros fidelium inimicos (qui dudum, sicut infanda experientia docuit, dictum regnum & nonnullas alias terras fidelium & personas eorum per crudelis impugnationis & expugnationis excidium destruxerunt) diuino, vt speramus fulta subsidio, & aliorum fidelium crucis Christi signaculo munitorum suffragio communita, defensionem eiusdem regni & incolarum ipsius contra dictam barbaricam nationem potenter assumere valeat & feliciter exercere; prædicationem crucis in auxilium tuum & regni præfati per nostras literas duximus concedendam: ac venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Gneanensi, & Cracouiensi ac Vratislauiensi episcopis per alias nostras dedimus literas in mandatis, vt ipsi & eorum quilibet per se & alias personas ecclesiasticas seculares, & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas esse cognouerint, in eodem Poloniæ, ac Vngariæ & Boemiæ regnis contra præfatos Tartaros & quoscumque alios infideles, volentes ac præsumentes inuadere seu offendere te & dictum regnum Poloniæ ac habitatores ipsius, proponant instanter datam eis a Deo prudentiam verbum crucis venerabile signum eius, tam tuis quam aliorum fidelium incolarum regnorum prædictorum, illam deuote suscipere volentium, humeris affigendo; eosque suis exhortationibus & instantijs inducendo, vt prædictum negotium contra Tartaros & infideles præfatos feruenter assumant, & viriliter prosequantur, &c. [Interiectis nonnul-

Decreta ad retundendos Tartaros cruceata militia.

In Polonia, Vngaria, & Boemia promulgata.

nullis de propofita criminum venia ijs, qui bellicos aduerfum Tartaros fubirent labores, vel militem ftipeue facram expeditionem iuuarent, addit Pontifex].

Propofitæ eam profefsuris indulgentiæ.

Tu igitur fcuto fidei & falutis galea communitus, ac figens in Domino anchoram fpei tuæ, fi per fimiles coniecturas vel præfumptionis probabilis argumenta colligere poteris, quod eadem gens barbara Tartarorum præmiffa forfitan præfumere moliatur, forti animo efto, tuam tuorumque fubditorum mentem corroborans & confortans: quia potens eft Dominus habitans in excelfis iuuare fperantes in eo, infidelium conterere animos, & deprimere cornua fuperborum. *Dat. Auin. kal. augufti anno vi.* Duxit a tantum quarto poft anno formidandam expeditionem Tartarorum Imperator excitus a proditoribus ad excindendum Polonicum imperium: fed cum ad Viftulam caftra promouiffet, traiectu a Cafimiro Rege prohibitus, poft inanes telorum iactus retro figna flectere coactus eft.

Excitatus ad conftātiam Polonus.

a Miechou. l. 4. c. 8. Crom. l. 12. Repulfi Tartari.

79 Hoc anno S. Gertrudes, dum Chrifti paffionis myfteria recoleret, diuino amore adeo accenfa eft, vt Numen illi facra ftigmata impreflerit, vt refert Ioannes a Leydis Carmelita b: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXL. *contingit in oppido Delffenfi condignum relatione miraculum: nam virgo Gertrudis de Oeften habitans in antiquo beghinagio eiufdem oppidi, adeo feruenter aftuabat ad dominicam paffionem, vt ftigmata et cicatrices in latere, manibus, & pedibus fuis vifibiliter apparerent: & vniuerfi fideles in hoc prodigio crucifixum Dominum non immerito collaudarunt, &c.* Nonnullis interiectis, piam hiftoriam ita profequitur: *De nocte fancta parafceues hac virgo Gertrudis deuotione magna proftrauit fe coram Crucifixo, prolixius orans in camera fua, mente diligenter attrectans amaritudinem paffionis & mortem acerbiffimam domini noftri Iefu Chrifti. Cum ergo mirifica deuotione fic transformata foret in amorem dilecti fui fponfi Domini noftri, mirabilis Deus in fanctis fuis tanta fecit mirabilia virgini mirabili gratia, vt quinque ftigmata Domini noftri fufciperet in quinque membris fui virginalis corporis. Sufceptis igitur ftigmatibus, immo quinque vulneribus, ex contemplatione diuina veniens ad humana, clamauit ad cohabitantē fibi beghinam voce magna: Dieuuoerdis, Dieuuoerdis, veni & vide quantam gratiam Deus mihi pauperi conceffit ancilla fua non meis meritis, fed ex fua fuperabundanti pietate. Qua cum veniret, videns tantam gratiam dono Dei virgini Gertrudi conceffam, obftupuit; & Deum pro tantis mirabilibus largiter oftenfis laudans benedixit. Nam non folum nocte illa parafceues; verum etiam clara die, fed & deinceps diebus multis ex facrofanctis vulneribus profluxit fanguis pulcherrimus rubicundi coloris fepties in die per fingulas feptem horas canonicas: qui quidem cruor de ftigmatibus perfluens receptus eft in panniculis lineis.*

S. Gertrudi impreffa ftigmata.

b Io. a Leyd. chr. Belg. l. 28. f. 4.

In recolēda Chrifti paffione.

E vulneribus cruor manat.

Nouitas ifta cito cunctis innotuit, nec latere potuit: vnde non folum de oppido Delffenfi, fed & circumquaque populus multus, audiens in virgine mirabilia Dei, properabat videre quæ facta fuerant: fed huiufmodi concurfus Gertrudi non placuit, nam propter populi frequentiam cordis moleftiam experiebatur, & impediebatur a fpiritualibus exercitijs. Et quia confiderabat, quod timor eft omni homini neceffarius, rogabat Dominum dicens voce cordis humillima: Dulciffime domine Iefu Chrifte, fi fuerit voluntas tua, defidero quod hæc quinque vulnera pietatis tuæ gratia mihi conceffa, rurfum tollas, ne forte contingat mihi a te feparari per propriam complacentiam. Exaudiuit autem Dominus orationem virginis, & abftulit illi gratiam quinque vulnerum, fic quod ex eis fanguis non emanabat: fed ftigmata tamen deinceps vfque ad mortem conferuabat. Hactenus auctor.

Ad videndum miraculū fit concurfus populi.

Ad eiufdem virginis preces claufa vulnera.

IESV CHRISTI
Annus 1341.

BENEDICTI PP.XII. annus 8. VAC. IMP. OCCID. 28. IO.PALÆOLOGI IMP.OR. 1.

1 PArtæ de Saracenis Granatenfibus & Africanis victoriæ iam a nobis memoratæ gloriam Chrifto relaturus Alfonfus Caftellæ Rex, illius in terris vicario fpolia anno a Virginis partu quadragefimo primo fupra millefimum trecentefimum indictione nona tranfmifit, de quibus meminit Hifpanicarum rerum fcriptor his verbis a: *Auenionem equi centum, gladij parmaque e corio totidem e præda Maurica Benedicto Pontifici miffa funt: quatuor præterea & viginti Maurica figna, equus vexillumque Regis, quibus in prælio vfus erat, alia. Leina legatus*, is in pontificijs literis Ioannes Martini dicitur, *aliquanto fpatio a Cardinalibus obuijs exceptus, Pontificis voce, cum facris de more effet operatus, Alfonfi Regis laudes maximo principum hominumq; concurfu celebratæ funt.* Defixa victi Albohacenis victorifq; Alfonfi figna in pontificio facello fuiffe ad fecuturarum ætatū memoriam, teftatur his verbis M.S. Vaticanum b: *Huius Papæ temporibus dominus Alfonfus Rex Hifpaniæ contra Regem Marrochiæ conferto prælio triumphauit: & in fignum victoriæ idem Rex vexillum fuum domino Papæ mifit, quod vfque hodie in capella Papæ Auenionenfi conferuatur.* Eadem etiam vitæ Benedicti auctor tradit. Confirmantur fuperiora pontificijs literis, quibus Benedictus Alfonfo Regi Caftellæ ob miffas hoftium exuuias, ac nonnullos Saracenos bello captos in relati triumphi argumentum adductos ad fedem Apoftolicam, gratias egit c, ipfumque eft adhortatus, vt quo maiorem fibi triumphando de hoftibus gloriā peperiffet, eo fe demiffiorem erga Deum, a quo pendet victoria, præberet: fortem animum gereret, præteritos enim triumphos nouis cumulatum iri.

Mauricæ victoriæ fpolia miffa Pontifici.

a Marian. l. 16. c. 8.

b M.S. bibl. Vat. fign. n. 3765. in Ben. XII.

Caftellano actæ gratiæ.

c To. 7. ep. fecr. 76.

Benedictus, &c. chariffimo in Chrifto filio Alfonfo Regi Caftellæ illuftri.

2 Miffum pridem ad noftram præfentiam dilectum filium nobilem virum, Ioannem Martini militem & nuncium regium læto vultu & animo benigno, tam mittentis confideratione quam eiufdem miffi probitatis obtentu, recepimus; & expofitam per eum in noftra & fratrum noftrorum, ac aliorum multorum prælatorum, clericorum, & laicorum præfentia, facundis & gratis fermonibus recenfendo delectabiliter victoriam gloriofam, quam aduerfus hoftem illum crudelem Dei & orthodoxæ fidei.. Regem Marrochitanum videlicet & fuos exercitus Saracenicos, ad confufionem & exterminium fidei & fidelium in illis partibus terribiliter afpirantes, dedit tibi de cælo virtutum Dominus, audiuimus exultanter: nec non equum, quem equitafti contra eofdem perfidos Saracenos, in virtute diuina triumphans, vexillum quoque armorum regiorum victricium, te in acie tunc præcedens, & quofdam de Saracenis, in Chrifti victoria captiuatis, cum diuerfis banderijs feu vexillis

Gratulatoriæ ad eum Benedicti literæ.

Sara-

Saracenorum deuictorum & captiuatorum in Dei prælio, quod gessisti; quæ omnia nobis & sedi prædictæ in signum deuotionis eximiæ, subsequenter ibidem præsentauit, & obtulit pro parte regia dictus miles; gratis & gaudiosis in Domino admisimus affectibus, diuinæ clementiæ, quæ de sede suæ magnitudinis eandem tibi tribuit victoriam, in laudis iubilum vna cum eisdem fratribus & alijs fidelibus, tunc ibidem vt præfertur astantibus, rore repleti spiritualis exultationis & gaudij, deuotius assurgentes, tueque celsitudini pro prædicto misso nuncio, ac destinatis & præsentatis, vt præfertur, huiusmodi deuotionis encænijs, referentes non sine commendationia condignæ titulis gratiarum vberes actiones.

Sane, fili charissime, si diligenter attenderis, quot & quanta beneficia de manu Domini, a quo cuncta bona procedunt, & sine quo humana fragilitas nihil potest, in obtinenda victoria ipsa (per quam, præter mercedis perennis acquisitum tibi præmium, diuulgatur per orbem fama celebris tui nominis & honoris) receperis, habes proculdubio vnde sibi deuotas, & debitas referre in humilitate spiritus gratiarum actiones non cesses, recognoscendo deuote hæc & alia dona sibi ab ipso collata non de tuis vel tuorum viribus, sed solum de suæ virtute potentiæ recepisse. Speramus siquidem in Domino, quod si hæc iugiter egeris, teque gratum eidem reddideris per opera virtuosa, vltra existimationem humanam, cum felicium votiua prosperitate successuum & annosa temporis longitudine, honorea tibi, ac bona spiritualia & tẽporalia iugiter adaugebit.

Ideoque regalem excellentiam paternis affectibus in Domino attentius exhortamur, quatenus circa eu. quæ præmisimus, solicitudinibus studiosis intendens, ad defensionem & dilatationem fidei, ac repressionem & expugnationem eius hostium velut athleta strenuus in virtute diuina accinctus robore magnanimitatis & fortitudinis, sicut indicit tibi alti tui prosapia generis, & regalis persuadet solij dignitas, continuationibus laudabilibus te impendas. Et nihilominus vt vitia, quæ molesse consueuerunt, proh dolor! in illis partibus, extirpentur; tibique ac tuis subditis magis placatus propitietur Dominus. dare velit regia celsitudo, quantum in ea fuerit, operam efficacem, &c. *Datum Auin.* VIII. *id. maij anno* VII.

Lusitana de ead. re legatio.

3 Legarat etiam vnu cum Alfonso Rege Castellæ Alfonsus alter illius socer Lusitaniæ Rex, quem in pugnæ & gloriæ societatem venisse vidimus, suos ad sedem Apostolicam oratores, qui accepta cælo in barbarorum infinita prostrata multitudine beneficia Pontifici & sacro Cardinalium collegio referrent; cum maxime Benedictus id bellum sacrum, vt diximus, apostolicis studijs promouisset. Auditis Lusitanis oratoribus Christi vicarius, vt Castellanum ad agendas diuino Nomini ob partam victoriam gratias excitarat, ita Lositaniæ Regem, vt in Deum rei gestæ gloriam omnem transfunderet permouit: collaudauit a pium illius de vrgendo aduersus impios bello consilium: ad præclara maiorum, qui Mauros continuis bellis attriuissent, exempla prouocauit; ex ea enim re ipsum immortale decus collecturum.

a To. 7. ep. secr. 82.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Portugalliæ illustri.

Habes proculdubio vnde altissimo, qui tibi tam salubre inspirauit propositum, & illius executione salutifera tibi clementer astitit, ad laudis iubilum & gratiarum humiles actiones assurgas eidem, recognoscendo humiliter, hæc non de tui vel tuorum virtutibus aut viribus, sed de manu diuinæ clementiæ recepisse. Quod si feceris, eique per virtuosorum & piorum multiplicationem operum te sibi gratum iugiter exhibere studueris, vt optamus, adaugebit tibi gratiam, exaltabit in terra nomen tuum, & tandem de regno temporali, quod obtines, ad regni prouehet gloriam sempiterni. Porro quia nondum Agarenorum perfidorum quiescere præsumptuosa videtur superbia, immo sicut habet quorundam infesta relatio, rugitus dant terribiles, ad inuasionem dictarum partium & Christicolarum in eis degentium aspirantes; propter quod, si fit ita, non minus quam prius tuum consilium & auxilium existere noscitur multipliciter opportunum; excellentiam rogamus regiam attentius in Domino & hortamur, quatenus consideranter attendens, quod perseuerantibus est corona gloriæ repromissa, a præmissis fauore, auxilio, & consilio circa repressionem infidelium, ac defensionem & dilatationẽ fidei orthodoxæ in illis partibus, si & cum opportunum extiterit, imitando claræ memoriæ progenitorum tuorum vestigia, nullatenus te retrahas; sed vt maius tibi acquiras continue meritum, & gloria tui nominis amplius augeatur, te promptum in primissis (maxime cum tua & tuorum res agi videatur) non mediocriter, exhibeas & benignum &c. *Dat. Auin.* XVII. *kal. iunij anno* VII.

Pontificis de ead. victoria ad Lusit. Regẽ literæ.

Saraceni noua parant bella.

Solicitat ad eos obterendos Lusitanus.

4 Indixit ad eiusdem Regis preces propositis indulgentiarum præmijs Pontifex sacram aduersus Mauros expeditionem, religiosamque militiam professaros crucis symbolo distingui iussit. Tum in bellicos sumptus sacerdotiorum decumas contulit, pactus in agris & vrbibus Mauris eripiendis, ecclesias pro cultu diuino exercendo conditum iri; de quibus insignes sunt subiectæ literæ a.

Sacro bello se deuouet.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Portugalliæ & Algarbij Regi illustri.

a An. 7 ep. cur. 5.

Venerabilis frater noster Martinus episcopus Elborensis, & dilecti filij nobiles viri Lupus Fernandi domus de Ferraria, necnon Laurentius Gomesij de Aureu miles, ambaxiatores & nuncij tui, pro infrascriptis ad nos & sedem Apostolicam destinati, nobis ex parte tua reuerenter exponere curauerunt, quod dicti progenitores tui tanquam veri catholici, & eiusdem fidei ardore ac zelo succensi, dictæque fidei soliciti plantatores feruidi, regnum tuum Algarbij & regni Portugalliæ magnam partem, copioso subditorum sanguine fuso, proprijsque personis & facultatibus infinitis ad hoc expositis, liberauerunt diuina eis dextera assistente, & eripuerunt de manibus infidelium prædictorum, illaque reduxerunt ad cultum nominis Christiani, ac obedientiam & reuerentiam ecclesiæ sanctæ Dei, & in eis diuersas ecclesias & loca ecclesiastica fundarunt pariter & dotarunt, & pro defensione ipsorum ac impugnatione hostium eorundem multa & magna fortelitia construxerunt; quodque ipsi perfidi hostes Christi, de huiusmodi ereptione dolentes, non solum ad recuperationem Algarbij, sed etiam impugnationem Portugalliæ regnorum prædictorum eisdem progenitoribus guerras & actus bellicos quasi continue mouisse noscuntur, quibus progenitores ipsi non solum restiterunt, sed hostes ipsos multoties expugnarunt, & damna eis plu-

Missi ab eodem ad sedem Apost. oratores.

Exposita ab ijs Lusitanorum Regum præclara gesta.

plurima intulerunt: & qood claræ memoriæ Dionysius Rex Portugalliæ genitor tuus, qui inter progenitores ipsos fuit in agendis circumspectissimus, & feruentissimus dictorum hostium persecutor, considerans, quod dictum regnum Algarbij est in frontaria dictorum hostium constitutum & vicinum eisdem, & quod per homines in actibus bellicosis maris expertos ipsi hostes per mare cũ galeis & alijs vasis nanalibus opportunis poterant melius, quam alias impugnati, & dampna eis inferri etiam grauiora; de remotis partibus quendam in mari & maritimis bellis expertum ad regna prædicta venire fecit, eumqoe eum maximis stipendijs admiratum suorum regnorum constituit prædictorum, qui galeas & alia vasa naualia opportuna construxit, & gentes dictorum regnorum in actibus ad bellicos apparatus marinos pertinentibus per eorum exercitium sic fecit audaces & expertos, quod vix posset ad actus huiusmodi gens aptior reperiri non solum ad defensionem dictorum regnorum, sed impugnationem virilem hostium eorundem; quem admiratum præfato genitore tuo sublato de medio, tecum tenuisti, & ipsum amplius honorasti, ac per eum & gentes tuorum regnorum dictis hostibus tam per mare quam per terram damna quamplurima grauia intulisti: quodque, licet ille profanus & blasphemus Rex Agarenorum de Benamarin, inter Reges blasphemos Saracenorum potentissimus, territus ex præmissis, cum pridem ad persecutionem et exterminationem orthodoxorum fidelium citra mare ad partes Hispaniarum cum cateruis bellatorum infidelium innumerabilibus transfretauit, tibi per suos nuntios & literas diuersa munera, promissiones, subsidia, & securitatis obsides obtulisset, si charissimum in Christo filium nostrum Alfonsum Regem Castellæ ac Legionis illustrem tuum nepotem non iuuares; tamen tu præmissa omnino respuens, & more dictorum progenitorum tuorum ipsorum sequendo vestigia, sanctæ matris ecclesiæ ac totius populi Christiani & eiusdem fidei cupiens iniuriam tantam repellere, ac velut Christianissimus princeps & fidei eiusdẽ athleta strenuus obuiare vastitati Christianæ fidei, tũc ex dicti blasphemi & nefandi Regis potentia in illis partibus imminenti, ad reprimendam hostium sæuitiam prædictorum vna cum dicto Rege Castellæ exposuisti patenter personam & bona tua pariter & subiectos; ita quod tu & dictus Rex Castellę, vobis Dei auxilio, cuius agebatur negotium suffragante, de dictis hostibus, sicut est toti mundo notorium, viriliter & feliciter triumphastis, infinitis ex dictis hostibus, qui ad exitium Christianorum furentis & iniqui propositi armauerant voluntatem, in ipso triumpho in ore gladij interemptis, & multis ex eis captis ac reductis in perpetuam seruitutem.

De Dionysio Rege.

Conflata ab eo classe.

Vt maritima arte excellere cœperint Lusitani.

Tentatus muneribus ab Afro Lusitanus

Iis repudiatis, Castellano se adiunxit.

Quare præfati ambassiatores & nuntij nobis ex parte tua deuote & humiliter supplicarunt, vt cum tu velut feruens zelo fidei orthodoxæ tam prospera & prognostica spei bonæ initia, quæ de triumpho huiusmodi successerunt, aduersus hostes prædictos nefandissimos ad diuini nominis laudem & gloriam, & fidei exaltationem ac dilatationem eiusdem toto posse sis dispositus prosequi in futurum; tuque in prosecutione huiusmodi Dei & fidei orthodoxæ negotij cum dicto Rege Castellæ iam facta multa subieris onera expensarum, & maiora te subire oporteat pro prosecutione ipsius in posterum facienda, ad quam supportationem tui ærarij non sufficiunt facultates; tibi decimam omnium prouentuum ecclesiasticorum regnorum & terrarum tuorum cum prædicatione crucis, ac indulgentijs solitis concedi transfretantibus in subsidium terræ sanctæ, concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Postulata ab eodem subsidia.

5 Nos igitur tuum pium & laudabile propositum diligentius attendentes, huiusmodi supplicationibus eo libentius annuendum fore prouidimos, quo huiusmodi negotium (quod te ad laudem Dei, & pro ipsius orthodoxæ fidei palmitibus dilatandis assumere & promouere confidimus) apostolici fauoris fulciendum & iuuandum præsidijs vtile ac expediens existimamus; & propterea præmissis attenta consideratione pensatis, ac deliberatione super ijs cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus præhabita diligenti, supplicationes tuas huiusmodi ad exauditionis gratiam duximus admittendas. Prædicationem siquidem crucis in omnibus regnis, comitatibus, atque terris, tuis dominio ac ditioni subiectis, per venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Bracbarensem, & alias personas ecclesiasticas, seculares & regulares ad id idoneas, per eundem archiepiscopum deputandas, tam contra dictum Regem de Benamario & quoscumque alios crucis hostes sequaces ipsius, quam contra Regem Granatæ cæterosque blasphemos obloquentes, siue ipsos Reges blasphemos contra te & regna tua seu terras tuas, siue te non solum regna & terras tua prædicta defendendo, sed etiam regna & terras eorum inuadendo seu impugnando, guerram mouere contigerit contra eos, fieri concedimus biennali tempore infrascripto; ita quod in dictis regnis & terris ac dominijs tuis proponatur solemniter verbum crucis, & inibi venerabile signum eius tuis & aliorum fidelium, in regnis, comitatibus, terris, & dominijs prædictis consistentium illam deuote suscipere volentium, humeris per eos, qui ibidem proponent verbum huiusmodi, affigatur, vt prædictum negotium contra præfatos Reges balsphemos & sequaces eorum viuificæ crucis muniti signaculo, te dictum negotium assumente, feruenter assumant, teque illud prosequente viriliter prosequantur, cum indulgentijs expressis in alijs nostris literis confectis specialiter super prædicatione & indulgentijs supradictis, &c.] Decreuit redigendas in sumptus bellicos subsidiarias sacerdotiorum decumas biennales: tum nonnullis pactionibus pro re sacra amplificanda Lusitanum adigit de coercendis excursionibus barbarorum, ne fideles in seruitutem abripiant, excitandis in locis, quæ eripientur Saracenis, ecclesijs vectigalibusque donandis, vt diuina peragantur, de cohibenda Mahumetica superstitione, de pendendis sacerdotibus decumis: quarum pactionum formula ijsdem verbis omnino concepta est, atque ea, quam alias in literis ad Castellanum & Aragonem Reges datis, cum de sacra in Mauros expeditione ducenda agerent, allatam vidimus a. *Dat. Auin. 11. kal. maij anno VII.*

Admissæ eius preces.

Indicta a Pont. cruciata militia.

Attributæ biennales decumæ.

a To. xv. ann. Chr. 1328. n. 77. 78.

6 Furebant ex acceptæ ad Salsum flumen ignominiæ dolore Saraceni, inanesque profundebant minas. Quos Alfonsus Castellæ Rex, antequam sese ex clade colligerent, proterere constituit; de quo hæc rerum Hispanicarum auctor b: *Ineunte salutis anno millesimo trecentesimo quadragesimo primo Corduba, quo copiæ militares conuenire iussæ erant, in Granatenses fines irrumpitur arte, quam viribus: victoria gloriosior. Præmissæ naues aliquot commeatu onustæ Malacam inuadendi spe-*

b Mar. l. 19 c. 9. Sur. l. 7 c. 57.

speciem prabuerunt. Mauricis copijs ea vrbe muniencia occupatis, Rex Alcala regia agros improuisus innasit augusti xxvi. ate: oppidum aeditum, oppidani salutem pacti dimissi incolumes. Magno id hostium dolore accidit, suo se opinione delusos considerantium. Eo oppido capto Priegbum, Rutes, Benamexilium aliaque oppida & arces eo tractu pars vi, pars deditione in potestatem venerunt. Victoribus omnia prona erant, Mauris aspera. Copia in hyberno reducta, præsidia tantum opportunis locis disposita: finibus tutandis classi imperatum, vti fretum insiderent, Afrosque transitu arcerent. Felices progressus aduersus Granatenses initos, expugnatasque vrbes atque a Mahumetica superstitione vindicata loca, restitutaq; religioni Christianæ, significauit Pontifici Alfonsus Rex, quem ille iterum meritis ornatum laudibus ad excindendam Saracenorum pestem ex Hispanijs, ac bella Domini gerenda strenue inflammauit a.

Irruptio in Mauros sit.

Capta vrbes.

Comparata in freto classis.

a To.7. ep. secr. 185.

Charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castella illustri.

7 Aduenerunt nobis in gaudij, & exultationis augumentum prosperi & letabundi rumores per tuas, fili charissime, literas quas iucundo recepimus animo, nunciati: describebat namque delectabiliter earundem series literarum, qualiter cœptum olim feliciter per tuam regalem magnificentiam orthodoxæ fidei negocium aduersus hostes Christi & feroces inimicos nominis Christiani pridem, adueniēte vernalis opportunitate temporis, tuisque adunatis regijs subditis & fidelibus, in virtute potentiæ diuinæ resumens, & hostes ipsos aggressionibus intrepidis viriliter & potenter expugnans; tandem post diuersos insultus bellicos, & discrimina personarū varia, villam de Alcala de Abencayde, ac subsequenter castrum de Locouin, distans per leucam vnam a villa prædicta, loca vtique inter alia cismarinarum partium per Saracenos detenta, fortissima, & quasi inexpugnabilia, diuinæ virtutis assistente tibi dextera, per armorum obtinuisti potentiam de cultorum manibus perfidi Machometi: & expulsa de illis Saracenica fœditate, loca ipsa Christiano cultui ad laudem & gloriam diuini nominis reddidisti, hanc tibi datam diuinitus victoriam non de tuis vel tuorum viribus, sed potius de manu Domini recepisse humiliter profitendo.

Gratulatoriæ Pontificis ad Castell. Regem literæ.

Nos igitur ex ijs lętitiæ spiritualis rore perfusi, pro tantis beneficijs non solum tibi, fili dilectissime, sed assistante tibi auxilij cœlestis virtute, per te toti Christianitati collatis, ei a quo hæc & alia cuncta bona procedunt, labiorum vitulum, in humilitate ac deuotione spiritus exoluere non cessamus: instantes nihilominus deuotis intercessionum orationibus apud eum, vt ipse, cuius geritur in parte negocium, quique tecum clementer dignatus est hactenus operari, manum directricem & adiutricem non retrahat; sed ad dilatandam in partibus illis fidem catholicam, & extirpandam exinde Agarenorum infidelium sectam abominabilem, super te tuosque fideles, tecum in eodem negotio fideliter laborantes, gratiam vberiorem suæ benedictionis infundat. Demum tuam rogamus regiam magnificentiam in Domino & hortamur, quatenus dona gratiarum innumera, quæ tibi, præsertim circa præmissa, contulit Altissimus (ex quibus non parum apud eum tua creuerunt merita, & fama tui nominis & honoris extitit dilatata per orbem) diligenti consideratione præmeditans; & etiam diligenter attendens, quod Veritas corónam gloriæ perseuerantibus repromittit, dum Deum tibi sua misericordi pietate adesse propitium, & tecum sentis tanquam fortem bellatorem pugnantem, negotium huiusmodi forti & robusto animo, sicut tibi tui generis inclyta prosapia ingerit, tanquam princeps magnanimus & athleta Christi strenuus constanter & intrepide prosequaris, anchoram spei tuæ figens in ipso, & sibi qui de cælo dimicans multos in paucis nouit concludere, robur cuiusque fortitudinis & potentiæ, sicut hactenus dignosceris laudabiliter fecisse, ascribens; ita quod ex amplioribus tuis meritis, maiora tibi felicitatis æternæ compares præmia, & in mundo fama tui nominis incrementis felicioribus iugiter augeatur. *Dat. Auin. vi. kalend. octobris anno vii.*

Ad cœpta vrgenda hortatur eum Benedictus.

8 Solicitauit finitimos Reges ad coniungenda in Saracenos arma Alfonsus Castellæ & Legionis Rex. Et quidem missos ea de causa ad Petrum Regem Aragonum oratores, refert Surita a: hunc vero enatas inter Philippum Regem Francorum & Iacobum Regem Balearium discordias, vt a sociandis viribus se excusaret, prætexuisse. Cum enim Philippus Rex Balearem vrgeret b, vt Montispessulani, Omeladesij, & Carladesij principatum more maiorum Gallicæ aulæ beneficio & auctoritate acceptum solemni ritu agnosceret, is Philippum ipsum Anglico implicitum bello intuitus, cum ab Anglo ad noua fœdera vrgeretur, tum ex animi elatione vt antea Regi Aragonum fidem præstare diu respuerat, ita postea supremum in ijs terris Gallorum dominatum agnoscere recusabat, Aragoniorum maxime fretus potentia. Traxit vero in suas partes Gallus Aragonium, cui exposuit arrogantiam principis, vtque is cum Aragoniorum iugum excutere meditaretur, a Gallis nulla auxilia impetrare potuisset. Censuit itaque Petrus Rex Aragonum, in Iacobum haud tacita indignatione suffusus ob superiores in se cōflatas coitiones (cum maxime illū ad pacem cū Philippo flectere nunquam potuisset) vicem reponēdam, ac Balearis clientela abstinendum: atque ita Philippus Rex Montempessulanum, Omeladesiam, & Carladesiam ad Gallicam coronam, damnato perfidiæ ac perduellionis Iacobo Rege Baleari, reuocauit: atque Aragonius non modo non aduersus Gallos, sed in Iacobum ipsum plura nouantem, arma conuertit, cum responderet illi auxilia flagitanti, Saracenico distineri se bello: Castellano vero in iuuando Iacobo ad principatum auitum e Gallorum manibus vindicandum occupari.

Finitimos Reges ad sacri belli societatē vocat.

a Sur. l.7. c.57.

b Cap.54. 55.

Balearis a Gallo deficere parat.

Montispessulani principatu deturbatur.

9 Implorabat etiam Castellanus Philippi Regis Francorum auxilia, seque vnum sustinendis immanibus Saracenorum, fidem Christianam extinguere molientium, conatibus imparem esse querebatur: comparari ab impijs maiores copias, ac rei Christianæ, ni bellum cum Anglo componeret, iniretue inducias, exitium imminere. Assensit iustis Castellæ & Legionis Regis petitis Philippus, ac diploma regium vel ad fœdus firmandū, vel ad inducias diuturnas ineundas dedit: de quibus certiorem Pontificem fecit c, sibique a sorore Hannoniæ comitissa sanctimoniali, cuius operam in conciliandis inter fratrem, ac generum Reges feliciter collocatam vidimus, relatum hostes Gallici nominis etiam ad arma contra barbaros socianda paratos, si bella suscepta remoueri possent.

Castellanus Gallum Anglumque ad fœdus hortatur.

Fit certior de ea re a Gallo Pont.

c Apud Bened. ep. 7. 19. secr. 244.

Sanctissimo patri in Domino Benedicto, diuina pro-

prouidentia sanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, &c.

Regiæ ad eund. literæ.

Magnificus princeps Alfonsus Rex Castellæ & Legionis, consanguineus noster charissimus, nuntios suos pridem ad nostram præsentiam destinauit, qui nobis ex parte ipsius certius retulerunt, quod Saraceni & alij increduli & aduersarij fidei Christianæ congregabant magnum exercitum & ferocem ad inuadendum & destruendum regna, terras, & loca dicti consanguinei; subsequenter etiam totam Christianitatem exterminare ferocius comminantes. Quod displicenter audiuimus, & referimus condolenter: & exinde non immerito moti fuimus ad compassionis affectum, grandia considerantes pericula, quæ ex hoc possunt toti Christianitati præfatoque nostro consanguineo prouenire. Nobisque præfati nuncij ex parte dicti consanguinei supplicarunt, vt eidem in tali & tanto totius Christianitatis negotio vellemus succurrere, & de competenti & opportuno auxilio celeriter prouidere: & vt facilius pro dicto negotio nos & alij Christiani hoc adimplere possemus, ad bonam pacem, vel saltem ad treugarum prorogationem competentem cum inimicis nostris habendam vellemus intendere, ac etiam inclinari. Et vt præfato Regi & toti Christianitati in præmissis promptius succurratur, præfatis nuncijs dicti Regis Castellæ recipiendi infra regnum nostrum terminum competentem ad tractandum de pace, vel recipiendum longas treugas inter nos et Regem Angliæ alligatosque suos per literas nostras patentes plenariam potestatem, dolentes quia occupati in guerris nostris tam sancto et fauorabili negotio, nos et totam Christianitatē tangente, non potuimus, vt desiderātet appetimus, fauorabilius et liberalius nos offerre.

Gallus ad pacem inclinat.

Insuper, pater sanctissime, charissima soror nostra comitissa Hannoniæ nouissime nobis scripsit, quod inimici nostri et æmuli ad defensionem Christianitatis contra præfatos infideles disponerent se libenter, si cessarent impedimenta guerrarum. Ad quæ vestræ beatitudini referenda dilectos et fideles consiliarios nostros episcopum Claromontensem et Raimundum magistrū requestarum nostri hospitij destinamus. *Et infra*: Plene de vestræ confidimus beneuolentia sanctitatis; quam dignetur per multos annos feliciter conseruare Altissimus ecclesiæ suæ sanctæ. *Script. apud sanctum Germanum in Laya XXVI. die maij. Humilis filius vester Rex Franciæ.*

Mittit oratores ad Pont.

10 Extractas [a] inducias Philippum inter et Eduardum pontificia opera, referunt historici, ijsque Scotos comprehensos, quo Saracenorum retundi impetus possent. Institit etiam apud Pontificem Francorum Rex ferendarum [b] Regi Castellæ suppetiarū desiderio, quo Flandrico bello liber esset, vt edicta apostolica olim in Belgas lata rescinderet, blanditijs enim illos se allecturum ad officium sperabat. Pollicitus ipsis fuerat in castris apud pontem Bouinensem defixis superiori anno mense septembri, dum nimirum inducias cum Eduardo pactus est, se auctoritatem suam apud sedem Apostolicam adhibiturum, vt censuris soluerentur; decretaque pontificia, quibus anathematis religio ijs, si a Gallorum Regibus descisceren..., obiecta erat, conuellerentur: tum etiam omnibus huiusmodi diplomatibus ac priuilegijs abrenunciarat, et excurrente octo dierum spatio illa se traditurum obstrinxerat: qua de re extant in pontificio regesto regiæ literæ [c]. Cum vero Flandriæ comes ac populi suos ad sedem Apostolicam misissent oratores, vt conciliarentur ecclesiæ, vtque edicta superiorum Pontificum ad vinciendam fluxam illorum fidem lata dissoluerentur, ex pactis cum Gallo Rege initis flagitarent, Pontifex vt illos rite in gratiam admitteret, ab oratoribus experijt [a], an ij, rescissis edictis memoratis, in Regis Francorum fide stare decreuissent; respōdere periculum capitis se subituros, si ad hæc responderent. Quibus subiecit Benedictus, se æquitatis legibus ad præterita acta & decreta, quibus censuræ Belgis, si rebellarent, incussæ erant, labefactanda adduci non posse, cum ad ipsorum preces edita essent, temporisque vetustate confirmata: eam rem trahere ingentia pericula, si ita facile sacramenta violare iuratamque principibus fidem infringere liceret: rite etiā censuris eos liberari non posse, dū rebellionis non pœniteret, atque apostolica illa edicta temerarent. De quibus fecit Philippum Regem Francorum certiorem. Is tamen, ne in inuidiam violati promissi a Flandris adduceretur, Petrum e Cunerijs ac Simonem e Buciano oratores [b] ad sedem Apostolicam, legauit, qui Benedictum ad remittendam in Belgas seueritatem permouerent ac literis iterum iterumque perursit [c]. At Pontifex ne a iustitiæ tramite deflecteret, Philippo respondit, Belgas dum in pristina contumacia obdurescerent, censuris solui non posse: at si redirent ad officium, & in regium procumberent obsequium, mox se illos apostolico sinu complexurum.

Extractæ Gall. inter & Angl. induciæ.

a Vvalsin. in Eduar. 3. & alij.

b Ext. eius lit. apud Rain. to. 6. ep. secr. 245.

De liberādo censuris Belgio actum.

c Ext. ib. ep. 239.

a Ib. ep. 240.

Instat Bened. vt Belgæ ad officium redeant.

b Ib. ep. 241.

Negat aliter censuras dissolui.

c Ext. ib. n. 238. 243. & 245.

11 Conciliata est pontificia opera inter Cameracensem episcopum, & Hannoniæ comitem partiumque illius Ioannem Hannonem patruum concordia: ex qua Philippus Rex Francorum, quem præsidio firmissimo magnisque operibus eam vrbem aduersus Angliæ Regem antea acceptā episcopi clientela muniuisseq; hostem repulisse vidimus, iura sua lædi suspicatus, has querelas apud Benedictum fudit. [d]

Hannoni' Cameracensi episc conciliatus.

d Ext. ea lit. ib. n. 248.

Sanctissime pater.

Intelleximus magnificum Henricum comitem Hannoniæ a vestra sanctitate absolutum, atque ab illius terris interdictum amotum. Et quidem credimus, si se ecclesiæ submiserit, criminaque ingentia patrata expiarit, grauem vestræ sanctitati eius rei rationem non defuisse: at vero accepimus, in tractatu concordiæ inter eundem episcopum, comitem, & capitulum Cameracense statutum ab ipsa fuisse, & quemadmodum sæpius comes nostris militibus præsidiarijs dixit, pellendos esse Cameraco, nec amplius admittendos: qua de re, cum singulari regnum nostrum studio complectatur, admodum miramur. Scit vestra sanctitas, rogantibus episcopo, decano, et capitulo ecclesiæ & ciuibus Cameracensibus, nos misisse magno numero & stipendijs milites præsidiarios ad vindicandam ab imminenti exitio dictam ciuitatem, adeo vt ex hoc vestræ sanctitatis facto vtilitas ad hostem, ad nos incommoda & dedecus deriuarentur. Quare prouideat, vt speramus facturam: ita enim comitem & alios hostes Franciæ Cameracensi agro in regnum nostrum possent irrumpere, grauiaque mala inuehere eius vrbis opera, quam nostris sumptibus magnis operibus communiuimus, &c. *Dat. Parisijs XIV. die decembris. Deuotus filius vester Rex Franciæ.*

De pellendis Cameraco Gallis actum.

Queritur de ea re Gallus.

Iniuste has querelas fundebat [e] Philippus Rex, cum non sanxisset Pontifex, vt præsidiarij milites Galli eijcerentur Cameraco; sed ne vtrinque

e To. 7. ep. secr. 249.

que copiæ ad excursiones in vicinos agros agendas contrsherentur: ad tutandum tamen Cameracum præsidium militare teneri posse, pronuntiatum fuerat. Respondit itaque IV. non. ianuarj insequentis anni Pontifex, in ijs pacis legibus ipsius iurá non violari: *Nec de te, fili amantissime, aut personis alijs, quas dictum non tangit negotium, mentio facta fuit: nec insuper de ciuitate prædicta Cameracensi, cum communitas & ciues ipsius procuratorem non miserint, aliquid tactum extitit in reformatione prædicta; nisi quod, si communitas & ciues ipsi vellent adhærere cum eisdem episcopo, decano, & capitulo reformationi pacis iam dictæ non ad offensionem comitis & patrui sui prædictorum, aut terrarum subditorum eorum, sed pro defensione sua, possent habere gentem armigeram & tenere, &c. Dat. IV. non ianuarij pontificatus anno VII.*

Satis fit ipsi.

Quid de præsidiatio milite decretum

12 Abstersit quoque a ex eiusdem Regis animo suspicionem sinistram, quam conceperat animo, Pontificem conatum, Regem Castellæ ab illius studijs abalienare. Cui respondit Benedictus, non modo non meditatum se coniunctionẽ illam animorum, quæ inter ipsos intercedebat, discindere; verum etiam augere magis ac fortius astringere annisurum. Beneficiorum, quæ ab Apostolica sede acceperat immemor b Philippus Rex fœdus inconsulto Rom. Pontifice cũ hoste ecclesiæ nimirum Ludonico Bauaro fecerat, antequam censuris solueretur: vtque suspicax est mala conscientia, Benedictum iniuriam vindicaturum verebatur.

a To. 7. ep. secr. 247.

Phil. incõsulta ecclesia fœdus init cum Bauaro.

b Ep. 243.

Ludouicus igitur, vxore sua eademque Philippi Regis nepte intercedente, Gallo se coniunxit; cum maxime Eduardus promissas pecunias, quas erat pactus, ei non dedisset: tum id etiam ignominiæ verteretur, vt qui gerebat imperium, a Rege stipendia acciperet. Abrogauit itaque Eduardo Bauarus Germanici imperij vicariam præfecturam, atque inducias ad Tornacum cum Francorum Rege initas se inconsulto ad firmandum eum ipso fœdus obtendit: paratum se tamen obtulit, si Anglus arbitrum controuersiæ deligeret, operam se ad eã conciliandam collocaturum: Philippum Regem eã sibi auctoritatem, tũ ad annuas biennalesue inducias ineundas cõtulisse. Quę literæ a Vualsingamo afferuntur c: tũ aliæ Eduardi, quibus queritur, pristina dissoluta fœdera: in Tornacensi quidem obsidione consulere Bauarum non potuisse in paciscendis inducijs, cum a fœderatis principibus ad eas adactus fuerit: sui tamen fuisse consilij pacem cum Philippo, nisi ipso consulto nunquam inire: sua vero ad Gallicum sceptrũ iura ambiguo iudicio nolle committere. Inter cæteras porro fœderis cum Bauaro initi leges ea præcipua extitit, vt Philippus, qua florebat gratia & auctoritate apud Pontificem, ad perficiendam Bauari reconciliationem incumberet. Suos itaque Galliæ Rex misit ad sedem Apostolicam oratores, qui hunc libellum d Benedicto porrexere.

Ludouic⁹ ab Angli fœdere discedit.

c Vualsing in Eduar. III.

Pro Lud. ecclesiæ conciliando Gallus operam adhibet. Oratores ad Pont. mittit.

d To. 1. and Bened. 10. 7 ep. secr. 242. Libellus ab ijs Benedicto porrectus.

Credentia nunciorum Regis est, quod Rex Franciæ protestationibus primitus per ipsum factis in Gallico ore proprio, & postea de præcepto suo factis in Latino per cancellarium suum, & acceptatis per nuncios Bauari, quod non intendebat nec intendit aliquid promittere contra sacrosanctam ecclesiam seu eius statum, contra sanctissimum patrem summum Pontificem seu eius statum, contra reuerendos patres dominos Cardinales, seu alias quascumque personas ecclesiasticas, seu ministros ecclesiæ; sed potius eos tueri & defendere contra quascumque personas: promisit Bauaro, quod erit sibi bonus, verus, & fidelis amicus ad promouendum & procurandum erga ecclesiam & sanctissimum patrem nostrum reconciliationem suam. Et ex parte dicti Regis deuoti filij sui supplicant dicti nuncij domino nostro summo Pontifici, quod non credat deuotum filium suum Regem Francorum fecisse aliquas promissiones contra personam suam, sacrosanctam ecclesiam, ac eorum statum, licet forte alia ab aliquibus fuerint relata, vt dicitur. Supplicant etiam sanctissimo patri, quod ipsi, saluo honore ecclesiæ, gratiose velit vacare ad reconciliationem prædictam intuitu & ad preces deuoti filij sui Regis Franciæ prædicti; cum infinitæ animæ in via periclitationis existentes per istam reconciliationem reduci poterunt ad salutem.

13 Auditis Francorum Regis oratoribus, Pontifex se desiderio teneri conciliandi eum ecclesia Ludouici respondit e, si ad promerendam illius gratiam & commissa crimina rite expianda se compararet. Damnauit vero Philippi cum eo nondum soluto censuris, hæreseos & schismatis nota affecto, edictisque apostolicis defixo, initum fœdus: ipsumque Regem perstrinxit monita apostolica spreuisse: non respondisse mutuis studijs: desciuisse a maiorum gloria, qui hæreticos & schismaticos insectari, non cum ijs fœdera coire, consueuissent.

Benedicti responsũ. e Ead. to. 7. ep. secr. 243.

Benedictus, &c. Philippo Regi Francorũ illustri.

Non sufficimus admirari, quod cum (sicut notorium est) toti mundo, & processus apostolici dudum, præsente multitudine copiosa fidelium, solemniter habiti, & ex superabundanti per diuersa mundi climata publicati, manifestius attestantur) Ludouicus prædictus hæreticus ac schismaticus, ac de hæresi & schismate sententialiter & publice condẽnatus, ac profanus & crudelis aduersarius, persecutor & hostis ecclesię sanctę Dei; fautor quoque, receptator, & defensor hæreticorũ & schismaticorum hucusq; extiterit, in suis damnatis hęresibus, ac hęreticorũ et schismaticorũ ipsorum fautoria, receptatione, ac defẽsione obstinato, proh dolor! animo dãnabiliter perseuerans; aliquis, qui sacræ scripturæ ac canonum, zelumque veritatis catholicæ habuerit, ausus fuerit asserere, tibique consulere vel quomodolibet suadere, vt cum homine hæretico & schismatico publice sic damnato, adhucque vt videtur in suis hæresibus & schismatibus perdurante, antequam vnitati reconciliaretur ecclesiæ, posses absque propriæ salutis & honoris detrimento amicitias & confœderationes inire: cum illa, quæ de sua natura mala sunt & damnata, nunquam valeant licite fieri bono fine.

Corripitur Phil. ob initũ fœdus cũ Bauar.

Nec minus cogimur admirari, quod tu, fili, absque nostra & Apostolicæ sedis licentia & voluntate processeris ad præmissa; immo contra persuasionis nostræ consilium. Quod si secundum æquitatem attenderentur, quæ circa negotium dicti Ludouici per nos suæ considerationis intuitu, & cum tua scientia & voluntate, vt nosti, continue facta sunt hactenus, non videbatur sic transgrediendum faciliter, vel etiam contemnendum; & maxime cum ex his tua non credantur verisimiliter prosperari negotia, & magnam nihilominus maculam non faciliter abolendam, sicut ab alijs asseritur, per te circa negotium huiusmodi sit processum, posueris in gloria tui nominis & honoris. Nam, sicut dolentes & tristes audiuimus, iam mundus incipit crebris de-

Non consuluisse ipsum in ea re ecclesiam.

tractorijs obloeutionibus multipliciter murmurare, abominabiliter quodammodo, sicut asseritur, proclamando alias esse inauditum a seculo, quod principes Christianissimi inclytæ domus Franciæ cum hæreticis & schismaticis, quos zelo fidei orthodoxæ accensi persequebantur & fugabant, ac eos etiam audire nominari horrebant, cōtraxerint quomodolibet amicitias vel fauores. [Hęc vtinam perpenderent recentiores politici.]

Receptū iri Lud. si ad Apost. sedis obse quia redierit.

Ceterum quantum dicta credentia reconciliationem prædictam contingit; prouidimus respondendum, quod si Ludouicus præfatus ad mandata nostra & ecclesiæ cum effectu voluerit secundum iuris formam redire, nos qui conuersionem ipsius & aliorum omnium, quos ab ouili dominico, extra quod non est alicui gratia neque salus, separari procurauit astutia diabolica, feruentibus desiderijs affectamus, parati erimus eum, prout statuta volunt canonica, recipere ad prædictam reconciliationem dumtaxat; ac prout eius obedientiæ, contritionis, & pœnitentiæ signa vera prætenderint, prosequi & tractare, &c. *Dat. Auin. IX. kal. maij pontificatus nostri anno* VII.

Refellitur Argentin. a Argent. in chron.

14 Refellendus ex his Albertus Argentinas a, qui dum Philippum Regem Francorum intercessisse pro Ludouico Bauaro conciliando apud Benedictum ait, puerile responsum inepte affingit, nulla tantę rei allata ratione, quam nolle iam Apostolicam sedem admittere in gratiam Ludouicum, cum Philippus velit; quandoquidem restitui tum gremio ecclesiæ noluerit, cum ipsa voluit; abhorret enim a rei veritate Ludouicum alterius, quam sua culpa & inconstantia, vt tories testatum vidimus Pontificem, non admissum: atque etiam tum Benedictus paratissimus ad soluendum censuris Ludouicum erat. Porrexit illi præuaricandi ansam impudica fœmina Margarita ducissa Charinthiæ, Ioannis comitis Tirolensis Regis Boemiæ secundi natu filij vxor, quæ ob nullos ex viro susceptos liberos virginem se apud Ludouicum iactare ausa est, atque impotentiæ & frigiditatis virum accusare, vt soluto eo matrimonio Ludouicum Bauari majorem natu filium dictum marchionem Brandeburgensem adulterum acciperet. Audita sceleris fama, Benedictus Bertrando patriarchæ Aquileiensi partes dedit b, vt si relicto viro Charinthiæ ducissa Ludouico iuniori Bauaro, non pronuntiata ab ecclesia diuortij cum Ioanne Tirolensi comite sententia, matrimonio coniugari meditaretur, illam intentata censurarum religione ab scelere deterreret, moneretque vt marito adhæresceret: at si prorueret in flagitium, seque auctoritate sua segregaret a viro, et cum Ludouico iuniori vel alio matrimonium scelere contraheret, adulteros coniuges, & quoscumque illorum in eo scelere studiosos anathemate defigeret. Quæ imperia XV. kal. decembris huius anni patriarchæ data: hisque emendes auctores, qui eiusmodi Margaritæ ducissæ diuortium, plurium bellorum originem, in aliena tempora retulerunt.

b To. 7. ep. secr. 213.

Intentatæ Ludouico iuniori censuræ.

15 Non retardarunt Ludouicum Bauarum seniorem incussæ censurę ecclesiasticæ: sed qui Margaritam ad mariti thorum repetendum hortari debuerat, suæ oblitus salutis, Charinthiæ inuadendæ cupiditate ducissam innito filio coniugem, vel adulteram potius, dare non perhorruit & immo pontificalem, ad quam cognoscendi de matrimonijs, eaque, explorata certissimis argumentis causa, dirimendi ob coniunctum sacramentum munus spectat, auctoritatem inuasit, ac

c Dubrau. hist. Boem. l. 21.

Soluendi leges canonicas ius arrogat sibi Lud.

de coniugio rescindendo Margaretam ducissam inter & Ioannem comitem Tirolensem, sententiam a tulit, quæ in additionibus ad Rebdorfium extat. Tanto facinori aliud adiecit. Obstabat lex canonica de gradibus consanguinitatis, ne filio Ludouico, quem illa tertio attingebat gradu, matrimonio iungi posset, quæ non nisi a Romano Pontifice solui poterat: sed ille, futilibus rationibus soluendorum in ea re sacrorum canonum auctoritatem obtendens, diplomate b suo canonica impedimenta in speciem dissoluit. Ob quod atrox scelus Clemens Benedicti successor illum nouo anathemate percussit c, afficitque grauioribus pœnis. Hæc si Ludouicus facinora aduersus pontificiam auctoritatem, dum ecclesiæ gratiam optare præseferebat, non adepta imperij confirmatione patrare ausus; quid ab ipso rerum potito expectare potuit Pontifex? Vt mirum videri non debeat, si data ab ipso signa Christianæ pœnitentiæ vana extitisse fuerit suspicatus Pontifex.

a Extat in add. apud Rebdorf. & apud Goldast. tomo illo. consuetudin. & legum imper. & apud Heruvart. ad ann. 1340 n. 24.

b Extat in add. Rebd. & apud Goldast. et Heruart. vbi sup.

c Cle. VI. lib. an. 3. ep. cur. 94.

16 Gerente hæc Ludouico Bauaro ad regiæ Boemiæ stirpis depressionem, Ioannes Rex Boemus, metuens ne aliquæ seditiones post ipsius mortem oborirentur, ad anteuertenda discrimina de primogenito marchione Morauiæ Boemica corona cingendo consilia suscepit: cum maxime Henricus archiepiscopus Moguntinus, ad quem regia inunctione perlinendi Boemiæ principis ius spectabat, Ludouici Bauari partium studio a Romanæ ecclesiæ obsequio desciuisset. Consultus itaque ea de re Benedictus, archiepiscopo Pragensi ius auctoritatemque contulit d, vt Carolum in ecclesia Pragensi, assentiente Ioanne Rege, Boemico diademate insignire posset.

Boemus de filio diademate cingendo cogitat.

d An. 7. ep. com. 197.

Venerabili fratri archiepiscopo Pragensi.

Nuper ad nostrum fidedigna relatione peruenit auditum, quod charissimus in Christo filius noster Ioannes Rex Boemiæ illustris, certis causis rationabilibus suadentibus, dilectum filium nobilem virum Carolum primogenitum suū marchionem Morauię proposuit in Regem facere Boemiæ coronari. Verū quia coronatio & inunctio Regis & Reginæ Boemiæ, qui sunt pro tempore, ad archiepiscopum Maguntinum, qui pro tempore existit, de antiqua & approbata consuetudine dicitur pertinere; ac omnis iurisdictio & auctoritas Henrici archiepiscopi Maguntini (qui aduersus Deum & sanctam Romanam ecclesiam, a qua honores & beneficia multiplicia recepisse dignoscitur, se obnoxium reddidit & ingratum) per processus apostolicos, eius demeritis exigētibus, totaliter est suspensa, nec potest ipsius Regis propositū sine prouidentia sedis Apostolicæ adimpleri; nos, qui bonum statum Regis ac primogeniti prædictorum, ac regni Boemiæ diligimus & honorem, volentes in hac parte per ipsius sedis prouidentiam opportunum remedium adhibere, ac de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ, vt dictum primogenitum in Regem, & dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Blancam suam consortem in Reginam Boemiæ, ad hoc ipsius Regis accedente consensu, hac vice auctoritate apostolica inungere & coronare in tua Pragensi ecclesia valeas iuxta consuetudinem & solemnitatem in talibus hactenus obseruatas, auctoritate prædicta tenore præsentium duximus concedendum. Per hoc autem ecclesiæ Maguntinæ & successoribus eiusdem Henrici archiepiscopis Maguntinis, qui erunt pro tempore, in obedientia & deuotione

Spectabat id munus ad Mogunt. archiepiscopum.

Transfusum apostolica auctoritate ad episcopum Pragensem.

no-

nostra & successorum nostrorum ac ipsius Romanæ ecclesiæ persisteotibus, nullum volumus in præmissis in posterum præiudicium generari. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. sd. octobris anno* VII.

Renuntiatur idem liber ab imperio Mogũtini archiepisc. a Ib. ep. cam. 400.

17 Solutus est idem episcopus a Henrici Moguntini archiepiscopi imperio auctoritateque cum is censuras edictis Ioannis XXII. intentatas Ludouicũ Bauarum Cæsarẽ agnoscentibus contraxisset, dum publice illius partes omni studio efferre conatus est: si vero ille eundem veluti suffraganeum suis vexare edictis moliretur, ea penitus irrita futura sanxit.

Venerabili fratri episcopo Pragensi.

Te ignorare non credimus, sicut cunctæ fidei Christianę prouincię nõ ignorant, processus diuersos & varios dudũ per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum contra Ludouicum de Ba iaria, manifestum Dei & ecclesiæ inimicum, ac per ipsam ecclesiam de hæresi condemnatum, exigentibus & excrescentibus grauibus & notorijs eius culpis & excessibus, aduersus Deum & vniuersalem statum ecclesiæ in cunctorum fidelium scandalum perpetratis, cum magna deliberatione & grauitate, cogente iustitia publice habitos & solemniter publicatos: quibus constat, eundem Ludouicum omni iure regali & imperiali, si quod sibi competebat, fuisse priuatum. Nec etiam te latere credimus, quod idem prædecessor vniuersis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, alijsque personis ecclesiasticis quibuscumque sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, & excommunicationis (quam eos incurrere voluit ipso facto, nisi inhibitioni huiusmodi efficaciter obedirent) duxit districtius inhibendum, ne prædicto Ludouico tanquam Regi seu in Regem Romanorum electo super ijs, quæ ad regnum vel imperium Romanorum aut eius regimen pertinerent, quouis modo parerent, adhærereot, vel intenderent, seu præstarent per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium, vel fauorem: nec nomine regni vel imperij prædictorum aut dominij cuiusuis per eum vsurpati in illis ei responderent, vel aliam satisfactionem sub quocumque velamine impendere attentarent: quibus pœnis & sententijs adeo ipsos ligari & astringi voluit & decreuit, ac si proprijs eorum nominibus nominati fuissent specialiter & expresse. Quas quidem pœnas & sententias Henricum archiepiscopum Maguntinum metropolitanum tuum, eidem Ludouico tanquam Regi seu in Regem Romanorum electo in præmissis publice ac notorie parendo, adhærendo, & intendendo, ac præstando per se & alios auxilium, consilium, & fauorem, non est dubium incurrisse.

Obiecta Moguntino defectio ad Ludouicum Bauar.

Cõtractæ inde censuræ.

Licet igitur ex prædictis processibus prædecessoris eiusdem, & pœnis contentis in eis credamus plenissime informatum, qualiter circa ipsum archiepiscopum debeas te habere; tamen in ijs, quæ statum tuum respiciunt et salutem, adijcere apostolicæ instructionis & iussionis instantiam vtile ac necessarium reputantes, fraternitati tuæ consulimus, tibique per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus eidem archiepiscopo, qui non solum indiscrete, sed etiam infideliter in præmissis se habuit & habet ad præsens, pœnis & sententijs contentis in dictis processibus propterea inuoluto, in nullo pareas vel intendas, nec per tuos subditos, quantum in te fuerit, parere vel intendi permittas: nam si talia faceres, quod absit, essent a via salutis deuiatio & manifesta periclitatio status tui. Et si forte idem archiepiscopus in tantam prorumperet temerariæ persecutionis audaciam, vt ad parendum sibi per se vel alium seu alios te quouis modo requireret vel vrgeret, tu memor apostolicæ doctrinæ omnino studeas plus Deo quam hominibus obedire, in deuotione & fidelitate Romanæ ecclesiæ firma constantia persistendo, sicut hactenus te credimus perstitisse. Nos enim omnes & singulos processus, contra te vel subditos tuos communiter vel diuisim per eundem archiepiscopum, vel quemuis alium eius nomine, postquam fuit eisdem pœnis & sententijs inuolutus, forsitan super hoc habitos, vel quos eum per se vel alium seu alios facere contingeret in futurum, ex nunc, donec ad vnitatem ecclesiæ redierit, cassamus, irritamus, ac cassas & irritas, prout sunt, fore decernimus, ac nullius existere roboris vel momenti. *Dat. Auin. x. kal. aug. anno* VII.

Vetitum Pragensi ne illius imperijs obtemperet.

Brabantini ad Põt. legatio.

18 Hoc anno transmisit Ioannes Brabantiæ dux, quem Ludouico Bauaro adhæsisse vidimus, quique iniustis oneribus ecclesiasticos oppresserat suos ad sedem Apostolicam oratores, quibus se ad pontificia imperia paratissimum obtulit, & inflicta viris ecclesiasticis damna se refecturum est pollicitus [a]. Cui Benedictus, commendatis eius officijs, apostolicum studium spopondit [b]: *Cum ipsi nuntij*, inquit, *pro parte tua magnificentiæ inter cætera proposita per eosdem filialis deuotionis sinceritatem, quam ad nos & sanctam Romanam geris ecclesiam, placidis eloquijs recensentes, nobis deuotius duxerint offerendum, quod tu tanquam filius benedictionis & gratiæ, nostris & eiusdem ecclesiæ beneplacitis cum operosa deuotionis affectu iugiter inhærere proponis: & nihilominus circa ea, quæ diuinum beneplacitum & tuam concernunt salutem animæ, studijs sedulis & deuotis intendens, ecclesijs & personis ecclesiasticis infra districtus terrarum tuarum consistentibus, quæ per te vel tuos grauatæ hactenus fuerunt indebite vel oppressæ, optimæ satisfactionis subsidia impẽdere ac impendi facere benigna disposuisti animo, idq. iam pro parte in effectũ operis deducere incœpisti, &c.* Dat. Auin. III. non. iunij an. 7.

a To. 7. ep. secr. 82. b Ead. ep.

Spondet illi sua officia.

19 Soluti sunt eodem anno omnibus censuris, quibus ob Ludouici Bauari & antipapæ, ac Matthæi & Galeatij Vicecomitum factionea se irretierant Mediolanenses: quamuis enim iam ante eiurassent schisma, & censuris rite solui essent iussi; obortæ tamen fuerant variæ difficultates, quæ rei exitum retardarant. Solemnes itaque iterum ad sedem Apostolicam oratores transmisere: quibus professis Romanæ ecclesię dignitatem fidemque orthodoxam, ac sacramento pollicentibus, nunquam Ludouicum Bauarum ante adeptam ecclesiæ gratiam & regiũ decus ei confirmatum, venientem in Italiam, aut eius duces recepturos, veniam rite impertijt Benedictus, liberatosque pœnis omnibus ob ea contractis pristinis iuribus restituit. Ad expiandum autem commissum crimen iniunxit, vt suis sumptibus sacella duo sancto Benedicto abbati ponerent, omnibusque ornamentis & vectigalibus ad sustentandos duos sacerdotes, diuinis operaturos singulis diebus, instruerent: tum eleemosynas duobus millibus pauperum, recurrente certo die, erogarent. Insigne est hac de re in pontificio regesto monumentum c, cui plura de alijs Italiæ populis, ad ecclesię gratiã redeuntibus, documenta publica consentiunt, quę in molis Adrianę tabulario, et passim in M.S. collect. Platinę to. II. extant.

Mediolanenses cõciliati ecclesiæ.

Imposita ad crimẽ expiandũ pœna.

c An. 7. ep. cur. 33.

P 2 Be-

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

20 Dilectis filijs Leone de Dugnano & Manfredo de Ieraczonibus de Mediolano iurisperitis, ambasciatoribus & nuncijs, necnon Guidolo nato quondam Benedicti de Calice ciuibus Mediolanensibus, procuratore & syndico communis & populi ciuitatis Mediolanensis, eiusque comitatus & districtus, & quarundam singularium personarum communis & populi prædictorum, in subscripto instrumento publico sindicatus, seu procurationis communis & populi prædictorum nominatim expressatum, pro infrascriptis exequendis ad nos & sedem Apostolicam specialiter destinatis; coram nobis & fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consistorio, præsente ibidem tam prælatorum quam aliorum multitudine copiosa fidelium, se cum reuerentia debita præsentantibus, & deuotionem sinceram, quam commune & populus & singulares personæ prædicti ad nos & Romanam ecclesiam gerunt, & constanter disponunt gerere in futurum, deuote ac humiliter exponentibus; præfatus Guidolus prædictum instrumentum sindicatus seu procurationis, cuius tenorem de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, exhibuit in nostra & fratrum nostrorum præsentia prædictorum. Quo quidem instrumento de mandato nostro in consistorio ipso lecto, præfatus sindicus & procurator sindicario & procuratorio nomine prædictorum, quorum sindicus & procurator existit, deuote ac humiliter recognouit, & sponte ac reuerenter confessus fuit, quod dicta ciuitas Mediolanensis ac districtus & comitatus eiusdem, necnon homines & habitatores eorundem fuerunt & steterunt sub dominijs & subiectione ac obedientia quondam Matthæi de Vicecomitibus de Mediolano, & quondam Galeatij eiusdem Matthæi filij etiam contra dictam sanctam Romanam ecclesiam; non tamen in hæresi, nec in aliqua fautoria alicuius hæresis & temporibus, quibus dicitur, quod ipsi Matthæus & Galeatius fuerunt in rebellione ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ; ac eis & cuilibet eorum obediuerunt, & dictis téporibus paruerunt, prout subditi dominis facere consueuerunt, & eis vt talibus fauerunt, ipsos in dominijs & præeminentijs ciuitatis, comitatus, & districtus prædictorum totis viribus defendendo ab omnibus eos volentibus impugnare, ac deijcere de dominijs supradictis; & nihilominus exercitus & caualcatas ad eorundem Matthæi & Galeatij & cuiuslibet ipsorum voluntatem & mandatum faciendo contra omnes & singulos inimicos & rebelles eorum, seu alterius eorundem, nec non subsidia pecuniaria eisdem Matthæo & Galeatio præbendo, & collectas ac tallias persoluendo, *& infra*, fauendo in omnibus secundum possibilitatem ipsorum, præterquam in hæresi vel aliqua fautoria eiusdem, in quibus nunquam eisdem vel alteri obediuerunt, vel fauorem aliquem præstiterunt: quodque ciuitas & homines ac habitatores ipsius, necnon comitatus et districtus eiusdem fuerunt aliquibus temporibus obedientes et fauentes quandoque de voluntate dicti Galeatij, quandoque præter eius voluntatem Ludouico de Bauaria etiam in coronatione ipsius facta in dicta ciuitate Mediolanensi, et scientes tunc temporis eum esse rebellem eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac ipsi Ludouico tanquam Regi Romanorum, et se nominanti Imperatorem, licet non esset per sanctam Romanam ecclesiam approbatus, fauerunt, obedierunt, et intenderunt in omnibus, prout Matthæo et Galeatio supradictis, præterquam in hæresi vel aliqua fautoria seu specie hæresis, quibus nunquam eidem Ludouico vel alicui alij obediuerunt, nec fauorem aliquem præstiterunt: & etiam fauorem & obedientiam prædictos ipsi Ludouico impensos præstiterunt non voluntarij, sed inuiti & coacti, quandoque per dictum Galeatium, quandoque per ipsum Ludouicum, seu gentes eiusdem, & quandoque propter timorem aliorum.

De multis ab ijs oratoribus.

Vt petita sit venia de Vicecomitibus ab ijs defensis.

Instructis ad eorum gratiam exercitibus.

De susceptis partibus Ludouici Bauari.

21 Insuper dictus sindicus & procurator quo supra nomine recognouit & confessus fuit, quod ciuitas, comitatus, & districtus prædicti, nec non ciues, homines, & habitatores eorundem aliquibus temporibus nuncios quondam Petri de Corbario, tunc antipapæ, schismatici, & apostatici, tempore quo felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster in humanis agebat, & etiam vnum anticardinalem, legatos, & prædicatores ipsius antipapæ, etiam prædicantes contra præfatum prædecessorem nostrum scienter receperunt & fauerunt eisdem, ipsos vt tales honorabiliter recipiendo & fauorabiliter pertractando, ac eis reuerenter obediendo; non tamen in hæresi, nec in aliqua fautoria alicuius hæresis, neque eis vel alicui eorum in aliqua hæresi, vel specie alicuius hæresis, seu contra catholicam fidem, fauorem vel auxilium aliquod vllo vnquam tempore præstiterunt. Nec etiam crediderunt dictum Petrum de Corbario fuisse vel esse verum Papam, nec dictos Cardinalem, legatos, nuncios fuisse vel esse veri Papæ, ac etiam receptionem, obedientiam, & fauorem huiusmodi, vt dictum est, eis impenderunt & fecerunt non voluntarij, sed inuiti & coacti, & propter timorem & potentiam prædictorum. *Et infra.*

Exceptis antipapæ nuntijs & anticardinalibus.

Metu tamen non voluntate.

22 Et subsequenter dictus sindicus ad euidentiam boni & veri propositi, quod dicta ciuitas Mediolanensis, nec non castra, villæ, terræ, & loca comitatus & districtus eiusdem, & homines eorundem persistendi in obedientia & deuotione sanctæ matris ecclesiæ, atque nostra & successorum nostrorum habere noscuntur, solemniter bona fide promisit nomine prædictorum, quorum sindicus & procurator existit, prout ab eis in mandatis habebat, quod ciuitatis prædictæ, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum communia & homines dacia, gabellas, & collectas, siue pedagia, vel alia onera per se vel alium seu alios non imponent, nec imponi facient, vel permittent ecclesijs siue ecclesiasticis locis & personis ciuitatis prædictæ, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum; nec eadem pedagia, gabellas, collectas, & alia onera ab eisdem ecclesijs, locis, & personis ecclesiasticis huiusmodi, vel bonis eorum exigent vel exigi facient, aut permittent contra canonicas sanctiones directe vel indirecte, publice vel occulte, nec illa imponentibus aut exigentibus dabunt auxilium, consilium, vel fauorem; quinimmo ecclesias & ecclesiasticas personas in suis bonis, iuribus, & libertatibus conseruabunt: & quod præsidentes regiminibus ciuitatis, castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum, quatenus ad eos tanquam ipsorum rectores spectabit teneantur, si secus fieret, ipsis ecclesijs & ecclesiasticis personis, de impositionibus siue exactionibus huiusmodi conquerentibus, exacta restitue-

Nuncupata sponsio de non opprimendis ecclesiasticis.

De restituendis ablatis iis tribus.

tuere, ſeu reſtitui ac impoſitiones ſactas etiam reuocare ſeu reuocari ſacere celeriter, ſummarie, ſine ſtrepitu iudicij & figura; alioquin pœnas inde incurrant ſuper ijs a ſactis canonibus promulgatas: quodque ipſi præſidentes & communia ac ſingulares perſonæ ipſorum iudices eccleſiaſticos non impedient, quominus contra imponentes & exigentes huiuſmodi libere procedere valeant ad publicationem dictarum pœnarum & alias iuxta canonica inſtituta.

Colendis Romanæ eccleſiæ imperijs.

23 Inſuper dictus ſindicus iurauit ad ſancta Dei euangelia, per eum corporaliter manu tacta, in animas conſtituentium prædictorum, prout ab eis ſpecialiter in mandatis habebat, quod comitatus Mediolanenſis, nec non caſtrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & diſtrictus prædictorum, communia & homines parebunt ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis commiſſis per eos mandatis eccleſiæ atque noſtris, & quod ſimilia de cætero non committent, ac infraſcripta omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruabunt & adimplebunt: ac procuratorio & ſindicatio nomine communium & vniuerſitatum ciuitatis, caſtrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & diſtrictus prædictorum & ſingularium perſonarum ipſorum promiſit, & iurauit etiam in animas eorundem, quod communia, vniuerſitates, & ſingulares perſonæ prædicta nobis & ſucceſſoribus noſtris, canonice intrantibus, erunt deuoti & fideles ac obedientes tanquam Chriſti vicario, & ſanctæ matri eccleſiæ, velut cæteri veri & catholici Chriſtiani: & quod præfato Ludouico & ſequacibus ſuis per eccleſiam condemnatis, & alijs quibuſcumque per dictam eccleſiam denotatis (illis qui de iniuſta condemnatione occaſione præmiſſorum conqueruntur, vt infra ſequitur, exceptis) & denotandis in poſterum de hæreſi vel ſautoria ipſius nunquam ſcienter dabunt auxilium, conſilium, vel ſauorem publice vel occulte; nec eos ſcienter receptabunt in ciuitate, caſtris, villis, terris, & locis, comitatu & diſtrictu prædictis, vel alijs quibuſcumque ipſorum adminiſtrationi vel iuriſdictioni ſubiectis, vel ſubijciendis quouſque ad eccleſiæ redierint vnitatem: & quod alquem, qui veniet ad partes Italiæ ſub nomine Imperatoris vel Regis Romanorum, vel adminiſtratoris iurium imperij vel regni Romanorum, aut quempiis alium quouis titulo ſeu nomine pro eodem, non receptabunt in ciuitate, caſtris, villis, & locis, comitatu & diſtrictu prædictis; nec eis dabunt ſcienter publice vel occulte auxilium, conſilium, vel ſauorem, priuſquam fuerit per ſedē Apoſtolicam approbatus. Et nihilominus ſindicus & procurator prędictus quo ſupra nomine cōfeſſus fuit ac iurauit ſpecialiter & expreſſe, quod communia ciuitatis, caſtrorum, villarū, terrarū, & locorum, comitatus & diſtrictus prędictorū, ac homines eorundem pro certo credunt & firmiter tenent, quod non ſpectat ad Imperatorem Papā deponere, vel Papam ſacere. ac hęreticū reputant aliter credere, vel docere, & hæreſim damnatam per eccleſiam, quam & ipſe ſindicus, quantum in eo eſt, & præfato ſindicario & procuratorio nomine poteſt iuxta determinationem eccleſiæ anathematizauit, & damnatam etiam reputauit.

Non iuuādis hæreticis.

De non excipiendo Cæſarialegato, niſi a ſede Apoſt. cōfirmatus ſit.

Profitetur orator nō ſpectare ad Cæſarē exauctorare Pontificem.

24 Idem quoque ſindicus procuratorio & ſindicario nomine ſupradicto promiſit & iurauit, quod communia & homines prædicti de ipſis ciuitate, caſtris, villis, & locis, ac terris alijs quibuſcumque, ipſorum iuriſdictioni, regimini, ſeu adminiſtrationi ſubiectis, vel in antea ſubijciendis, vniuerſos & ſingulos hæreticos ab eccleſia denotatos & in poſterum denotandos, nec non manifeſtos ſchiſmaticos pro viribus bona fide expellere ac exterminare curabunt, quouſque ad eccleſiæ redierint vnitatem; proteſtans dictus ſindicus, quod ad illos qui, vt præmittitur, præmiſſorum occaſione de crimine hæreſis vel ſautoria ſe iniuſte condemnatos conqueruntur, ſe articulus huiuſmodi non extendat donec ſecundum ordinationem, quam ſuper hoc facimus de ijs, quæ proponunt contra condemnationes ipſas, cognitum fuerit & etiam definitum. Promiſit etiam & iurauit dictus procurator & ſindicus nomine prædicto, quod communia ciuitatis, caſtrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & diſtrictus prædictorum, ac homines eorum nuntios & gentes noſtras, ac ſucceſſorum noſtrorum, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ per ciuitatem, caſtra, villas, terras, comitatum, & diſtrictum, & alia loca eorum iuriſdictioni ſubiecta & ſubijcienda pro tempore, ipſis ſcientibus, tranſeuntes, curialiter recipient & tractabunt, ipſoſque defendent & protegent bona fide.

Pulſuros ſchiſmaticos pollicetur.

Apoſtolicos nuncios colendos.

Prætetea promiſit dictus procurator & ſindicus nomine ciuitatis Mediolanenſis, nec non caſtrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & diſtrictus, communium & hominum ac ſingularium perſonarum prædictorum, ac iurauit in animas eorundem, prout ab eis in mandatis habebat, quod conſtituentes ipſi, omni malitia, dolo, & fraude ceſſantibus, eccleſias & perſonas ac loca eccleſiaſtica vniuerſæ ciuitatis, caſtrorum, villarum, terrarum, & locorum prædictorum, ac comitatus & diſtrictus eiuſdem, ipſorumque bona, libertates, & iura omnia manutenebunt & defendent, & ipſa vel eorum aliqua non vſurpabunt ſeu occupabunt directe, vel indirecte, nec vſurpata ſeu occupata tenebunt; ſed ea libere et cum effectu dimittent et reſtituent eccleſijs et perſonis, quibus eſt eorum reſtitutio facienda: ac eccleſias, clericos, loca, et perſonas eccleſiaſticas huiuſmodi bonis, iuribus, libertatibus eorundem libere vti et frui, illoſque ea pacifice poſſidere, ac eorum fructus, redditus, et prouentus permittent percipere et habere, ac promittent illos non vſurpare nec occupare, aut vſurpata vel occupata tenere, ſeu quominus eccleſiæ, clerici, et perſonæ eccleſiaſticæ prædicti huiuſmodi iuribus et libertatibus libere et pacifice vti et frui; nec non ea pacifice poſſidere, ac illorum fructus et redditus, vt præmittitur, percipere valeant et habere, nec eccleſias aut perſonas eccleſiaſticas in præmiſſis impedire quoquomodo volentibus conſentient, nec in ijs dabunt directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, conſilium, vel ſauorem: quinimmo facient et procurabunt toto poſſe cum effectu, quod vſurpata et occupata de bonis et iuribus eccleſiarum, locorum, clericorum, et perſonarum eccleſiaſticarum dimittantur et reſtituantur prælatis, eccleſijs, locis, clericis, et perſonis prædictis, prætetquam ciuitatis, caſtrorum, villarum, terrarum, et locorum comitatus et diſtrictus prædictorum nototijs inimicis, quos in caſu, quo ad pacem et concordiam cum eorum communitatibus et vniuerſitatibus deuenire nollent, manutenere et defendere non promittunt.

Reſtituendum ius eccleſiaſticum.

Bononiā & alias vrbes pontificias non oppugnandas.

25 Ruſus promiſit ſindicus memoratus procuratorio et ſindicario nomine antedicto, et iurauit in animas conſtituentium eorundem, quod ipſi, quorum ſindicus et procurator exiſtit, Bono-

nienfem et Ferrarienfem cinitates earumque comitatus et districtus, ac marchiam Anconitanam, Romandiolam, ducatum Spoleti, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Campaniam et Maririmam, aut aliquam partem eorum, seu terras districtus, pertinentias, honores, aut bona et iura eorundem vel quascumque alias cinitates, terras, castra, et fortelitia, villas et loca, sen habitatinnes hominum, quæcumque dominia, iurisdictiones, portus, vel passus terræ vel aquarum fluminis, seu ascensus vel descensus eorum, stratas vel vias publicas vel priuatas quorumcumque ciuitatum, comitatuum, et districtuum prouinciarum sen locorum proxime nominatorum, ad nos et Romanam ecclesiam spectantia, vel quæ sub nostro et einsdem Romanæ ecclesiæ nomine reguntur aut tenentur, seu in quibus nos et Romana ecclesia ius habemus, qualiacumque sint, in quibuscumque et vbicumque consistant, aut personas ecclesiasticas vel seculares eorundem ciuitatum, comitatuum, prouinciarum, locorum & districtuum huiusmodi,

Non læsu ros eltentes ecclesiæ.

vel alicui ipsorum per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, non offendent aut suberahent, nec inuadent, nec capient, nec vsurpabunt vel impedient, aut prædabuntur, sen spoliabunt in toto vel in parte, nec talia facientibus aut attentantibus, vel facere ac attentare volentibus dabunt seu præstabunt succursum, auxilium, consilium, vel fauorem; nec eis in personis, bonis, vel rebus eorum irrogabunt damna, iniurias, vel offensas sine nostra & successorum nostrorum & eiusdem Romanæ ecclesiæ licentia speciali: nec ciuitates, comitatus, prouincias, districtus, terras, & loca proxime dicta, vel aliqua eorundem eiusdem ecclesiæ, vel sub dominio & regimine ipsius consistentia, ipsis appropriabunt, vel ea eidem Romanæ ecclesiæ auferent, vel quomodolibet subtrahent in futurum: adiecto tamen & saluo, quod si commune alicuius de cinitatibus, prouincijs, seu locis comitatuū et districtuum prædictorum, quę tenentur seu reguntur ipsius Romanæ ecclesiæ nomine; sen personam singularis, commune, seu populum dictæ cinitatis Mediolanensis, necnon castrorum, terrarum, et locorum comitatus et districtus eiusdem, quorū ipse sindicus procurator existit, vel alicuius eorum aut personam singularem de illis vel etiam aggrederentur primo vel offenderent, aut hostes vel æmulos ad ipsos offendendos receptarent; communia aut singularis persona taliter offensa vel inuasa tam per viam iustitiæ, quam vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, prout exposcet facti et temporis qualitas, se et bona ac loca sua defendere valeant et tueri: sic tamen, quod in ciuitatibus et locis prædictis quæ, vt præmittitur, tenerentur seu regerentur nomine prædictæ Romanæ ecclesiæ, ius ecclesiæ prædictæ, ac etiam ciuitatum et castrorum, si quod eisdem in illis vel eorum aliquo, seu hominibus ipsorum vel alicuius eorum competat, ipsis Romanæ ecclesiæ ciuitatibus vel castris, quibus per præmissa vel aliquod præmissorum non præiudicetur in aliquo, saluū semper remaneat et illæsū.

Adiecta lex si quis piam eliés pōtificius eos læserit.

Postulata flexis genibus censurarum solutio.

26 [Confessus superiora Mediolanensis orator, admissisque legibus memoratis, prouolutus in genua, Pontificem demisse precatus est, vt Mediolanenses censuris omnibus, quibus se irretierant, solueret; cum ob eorum multitudinem, partim ob inopiam, partim ob hostium odia ad sedem Apostolicam se conferre non possent, et constanter in obsequio illius perstare parati essent. Ad quas preces flexus Benedictus Mediolanenses pristinis iuribus, piorum societati, templorumque et sacrorum vsui restituit; hanc tamen pœnam ad crimen rite expiandum inflixit.]

Imposita Mediolanensibus ad præstita expianda pœna.

Porro, vt communi, populo, et singularibus personis ciuitatis, comitatus, et districtus prædictorum, et eorum posteris in perpetuum de prædictis commissis excessibus, et similibus de cętero euitandis; nec non de tanta gratia, et venię beneficio super pręmissis obtentę de clementia dictę sedis, memoria perpetua relinquatur, volumus et auctoritate apostolica ordinamus, ipsisq; communi, populo, et hominibus huiusmodi cinitatis districte iniungimus per pręsentes, vt ipsi commune, populus, et homines nomine pœnitentię pro pręmissis ędificari, seu construi faciant sumptibus eorundem in dicta ciuitate Mediolanensi duas pulchras et decentes capellas, vnam videlicet infra maiorem cathedralem, et alteram infra sancti Ambrosij Mediolanensis ecclesias ad honorem almi confessoris B. Benedicti abbatis, ac eius vocabulo insignitas: in quarum qualibet vnus presbyter perpetuus capellanus, & vnus minister instituantur, qui in ea diuina quotidie debeant celebrare: & quod ipsas capellas libris, calicibus, crucibus, vestimentis, paramentis, & alijs ornamentis, ad cultum diuini nominis opportunis, & decentibus muniant, & ea manuteneant, & faciant effectualiter in perpetuum quoties fuerit opportunum: quodque pro dote cuiuslibet dictarum capellarum tot possessiones emant, ex quibus fructus, redditus, & prouentus proueniant ad summam triginta florenorum auri communiter annis singulis ascendentes, conuertendorum in sustentationem dictorum capellanorum & suorum ministrorum, qui eis assistent in celebratione huiusmodi diuinorum: & quod ipsi commune, populus, & homines quolibet anno in festo eiusdem B. Benedicti ac rectores, seu regimina dictæ ciuitatis, qui erunt pro tempore, voce præconia populo dictæ ciuitatis generaliter inuitato & conuocato, ad alteram, quam maluerint, dictarum capellarum conueniant, & missam ibidem solemniter audiant, in qua proponetur populo verbum Dei: in quo habebitur memoria tantæ gratiæ indultæ ipsis misericorditer a sede Apostolica supradicta de tot & tantis excessibus ac delictis per eos, vt præmittitur, perpetratis: et quod ipsi commune in die festiuitatis ipsius B. Benedicti singulis annis in perpetuum ad hoc, vt nec culpa commissa per eos, nec gratia veniæ illius recepta a sede prædicta de Mediolanensium memoria valeat aboleri, faciant vnam eleemosynam in ciuitate Mediolanensi duobus millibus pauperum personarum, cuilibet personæ videlicet de vno pane bono & conuenienter albo ponderis duodecim vnciarum pro quolibet: & quod pro huiusmodi eleemosyna, perpetuo facienda & manutenenda, ipsi commune, populus, & homines ciuitatis eiusdem tot emant præfatis capellis annuos redditus, præter redditus capellanorum prædictorum, quod ex eis possit dicta eleemosyna perpetuo sine defectu fieri & realiter adimpleri; quodque in casu, in quo non reperirent die huius festi in ciuitate prædicta tot pauperes, qui sufficerent ad dictam eleemosynam capiendam, ipsi commune id quod superetit a pauperibus, qui in dicta eleemosyna interfuerint, dispensari faciant & largiri inter pauperes verecundos ciuitatis eiusdem: & quod prædictas capellas construi faciant, & libros, cruces & calices, ornamen-

Duo sacella extrui iussa.

Indicta celebritas annua recurrente die D. Benedicto sacra.

Imperatæ eleemosynæ.

ta

ta, vestimenta, & alia paramenta ecalesiastica, ipsis capellis dent & assignent, ac redditus huiusmodi emant tá pro capellanis & ministris, quam eleamosyna supradictis infra duos annos, a data præsentium computandos, &c. [Interiectis nonnullis de his ratis habendis solemni ritu, subdit Pontifex].

27 Volumus & apostolica auctoritare decernimus [si nimirum superiora non fuerint mandata operi] quod præfati commune dictæ ciuitatis, nec non comitatus & districtus ipsius, vniuersitates & homines eorundem in easdem pœnas & sententias, quibus subiacebanr antea, recidant ipso facto: quodque si post ratificationem, approbationem, confirmationem, & innouationem præmissorum, vt præmittitur, faciendas eiusdem ciuitatis, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus præfatorum communia, vel eorum aliqua, seu singulares personæ ipsarum contra præmissa & iurata per eundem sindicum eorum nomine de non fauendo dicto Ludouico de Banaria & sequacibus suis, & de non admittendo vel receptando aliqnem, qui veniret ad partas Italiæ sub nomine Imperatoris vel Regis Romanorum, aut administratoris iurium imperij vel regni Romanorum, aut quemuis alium quouis titulo seu nomine pro aodem in ciuitate, castris, villis, terris & locis, ac comitatu & districtu prædictis, sau fauendo eisdem (ac expellendis hæreticis & eorum fautoribus, illis, qui de hæresi vel fautoria ipsius se iniuste, vt præmittitur, asserunr condemnatos, exceptis) ac de terris, bonis & iuribus eiusdem Romanę ecclesiæ, vs præmittitur, non inuadendis nec etiam occupandis quoquo modo facerent, singulares personæ videlicet excommunicationis incurrant sententiam, & communia taliter facientia seu venientia interdicto ecclesiastico eo ipso & pœnis & sententijs subiaceant, quæ contra fautores hæreticorum & taliter delinquentes, si hæreticis fauerint, vel fautoribus eorundem a sacris canonibus inflictæ sunt & prolatæ, etc.] Additur procuratorium consignatum anno MCCCXL. XXVII. octobris. *Dat. Auin. id. maij anno VII.*

Intentatæ censuræ, si legatus Cæsaris excipiatur antequam a sede Ap. confirmetur.

28 Conciliati pariter alij Insubres, nimirum Bergomenses a, Papienses b, Nouarienses c, Cremonenses d, Vercellenses e, Comenses f, Bobienses g, municipes S. Domnini h, Soncinates i, ijsdem nempe pactionibus, quibus Mediolanenses in gratiam recepti: quare superiori formula confecta sunt de ijs restituendis gremio ecclesiæ diplomata. Iussæ autem singulæ vrbes non duo sacella, vt Mediolanenses, sed vnum tantum condere, & eleemosynas mille pauperibus erogare. Quibus etiam legibus superiori anno Terdonenses l ac Lucani m absoluti a Benedicto, hoc anno pontificiam sententiam grato et demisso animo excepere; ac Petrum Bonaiunctam et Andream procuratores instituere, vt coram Pontifice et Cardinalibus omnia iussa, rata a Lucano populo et magistratibus habita profiterentur: de quo tabulæ n publicæ editæ anno a natiuitate Domini MCCCXLI. ind. VIII. die XX. mensis ianuarij cõsignatę. Extanr in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ vna cum alijs Insubrum literæ o, quibus omnia præscripta a Pontifice se obseruaturos spopondere, neq; Cæsarem nisi a sede Apostolica confirmatum agnituros. Cæterum ad Insubres singulos censuris rite liberandos, Cumensis, Cremonensis et Laudensis episcopi designati sunt a, concessumque vt corpora defunctorum ecclesiasticæ sepulturæ tradi iuberent.

Conciliati ijsdem legibus alij populi.

a Eod. an. 7. ep. cur. 34. b Ep. 35. c Ep. 36. d Ep. 37. e Ep. 38. f Ep. 39. g Ep. 40. h Ep. 41. i Ep. 42. l An. 8. ep. cur 36. m Ib. ep. cur. 26. n Lib. priu. 2. in secl. to. 1. pag. 166. o Ib. pag. 37.

Cum vero vt iam ante indicatũ est, plures Insubres grauissime quererentur, Gibellinarum partium odio inique a censoribus fidei sententia hæreseos fuisse damnatos, cum fidem orthodoxam colerent, sed tantummodo censuras, quas ob cæsareũ ius anceps defensum a Ioanne XXII. Pontifice inflictas pertulissent; Benedictus Bertrando tit. S. Marci et Guillelmo tit. S. Stephani in Cælio mõte Cardd. prouinciá dedit, vt iudiciarias actiones illas discuterent, insontesq; absoluerent, sontes vero damnarent. Certe fidei censores studio partium nimium commotos in percellendis sententia hæreseos Gibellinia aliquibus constat: nam Benedictus cum iudiciaria acta ab Aycardo archiepiscopo Mediolanensi, Paxio, Iordano, Honesto, Barnaba ordinis Prædicatorum causarum fidei cognitoribus, in Ioannem et Luchinum Matthæi Vicecomitis filios confecta, quibus ob patrem damnatum hæreseos adintum armis damnati fuerant et infamiæ nota inusti, bonisque omnibus et iuribus priuati, mature cum Cardinalibus discussisset, implorantibus legum æquitatem Ioanne et Luchino, iniqua pronunciauit b, ac penitus conuulsit: alia vero acta iuste in Ioannem Vicecomitem ob susceptum ab antipapa Cardinalarum edita iam ante pontificia clementia fuerant abrogata, cum is ad ecclesiæ sinum redijsset.

a Ann 7. ep. cur. 43

Insubrum de fidei censorib. querelæ.

Iudiciaria corũ acta in Ioanne & Luchinum pronunciata irrita.

b Ib. ep. cur. 26.

29 Professi porro sunt hoc anno Ioannes episcopus Nouariensis et Luchinus, qui principatum Insubriæ arripuerant, spectare ad sedem Apostolicam, dum interregnum esset, creare Imperij vicarios: qua dignitate a Benedicto ornati sunt, polliciti nulli Regi Romanorum, nisi ab sede Apost. confirmato se adhæsuros. Quo vero ordine res gesta sit, fuse describitur tum in pontificijs literis c, tum in publicis documentis d Mediolani confectis hoc anno, quibus singula a Pontifice cõstituta a Ioanne & Luchino admissa rataq; habita fuerunt. Et quidem illi, euoluto iam ante biennio, cum Mediolani aliarumque plurium vrbium dominos se dicerent, ex concepta subiectis verbis formula poposcerant a sede Apostolica vicariam im; erij in Insubria, vacuo augustali solio, præfecturam.

Vicecomites ecclesiæ vectigales se profitentur.

c Ib. ep. cur. 28. d Ext. ib. ext. etiam in arce S. Ang & inter collect. Plat. M. S. arch. Vat. to. 2. pag. 405. & in M. S. bib. Vall. sign. lit. b. num. XII. pag. 443. ad 452.

In Christi nomine. Amen. Pateat vniuersis hoc præsens instrumentum inspecturis, quod reuerendus in Christo pater dominus Ioannes Dei & Apostolicæ sedis gratia episcopus Nouariensis & comes, eiusque ciuitatis & districtus dominus generalis, & magnificus miles dominus Luchinus frater eius filij quondam magnifici militis Matthæi Vicecomitis de Mediolano, ciuitatum & districtuum Mediolani, Pergami, Brixiæ, Cremonæ, Placentiæ, Laudæ, Cumarum, & Vercellarum, nec non Cremæ, Burgi S. Domnini, Sonzini, Martinengi, Castri noui, Buccaduæ, & Carauazij castrorum diœcesis Parmæ, Cremonæ, Pergami, & Placentiæ, domini generales, in mei notarij publici & testium infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, sua mera, libera, & spontanea voluntate, ac ex certa scientia fecerunt atque constituerunt & creauerunt suum verum & legitimum procuratorem, actorem, factorem, negotiorum gestorem, & nuntium specialem prouidum & discretum virum Guidolum de Calice, filium quondam domini Benedicti ciuem Mediolanensem, præsentem ac in se onus procurationis huiusmodi suscipientem, ad comparendum, ac sese deuote & hu-

Quartum vrbium tenuerint imperiũ.

& humiliter ipsorum dominorum Ioannis & Luchini nomine præsentandum coram sanctissimo in Christo patre & domino domino Benedicto, diuina prouidentia Papa XII. ac sacro collegio reuerendorum patrum dominorum Cardinalium S. R. E. tam in consistorio publico & priuato, quam in camera & alijs quibuscumque locis, de quibus & quotiescumque pro infrascriptis perficiendis & complendis opus fuerit: & ad exponendum reuerenter coram eis deuotam & debitam subiectionem & filialem deuotionem, & sincerum ac verum affectum, quos ijdem domini Ioannes & Luchinus ad dictos sanctissimum patrem & dominos Cardinales & Romanam ecclesiam gerunt, habent, & constanter disponunt & volunt gerere in futurum: ac ipsos dominum Ioannem & Luchinum & subditos suos, nec non ciuitates & castra prædicta & alias terras quaslibet & loca, sub eorum regimine & iurisdictione consistentia, & posse ipsorum dominorum Ioannis & Luchini eisdem dominis summo Pontifici & Cardinalibus, & ad eorum obedientiam & mandatum & beneplacita totaliter offerendum, ac se & ipsos tanquam veros & fideles sanctæ Romanæ ecclesiæ filios, subditos, & deuotos: & vt huiusmodi deuotionis, subiectionis, & sinceritatis affectus ipsis domino summo Pontifici & Cardinalibus clarius liqueat, ad promittendum ipsorum dominorum Ioannis & Luchini nomine, ac iurandum in animas ipsorum, quod ipsi domini Ioannes & Luchinus sunt, erunt, & permanebunt deuoti subditi, obedientes, & fideles, præfato domino summo Pontifici & successoribus eius canonice intrantibus, sicut Christi vicarijs, & eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ, velut veri subditi & catholici Christiani.

Ioannis & Luchini pollicitationes datæ ecclesiæ.

30 *Et ad confitendum & firmiter asserendum, quo supra nomine, ac iurandum, quod ipsi domini Ioannes & Luchinus non credunt nec crediderunt, quod spectat ad Imperatorem Papam deponere & alium facere; sed reputant taliter credere errorem nefandum & abominabilem, & hæresim per ecclesiam damnatam, quam & ipsi domini Ioannes & Luchinus, quantum ad eos spectat, anathematizant secundum determinationem ecclesiæ. Et ad promittendum & iurandum, quo supra nomine, & in animas ipsorum dominorum Ioannis & Luchini, quod ipsi domini Ioannes & Luchinus non adhærebunt Ludouico de Bauaria damnato, nec alicui antipapæ vel schismatico, nec eorum sequacibus vel complicibus, nec eis scienter dabunt auxilium, consilium, vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte; nec eos scienter receptabunt in terris, eorum dominio vel iurisdictioni subiectis, vel subijciendis, quousque ad ecclesiæ Romanæ redierint vnitatem & gratiam: quodque aliquem, qui veniret ad partes Italiæ sub nomine Imperatoris, aut Regis Romanorum, vel administratoris imperij, vel Regis Romanorum prædicti quouis titulo vel nomine pro eo, non receptabunt in terris prædictis, nec ei vt tali adhærebunt, fauebunt, vel obedient in aliquo, nisi prius fuerit per Romanam ecclesiam approbatus. Et ad promittendum prædicto nomine & iurandum, quod ijdem domini Ioannes & Luchinus de ciuitatibus, villis, castris, & locis, ac terris, eorum iurisdictioni & administrationi subiectis vel subijciendis, expellere & exterminare studebunt pro viribus bona fide vniuersos hæreticos ab ecclesia de hæresi denotatos & denotandos, ac schismaticos manifestos. Et nihilominus ad promittendum, quo supra nomine, ac iurandum, quod ipsi domini Ioannes & Luchinus nuncios & gentes præfati domini summi Pontificis & successorum suorum ac sanctæ Romanæ ecclesiæ per ciuitates, castra, villas, terras, & loca huiusmodi, dictorum dominorum Ioannis & Luchini iurisdictioni vel administrationi subiecta & subijcienda, transeuntes curialiter recipient & tractabunt, ac recipi & tractari facient, ipsosque protegent & defendent bona fide.*

Damnata ab ijs Marsiliana hæresis.

Reperita sponsio de non parēdo legato Cæsaris, nisi confirmatus sit a sede Apost.

Ac insuper ad promittendum et iurandum, quo supra nomine, quod si qua ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ forent et detinerentur spoliatæ in ciuitatibus, castris, villis, terris, et locis prædictis per ipsos, vel aliquos eorum subditos, bonis vel rebus immobilibus eorum, personas ipsas restituent et restitui facient de plano sine strepitu iudicij et figura in ipsis eorum bonis et iuribus ac rebus; et eas facient illis pacifica possessione gaudere, ac restitutas defendent, quantum ad ipsos tanquam rectores spectabit: quodque si aliqua ecclesia vel ecclesiastica persona conquereretur, se fore bonis mobilibus spoliatas per ipsos dominos Ioannem et Luchinum, vel prædecessores aut subditos suos coram præfato domino summo Pontifice, seu illo cui hoc duxerit committendum, iuri parebunt sine strepitu iudicij et figura, vel concordabunt amicabiliter cum ecclesijs et personis taliter spoliatis.

De tuendo iure ecclesiastico.

31 *Ad promittendum quoque ac iurandum, quo supra nomine, et in animas prædictorum dominorum Ioannis et Luchini, quod ipsi domini Ioannes et Luchinus omnes ecclesias et ecclesiasticas personas regulares et seculares ciuitatum, castrorum, villarum, et terrarum, et locorum prædictorum, sua iurisdictioni et administrationi subiectorum, et subijciendorum in futurum, gaudere permittent, nec impedient quominus gaudere possint omnibus suis redditibus, prouentibus, obuentionibus, iuribus, et libertatibus vniuersis in huiusmodi ciuitatibus, castris, villis, terris, et locis eorumque districtibus, quantum in eis erit et esse poterit, modo aliquo siue forma: nec ecclesias et personas ipsas impedientibus dabunt auxilium, consilium, vel fauorem per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, nisi essent sui iniusti et notorij inimici vel rebelles sui, vel communium, ciuitatum, castrorum, terrarum, et locorum huiusmodi iniuste existerent. Item ad promittendum dicto nomine, ac in animas ipsorum dominorum Ioannis et Luchini iurandum, quod ipsi Bononiensem et Ferrariensem ciuitates ac eorum districtus, et quascumque alias ciuitates, castra, terras, et prouincias districtus, comitatus, et loca ac iura qualibet ad dictam Romanam ecclesiam pertinentia, vel quæ nomine ipsius ecclesiæ vel domini nostri summi Pontificis reguntur, aut ipsorum aliquem vel aliquod; nec non communitates eorum et singulares personas ecclesiasticas vel seculares eorundem, vel aliqua alia, in quibus præfatus dominus summus Pontifex vel ecclesia Romana ius habuerit, qualiacumque sint, et in quibuscumque consistant, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, non inuadent, capient, vsurpabunt, impedient, vel deprædabuntur in toto, vel in aliqua parte; nec talia facientibus dabunt seu præstabunt succursum, auxilium, vel fauorem: nec eis in personis vel rebus eorum irrogabunt iniurias vel offensas sine Romani Pontificis speciali licentia, vel mandato.*

Non affectanda ditione pontificia.

Et nihilominus ad promittendum præfatis domini summo Pontifici & Cardinalibus ipsorum dominorum Ioannis & Luchini nomine bona fide, quod ipsi domini Ioannes & Luchinus datia, gabellas, aut collectas, seu pedagia vel alia onera non imponent indebite, nec contra iura aliquibus ecclesijs vel ecclesiasticis personis, nec imposita exigent directe vel indirecte, publice vel occulte, nec ea imponentibus siue exigentibus dabunt auxilium, consilium, vel fauo-

norem: sed ipsas ecclesias & personas ecclesiasticas in suis iuribus & libertatibus conseruabunt. Ac insuper ad promittendum & offerendum, dandum & soluendum eorum nomine, ac pro eis, præfatis dominis summo Pontifici & Cardinalibus ac Romanæ ecclesiæ pro emenda pro omnibus & singulis damnis & iniurijs, quæ legatis, nuntijs, et gentibus dictæ Romanæ ecclesiæ per ipsos dominos Ioannem & Luchinum & progenitores & agnatos suos, sequaces, fautores, & auxiliatores eorum illata, & irrogata dicerentur quomodolibet vsque ad præsentem diem, quinquaginta millia florenorum auri boni & iusti ponderis & cunei Florentini, soluendorum ipsi Romanæ ecclesiæ in Romana curia, vbicumque fuerit, in terminis quos ad hoc præfatus dominus summus Pontifex ordinabit: & pro huiusmodi quinquaginta millibus florenis soluẽdis in terminis, præfatos dominos Ioannem & Luchinũ ac heredes et successores eorum, et bona eorũ mobilia et immobilia, præsentia & futura, præfatis dominis dominis sũmo Pontifici & Cardinalibus ac Romanæ ecclesiæ obligandũ, & fideiussores idoneos propterea eis dandum, ac promissionem & obligationem huiusmodi omnibus pœnis, stipulationibus, solemnitatibus, & obligationibus realibus & personalibus, & cautelis, ac iuramento, ipsorum dominorum Ioannis & Luchini nomine & in eorum animas præstando vallandum, ipsosque dominos Ioannem et Luchinũ, ac heredes & successores eorũ pœnis et sententijs quibuscumq; spiritualibus & temporalibus, de quibus præfato domino summo Pontifici placuerit, occasione solutionis huiusmodi quinquaginta millium florenorum integraliter faciendæ, & alia faciendum, quæ circa hoc eidem domino nostro visa fuerint.

Promissa quinquaginta aureorum millia pro sarciendis damnis.

32 *Item ad deuotionem & subiectionem ipsorum dominorum Ioannis & Luchini erga dictum dominum summum Pontificem & Romanam ecclesiam ostendendam, & ad recognoscendum & confitendum dictorum dominorum Ioannis & Luchini nomine, & pro eis & iurandum in animas eorum, ipsos dominos Ioannem & Luchinum, ciuitatem Mediolanensem & districtum tenere & debere tenere, imperio Romano vacante, a præfato domino domino summo Pontifice, sede Apostolica, & Romana ecclesia, vt a dominis & superioribus, & vt ab illis ad quos, ipso vacante imperio, sicut nunc vacat, regimen, dispositio, administratio, & gubernatio eiusdem imperij pertinent & pertinere debent: ac dominos Ioannem & Luchinum, heredes, & successores prædictos illoc ciuitatem & districtum ipsorum domini summi Pontificis & successorum suorum, ac Romanæ ecclesiæ nomine, & sub eorum dominio & potestate, dicti imperij vacatione durante, velle, tenere, & regere & etiam gubernare; saluis tamen iuribus, libertatibus, & priuilegijs dictis ciuitati Mediolanensi & districtui, nec non eisdem dominis Ioanni & Luchino vel successoribus suis, vel alijs quibuscumque iure competentibus quouis modo: & super ijs & alijs, de quibus præfato procuratori videbitur, protestandum; & specialiter quod ipsi domini Ioannes & Luchinus, vel eorum successores pro huiusmodi confessione & recognitione ciuitatum et districtus earum ad solutionem alicuius census nullatenus teneantur. Ac promittendum prædicto nomine et iurandum, quod ipsi domini Ioannes et Luchinus, ac heredes et successores sui prædicti ciuitatem et districtum prædictos, eadem imperij vacatione durante, ipsorumque ciuitatis et districtus personas fideliter regent et gubernabunt in bono statu, æquitate, et iustitia iuxta posse ipsorum. Et nihilominus ad præstandum ipsorũ dominorum Ioannis et Luchini nomine, et in animas eorum pro ciuitate et districtu Mediolanensi prædictis præfato domino summo Pontifici, et Romanæ ecclesiæ illud fidelitatis cum omnibus capitulis ad sancta Dei euangelia manu tacta corporaliter iuramentum, et per ipsos dominos Ioannem et Luchinum obseruandum, ad quod ipsi domini Ioannes et Luchinus tenerentur Imperatori Romanorum legitimo, seu Romano imperio pro eisdem. Item ad supplicandum domino summo Pontifici prælibato reuerenter ipsorum dominorum Ioannis et Luchini nomine, vt ipse dominus noster vectoriam et gubernationem ciuitatis, comitatus, et districtus Mediolanensis, et personarum earundem cum mero et mixto imperio ipsa imperij vacatione durante, sine promissione, solutione, aut oblatione alicuius census vel seruitij, eisdem summo Pontifici et Romanæ ecclesiæ faciendi, auctoritate apostolica concedere et committere dignetur, gerendas per eos et successores suos, huiusmodi vacatione durante, etc. Acta fuerunt hæc Mediolani*, & infra, *anno Domini* MCCCXXXIX. *indictione* VIII. *die iouis* XXVIII. *mensis octobris.*

Vacuo solio cæsareo præfecturam Mediolanensem a sede Ap. exposcunt

Iustitiam integerrime administrandã spopõdere.

33 Post varios demum tractatus extracta res est in hunc annum, quo Benedictus vicariam eam præfecturam dedit Apostolico diplomate, cui ascripta est dies id. maij: quo diplomate singulæ ex pactiones a Vicecomitibus propositæ sanciuntur, & conceptum suis verbis superius instrumentum[a] inseritur. Ioannes autem & Luchinus conuenta hæc, Guidoli oratoris opera inita cum Pontifice, solemni ritu admisere. Qua de re editæ publicæ tabulæ[b], transmissæque ad Benedictum Papam, pendentibus Ioannis & Luchini sigillis obsignatæ; in quibus diffuse diploma pontificium cũ superioribus procuratorijs literis afferuntur, ac deinde rei habitæ ratę formula, et sacramenta fidei, quibus Ioannes et Luchinus Benedicto et successoribus se deuinxere, subijciuntur his verbis: *Prædicta omnia et singula promissa, conuenta, recognita, protestata, confessata, et iurata, acta et quomodolibet actitata, prout in prædictis apostolicis literis seriosius continetur generaliter et singulariter, specifice et expresse, cum gratiarum actione acceptamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, et innouamus, ac iuramus ad sancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, ea omnia et singula firmiter attendere, et inuiolabiliter obseruare, ac facere obseruari, et non contra facere vel venire. Et insuper.*

Admissa a Vicecomitibus quę promiserat orator

[a] Ep. cur. 28.

[b] Extat in arch. arc. S. Ang. & inter collectan. Plat. to. 2. pag 105 et 403. & in M. S. Vall. sign. lit. B n. XXI pag. 443.

Sacramẽti formula ab ijs nuncupata.

Ego Ioannes de Vicecomitibus Dei gratia episcopus Nouariensis pro domino meo domino Benedicto Papa XII. ac sancta Romana ecclesia, vacante Romano imperio, sicut nunc vacare dignoscitur, ciuitatis, comitatus, et districtus Mediolanensis vicarius, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro et eidem domino meo domino Benedicto Papa XII. suisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio aut consensu vel facto, vt vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se, aut per nuntios, siue literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: et si sciuero fieri vel procurari, siue tractari aliquid, quod sit in ipsorum damnum, illud pro posse impediam: et si impedire non possim, illud eis significare curabo. Papatum Romanum et regalia S. Petri tam in ciuitate, comitatu, et districtu Mediolanensi prædictis, quam alibi existentia, adiutor eis ero ad retinendum, defendendum, et recuperandum, et recuperata manutenendum cõtra omnem hominem. Vniuersas et singulas promissiones & obligationes per meum et Luchini fratris mei procura-

torem factas et iuratas, et conditiones per eundem dominum Benedictum summum Pontificem contentas in ipsis præsentibus literis cõfectis super concessione et commissione vicariatus, regiminis, et gubernationis prædictorum, mihi et eidem fratri meo Luchino factas, appositas, et omnia et singula, quæ continentur in eisdem literis, plenarie adimplebo et inuiolabiliter obseruabo; nec vllo vnquam tempore, durante vicariatu prædicto, veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Dei euangelia.

Seruádas superiores pactiones iureiurando confirmatum.

Adiunctum est nuncupatum ijsdem verbis a Luchino sacramentum; tum temporis nota apposita: *Datum et actum Mediolani*, et interiectis testium nominibus, *anno Domini* MCCCXLI. *indictione IX. die lunæ VI. mensis augusti*. Iussi denique sunt a Pontifice a Mediolanensis principatus proceres, vt Ioanni et Luchino creatis a sede Apostolica præfectis Mediolani, parerent.

a An. 7. ep. cur. 29.

34 Tum pacandæ Italiæ studio Benedictus, Ioannem et Luchinum Vicecomites, quos paulo ante memoraui, rogauit ne qua Albertum et Mastinum Scaligeros iniuria lacesserent, nec excursione hostili in eorum terras, tædatum irent, vel cum ipsorum hostibus auxilia coniungerent. Fecisse antea anno ineunte Luchinum cum Azone Corrigia fœdus, refert Ioannes Villanus [b], vnaque cum Roberto Rege et Gonzaga Mantuano auxilijs fulcinisse, vt Parmam Mastino nepoti suo eriperet, sibique subijceret; vnde Albertus Scaliger in Mantuanum duxit [c]: sed submittente Luchino copias Mantuano, amissis castris, recessit. Erepta ita Mastino Parma, cum Luca ab illo ob interclusa itinera retineri non posset, Florentini in spem venere [d] de ipsa pretio aut armis comparanda. Vrebat eadem Pisanos cupiditas, ac Mastinus Lucam pretio distrahere constituit. Florentini eam vrbem ducentis quinquaginta aureorum millibus licitati [e], eum votorum compotes euasisse putarent, Pisani inito cum Luchino fœdere, cuius amicitiam Francisco Postierla viro insigni proditor, quem contra fidem datam Luchino querelas de ipso ad Pontificẽ relatas vindicaturo cædendum tradidere, sibi compararunt [f], valida obsidione Lucam cinxere. Cum Florentini, vt illos distraherent, primum in agrum Pisanum inuecti [g], dein soluere obsidionem meditati, repulsi ac profligati fuere [h]: subinde trahere in belli societatem Robertum Siciliæ Regem sunt conati, in quem parta in Lucam iura transfudere [i], cum aliter auxilia impetrare non possent: sed Robertus cum Pisanis, vt soluerent obsidionem minas intentasset, ipsos lacessere bello supersedit.

Imperata inter proceres Italos pax.

b Io. Vill. l. 11. c. 126.
c Eod. lib. cap. 128.

De Luca Pisani & Florentini disceptant.

d Super c. 126.
e Leon. Aret. hist. Flor. l. 7.
f Io. Vill. l. 11. c. 129
f Cap. 130

Orta inde inter eos bella.

g Cap. 131
h Cap. 133
i Cap. 136

35 Implicitus sane pluribus alijs bellis erat Siciliæ Rex; in Pedemontio quidem Montisferrati marchio Astã illi eripuerat, atq; hostibus accessuri timebantur Ioannes & Luchinus Vicecomites Mediolanenses, quos Pontifex nonis octob. monuit [l], ne quam Roberti Regis clientibus ac subditis iniuriam inferrent; tum a tractatu de tradenda ipsis Asta discederent [m], cum ea vrbs ad Robertum iure spectaret. Fœdabant etiam citeriorem Siciliam publici viarum grassatores, ad quam excindendam pestem, purgandumque regnum idoneos viros præfectos Pontifex, cui ea res vt supremo regni domino cordi erat, est Regi gratulatus. Agitabat etiam Robertus aliud bellum grauissimum, atque Siciliæ insulam ex Petri Aragonij iniuste regno incubantis manibus vindicare nitebatur, quem Benedictus, accepto ingenti ab eo instructo bellico apparatu pro recuperanda Trinacria, III. kal. martias ad iusta consilia perducenda magis incendit [a]. Tum Genuenses, quos Petro Aragonio studere audierat, grauissimis literis est adhortatus [b], ne illi opem ferrent, cum Trinacriam iure fiduciario traditam a sede Apostolica Roberti auo Carolo I. inique occuparet; ob id in ipsum edicta apostolica & omnes ipsius studiosos lata, incussasque censuras: nonnullos tamen Genuenses diuini timoris oblitos, Messanæ, cum a classe Regis Roberti obsideretur, commeatus obsessis intulisse.

Pedemontium excursionibus infestatur.

l To. 7. ep. secr. 295.
m Ib. ep. secr. 294.

Robertus Trinacriã repetere tentat.

Pontifex Genuenses illi cõciliare nititur.

a Eod. ep.
b Eod. to. 7. ep. secr. 197.

Dilectis filijs, rectori, consiliarijs, & communi ciuitatis Ianuensis.

36 Quantum cedat in animarum salutis dispendium ecclesiasticam censuram contemnere, quantumue fauere indeuotis & rebellibus Romanæ ecclesiæ, qui eam a longis retro temporibus varijs & continuatis iniurijs affecerunt, noscatur in diuinæ maiestatis offensam, nostrum, & Apostolicæ sedis contemptum & iniuriam, ac exempli perniciem redundare, vestra non potest nec debet prudentia ignorare. Nostis etiam, sicut est toti mundo notorium, quod post amaræ commotionis dissidium & proteruæ rebellionis insultum in insula Siciliæ contingentia, & subsequentes inuasionem & occupationem ipsius, per quondam Petrum olim Regem Aragonum attentatas, & per quondam Fredericum eius genitum cum successione vtique continuatas in culpam, multa prouenerunt Christianitati nõ facile numeranda discrimina, quæ guerrarũ dissidia, collisiones regnorum, animarum pericula, strages corporum, facultatum lapsus, & alia mala plurima induxerunt; et quia, dicto Frederico sublato de medio, Petrus eiusdem Frederici primogenitus dictam insulam etiam contra formam certæ pacis, & pacta iuramento firmata, dudum inter claræ memoriæ Carolum secundum Regem Siciliæ ac Fredericum prędictum inita, prosumptuosæ temeritatis audacia non sine magno nostro & eiusdem sedis contemptu occupauit, & detinet in animæ suæ periculum occupatam, & se nobis & eidem ecclesiæ inobedientem & indeuotum notorie constituit & rebellem; nos nolentes iura eiusdem Rom. ecclesiæ sponsæ nostræ, ad quam dicta insula cum alijs insulis sibi adiacentibus & tota terra citra farum regni Siciliæ iure directi dominij pertinet, neglecta dimittere, contra dictum primogenitum ac fratres suos, & quoslibet alios eisdem in detentione ipsius insulæ quouis modo præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, nonnullos processus fieri fecimus [ea iudiciaria acta a patriarcha Constantinopolitano & episcopo Vasionensi A. S. internuntijs iam ante confecta arbitrati sumus] excommunicationis & interdicti sententias & pœnas alias continentes: qui publicati in diuersis mundi partibus solemniter extiterunt: quodque, sicut habet fidedignorum relatio facta nobis, nonnulli ex ciuibus vestris, Dei & nostra reuerentia procul pulsis, proprijs commodis inhiantes, ac pœnas & sententias contentas in dictis processibus incurrere non verentes; & specialiter quidam de Scursaficu, qui cum quadam sua naui ad requisitionem & instantiam dicti primogeniti ciuitatem Messanensem, tunc galeis charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris obsessam, & in magna victualium penuria constitutam conducendo ad eam nauim prædictam dictis victualibus oneratã victualibus muniuit eisdem cum eorum vasis naualibus in

Eiusdem iura illustrat.

Illatus a Ligure Messanam commeatus.

ipsius

ipsius primogeniti eiusdem insulæ detentoris illicitum succursum & subsidium accesserunt, in magnum contemptum dictorum processuum, ac nostram & ecclesiæ prædictæ iniuriam atque damnum, necnon graue dispendium dicti Regis, non solum propriam, sed ipsius Romanæ ecclesiæ causam & iustitiam prosequentis, cuius gentes propter amicitiam, quam vobiscum idem Rex habere dignoscitur, dictos vestros ciues & vasa naualia eorundem, cum potuissent offendere, noluerunt, &c.] Præcipit, vt auctoritati ipsorum obnoxios, qui fœderis cum ipsis initi leges & imperia apostolica infregerunt, meritis pœnis afficiant, atque alios earum terrore a ferendo occupatoribus Siciliæ auxilio submoueant: censuras vero ecclesiasticas se in ipsos, ni modum ijs posuerint, districturum. *Dat. Auin. non. decembris anno VII.* De gesto a Roberto Rege in Trinacria bello meminit Ioannes Villanus a immissamque quadraginta quinque triremium & aliarum nauium classem, validaque obsidione ab ea Melacium cinctum, quod sequenti anno expugnatum visuti sumus. Fauebant vero Regi Roberto Palicij, quos a Petro Aragonio discessisse ac gessisse in eum arma, referunt auctores. b

Intentatæ idem assuris censuræ.

a Io. Villa. l. 11. c. 117.

37 Solutum porro Apostolicæ sedi a Roberto Rege octo millium vnciarum auri censum accepti beneficio pontificio regni ergo, syngrapha Benedicti Papæ testatur c. Illatum d pariter a Petro Rege Aragonum duorum millium marcharum argenti vectigal pro Sardinia & Corsica iure beneficiario obtentis. Defuerat Aragonius officio die constituta, atque anathema contraxerat, & interdicto ecclesiastico regnum inuoluerat: perfectaque solutione, datæ e episcopo Ilerdensi partea, vt censuras dissolueret.

b Sur. l. 7. c. 59. Fazel. de reb. Sic. l. 9. & alij

c To. 7. ep. secr. 102.

d Ib. ep. secr. 198.

Coactus Aragon. Sardin. censum pendere.

e Ib. ep. 199 & an. 7. ep. com. 311.

Benedictus, &c. venerabili fratri episcopo Ilerdensi.

Pro parte charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Aragonum & Sardiniæ illustris propositum extitit coram nobis, quod ex eo, quod ipse censum annuum duarum millium marcharum argenti bonorum & legalium Sterlingorum, nobis & ecclesiæ Romanæ in festiuitate beatorum Apostolorum Petri & Pauli annis singulis soluendarum in Romana curia, vbicunque fuerit, debitum pro regno Sardiniæ & Corsicæ (quod a nobis & eadem ecclesia sub eodem censu ac certis vassallagio, homagio ligio, & fidelitatis iuramento, alijsque pactis, conuentionibus, & conditionibus expressis in literis apostolicis, olim super concessione dicti regni confectis, tenet in feudum) in termino festi eorundem Apostolorum proxime iam elapsi, vel infra quatuor menses post terminum prædictum subsequentes, certis necessitatibus suis, vt ex parte ipsius asseritur, præpeditus non soluit, excommunicationis & alias spirituales pœnas & sententias, promulgatas & contentas in literis supradictis, incurrit & regnum prædictum Sardiniæ & Corsicæ subiacet ecclesiastico interdicto. Sane cum Rex præfatus de dicto censu pro eodem termino dicti festi proximo præteriti nostræ cameræ plenam fecerit die data præsentium satisfactionem impendi, prout in literis nostris inde sub eadem data confectis plenius continetur; nos eiusdem Regis supplicationibus inclinati, absoluendi præfatum Regem iuxta formam ecclesiæ ab huiusmodi pœnis & sententijs, quas ex causis præmissis incurrit, & interdictum relaxa[ndi] prædictum hac vice fraternitati tuæ plenam concedimus tenore præsentium

Vt se anathematis laqueis irretijsset.

Flagitanti concessa venia.

facultatem: non intendentes propter hoc, vel quæuis alia præcedentia vel subsequentia, sicut nec intelleximus hactenus, contentia in supradictis literis apostolicis super concessione dicti regni, vt præfertur, confectis in aliquo derogare, nec immutare aliquid super eis; sed ea potius volumus & intelligimus in sui roboris efficacia permanere. *Dat. Auin. XV. kal. iulij anno VII.*

38 Asserendorum etiam Romanæ ecclesiæ iurium causa, cum Vmbertus delphinus Viennensis nobile municipium, cui Romana nomen inditum, oborta de eiusdem municipij dominatione lite, bello vexaret, Benedictus municipum clientelam suscepit, atque archiepiscopo Lugdunensi, episc. Valentino, & abbati S. Ruffi mandauit, vt imperatis inducijs apostolica auctoritate certamina dirimerent, conquestus violari in ea re ecclesiæ Romanæ maiestatem. Vt enim lapsis retro temporibus illius vectigale fuisset, his verbis exposuit a: *Licet villa de Romans Viennensis diœcesis, sicut ex registris antiquis Romana ecclesia aliisque documentis legitimis clare patet, censualis de iure, ac pro parte ipsius Romana ecclesia ab antiquo fuisset & esset; ac nobilis vir Humbertus delphinus Viennensis & officiales sui præmissa, nec non quod archiepiscopus Viennensis, qui est pro tempore, ac dilecti filij capitulum ecclesia dicta villa nomine Viennensis & prædicta de Romans ecclesiarum villam ipsam cum mero & mixto imperio, ac omnimoda iurisdictione, alta & bassa, tenuissent ab antiquo sub præfata Romana ecclesia, & tenere non ignorarent; tamen balliui & aliqui officiales & gentes delphini præfati ipsius nomine, & eo sciente vel mandante, ac ratum habente, villam prædictam de Romans de mense aprilis proximo præteriti hostili de delphinatu & aliunde congregato exercitu, & vexillis explicatis obsiderunt, &c. Dat. Auin. non. decembris anno VII.* Repetita sunt proximo anno eadem pontificia imperia b, de ponendis vtrinque armis, vt legum æquitate lis solueretur. Ad vindicandam etiam ab iniurijs & vi, quam inferebat Guillelmus comes Hannoniæ, Tornacensem ecclesiam Pontifex iudicio in illum agi iussit c. Et de his hactenus.

a Eod. to. 7 ep. secr. 298.

Romana colonia in delphinatu Viene.

Vectigalis Romanæ ecclesiæ.

Tornacensis ecclesia ab Hannone oppressa.

Intentatū illi iudiciū

b An. 8 ep. cur. 3.

c An. 7. ep. com. 226.

39 In Polonia vigebat adhuc vetus cum equitibus Liuoniæ controuersia, de qua superius mentio facta est: cumque Casimirus Rex a Pontifice flagitaret, vt sententiam ab apostolicis internuncijs latam in cruciferos cōfirmaret, ac Benedictus referentibus Cardinalibus, vitio eam non carere cōperisset; inter cetera enim ad Polonorum gratiā pronuntiata edixerant, vt Pomeraniam, quam Carolus Vngariæ & Ioannes Boemiæ Reges pacis arbitri attribuerant cruciferis, Polonis restituerent; apud Casimirum ipsum hisce literis se excusauit d.

De Pomerania controuersū.

d To. 7 ep. secr. 128.

Benedictus, &c. Casimiro Regi Poloniæ illustri.

40 Cum quandam sententiam per dilectos filios Galhardum de Carceribus præpositum Titulensis Colocensis diœcesis, & Petrum Geruasij canonicum Aniciensis ecclesiarum commissarios super quæstione inter te, fili charissime, ex parte vna, & dilectos filios magistrum & fratres ordinis B. Mariæ Theutonicorum ex altera deputatos, super certis ducatibus siue terris infra regnum tuum Poloniæ, vt asseritur, consistentibus auctoritate apostolica latam pro te, ac contra magistrum, commendatores, & fratres prædictos peterent a nobis ex nostra certa scientia confirmari; nos petitioni huiusmodi annuere, si iuste valeret fieri,

cu-

cupientes processum per dictos commissarios super predictis habitum & eandem sententiam, nobis per ipsos nuntios exhibitos, examinari per quosdam ex fratribus nostris S. R. E. Cardinales fecimus diligenter. Et quia per relationem fidelem inde ab ipsis Cardd. nobis factam in dicto processu notabiles inuenimus defectus, non potuimus decenter nec de iure confirmationem concedere postulatam.

[Quæ vero illa tandé sententia a Galhardo e Careeribus & Petro Geruasij internuntijs pronuntiata capita continuerit, indicat Michouias a verbisque amplioribus Cromerus designat b: *Cum iudices a Pontifice delegati Varsauia cognoscenda causa aliquandiu operam dedissent, refutata friuola detrectatione et prouocatione crucifierorum, anno Christi nati* MCCCXXXIX. *adiudicarunt Casimiro & Polonis Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinensem, Culmensem, & Michalouiensem ditionem: cruciferos autem ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas marchas Polonicas pro damnis datis, itemque ad mille sexcentas marchas impensarum nomine condemnarunt. Adhac, vt ij templa & monasteria, in Polonia superiore bello direpta & exusta, instaurarent. Cumque iudicata non facerent, anathemate deuoti sunt, & sacris interdictum omnibus locis, quæ in ditione eorum essent, & ad quæ quispiam eorum peruenisset.* Hactenus Cromerus. Ad controuersiam arduam componendam, quæ annis pluribus cruciferorum & Polonorum arma exercuerat, Pontifex Guillelmum tit. S. Stephani in monte Cœlio presbyterum Cardinalem legatum in Poloniam misit c: ac demum pacem ijs legibus sancitam, vt Casimirus Pomeraniam cruciferis dimitteret, refert Cromerus d, qui ob id inertiæ Casimirum notat: eum tamen prudentiæ fuerit sua in fidei hostes arma conuertere, ac regnum prouinciarum infidelium accessione amplificare. Subegerat e is anno superiori Russiam, redactamque in prouinciæ formam regno Polonico adiunxerat: qua de re (vt videtur) Pontifex subiectis verbis hoc anno est ei gratulatus f; vtque in finitimos, qui a fide catholica dissentiebant, latius proferret victorias accendit, ac viros ecclesiasticos commendauit].

a Michou. l. 4. c. 17.
b Crom. l. 12. in Casim. 11

Lata ab internuntijs sententia.

Guill. Card. missus in Poloniam.

c Ben. l. 7. sup. ep. 128

d Cbrom. l. 12.
e Michou. l. 4. c. 18.

Russia superior adiuncta Poloniæ.

De propagato imperio gratulatur Pót. Casimiro Regi Pol.
f Super ep. 128.

41 Porro, fili dilectissime, de te gaudemus in Domino & plurimũ consolamur, quod sicut gratis & placidis admodum percepimus relatibus, tu ad Deum & sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam ingentis gerens deuotionis affectum, circa colendum, confouendum, & manutenendum in regno & terris tuis cultum iustitiæ studijs virtuosis intendens, ad repressionem & depressionem hostium crucis Christi, ac catholicæ dilatationem fidei magnanimiter & strenue tanquam princeps Christianissimus te laudabiliter impendisti hactenus, & iugiter impendere non desistis. Ideoque tuam rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus considerantet attendens, quod non inchoantibus, sed perseuerantibus est corona gloriæ repromissa, tam in deuotione prædicta, quæ te Deo semper acceptiorem efficiet, & prosperabit continue facta tua; quam alijs prædictis & ceteris virtuosis & laudabilibus actibus, ex quibus fama tui nominis & honoris incrementa suscipiet feliciа, mente sincera & continuatione solida perseueres: ecclesias & personas ecclesiasticas, in eisdem & terris tuis consistentes, habendo nihilominus in suis iuribus et libertatibus pro diuina et eiusdem sedis reuerentia, tuæque obtentu salutis propensius commendatas, etc. *Dat. Auin. xv. kal. augusti anno VII.*

42 Hic vero silentio prætereundum non videtur, Benedictum Papam, ne Polonicæ ecclesiæ iura iniuria temporum sensim obsolescerent, nonnulla illius vetera priuilegia, quæ nimirum Cracouiensi a Boleslao olim duce pietate spectatissimo principe collata fuerunt, hoc diplomate apostolico confirmasse. a

a An. 7. ep. com. 372.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Exhibita nobis pro parte venerabilis fratris nostri Ioannis episcopi Cracouiensis petitio continebat, quod dudum recolendæ memoriæ Boleslaus Cracouiæ & Sandomiriæ dux de maturo consilio & consensu militum suorum decreuit, & promisit omnes libertates & priuilegia qualibet, per eum alias & duces Cracouiæ & Sandomiriæ prædecessores suos ecclesijs & personis quibuscumque concessa, perpetuo inuiolabiliter obseruare: ac nihilominus omissa & neglecta, seu etiam immutata a nonnullis prædecessoribus suis supplere, ac etiam reformare volens, ecclesiæ Cracouiensi cæterisque collegiatis secularibus & religiosis ac alijs quibuslibet ecclesijs in suo dominio constitutis certas libertates concessit, videlicet vt in villis, possessionibus, ac prouentibus, & quibuslibet bonis suis acquisitis, & in posterum quocumque titulo acquirendis, ab omni seruitio, seruitute, angaria, vexatione, telonio, solutione, collecta, & exactione generalibus & specialibus, quocunque nomine censeantur; nec non a iurisdictione omnium castellanorum, palatinorum, & quorumlibet iudicum ab ipso duce & successoribus pariter & nobilibus suis forent perpetuo penitus libera & exempta.

Ioannes episcopus Cracouiẽsis.

Ecclesiæ suæ priuilegia confirmari postulat.

Voluit etiam dictus dux, quod episcopus & capitulum Cracouiense, totusque clerus a qualibet expeditione intra vel extra terminos ipsius ducis essent perpetuo liberi & exempti; ita quod de villis, possessionibus, & alijs bonis suis ecclesiasticis ad expeditiones personaliter ire, vel aliquos homines mittere minime tenerentur: excepto dumtaxat, quod tempore incursus subiti Lituanorum idem episcopus de Kyltien & Tarsen castellanijs homines suos ad expeditionem mittere teneretur: quos quidem & alias castellanias, olim eidem ecclesiæ Cracouiensi per prædecessores dicti ducis concessas, ab omni alia exactione, seruitio, seruitute, angaria, vexatione, statione, solutione, exactione, collecta, telonio, & iurisdictione generalibus vel specialibus, quocumque nuncupentur nomine, dictus dux a se ac successoribus suis, atque castellanis, palatinis, & iudicibus quibuscumque voluit esse perpetuo liberas & exemptas; ita quod dictus episcopus in eis ducali & militari iure gauderet in venando, piscando, & alia quæcunque vellet faciendo, quæ prædecessores eiusdem ducis olim facere consueuerant, cum omni iure, dominio, & honore: ac nihilominus idem dux iura & stationes, quæ in eisdem castellanijs sibi & suis successoribus in signum dominij reseruarat, per suum priuilegium relaxauit, prout hæc omnia & singula in eodem priuilegio, sigilli autentici eiusdem ducis appensione munito, cuius tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, vt præmissa omnia & singula apostolico fulcire munimine dignaremur. Nos igitur huiusmodi sup-

Quænam illa fuerint quãque ampla.

supplicationibus inclinati decretum, promissionem, concessionem, voluntates, & relaxationem prædicta rata & grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicti priuilegij talis est.

Boleslai ducis de ea re diploma.

43 *In nomine Domini. Amen. Cum vsus rerum temporalium, ac eorum spatiosum dominium ad futuram gloriam promerendam nil conferant, nisi quatenus ad pias causas, seu charitatis opera conuertuntur; hoc solers nostrorum prædecessorum principum prouidentia diligenter aduertens, pro eadem consequenda gloria diuini cultus intuitu mirificas extruxit tam cathedralem, quam collegiatas, quam etiam religiosorum & regularium plures ecclesias multis possessionibus, prouentibus, ac bonis alijs, secundum exigentiam cuiuslibet ipsas copiose dotando, & varijs libertatibus, prærogatiuis, & priuilegijs decorando. Nos etiam Boleslaus, Dei gratia dux Craco uiæ & Sandomiriæ, tam salubribus eorum vestigijs inhærere volẽtes, vna cum serenissima genitrice nostra Grimyslaua de maturo consilio et cõsensu nostrorum militum decreuimus & prouidimus libertates & priuilegia qualibet per nos oltas, et per nostros prædecessores concessas ecclesijs, et personis ecclesiasticis quibuscumq; perpetuo inuiolabiliter obseruari. Quinimmo quæ a nonnullis nostris prædecessoribus omissa, neglecta, seu etiam immutata fuerunt, supplere ac reformare volentes; ad omnipotentis Dei gloriam & honorem, & B. Mariæ matris suæ virginis gloriosæ, sanctorumque martyrum Vencesslai & Stanislai pontificis, Cracouiensis ecclesiæ patronorum, & in remissionem omnium nostrorum peccaminum; nec non precum venerabilis patris nostri domini Prandotha, Dei gratia Cracouiensis ecclesiæ antistitis intuitu, eidem ecclesiæ cathedrali, cæterisque collegiatis secularibus, religiosis, & alijs quibuslibet ecclesijs in nostro dominio constitutis hanc concedimus libertatem, vt in villis, possessionibus, & prouentibus & quibuslibet bonis suis, olim sibi acquisitis & in posterum quocumque titulo acquirendis, ab omni seruitio, seruitute, angaria, vexatione, telonio, solutione, collecta, exactione, generalibus vel specialibus, quocunque nomine censeantur; nec non a iurisdictione omnium castellanorum, palatinorum, & quorumlibet iudicum sint perpetuo, a nobis & nostris successoribus pariter, & a nobilibus nostris, penitus libera & exempta: et sic ea, quæ dicti prædecessores nostri singularibus impenderunt ecclesijs, nos in testamentum sempiternum generaliter omnibus ecclesijs impendamus.*

Immunitates Cracouiensis ecclesiæ.

Insuper vt episcopus cum clero suo possit diuinis laudibus liberius insistere & inuigilare, præsertim hostilitatis tempore, orationibus ipsum, qui per tempora fuerit episcopum, & capitulum suum, totumque clerum ab expeditione qualibet intra vel extra terminos nostros perpetuo volumus esse liberos & exemptos; ita videlicet, quod de villis, possessionibus, & alijs bonis suis ecclesiasticis venire personaliter, aut aliquos homines ad expeditiones mittere minime teneantur: hoc dumtaxat excepto, quod tempore incursus subiti Lithuanorum, de Kyltyen, & Tarsen castellanijs, episcopus homines suos ad expeditionem, prout in alio quodam nostro priuilegio distinximus, mittere teneatur. Quas etiam castellanias, pariter & alias, per nostros prædecessores olim prædictæ Cracouiensi ecclesiæ attributas, ab omni alia expeditione, seruitio, seruitute, angaria, vexatione, statione, solutione, exactione, collecta, telonio, & iurisdictione generalibus vel specialibus, quocumque nomine nuncupentur, a nobis & nostris successoribus atque a castellanis, palatinis, & iudicibus quibuscumque perpetuo volumus esse liberas & exemptas: ita quod episcopus prorsus in eis gaudeat iure ducali & militari in venando, piscando, & alia quæcumque voluerit faciendo, quæ nostri prædecessores olim facere consueuerunt, cum omni iure, dominio & honore. Insuper quæ in dictis castellanijs iura & stationes in quodam alio priuilegio nobis & nostris successoribus in signum dominij reseruauimus ex præmissis causis per præsens priuilegium relaxamus. In cuius rei perpetuam memoriam præsentem paginam nostri sigilli autentica appensione per manum Tvvardostay nostræ curiæ subcancellary duximus roborandam. Actum & datum in colloquio, iuxta Sandomiriam in Blone celebrato, anno Domini MCCLVIII. *idus iunij, præsentibus nostris nobilibus infrascriptis, Adam castellano Cracouiensi, Segneo palatino Sandomiriensi, Nicolao palatino Cracouiensi, Boguslao castellano Sandomiriensi, Boguta castellano Vvislicensi, Petro castellano Lublinensi, Veslao castellano de Malogosch, Iacobo castellano de Vvoynicz, Petro castellano de Czechoun, Ioanne iudice Sandomiriensi, Nicolao iudice Cracouiensi, Vvarihyo dapifero Sandomiriensi, Falislao pincerna Sandomiriensi, Guenomiro dapifero Cracouiensi, Pelca subcamerario Cracouiensi Laurentio subdapifero Sandomiriensi, Michaele subdapifero Cracouiensi, & alijs militibus infinitis.* Nulli ergo &c. *Dat. Auin. 11. id. maij anno VII.*

Nankeri episc. Vvratisl. pia mors.

Migrasse hoc anno ad meliorem vitam Nankerum episcopum Vvratislauiensem insignem sanctitate tradunt, quos paulo ante memoraui, historici Poloni, de quo hæc digna memoria refert Michouias a: *In morte eius quædam religiosa fœmina suauissimum audiuit cantum, cui reuelatum est, animam Nankeri episcopi Vvratislauiensis ab angelis in cælũ deferri.* Et infra: *Fertur hic episcopus miræ deuotionis ac magnæ abstinentiæ fuisse, & missas quotquot legi poterant in ecclesia, in qua adeoat, audiuisse & ad quamlibet earum specialem oblationem obtulisse.* Hactenus de occidentalibus rebus: nunc orientales aggrediamur.

a Michou. l. 4. c. 23.

Dissensio in Cypro regia.

44 Graues in Cypro sunt exortæ dissensiones b inter Hugonem Regem & illius generum Ferrandum e Maioricis Iacobi Balearium Regis fratrem, qui Eschiniam Hugonis filiam duxerat vxorem: adeoque creuerant odia, vt fugam Ferrandus meditari sit visus, ac Rex de capitis discrimine illi inferendo pene ambigeret. Reuocandæ vero inter eos mutuæ concordiæ desiderio Pontifex Ferrandum est adhortatus c, vt quibus par erat officijs demissisque obsequijs socerum Regem prosequeretur: Hugonem d vero mulcere nisus, vt iras poneret, & generum amore paterno complecteretur, neue iniuria aliqua afficeret rogauit: *Sane*, inquit, *fili dilectissime, quis tuam decet excellentiam non solum refrænare a talibus motus tuos, sed etiam pro ipso nobili genero tuo, qui per te haberi debet vt filius, consilium in suis actibus capere, vt feliciter & prospere sub tuæ directionis culmine dirigantur; magnificentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus præmissa, nec non quod si confunderetur idem nobilis, quod auertat Dominus, in tuum & filiæ tuæ vxoris suæ opprobrium & dispendium gaudiumque tuorum æmulorum fidei hostium orthodoxæ, a te non longe distantium, redundaret; possentque inde pericula & incommoda grauia tibi & regno tuo nocima, quod absit, subsequi; præsertim cum, vt regia prudentia non ignorat, ipse de poten-*

b To. 7. ep. secr. 193. Sur. l. 7. c. 55.

c lib. ep. 200

d Supr. ep. 199.

Ad componenda incumbit Pont.

tum domorum regalium prosapia processerit, quæ in eius iacturis & læsionibus proculdubio læderentur. Dat. Auin. xvi. kal. nouembris anno vii.

Coniuncta ab Aragone studia.

Misisse Petrum Regem Aragonum in Cyprum ad conciliandas eas discordias oratorem Martinum Lopezium, qui Aragonum arma, si in generum socer statueret grauius aliquid, intentaret; pacemque demum in regiam Cypriam reuocatam, refert Surita a.

a Sur. l. 5. c 55.

Pullulant in Armenia hæreses.

45 In Armenia fœdissimæ hæreses his temporibus pullularunt, in eamque finitimi Saraceni varijs excursionibus grauissimas clades intulerunt. Exoraturus vero occidentalium auxilia Leo Armeniæ Rex, oratores legauit ad Benedictum, qui grauissimis literis Armenum monuit, nullum ad frangendos hostium impetus munimentum fortius ac præstantius esse diuina clientela, cuius promerendæ gratia excindendi essent errores, qui Armeniam fœdarant: tum quæ ad restituendam suo splendori incorruptam Romanæ ecclesiæ fidem præstanda essent, edocuit. b

b To. 7 ep. secr. 137.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Leoni Regi Armeniæ illustri.

Nuntios patienter, fauorabiliter, & benigne audiuimus, & quæ per ipsos proposita & petita coram nobis fuerunt pro parte regia, pleno collegimus intellectu; eamq; ipsi oppressiones, molestationes, & afflictiones varias tibi, fili charissime, regno, & regnicolis tuis illatas ab infidelibus, & quæ inferuntur iugiter exponentes, a nobis subsidium super hoc humiliter postularint, eis duximus respondendum: nos displicibiliter admodum nonnullorum fidedignorum relatibus inculcatis auribus nostris sæpius audiuisse, multorumque depositionibus testium de statu partium illarum notitiam, vt dicebant, habentium a nobis pro informatione nostra pleniori receptorum super hoc percepisse, quod tam in maiori, quam in minori Armenia nonnulli execrandi errores tenentur a multis, & dogmatizantur ibidem contra fidem catholicam, quam tenet, docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia mater omnium fidelium & magistra; quamobrem, si relatibus huiusmodi suffragaretur veritas, nos & ecclesia ipsa cum sinceritate & honestate non poteramus tenentibus & dogmatizantibus errores huiusmodi auxilium impertiri. Subsequenter autem volentes iuxta salutarem Domini nostri doctrinam descendere, ac scire clarius, si præmissa quæ audiueramus, vt præfertur, de huiusmodi erroribus vera essent; per viam inquisitionis iudicialis & solemnis, vrgente conscientia, super his procedentes testes multos, habentes similiter de statu partium ipsarum notitiam, recipi fecimus & audiri, per quorum depositiones fideliter in scriptis redactas etiam per libros, qui per Armenos & habentur communiter, vt asseritur, coram nobis exhibitos; de ipsis erroribus pestiferis, quibus damnabiliter per nonnullos animæ decipiuntur, proh dolor! in illis partibus, constitit euidenter. Vt autem de illis quos te, fili charissime, detestari & execrari credimus, tua magnificentia valeat informari plenius, & ad eos extirpandos de illis partibus, prout ad te pertinuerit, operam dare commodius efficacem; ecce quod illos distincte scriptos in libello præsentibus intercluso regiæ prudentiæ destinamus.]

Fusæ de ijs querelæ a Pont.

Rogatus Leo, vt regia studia ad tollendos eos errores collocet.

Addit Pontifex gerere se in votis, vt præsules Armeni celebrent synodum, in qua, damnatis pulsisque ijs erroribus, pia Romanæ ecclesiæ dogmata profiteantur: ea enim perfecta re, se Armenos arctissima beneuolentia complexurum. Ad succidenda etiam errorum germina præfocandaq; consuluit Leoni dare operam, vt decretalium libri ab ecclesia Armena exciperentur, quibus illa in posterum regeretur: tum enim hostium potentiam fractum iri, cũ orthodoxa religio refloruerit. Suasit etiam, vt viros prudentia conspicuos ad sedem Apostolicam mittendos curaret, qui de veritate ad discutiendam errorum caliginem conferrent: ac tum, si visum fuerit, viros theologica scientia excultos legatum iri, qui doctrinæ splendore Armenos collustrarent: ad quæ in opus reuocanda additæ ad Leonem preces, vt regia studia in ea recollocaret.

Suggesta dicta consilia.

46 Hortatus est alijs literis eodem die, nempe kal. augusti, exaratis Pontifex Armenorum catholicon a, vt diligentiam in celebranda synodo adhiberet, atque errores in libello descriptos confutarosque damnaret: vtque in id studia sua cõferrent, archiepiscopos S. Thadæi in maiori Armenia, Nauarzanensem, Tarsensem, & Soldanensem solicitauit b. Conceptæ vero sunt his verbis ad catholicon datæ literæ. c

Solicitati præsules ad eos abolẽdos.

a Ead. to. 7 ep. secr. 138.
b Ibid. ep. 539. 140. ad 144.
c Super ep. 538.

Benedictus, &c. dilecto in Christo fratri catholico Armenorum spiritum gratiæ salutaris.

Dudum ad audientiam nostri apostolatus extitit quorundam fide dignorum relatione perductum, quod tam in maiori, quam in minori Armenia nonnulli detestandi & execrandi tenentur errores, & dogmatizantur contra fidem catholicam, quam tenet, docet, & prædicat sacrosancta Rom. ecclesia mater omnium fideliũ & magistra. Et licet nos huiusmodi relatibus fidem ab initio nollemus credulam adhibere, postmodũ tamen ad credendum ea mentem nostram dicta quorundam testium, qui de statu partium illarum plenam se dicebant habere notitiam, compulerunt. Sed adhuc antequam præmissis fidem vellemus plenariam adhibere, indagare volentes plenius veritatem per viam inquisitionis iudicialis & solemnis, multos testes, qui similiter statum, conditiones, & obseruantias dictarum partium se nosse dicebant, recipi fecimus & audiri; per quorum depositiones fideliter in scriptis redactas, ac per libros, quibus vti asseruntur Armeni communiter, coram nobis exhibitos, de huiusmodi erroribus constitit euidenter. Desiderantes itaque errores eosdem, quibus decipiuntur, immo (quod valde dolendum est) perimuntur animæ, de illis partibus penitus extirpari; teque frater ac tuos subditos & Armenos quoslibet, qui se Christicolas profitentur, sic esse ac manere inclusos in ouili dominico, cuius est vnus pastor, vt nostri, ac fortes & sinceros persistere in fide catholica, quod lupus rapax inuisibilis, qui circuire nõ cessat quos deuoret, oues dominicas, extra illud reperire nequiret quomodolibet oberrãtes; supradictos errores in quodam libello distincte scriptos tibi mittimus præsentibus interclusos, vt ad eorum extirpationem melius & vtilius procedere valeas, vt optamus.

Datæ ad eos literæ.

Vt excusi sint libri in quibus ij errores contenti.

47 Ideoque fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur in domino Iesu Christo, quatenus quantum errores prædicti periculosi sint consideranter attendens, prælatis partium Armeniæ alijsque viris ecclesiasticis, de quibus fuerit expediens, ad celebrandum concilium celeriter conuocatis, & in eodem concilio intellectis dictis erroribus & discussis, illos velut pestiferos, dictæq; fidei catholicæ inimicos condemnes, & per dictum concilium condemnari & præscindi facias; statuendo & ordinando fidem ipsam absque mixtio-

Consulit Bened. celebrandã synodum ab Armenis.

tione illorum vel aliorum errorum quorumlibet generi, prædicari, & coli per partes easdem, sicut eadem Romana mater ecclesia, apud quam ipsius fidei magisterium residere noscitur, prædicat, tenet, & docet. Sciturus, quod si tu ac prælati & subditi partium prædictarum hæc adimpleueritis, recognoscendo effectualiter eiusdem ecclesiæ Romanæ primatum, nos & sedes Apostolica, vobis paternæ charitatis & dilectionis amplexibus occurrentes, erga vos prompti reperiemur & propitij continue in nuncijs, fauoribus, & auxilijs opportunis: nempe ad euellendas amaras, pestiferas, & nociuas errorum prædictorum radices, ne vlterius plantas emittere valeant infectiuas, non parum opportunum, immo plurimum vtile crederetur in eodem conuocando concilio salubriter ordinari, quod libri decretorum & decretalium, aliaque dicta sanctorum patrum, & instituta canonum, prout illa habet & tenet præfata Romana ecclesia, in illis partibus a prælatis & clericis pro vera informatione fidei ac morum, & obseruantiarum salutarium ipsius Romanæ ecclesiæ, haberentur. Super quibus tua fraternitas, vt hæc ordinentur, & ad effectum deducantur efficacem, det operam, & super hoc nobis scribat.

Decretales in ea promulgandas.

Tenemus quidem indubie, quod si splendor eiusdem fidei sub magisterio dictæ sedis Apostolicæ luceret in illis partibus, errorum quorumlibet caligine profugata, hostes ipsius fidei aduersus fideles, qui semper haberent fidem ipsam, eos potentia diuinæ dexteræ protegente, minime præualerent. Demum satis videretur expediens, ac nobis & eidem sedi redderetur acceptum, si habita super prædictis, vt præmisimus, deliberatione concilij prouida & vnanimi, viri aliqui literarum scientia prædici, veritatis & fidei zelatores pro parte tua & aliorum, qui fuerunt in eodem concilio, sufficienti potestate muniti, ad nos & sedem mitterentur prædictam: cum eis quidem ratiocinari circa præmissa poterimus melius & plenius, ipsique viã veritatis, per nos eisdem ostensam, clarius & efficacius manifestare valebunt: Et si tunc nobis & dictæ sedi expediens videretur, viros alios doctos in lege Domini, probitatis & fidelitatis maturitate conspicuos, pro informatione pleniori fidei ac morũ & obseruantiarum ecclesiæ Romanæ prædictæ, alijsque virtutibus inserendis ad partes illas poterimus destinare. Porro literas, quas quibusdam prælatis Armeniæ super præmissis dirigimus, tua prudentia e vestigio mittere non postponat. *Dat. Auin. kal. augusti anno VII.* Qui vero ij errores fuerint censura pontificia notati, ex ipso Benedicti libello a ad Armenos transmisso patebit.

Mittãtos deinde ad sedem Apost. oratores.

a Ext. in Al. S. arch. Vat. de vol. Tart. Armenor. & pag. 10.

In nomine Domini. Amen.

48 Cum dudum ad audientiam sanctissimi patris & domini nostri domini Benedicti, diuina prouidentia Papæ XII. & etiam diu ante, dum erat in Cardinalatus officio constitutus, ad audientiam felicis recordationis domini Ioannis Papæ XXII. prædecessoris sui sæpissime peruenisset, quod Armeni in & de his, quæ ad fidem & credentiam pertinent Christianam, communiter in vtraque Armenia, vel specialiter in vna vel in alia Armenia, aut aliqui de vna vel de alia tenebant & docebant, vel etiam prædicabant errores varios seu diuersos tam contra diuinam scripturam, concilia generalia, quam etiam contra illa, quæ determinauit, docet, & docuit, ac prædicauit & prædicat sancta Romana ecclesia mater omnium & magistra; volens idem dominus noster Papa super prædictis & eorum singulis inquirere ac scire plenius veritatem, ad sui præsentiam fecit venire plures Armenos, & aliqui etiam ex eis venerunt ad eandem præsentiam per seipsos, aliquos etiam ex Latinis qui fuerant in partibus Armeniæ, audiuerãtq; dictos Armenos errores multos dogmatizantes atque tenentes, fecit ad se venire, a quibus Armenis & Latinis, videlicet ab aliquibus eorum, per dictum dominum nostrum Papam, & ab alijs per reuerendum patrem dominum Bernardum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem de mandato ipsius domini Papæ receptum extitit iuramentum, quod ipsi super prædictis & alijs, quæ in dictis partibus vel alibi ab eisdem Armenis audissent, vel scirent ipsos tenere, docere, vel prædicare, plenam & meram tam de seipsis, vt de principalibus, quam de alijs personis viuis & defunctis, vt testes confiterentur & deponerent veritatem. Ipsis itaque sic receptis & eis postmodum, videlicet illis, qui linguam Latinam nec loqui nec intelligere sciebant, per interpretes idoneos, & alijs qui vtramque linguam, scilicet Armenam & Latinam loqui & intelligere sciebant, per se; nec non & quibusdam libris in Armena lingua scriptis ipsi domino nostro Papæ traditis per aliquos de dictis Armenis, quibus vt plures ex eisdem Armenis asseruerunt & adhuc asserunt, communiter vtuntur Armeni tam in maiori Armenia, quam minori, diligenter examinatis; ad hæc eis certo notario apostolico assignato, qui depositiones & confessiones, dum fiebant, & errores certos, dum de prædictis libris interpretarentur, seu extraherentur per certas personas vtramque linguam, scilicet Armenam & Latinam, intelligere ac loqui scientes, redigebat & redigit in scriptis; consequenter ex depositionibus & confessionibus eorum inuentum est dictos Armenos vel aliquos ex eis tenere, credere, & docere articulos infrascriptos.

Vt perlata sit ad sedem Apost. de grauibus vtriusque Armeniæ erroribus grauis fama.

Instituta de ijs iudiciaria inquisitio.

Adhibitis interpretes fidi.

49 I. Et primo quod aliqui antiqui magistri Armenorum dixerunt & prædicauerunt, quod Spiritus sanctus procedit a Filio sicut et a Patre, sed a sexcentis & XII. annis citra magistri & prælati & alij Armeni de maiori Armenia dimiserunt prædicare et dicere, quod Spiritus sanctus procedat a Filio sicut et a Patre, quia dicto tempore factum fuit concilium apud Armenos, vbi fuerunt catholicon et episcopi ac magistri Armenorum et patriarcha Surianorum, et ibi determinauerunt, quod de cætero non diceretur apud eos, quod Spiritus sanctus procederet a Filio sicut et a Patre: et condemnauerunt antiquos doctores Armenorum, qui fuerunt ante dictum concilium, eo quod dixerant et docuerant, quod Spiritus sanctus procedit a Filio sicut et a Patre: et ex tunc omnes Armenos, qui tenuerunt et docuerunt quod Spiritus sanctus procedebat a Filio sicut et a Patre, persecuti sunt incarcerando eos, et in vinculis ponendo. Et sic apud Armenos nullus audet hoc dicere vel docere, nisi soli illi, * reuniti sunt sanctæ Romanæ ecclesiæ: et si quandoque inueniatur in libris eorum positum, quod Spiritus sanctus procedat a Filio, hanc processionem * temporali ad sanctificandam creaturam, et non de processione eius æterna, qua processit æternaliter a Patre et Filio in esse personaliter *.

Quinam errores ij fuerint.

Aduersus processionem Spiritus sancti.

*qui

*de

*intelligẽdã dicunt

II. Item quod Armeni articulum fidei in symbolo positum de Spiritu sancto sic pronuntiant

tiant: *Credo in Spiritum sanctum increatum & perfectum, qui locutus est in lege & prophetis & in euangelijs, & descendit in Iordane, & prædicauit in Apostolis, & habitat in sanctis*; nullam mentionem facientes, quod Spiritus sanctus procedat a Patre vel a Patre et Filio. Quando tamen legunt euangelium Ioannis, vbi dicitur, quod Paraclitus procedit a Patre, hoc dicunt & confitentur; sed multi ex eis negant, quod Spiritus sanctus procedat a Filio: & si aliqui hoc credant, tamen non audent hoc manifeste dicere. Et licet in concilio Chalcedonensi non fuerit determinatum expresse, quod Spiritus sanctus procederet a Filio sicut a Patre, sed hoc fuerat determinatum in concilijs Constantinopolitano & Ephesino; quia tamen concilium Chalcedonense approbauit determinata in dictis concilijs prioribus, ideo reprobando dictum concilium Chalcedonense dicti Armeni, reprobauerunt dicta concilia, quæ per dictum concilium approbata fuerunt, inter quæ erat, quod Spiritus sanctus procedit a Filio sicut & a Patre.

50 III. Item quod in dicto concilio reprobauerunt concilium Chalcedonense ex eo principaliter, quod in dicto concilio Chalcedonensi fuerat determinatum, quod in domino Iesu Christo erant duæ naturæ, humana scilicet & diuina, & vnica persona subsistens in duabus naturis: & in dicto concilio determinauerunt, quod sicut in domino Iesu Christo erat vnica persona, ita erat vna natura, scilicet diuina, & vna voluntas & vna operatio, & anathematizauerunt dicentes contrarium: & illos, qui contrarium dicebant, persecuti sunt, eos incarcerando, vinculando, & morti tradendo. In dicto etiam concilio damnauerunt B. Leonem Papam & epistolas eius, quas miserat ad concilium Chalcedonense & ad Flauianum patriarcham Constantinopolitanum, in quibus B. Leo scripserat, quod in domino Iesu Christo erant duæ naturæ & vna persona, duæ voluntates, & duæ operationes. In dicto etiam concilio Dioscorum condemnatum per dictum concilium Chalcedonense canonizauerunt, & pro sancto haberi voluerunt, & adhuc ter in anno faciunt festum de eo sicut de sancto, & eum laudant vt sanctum: & maledicunt beatum Leonem & concilium Chalcedonense, qui damnauerunt dictum Dioscorum. Dicunt etiam, quod illi, qui consenserunt determinatis in dicto concilio Chalcedonensi, Christum negauerunt.

Aduersus distinctionem naturarum in Christo.

IV. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod peccatum primorum parentum personale ipsorum tam graue fuit, quod omnes eorum filij ex semine eorum propagati vsque ad Christi passionem merito dicti peccati personalis ipsorum damnati fuerunt, & in inferno post mortem detrusi, non propter hoc quod ipsi ex Adam aliquod peccatum originale contraxerint, cum dicant pueros nullum omnino habere originale peccatum, nec ante Christi passionem nec post; sed dicta damnatio ante Christi passionem eos sequebatur ratione grauitatis peccati personalis, quod commiserunt Adam & Eua, transgrediendo diuinum præceptum eis datum: sed post Domini passionem, in qua peccatum primorum parentum deletum fuit, pueri qui nascuntur ex filijs Adam non sunt damnationi addicti, nec in inferno ratione dicti peccati sunt detrudendi, quia Christus totaliter peccatum primorum parentum deleuit in sua passione.

De originali peccato male sentiunt.

V. Item quod quidam magister Armenorum vocatus Mechitariz, qui interpretatur paraclitus, de nouo introduxit & docuit, quod anima humana filij propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore, & angelus etiam vnus ab alio; quia cum anima humana rationalis existens, & angelus existens intellectualis naturæ sint quædam lumina spiritualia, ex se ipsis propagant alia lumina spiritualia; & in hoc sequuntur eum quasi omnes de prouincia Argiciensi, quæ est magna prouincia, continens septem diætas. Alij vero Armeni non dicunt hoc, sed quod Deus omnes animas creat. Et Armeni de dicta prouincia habent illum Mechitariz pro sancto.

Mechitariz hæresiarcha.

51 VI. Item dicunt Armeni, quod animæ puerorum, qui nascuntur ex Christianis parentibus post Christi passionem, si moriantur antequam baptizentur, vadunt ad paradisum terrestrem, in quo fuit Adam ante peccatum; animæ vero puerorum, qui nascuntur ex parentibus non Christianis post Christi passionem, & moriuntur sine baptismo, vadunt ad loca, vbi sunt animæ parentum ipsorum.

Error de animabus puerorũ.

VII. Item quod dicti Armeni dicunt, quod animæ hominum adultorum, qui mortui sunt vel morientur post Christi passionem, vadunt in aere vel in terra, quæ est iuxta paradisum terrestrem, vel alibi, vbi Deus ordinat ipsas manere vsque ad diem iudicij, siue sint Christiani siue non; nulla tamen anima ipsorum vadit ad infernum, vel paradisum cælestem vel terrestrem, vsque ad dictum tempus iudicij. Et, vt dicunt, animæ puerorum non baptizatorum ad generale iudicium venient cum corporibus suis, & post iudicium ibunt ad paradisum terrestrem, in quo volabunt sicut columbæ de vna arbore ad aliam, & sicut angeli de cælo ad terram, & de vna parte terræ ad aliam: non tamen habebunt gloriam, nec sustinebunt pœnam aliquam. Post generale iudicium animæ adultorum ibunt ad loca, quæ eis deputabuntur post dictum generale iudicium.

De animarum statu.

VIII. Item quod Armeni dicunt, quod animæ puerorum baptizatorum, & animæ multum perfectorum hominum post generale iudicium intrabunt in regnum cælorum, vbi carebunt omni malo pœnali huius vitæ, quia nec esurient, nec sitient, nec alios defectus humani corporis sentient, nec nubent, nec nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cælis; nec peccare poterunt, nec cadere a statu, in quo erunt. Non tamen videbunt Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest; sed videbunt claritatem Dei, quæ ab eius essentia manat, sicut lux solis emanat a sole, & tamen non est sol: & in dicta visione dictæ claritatis erunt diuersi gradus, ita quod perfectius dictam claritatem videbunt angeli quam quicumque homines, & prophetæ, & Apostoli, ac martyres & virgines, quam pueri baptizati: & in hoc dicunt, quod consistet sanctorum perfectorum & puerorum baptizatorum beatitudo.

Aduersus visionem beatificã.

52 IX. Item de pueris non baptizatis & de non perfecte iustis hominibus, qui scilicet non peruenerunt ad perfectionem Apostolorum, martyrum, confessorum, & virginum, Armeni dicunt, quod post generale iudicium ibunt ad paradisum terrestrem & non cælestem, vbi carebunt omni molestia corporali & delectabuntur inter ligna paradisi: non tamen comedent, nec bibent, nec nubent, nec nubentur, & ita perpetuo ibi manebunt, et in hoc consistet eorum beatitudo. Differentia tamen erit inter pueros non baptizatos Christianorum filios et adultos non perfecte iustos,

Figmentũ de paradiso terrestri.

ftos, quia adulti non perfecte iusti habebunt coronam de lumine ignis, quo terra comburetur ante iudicium: videbunt etiam claritatem signi crucis Christi, quæ claritas tunc maxima erit; quia omnes claritates, quæ sunt in hoc mundo, adiungentur claritati crucis Christi, & dicti adulti secundum quod magis vel minus perfecti erunt, dictas coronas luminis differentes habebunt, & dictam claritatem crucis Christi differenter videbunt secundum eorum merita: dictas tamen coronas luminis non habebunt pueri non baptizati, nec videbunt claritatem crucis Christi: & in hoc erit differentia inter eos.

Et de statu mediocriter malorum.

X. Item dicunt quod mediocriter homines mali Christiani post generale iudicium non ibunt ad paradisum cælestem vel terrestrem, sed manebunt in terra, in qua nunc habitant homines, quę tota erit plena arboribus sicut paradisus terrestris: & tamen non comedent nec bibent, nec ex tunc morientur: & hic locus dabitur eis ex hoc, quod mediocriter mali fuerunt. Vocant autem homines mediocriter malos homines coniugatos, & alios in seculo communiter viuentes.

XI. Item de multum malis hominibus, sicut sunt generaliter omnes infideles, & Christiani malam vitam & peccatricem ducentes, habent duas opiniones, quorum vna est, quod tales post generale iudicium ponentur in oceanum, quod tunc erit igneum, & ibi grauiter cruciabuntur per vermes, qui ibi erunt, qui ita magni erunt sicut dracones, & sicut magis vel minus peccauerunt, ita dicti dracones vel maiores vel minores erunt; quia, vt dicunt, statim quando homo grauiter peccat, dictus draco nascitur in oceano & crescit secundum quod plus vel minus homo peccat: & aliqui ex hominibus malis, qui multa peccata & diuersa commiserunt, plures dracones ibi habebunt, quorum vnus cruciabit eos in oculis, & alter in auribus, & sic de alijs membris. Cruciabuntur etiam ibi dæmones, qui ibi cum eis erunt, iuxta illud quod Dominus dicturus est malis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*; et ita perpetuo ibi mali homines cruciabuntur. Alia vero opinio eorum dicit, quæ magis communis est apud Armenos, quod post generale iudicium nullus infernus erit, nec nunc est, nec fuit postquam Christus ad inferos descendit, & infernum totaliter destruxit: sed vnusquisque peccator peccato, quod commisit, cruciabitur, & secundum quod plus vel minus peccauit, secundum hoc plus vel minus a dictis peccatis cruciabitur: & sic talia peccata dicuntur esse infernus, in quo peccatores post generale iudicium cruciabuntur.

Et de inferno destructo.

53 XII. Item prædicti Armeni dicunt, quod homines mediocriter mali in iudicio cum operibus suis ponentur in statera, & si plus ponderauerint eorum mala, quam bona, tunc ponentur in oceanum secundum prædictam opinionem, de qua supra dictum est, & affligentur ibi secundum quod demeruerunt. Si vero plus ponderauerint eorum bona quam mala, tunc ponentur in ista terra, quæ erit arboribus plena; non tamen ita delectabilis, sicut est paradisus terrestris. Si vero bona eorum & mala æqualiter ponderent, tunc ad preces B. Mariæ & aliorum sanctorum Deus ponet eos in ista terra, in qua nullum malum afflictiuum patientur.

Fictio de æqualitate malorũ & bonorũ operum.

XIII. Item licet in ordinario Armenorum contineatur, quod illi, qui baptizantur, etiamsi pueri sint, qui veniunt ad baptismum de diaboli seruitute, tamen dicunt, quod tales pueri nullum peccatum habent; sed sicut omnino innocentes, & omni peccato etiam originali immunes: nec dicunt quod baptizentur, vt consequantur remissionem peccatorum; sed vt sint Christiani, & vt post generale iudicium intrent cum perfectis sanctis in regnum cælorum, & ad hæc duo valet eis baptismus secundum eos.

Hæresis circa peccatum originale.

XIV. Item quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod Christus descendens ad inferos prædicauit ibi, & illas animas, quæ ei credere voluerunt, iustificauit: illas autem, quæ ei credere noluerunt, in suo peccato dereliquit. Exiens autem ab inferis destruxit totaliter infernum, & omnes animas, quas ibi inuenit, siue essent bonæ siue essent malæ, inde eduxit, et posuit eas in isto aere & terra & circa paradisum terrestrem, vbi erunt vsque ad finale iudicium. Interim tamen animæ mediocriter malæ & malæ simpliciter non patientur aliquam pœnam sensibilem, sed solum patiuntur timorem: mediocriter quidem malæ, quia timent suum periculum, quod erit in die iudicij, vt supra scriptum est, quando ponentur in statera: malæ vero simpliciter, quia timent pœnam oceani, vbi ponentur post generale iudicium, patiuntur pœnam timoris, quæ eas multum affligit mentaliter. Mediocriter vero bonas & perfecte bonas posuit in ista terra vel aere circa paradisum terrestrem: & vt dicunt, tales animæ sunt in magna consolatione propter spem, quam habent de remuneratione, quam consecuturæ sunt post generale iudicium. Et dicunt, quod ante dictum generale iudicium non erit remuneratio alia operum bonorum vel malorum, inducentes ad hoc dictum Apostoli: *Oportet nos præsentari ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout in corpore gessit siue bonum fuerit siue malum.*

Fabulantur Arm. Christum prædicasse damnatis.

XV. Item quod dicti Armeni non dicunt, nec tenent, quod Christus descendens ad inferos prædicauerit dæmonibus, nec quod dæmones eduxerit de inferno; sed bene dicunt, quod dæmones vsque ad generale iudicium sunt in isto aere, vel in terra. Si tamen ibi existentes aliquam pœnam sensibilem sustinent, vel sustinebunt vsque ad dictum generale iudicium, non exprimunt: dicunt tamen, quod patiuntur carentiam gloriæ, & quod ipsi, qui prius erant clari, effecti sunt nigri; & quod multum timent pœnam oceani, in qua ponendi sunt post generale iudicium cum malis hominibus.

XVI. Item quod inter Armenos sunt duę opiniones de tempore, quo creati fuerunt angeli, quia eorum aliqui dicunt, quod ante istum mundum sensibilem angeli creati fuerunt: alij vero dicunt, quod cum isto mundo sensibili creati fuerunt, scilicet cum cælo empyreo ante omnem diem. Dicunt etiam, quod omnes angeli boni creati fuerunt, & in dicta bonitate steterunt, vt eorum aliqui dicunt, vsque ad quartam diem, quando Deus luminaria fecit: aliqui vero eorum dicunt quod sexta die, quãdo Adam creatus fuit, dæmones peccauerunt, & de cælo ceciderunt per illam partem cæli, quæ apud eos dicitur arocea, apud nos vero dicitur galaxia, cum quibus etiam per dictum foramen vnus bonus angelus cecidit, & multi alij cecidissent, nisi Deus eis dixisset: *Pax vobis*; ille vero bonus angelus, qui ceciderat, ad preces B. Basilij restitutus in cælo fuit. Dicunt etiam eorum aliqui, quod feria sexta de mane Adam creatus fuit, sed circa sextam dictæ diei Eua fuit formata, & secundum ali-

Quid senserunt de tempore creationis angelor.

quos eorum eadem die fuit per diabolum tētata, secundum vero alios feria sexta sequentis septimanæ. Dicunt etiam, quod nullus bonorum angelorum vnquam efficietur malus, nec malus bonus.

Male sentiunt de purgatorio.

54 XVII. Item quod Armeni communiter tenent, quod in alio seculo non est purgatorium animarum, quia vt dicunt, si Christianus confiteatur peccata sua, omnia peccata eius, & pœnæ peccatorum ei dimittuntur. Nec etiam ipsi orant pro defunctis, vt eis in alio seculo peccata dimittantur; sed generaliter orant pro omnibus mortuis, sicut pro B. Maria, Apostolis, martyribus, & alijs sanctis, vt in die iudicij intrent in regnum cæleste, vel in alijs locis, vt supra dictum est, & quod ibi requiescant. De animabus vero paganorum dicunt, quod animæ eorum sunt super sepulchra ipsorum, vel in sepulchris vsque ad diem iudicij, & frequenter audiuntur in sepulchris Saracenorum voces & mugitus, & etiam quandoque animæ eorum vel dæmones pro eis videntur circa sepulchra ipsorum in diuersis speciebus animalium vel hominum: propter quod Saraceni non libenter stant circa sepulchra Saracenorum, & ex hoc etiam quandoque Saraceni faciunt baptizari suos filios & inungi in diuersis locis, vt post mortem non egrediantur de sepulchris: non tamen faciunt eos baptizari, vt efficiantur Christiani.

Fabulæ de animab. paganor. mortuor.

XVIII. Item quod Armeni credunt & tenent, quod Christus descendit de cælo & incarnatus fuit propter hominum salutem: non pro eo, quod filij propagati ex Adam & Eua post peccatum eorum ex eis contrahant originale peccatum, a quo per Christi incarnationem & mortem saluentur, cum nullum tale peccatum dicant esse in filijs Adæ; sed dicunt, quod Christus propter salutem hominum est incarnatus & passus, quia per suam passionem filij Adam, qui dictam passionem præcesserunt, fuerunt liberati ab inferno, in quo erant non ratione originalis peccati, quod in eis esset, sed ratione grauitatis peccati personalis primorum parentum. Credunt etiam, quod Christus propter salutem puerorum, qui nati fuerunt post eius passionem, incarnatus fuit & passus, quia per suam passionem destruxit totaliter infernum, & ita post eius passionem nullus ex dictis pueris vadit ad infernum. Credunt etiam, quod propter salutem hominum adultorum Christianorum Christus fuerit incarnatus & passus, quia si tales pœniteant de peccatis suis post, eius passionem quando moriuntur, non vadunt ad infernum.

Error de liberatis damnatis.

XIX. Item quod Armeni credunt & tenent, quod primi parentes, & tota eorum posteritas vsque ad Christi passionem mortua fuit in corpore, & in anima ad infernum descendit non propter originale peccatum, quod filij Adam contraxerunt ab Adam, sed ratione grauitatis peccati personalis primorum parentum: propter quod, licet eorum filij non peccauerint, tamen propter peccatum primorum parentum passi fuerunt & mortem corporalem, & apud inferos punitæ eorum animæ fuerunt vsque ad dictum tempus. Credunt etiam et tenent, quod post Christi passionem, et ante vsque ad generalem resurrectionem filij Adam habent concupiscentiam inordinatam carnis, et mortalitatem propter grauitatem peccati primorum parentum, & non propter originale peccatum, quod ex eis contraxerint; a qua concupiscentia & mortalitate sancti liberabuntur in generali resurrectione per Christum: & in tantum dicunt, quod dicta concupiscentia carnis est peccatum & malum, quod parentes etiam Christiani, quando matrimonialiter concumbunt, committunt peccatum: & propter hoc pœnitentia eis imponitur per sacerdotes, quia actum matrimonialem dicunt esse peccatum, & etiam matrimonium. Credunt etiam & tenent, quod si Adam & Eua non fuissent transgressi Dei mandatum, non fuisset inter eos carnalis commixtio, nec per feminum commixtionem fieret generatio humana: sed homines propagarentur ab hominibus sine carnali commixtione, sicus lumen propagatur a lumine. Dicunt etiam, quod Deus præsciens, quod homines transgrederentur eius præceptum, membra genitalia fecit in eis, per quę post peccatum fieret hominum propagatio.

Error circa originale peccatum.

Et circa actū matrimonij.

Et circa sexus distinctionē.

55 XX. Item quod Armeni credunt & tenent, quod æternus Dei Filius natus de substantia Patris, in tempore sibi vniuit humanam naturam, & factus fuit homo; sic tamen, quod in ipsa vnione humana natura ad Dei Filium humana natura conuersa fuit in diuinam eius naturam, sic quod post dictam vnionem in Christo non est nisi vna natura, scilicet diuina & non humana, sicut ipse est vna persona. Et dicti Armeni maledicunt omnes illos, qui contrarium dicunt: & in tantum detestantur illos, qui dicunt, post vnionem duas naturas esse in Christo, diuinam scilicet & humanam, quod si aliquis Armenus prius baptizatus secundum ritum eorum hoc diceret, non communicant cum eo, sed habent eum ac si paganus fuisset; et si vult reuerti ad fidem Armenorum, eum rebaptizant, * sic semper paganus fuisset: & post secundum baptismum imponunt ei pœnitentiam viginti annorum.

Eutychis insania.

**ac si*

XXI. Item quod Armeni credunt & tenent, quod quia secundum eos post vnionem naturarum in Christo natura humana conuersa fuit in naturam diuinam, ita quod in Christo ex tunc non fuit nisi natura diuina; cum dicta natura diuina in Christo fuit passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis, secundum quod Christo placebat; sic dicunt, Christum fuisse passum & mortuum secundum naturam diuinam, quia sic voluit ipse, licet humana natura in eo non esset quando passus & mortuus fuit. Credunt etiam & tenent, quod in domino Iesu Christo post vnionem non fuit nisi vnus intellectus, vna voluntas, & vna operatio, scilicet diuina & non humana.

Blasphemia aduersus diuinitatem.

XXII. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod ab illa hora, qua Dominus mortuus fuit in cruce, ipse descendit ad inferos, & infernum destruxit totaliter: ita quod ex tunc non fuit in inferno, nec aliqua animæ hominum, vel etiam dæmones ex tunc fuerunt in inferno, nec erunt postea: quando vero Christus resurrexit, educens de inferno sanctorum animas, quæ ibidem erant, duxit eas in paradisum terrestrem, & cum ipsis dictum paradisum intrauit, dicens eis: *Ecce locus in quo fuistis*; & statim de dicto paradiso eas eiecit, & posuit eas in terra vel aere circa paradisum terrestrem.

Fictio de inferno destructo.

XXIII. Item quod de anima latronis, Christum confitentis in cruce, apud Armenos sunt diuersæ opiniones: quarum vna est, quod illud, quod ponitur in euangelio: *Hodie mecum eris in paradiso*; ly *hodie*, non tenetur ibi determinate pro illa die, qua mortui fuerunt Dominus & latro, sed tenetur quod die finalis iudicij, quando sancti perfecti intrabunt in paradisum cælestem, quo-

Error de paradiso ante finale iudiciū nō acquirendo.

quomodo dies accipitur in psalmo: *Melior est dies vna in atrijs tuis*; tunc enim, & non ante, latro intrabit in paradisum cælestem secundum eos cum alijs sanctis perfectis. Alia vero opinio eorum dicit, quod die qua dictus latro mortuus fuit, eius anima venit ad portam paradisi terrestris volens illuc intrare: sed per angelos & Enoch & Eliam intrare illuc prohibitus fuit: sed in die resurrectionis Domini, quando Dominus cum alijs animabus sanctorum, quas extraxerat de inferno, venit ad portam paradisi terrestris: inuenit ibi dictam animam latronis, & cum Dominus ostendisset manus & latus angelis & Enoch & Eliæ aperientes ei portam paradisi, intrauit illuc cum dicta anima latronis & aliorum sanctorum, & cum eis dixisset: *Ecce locus, de quo exiuistis*; cum omnibus dictis animabus exiuit de paradiso, & eas posuit in terra vel in aere circa dictum paradisum, vbi erunt vsque ad diem iudicij: & tunc introducentur in paradisum cælestem. Alij vero dicunt, quod illa hora, qua Adam exiuit de paradiso feria sexta, Dominus posuit animam latronis in paradiso terrestri: si tamen postea inde eduxit eam vel non, non dicunt.

Fabula de paradisi terrestr. ingressu.

56 XXIV. Item quod dicti Armeni dicunt et tenent, quod animæ malorum hominum, quæ multa peccata actualia grauia commiserunt, qui mortui fuerunt ante Christi passionem, fuerunt positæ in inferno, & ibi pœnas infernales pro peccatis suis sustinuerunt: sed cum Dominus post suam passionem infernum destruxisset, dictas animas posuit in terra vel in aere, & ibi vadunt huc et illuc non patientes aliquam pœnam sensibilem vsque ad diem iudicij. Hominum autem malignorum animæ, qui fuerunt post Domini passionem, quando mortui sunt dicti homines, angeli mali et terribiles accipiunt eas, et adducunt ad oceanum, de quo supra mentio facta est, et ostendunt eis oceanum, et vermes vel dracones, qui ibi sunt, et dicunt eis, quod post generale iudicium ibi ponentur, et per dictum oceanum et dracones cruciabuntur: et ex hoc dictæ animæ multum timent propter dictas pœnas, quas passuræ sunt post generale iudicium: non tamen interim aliam pœnam sensibilem patientur. Animæ vero hominum bonorum et perfectorum, quando mortui sunt, accipiuntur per bonos angelos et ducuntur in cælum ante thronum Dei, et vident sub throno Dei, qui thronus sunt angeli, gloriam quam post generale iudicium habituræ sunt, et de hoc multum consolantur: postea tamen ab angelis ducuntur ad terram vel ad aerem, et sunt ibi vsque ad diem iudicij, et propter dictã spem requiescere dicuntur. Dicunt etiam et credunt, quod post generale iudicium homines mali, qui fuerunt vel ante Domini passionem vel post, ponentur in corpore et in anima in dicto oceano, et ibi cruciabuntur perpetuo.

Error quod impiorum animæ nõ patiantur infern. ante iudiciũ.

XXV. Item quod Armeni dicentes, vnam solam naturam esse in Christo, scilicet diuinam et non humanam, respondere non possunt ad dicta posita in scriptura, per quæ manifeste ostenditur Christum habuisse humanam animam, quæ diuina natura non erat, sicut: *Non derelinques animam meam in inferno*; nec ad illud: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; nec ad illud, quod dicit Petrus, quod spiritualiter descendens, prædicauit in inferno; nec ad illud, quod Dominus dicit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & inclinato capite emisit spiritum*. Per quæ omnia manifeste scriptura dicit, fuisse in Christo post vnionem animam humanam. Sed cum eis prædicta dicuntur, non habentes quid respondeant, recurrunt ad baculos vel ad pœnas corporales, vt male tractent illos, qui talia eis dicunt. Dicunt etiam & credunt, quod anima Christi quando descendit ad inferos, ne cognosceretur, induit se deitate, sicut & quando erat in vita præsenti, ne cognosceretur, induit deitatem suam corpore.

Heresis negantiũ in Christo humanã animam.

XXVI. Item quod Armeni dicunt & credunt, quod licet resurrectio a morte solum ad carnem pertineat, quæ mortua fuerat; tamen in Christo, quia non erat nisi diuina natura post vnionem, ipsa secundum quod volebat faciebat opera carnis & opera animæ, quamuis in Christo nec caro esset nec anima post vnionem.

Alius error.

57 XXVII. Item quod Armeni credunt & tenent, quod die sabbati post parasceuen hora sexta Dominus resurrexit, & hoc dicunt se habere ex traditione Gregorij, qui fuit antiquus eorum catholicon, cui, vt dicunt, fuit reuelatum, cum esset in sepulchro Domini, quod hora sexta dictæ diei sabbati resurrexerat Dominus: & sic apud Armenos est determinatum: & dicta hora faciunt festum de resurrectione Domini, & postea eadem die comedunt oua & caseum, non tamen carnes. Computant autem tres dies & noctes, quibus fuit Dominus in ventre terræ sic, quia in nocte sequente feriam quintam Dominus tradidit corpus suum & sanguinem discipulis suis, qui terrei erant, corpus eius & sanguinem comederunt & biberunt, & sic in seipsis Christum sepelierunt; & computant illam noctem: & postea diem sequentem vsque ad illam horam, qua in die parasceues tenebræ factæ sunt super vniuersam terram pro prima die & nocte: tempus vero illud, quo dictæ tenebræ durauerunt, computant pro secunda nocte; & diem, qui fuit post dictas tenebras, computant pro secunda die: noctem quæ præcedit sabbatum, computant pro tertia nocte; & diem sabbati vsque ad meridiem pro tertia die: & dicunt quod prædicta eorum opinio confirmata fuit per beatum Siluestrum Papam ad instantiam dicti Gregorij, & plus credunt dictæ opinioni, quam euangelijs Marci & Lucæ, qui dicunt, quod prima sabbati, id est dominica, Dominus resurrexit.

Error circa tẽpus resurrectionis Christi.

XXVIII. Item quod Armeni nesciunt respondere ad illa, quæ in euangelijs continentur, vbi manifeste scribitur, quod Christus post suam resurrectionem verum corpus humanum habuit, cum dicant, quod in ipsa vnione humana natura conuersa fuit in deitatem; nisi hoc solum, quod voluntas diuina secundum quod volebat faciebat & ostendebat se corpus humanum habere, cum tamen non haberet.

Eutychis delirium.

XXIX. Item licet secundum Armenos in Christo post vnionem non fuerit nisi natura diuina, in quam conuersa fuit humana eius natura; Armeni tamen dicunt & tenent, quod voluntati Christi subiecta erat diuina natura, vt de ea faceret quod vellet: et ita, vt dicunt quando voluit diuina eius natura mortalis fuit et etiam mortua, et quando voluit facta fuit immortalis, sicut factum fuit post suam resurrectionem, accipientes ad hoc probandum illud quod dicitur in Ioanne: *Ego viuo, & vos viuetis*.

Blasphemia in diuinitatem quod sit mortua.

XXX. Item Armeni dicunt et tenent, quod ex hoc, quod Christus ascendit in cælum, in eo post vnionem desijt esse humana natura: alioquin si in ipso fuisset humana natura post vnionem, non ascendisset in cælum, sed translatus fuisset in paradi-

Error quod in Christo humana natura defecerit.

disum terrestrem, sicut factum fuit de Elia et Enoch.

58 XXXI. Item quod Armeni tenent, quod illæ auctoritates prophetæ et Apostoli: *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem*; et quod Christus expoliauit principatus et potestates, et transduxit eas in semetipsum; non intelligunt quod hoc fecerit, quando Christus ascendit in cælum: sed intelligunt quando Christus, ascendens ab inferis, eduxit secum animas hominum, quæ ibi erant, et posuit eas in ista terra, vel aere vsque ad diem iudicij.

Sacra oracula peruerse intellecta.

XXXII. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod Christus * ascendens ad inferos, ligauit dæmones, qui ibi erant, et etiam super terram, vt non possent tentare vel offendere homines sicut ante faciebant: sed fuit iam trecenti anni, quod omnes dæmones fuot disligati, et seduxerunt homines a fide Christi per totum mundum, exceptis Armenis: sed a trigiota annis citra illos homines de minori Armenia, et a viginti quinque annis citra Armenos de maiori Armenia, seduxerunt a fide Christi, quia vt dicunt, ex tunc Armeni posuerunt in sacrificio aquam in vino, et fecerunt festum natiuitatis Domini vigesima quinta die decembris, et sic a dæmonibus seducti fidem Christi dimiserunt.

**descendens*

Fictio circa mixtionem aquæ in sacrificio.

XXXIII. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod Christus post suam ascensionem habuit humanitatem, sed non habuit naturam humanam, nec voluntatem, nec operationem humanam. Dicunt etiam et tenent, quod Christus in cælum ascendens non subito peruenit ad dexteram Patris, sed in decima die post suam ascensionem, et in nouem diebus, qui sunt a die ascensionis eius vsque ad diem pentecostes, Christus fuit inter angelos; ita quod per vnam diem fuit in vno ordine angelorum, et alio die in alio, et quilibet ordo angelorum festiuauit eum vna die: decima vero die peruenit ad dexteram Patris, et tunc statim misit Apostolis Spiritum sanctum, et propter hoc Armeni festinant illas decem dies.

Fabula circa ascensionem Domini.

59 XXXIV. Item quod Armeni de maiori Armenia dicunt et tenent, quod ipsi sunt ecclesia catholica et apostolica, et propter hoc ipsi habent catholicon: et etiam eorum ecclesia est apostolica, quia ipsi tenent fidem, quam Apostoli prædicauerunt; et propter hoc sunt ecclesia catholica et apostolica: Græca vero ecclesia non est ecclesia catholica vel apostolica, quia ponunt aquam in vino in sacrificio, et quia dicunt duas naturas esse in Christo, et quia faciūt festum natiuitatis Domini vigesima quinta die mensis decembris. Dicunt etiam et tenent, quod ecclesia Romana non est ecclesia catholica et apostolica propter easdem causas, quas dicunt de ecclesia Græca, et etiam quia corrupit fidem Christianam, faciendo et acceptando concilium Chalcedonense ad instantiam B. Leonis Papæ. Dicunt etiam et tenent, quod ecclesia Romana et Græca esse desinent ante generalem resurrectionem vel tempora Antichristi; ecclesia vero Armenorum durabit vsque ad finem: et quod illi de Armenia minori, exceptis Rege et quibusdam nobilibus, sunt de ecclesia maioris Armeniæ, et sunt peiores quam illi de maiore Armenia, nec volunt recipere aliquem magistrum, nisi sit de maiori Armenia. Dicunt etiam, quod Rex et nobiles minoris Armeniæ, quia tenent supradictos articulos cum ecclesia Romana et Græca, non sunt de ecclesia catholica et apostolica.

Errores in maiori Armenia grassantes

XXXV. Item Armeni dicunt et tenent, quod ecclesia catholica fuit per totum orbem diffusa a principio, quia aliqui ex omnibus gentibus crediderunt in Christum: sed postea in concilio Chalcedonensi fuit fides ecclesiæ corrupta et destructa ex eo, quod ibi determinatum fuit, quod in Christo erant duæ naturæ et vna persona; et omnes qui dictum concilium receperunt * . . . ecclesiam catholicam: et quia dicti Armeni dictum concilium non receperunt, sed condemnauerunt, ideo solum apud eos est ecclesia catholica, exceptis paucis de ecclesia minoris Armeniæ.

Eutychis error.

**deseruerunt*

XXXVI. Item quod Armeni credunt et tenent, quod solum apud ipsos est vna ecclesia catholica, quia vt dicunt, apud eos sunt illa, quæ faciunt esse vnam sanctam ecclesiam, scilicet vnum baptismus, et vnica fides Christi, et vnus Spiritus sanctus, et vnus Deus et dominus; quæ apud alias ecclesias, quæ vocantur Christianæ, non sunt, quia vt dicunt, Armeni habent verum baptismum, propter quod omnes venientes ad se de alijs ecclesijs rebaptizant, immo, vt dicunt, verius baptizant, quia baptismum datum in alijs ecclesijs non reputant esse verum baptismum. Habent etiam, vt dicunt, veram fidem, quam aliæ ecclesiæ destruxerunt, recipiendo concilium Chalcedonense. Habent etiam verum Spiritum sanctum, et verum Deum et dominum, quæ aliæ ecclesiæ non habent, quia negauerunt Deum et dominum in concilio Chalcedonensi, dicendo quod in Christo sunt duæ naturæ et vna persona: propter quæ in symbolo non dicunt simpliciter: *Et in vnam sanctam ecclesiam*; sed *in istam sanctam ecclesiam*; accipiendo le *istam*, pro ecclesia Armenorum.

Impietas anabaptistarum.

60 XXXVII. Item quod a tempore Heraclij Imperatoris citra fuerunt tres catholicon in Armenia, tenentes diuersam fidem et diuersum baptismum ab inuicem; nam catholicon Columbarum dicit, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus fuerunt crucifixi in cruce, et illi, qui sunt subiecti ei baptizant in aqua: catholicon vero medius et subiecti eius dicunt, quod solus Dei Filius fuit crucifixus in cruce, et pro maiori parte baptizarunt in aqua, pauci tamen baptizant in vino, non tamen baptizatos mergunt, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: catholicon vero tertius a quinquaginta annis citra tenes illud, quod tenet ecclesia Græcorum. Conueniunt tamen dicti tres catholicon et subiecti eorum in istis, quod in Christo est vna natura, sicut vna persona, quæ natura est diuina, et quod non ponunt aquam in vino in sacrificio, nec faciunt festum natiuitatis Domini vigesimaquinta die decembris, excepto catholicon tertio, qui a quinquaginta annis citra in istis a primis duobus est separatus: quilibet autem de dictis catholicon dicit, quod ipse tenet veram fidem, et verum baptismum habet, et quod alij catholicon ab eo non habent veram fidem, nec verum baptisma: et sic quia sunt diuersi inter se, non est vna ecclesia inter eos, sed alia et alia.

Sabellij error.

Alius Eutychis.

XXXVIII. Item quod Armeni credunt et tenent, quod in alijs ecclesijs ab ecclesijs Armenorum non datur peccatorum remissio, quia aliæ ecclesiæ negauerunt veram fidem, recipiendo concilium Chalcedonense: nec etiam habent verum baptismum, quia miscent aquam in vino in sacrificio, dicentes quod aqua, quæ fluxit de latere Christi virtutem tribuit soli sacramento baptismi, et ideo illæ ecclesiæ, quæ miscent aquam in

Error circa baptismum.

in vino baptiſmum perdiderunt : propter quod peccatorum remiſſio non fit apud ipſos, ſed ſolũ fit in eccleſia Armenorum : & ideo presbyteri Armenorum prohibent ſubiectis ſuis, ne ſacramenta recipiant ab alijs, quam ab Armenis, quia illa ſacramenta alij non habent.

Et adminiſtrationem ſacramentorũ.

XXXIX. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod populus ſubiectus vni catholicon poteſt recipere dicta ſacramenta ab alio catholicon vel presbyteris eius, & dicta ſacramenta valent dicto populo : ſed epiſcopi & presbyteri vnius catholicon non poſſunt recipere ſacramenta ab alio catholicon, vel ſubiectis eius, & ſi reciperent talia ſacramenta, eis non valerent.

Corrupte la circa ſacramẽtũ pœnitenciæ.

XL. Item Armeni credunt & tenent, quod nullus Armenus poteſt conſequi remiſſionem peccatorum per epiſcopos vel presbyteros eccleſiæ Romanæ vel Græcæ : ſed aliqui ex Armenis dicunt, quod peccatorum remiſſio poteſt fieri in Armenia per epiſcopos & presbyteros Armenorum: alij vero dicunt quod epiſcopi vel presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remiſſionem nec principalitar nec miniſterialiter, ſed ſolus Deus peccata remittit : nec epiſcopi vel presbyteri adhibentur ad faciendam dictam peccatorum remiſſionem, niſi quia ipſi acceperunt poteſtatem loquendi a Deo, & ideo cum abſoluunt dicunt : *Deus dimittat tibi peccata tua* ; vel : *Ego dimitto tibi peccata tua in terra, & Deus dimittat tibi in cælis*.

61 XLI. Item Armeni dicunt & tenent, quod poſtquam aliquis peccando perdidit gratiam Dei, nunquam poſtea in æquali gratia reſurgit.

Error circa gratiã & iuſtificationem

XLII. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſola Chriſti paſſio ſine omni alio Dei dono, etiam gratificante, ſufficit ad peccatorum remiſſionem : nec dicunt, quod ad peccatorum remiſſionem faciendam requiratur gratia Dei gratificans, vel iuſtificans ; nec quod in ſacramentis nouæ legis detur gratia gratificans.

Circa libertatem

XLIII. Item Armeni dicunt & tenent, quod liberum arbitrium humanum non ſufficit ſibi ad peccandum, ſed diabolus facit & inſtigat hominea ad peccandum ; ita quod ſi dæmones non eſſent, nullus homo peccaret.

Circa purgatorium.

XLIV. Item licet Armeni orent in miſſa, & alias pro bonis tam ſpiritualibus quam temporalibus adipiſcendis, & pro malis remouendis pro mortuis ; tamen non orant, vt in præſenti requiem obtineant, ſed tantummodo in futuro.

Superſtitio in ſacrificio animaliũ vſurpando.

XLV. Item quod apud Armenos, quando aliquis ex eis mortuus eſt, talis obſeruatio fit, quod de ſero ducuntur animalia munda ſecundum legem Moyſi, cuiuſmodi ſunt oues, capræ, & boues coopertæ pannis ſericis ad oſtium eccleſiæ : ad quem locum exeunt clerici dictæ eccleſiæ, & ſacerdos benedicit ſal, & de ſale benedicto ponit in ore dictorum animalium ; & poſtea cum oleo de lino inunguntur dicta animalia, & deinde effuſo ipſorum ſanguine occiduntur, & de carnibus dictorum animalium ſequenti nocte comedunt clerici cum ſale : ſed ſacerdos, qui in craſtinum debet celebrare pro mortuo, non comedit de carnibus dictorum animalium vſque poſt miſſam. Faciunt autem prædicta, quia dicunt & tenent, quod licet remiſſio peccatorum fiat principaliter per ſanguinem Chriſti ; tamen non fieret dicta remiſſio peccatorum, niſi ſanguis animalium prædictorum effunderetur in peccatorum viuorum & mortuorum remiſſionem, quia lex Moyſi dicit, quod remiſſio peccatorum fit per effuſionem ſanguinis animalium brutorum mundorum, & ſine eo non fit peccatorum viuorum & mortuorum remiſſio ; & Dominus dicit in euangelio, quod ipſe non venit ſoluere legem, ſed adimplere, quam ſoluiſſet ſi peccatorum remiſſio fieret ſine effuſione ſanguinis animalium brutorum. Et de hoc etiam reprehendit eos Damaſcenus, dicens quod dicti Armeni, accipientes de erroribus Iudæorum, Saracenorum, paganorum, et aliorum errantium, de illis erroribus ſuam fidem compoſuerunt, et de dicta fide in concilio Maneſguerdenſi librum compoſuerunt, qui apud eos vocatur *Radix fidei*.

Fallax eorum argumentum.

Iudaizantium Armenor. deliria.

62 XLVI. Item quod dicti Armeni obſeruant diſcretionem ciborum mundorum et immundorum animalium, ſecundum quod lex Moyſi dicit : et licet aliqui ex Armenis comedant porcum, tamen ſecundum eos, ſi ſacerdos comederet de porco, poſtea non poſſet expellere dæmones de obſeſſis corporibus, quia, vt dicunt, Dominus expellens dæmones de duobus hominibus miſit eos in porcos.

Superſtitio circa ieiunium.

XLVII. Item quando Armeni ieiunant diebus ieiuniorum inſtitutis inter eos, dictis diebus non comedunt carnes, nec piſces, nec oua, nec caſeum, nec butyrum, nec lac, nec oleum : quia dicunt, quod omnia iſta ſunt quædam carnes : comedunt autem ſolum herbas, panem, & vinum: poſſunt tamen comedere quoties volunt, illis diebus, quibus ieiunant. Dicunt etiam & prædicant, quod illi, qui in diebus ieiuniorum comedunt piſces, oua, caſeum, butyrum, & oleum, ſunt maledicti & infideles, & contra fidem conſtituti, & ſunt ſeparati ab ouili Chriſti.

Error circa remiſſionem peccatorum.

XLVIII. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſi Armeni committant ſemel quodcumque crimen, quibuſdam exceptis, eccleſia eorum putat abſoluere eos quantum ad culpam & pœnam de dictis criminibus : ſed ſi aliquis poſtea committeret iterum dicta crimina, abſolui non poſſet per eorum eccleſiam.

Circa trigamiam error & ſuperſtitio.

XLIX. Item dicunt, quod ſi aliquis eorum poſt baptiſmum accipiat primam & ſecundam vxorem, abſolui poteſt per eos: ſed ſi accipiat tertiam, vel quartam, & deinceps, non poteſt abſolui per eorum eccleſiam, quia dicunt, quod tale matrimonium fornicatio eſt : & talem habent pro pagano, ita quod nec in fine eum communicant, nec educunt eum de domo ſua ad ſepeliendum per portam domus, ſed frangunt parietem domus, & per foramen parietis educunt corpus eius : nec miſſam celebrant, nec ſepultura eccleſiaſtica eum ſepeliunt, ſed faciunt de eo ſicut de pagano. Si tamen ille, qui recipit tertiam vxorem, dum viuit, eam dimittit ſic, quod poſtea non reuertatur ad eam, recipiunt eum ad pœnitentiam, & imponunt ei quindecim annos pro pœnitentia ſic, quod in dictis annis non comedat carnes, piſces, & ſupradicta lacticinia : & ſi dictam pœnitentiam perfecerit, & poſtea moriatur, faciunt de eo ſicut de Chriſtiano alio in vita & in morte.

63 L. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſi aliquis ante ſuſceptionem ordinis ſacri commiſerit aliquod peccatum luxuriæ carnalis exterioris, quod ille habet confiteri confeſſori dictum peccatum : & deinde epiſcopus, qui ordines facit, interrogat dictum confeſſorem, ſi eſt ille dignus ordinari. Cui ſacerdos reſpondet, quod non : & ſic repellitur a ſuſcipiendo ordine

ſa-

sacro, Si vero postquam ordinatus est, commiserit tale peccatum luxuriæ, oportet quod si absolui velit, confiteatur confessori suo; & tunc ille confessor deponit eum ab executione ordinis: & si postea exequatur actus dicti ordinis, dictus confessor dicit hoc episcopo etiam in præsentia aliorum, & cum qua vel quo peccauit reuelat. Mulieres etiam, cum quibus tales peccauerunt, iactant se dicendo: *Ego deposui talem sacerdotem*; ex quo contingit apud Armenos, quod multi sunt, qui dicta peccata nolunt confiteri dum viuunt, ne repellantur a susceptione sacrorum ordinum: & si eos susceperint, ne postea deponantur ab ordinis executione.

Corrupte ia in propalando confessionis sacramento.

LI. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod ista peccata sunt irremissibilia, nec eorum ecclesia potest hæc peccata remittere, quia Christus non dedit ecclesię potestatē, quod talia peccata remittat, scilicet si aliquis peccatum luxuriæ committat in ore hominis vel mulieris, & si blasphemat Christum, vel fidē Christianā aut crucem: & tales blasphemos nō reputāt Christianos, nec ecclesiastica sacramenta eis ministrant, dum viuunt: nec quando moriuntur, faciunt de eis sicut de Christianis; nec eorum filios reciperent ad baptismum, nisi conuertantur & pœnitentiam agant.

Error negantium aliqua peccata remitti posse.

64 LII. Item quod dicti Armeni dicunt et tenent, quod si aliquis semel commiserit peccatum adulterij, sodomiæ, bestialitatis, vel homicidij, aut apostasiam a fide, faciendo se Saracenum vel Iudæum et etiam si aliquis dicat, quod in Christo sunt duę naturæ et vna persona, potest absolui per eorum ecclesiam; non tamen debet communicare nisi in fine vitę suæ. Et si quis commiserit dicta peccata vel etiam alia plures, non potest absolui per ecclesiam, nisi prima vice: et si postquam semel confessus fuerit et absolutus de aliquo peccato, de prædictis iterato commitat dictum peccatum, prima absolutio non valet.

Sana doctrina de duabus in Christo naturis & vna persona ijs instar piaculi.

LIII. Item quod dicti Armeni dicunt et tenent, quod si sacerdos habens vxorem cum ipsa committat sodomiam, non peccat, nec si hoc confiteatur deponitur: sed in hoc dimittitur conscientiæ suæ, quod confiteatur vel non confiteatur, si vult.

Sodomia ab eisd. hæreticis non datur vitio.

LIV. Item quod inter Armenos catholicon et episcopi excommunicant Armenos sine omni culpa excommunicatorum, et nulla monitione præmissa, vt volunt. Et dicunt, quod excommunicati per eos non possunt absolui de aliquo peccato nisi per catholicon vel episcopos, qui eos excommunicauerunt; si tamen vadant ad aliquem catholicon vel episcopos alij catholicō subiectos possunt absolui per eos a dicta excōmunicatione et peccatis suis. Dicunt etiam et tenent, quod excommunicatis non debent ecclesiastica sacramenta ministrari. Et si aliquis excommunicatus moriatur, amici eius vadunt vel mittunt ad illum, qui eum excommunicauit, et dant ei pecuniam vel alias res valentes pecuniam, prout conueniunt cum eo: et tunc excommunicans dat eis licentiam, quod ipsum sepeliant ecclesiastica sepultura. Qui faciunt pro eo illa, quæ supra dicta sunt de animalibus; non tamen aliter absoluunt illum ab excommunicatione.

Corrupte ia in excommun. infligēdis.

LV. Item Armeni dicunt & tenent, quod excommunicationis sententia etiam iuste lata secundum Domini ordinationem, quia monitus non vult ecclesiæ obedire, nec se de peccato, quod commisit emendare, non excidit a regno Dei, quia ita bene excommunicatus, sicut non excommunicatus vadit ad regnum Dei: sed fornicatio, adulterium, homicidium, et si sacerdos accipiat secundam vxorem, et si aliquis ex Armenis dicat esse in Christo duas naturas et duas voluntates et duas operationes et vnam personam, ista excludunt a regno Dei, et non excommunicatio lata propter inobedientiam ecclesiæ; vnde Armeni parum vel nihil reputant excommunicationem valere.

Spreta ab ijsdem censura.

65 LVI. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod si aliquis fuisset baptizatus in ecclesia Armenorum, et postea lapsus fuisset in hæresim, vel in apostasiam a fide, faciendo se Saracenum vel Iudæum, et deinde vellet reuerti ad ecclesiam Armenorum, non rebaptizatur, sed solum cū chrismate inungitur, nec aliter absoluitur: imponitur tamē ei, quod vadat ad locum illū, in quo commisit apostasiam a fide, & ibi coram omnibus confiteatur peccatum suum, et abneget illam perfidiam, quam commisit. Si tamen aliquis fuisset baptizatus in ecclesia alicuius catholicon Armenorum, et postea conuerteretur ad fidem Romanæ ecclesiæ vel Græcæ, si postea vellet venire ad ecclesiam primam, in qua fuerat prius baptizatus, illa ecclesia sic baptizaret eum, ac si nunquam fuisset baptizatus, sed semper fuisset Saracenus vel paganus. Si vero aliquis fuisset primo baptizatus in ecclesia Romana vel Græca, et postea vellet venire ad ecclesiam Armenorum, illa ecclesia, ad quam veniret, baptizaret eum, ac si nunquam baptizatus fuisset, sed semper fuisset paganus vel Saracenus. Et quia Armeni ideo dicunt, quod baptizati in ecclesia Romana vel Græca, quando veniunt ad ecclesiam Armenorum, rebaptizari debent, quia ecclesia Romana et Græca ex eo, quod dicunt duas naturas esse in Christo, fidem negauerunt; et ex eo, quia ponunt aquam in vino in sacrificio, non habent aquam baptismi, quia aqua, quæ fluxit de latere Christi, non potest seruire nisi sacramento baptismi; vnde cum ponatur in sacrificio per dictas ecclesias, eadem ecclesiæ non habent aquam baptismi, sine qua non potest fieri baptismus; ex eo etiam dictæ ecclesiæ non habent baptismum, quia nō habent verum chrisma, sine quo verum baptisma non datur; et propter prædicta quia ecclesia Latina et Græca non habent verum baptismum, sed solū ecclesia Armena dictum baptismum verū habet, quia contraria dictis ecclesijs tenet et habet, et ideo ecclesia Armena baptizat baptizatos in ecclesia Latina vel Græca, quando veniunt ad eam.

Iteratus perperam baptism.

Falso iactāt apud Latinos valere baptismum.

66 LVII. Item Armeni dicunt et tenent, quod verum chrisma sic conficitur, quod habent diuersos flores aromaticos, et alios quos inuenire possunt in die ramispalmarum, et illos decoquunt in vino, et deinde dictum vinum accipiunt et per quatuor dies ante diem cœnæ ponunt dictum vinum in oleo, et decoquunt insimul, et astant tunc multi episcopi et sacerdotes, dicentes multas orationes, dum hæc decoctio fit. Et deinde die cœnæ accipitur vnus flasco de dicto oleo, et in ipso flascone ponit catholicon balsamum, et postea catholicon celebrat missam: et quando catholicon eleuat corpus Domini, vnus episcopus qui astat ei, eleuat dictum flasconem, et catholicon dicit orationes. Et deinde de dicto flascone ponitur in diuersis vasis, quæ stant ibi iuxta altare, et sic verum chrisma conficitur solum per catholicon modo prædicto: et sine tali chrismate non potest dari verus baptismus. Vnde contigit apud

Modus conficiendi chrismatis apud Armenos.

Error, sine chrismate baptismū non posse conferri.

apud eos, quod pueri portati ad baptismum, quia sacerdos non habet de dicto chrismate, vel illi, qui puerum portauerunt, nolunt tantum dare pro chrismate quantum sacerdos vellet, frequenter moriuntur sine baptismate: de quibus pueris dicunt Armeni, quod in die iudicij baptizabuntur de sanguine, qui fluxit de latere Christi quia, vt dicunt, quando Christus moriebatur in cruce, luna descendit et accepit sanguinem Christi, qui adhuc manet in luna; & ex hoc apparet aliqua nigredo in luna, quæ prius non apparebat: in die autem iudicij effluet dictus sanguis de luna, de quo baptizabuntur dicti paruuli, vt sic possint intrare in cælos.

Fictio de Christi sanguine in luna.

LVIII. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod ad hoc, quod sit baptismus verus, ista tria requirūtur, scilicet aqua, chrisma modo prædicto factum, & Eucharistia; ita quod, si aliquis baptizaret in aqua aliquem, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*; & postea non inungeretur dicto chrismate, non esset baptismus. Si etiam non daretur ei Eucharistiæ sacramentum, baptizatus non esset. Et etiam apud eos non baptizantur pueri antequam habeant octo dies. Et species sacramenti Eucharistiæ liquefiunt in aqua vel vino, et ponūtur in ore primum baptizati, & sic accipiunt Eucharistiæ sacramentum: & tunc dicuntur vere esse baptizati. Quæ tria si non fierent, Armeni non reputarent puerum vero baptizatum. Dicunt etiam, quod pueri non baptizantur in peccatorum remissionem, quia nullum peccatum habent: ad vltimum vero baptizantur in peccatorum remissionem, non quia in aqua baptizantur, sed quia dicto chrismate inunguntur & accipiunt Eucharistiæ sacramentum.

Abusus in dāda pueris baptizatis Eucharistia.

67 LIX. Item quod Armeni diuersimode baptizant, & quantum ad materiam, & quantum ad formam baptismi. Quantum ad materiam quidem, quia aliqui, licet pauci, baptizant in vino puro, alij vero in lacte, alij vero communiter in aqua. Quantum vero ad formam, nulla forma baptismi certa est apud eos, sed quilibet episcopus vel presbyter ordinat sibi formam, in qua baptizet, & modum baptizandi tenet, quem vult. Aliqui enim ex eis, qui in aqua baptizant, non nominant, dum baptizant, tres personas diuinas dicendo: *Baptizetur iste in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; sed dum baptizatum in aqua lauant, dicunt euangelium ab illo loco: *Venit Iesus a Galilea in Iordanem ad Ioannem*; vsque ad illum locum, *& vox facta est dicens: Hic est Filius meus.* Alij vero, dum baptizatum lauant, dicunt: *Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.* Alij vero dum baptizatum lauant, dicunt antiphonam, scilicet: *Dum erant Apostoli in cœnaculo, repente venit sonitus de cælo tamquam spiritus vehementis cum magna voce, & accendit eos in igne sine ardore.* Dicunt etiam aliam antiphonam: *Repente descendit Spiritus sanctus in similitudinem gloriæ super Apostolos*; & aliam etiam, quæ talis est: *Benedictio in excelsis Spiritus sancti procedentis a Patre, per quem inebriati sunt Apostoli vino immortali, & instauerunt terram ad cælum.* Illi vero, qui baptizant in vino, dum lauant illum, qui baptizatur, dicunt: *Ego te lauo in vino, vt sis fortis & non patiaris frigus.* Illorum vero, qui baptizant in lacte, non exprimitur aliqua forma. Alij vero, dum lauant baptizandos, dicunt quod ipsi vellent committere turpia cum matre pueri, qui baptizatur. Aliqui etiam ex Armenis, quando ponunt baptizandum in aqua, dicunt: *Baptizetur talis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; & deinde, dum baptizandum lauant, dicunt iterum eadem verba: & deinde quando extrahunt de aqua, dicunt eadem verba; & deinde inungunt baptizandum cum chrismate in oculis, in auribus, in fronte, in naribus, in ore, in & sub axellis, in genu & sub genu, in pedibus, in soleis, dicendo certa verba: & postea baptizatum communicant de sacrificio altaris. Et sic vt dicunt homo vere & plene est baptizatus., & aliter non.

Baptismi forma incerta apud Armenos.

Variæ ab impostoribus inductæ.

Græcorū forma ab aliquibus vsurpata.

LX. Item quod si aliquis Armenus baptizatus in aqua vel vino aut lacte modis supradictis, etiam si, dum baptizatur in aqua, dicatur: *Baptizetur iste in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; transeat ad ecclesiam Latinam vel Græcam, & postea reuertatur ad primam ecclesiam, ita rebaptizatur ac si paganus semper fuisset: si vero de ecclesia vnius catholicon transeat ad ecclesiam alterius catholicon, ille catholicon, ad cuius ecclesiam vadit, facit eum negare fidem illius catholicon, qui eum baptizauit, & chrismauit eum modo supradicto, dicens quod chrisma alterius catholicon nihil valet nisi suum: non tamen rebaptizat eum, excepto catholicon Armeniæ minoris, qui baptizatos & chrismatos in ecclesijs catholicon maioris Armeniæ, venientes ad ecclesiam minoris Armeniæ, rebaptizat & chrismat modo supradicto.

Armenor præsulum perfidia.

68 LXI. Itē Armeni dicunt, quod virtute sacramenti baptismi baptizatus efficitur membrum ecclesiæ, & potest participare sacramentis, & efficitur Christianus; & post finale iudicium, nisi aliud obsistat, intrabit in regnum cælorum.

LXII Item Armeni dicunt & tenent, quod licet in eorum ordinario antiquo dicatur, quod per baptismum datur remissio peccatorum; ipsi tamen hoc sic exposuerunt, quod hoc veritatem non habet de pueris, qui in ætate puerili baptizantur infra ætatem duodecim annorum, quia tales reputant innocentes & sine peccato: quia ipsi Armeni pro maximo peccato habent peccatum luxuriæ, quod committere non possunt tales pueri: sed de illis qui baptizantur, postquam peccata luxuriæ commiserunt, dicunt quod tales baptizantur in remissionem peccatorum. Tenent etiam dicti Armeni, quod illi, qui non commiserunt peccatum luxuriæ, sunt virgines & innocentes, etiam si non bapizati decederent.

Originale peccatum negatum ab Armenis.

LXIII. Item apud Armenos vtriusque Armeniæ non datur sacramentum confirmationis, quia vt dicunt, illi qui eis fidem prædicauerunt a principio, tale sacramentum eis non dederunt: & quamuis Apostoli miserint Petrum & Ioannem ad illos, qui baptizati fuerant in Samaria per Philippum, vt imponerent eis manus, & acciperent Spiritum sanctum, quod ad sacramentum confirmationis pertinere videtur; dicunt tamen Armeni, quod illi, qui baptizati fuerant per Philippum, non acceperant verum baptismum, quia Philippus solum erat diaconus & non presbyter vel episcopus, qui presbyter & episcopus solum possunt dare verum baptismum: & ideo missi fuerunt dicti duo Apostoli ad eos, vt verum baptismum & Spiritum sanctum acciperent. Dicunt etiam dicti Armeni, quod eunuchus baptizatus a Philippo in tali baptismo non accepit Spiritum sanctum: sed postquam Philippus arreptus

Sacramentum confirmationis apud eos obsoletum.

Error circa ministrum baptismi.

ptus fuit ab eo, Spiritus sanctus venit super eunuchum.

Et confirmatione.

LXIV. Item catholicon minoris Armeniæ dicit, quod sacramentum confirmationis nihil valet, & si valet aliquid, ipse dedit licentiam presbyteris suis, vt idem sacramentum conferant.

Item sacrament. extremæ vnctionis.

LXV. Item Armeni dicunt & tenent, quod illa inunctio cum chrismate facta in nouem locis, de qua supradictum est, valet Christianis, dum viuunt pro omnibus inunctionibus, quæ fiunt per ecclesiam Latinam: vnde apud eos non est sacramentum confirmationis, nec extremæ vnctionis: nec quando consecrantur presbyteri vel episcopi, inunguntur eorum manus vel capita; sed quando episcopi vel presbyteri sunt mortui, portantur ante altare, & ibi eorum capita & frontes ac manus dextræ inunguntur: & tunc populus venit & osculatur manum dextram prædictorum, & faciunt oblationes suas, ac si primam missam haberet celebrare; & postea adducuntur ad ostium ecclesiæ animalia munda cooperta pannis sericis, & modo supradicto occiduntur, & postea comeduntur.

Superstitio in offerendis animalium sacrificijs.

Error circa consecrationē eucharistiæ.

LXVI. Item omnes Armeni communiter dicunt & tenent, quod per hæc verba posita in eorum canone missæ, quando dicuntur per sacerdotem: *Accepit panem, & gratias agens fregit, dedit suis sanctis electis, & recumbentibus discipulis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc est corpus meum, quod pro vobis & multis distribuitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens, benedixit & fregit, gratias egit, bibit, dedit suis electis sanctis & recumbentibus discipulis dicens: Accipite, bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum*; non conficitur, nec ipsi conficere intendunt corpus & sanguinem Christi; sed solum dicunt dicta verba recitatiue, recitando scilicet quod Dominus fecit, quando sacramentum instituit. Et post dicta verba dicit sacerdos multas orationes positas in eorum canone, & post dictas orationes venit ad locum, vbi sic in eorum canone dicitur: *Adoramus, supplicamus, & petimus a te benigne Deus, mitte in nobis & in hoc propositum donum coessentialem tibi Spiritum sanctum, per quem panem benedictum corpus veraciter efficies domini nostri & saluatoris Iesu Christi.* Et dicta verba dicit sacerdos ter. Deinde dicit sacerdos super calicem & vinum benedictum: *Sanguinem veraciter efficies domini nostri saluatoris Iesu Christi*; & per hæc verba credunt, quod conficiantur corpus Christi & sanguis. Diuersum etiam ritum habent dicti Armeni in celebrando missam, quia quidam eorum in altari ponunt duos calices, in quibus ponunt panem & vinum: & quidam ponunt solum vnum, in quo ponunt vinum: & calices apud eos sunt vel terrei vel lignei. Et quidam celebrant missam in communibus vestibus, & quidam induuntur sacris vestibus: & quidam celebrant populo præsente, & quidam excluso populo & clausis ianuis. Sacerdos celebrans solus intrat ecclesiam & exit, & penitus non ostendit populo corpus Domini: & adhuc in pluribus locis fit isto modo, quod celebrant sub ianua clausa, quousque sacerdos dicit: *Respicite*; quando scilicet eleuat sacramentum, vt populus videat, & tunc aperiuntur ianuæ ecclesiæ.

Varij abusus in celebranda missa.

69 LXVII. Item quod Armeni non dicunt, quod post dicta verba consecrationis panis & vini sit facta transubstantiatio panis & vini in verum corpus Christi & sanguinem, quod natum fuit de virgine Maria, & passum, & resurrexit; sed tenent, quod illud sacramentum sit exemplar vel similitudo aut figura veri corporis & sanguinis Domini: & hoc specialiter aliqui magistri Armenorum dixerunt, videlicet quod non erat ibi corpus Christi verum & sanguis, sed exemplar & similitudo eius. Dicunt etiam, quod quando Christus sacramentum instituit, non transubstantiauit panem & vinum in corpus suum & sanguinem; sed solummodo instituit exemplar & similitudinem corporis & sanguinis sui: propter quod ipsi sacramentum altaris non vocant corpus & sanguinem Domini, sed hostiam, vel sacrificium, vel communionem. Quidam etiam magister vocatus Narces habet in suis libris expressum, quod quando sacerdos dicit hæc verba: *Hoc est corpus meum*; tunc est ibi corpus Christi mortuum: sed quando sacerdos dicit: *Per quem*; vt propositum est, ibi est corpus Christi viuum: non tamen expressit si erat verum corpus Christi ibi, vel similitudo eius. Et quod etiam Armeni illud, quod ponitur in eorum canone missæ: *Per quem panis benedictus efficitur verum corpus Christi*; sic ly *verum corpus Christi*, exponunt, quia efficitur ibi vera similitudo & exēplar corporis & sanguinis Christi. Vnde & Damascenus propter hoc reprehendens eos dixit, quod ducenti tunc anni erant, quod Armeni perdiderunt omnia sacramenta: & quod illa sacramenta, quæ habebant, non erant eis tradita ab Apostolis vel ab ecclesia Græca vel Latina, sed ipsi, vt voluerant, sibi sacramenta confinxerant.

Hæresis negantis Christi præsentiā in Eucharistia.

Narces hæresiarcha.

LXVIII. Item Armeni dicunt & tenent, quod si presbyter vel episcopus ordinatus committat fornicationem etiam in secreto, perdit potestatem conficiendi & ministrandi omnia sacramenta, quæ pertinent ad episcopum vel presbyterum: & talia sacramenta per eos confecta nullam efficaciam vel virtutem habent. Si autem publicum sit, quod fornicati fuerunt, nullus Armenus sacramenta confecta per eos acciperet, quia credunt, quod talia sacramenta nullam virtutem vel efficaciam habent, eo quod tales fornicatores perdiderunt potestatem sacramenta conficiendi & administrandi: dicunt tamen, quod bonus laicus & fidelis Eucharistiam confectam per episcopum, vel presbyterum habentem potestatem conficiendi sacramentum Eucharistiæ, eam alijs ministrare potest.

Hæresis circa sacerdotij potestatē.

LXIX. Item dicti Armeni dicunt, quod si episcopus vel presbyter committat fornicationem, vel quamcumque aliam speciem luxuriæ secrete, vel publice, perdit potestatem conficiendi & ministrandi sacramenta, quæ ad eum pertinent: si vero efficiatur hæreticus vel apostata a fide, vt si efficiatur Saracenus vel Iudæus, vel committat quodcumque aliud crimen, vt homicidium, periurium, & sic de alijs criminibus, dictam potestatem conficiendi & ministrandi sacramenta non perdit; sed sufficit quod de talibus peccatis pœniteat, siue dicta peccata commiserit publice siue occulte.

Effutiunt Armeni fornicationem apostasia grauiorē.

LXX. Item Armeni non dicunt nec tenent, quod sacramentum Eucharistiæ digne susceptum operetur in suscipiente peccatorum remissionem, vel pœnarum debitarum peccato relaxationem, vel quod per ipsum detur gratia Dei, vel eius augmentum; sed solum dicunt, quod effectus sacramenti Eucharistiæ sunt isti, scilicet quod ille,

Negant sacramento Euchar. vim conferendæ gratiæ.

qui

qui recipit hoc sacramentum, Christus manet in eo, quia scilicet corpus Christi intrat in eius corpus, & in ipsum conuertitur, sicut et alia alimenta conuertuntur in alimentato. Et quia Eucharistia manet in suscipiente, dicunt quod presbyter, qui accipit corpus Christi, non debet phlebotomari postea per triduum; et quia quidam presbyter contrarium fecit, exiuit de phlebotomia sanguis et ignis. Dicunt etiam Armeni, quod effectus Eucharistiæ sunt, vt custodiatur accipiens a fulgure et grandine, et ab alijs aeris nociuis impressionibus, et ab infirmitatibus corporis, et talibus malis corporalibus suis, vel chsrorum suorum. Et idem dicunt quoad istas pœnalitates corporales de sacramento pœnitentiæ, quod scilicet homines per dictum sacramentum a talibus pœnalitatibus custodiuntur.

Manesguerdense conciliabulum.

LXXI. Item quod sexcenti duodecim anni sunt, quod concilium supradictum fuit celebratum per Armenos in ciuitate Manesguerdensi, & ibi patriarcha Surianorum catholicon, episcopi, an magistri Armenorum determinauerunt, quod in sacrificio altaris non deberet misceri aqua in vino: & nihilominus determinauerunt ibi, quod illi, qui miscent aquam in vino in sacramento altaris, non habent verum baptismum, quia illa aqua, quæ fluxit de latere Christi in cruce, non potest seruire nisi sacramento baptismi & ideo qui aquam ponunt in vino, perdiderunt sacramentum baptismi. Determinauerunt etiam in dicto concilio, quod si aqua in sacrificio altaris poneretur, quod illud sacramentum nullum esset, quia Dominus post confectionem sacramenti Eucharistiæ dixit: *Non bibam de hoc genimine vitis*; & ita solum genimen vitis debet poni in sacrificio, & non aqua. In quo etiam concilio anathematizauerunt illos, qui ponebant vel ponerent aquam in dicto sacrificio: & in tantum hoc detestantur, quod si in aliqua Armenorum ecclesia celebretur missa, in qua misceatur aqua in vino, aliqua pars tecti ecclesiæ discooperitur, vt radius solis in ea intrare possit, per cuius introitum consecratio dictę ecclesiæ tollitur: & postea antequam aliquis Armenus in dicta ecclesia missam celebret, oportet quod dicta ecclesia reconcilietur.

In eo sancitum impie, ne aqua in sacrificio misceatur vino.

LXXII. Item Armeni antiqui dixerunt & tenuerunt, quod nullus non ordinatus in presbyterum, quantumcumque esset bonæ vitæ, poterat conficere sacramentum eucharistiæ: & quod illi, qui erant in presbyteros ordinati, si malę vitæ essent, non poterant dictum sacramentum conficere; sed boni presbyteri hoc facere poterant & non alij. Armeni vero moderni dicunt, quod boni & mali presbyteri, dummodo non dimiserint legem Armenorum, nec effecti fuerint de lege ecclesiæ Latinæ vel Græcæ, nec commiserint peccata, de quibus supra dictum est, possunt conficere dictum sacramentum: Sed illi presbyteri, qui dimiserunt legem Armenorum, vel facti sunt de lege ecclesiæ Græcæ vel Latinæ, quia eam dimittendo effecti sunt hæretici, non possunt conficere dictum sacramentum.

Ob id Latinos & Græcos execrantur.

LXXIII. Item Armeni habent in quodam canone, quod si aliquis fuisset baptizatus in quibuscumque ecclesijs, quę tenerant, quod in Christo sunt duæ naturæ & vna persona, & vellet a presbyteris Armenorum accipere Eucharistiæ sacramentum, idem sacramentum non daretur ei per dictos presbyteros, nisi prius abnegaret baptismum, quod prius acceperat, & malediceret illos, qui dicunt duas naturas esse in Christo, & qui miscent aquam in vino in sacrificio; quibus factis, rebaptizant eum modo Armenorum, & tunc dant ei Eucharistiæ sacramentum per eos modo Armenorum confectum: & quod presbyteri Armenorum, dum celebrant missam clausis ianuis ecclesiæ, secundum quod supra dictum est, maledicunt illos, qui dicunt, duas naturas esse in Christo, & qui miscent aquam in sacrificio, & qui aliquam reuerentiam faciunt imaginibus Dei vel sanctorũ.

Eorundẽ perfidia.

LXXIV. Item quod apud Armenos maioris Armeniæ non sit imago Crucifixi, nec aliæ imagines tenentur sanctorum.

Sublatæ sacræ imagines.

LXXV. Item quod quidã magister Armenorũ, cum venisset ad quendam locum, vbi fiebat solemnitas, & sacerdos eleuasset Eucharistiæ sacramentum, vt videretur a populo, dictus magister maledixit eidem sacerdoti dicens, quod mysterium fidei in secreto debebat tenari & non populo ostendi; & quod, ostendendo dictum sacramentum, sacerdos videatur dicere populo: Non timeatis, quia vnum frustum panis est hoc sacramentum.

Negant propalandum fidei mysteriũ.

LXXVI. Item quod fuerunt Bononiæ tres Armeni, qui prius fuerant baptizati in forma Armenorum, & postea fuerunt baptizati in forma ecclesiæ Latinæ [nempe sub conditione, si baptismo non essent rite abluti, vt ex literis pontificijs constat] qui homines cum postea venissent apud Florentiam, dum Armeni interrogauerunt eos, an fuissent balneati, vocantes balneationem baptismum receptum in ecclesia Latina. Qui cum respondissent eis, quod sic, dixerunt eis, quod abnegarent dictam balneationem. Quod cum facere nollent, tantum verberauerunt eos, quod vnus ex eis post paucos dies decessit: alios vero duos tamdiu in carcere detinuerunt, quousque dictam balneationem abnegarent, dicendo quod dictam balneationem reputabant, ac si vnus canis minxisset super eos: & fuerunt per eos, vt creditur, rebaptizati secundum modum Armenorum: alioquin talibus non darent Eucharistiæ sacramentum etiam in fine, quantumcumque peterent.

Latinorũ baptismũ damnant.

LXXVII. Item cum quidam clerici & laici Armeni fuissent baptizati in forma ecclesiæ Latinæ, catholicon minoris Armeniæ eos fecit capi & dehonestari, radendo totaliter eorum capita & medietatem barbæ, & scindendo vestes eorum, & postea in carcerem poni, & cogebat eos sacramentum baptismi, quod acceperant in forma ecclesiæ Romanæ, abnegare: & quia facere noluerunt, diu fecit eos in carcere detineri.

Afficiunt contumelijs baptizatos.

LXXVIII Item quod cum duo archiepiscopi, dubitãtes an essent vere ordinati & baptizati per Armenos, venissent ad catholicon, qui nũc est minoris Armeniæ, dictus catholicõ vocauit prædictos archiepiscopos, & inhibuit eis hoc primo, quod non celebrarent missam Latinam, sed Armenorum antiquam missam. Secundo præcepit eis, quod non seruarent ieiunia ecclesiæ Romanæ, sed antiqua ieiunia Armenorum. Tertio præcepit, quod non baptizarent aliquem, qui dubitaret de suo baptismo, & veniret ad eos, ad petendum verum baptismum; sed vt dicerent eis, quod baptismus Armenorum est melior, quam baptismus ecclesiæ Romanæ. Quarto inhibuit eis, ne facerent populum suum Armenum Latinum, quia dicebat ille dictus catholicon, quod melius erat quod populus suus sicut Armenus vadat ad infernum, quam si fierent Latini, & irent omnes ad paradisum. Quarto præcepit eis, quod non docerent pueros Armenos nec linguam, nec literam

Blasphemæ catholicon voces.

Latinam, quia quando addiscarent literam Latinam, amitterent linguam Armenorum. Et ad testimonium & confirmationem horum dictorum est hoc, quod in eodem anno supradictus catholicon consecrauit sex episcopos Armenos, & accepit ab eis literam publicam, quod ipsi non darent pueros de partibus suis ad addiscendum literam Latinam, nec dimitterent aliquem prædicatorem Latinum, qui prædicaret veritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ in diœcesi & prouincia sua. Item quemlibet episcopum, quem ipse consecrat, facit anathematizare illos Armenos, qui volunt fieri veri catholici & obedientes ecclesiæ Romanæ. Sexto inhibuit eis, quod non prædicarent Papam Romanum caput esse ecclesiæ in orientalibus partibus; sed ipse se dicit & facit papam in partibus orientalibus a fine maris vsque ad magnum Imperatorem Tartarorum. Et multa alia inconuenientia verba & errorem sapientia locutus fuit, & hæc omnia inhibuit eis dictus catholicon; & quia noluerunt ei obedire in prædictis, grauem persecutionem contra eos fecit; propter quod vnus ex eis post annum cum dimidio iuit ad insulam Cypri, & ibi audiuit, quod dictus catholicon, consentiente Rege Armeniæ, illos quos ipsi & aliqui alij Latini baptizauerāt vel ordinauerant sub conditione in forma ecclesiæ Rom. capi fecit, & aliquos sacerdotes ex eis degradauit, & in duro carcere Regis posuit: alios vero incarcerauit, & adhuc sunt carcerati, & eorum bona & possessiones fuerunt confiscatæ & alijs venditæ.

Primatū in oriente sibi arrogat.

Communicantib' cū Latin. pœnam irrogat.

LXXIX. Item quod presbyteri & episcopi Armenorum imponunt pœnitentiam illis Armenis, qui veniunt, vt baptizentur in ecclesia Græca vel Latina, per aliquos annos, vt scilicet ieiunent modo Armenorum. Modus autem talis est, quod in dicto tempore non debent comedere carnes, pisces, lac, caseum, vel oua: possunt tamen quoties volunt in die comedere. Illis vero Armenis, qui accipiunt Eucharistiæ sacramentum in ecclesia Græca vel Latina, imponunt pœnitentiam quinque annorum, vt scilicet ieiunent per dictum tempus modo supradicto.

Superstitio circa dies celebrandæ missæ.

Animaliū sacrificia apud Arm.

LXXX. Item quod apud Armenos in quadragesima, quam incipiunt dominica in quinquagesima, non celebratur missa in ecclesijs, nisi in die sabbati & dominica; nec dicitur alijs septimanis anni, in quibus Armeni ieiunant. Magis autem celebrant missas in die sabbati quam in alijs diebus dictis temporibus, quia communiter omnia festa, quæ veniunt in septimana, celebrant in die sabbati, exceptis festis assumptionis B. Mariæ & exaltationis sanctæ Crucis, quæ festa celebrant in die dominica. Alio vero tempore anni communiter in ecclesijs non celebrant nisi dictis duobus in septimana, & tunc etiam ducunt animalia ad ostium ecclesiæ, & occidunt modis supradictis.

Quibus diebus cō municēt.

LXXXI. Item quod apud Armenos populus non communicat nisi in vigilia epiphaniæ & in die; ita quod illi, qui ieiunauerunt per septimanam ante dictam vigiliam, in dicta vigilia vel nocte sequenti communicant, & ibi anathematizant omnes illos, qui faciunt festum natiuitatis Domini xxv. die decembris. In sequenti vero die faciunt festum epiphaniæ, & tunc illi de populo, qui volunt, communicant etiam illi, qui non ieiunauerunt dictam septimanam: communicant etiam aliqui in die cœnæ & in sabbato sancto.

Confessio generalis tantum ab ijs vsurpata.

LXXXII. Item quod quando aliqui communicare debent per sacerdotem, fit confessio generalis, dicendo genera peccatorum non descendendo ad aliquod peccatum singulare: & postea populus reiterat dictam confessionem: in secreto tamen raro, vel nunquam aliquis Armenus confitetur sacerdoti sua peccata; & si confitetur, non dicit, quod hoc vel illud singulare peccatum commiserit, sed dicit, quod diabolus dictum peccatum fecit, vel quod ad suggestionem alterius hominis dictum peccatum fecit. Dimittunt autem peccata sua confiteri secrete & singulariter, quia sacerdotes eorum peccata renelarent, & multum graues pœnitentias eis imponerent: propter quod communiter Armeni non confitentur nisi in genere peccata sua. Facta autem dicta generali confessione per populum, sacerdos dicit vel: *Ego dimitto vobis peccata vestra*; vel: *Deus dimittat vobis*; & aliqui dicunt: *Ego dimitto vobis peccata vestra in terra, & Deus dimittat vobis in cælo.* Dicti autem sacerdotes dicūt, quod nisi dictas pœnitentias compleuerint, non debent communicare in vita præsenti, nec ingredientur in regnum Dei; & erunt exclusi a gratia & benedictione Dei. Et apud Armenos nullam certam formam habent presbyteri, & sacerdotes absoluendi subiectos eorum a peccatis suis. Item quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod dicta generalis confessio sufficit ad remissionem peccatorum & absolutionem; nec oportet, quod secrete & in singulari aliquis confiteatur peccata sua sacerdoti: dicta etiam absolutio generalis valet ad peccatorum absolutionem, etiam si contritio non præcesserit.

Raro confitentur secrete & sigillatim.

Formula absolutionis apud eos incerta.

Tardius petitur ab ijs viaticū

LXXXIII. Item Armeni infirmi grauiter, quando dicitur eis, quod morti appropinquant, ipsi vel eorum amici petunt communionem, & eam faciunt portari: & quandoque contingit, quod quando multum debiles sunt, sacerdotes ponunt in ore eorum communionem: & quando sunt multum proximi morti, faciunt sacerdotes de communione signum crucis super os eorum, & sic reportant communionem.

De potestate soluendi & ligādi male sentiūt.

LXXXIV. Item Armeni dicunt & tenent, quod catholicon, episcopi, & presbyter Armenorum eandem & æqualem potestatem habent ligandi vel soluendi, quantam & qualem habuit Petrus Apostolus, cui a Domino dictum est: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*; nec quoad hoc minorem potestatem habent presbyteri Armenorum, quam eorum catholicon & episcopi.

Pontificis auctoritatem petitā a conc. Nicæ garriunt.

LXXXV. Item Armeni dicunt & tenent, quod vsque ad concilium Nicænum Romanus Pontifex non habuit potestatem maiorem, quam alij patriarchæ: sed tunc de voluntate dicti concilij fuit ordinatum, quod dictus Romanus Pontifex haberet potestatem super alios patriarchas. Quam potestatem habuerunt Romani Pontifices vsque ad concilium Chalcedonense: sed quia in dicto concilio, ad instantiam B. Leonis Papæ congregato, fuit determinatum, quod in Christo erant duæ naturæ & vna persona, Romani Pontifices perdiderunt dictam potestatem, & omnes illi, qui dicto concilio consenserunt: & ex tunc illa plena potestas ligandi vel soluendi, quam Christus ecclesiæ in persona B. Petri * apud solos Armenos remansit: & hoc etiam Armeni determinauerunt in supradicto concilio Mancsguerdensi, quod congregatum fuit ibi de mandato cuiusdam Saraceni nepotis Machometi.

Et valuisse tantum vsque ad Chalcedonense.

**contulerat.*

Id definitum in cōcilio a nepote Mahom. congregato.

Item

Impiæ aduersus Petri primatum voces.

LXXXVI. Item Armeni dicunt & tenent, quod post concilium Chalcedonense Romanus Pontifex non habet plus de potestate super subiectos suos, quam ille, qui præest Nestorianis super Nestorianos, vel ille qui præest Græcis super Græcos. Dicunt etiam vlterius, quod Papa scit quod potest, & Armeni sciunt quod possunt.

LXXXVII. Item quod Rex Armenorum interrogauit catholicon minoris Armeniæ, an si Papa excommunicaret eum, reputaret se excommunicatum: qui respondit quod non, quia Papa nihil habet facere de eo, nec ipse accepit aliquid a Papa. Rex tamen dixit ei, quod si Papa mandaret ei, quod dictum catholicon deponeret, ipse deponeret eum.

Rex Arm. de primatu bene sensit.

LXXXVIII. Item catholicon Armenorum hoc modo eliguntur, instituuntur, & confirmantur, & potestatem pertinentem ad catholicon accipiunt, & deponuntur & aliter puniuntur: quia catholicon Columbarum & catholicon Dehachamar viuentes eligunt aliquem de gente ipsorum, quem volunt, & postea consecrant eum in catholicon; non tamen vtitur hac potestate, quo vsque mortuus fuit ille catholicon, qui eum elegit. Postquam autem mortuus est dictus catholicon primus, sequens catholicon vadit ad Imperatorem Tartarorum, qui est paganus, & ab ipso confirmatur in catholicon: & vt confirmetur per eum, exigitur ab eo pecunia, quantum soluere potest. Qui modus eligendi & confirmandi catholicon introductus fuit in ecclesia maioris Armeniæ per Saporem Regem Persarum paganum, qui colebat ignem, & durat vsque nunc. Qua confirmatione facta per dictum Regem, idem Rex dat literas suas, quod episcopi & subiecti ei obediant, quia est confirmatus per eum; & quod dent ei certas quantitates pecuniæ, & postea annuatim alias: & omnes presbyteri dant ei ad minus valorem vnius floreni annuatim, & de quolibet facto Christianorum & subiectorum habet annuatim valorem ad minus sex grossorum argenti: & dictus catholicon dicto Regi quolibet anno habet dare certam summam pecuniæ; quam si non daret vel aliud crimen committeret, dictus Rex deponit eum, & secundum quantitatem criminis commissi per eum, punit eum etiam ad mortem. Catholicon verò Armeniæ minoris sic fit: quia mortuo catholicon, Rex Armeniæ conuocat episcopos, quos vult, & illi eligunt tres episcopos minoris Armeniæ in catholicon, & præsentant eos Regi; qui Rex coram quolibet electorum prædictorum flectit genua: & deinde ille de dictis electis, qui plus de pecunia dederit Regi, per Regem constituitur catholicon, & confirmatur per hoc, quod Rex imponit annulum in digito manus eius. Et iste catholicon, qui nunc est, dedit pro confirmatione sua dicto Regi quinquaginta millia grossorum vel valorem ipsorum, & quolibet anno dat ei viginti millia grossorum vel valorem. Dictus autem Rex potest deponere dictum catholicon & aliter punire, quando vult: & apud Armenos catholicon, episcopi, & presbyteri nullum ordinem alicui dant nisi interueniente pecunia, nec chrisma, nec aliquod aliud sacramentum; sed omnia talia sunt venalia apud eos.

Ritus in eligendo catholico Armenorum.

Inductus mos a Sapore idolatra. Cõfirmatio ab Rege petitur.

Vectigal eidem pẽditur.

Ab eod. Rege exauctoratur.

Sacramenta vænalia apud Armenos.

LXXXIX. Item Imperator maioris Armeniæ, quando confirmat dictos catholicon, dicit eis: *Eatis & faciatis officium secundum fidem vestram: & mandamus, quod possitis benedicere & maledicere, & ligare & soluere secundum fidem vestram, prout vobis videbitur: & volumus quod Christiani qui sunt sub vobis, obediant vobis: & si obedire nollent, volumus quod illi, qui præsunt terræ, eos rogent vel puniant*: & de hoc dat ei priuilegium. Et eodem modo fit per Regem Armeniæ minoris de catholicon minoris Armeniæ, & Rex minoris Armeniæ eligit episcopos & presbyteros, accepta pecunia ab eis: & postea illos electos in episcopos mittit ad catholicon, vt consecrentur per eum, & presbyteros ad episcopos, vt ordinẽtur per eos: qui etiã episcopi & presbyteri ordinantur per catholicõ & per episcopos pro pecunia. Eo autem ipso, quod sunt consecrati vel ordinati a Deo immediate post consecrationem accipiunt potestatẽ ligandi & soluendi consimilem illi, quam Christus dedit B. Petro Apostolo: & tantam habent potestatem presbyteri, sicut episcopi & catholicon.

Sacramentũ ordinis ad regiũ imperium confertur.

XC. Item Armeni dicunt et tenent, quod potestas illa, quam Christus dedit B. Petro, dicendo ei: *Quodcumque ligaueris super terram, &c.* Sunt solum data personæ Petri et pro ipso solo; ita quod hæc potestas non transiuit ad aliquem eius successorem.

Error circa primatum Pont.

XCI. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod generalis potestas super totam ecclesiam Christi non fuit data B. Petro, nec successoribus eius a Christo: sed potestas fuit eis data per concilium Nicænum; quam tamen potestatem postea successores Petri perdiderunt.

XCII. Item quod apud Armenos non sunt nisi tres ordines, scilicet acolythatus, diaconatus, et presbyteratus: quos ordines conferunt episcopi pro missa vel accepta pecunia. Et eodem modo dicti ordines presbyteratus et diaconatus confirmantur, scilicet per manus impositionem, dicendo quædam verba hoc solummodo mutato, quod in ordinatione diaconi exprimitur ordo diaconatus, et in ordinatione presbyteri ordo presbyteratus. Nullus autem episcopus apud eos potest ordinare alium episcopum nisi solus catholicon: qui catholicon tenet penes se pontificale, vbi continetur modus consecrandi episcopum. Dictus autem catholicon nullum in episcopum consecrat nisi data vel promissa pecunia, secundum facultates consecrandi in episcopum, vel valorem episcopatus. Et in maiori Armenia consecrantes episcopos, presbyteros, diaconos, vel acolythos in communibus vestibus stant, dum prædicta faciunt, et etiam ordinandi.

Tres ordines tantum habent.

Episcopalis ordo a solo catholicon confertur.

Et in profana veste.

XCIII. Item quod quando aliquis est ordinatus in diaconum, episcopus, dat ei licentiam, quod contrahat matrimonium cum virgine: quo matrimonio contracto, ministrat in dicto ordine, & potest etiam stante matrimonio promoueri in sacerdotem: sed si existens diaconus accipiat secundam vxorem, postea non promouetur ad sacerdotium.

Coniugati apud eos promouentur ad sacerdotium.

XCIV. Item in Armenia maiori, quando aliquis ordinatur in diaconum, non datur ei liber euangeliorum, nec stola sub certa forma verborum: nec, quando aliquis ordinatur in presbyterum, datur ei calix cum vino & patena cum pane sub certa forma verborum, quibus vtitur Romana ecclesia, nec inunguntur ei manus: nec quando aliquis ordinatur in episcopum, ponitur liber euangeliorum in ceruice & in spatulis eius; nec caput nec manus ei inunguntur chrismate, vt fit in ecclesia Romana. Catholicon etiam maioris Armeniæ soli consecrant episcopos, non assistentibus eis alijs episcopis.

Defectus in ritibus conferendi ordines.

XCV. Item quod catholicon minoris Arme-

niæ dedit potestatem cuidam presbytero, vt posset ordinare in diaconos quos vellet de subiectis; cum tamen apud Armenos maioris Armeniæ nullus possit ordinare aliquem diaconum vel presbyterum nisi solus episcopus.

Datum presbytero, vt ordinet diaconos.

XCVI. Item catholicon minoris Armeniæ, quando vult consecrare episcopos, induit se vestibus sacris; ipse tamen solus dictam consecrationem facit: & si aliqui episcopi sint ibi præsentes propter honorem eius, non tamen cum eo consecrant episcopum, sed solum assistunt in missa, quam celebrat catholicon, sicut Cardinales quando Papa celebrat; nec tenent librum pontificalem, nec orationes dicunt, quæ dicuntur per episcopos assistentes in consecratione episcoporum.

Catholicō creat vel deponit episcopos pro pecunia.

XCVII. Item quod catholicon Armenorum conuenit cum episcopis sibi subiectis, qui non per successionem veniunt, de certa quantitate pecuniæ annuatim ei danda; quam si non soluunt, deponit eos, & consecrat alium episcopum in loco eius, & cum suis literis scribit populo, quod ipse primum episcopum deposuit & alium constituit: ex quo contingit, quod frequenter propter talem causam in vno episcopatu sunt tres vel quatuor episcopi viuentes simul. Episcopos etiam depositos per eum iterum restituit suis episcopatibus, si bene soluant ei pecuniam, de qua cum ipsis conuenerunt. Illos vero episcopos, qui veniunt per successionem, quando non soluant ei pecuniam, de qua cum eo conuenit dictus catholicon, eos excommunicat, nec dat eis chrisma, quousque soluerint ei dictam pecuniam.

Error circa modū conferendi ordinis episc.

XCVIII. Item catholicon minoris Armeniæ tenet apud se vlnam brachij & manum adhuc integram B. Gregorij, qui fuit catholicon, & fuit ordinatus episcopus more ecclesiæ Græcæ: quam vlnam & manum dictus catholicon ponit super caput & manus illorum, quos ordinat in episcopos; & dicit, quod si dicta manus impositio & brachij non fieret super caput & manus illorum, qui per eum ordinantur in episcopos, non essent ordinati in episcopos, quia impositio dicti brachij & manus faciunt consecrationes episcoporum: & propter hoc ipse nullos episcopos vt episcopos recipit, qui ordinati fuerunt per alios catholicon Armeniæ maioris, quia nullus alius catholicon nisi ipse dictum brachium & manum Gregorij habet.

Armeni episc. ad Latinos venientes suspecti.

XCIX. Item quod episcopi Armeni venientes ad Italiam dicunt, se fuisse expulsos episcopatibus suis per Saracenos; cum tamen hoc verum non sit: & dicunt, se esse archiepiscopos, cum tamen in Armenia nullus sit archiepiscopus, ad hoc vt possint pro pecunia vendere religiosis mendicantibus episcopatus: & multi ex eis magnas pecunias sic exegerunt, & multos episcopos taliter fecerunt, & in curia Romana etiam ordinauerunt multos in presbyteros & diaconos sine licentia diœcesanorum, in quorum diœcesibus habitabant, & pro pecunia. Et persecuti sunt & persequuntur illos Armenos, qui secundum ritum Romanæ ecclesiæ baptizantur, & illos qui fidem Romanæ ecclesiæ tenent: & dicunt quod Romana ecclesia errat, sed ipsi Armeni bonam, & rectam fidem tenent.

Sine consensu partium celebrant matrimonia.

C. Item quod apud Armenos nulla est certa forma verborum, exprimēs consensum matrimonialem inter virum & vxorem: immo multi per parentes & amicos coguntur venire ad ecclesiam, vt matrimonium fiat inter eos: & quamuis vnus vel ambo dicant, quod noluat inter se matrimonialiter copulari, tamen matrimonium fit inter eos in facie ecclesiæ.

CI. Item quod inter Armenos gradus consanguinitatis & affinitatis, quod apud eos pro eodem habetur, obseruantur vsque ad septimum gradum: si tamen aliqui, existentes in tertio gradu & infra, inter se matrimonium contrahunt, permittantur stare in tali matrimonio, & non inquietantur super hoc per episcopos.

CII. Item quod apud Armenos, si post matrimonium contractum, etiam carnali copula subsecuta & prole suscepta, viro non placeat vxor, vel e conuerso, ille cui non placet alter coniunx, vel ambo si sibi mutuo non placent, vadit vel vadunt ad episcopum vel sacerdotem, & data pecunia, & secundum quod inter se conueniant, episcopus seu sacerdos separat dictum matrimonium, & dat licentiam alteri nubendi, etiam tum altero coniuge inuito: & hoc fit multoties apud Armenos.

Ea perperam dissoluunt.

CIII. Item quod apud Armenos multi sunt, qui habent multas vxores simul, quia viri habentes vxores in vno loco, cum propter mercantias vel alias transferantur ad alia loca, accipiunt alias vxores in dictis locis, in quibus se transtulerunt. In locis etiam proprijs manentes multi sunt, qui duas vxores viuentes simul habent, quarum vnam accipiunt post aliam, etiam in facie ecclesiæ talia matrimonia facientes. Spurij etiam apud eos ita succedunt in hereditate, ac si legitimi essent; & promouentur sine alia dispensatione ad omnes ordines, & ad episcopatum, & etiam ad statum catholicon, sicut de facto est de nepote Zachariæ, qui erat filius concubinæ fratris dicti Zachariæ, qui promotus est in episcopum post patruum suum.

Plures simul coniuges aliqui tenēt.

CIV. Item quod, quia Armeni dicunt, quod in ipsa vnione natura humana in Christo conuersa fuit in deitatem, dicti Armeni dicunt & credunt, quod Christus in iudicio in forma diuina apparebit & iudicabit, & non in forma humana.

Affirmant naturam hum. in deitatem conuersā.

CV. Item Armeni dicunt & tenent, quod post generale iudicium iusti & impij in æternum viuent, quia ex tunc non morientur: dicunt tamen, quod ex iustis hominibus aliqui ibunt in paradisum cælestem post iudicium, & alij in paradisum terrestrem, & alij in terram istam, vt supra dictum est: in quibus locis nullam pœnam sustinebunt. Dicunt tamen, quod vita æterna etiam in illis, qui ibunt ad paradisum cælestem, non consistit in Dei visione faciali & fruitione, quia Dei essentia a nulla creatura vnquam videbitur, sed solummodo claritas eius.

Errant circa beatitudinem iustorum.

CVI. Item quidam catholicon Armenorum dixit & scripsit, quod in generali resurrectione omnes homines consurgent cum corporibus suis: sed tamen in corporibus eorum non erit sexuum discretio, quia si talis discretio sexuū esset inter eos, tunc viri ducerent vxores & mulieres nuberent, cuius contrarium Dominus dicit: sed resurgent viri & mulieres cum corporibus suis in alia forma, in qua non erit sexuum discretio.

Resurrecturis corporibus sexum negant.

CVII. Item Armeni tenent, quod si aliquis sit in periculo moriendi, & non habeat tempus recipiendi communionem, quod faciunt crucem cum manu in terra, & de quolibet brachio dictæ crucis accipiunt modicum de terra & comedunt: & hæc comestio terræ habetur per eos pro communione.

Comestio terræ superstitiosa pro Eucharistia.

Item

Immortalitas animæ ab aliquibus negata.

CVIII. Item quod aliqui magni homines Armeni laici dixerunt, quod sicut bestiæ in morte expirant & sic moriuntur, ita & homines: & sicut bestiæ, cum semel mortuæ fuerunt, nunquam resurgent; ita nec homines, postquam mortui fuerint, nunquam resurgent.

Hæresum impunitas apud eos.

CIX. Item quod apud Armenos nullus punitur de quocumque errore, quem teneat.

Libri apud eos pestiferi.

CX. Item quod apud Armenos sunt mulsi alij errores a prædictis, qui errores continentur in infrascriptis libris Armenorum, quorum primus intitulatur, *Tenophacer*, id est contra festiuitates, quas celebrant ecclesiæ Romana & Græca. Secundus liber vocatur, *Anadoarmat*, id est, radix fidei. Tertius liber vocatur, *Ioannis Mandorgonensis*. Quartus liber vocatur, *Ioannis Ossinensis*. Quintus liber vocatur, *Myascosutum*, id est, vnius locutionis. Sextus liber vocatur, *Michaelis patriarcha Antiocheni*. Septimus liber vocatur, *Pauli Taronensis*. Octauus liber intitulatur, *Octauensi*. Nonus liber vocatur, *Matthaus*. Decimus liber vocatur, *Liber canonum Apostolorum*; in quo continentur omnes errores Armenorum. Vndecimus liber dicitur, *Sergniz*. Duodecimus liber dicitur, *Marocha*, a nomine magistri, qui sic vocabatur: in quo libro exponuntur euangelia. Tertiusdecimus liber dicitur, *Nanam*, in quo exponitur euangelium Ioannis. Quartusdecimus dicitur, *Ignadius*, in quo exponitur euangelium Lucæ. Quintusdecimus vocatur *Ganazan*, id est, liber virgarum. Sextusdecimus vocatur, *Neguig pataracum*, in quo exponitur missa. Decimus septimus vocatur, *Textorquire*, id est, liber epistolarum. Decimusoctauus dicitur, *Aismanore*, id est, martyrologium. Et quod sunt plures alij libri Armenorum, in quibus multi continentur errores.

CXI. Item Armeni dicunt, quod Christus non deposuit superflua naturæ, & vt dicunt causa est, quia corruptio talium superfluitatum est peccatorum generatio: et quia Christus peccata non fecit, ideo non est dominata sibi talis corruptio.

Circumcisionem negant in Christo.

CXII. Item dicunt, quod licet Christus fuerit circumcisus secundum legem; non tamen fuit ei amputatum præputium, quia non licebat a deificato corpore aliquid amputari: & maxime quia sic fuerat ordinatum, quod primogeniti circumciderentur findendo pellem præputij, & nihil amouendo, & Christus fuit primogenitus.

Blasphema diuini verbi interpretatio.

CXIII. Item dicunt, quod Deus propter amorem hominis victus fuit, quia in suis comminationibus non fuit inuentus verax, sed semipartialis: quia dixerat homini, quod moreretur si manducaret fructum vetitum; & tamen non fuit totaliter mortuus post comestionem fructus, quia anima eius nunquam fuit mortua. Iterum etiam nec in corpore fuit mortuus vsque ad nongentesimum trigesimum annum. Item quia animalia omnia non rebellauerunt sibi, sed necessaria in eius seruitio remanserunt.

CXIV. Item dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, & ita fuit ad literam, quia secundum eos nullus eum occidit: sed ipse de præcipitio se submisis. Ex quo innuunt, scripturam genesis quoad hæc esse falsam, quæ videtur dicere quod Lamech interfecit Cain.

CXV. Item quod cum duo episcopi graues persecutiones paterentur a catholicon minoris Armeniæ, de quorum persecutione facta est mentio supra, scripserunt supplicationem, quam miserunt Regi, supplicando ei, vt faceret cessare dictum catholicon a persecutione supradicta: idem autem Rex respondit eis, quod ipsi erant in posse eius, & non poterant exire de partibus eius nec per mare nec per terram, nisi irent ad dictum catholicon, & ei reuerentiam exhiberent, & reconciliarentur eidem, & subditi ei in omnibus essent, & de hoc darent publicam literam, quam peteret dictus catholicon ab eis: dicens quod ipse Rex constitutus est per Armenos, & non per Latinos, & quamdiu viueret debebat pro fide ecclesiæ Armenorum laborare, & catholicon Armenorum honorare, quia caput eius erat. Litera autem, quam petebat ab eis dictus catholicon, hæc continere habebat, quod sanctam ecclesiam Armenorum deberent honorare, & fidem eius prædicare, & ei vt catholicon Armenorum obedire, et ipsum recognoscere solum caput eorum esse loco Dei: & quod nullum baptizarent, & chrisma Armenorum honorarent, quia illud solum est verum chrisma: & quod omnia, quæ ipse doceret, de sancta ecclesia Armenorum & de regulis, tanquam mandata Dei honorarent.

Rex Ethom ad Rom. eccl. Armenor. tradu xit.

CXVI. Item quod cum Rex Armenorum vocatus Ethom, vt Armeni vniretur ecclesiæ Romanæ, congregasset omnes episcopos Armeniæ & magistros, & catholicon, vt disputarent cum legato misso eis per Romanam ecclesiam; & facta dicta disputatione cognouisset dictus Rex, quod veritatem tenebat sancta Romana ecclesia, & quod Armeni errantes erant a veritate; ex tunc Reges Armeniæ Minoris tenuerunt fidem sanctæ Romanæ ecclesiæ: sed episcopi, magistri, & principes Armenorum non fuerunt de hoc contenti. Et post recessum dicti legati quidam magister, vocatus Vartan, de Nigromonte composuit vnum librum vocatum, *de Risma*, id est versus pedem, contra Papam & suum legatum, & contra ecclesiam Romanam: in quo vocauit Papam Romanum superbum Pharaonem cum suis subditis in mare hæresis submersos, & legatum eius ambaxatorem Pharaonis fuisse reuersum cum maxima verecundia: & dixit, quod ecclesia Romana erat multum decepta, quia natiuitatem & aquam a maledicto Arthomono recepit, & multas alias blasphemias scripsit in dicto libro, qui magnus est. Et multi ministri Armenorum, & episcopi ac presbyteri dictum librum honorant tamquam canones Apostolorum.

Vartan hæresiarcha.

CXVII. Item quod Armeni non habent omnino veram fidem, quam tenet sancta Romana ecclesia, nec sacramenta; blasphemantque sanctam Romanam ecclesiam & Papam & Cardinales, dicentes eos esse hæreticos: & quod catholicon minoris Armeniæ dixit, quod Papa & omnes Cardinales qualibet die plures, quam ipse haberet capillos in capite, faciunt homines occidere: Et licet prædicent, quod simonia non est committenda, ipsi tamen sine labe simoniæ nullas gratias faciunt; & * purissimi singuli omnes in minori Armenia, præter Regem & aliquos nobiles, qui tenent fidem Romanæ ecclesiæ].

* purissimos nugas

118 Cum superiorum errorum catalogus peruenisset in Regis Leonis manus, tulit ille grauiter regnum suum ea fœditate inquinatum, & Armenos vt hæreticos apud sedem Apostolicam traduci: quare illius iussu Daniel monachus ad excusandos Armenos commentarium edidit, quem transmisit ad Benedictum, in quo eos errores ab inuidis impositos conquestus est, repertusque is liber est in archiuo Auinionensi legato Octa-

Editus ad excusandos ab obiectis Armenos commentarius.

ulo Aquauiua Cardinale & Romam traoslatus. Cæterum non falso subornata erant hæc crimina in Armenos, nec temere credita a Benedicto: fassos enim Clementi VI. Armeniæ Regis oratores plures errores in Armenia pullulasse, & Clementem studia sua, vt abolerētur, applicuisse visuri sumus. Quin etiam commoti pontificijs monitis Armeni præsules, coacta solemni synodo, numeratos superius errores ecclesiastica exceratione damnarunt; ac decreta insigni ad sedem Apostolicam legatione imperijs se pōtificijs adhæsuros professi sunt, vt e subiectis Clementis literis a patet: *Dudum venerabiles fratres nostri Consolator dictus catholicon Armenorum, nec non archiepiscopi & episcopi, ac dilecti filij abbates & cæteri clerici in Armenia constituti per nuntios & literas suas nobis intimare curarunt, quod olim felicis recordationis Benedictus PP. XII. prædecessor noster, dum adhuc ageret in humanis, eos per literas suas apostolicas requisiuit & monuit, vt errores aliquos fidei catholicæ repugnantes, quos periculose nimium in partibus illis perceperat pullulasse, quosque prædecessor idem eis descripserat distincte, euellerent & congregata synodo condemnarent, illos de cordibus Armenorum aliorum, quos tanquam simpliciores malignus hostis facilius laqueo damnationis inuoluerat, extirpando: quodque ipsi, prædictis literis prædecessoris eiusdem filiali deuotione susceptis ac per eos synodo congregata, huiusmodi errores abiecerant et, prout debuit, condemnarant; vlterius offerentes, quod si in libris eorum, quibus communiter vtuntur, aliqua forsitan reperirentur erronea & fidei repugnantia supradicta, parati erant illa de libris ipsorum iuxta mandatum eiusdem ecclesiæ delere penitus, seque institutis apostolicis in omnibus conformare, &c.* Exhibuisse etiam se eundem catholicon & alios Armenorum præsules ad ius pontificium religiose colendum; ac decretales & decreta apostolicis legatis tradita, vt ea ad Armenos deferrēt, ex literis b ad catholicon eundē datis constat. Nunc ad Græcos schismaticos, qui fœdissimum Armenorum errorem numero centesimum quintum de ficta quadam claritate corporea, eaque diuina & increata, quæ beatorum obiectum esset, hauserant sermonem traducimus.

Fassi sunt demum Armeni, graues apud eos errores pullulasse.

a Cl. VI. l. 3. an. 3. ep. tui. 3.

Coacta synodo damnati superiores errores.

b Ib. ep. 17. Error Armen. de visione Dei.

119 Diuulsi Græci a Romanæ ecclesiæ, extra quam vt nec doctrinę puritas, ita nec vera sanctitas constare potest, coniunctione in eam infelicitatis abyssum sunt collapsi, vt qui ab hominum segregati commercio rerum cælestium tractationi, ac sanctimoniæ vitæ comparandæ vacare præseferebant in monte Atho, in quo plurimi erant anachoretarum & monachorum greges ludibrijs hostis humani generis expositi, dum fundendis precibus erant intenti, dormiebantur, dæmone in angelum lucis se transformante, ingenti splendore circumfunderentur; ex quo se magna suauitate delibutos sentiebant: id enim omnibus hisce pseudoreligiosis schismaticis contigisse Massalianorum, quibus dæmon simili modo illudere erat solitus, exemplo ex vnius ipsorum, qui Barlaamum eiusmodi hominum explorantē instituta, instruentis verbis c apparet: *Docuit*, nempe montis Atho anachoreta, *tum quo pacto paulatim proficientes solitarij, & tranquille precationibus intenti exultatione animi, & diuina quadam inexplicabilique voluptate perfundantur, & oculis corporeis lumen se circumfulgens aspiciant.* Non imposita fuit hæc a Barlaamo ijs pseudomonachis calumnia, neque vt Cantacuzenus ad velandam suorum infamiam ait, vnius idiotæ is lapsus fuit; sed magica illa insania vulgo grassata est, vt constat ex Leone Allatio a viro Græco, & rerum Græcarum peritissimo, qui Omphalopsychos & hesycastas huiusmodi homines dictos ait; ac vel insanum vel diabolicum sectæ auctoris, nempe Simonis abbatis, præceptum Latinis verbis redditum adducit.

Monachi Græci fœda hæresi infecti.

c Apud Cantacuz. l. 2. c. 39.

a Leo All. lib. de eccl. orient. & occid. cons. l. 2. c. 17.

Omphalopsychi, inquit, *dicti sunt a modo, quo preces Deo effundebant, non tam recens noto, sed multo ante a Simone Xerocerci monasterij abbate inuento, & Hesychastis scripto etiam tradito. Is in opere, quod de sobrietate & attentione scripsit, hæc præcipit: Attende vt facias, quod tibi dico. Clausis foribus, sedeas in vno aliquo angulo seorsim, mentemque tuam abstrahas ab omni vanitate, re fragili, & caduca. Deinde mentum tuum pectori innexum inhæreat, moueasque sensibilem oculum cum tota mēte tua in medio ventris, in vmbilicum scilicet; quin etiam constringe attractionem spiritus narium, vt non facile spiret; & inquire intus in visceribus, vt repertas locum cordis, vbi animi facultates morari solent. Et primum quidem inuenies tenebras, & crassitudinem minime cedentem. Vbi vero persisteris, ac dies noctesque in hoc opere consumpseris, o rem admirandam! percipies lætitiam, quæ nullo puncto temporis intermittit: quam primum enim mens locum cordis repererit, statim aspicit quæ nunquam sciebat; siquidem viso aere, qui inter spatium cordis extat, seipsa totam lucidam & discernendam præbet.* Haud dubie dæmon misello abbati illudebat. Cæterum impiæ superstitionis indicio apud patriarcham et clerum Constantinopolitanum a Barlaamo apperiti, Hesycastæ Latine Quiescentes Gregorium Palamam tū monachum illi opposuere: quos quidem dæmonū actos præstigijs, non cælesti aliqua luce dum dormiebant somniabantur, circumfulgere solitos, arguit. Adiecta falsitas, qua nempe lucem corpoream, increatam atque adeo ipsam diuinitatem esse affirmarunt. Ac ne falsa schismaticis videamur affingere, eorundem monachorum ex Cantacuzeno b, qui ipsorum doctrinam penitus falsam, ne quid grauius dicam, probat, verba referemus.

Omphalopsychorum insania & præstigiæ.

b Cantac. eod. cap.

Posse, inquit, *fieri vt oculis corporeis quispiam diuinum & increatum lumen contempletur, perspicue demonstrare licere: euangelistam enim scribere, Dominum ante mortem suam principes discipulos assumpsisse, & cum ascendisset in montem Thabor, transfiguratum esse ante eos, resplenduisseque faciem eius sicut solem; cuius fulgorem discipulos non sustinentes intueri, in terram cecidisse. Si igitur illi & homines, & adhuc imperfecti circumfulgens ipsos diuinum & increatum lumen videre potuerunt, quid mirum, si & nunc sanctos superne a Deo collustratos dicamus lumen cernere?* Et infra: *Hæc Gregorius & socij Barlaamo per oratorem.* Quibus verbis ij pseudomonachi falsum dogma, nimirum diuinum et increatum lumen corporeis oculis cerni posse docuerunt. Tum id insigni alio errore confirmarunt, illam lucem, qua Christus in monte Thabor circumfusus coram Apostolis apparuit, quæ quidem creata erat, vtque Ioannis c Cyparissiotæ verbis vtar, *exemplum gloriæ & splendoris corporis post resurrectionem glorificati, symbolumque illius naturæ occultæ & inaspectabilis in ea latentis, & imago tenuis futuræ gloriæ, & simulacrum regni cælorum*; diuinam et increatam fuisse, atque adeo ipsam diuinitatem, cum quidquid diuinum et increatum est, ipsa sit diuinitas: vnde Barlaamo doctrinæ orthodoxæ petito in subiectas voces erumpendi (quam-
uis

Hæreticorum insana argumenta.

c Apud Pontan. in not. ad c. 39. l. 2. hist. Cantac.

Quid fuerit Lux in monte Thabor visa.

uis Cantacuzenus ab hypocritis illis monachis circumuentus Barlaamum traducere nitatur) iusta occasio non defuit.

Barlaami argumentum.

Lucem in Thabor increatam audiens: O rem absurdam! exclamat: fumum enim fugientes, in ignem incidimus. Audi cælum, & auribus percipe terra. Lux in Thabor increata? quid ergo illa aliud nisi Deus secundum vos? nihil enim increatum nisi Deus. Si autem lumen illud neque res condita neque Dei natura est, Deum enim nemo vidit vnquam, quid reliquum, nisi vos duobus dijs seruire, vni quidem omnium fabricatori, quem & inaspectabilem omnes confitemur: alteri vero ex sententia vestra sub aspectum cadenti, & increato lumini? Ego vero haud vnquam, quidquid tandem sit a diuina essentia diuersum ac discrepans, increatum arbitrabor. Ex his sermonibus velut a carceribus effusus, contra Gregorium aliosque monachos multa verbo & scripto blaterauit. Hoc verbo Barlaamum indigne carpit Cantacuzenus schismaticus, *præter cætera etiam ditheiam, idest diuinitatem duplicatam ipsis criminis dans.* Verissima erat, & consentiens fidei diuinitus nobis propositæ Barlaami sententia, qui Thessalonica profectus Ioannem Græcorum patriarcham de monachorum montis Atho superstitione edocuit, vt refert Cantacuzenus: *Ioanni*, inquit, *per id tempus patriarchæ commentarios suos contra monachos tradit, & synodum aduersus eosdem congregari instat, vt eum rectis dogmatibus pugnantia illos sentire ac docere probaturus: in quos verbosius inuehens de geminata deitate eos accusabat. Patriarchæ res visa minime negligenda; quare monachos Thessalonica per literas ad iudicium citat: illi causam dicturi adsunt.*

Synodus Constantinopolitana.

120 Congregata est in S. Sophiæ templo synodus, in qua non patriarcha, sed Imperator Andronicus ad ferendam de fidei controuersijs sententiam præfuit. Qua in re infelicem Græcorum ecclesiæ sub Imperatoribus schismaticis seruitutem lugeas, & Imperatorum vesanam arrogantiam, qui non agnito Christi in terris vicario Romano Pontifice, ecclesiæ capita se constituere non perhorrescerent; atque ideo iusto diuini Numinis iudicio imperiali solio deturbati ad luendas impietatis pœnas in Mahometanorum diram seruitutem deciderunt. De ijs vero, quæ in ea synodo decreta sunt, discrepant auctores: Nicephorus enim Gregoras negat a agitata ea, quæ ad theologica mysteria spectabant: *Ne*, vt ait, *Barlaamo rationes reddente, Palamas etiam blasphema & importuna theologia reus esse videretur.* Pressa etiam silentio ea, quæ contra diabolicas monachorum præstigias attulerat: *Quæ*, inquit, *ad Massalianam hæresim, & quæ alia contra Palamam afferebantur pertinebant, in paucos dies dilata*; id est nullatenus discussa. In quo etiam schismaticorum improbitas sese prodit, qui non permisere Barlaamo viro catholico impietatis & hæreseos conuincere pseudomonachos. Nec dici iure potest a Gregora, compertum illũ maleuolentia & pertinacia & popularis gloriæ cupiditate, actum; sed potius studio fidei, cuius splẽdore Græcos collustrare, eosq; ad ecclesiæ catholicæ gremiũ, vt pollicitus erat Pontifici, adducere annitebatur: in quo labore annum iam tertium conterebat. Discussa porro in ijs cœtibus tradit Gregoras nonnulla crimina, quæ Barlaamus in cuiusdam precationis formulam vsurpatam a monachis obiecisse dicebatur, deque eadem precatione controuersa meminit patriarcha b Constantinopolitanus schismaticus, qui addit Barlaamum non tantum quasi male docta, sed etiam praue de lumine Thaborio sensisset, damnatum: *Nostis*, inquit, *omnes neque ignoratis maximum illum in ecclesia congressum, in quo stellæ instar præfulgebat pietatis propugnator Imperator noster celebris ac beatæ memoriæ, pater potentissimi & sancti mei Imperatoris, cum senatus principibus. Et primus quidem Barlaam, tanquam praua sentiens et eloquens tum de inaccessibili transfigurationis lumine, tum de oratione illa, Domine Iesu Christe Fili Dei miserere nostri, condemnatur: & sic secundum canones ad accusandum inceptus iudicatur.* Ne scilicet, si loquendi libertas data esset, schismaticorum errores in luce collocaret. Confirmat autem Cantacuzenus a, eam pseudosynodum sensisse, præside homine laico, lucem illam, qua Christus in monte Tabor coram Apostolis circumfusus effulserat, fuisse vt Gregorius Palamas perperam effutiebat, *gloriam Dei principio carentem, & maiestatem eius, & lumen diuinitatis, & deitatem, & naturale æternumque Dei lumen.* At contra erroneam huiusmodi sententiam perspicua sunt Barlaami argumenta b: *Illud*, inquit, *quod oculis corporeis visum est, non est increatum. Lumen Thaborium corporeis oculis a discipulis visum est. Ergo nõ increatum est. II. Quidquid oculis corporeis visum est, creatum est. Lumen Thaborium oculis corporeis visum est. Ergo creatum est.*

Imperator in ea præsidere audet.

a Niceph. Greg. l. 11.

b Extat eius decret. apud Leon. Allat. de consens. orien. & occid. eccl. l. 2. c. 16.

a Cantac. l. 2. c. 40.

Confutatur Græcorum impietas.

b Pontan. in not. ad Cantacus.

121 Cæterum Barlaamo impositam a Cantacuzeno calumniam putamus, dum illum assensisse pseudosynodo tradit c: eum ad Latinos se traduxerit, postquam triennio Constantinopoli contra schismaticos decertasset, ab eo nimirum tempore, quo legationem pro instauranda ecclesiarum coniunctione obierat. Ornatus d vero est episcopatu Gyracensi, pluresque ad Græcos fide orthodoxa informandos conscripsit commentarios. Insignis ille est, quo grauibus rationibus demonstrabat e, Romanum Pontificem summum esse totius ecclesiæ hierarchã, nec propter f dogma processionis Spiritus sancti a Patre & Filio tanquam ab vno principio, neque ob Eucharistiæ in azymo consecrationem, ab eo Græcos deficere debuisse; tum etiam eiusdem primatum, petitis ex diuina prouidentia, quæ omnia in vnum principium redigit, argumentis astruebat his verbis.

c Eod. cap. 40.

d Idib.

Barlaam Græcos ad coniunctionem cum eccl. Rom. hortatur.

e Niceph. Greg. eod. l. 11

f Extat in M.S. bibl. Vat sign. 4068 pag. 2. &c. & apud Can. antiq. lect. to. 6. pag. 4.

Ad amicos in Græcia constitutos de vnione sacrosancta Romana *ecclesiæ, &c.*

Duabus existentibus partibus, vna quæ sub ecclesia Romana constituta est, altera vero, quæ ab illa diuisa est, quatuor maximo signo Dei beneplaciti in illis possunt videri, pene voce magna clamantia illi ecclesiæ Deum acquiescere: opposita vero illis æqualia numero diuinæ permissionis & indignationis, & quasi vltionis euidentissimo signo existentia in reliqua parte videntur. Et vt a minimo quatuor exordiar. Primum vniuersa illa gens legibus, quibus etiam tenuissimo accidentium hominum communitati distincta sunt, regitur & administratur. Nihil indeterminatum apud eos est, nihil inordinatum: sed qualiter oportet se gerere & dominantes inter se & cum suo principio & cum his, qui tantummodo subditi sunt, atque commune principium cum omnibus inferioribus in quolibet accidentium, & ipsos subditos inter se, & cum maioribus, & quid a quolibet exigendum est: quomodo delicta punienda sunt & benefacta premianda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia, & quæcumque alia hominum inter se societatem & communitatem in pace maxime conseruare valent, le-

Quatuor signis veram ecclesiam notat.

Primum ex disciplinæ ecclesiasticæ in Latina splendore.

gi-

gibus apud singulos membratim instituta & custodita sunt: ex qua legum æquitate secundum Deum velle viuere, & euangelica seruare mandata facilius a pluribus fit. Hic autem totum contrarium. Et ne singula dicam, lex est in singulis potentiorum licentia & voluntas: vt enim quilibet dominantium ad prudentiam se habet & bonitatem, ita & facta subditorum contingunt: ex quo quot aduersa subsequuntur, non tantum rempublicam subuertentia, & eiuslem vitam lædentia, verum etiam euangelicam. Quid opus est apud scientes recitare? Vnum quidem hoc tale est.

Secundũ ex euangelij studio diligenti,

122 *Secundum vero, quod & maius, quod in illis quidem euangelica doctrina vbique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus diuinus sermo prædicatur, non solum quod quamplurimi omnia secundo reputant erga sacræ scripturæ studium & meditationem & disciplinam; sed & quod vbique multitudinibus per ciuitates, villas, oppida, & in sacris templis, & vbicumque inueniuntur simul multi aggregati, & præsertim festiuis diebus, qui sciunt diuina eloquia, prædicant congruenter audientium habitui & loquela aperientes eis per totum annum & historiale & narratiuum & sententiale & morale diuinæ scripturæ, veteris pariter et nouæ: et quis erat ante incarnationem Domini hominum status, quæ vero huius sacramenta, et quid boni ex ea nobis effectum est, quæ præcepta, et quæ consilia: et cum his sanctorum vitas in natalitijs, et si quid alterum ad pietatem et virtutem spectat, et ad nostram salutem; ita quod illorum illiterati mares et fœminæ nihil minus ab his, qui in literis student, habent: certe in his, quæ in promptu sunt, et ad salutem necessaria nostræ religionis et fidei. Sed verbo studiosi in superfluis, non in necessarijs, a reliquis differunt. Ex quo contingit, vt gens illa moribus, vt plurimum, sit simplex et aperta, veritatis amica, fraudis inimica, constans in suis iudicijs, stabilis in conuentis inter se fidelis, non vertibilis et facile mutabilis; ad periurium tardissima, et fide, quæ in Christum est, firmissima et feruentissima; et pro hac etiam ipsam vitam, si hoc opus fuerit, perdere paratissima. Hic autem quid? studiosi quidem discendi nimis pauci sunt. Horum adhuc pauciores, qui sacram scripturam pluris faciunt, plurimis paganarum scientijs libentius operam dantibus: turba vero illiterata omnis in communi proposita salutaris sermonis doctrinæ inexpers remansit: quare pro vno, qui sciat substantialiora secundum nos pietatis, multa millia reperiri possunt, qui penitus ignorant Christianismi virtutem; ex quo contingit, contraria more illis hanc gentem affectam esse.*

Tertium ex obseruantia in summum Pontif.

123 *Tertium autem post hæc nihilominus prædictis illud considero, quod cum diuina prouidentia nihil eorum, quæ secundum beneplacitum illius in vniuerso efficiuntur, inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducantur ad vnum principium: pluralitas enim principiorum, & carentia principij similis sunt inordinationis. Huius quidem gentis vniuersa multitudo sub vno est ordinata principio, ecclesia videlicet Romana & eius præsule, quem omnes honorant & metuunt, non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humana lege vel generis successione, vel multitudinis rumore dominium sumentem; sed tanquam ab ipso domino Christo ordinatum, & in terris vices gerere ab eo constitutum. Itaque illius mandata cum omni reuerentia omnes non tamquam apostalica tantum, verum etiam dominica scripta recipiunt & adorant; & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quiete parati sint ad implendum: & omnes ab illo corrigi sua & retractari suscipiunt, omniumque sacerdotium ab eo dependet: & ipse cum circa se synodo cum grandi auctoritate & potestate, nullo prohibituro existente, corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, statuit, inhibet: mittit ad vniuersas partes doctores visitaturos singulas prouincias, & eos, qui in eis animabus præsunt; & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quomodo sacra tractant mysteria, quomodo se gerunt cum grege Domini, quomodo secundum se viuunt, vt horum relatione facta, & quod deficit ab illa sede suppleatur, & quod peccatur corrigatur. Et horum quodlibet facillime fit, nemo enim est, qui non putet ecclesiæ illi aduersari periculum inferre animæ salutis. Ita quidem facta illorum,* nempe Latinorum, *ordinata sunt.*

Vt in Græca nullus sit summus antistes.

124 *In altera vero parte non singularitas principij, sed pluralitas principiorum, & carentia principij honorata est: quinque enim existentibus patriarchis Bulgarensi connumerata, & adhuc Triballensi archiepiscopo, sub quibus pene omnes huius partis sunt, nullus horum sex vel de iure vel de facto talis est, vt reliqui quinque ipsum vt suum caput habere velint, & ab ipso & eius synodo corrigi & retractari patiantur; & ad omnia eius iussa ita obedientes sint, vt tamquam diuinas voces illius recipiant mandata, et periculum salutis credant illum, resistendo, offendere. Et quid dico de alijs? Sed neque quicumque sub quolibet sunt horum sex, ita deuote se habent ad suum caput, vt metu non corporalis damni, sed animæ perditionis, illius mandata velint implere. Pontificatus vero cuiuslibet quomodo Bulgarensis dependet a principe illius gentis, et Triballensis similiter a suo principe: Antiocheni vero patriarchæ Armeniorum* Rex *dominatur; Ierosolymitani autem et Alexandrini Aegyptiorum impijssimus princeps. Nullus enim horum pontificatum recipit non probante et decernente et consentiente suo seculari principe; magis autem vt plurimum et omnibus, ad quos spectat electio, voluntate renuentibus, et cum principe discordantibus, necessarium est finaliter eum, quem vult princeps, pontificem effici. Itaque cum sit impossibile, longi temporis progressu praua consuetudine paulatim multa protrahente, non multa contingere, quæ desiderent generalem correctionem, generaliterque aliquid corrigi sine generali concilio difficillimum sit, hæc quidem pars posse communem aggregare synodum, principalioribus eius partibus ad vnum conuenientibus, penitus amisit, cum non sit videlicet in ea caput tale, quod possit necessitate alios compellere conuenire: Latinis vero neque hoc difficile est. De tertio quidem hæc dicta sint.*

De vmbratili eorum auctoritate.

Et infelicissimum te.

Impotentia ad celebrandũ conciliũ.

Quartum signum veræ ecclesiæ eius amplificatio.

125 *Venio autem ad quartum, quod et stupesco considerans: cum enim* Dominus *noster Iesus Christus prædixisset afflictionem habituros suos fideles, et odium ab omnibus, et persecutionem passuros; Christianorum genus ex tunc vsque ad imperium Constantini magni affligebatur quidem vt plurimum, et odio habebatur, et persecutionem patiebatur: sed, quod erat maximum miraculum, ipsi qui odio et persecutionibus affligebantur, de ipsis affligentibus et persequentibus et odientibus multiplicabantur, ipsis affligentibus continue sese ad afflictos conuertentibus: nam etsi aliqui metu tormentorum recedebant a fide, sed tamen e conuerso multo plures ad fidem omnibus sententijs conuertebantur. Præsentia vero quomodo? quam miserabilissime: vt enim antiquiora omittam, ex quo facta vnioni sub primo Palæologorum acquiescere huius partis noluerunt, innumerabiles ex ea multitudines ad detestabilissimam Mahometicam sectam conuersæ sunt, non*

De lapsu continuo Græcorũ in extremam perniciem.

Defectione ad Mahomet.

so-

solum his, qui tenera ætatis erant, necessitate ad captiuantium et euentium superstitionem conuersis, verum etiam perfectioris ætatis per animi mollitiem fidem aspernatis: quamuis si affligeretur hæc gens, et non minueretur; vel si minueretur sed per mortem, et non ad impietatem se conuertendo, posset vtique hoc paternæ castigationis esse putari: tot vero multitudines permitti ita subito ad captiuantium impietatem mutari, hoc non paterna disciplina, sed omnimodæ desertionis manifestissimum signum est.

De Latinæ ecclesiæ incremento.

Facta vero Latinorum e contrario ex tunc non modicum creuerunt, non solum quod Armeni, relictis paternis erroribus, illis se addiderunt, et alij orientalium gentium, qui per horum prædicationem similiter his semper consentiunt: sed et copiosissimæ in occidente ciuitates Machometicæ sectæ per Regem Hispaniæ captæ sunt; ex quibus non paruæ multitudines, fide in Christum suscepta, Latinis additæ sunt: et Græcorum adhuc non pauca millia ad illos adducta illorum fidem sponte receperunt, vt etiam et hi, qui ad Persas conuersi sunt.

Amplificatione apud Armenos & Persas.

Hæc igitur ego in me ipso vertens animo, minime credere valeo, hos ab illis rationabili aliqua causa diuisos esse, tanquam illis in aliqua hæresi et mala fide existentibus: si enim pars illa Christianorum, quæ concorditer ad consistentum Dei decreto ab initio totius ecclesiæ principium ordinata est, quæ legibus regitur, et euangelico sermone et multitudine semper crescit, hæc quidem est in hæresi: quæ vero pars ab hac iuste diuisa est per omnia sana est, hæc neque legibus viuit, neque ad vnum ordinata est principium, et semper secundum multitudines ad alienissimam Dei gentem cõuertitur, & in ipsa prorsus, quantum ad illiteratos, euangelicus extinctus est sermo. Deseruit ergo Deus omnimode Christianismum? Sed nullo pacto hoc fieri potest: verax enim est promissio dicentis, nobiscum fore vsque ad consummationem seculi, et portas inferni minime præualituras aduersus ecclesiam esse, et Petri fidem nunquam deficere: quod etiam de omnibus Petri successoribus in consequentibus temporibus intelligi dignum est dominica oratione; siquidem oportet credere magnum aliquid esse, quod ex ea effectum est. Ex his igitur et huiusmodi rationibus non possum æstimare, quod Latinis in hæresi non existentibus, rationabiliter hi illorum deuitant communionem, Si enim hoc esset, iusta vtique diuina prouidentia existente, oportet prædicta quatuor vel principaliora eorum e conuerso contingere: et enim caput totius ecclesiæ ab initio constitutum excidisset, oporteret vtique Dominum alterum caput suscitare sanæ parti ecclesiæ, ne sine capite et innsitatum et deordinatum et deforme magnum et mysticum corpus Christi remaneret. Sed venio ad specialiora.

Diuinæ in eam prouidentiæ patrocinio.

Conclusio Barlaami.

126 *Hæc gens propter duo, vt ita dicatur, Latinos accusans, æstimat oportere ab eis se diuidi. Vnum et principalius quod aiunt Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam. Ego autem, tempora examinans, video quod schisma quidem nondum quadringentorum est annorum: sub Basilio enim Macedone et* * Photino *patriarcha, vt aiunt, incœpit, a quibus nondum prædictorum annorum numerus est completus. Ecclesia vero Romana ante inchoatum schisma pluribus quam septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam teletam*, missam scilicet: *Alexander enim Romanus* Pontifex, *qui sub Adriano, gloriosa martyrio vitam finiuit, hostiam de azymo ecclesiæ Romanæ statuit.* Non ita id accipiendum, tanquam id ipse primus statuerit, sed vt quæ traditione apostolica seruabantur a catholicis, ne qua irreperet contraria cõsuetudo, fuerint decretis firmata. *Post quem nõ paucos Romanos Pontifices* Deus *virtute et martyrio et miraculis glorificauit, vt etiam vtræque partes in sanctis eos connumerarent. Similiter Spiritum sanctum ex Patre Filioque tanquam ex vno principio procedere, videtur ecclesia* Romana *tenere ante inchoatum schisma pluribus quam quadringentis annis: beati enim illi viri diuini Augustinus, Ambrosius Mediolanensis, et Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodosij magni, ex quo præterierunt vsque nunc plures quam octingenti anni, quos Latinorum ecclesia doctores et regulas pietatis dixit habuit, hi diuinam aperientes scripturam multis locis suorum operum manifeste notant, quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque tanquam ex vno principio procedit, At vero Romanus Pontifex B. Gregorius, qui dicitur fuisse sub Iustiniano ante schisma pluribus quam trecentis annis, superiores suos et ipse sequens, eandem de Spiritu sancto tradit sententiam: quare si rationabile esset propter has causas a Latinis diuidi, oportet vtique ab initio hoc facere, et neque sanctos hoc sapientes et azyma immolantes putare, neque communia concilia cum eis pati facere. Nunc autem post vna cum eis celebrata septem concilia generalia, et multos azyma sacrificantes, et prædictam de Spiritu sancto sententiam in suis scriptis manifeste prædicantes, sanctos et ab ipsis Græcis reputatos, propter eadem ipsa post multos annos velle ab eis diuidi, quomodo non caret omni ratione? Quamquam de Spiritu sancto, si soli illius linguæ patres hoc traderent, nolle credere, nondum tantum esset malum: nunc autem et Græcæ linguæ patribus id ipsum prædicantibus, scilicet magno Basilio in antirreticis, S. Athanasio multis locis, S. Cyrillo, S Gregorio* * Nisseno, *quomodo non absurdum est eos, qui eadem cum illis sapiunt, hæreticos reputare? Ego quippe, non habens huius rei demonstrationem, tamquam existentis super demonstrationem, & videns tantum exercitium patrum hoc sapientium, atque decreto Dei matrem ecclesiarum id ipsum determinantem, non tutum esse cognosco aliter sapere: quamquam si contrarij demonstratio haberetur, & res huiusmodi esset perceptiua neque sic oporteret piæ considerationi tantorum patrum ac sedis B. Petri sententiæ humanam demonstrationem anteponere.*

Schismatis Græcorum causæ discutiuntur.

Consecratio in azymo in primitiua ecclesia vsurpata.

* *Photio*

Processio Spiritus sancti a Patre & Filio a sanctis prædicata.

Si causæ ex schismatis iustæ fuerunt, debuerat longe antea schisma cœpisse.

Non Latini modo, sed sancti patres Græci processionem Spiritus sancti docuere.

* *Nysseno*

127 *At vero de azymis, cum manifestum sit, quod in sacra scriptura panis nominetur, siue fermentatus sit siue azymus; & quod sero illius sacræ cœnæ prima, vt aiunt tres euangelistæ, azymorum erat, in qua non tantum comedi panem fermentatum a quoquam Iudæo non licebat, sed neque omnino in domo Iudæi inueniri; et quod duo discipuli missi sunt ad præparandum in cœnaculo legale & assuetum pascha; & quod, vt aiunt euangeliorum expositores, omnibus quæ secundum legem erant consummatis, Saluator, pane accepto cœlestia tradidit sacramenta, qui panis intelligitur esse ex illo, qui tunc propter legale pascha præparatus erat in mensa; et diuino Chrysostomo dicente in octogesima homilia super Matthæum, nihil contrarium legi sero illa Saluatorem fecisse; et quod, si esset panis ille fermentatus, manifeste vtique hoc contrarium esset legi; ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum sua tradidisse Dominum mysteria. Quoniam rursus Apostoli, nobis tradentes mysteria, non distinxerunt siue fermentatum siue azymum; sed orientalis ecclesia continuo incœpit fermentatũ, occidentalis vero azymũ, eo quod gerit imaginẽ puritatis sinceritatis, et veritatis; vtraq; ego quidem similiter ado-*

Ostẽditur azymum panẽ esse.

Christum eo vsum in conficienda eucharistia.

Apostolos non distinxisse de azymo vel fermentato.

adoro et colo: Latinos vero in tantum prudentiores æstimo, quod ille quidem minime hostiam di fermentato vituperant, sed similiter venerantur: horum autem multi non timent in sancta blasphemare.

An vero sit, conciliorum canones violari a Latinis.

Refellitur ea calumnia.

128 *Adhuc autem multi dicunt se scandalizari, quia multa contra Apostolorum canones et septem generalium conciliorum vident in Latinorum ecclesia fieri. Me autem neque hoc scandalizare valet: quare? quia primum discurrens et ipse eosdem canones, et ad præsentia respiciens, multa inuenio et in hac gente contrario modo, quam vt iubent canones facta, et plura et maiora, quam illa quæ aiunt Latinos transgredi, vt non sint secundum hoc ipsi meliores illis. Deinde et hoc considero, quod omnium, quæ in canonibus comprehenduntur, alijs existentibus dogmaticis, et de quibus oportet credere, alijs vero in actione quæ agenda non distinguit, et horum rursus alijs dependentibus a dominico et euangelico mandato, alijs vero non (quæ singula a studiosis notata sunt) canonum vero de fide, et quorum est dominicum mandatum, nullum vnquam ecclesia Romana mutauit, neque potest hoc ostendi; quos vero mutauit vel reuocauit, hi sunt illorum canonum, qui neque de fide sunt, neque a dominico pendent mandato, hoc autem nullum est inconueniens, quæ enim ita se habent, etiam si sint per generale concilium determinata, sed rebus consequentibus temporibus cadentibus, et humanis dispositionibus mutatis, potest ecclesia ipsa gratia melioris mutare, vt multa talia reperiuntur etiam in, ipsis concilijs posterioribus multa priorum conciliorum decreta cum eodem spiritu vel omnino irritantibus, vel omnino ad melius conuertentibus; sed quia illa, quæ huiusmodi sunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt, in quolibet vero non est possibile vel non est facile generale aggregare concilium sed neque est quodlibet tantæ difficultatis, vt generali deliberatione indigeat, non oportet turbari, si mater ecclesiarum cum sola circa se synodo, quæ huiusmodi sunt, suis temporibus apostolica auctoritate corrigit, & mutat, vel irritat: non enim & quod sit maioris auctoritatis, & magis possit generale concilium quam Apostolica sedes, generalia aggregãtur concilia; sed quia incidentes quæstiones difficiliores sunt, & maiore indigeant discussione. Ex his igitur omnibus nouissima mea conclusio est illa, quod ecclesia Romana est summe orthodoxa, & nullam vnquam causam alicui dedit, vt rationabiliter ab ea diuidatur; et quod qui ei sunt vniti et obedientes, et mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque et quicumque, spretis his, quibus placet in schismate perseuerare, ad ipsam toto animo accedunt, hoc salubriter de se deliberare et agere puto.* Hæc Barlaamus ad Græcos ad obsequium Romanæ ecclesiæ pelliciendos scribebat, pluresque alias elucubrationes insignes edidit. Eius vero æmulus Gregorius Palamas exinde insolentius exultare cœpit, ac nouas cudere hæreses, matrimonia iusta rescindere, virosque inuitis vxoribus cultu religioso induere; tum ritus sacros profanare adeo, vt postea a Græcis a damnandus fuerit.

Potest Pontifex sine generali concilio fidei controuersias dirimere.

Concluditur non discedendum a Rom. eccl. cauiam constandi schismatis.

a Ext. de eo Greg. patriarch. decretum syn. d. apud Leon. Allat. de consens. &c. l. 2. c. 16.

129 Blasphemi autẽ huius pseudomonachi fautor Andronicus Imp. iusta laræ impię sententiæ pręmia, mortem scilicet in ea pseudosynodo sibi peperit, ex vehementiori enim cõtentione, qua dogma erroneum statuere moliebatur, morbum contraxit b, ex quo paucis post diebus, vt tradit Cantacuzenus, *ad vesperam die mercurij xvii. kal. quintiles anno quadragesimo nono supra octingentos & sex millia ab orbe condito indictione nona morbi sæuitia confectus ex hac luce Imperator migrauit.* Oppressum caro, scribit Nicephorus Gregoras a: *Iunij die*, inquit, *xv. ante solis ortum defunctus est anno sexies millesimo octingentesimo quadragesimo nono: omne vero tempus ætatis eius ad annos circiter quadraginta quinque fuit, cum ante viginti vrbem imperatricem belli iure occupasset.* Reliquit Andronicus sceptra Ioanni Palæologo, quem tum iuuenem extitisse, refert Cantacuzenus b. Cum vero Ioannes sustinendæ imperij maiestati impar esset, Cantacuzeno publicæ rei administratio, quam patriarcha sibi debitam contendebat, commendata est. Aspirabat c ad id honoris fastigium Apocaucus imperatorij cubiculi præfectus, atque ob affectatam tyrannidem Ioannis Palæologi inunctionem imperialem in tempus longius extraxit: a quo structarum sibi insidiarum occasione Cantacuzenus, quamuis anathema d a patriarcha rogatu Andronici ijs, qui in Ioannem Palæologum coniurarent, incussum esset, Didymothichi imperialia ornamenta corripuit e; ita tamen, vt primum Annæ Augustæ, dein filio Imperatori, tertio, ipsi Cantacuzeno & vxori Irene Imperatrici acclamaretur. Vt vero post nonnulla bella, quibus imperiũ, vt citius pręcipitaret, afflixit, illa imperialia insignia abijcere coactus sit, inferius dicetur. Interea accepto de correpta a Cãtacuzeno tyrannide nuntio Constantinopoli, Io. Palęologus Augustæ iussu a patriarcha Ioanne imperiali diademate est redimitus f, ac proceres, qui celebritatem curauerant, aucti honoribus. De patriarcha, qui ad altiorem dignitatis apicem conscendere non poterat, hæc addit Cantacuzenus: *Patriarcha, quia gradum permutare non poterat, habitu se augustiorem fecit, & in subscriptionibus colore cæruleo est vsus, flammeumque seu tegmen capitis, quod antea patriarchæ, si de monachis non essent, album ferre mos erat, ipse auro illustrauit, Seruatoris nostri & illibatæ eius genitricis Deiparæ, ac Ioannis Baptistæ depictis in eo iconibus.* Exercuisse simultates patriarcham Constantinopolitanum cum Lazaro patriarcha Ierosolymitano refert idem auctor g, cum in suspicionem procliuioris in Cantacuzenum studij adductus esset. Accesserat ille Constantinopolim viuo adhuc Andronico, vt ab illo confirmaretur. Qua in re tyrannidem ab Imperatoribus in patriarchas & præsules orientales exerceri solitam videas: & horum insignem vesaniam, qui Imperatoribus magis contra diuina iura, quam Romanis Pontificibus in rebus sacris obnoxij esse mallent.

b Cantac. l. 2. c. 40.

Andronici mors.

a Greg. l. 11.

Ioannes Palæol. sceptris succedit.

b Cantac. l. 3. c. 2.

c Eod. cap. & seq.

d Cap. 9.

e Cap. 2.

Cantacuzenus tyrannidem arripit.

e Cap. 27.

f Cap. 36.

Mitra patriarchæ Const.

g Lib. 4. c. 14.

Græcorũ Impp. patriarcharum creatione sibi arrogant.

130 Defecisse paulo ante Latinos Peloponnesiacos a suo principe ad Imperatorem, refert Cantacuzenus h, ea lege, vt in quibus præessent vrbibus, dominatum retinerent; vectigalia vero publica principi pendi consueta, imperiali fisco inferrent: exceptos autem auide eorum legatos, atque auxilia ijs promissa, cum Græci in spem venirent i, adiuncta imperio Peloponneso, Catalanos, qui Atticam & Bœotiam incolebant, subactum iri. Catalanos porro, qui magnæ societatis nomine nuncupabantur, ad ecclesiæ, a qua censuris ob Gallici generis Latinos iniuste oppressos armis, cum ad illa in Turcas vertenda in orientem traiecissent, defixi erant, gratiam redire meditatos, atque Henrico patriarchæ Constantinopolitano catholico significasse, constat ex literis Benedicti, quibus eorum oratores ad redintegrandam cum ecclesia coniunctionem se audituros, paternoque excepturum sinu, patriarchæ respon-

Peloponesius ad Gręcos deficit.

h Cap. 12.

i Cap. 12.

Catalana societas in eccl. gremium redire flagitat.

ſpondit a: Te, inquit, pridē de Romana recedente curia, & ad tuam Nigropontenſem eccleſiam accedente, cum per partes ducatus Athenarum tuum iter proſequendo tranſires, ex parte illorū, qui de magna ſocietate ſe faciunt nominari, tibi expoſitum extitit reuerenter, quod ipſi reconciliationem & reductionem ſuam ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ, ac noſtram & Apoſtolicæ ſedis gratiam, deuotionem, & obedientiam ſummis deſiderijs affectabant, quadam quæ pro defenſione fidelium & fidei, ac eccleſiarum et perſonarum eccleſiaſticarum partium illarum vtilitate non modica ſtatuque pacifico conſonendo admodum vtilia eſſe poſſent offerentes nihilominus, teque rogantes inſtanter, vt ſuper hoc nobis ſcribere procurares. Sane quia nos, quibus deſuper cura gregis dominici eſt commiſſa, non ſolum illos, ſed quoſuis oberrantes alios reduci cupimus ad ouile dominicum, extra quod non eſt alicui gratia neque ſalus, ſi procuratores ſuos mandatis munitos ſufficientibus ad ſedem Apoſtolicam duxerint ſuper ijs deſtinandos, eos libenter et fauorabiliter audiemus, etc. Dat. Auin. 10. id. februarij anno vii.

a To. 7. ep. ſecr. 14.

Soluitur cenſura a Bened.

Ioann. Comnen. Baſil. Trapez Imp. b Nic. Greg. l. 11. in fin

Veneno necatus. Irene a patre Andr. coniugem expetit.

131 Sub hæc tempora b antequam Andronicus moreretur, apud Trapezuntinos magna rerum conuerſio contigit: Ioannes enim Comnenus Baſilius Imperator ab vxore Irene, Andronici Imperatoris Conſtantinopolitani ſpuria filia, quā regia ob veſanos pellicis amores exegerat veneno necatus eſt, vt tulit rumor, ſummaque rerum mox itenı delata: quæ cum a patre Imperatore virum ſibi ad Trapezuntiorum moderanda ſceptra mitti poſtularet, illeque Acarnanum expeditione diſtrictus auxilia opportuna non ſubmiſiſſet, adducta in ſuſpicionem prauæ cum magno Trapezuntiorum domeſtico conſuetudinis, etiminis odio pulſa eſt. Hæc pluribus Gregoras etc.

c An. 7. ep. com. 151. 152. Bonifacianum diploma inſtauratū

132 Abſoluimus hunc annum inſigni Bonifacij VIII. diplomate, quod Benedictus ex prædeceſſoris regeſto exſcriptum hoc anno promulgauit c, vt in iudicijs viuieſſet. Prætermittendum vero viſum non eſt, cum toties a nobis eius mentio facta fuerit, dictaque ſæpius aduerſus Fraticellos, qui Liberato & Angelo Clareno auctoribus nouam condere religioſam familiam moliti ſunt, confirmet & omnes fucos a nonnullis ad eorum gratiam compoſitos, penitus detergat: ex hoc ſiquidem conſtat Cæleſtinum V. a quo illi diploma apoſtolicum elicuerant, ſanctiſſimis quidem moribus & cæleſtium rerum tractatione excelluiſſe; iurium vero peritia penitus destitutum, & ob puriſſimum vitæ candorem aulicas fraudes ſuſpectas non habuiſſe: inde ob ingenij facilitatem poſtulata quæuis, nullo diſcrimine habito, reque indiſcuſſa admiſiſſe, ac præcipue illa, quæ pietatis colore fucata erant, fouiſſe; ac multa monachis præter fas permiſiſſe: eum monitum ea de re, ac religione permotum, cum pontificatu cederet, rogaſſe ſucceſſorem, vt male a ſe conceſſa reuocaret: Bonifacium vero primum eius indolta præter morem curiæ Romanæ edita reſcidiſſe: tum vt maiori conſilij maturitate diſcuterentur priuilegia, quæ ab illo conceſſa fuerant, edixiſſe vt omnes ſine dignitatis reſpectu illa afferrent, quo vel cōfirmarentur reſcinderenturue. Et quidē paruere, præſules principes: ac religioſi ordines, exceptis pſeudominoritis, qui alieno vt exitus docuit ſpiritu ducti, obtinuiſſe contendebant a Cæleſtino, vt nouam conderent familiam, quam pauperum eremitarum ſancti Cæleſtini, ſiue fratrum de paupere vita appellaſſe feruntur. Ex quo patet eos, licet pia fuiſſent eorum exordia, propter contumaciam tamen a vera pietate defeciſſe; maxime cum Bonifacij diploma vt iuſte editum a ſucceſſoribus Pontificibus Clemente V. Ioanne XXII. & Benedicto XII. fuerit confirmatum.

Benedictus, etc. ad perpetuam rei memoriam.

Tenorem quarumdam literarum felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri in ipſius regeſtis repertum de verbo ad verbum præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.

Bonifacius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

De reſcriptis Cæleſtini ſubreptitijs.

Olim Cæleſtinus Papa V. anteceſſor noſter deuictus inſtantia & ambitione nimia plurimorum, ignarus eorum, quæ & iuris debitum, & grauitas paſtoralis, cui præſidebat, officij requirebant; ſeductus inſuper atque deceptus per captioſam aſtutiam, & deceptabilem aliquorum, fecit diuerſa, & conceſſit varia minus digne inordinata & inſolita, quorum aliqua ſubiicemus ex cauſa, ſub cuius bulla nonnulla, vt fertur, præter ipſius conſcientiam tranſierunt, quæ non indigne, quinimmo neceſſario limam Apoſtolicæ correctionis expoſcunt. Quapropter anteceſſor ipſe, ſuam inſufficientiam ad portandum ſummi pontificij onera diligenter attendens, & defectum quinimmo periculum ex hoc pati vniuerſalem eccleſiam recognoſcens, vrgente conſcientia coram collegio fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, papatui pure & abſolute renunciauit, eiuſque oneri & honori in ipſis ſibi nihil omnino retinens vel reſeruans: & humiliter poſtulauit & voluit, vt quæ per ipſum inprouide facta fuerunt, futurus eius ſucceſſor prouide reuocaret: ac poſtquam fuimus ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, nobis dum adhuc eſſemus Neapoli preces fudit, vt reuocare, quæ ipſe male fecerat, curaremus. Vnde nos, attendentes pericula, ſcandala, & iacturas, quæ ex talibus anteceſſoris noſtri prædicti actibus prouenerunt, vel poſſent in antea prouenire; ac animarum ſaluti prouidere volentes, omnes diſpenſationes ſuper quauis pluralitate dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura vel ſine cura obtentorum vel obtinendorum; prouiſiones quoque & conceſſiones, ac commendas, de quibuſcumque monaſterijs, abbatijs, prioratibus, hoſpitalibus, eccleſijs regularibus vel ſecularibus, vel ordinibus; ſeu de redditibus & prouentibus eccleſiaſticis quibuſcumque, aut pecuniarum ſummis percipiendis beneficij ſeu penſionis, ſubuentionis, protectionis, oneris, debitorum, vel cuiuſcumque alterius releuandi ſeu quouis alio titulo, cauſa, vel nomine S. R. E. Cardinalibus, poſtquam fuerint ad Cardinalatum aſſumpti, vel alijs, ac omnes penſiones & ſubuentiones de pecunijs qualitercumque Cardinalibus vel alijs; nec non exemptiones, incorporationes, vniones, ſubiectiones, ſuppoſitiones, conceſſiones quorumcumque ordinum, monaſteriorum, hoſpitalium, eccleſiarum, regularium vel ſecularium, cum cura vel ſine cura, perſonarum, iurium, ſeu bonorum ad ipſa vel ipſorum aliquid pertinentium; liberationes a ſubmiſſionibus vel ſubiectionibus, ſeu cenſibus quibuſcumque, & auctoritates, poteſtates ſeu facultates conferendi quæcumque perſonatus, dignitates, officia, præbendas, beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, & percipiendi prouentus proximi anni vel alterius tem-

Vt vir ſanctus male geſta reuocari voluerit.

semporis quorumcumque personatuum, dignitatum, officiorum, præbendarum, beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura certarum prouinciarum, seu regnorum, & ecclesiarum; ac reuocandi nonnullas literas gratiosas ab antecessore ipso concessas, inquirendi vtrum literæ ab eodem concessæ forent de falsitate vel tacita veritate suspectæ facultatê, *& infra*, sub quibuscumque tenoribus, formis, & modis factas, indultas, commissas, concessas, vel datas in fratrum nostrorum præsentia VI. kal. ianuarij, dum adhuc essemus Neapoli, auctoritate apostolica & de potestatis plenitudine reuocauimus, cassauimus, irritauimus, & euacuauimus omnino. *Et infra*.

Vt eiusdê edicta fuerint rescissa.

Verum quia prædicta per nos, vt præmittitur, facta Neapoli ante consecrationis nostræ solemnia sub bulla nostra posita non fuerunt, consecratione ipsa postmodum apud basilicam principis Apostolorum de Vrbe solito more recepta, ea præsentibus fecimus annotari, quibus plenam fidem in iudicio vel extra iudicium volumus adhiberi, ipsaque de fratrum prædictorum consilio ratificamus, confirmamus, facimus, approbamus, & etiam innouamus, & ea omnia a prædicto die, scilicet VI. kal. ianuarij, plenum effectum volumus obtinere: & quidquid ex tunc per quemcumque, seu quoscumque quauis auctoritate secus fuerit attentatum vel factum scienter, vel ignoranter, prorsus viribus vacuamus. Concedimus quoque, vt religiosæ, quæ monasticum nigrum vel canonicorum regularium habitum in suis monasterijs regularibus, canonijs, seu prioratibus deferebant antequam ipsa incorporata, vnita, supposita, vel submissa essent ordini, monasterijs, siue locis regulæ vel obseruantiæ præfati antecessoris ante eius assumptionem ad apicem apostolicæ dignitatis, priorem habitum libere reassumant, & in eo Domino famulentur.

Vt concessa religiosis priuilegia cô pulsa.

Cæterum vt sedes ipsa sæpedicti antecessoris actus reliquos lucidius possit discutere, & in melius reformare, eiusque errata corrigere, omissa supplere, ac in irritum reuocanda deducere; omnia priuilegia, literas gratiosas super quibuscumque gratijs, vel gratiosis concessionibus de quibuscumque iuribus, rebus, vel bonis, quæ quomodolibet processerunt, seu quæ obtenta fuerunt ab eo; necnon quæ ab antecessore ipso verbo seu literis facta, concessa, data, vel indulta fuerunt quibuscumque ordinibus, collegijs, vniuersitatibus, conuentibus, locis, vel personis regularibus, secularibus, ecclesiasticis, vel mundanis (cuiuscumque fuerint ordinis, conditionis, eminentiæ, dignitatis, aut status) quæ tenore præsentium, vel per alias nostras literas reuocata non sunt, & penitus annullata; quantum ad omnem effectum eorum, de ipsorum fratrum consilio & assensu a data præsentium suspendentes, volumus ac districte præcipimus, vt sequentes Romanam curiam infra vnius, Italici vero infra quatuor mensium, & extra Italiam constituti infra vnius anni spatium, a data computandum eadem (quod quidem tempus pro peremptorio termino assignamus) ipsa nostro & præfatæ sedis conspectui repræsentent, & ad nostram & ipsius sedis notitiam deducant, apostolicæ discussionis examen iusto iudicio, faciente Domino, subitura; ipsaque quantum ad omnem effectum maneant suspensa, quousque per sedem ipsam ex certa scientia fuerint approbata.

Addita conditio, nisi prius exposita & in examen adducta coram sede Apost.

Alioquin ex nunc de eorundem fratrum nostrorum consilio vel assensu priuilegia, literas, gratias, & alia supradicta, quæ nostro & præfatæ sedis conspectui præsentati, & ad nostram & sæpedictæ sedis notitiam, vt præmittitur, deduci mandamus; & quidquid ex eis vel ob ea secutum extiterit, vel sequetur, apostolica auctoritate & de potestatis plenitudine cassamus, irritamus, euacuamus, cassas, irritas, & vacuas nuntiamus, ipsa omnino carere viribus decernentes: non obstante, si ab eodem antecessore vel alijs Romanis Pontificibus quibuscumque ordinibus, collegijs, ecclesijs, vel personis cuiuscumque conditionis, præeminentiæ, siue status aliquibus vel alicui eorum sub quacumque forma vel expressione verborum sit indultum quomodolibet vel concessum, quod prædicta forma concessa & commissa per antecessorem ipsum vel alios Romanos Pontifices, aut eius vel eorum auctoritate nequeant reuocari per literas apostolicas, quæ de indulto seu concessione huiusmodi, aut de ipsorum toto tenore, seu de verbo ad verbum de ordinum, aut personarum nominibus plenam, determinatam, & expressam non fecerint mentionê; seu quacumque indulgentia, vel concessione alia dictæ sedis generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam effectus præsentium posset quomodolibet impediri. Si quid autem in præmissis, vel circa præmissa dubij vel ambiguitatis emerserit, declarationi & interpretationi dictæ sedis plenarie reseruamus, semel & pluries, quoties opus fuerit, & prout expediens viderit, faciendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, confirmationis, factionis, approbationis, innouationis, vacuationis, concessionis, suspensionis, præcepti, assignationis, mandati, cassationis, irritationis, nunciationis, constitutionis, & reseruationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Dat. Laterani VI. id. aprilis pontificatus nostri anno* I.

Antecessorû indulta nulli futura præsidio.

Decreuimus itaque tenorem eundem taliter annotatum illam fidem, illamque vim vbique tam in iudicio quam extra iudicium posse facere & habere, illiusque firmitatis robur obtinere, quæ originales literæ eiusdem prædecessoris nostri exinde confectæ, si exhiberentur, facerent, haberent & etiam obtinerent. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. non. iulij anno* VII.

IESV CHRISTI
Annus 1342.

CLEMENTIS PP. VI. annus 1. VAC. IMP. OCCID. 29. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 2.

1 INgenti bonorum omnium dolore e viuis ereptus est Benedictus XII. Seruatoris anno [a] millesimo trecentesimo quadragesimo secundo indictione decima; cum annos septem, menses quatuor, dies sex summa cum pietatis laude pontificatum gessisset: creatus enim est, vt vidimus XIII. kal. ianuarij, finem vero vitæ fecit VII. kal. maij, quemadmodum plerique scriptores testantur. De quo nonnulla digna memoria afferenda operę pretium arbitror, quæ extremo Pontificatu gessit. Iisdem igitur prorsus pijs studijs restaurandæ in ordine ecclesiastico primæuæ morum sanctitatis pontificatum absoluit, quibus illum fuerat auspicatus: cum enim in Castel-

a Gest. Bened. XII. apud Bosq. & auct. anonym. M.S. bibl. Vat. sig. n. 3765 in Bened. XII.

Extrema Benedicti gesta.

ftella obfoletiores facerdotum mores luxuriæ fordibus nondum terfi effent, quamuis iam ad id apoftolicam operam contuliffet, Toletanum, Bracharenfem, Compoftellanum, & Hifpalenfem archiepifcopos, eorumque fuffraganeos obnoxios fibi clericos ex impudicitiæ cœno encyclicis hifce literis a iuffit excitare, difciplinæ ecclefiafticæ feueritate obiecta.

a Au. 8. op. cur. et poft fund. ep.

Venerabilibus fratribus archiepifcopo Hifpalenfi eiufque fuffraganeis falutem, &c.

Collapfos Caftellani cleri mores redarguit.

Decet prælatos quoslibet, qui ad regendum alios in partem folicitudinis funt affumpti, fic per fplendorem vitæ ac doctrinam bonorum operum relucere, vt eorum fubditi exempla falubria imitantes, ipforum non folum culpas & exceffus proprios corrigant, verum etiam ad operanda fimilia folertius animentur. Sane ad audientiam noftram, quod non fine graui mentis turbatione referimus, fide digna relatione peruenit, quod nonnulli ex vobis, fratres fuffraganei, nec non presbyteri, clerici, ac perfonæ ecclefiafticæ veftrum omnium fubditi, diuini timoris obliti pariter & amoris, ac famæ fuæ prodigi, & honoris etiam inimici, vitam eorum maculare publice incontinentiæ vitio non verentur: ex quo fit, quod illi ex vobis, quos propria culpa damnat, presbyteros & clericos eorum fubditos, huiufmodi vitio laborantes, punire non audent; immo malefacta coguntur in animarum fuarũ periculum palliare: propter quæ prælatorum & fubditorum præfatorum multiplicantur fcelera & peccata, & fubditis ipfis propter impunitatem huiufmodi præbetur materia laxandi habenas licentius ad prædicta facinora, & alia illicita committenda: & præter hæc ipfi prælati, presbyteri, & clerici a principibus & baronibus ipfarum partium propter diuulgationem infamiæ dicti vitij vilipenduntur & contemnuntur, ac ecclefiæ, quibus præfunt, patiuntur in temporalibus non modica detrimenta.

Queritur ex eo obfolefcere dignitatẽ ordinis ecclefiaftici

2 Quia igitur huiufmodi dehoneftatis vitium, quod enormiter derogat honeftati ecclefiæ fponfæ Chrifti, in prælatis præfertim & alijs perfonis ecclefiafticis, tanto eft abominabilius deteftandum, quanto in eorum & totius cleri & clericalis ftatus maius opprobrium, infamiam, ac cunctorum fidelium grauius fcandalum nofcitur redundare, ac fuperiorum malefacta trahuntur ab inferioribus facilius damnabiliter in exemplum; & propterea cupientes, vt vos presbyteri & clerici veftri fubditi ab huiufmodi fordibus paternis monitis fic effectualiter retrahamini, vt non expediat contra vos caftigationis alterius medelam per fedis Apoftolicæ prouidentiam adhiberi; fraternitati veftræ per apoftolica fcripta diftricte præcipimus & mandamus, quatenus tu, frater archiepifcope, illos ex dictis fuffraganeis auctoritate apoftolica monere & inducere ftudeas, vt illi ex eis, qui funt vitio prædicto refperfi, per correctionem voluntariam illud cohibere ftudeant in feipfis: & nihilominus veftrum finguli in fuis ciuitate & diœcefi veftros fubditos publicos concubinarios, & alios in talibus delinquentes fic, prout iura volunt, procuretis folerter corrigere & punire, quod ipfi fubditi retrahantur ab huiufmodi vitio, & ad exercitium bonorum operum reducantur: vofque de inobedientia, negligentia, & defectu non poffitis de cætero rationabiliter reprehendi; quin immo vos de veftra & veftrorum fubditorum correctione debita, & obedientiæ promptitudine in præmiffis commendare dignis in Domino laudibus valeamus.

Præfules excindendis vitijs iubet incumbere.

Quod fi forte vos fuffraganei huiufmodi monitionibus & inductionibus apoftolicis nolueritis, vel contempferitis obedire, volumus & tibi, frater archiepifcope, præcipimus & mandamus, quatenus de culpa ipforum fuffraganeorum & inobedientia, fi quas forfan in iftis committere eos continget, fimpliciter & de plano fine ftrepitu & figura iudicij auctoritate prædicta diligentius te informes, & quæcumque fuper ijs inueneris, fideliter in fcriptis redacta, nobis per tuas literas, rerum feriem continentes, fideliter referre procures; vt tua fuper relatione inftructi, aduerfus culpam & inobedientiam culpabilium in præmiffis poffimus congruum remedium adhibere, contradictores per cenfuram ecclefiafticam, appellatione poftpofita, compefcendo; non obftantibus, &c. *Dat. Auin. XII. kal. february anno VIII.*

Si defuerint officio, apoftolicam feueritatẽ intendit.

3 Religiofiffimum in promouendis ad facerdotia & dignitates viris fcientia virtutibufque præftantiffimis fuiffe Benedictum, in hæreticis infectandis ardentiffimum, in proquinquis ad ecclefiafticos honores non euehendis modeftiffimum, contemptufq; humanarum rerum infignem vitæ eius anonymus auctor apud Bofquetum commendat hiftoriæ his verbis a: *Hic fummus Pontifex fuit maximus zelator fidei, ac in omni ftatu fuo feruidus hæreticorum & rigidus perfecutor. Fuit bonæ, immo & fanctæ intentionis in omnibus factis fuis: & in cæteris, quantum in ipfo fuit, dedit operam efficacem, vt in beneficijs, dignitatibus, & prælaturis, fuo tempore vacantibus, ponerentur & præficerentur bonæ & honeftæ perfonæ, prouidæque & difcretæ, ac fufficientes in literatura ac maturæ in moribus, effentque ætatis prouectæ iuxta ftatum ac conditionem ac qualitatem beneficiorum, dignitatum, & prælaturarum, ad quæ vel quas effent affumendæ; & in hoc voluit, quod præferrentur meliores & fufficientiores, aliter ad quafcumque perfonas afpectum fpecialiter non habendo: & in hoc multoties fe decipi formidauit. Et in hoc antequam prouideret de talibus fua difpofitioni referuatis, inquirebat fumma cum diligentia de meritis & fufficientia illorum, qui ad hoc fibi nominabantur: & cum eos non reperiebat iuxta guftum fuum bene idoneos & fufficientes, potius volebat, quod vacarent & remanerent in manibus fuis, quam fi aliter prouideret: propter quod multa beneficia, dignitates, & prælaturæ quamplures diutius in vacatione permanferunt; dicebat enim, quod melius & fecurius erat, quod vacarent, quam fi haberent malos vel minus idoneos præfidentes.*

In conferendis dignitatib' integerrimus.

a Gefta Ben. XII. apud Bo.

4 *Ipfe enim de fuis confanguineis vel propinquis exaltandis, vel promouendis nullatenus curauit: non enim inuenitur, quod aliquem de fuo genere ad quamcumque prælaturam promouerit, nifi vnum folum, quem præfecit ecclefiæ Arelatenfi; qui tamen ad hoc alias erat bene dignus & fufficiens, & hoc etiam fecit quodammodo precibus & inftantia Cardinalium deuictus. De laicis vero nullum exaltauit, immo nec voluit quod ftatum fuum, qui fatis erat per prius infimus, propter ipfum immutarent: vnicam enim neptem, quam habebat per plures magnates pro coniugio petitam, eis dare expreffe negauit, dicens in vulgari fuo, quod non decebat talem equum hanc habere fellam: fed demum ipfam nuptui tradidit filio vnius mercatoris fimplicis Tolofæ, dotem fibi fecundum ftatum eiufdem mercatoris conftituendo.* Confirmat hæc Albertus Argentinenfis b qui tradit, illum aliquando porrectas ad confanguineorum gratiam vt promouerentur preces repetito Dauidico oraculo refregiffe: *Si mei non fuerint*

Mire ab humanis affectibus diuulfus.

Propinquos fua forte contentos effe iubet.

b Alb. Arg. in chron. Anno 14.

rint dominati, tunc immaculatus ero. Hac in re, vt in pluribus alijs, non modo nominis, sed Christianarum etiam virtutum heredem se ostendit Benedicti XI. qui matrem magnifico cultu ad pompam ornatam non agnoscere dissimulauit a; humili & ignobili habitu redeuntem est amplexatus: vel etiam imitatorem Clemeotis IV. (vt antiquiorum Romanorum Pontificum exempla prætereamus) quem nullis opibus, quas ipse spernere profitebatur, suos auxisse vidimus. Diuolsum a nimio in parentes affectu consentit M. S. Vaticanum his verbis b: *Hic fuit homo durus & constans; magnus magister in legibus & diuinitate. Hic multum thesaurum ecclesiæ congregauit. Hic nihil dare voluit alicui de suo genere vel consanguineo. Iste vero non timebat quemquam, quin ius & iustitia obseruaretur vbique per vniuersum. Hic nimis bonos dilexit, & malos odio habuit.*

a Annal. to. 21 v. an Chr. 1304 n. 35.

b M. S. bibl Vat. sign. n. 2040. in Ben. XII.

Noo minus vero doctrina, quam integritate emicuit: plurimaque reliquit illustria monumenta ob quæ inter scriptores ecclesiasticos aonumerandus est. Eius commeotaria aduersus Fraticellos, quæ parum accurate delibasse Aymericum obseruat Pegna c, nondum vidimus: grauissima autem fuisse ex aliorum operum præstantia & grauitate conijcimus. Iogens enim eius volumen M. S. d euoluimus, in quo plures extant illius homiliæ de præcipuis Christi, Deiparæ, & sanctorum festiuitatibus: tum commentarius complectens vndecim quæstiones in Durandum: præterea liber amplissimus in sex tractatus dispertitus de visione beatifica, & alijs controuersijs theologicis, de quibus iam ante meminimus. De structurarum vero operibus ab eo Auenione excitatis, hæc habet M. S. Vaticanum e: *Item dictus Papa fieri fecit totum magnum palatium, vbi ipse residentiam fecit Auinione cum turribus circumcirca, atque viridario bene fabricatis.* An recte in eo de ecclesia meruerit, cum ita sedem Apostolicam constabilire velle Auinione alicui fortasse videri potuerit, non discepto. Certe ignorabat futurum nidum arcemque schismaticorum pseudopootificum. Insignia porro sunt memoratuque digna elogia, quæ in Benedictum ob pietatis in Deum studia anonymus vitæ ipsius auctor confert, & attexenda visa sunt.

Bened. annumerandus scriptoribus eccles.

c Direct. inquis. 2. p. in quæst. 17 com. 42.

d M. S. bib Vat. sign. n. 4006. pag. 224.

Insignia eius opera

e M. S. bibl Vat sign. n. 2040. in Ben. XII.

5 *Ipse insuper mente, verbo, & opere totus intentus extitit ad ea, quæ Dei erant, posse tenus exequenda: non tamen propterea illa, quæ etiam mundiale regimen sibi commissum concernebant, neglexit; immo in ipsis bene & vtiliter agendis & gubernandis debitam adhibuit diligentiam, prouideque se gessit nihil de contingentibus omittendo. Mundanam pompam & vanam gloriam in se & in suis omnino contempsit; sicque fuit re & nomine Benedictus tanquam a Deo, & Benedictus hoc est bene nominatus & reputatus a mundo, cum fere omnes, saltem boni, qui in mundo erant, de ipso bene dicerent, & existimarent, & merito: nam, sine cuiusquam præiudicio loquendo, omnes alios sui nominis, qui ipsum in statu papali præcesserunt, non reperitur quod ipsum in meritis excesserint; immo nec per ea, quæ de ipsis scribuntur attigerint: & si fas sit scribere, post martyres & alios, quos ecclesia veneratur & colit vt sanctos, inter meliores ipse vnus fuit, & est merito reputandus. Qui plenus magnis meritis post multa virtuosa, ac laude digna spiritum reddidit Saluatori anno Domini* MCCCXLII. *die* XXV. *mensis aprilis pontificatus sui anno* VIII. *fuitque sepultus in ecclesia maiore Auinioni, in qua adhuc iacet in capella pro ipso specialiter fabricata, etiam miraculis coruscando.* In consignando mortis Benedicti & pontificatus tempore consentit M. S. Vaticanum a, cuius verba accuratissima adiungimus: *Tandem, inquit, anno Domini* MCCCXLII. *in die S. Marci euangelistæ in Auinione in palatio, quod construi fecerat, ad Christum migrauit: de cuius morte tota curia ac Christianitas condoluit. Et sic sedit ab electione annis septem, mensibus quatuor & diebus sex: a coronatione eius sedit annis* VII. *mensibus tribus, diebus* XVII. *ac vacauit diebus vndecim, sepultusque est in ecclesia cathedrali Auinione.*

Constanter rem diuinam promouet. Humana prudenter curat.

Meritis claret.

Eius mors.

a M. S. bibl Vat. sign. n. 2040. in Ben. XII.

6 Defuncto Benedicto XII. Cardinalium suffragijs suffectus est Petrus Rogerius tit. SS. Nerei & Achillei presbyter Cardinalis, qui Clementis VI. nomen sibi indidit, de quo Germanus auctor anonymus eius temporis in M. S. b de Romanis Pontificibus hæc habet: *Clemens VI. natione Lemouicensis de Malmonte Lemouicensis diœcesis, prius dictus Petrus Rogerij, monachus monasterij casæ Dei ordinis S. Benedicti Claromontensis diœcesis, deinde Parisijs factus magister in theologia, & post abbas Fescanensis * dicti ordinis, postea episcopus Atrebatensis, deinde archiepiscopus Senonensis, & posthac archiepiscopus Rothomagensis.* Confirmant hoc Clementis literæ, quibus ad decorandam Rothomagensem ecclesiam vim auri plurimam contulit c. Addit auctor: *Demum per dominum Benedictum prædictum creatus presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei, & tandem, mortuo eodem domino Benedicto, electus in Papam* VII. *die may anno Domini* MCCCXLII. *& die sancto pentecostes (quæ fuit duodecima) apud fratres Prædicatores Auinione coronatus est.* His consentanea Clementis vitæ scriptor apud Bosquetum, Hocsemius d, Rebdorfius e, S. Antoninus f, & alij referunt; quibus M. S. Vaticanum g adiungimus, in quo assertur insigne hoc illius elogium: *Hic fuit vir magnæ diuinitatis scientiæ, atque fons sermocinationum. Hic largissimus fuit, atque in omnibus placidus & affabilis, nec non commensabilis. Hic sub* MCCCXLII. *fuit electus nonis may Auinione ad locum Prædicatorum, coronatus* XIV. *kal. iunij, seditque annis decem, mensibus sex, diebus viginti octo ab electione.* At de tempore sedis rursus suo loco.

Succedit illi Clemens VI.

b M. S. bibl Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

Eius primordia.

* Fiscanensis

c Tom. 4. ep. secr. 31.

d Hocsem. l. 2. c. 37.

e Rebdorf. in annal.

f Ant. 3. p. tit. 21. c. 8. in princ.

g M. S. bib Vat sign. n. 2040. in Clem. VI.

Prænuntiatum illi pontificatum fuisse, cum Lutetia ad monasterium suum rediret, atque a latronibus spoliatus fuisset, refert Massonus h ex Illidiani monasterij commentarijs his verbis: *Donatus Lutetiæ Parisiorum doctoris theologi nomine & laurea, qui honos non exiguus illa ætate habebatur, Casam Dei ad monasterium suum redire cupijt. In itinere, cum apud Aruernos iam esset non procul a Claromonte, vbi Aruernum municipium olim fuit, incidit in latrones, qui tunc in saltu Randanio (is caduus est) viatores expectabant. Nudatus ab ijs exutusque viatico et veste, præter lineum indusium, et vitam incolumem nihil habebat: nihilominus iter suum prosecutus, Turetum citissime peruenit. Id a Claromonte distat decem passuum millibus, estque modici redditus beneficium ecclesiasticum ab Illidij templo apud Claromontem dependens. Qui illi loco præerat Stephanus Aldebrandus miseratus spoliati monachi casum, vestem ei & necessaria vitæ dedit, benigneque habitus, cum discederet: Ecquando, inquit, acceptum beneficium referre potero? Tum Aldebrandus: Cum eris Romanus Pontifex, inquit: tunc par pari referes. Igitur multo post Clemens pontificatum adeptus, memorque veteris officij erga se, Aldebrandum Auenionem ire iubet,*

Prænunciatur illi pontificatus.

h Masso in Clem. VI.

bet, cumque cubicularium pontificium fecit, posteaque archiepiscopatu Tolosano exornauit, in quo munere is fuit vsque ad annum millesimum trecentesimum sexagesimum tertium.

Eius in benefacto rem gratissimus animus.

7 Redimitus pontificia corona circumductus est a per Auinionenses vias a Ioanne Normanniæ principe sceptri Gallici herede, stratorem agente, perfectaque ea pompa, encyclicas literas de Benedicti XII. obitu susceptisque ecclesiæ gubernaculis dedit ad Reges ac Reginas Philippum b & Ioannam c Francorum, Eduardum d, ac Philippam e & Isabellam f matrem, Reginas Anglorum, Robertum g, & Sanciam h Siciliæ, Alfonsum i & Mariam l Castellæ ac Legionis, Philippum m Nauarræ, Vgonem n & Alexiam o Cypri, p Dauidem & Ioannam q Scotiæ; Casimirum Poloniæ r, Ioannem s Boemiæ, Carolum t & Elisabetham u Vngariæ, Petrum x ac Mariam y Aragonum, Guidonem z & Costantiam a Armeniæ, Iacobum b & Constantiam c Balearium, Alfonsum d ac Beatricem e Lusitaniæ, aliosque plures principes f, quos ad sceptra pie moderanda, & coniungenda pro religionis splendore augendo regia studia excitauit. Conceptæ sunt hac verborum forma, quæ Francorum Regi inscriptæ:

a M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI. b Clem. an. 1. l. 1. ep. cur. 1. c ib. ep. 12. d Ep. 2. e Ep. 13. f Ep. 51. g Ep. 3. h Ep. 14. i Ep. 4. l Ep. 60. m Ep. 5. n Ep. 6. o Ep. 59. p Ep. 7. q Ep. 51. r Ep. 8. s Ep. 9. t Ep. 10. u Ep. 15. x Ep. 16. y Ep. 61. z Ep. 67. a Ep. 90. b Ep. 77. c Ep. 62. d Ep. 78. e Ep. 89. f An. 1. l. 6 pag. 1. 64. &c.

Clemens, &c. Philippo Regi Franciæ illustri.

Diuina in sorte hominum prouidentia.

In præcelso throno diuini culminis sapientiæ altitudo, sublimitas potentiæ, ac prudentiæ plenitudo consistunt, & qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur & varientur creaturarum conditiones & status, aliaque gratiarum munera ineffabili prouidentia dispensentur, humani non capiunt intellectus. Supernus namque conditor in omnipotentia sua mirabilis dixit, & facta sunt; & quæ ipsa voluit, sunt creata. Habens tanquam ille, qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit fortem ex debili, & nonnunquam ponit humiles in sublimi, ac sacrosanctam ecclesiam catholicam, quam sibi charitatis inseparabili dulcedine copulauit, salubriter dirigit & gubernat. Siquidem felicis recordationis Benedicto Papa XII. prædecessore nostro, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri, diaconi S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione Romani Pontificis conuenientes in vnum, sancti Spiritus, vt moris est, gratia inuocata, quasi per inspirationem ipsius in nos, sicut diuinæ clementiæ placuit, vota sua concorditer direxerunt, nos ad conscendendam speculam apostolici culminis, & subeundum grauissimam totius orbis regiminis sarcinam eligentes. Verum cum ad tantæ dignitatis apicem obstuperemus assumi, eo quod impotentiæ nostræ humeri ad tantum onus non sufficerent supportandum; tandem sperantes in illo, qui reddit suaue iugum suum & onus leue illa portantibus, patienter ad ipsorum fratrum instantiam votis acquieuimus eorundem, & colla nostra submisimus humiliter iugo apostolicæ seruitutis: & subsequenter benedictionis & coronationis nostræ solemnia iuxta morem, in personis felicis memoriæ Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus obseruatum, suscepimus ad gratiarum fontem, de cuius accipimus plenitudine vniuersi, Pastoris videlicet æterni clementia, in humilitatis spiritu recurrentes, vt ipse non iuxta nostrorum meritorum exigentiam, sed secundum suæ superabundantiam pietatis debilitati nostræ sic tribuat roboris fulcimentum, quod susceptum onus ad laudem sui nominis, ecclesiæ vniuersalis honorem & statum, salutem; & tranquillitatem fidelium, ipso cooperante deferre, ac in populis solicitudini nostræ creditis quarumlibet dissensionum exinde amputata materia, ministrare bonum pacis, ad quæ nostra summa adspirat intentio, valeamus. Adijcit quoque in hoc & alijs spei nostræ suffragium tui specialiter & aliorum catholicorum consideratio principum, quos speramus sic ab illo per quem Reges regnant, & potentes in suis regiminibus exercent iustitiam, dirigi quod ipsis per vias rectas nos iuuantibus, grex dominicus curæ nostræ commissus, committentis virtute præambula, ad æterna gaudia perducatur.

De concordi Clementis electione.

Vt ad diuinam opem perfugerit.

Pontificia ad Gallū Regem adhortatio.

8 Et quia, fili charissime, sicut nosti, inter alios Reges & principes, dum nos minor status haberet, ad personam & regnum tua semper gessimus præcipuæ dilectionis affectum, & erga te velut speciale ipsius ecclesiæ brachium paternæ dilectionis plenitudinem non solum continuare intendimus, sed augere; tibique & tuis subditis pacis & prosperitatis commoda indefessæ solicitudinis studio procurare; serenitatem regiam rogamus in Domino & hortamur, quatenus Deum timens, in cuius manu cor tuū est, & in eius arbitrio vita tua, ipsius studeas custodire mandata, iustitiam colere ac diligere in omnibus æquitatem, sciens quod ad hoc te hominibus naturæ tuæ participibus prætulit dominus Deus tuus: & nihilominus in deuotione sanctæ ecclesiæ tuæ matris, ad cuius defensionem accepisti principaliter a Domino gladij potestatem, nec non exaltationem catholicæ fidei, ecclesiarum defensionem, ac conseruationem ecclesiasticæ libertatis tua sublimitas semper crescat, vt ex hoc tibi augeatur in præsenti gratia & gloria in futuro, illam de nobis spem certam & fiduciam habiturus, quod tuam & regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, regalem magnificentiam opportunis curabimus, quantum cum Deo poterimus, fulcire fauoribus, ac dignis gratijs & honoribus præuenire. *Dat. Auin. x11. kal. iunij pontificatus anno 1.* Conceptæ sunt magna ex parte eadem verborum formula ad præsules encyclicæ literæ, quos ad fundendas diuino Numini preces excitauit a, vt bella intestina pacaret.

a Eod. an. 1. l. 6. ep. com. 17. et reg. post vand. ep.

9 Correptis igitur vniuersæ ecclesiæ catholicæ gubernaculis Clemens, magnis animis piæ reuocandæ in vniuerso orbe Christiano pacis consilia perducere aggressus est, cum cerneret ingentia mala, quæ ex Regum dissidijs rei Christianæ imminebant, eaque auertere exoptaret. Atque in primis cum sæuissima omnium dissensio Francos Anglosque allideret, sedandæ illi primos conatus addixit, legatione ad Philippū & Eduardum Reges decreta, cuius obeundæ munus Petro Prænestino & Anibaldo Tusculano episcopis S. R. E. Cardinalibus iniunxit, de quibus hæc Clemētis vitæ b auctor subijcit: *Hic summus Pontifex satis cito post creationem suam optans, quod guerra iam a diu orta inter Reges Franciæ & Angliæ sedaretur, misit ad ipsos suos nuntios, legationis officio fungentes dominos Petrum de Pratis Prænestinum & Anibaldum Tusculanum episcopos Cardinales causa reformandæ pacis inter eos.* Optatior eo erat Francorum & Anglorum concordia, quo Babylonis, Syriæ, Ægyptique soldanus ex funesta eorum dissensione elatus superbia Armeniam concutiebat; atque Africę Reges superstitione Mahumetica implicati vires omnes & conatus ad Hispanias

Missi a Clemente legati pro Gallis Anglisque conciliandis.

b Gesta Clem. VI. apud Bosq.

Qui eo munere perfuncti.

Quam esset necessaria rei Christianæ pax.

suæ tyrannidi subijciendas effundebat, vt deplorat nouus Pontifex in literis ad vtrumque Cardinalem de commissa legatione datis 5, quibus præcipit, vt Reges, propositis ob oculos impendentibus rei Christianæ cladibus, ad pacem adducere studeant; & omnes, qui impedimento essent, quo minus concordia conciliaretur, intentatis censurarum ecclesiasticarum pœnis reprimerent; præstita fidei sacramenta ac fœdera de vrgendo bello dissoluerent, irritaque pronuntiarent,

5 An. 1. l. 6 ep. cur. 1.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Petro Penestrino S. R. E. vicecancellario, & Anibaldo Tusculano episcopis Apostolicæ sedis nuntijs salutem & apostolicam benedictionem.

Sane sicut euidentia facti notoriat, hostis humani generis, pacis æmulus, & dissensionum ac guerrarum non solum amator, sed etiam suscitator, inter charissimos in Christo filios nostros Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres, & nonnullos alios principes & magnates, valitores, auxiliatores, & sequaces eorum, ac adhærentes eisdem, grauis dissensionis materiam adeo bellicosis actibus, & hostilibus congressionibus terrestribus & maritimis dure commouit, quod ex huiusmodi periculosa discordia, diuersis vicibus & temporibus eorum conflatis viribus in vnum, hinc inde strages hominum, effusio sanguinis Christiani, qui de terra clamat in cælum, depopulationes & incendia locorum, ac ecclesiarum destructiones, rapinæ, spolia, facultatum lapsus, subditorum exilia, & oppressiones innumeræ; &, quod deflendum est potius, animarum pericula, & infinita enormia scelera hinc inde, proh dolor! sicut est toti mundo notorium, sunt secuta: et, quod pungit durius mentem nostram, Reges, valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes prædicti ad resumendos guerrarum congressus, & turbines grauiores iam se præparant & disponunt; quodque, nisi huiusmodi eorum proposito, ne deducatur in factum, celeriter occurratur, sperantur ex ijs multo grauiora mala, scandala, & pericula prouenire.

Propositę belli clades.

10 Nos igitur, licet immeriti, Regis pacifici in terris vicarij constituti, ex iniuncti nobis officij necessitate constringimur pro vniuerso populo Christiano vias pacis assidue cogitare, instando supplicationibus, & orationibus insistendo, vt ei Dominus pacis tempora tranquilla concedat, & contra vndosas tempestates pelagi huius mundi, ne fidelium naviculam obruant, discipulorum eius exemplo Iesum omnium saluatorem precibus assiduis excitare, vt imperet discordiarum fluctibus, cessentque procellæ fluctuantium odiorum & discrimina guerrarum, ad id operatrices manus solicite apponendo. Et licet cunctis Christicolis, ac Christicolarum singulis regionibus Deo & Apostolicæ sedi deuotis, in ijs nostræ diligentiæ studium debeatur, nosque ad ipsas libenter possibilitatis nostræ ministerium extendamus; tamen quanto præfatos Franciæ & Angliæ Reges, ac inclyta ipsorum regna apostolici pectoris in singularitate præcipuæ dilectionis habemus, & præcordialius gerimus in visceribus charitatis, circa prosperum statum eorum feruor vehementius nostræ mentis cauberat, & ad tranquillitatē eorum totis viribus procurandam cum affectionis plenitudine singularius cogitamus; propter guerras prædictas, quæ quotidie nimium inualescunt, animus noster dolet non immerito vehementer; & eo potius intima nostri cordis amaricant acerbius, & durioris punctionis aculeo affligunt, quo periculosas huiusmodi discordiarum, & guerrarum circumstantias nobis intentioris considerationis discussio efficacius repræsentat.

11 Attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerunt, & commoda piaque Dei negotia, quæ impediunt, & vtinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex talibus discordijs atque guerris non solum Babylonicus hostis, sed & alij Reges & reguli Agareni de partibus Africæ ad occupandas terras Christianorum, & religionem Christiani nominis extinguendam sumpserunt, sicut facti experientia docuit, audaciam transfretandi, & quod continue acriores solito & perniciosiores molestias inferre Christianorum Regibus, atque regnis & populis machinantur? Quis etiam quantumlibet studiosus concipere poterit, quantam tantorum principum, tanta sanguinis propinquitate & affinitate coniunctorum perniciosa &, proh dolor! inueterata dissensio, si inualescat vlterius, & hostilis congressio Christiani sanguinis hauriet, prout exhausit; quas hominum strages ingessit & ingeret, quæ animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam & producet, quot profluuia sumptuum, & expensarum abyssos tantorum principum horribilis grauisque commotio, & eius prosecutio exegerunt hactenus & exigent incessanter?

Inde crescere viribus infideles.

Volentes igitur sic perniciosis obuiare periculis, eisque congruum, quantum nobis ex alto conceditur, remedium adhibere; cum ad nos, qui licet insufficientibus meritis potestatis plenitudine fungimur, desuper nobis concessæ, singulariter pertineat in vniuersali ecclesia, cunctaue congregatione fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius obseruari; ad vos viros laudandæ virtutis scientia, & innata prudentia præditos, cultores iustitiæ, sedulos pacis amicos, & concordiæ zelatores, licet vestra præsentia nobis & apud nos ecclesiæ vniuersali perutili careamus inuiti, nostræ conuertimus deliberationis intuitum; vosque pro vestrarum consideratione virtutum, vobis a Domino in abundantia concessarum, ad prædicta Franciæ & Angliæ regna, ipsorumque terras, tanquam pacis angelos de fratrum consilio pro huiusmodi tractanda & perficienda, concedente pacis actore, optata pace atque concordia inter eos prouidimus destinandos; firmam tenentes fiduciam, quod actus vestros, illo dirigente qui nouit praua in directa & aspera in vias planas conuertere, per vestræ circumspectionis industriam, prætactis periculis & discriminibus laudabiliter & vtiliter poterit obuiari. Quocirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta de fratrum prædictorum consilio committimus & mandamus, quatenus prudenter attento, quod ad negotium tam insigne tamque præmissis attentis periculis insidens cordi nostro vos confidenter duximus eligendos, vos ad regna & terras prædicta personaliter conferentes, Reges nec non valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes prædictos, dictis periculis, discriminibus, atque damnis recitatis eisdem, ad pacem & concordiam iuxta datam vobis ex alto prudentiam solicitis monitis & efficacibus persuasionibus inducatis, vt faciente pacis Auctore, per ministerium vestrum iuxta desiderium nostrum inter Reges ac valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes eosdem cesset discordia, regnetque concordia,

Sumptū ad medendum his malis consilium.

quies

quies veniat, & pax resurgat ad Dei honorem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, & exaltationem populi Christiani &c. *Dat. Auin. 11. kal. iulij anno 1.*

Imperauit præterea Clemens Cardinalibus legatis, vt si ijdem Reges atque alij eo impliciti bello inducias inter se inire recusarent, ipsi apostolica auctoritate fulti eas indicerent, promulgarentque: *Vobis*, inquit, *& vestrum cuilibet indicendi treugas ad certum tempus, vestro arbitrio moderandum, inter Reges eosdem ac fideles, adhærentes, & valitores eorum, & indictas eisdem Regibus & alijs, de quibus expediens fuerit, per vos vel alium seu alios notificandi, ac vbicumque vobis vtiliter visum fuerit, solemniter publicandi; & infringentes, aut quomodolibet non seruantes easdem excommunicationis, & in eorum terras interdicti sententias promulgandi, & alia faciendi, quæ circa id fuerint opportuna*, & infra, *concedimus potestatem.*

Data legatis imperandarũ induciarũ potestas.

Instruebant interea Reges ingentes apparatus bellicos, quos vt retardaret Pontifex, anathema interdictumque ecclesiasticum ijs a omnibus incussit, qui naues conducerent ornarentue ad Gallias inuadendas: ac vicissim ad frangendos Gallorum Scotorumue impetus easdem pœnas obiecit b alijs, qui Angliam terra vel mari adoriri auderent. Exulceratæ nimium res erant, vt concordia reuocari posset. Induciæ vero a Cardinalibus pacto firmatæ sunt, de quibus hæc auctor anonymus M. S. Vaticani c: *Mittuntur eadem æstate in Franciam Anibaldus Tusculanus & Petrus Prænestinus episcopi Cardinales pro guerra sedanda, inter Eduardum Angliæ & Philippum Franciæ Reges orta: qui tamen, nisi inductis treugis paucorum dierum, modicum profecerunt.*

a Ib. ep. 9.
b Ib. ep. 10.
Intermissum pãctione bellum.
c M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

10 Auxerat admodum Anglici belli molem Flandrorum defectio: cumque, his in gratiam cum Francorum Rege restitutis, spes ingens affulgeret fore, vt externum bellum consenesceret; Clemens, quo facilius ipsos ad officium pelliceret Beltraminum electũ Bononiensem sua sponte in Belgium legauit, vt censuras, quibus se ob rebellionem irretierant, dissolueret si rite ab ijs fo absolui postularent.

Iocussæ d eæ olim fuerant magna consilij maturitate a Clemente V. ad vinciendam Belgarum fidem, ipsis id enixe a sede Apostolica flagitantibus, cum e fœderis inter eos & Philippum IV. initi legibus ad id se obstrinxissent: contraxerant vero ob manifestam perduellionem censuras huiusmodi. Quæ cum intolerandæ viderentur ijs iam perduellibus præterito cum Philippo VI. bello, ex nouis pacis legibus adegerant Gallum Regem, vt eas censuras ab Apostolica sede rescindendas curaret. Philippus itaque suas adhibuerat partes apud Benedictum XII. vt interdicti & anathematis obiectas, si rebellarent, Flandris pœnas remoueret: sed Pontifex ratus indignum apostolica constantia ob perduellium furorem magna consilij maturitate lata edicta facile conuellere, ac subditos populos ea ratione iugum principum facile excussuros; respondit, se vsurum clementia in Belgis a censuris liberandis, modo ad Regis Francorum obsequium redituros se pollicerentur. Sed cum longe ab eo consilio illi abhorrerent, Benedictus in suscepta priore sententia perstitit. Philippus autem Francorum Rex, vt fidem suam liberaret, cum in vltimo fœderis colloquio daturum se ad id operam spopondisset, Ioannem primogenitum suum Normanniæ ducem ad aulam Auenionensem misit, vt rem ad Flandrorum gratiam vrgeret, seque fraudum labe purum ostenderet. Clemens porro ita illius petitis assentiendum putauit, vt Belgarum saluti consuleret: qui cum iuste censuris ac periurio deuincti essent, Beltraminum episcopum Bononiensem internuntium, vt eos ad Christianam pœnitentiam excitaret, ac resipiscentes rite absolueret, legauit a.

De Belgis Gallo Regi conciliandis actum.
d An. 1. p. 6. op. cur. 5.

Beltraminus epis. Bononien. internuntius ad eos missus.
a Ead. ep. 5.

Clemens, &c. venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi literarum nostrarum contradictarum auditori.

13 Eodem prædecessore [nimirum Benedicto] naturæ debitum, prout Domino placuit, persoluente; nobisque deinde, licet immeritis, ad apicem apostolicæ dignitatis assumptis, dilectus filius nobilis vir Ioannes dicti Regis [nempe Francorum] primogenitus dux Normanniæ in nostra & fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia constitutus, præmissa omnia, quæ per dictum Regem genitorem suum, eiusque prædictos nuntios ac literas supplicata & petita fuerant, vt præfertur, per nos concedi, fieri, & compleri nomine dicti Regis supplicauit, & petijt humiliter & instanter. Nos igitur animarum Flammingorum prædictorum, paternis affectibus zelantes salutem, ipsosque ab inuio ad viam veritatis, & de tenebris ad lucem conuertere cupientes; ac mitius & fauorabilius, quam idem prædecessor noster, qui sæpius asseruit, se dictum absolutionis & relaxationis beneficium ab excommunicationis & interdicti sententijs supradictis nullatenus impensurum, nisi in forma ecclesiæ peteretur tantummodo coram ipso, cum eisdem agere; nec non exemplum illius, qui non expectato, quod ouis ab ouili dispersa rediret ad ipsum, exijt & iuit vt perquireret, & suis etiam humeris reportaret eandem, imitari volentes; te, de cuius prudentia, & fidelitate plenam in Domino gerimus fiduciam, ad partes illas, plena & matura deliberatione cum eisdem fratribus habita super ijs, prouidimus destinandum.

Vt Normanniæ dux pro Belgis intercessit egens.

Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad partes prædictas Flandriæ vel alias propinquas eisdem, te personaliter conferens, omnes & singulos clericos tam religiosos quam seculares, ac laicos, qui veniendo contra pacem, conuentiones, & pacta inter Reges Franciæ & Flammingos pro tempore inita, eaque infringendo, & contra Reges prædictos, vel eorum aliquem rebellando, seque ab ipsorum fidelitate, deuotione & obedientia subtrahendo, aut alia aduersus Reges eosdem, seu eorum aliquem contra formam pacis pactorum, & conuentionum huiusmodi committendo, excommunicationis sententias incurrerunt; quique a te absolutionis beneficium ab eisdem sententijs humiliter implorabunt (competenti, de qua expedire videris, per eos satisfactione præmissa) iuxta ecclesiæ formam per te vel alium, seu alios absoluere, ipsisque pœnitentiam iniungere salutarem; ac cum prædictis clericis super irregularitatibus, si quas sic excommunicati, seu in locis dictæ patriæ ecclesiastico propter præmissa, vel ea tangentia interdicto suppositis, celebrando diuina, vel alias immiscendo se illis forsitan contraxerunt, dispensare, ac interdicta huiusmodi, quibus loca, villæ, & terræ, seu communitates, vel vniuersitates dictæ patriæ occasione præmissorum vel ea tangentium, subiacent relaxare & tollere auctoritate nostra

Promissa censurarũ absolutio, modo rite eam expetent.

procures. *Datum Auin. 12. id. iunij anno 1.*

Belgæ illud pure fateri detrectant.

14 Accedentead Belgium Beltramino, detrectarunt Flandri agnoscere se iuste censuris ecclesiasticis deuinctos teneri, ac tantum cautelæ gratia absolui flagirarunt, quasi anceps & ambiguum eorum perduellionis crimen esset. Consuluit itaq; Clementem Beltraminus internuntius, vti secum Belgis in his difficultatibus gereret. Cui Pontifex respondit a, constare de illorum perfidia & defectione; ac ni tire absolui censuris poscerent, in grariam cum ecclesia ipsos restituere vetuit.

a Ead p.6. ep. cur. 12.

Clemens, &c. venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi.

Nuper, videlicet XIV. kal. nouembris proximo præteriti, præsentibus nonnullis ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, tuas recepimus literas, huiusmodi per te factam prosecutionem negorij recitantes: in quibus inter cætera pes nos postulas declarari, an virtute commissionis prædictæ tibi sit attributa potestas vel non, dictos Flandrenses ad cautelam absoluendi ab eisdem sententijs; ac interdicta huiusmodi relaxandi rationes, quæ animum tuum mouerunt ad dubitarionem huiusmodi hinc inde in eisdem literis inserendo. Nos itaque huiusmodi tuarum serie lirerarum, & eisdem rationibus diligenter inspectis, tuam in ijs, quæ per re in huiusmodi negotio facta sunt, circumspectionem & prudentiam commendantes; fraternirati tuæ tenore præsentium respondemus, & etiam declaramus, non fuisse intentionis nostræ nec esse, quod ipsis Flandrensibus, & terris suis, aut alicui vel aliquibus eorundem potueris vel possis ex forma dictæ commissionis, vel alias ab eisdem sententijs ad cautelam absolutionis beneficium impertiri: nec intelleximus nec intelligimus id tibi per literas nostras, super dicta commissione tibi facta confectas fuisse vel esse concessum cum absolutio ad cantelam non sit nisi in casibus dubijs impendenda; & propterea hoc concedere aliud non esser, nisi prædictas sententias & processus, super causis euidenter notorijs factos, & per quos huiusmodi sententiæ sint prolatæ, & eorum iustitiam in dubium reuocare: ac propter hoc, saluti animarum dictorum Flandrensium, ad quod principaliter nostra aspirat intentio, non prouideretur salubriter; quinimmo sententiarum ipsarum maiori contemptui materia forsiran pareretur.

Consultus a Beltramino Pontifex.

Eius responsum.

Belgas nō ambiguo, sed explorato iure deuinctus

Licet autem piæ memoriæ Benedictus Papa XII. prædecessor noster, aliquem ad partes illas cum commissione ac potestate similibus recusauerit destinare; nos tamē fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus commissionē huiusmodi, in magnum fauorem & gratiam non modicam dictorum Flandrensium, qui ad nos & sedem eandem pro obtinenda absolutione huiusmodi venire ac mittere tenebantur, tibi factam, iuxta ipsius formam & declarationem præsentium exequaris diligenter, eisdem Flandrensibus & terris eorum a dictis sententijs, si ipsi ab eis deuore, humiliter, ac simpliciter petierint se absolui, iuxta ecclesiæ formam, & prædictæ commissionis continentiam, beneficium absolutionis impendas, ipsaque interdicta relaxes, & dispenses, vt præmittitur, cum eisdem, nullum eis super præmissis absolutionis ad cautelam beneficium impensurus.

Dara soluendarū censurarū auctoritas si crimen fateantur

Quod si forte dicti Flandrenses nolint pure & simpliciter iuxta formam ecclesiæ a prædictis sententijs petere se absolui, in eorum obstinata pertinacia remanentes, volumus quod ad hoc, vt nostra clementia & misericordia, quas in hac parte ostendimus erga ipsos & eorum proteruiam, cunctis fidelibus notæ fiant, huiusmodi commissionem tibi factam, & missionem de te ad partes illas pro reductione illorum, motu proprio nostro factas, & omnia, quæ in negotio ipso per te sunt habita, & tuis studijs procurata, nec non dictorum Flandrensium responsiones in Tornacensi & Morinensi alijsque ciuitatibus, terris, & locis circumuicinis, de quibus tibi expedire videbitur, per tuas patentes literas procures publicari solemniter, & de publicatione huiusmodi confici publica instrumenta: ac deinde ad nos & sedem eandem studeas remeare. *Dat. Auin. XII. kal. nouembris anno 1.* Ex his refellas Meyerum a qui ex nimio in suos innato studio, Flandros vt nullis censuris irretitos excusat. Sane inane perfidiæ erat inuolucrum, obtendisse non violasam fidem, cum Eduardus regio Francorum nomine & insignibus vteretur: nullo enim modo colorari eorum perduellionem posse alijs literis ad Beltraminum nuntium datis Pontifex grauissime disserit b.

Adiecta conditio, vt Belgæ ad officiū redeant.

Meyerus refellitur. a Meyer. in Lud. Nine

Ad notionem, inquit, *iam dudum deuenit publicam, & adeo existit notorium, quod nulla potest tergiuersatione celari, eosdem Flammingos sæpius contra conuentiones & pacta venisse huiusmodi; seque, rebellando contra charissimum in Christo filium nostrum Philippum nunc Regem Franciæ illustrem, seque ab eius obedientia & deuotione debitis subtrahendo, aliaque delinquendo multipliciter contra tenores conuentionum & pactorum huiusmodi erga eum violasse; ac propterea ipsos Flammingos, eisdem excommunicationis, ac vniuersitates & communitates eorum, loca, & villas patriæ Flandriæ, interdicti sententijs promulgatis, vt præfertur, subiacere dubium non extitit hactenus, nec existit, &c.* Adiungit, nonnullis interiectis, imperia vt si ad Philippi Regis obsequium redire detrectant, pronuntiet anathemate deuinctos, ac Flandriam ecclesiastico interdicto percellat. Molliri non potuit Flandrorum ferocia: ipsos enim post hæc tempora sensisse cum Eduardo Anglorum Rege visuri sumus, atque arma in Gallos mouisse.

b An. 1 p.6 ep. cur. 4. Belgarum rebellio nullis tuta excusata.

15 Cæterum eorum bellorum occasione labefactata admodum est in Gallijs, ac multo magis in Anglia libertas ecclesiastica: ad quam in pristinum statum restituendam Benedictus Petrum tit. S. Praxedis & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales incumbere iusserat c, recensitis omnibus iniurijs, quæ ordini ecclesiastico ab administris regijs inferebantur: eumque ob bellicos fragores nondum his malis idonea essent admota remedia, Clemens iterum Petro Penestrino & Anibaldo Tusculano episcopis Cardinalibus partes imposuit d, vt ea abolenda curarent, & magistratus Anglicos, qui atrociter ordinem sacerdotalem opprimebant, censuris ecclesiasticis percellerent.

Libertas ecclesiastica labefactata in Anglia.

c Bened. an. 3. p. 1. ep. cur. 15

d An. 1. p.6 ep. cur. 4.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Petro Penestrino S.R.E. Vicecancellario, & Anibaldo Tusculano episcopis, Apostolicæ sedis nuntijs.

Cum vos ad dictum Angliæ regnum pro magnis & arduis negotijs destinemus; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfato Regi [nimirum Eduardo] diligenter exposito, quod singularis ad personam suam nos vrget affectio, specialis afficit charitas, vt in præca-

cauendo sibi non solum a noxijs, sed etiam ab ijs, quæ saluti suæ derogant, & excellentiæ regalis honori non congruunt, nil persuasisse sufficiat, sed persuasis semper æstimemus addendum; sibique per salubris suggestionem consilij solertius ostendentes, quod quanto inclytum genus suum ab olim plenius fouit, & exaltauit ecclesias & personas ecclesiasticas, manutenere ac illibatam seruare studuit ecclesiasticam libertatem, tanto amplius in ipso notatur, si ecclesias vel ecclesiasticas personas opprimi, aut contra libertatem ecclesiasticam violari permittit; quodque per hoc non leue pondus adijcitur præeminentiæ status sui, cum excessus in sublimioribus tanto damnabilior habeatur, quanto facilius, quantoque periculosius deriuatur in alios per exemplum: & ideo minus ab ecclesia debet, minusque potest, vrgente conscientia tolerari; eundem Regem, quod officiales, ministros, familiares, ac nobiles, & gentes prædictos, a præmissis, per quæ Dominus offenditur vitiorum, suæ saluti detrahitur, honoris gloria maculatur, grauis nobis, & dictæ sedi paratur offensa, pro diuina, & ipsius sedis ac nostra reuerentia cessare faciat, & penitus abstinere, ac in statum debitum reuocet; quodque contra integritatem libertatis eiusdem in dictis regno, ac terris dignoscitur attentatum solerter inducere, & efficaciter exhortari cum prouida persuasionis instantia studeatis; eosdem ministros, officiales, familiares, nobiles, subditos, ac gentes ad id, si necesse fuerit, per censuras & alias pœnas & sententias, de quibus expedire videritis (super quibus, plenam vobis & vnicuique vestrum & liberam potestatem præsentium tenore concedimus) per vos, vel alium, seu alios, appellatione postposita, compescendo. *Dat. Auin. 11. kal. iunij anno 1.*

Data ab eodem monita Eduardo.

Hactenus de pontificio studio pro restituenda Galliæ, Belgio, & Angliæ pristina pace, tuendoque iure ecclesiastico. Nunc de illius apostolicis curis in sedandis Italicis bellis, retundendis Ludouici Bauari conatibus, & comparanda pro Turcarum reprimendis excursionibus expeditione dicamus.

Insubria factionibus lacerata.

16. Laniabatur continuis factionibus ac bellis inter cæteras Italiæ prouincias Insubria magnatum, qui nouos condiderant principatus, eorumque fines latius proferre annitebantur, ambitione atque interregni diuturnitate, cum nullius iusti Regis metu ac potentia possent comprimi. Acceptos ij agnoscebant beneficio sedis Apostolicæ dignitatum titulos ad constabiliendas res suas, vel etiam pontificijs partibus contra Bauarum adhærebant. Ad eos itaque conciliandos facilius, alendamque pacem Clemens Cardinalem legatum misit, de quo eiusdē Clementis vita scriptor hæc historiæ mandauit a: *Dictus Papa, audiens guerras, dissensiones, & turbationes, quæ erant & vigebant quasi communiter in partibus Italiæ, ex quarum occasione subuersio earum verisimiliter poterat euenire; & etiam ex alijs rationabilibus causis, ad hoc animum suum mouentibus, per idem tempus misit legatum suum de latere ad partes memoratas dominum Guillelmum Curte tit. sanctorum quatuor Coronatorum presbyterum Cardinalem, qui aliquandiu ibidem permansit.*

Guillelmus Card. in eam legatus.

a Clem. vita apud Bosq.

18 Permouerant plures grauissimæ causæ Clementem, vt summa studia ad bella Insubriæ sopienda converteret: eorum enim occasione improbitati frena impune nefarij quique laxabant, religionis obsolescebat splendor, afflabatur a multis hæreseon virus. Præterea optabat Pontifex Italicos enses, rubentes hactenus Christiano sanguine, in Turcas vertere: cum enim barbari in Thraciam, Achaiam, Peloponesum, Ægæiq; maris insulas excursiones immanes facerent, ad horum coercendum furorem nullis viribus, quam Italicis cum Rhodijs Cyprijsque coniungendis opportunius vti poterat. Impendebat etiam Italiæ ingentis alterius belli terror e Germania: quippe Ludouicus Bauarus contubernij Margaritæ comitissæ cum Ludouico iuniore specie Tirolis comitatum inuaserat a, atque ex alpium iugis ad totius Italiæ depopulationem cum Germanicis copijs decurrere iterum minitabatur, iungendaque erant principum arma ad illius conatus comprimendos, ne forte nouum iterum conflaret schisma: decretæ enim huius legationis Guillelmi Cardinalis causæ hæ omnes expressæ in diplomate apostolico b, iniunctaque prouincia, vt in Insubria, Liguria, Aquileiensi & Gradensi patriarchatibus, Dalmatia, & Creta insula, quæ ad tuendum religionis splendorem conducerent faceret, hæreseon semina præfocaret, principes ac populos dissentientes conciliaret, firmissimo fœdere ad repellendum Italia Bauarum copularet, atque vna cum Venetis, & alijs de conferendis contra Turcas auxilijs, ornandaque sacra expeditione pro defendenda Europa agitaret.

Decretæ eius legationis causæ.

a Cortus. hist. l. 8. c. 7.

b An. 1. p. 6. ep. cur. 1.

Clemens, &c. dilecto filio Guillelmo tit. sanctorum quatuor Coronatorum presbytero Cardinali A. S. L.

17 Licet nos, qui quanquam immeriti, vicibus huiusmodi [Dei nimirum] fungimur, pro vniuerso populo Christiano, cuius curam gerimus, pacis & status prosperi cogitationes assidue meditati, & ad hoc, prout Altissimus nobis de sua pietate concesserit, manus operatrices apponere teneamur; tamen dum status partium Lombardiæ, quas inueterata dissensio longis, proh dolor! retro continuatis temporibus plurimum lacessiuit, & quas guerrarum turbines exposuerunt animarum periculis, & personarum ac rerum dispendijs infinitis; quodque propter hæc neglectus cultus dominicus ecclesiarum, & locorum ecclesiasticorum iura violenta direptione in prædam posita, libertas ecclesiastica conculcata fuerunt, & (quod deflendum est potius & dolendum) pullularunt schismata, & insurrexerunt hæreses contra catholicæ fidei puritatem; & quod, quamuis status huiusmodi fuerit in nonnullis locis dictarum partium aliqualiter tranquillatus, nihilominus tamen inter multos magnates & nobiles, vniuersitates ciuitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum partium earundem solitæ dissensionis fomes, & rancoris seminaria remanserunt; ex quibus nascuntur præmissa, & alia non facile numeranda pericula animarum & corporum, facultatum lapsus, & multa dispendia prouenire nostris præsentatur obtutibus; dumque commemoramus amare, quod gentes barbaræ nationis, videlicet infideles Turci hostes catholicæ fidei, & totius populi Christiani, ex præmissa & alia discordia, quam incentor malorum omnium pacis æmulus inter fideles partium diuersarum ab olim, peccatis exigentibus, seminauit, sumentes audaciam, & fines eorum nationis egressi terrasque Christianorum, præsertim partium Romaniæ sicut, proh dolor! euidentia facti poteriat ingressi, ac partes illas Christianorum eis subiugare, collectis in vnum viribus satagentes, in eos inseuierunt atrociter, ac non parcentes sexui nec ætati, multos Christianos, se-

Restituenda dignitas ecclesiastica.

Vertenda in Turcas arma Italica.

ferino more posuerunt in ore gladij, & infinitos secum duxere captiuos, ac in seruitutem perpetuam redegerunt, ipsasque partes alias vastarunt, & quasi totaliter destruxerunt, ipsas occupare, ac eorum ditioni subijcere moliendo; dum tamen in mentem reuoluimus obstinatas nequitias, & rebellionem proteruam Ludouici de Bauaria hostis Dei & ecclesiæ manifesti, ac de hæresi condemnati, & quod ipse sub prætextu contubernij de filio suo cum comitissa Tirolis, contra Deum & bonum publicum suarumque animarum periculum per sui facti potentiam publice attentati, comitatum Tirolis, dictis partibus Lombardiæ contiguum seu vicinum, sua temeritate damnabili occupauit, vt per illum sibi ad partes Lombardiæ prædictas, quas sicut multi fidedigni referunt, se velle intrare asserit, liberior pateat transitus & accessus, & partes prædictas, sub nostra & sanctæ Romanæ ecclesiæ obedientia & deuotione manentes, in suum deuium trahere, & ab eisdem deuotione & obedientia reuocare, statumque turbare grauius partium earundem; anxiamur immense, cogitationibus profundis immergimur, ac zelus noster & ignis charitatis paternæ in nostris meditationibus exardescit pro dictarum partium Lombardiæ, quas plenitudine dilectionis paternæ prosequimur, statu dirigendo salubriter, & pace, concordia, & vnione in eis perfecte actore Domino reformandis, vt incolæ partium earundem effecti vnanimes & concordes, & bono pacis, quod omnia alia bona superat, in Domino exultantes, tam contra ipsius Ludouici obstinatam proteruiam, & rebellionem proteruam, quam contra dictos infideles Turcos in Christianos sic insæuientes atrociter, & Christianum populum prauis eorum conatibus persequentes, insurgant zelo fidei, & deuotionis feruore viriliter, & potenter. [Et nonnullis interiectis quibus se excusat ob transalpinarum rerum molem grauissimam Italiam nondum repetere posse, coactumque ob id vices in legatum, quem magnis ornat elogijs, transfundere, subijcit].

Obsistendum Bauaricæ irruptioni.

Te ad partes illas [videlicet Aquileiensem, & Gradensem patriarchatus] nec non Mediolanensem, Ianuensem, Iadrensem, Spalatensem, Ragusinensem, Cretensem, & Antibarensem prouincias; ac Papiensem, Ferrariensem, Placentinam, Parmensem, Mutinensem, & Reginensem ciuitates, et diœceses; tibi in eisdem patriarchatibus, prouincijs, ciuitatibus, et diœcesibus vices nostras, ac plenæ legationis officium committendo, vt in eis euellas et destruas et dissipes et disperdas, ædifices et plantes, ac statuas salubriter in nomine Domini, prout gratiæ cœlestis infusio tibi, et tua etiam prouidentia ministrabit, de dictorum fratrum nostrorum consilio destinamus; tibi vt in patriarchatibus, prouincijs, ciuitatibus, et diœcesibus prælibatis, inter ecclesiasticas mundanasue personas, duces, principes, marchiones, barones, et nobiles, communitates, vniuersitates, ac populos et alios vniuersos et singulos discordes bonum pacis studeas reformare, ac concordes in fraternæ dilectionis glutino confirmare; ac agere nihilominus et tractare quæcumque ad cultum Dei, exaltationem catholicæ fidei, Apostolicæ sedis honorem, obseruantiam ecclesiasticæ sanctionis, et redintegrationem ecclesiasticæ libertatis, honestatis ac morum cultum, releuationem ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum et pauperum, animarum salutem, tranquillitatem corporum, ac robur status prosperi patriarchatuum, prouinciarum, ac ciuitatum et diœcesum prædictorum quomodolibet pertinebunt, conuocando ad tuam præsentiam Venetos et alios quoscumque, de quibus pro vtilitate dicti negotij expedire videris, ac cum eis tam de armata, quam de alijs opportunis remedijs contra ipsos Turcos adhibendis tractando, et ordinando quibus vijs et modis, dictum negotium, quod nos etiam realibus subsidijs ac indulgentijs et remissionibus iuuare intendimus contra dictos Turcos, possit actore Domino prosperari, & subueniri fidelibus dictarum Romaniæ, ac vicinarum partium in tanto discrimine constitutis, & quæ subsidia a dictis Venetis & alijs in huiusmodi prosecutione negotij offeruntur, nobis rescribendo particulariter, & distincte quidquid tractandum & ordinandum duxeris in præmissis; & nihilominus vniuersos & singulos partium præmissarum ex parte nostra salubribus persuasionibus inducas pariter & horteris, ipsosque vnias, confœderes, & coniungas, vt eidem Ludouico, qui sanctam Romanam ecclesiam, & eius honorem ex indurata sibi pertinacia offendere, ipsosque afficere nititur iniurijs, schismatibus, & scissuris, ac statum ipsorum, & aliorum fidelium partium Italiæ perturbare, fideles ipsos subuertere, ac eos in profundum, in quo ipse demersus est, demergere malorum, ne partes Lombardiæ prædictas ingredi, aut aliquid contra honorem eiusdem Romanæ ecclesiæ atque nostrum in partibus illis quoquo modo attentare valeat, resistant & obuient remedijs opportunis; ac ad hoc se præparent totis viribus, & accingant, eorumque fidelitatis effectum deuotionis ostendant, prout tranquillitati & paci eorum, ac honori eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ nouerint expedire, aliaque circa ista tractes, ordines, & disponas, sicut temporis, & negotiorum ipsorum qualitas, eorumque circumstantiæ suadebunt, &c. *Dat. Auin. x. kal. augusti anno I.*

In quibus prouincijs demandata legatio.

Coeundi cum Venetis fœderis partes impositæ.

Coniungendi Italorum arma contra Bauarum.

18 Instructus est auctoritate Guillelmus Cardinalis legatus, vt censuras rebellibus incureret a, religiososque viros ac præsules b sibi aduersantes, solutis contrarijs priuilegijs, coerceret. Tum Aquileiensis & Gradensis patriarchæ, Mediolanensis, Genuensis, Iadertinus, Spalathensis, Ragusinus, Cretensis, Antibarensis archiepiscopi; cæterique prouinciæ præsules c ac principes d ad explicandam pro sanciendo cum Venetis & alijs populis sacro in Turcas fœdere, arcendumque Ludouicum Bauarum, qui subactum se Italiam gloriabatur, legato opem excitari. Denique collata e legato, vt sacra consilia promoueret, potestas apostolica ad iniustas coitiones rescindendas, dissoluenda contracta sacramenta, inducias inter dissentientes, cum necessitas posceret, indicendas f. Perfunctus est strenue demandato sibi munere Guillelmus Cardinalis: neque enim, Italis principibus mutuo fœdere coniunctis, Ludouicus Bauarus Italiam ausus est ingredi, suam factionem potius cõfirmare in Germania coactus, quam nouam discriminum tempestatem adire: quin etiam fœderatæ Germanorum copiæ, quæ Æmiliam depascebant, Italia exactæ fuerunt, vt refert Cortusiorum historia g: promota pariter expeditionis in Turcas consilia, de quibus secuturis annis fusius agetur. De sedatis demum induciarum beneficio Italicis discordijs a Guillelmo, Clementis vitæ scriptor meminit h his verbis: *In multis compleuit sibi commissa: & quod ad dissensiones & guer-*

a Ead. ep. b Ib. ep. eod. c Ib. ep. 2. d Ep. 3.

Præsules ad rem promouendam solicitati.

e Ib. ep. 45.

f Ead. ep.

Deterrit ab ingressu Italiæ Bauarus.

g Cortus. hist. l. 8. c. 10.

h Clem. vit. script. apud Bosq.

rai

ras prædictas, ipsas per bonas treuguas sedauit.

19 His consentiunt, quæ de gestis a Guillelmo Cardinale tit. SS. quatuor Coronatorum A.S.L. narrat Clemens in literis quarto pontificatus sui anno datis *a*.

a An. 4. l. 3 pag. 12.

Clemens, &c. Qui Cardinalis tandem comperto ibidem inter alia, quod ex discordijs, quæ inter venerabilem fratrem nostrum Ioannē archiepisc. Mediolanensem & dilectos filios nobiles viros Ioannem & Luchinum de Vicecomitibus fratres in ciuitate Mediolanensi nostros & ecclesiæ Romanæ vicarios generales, ac Nicolaum de Ebulo comitem Triuenti pro charissima in Christo filia nostra Ioanna Regina Siciliæ illustri in partibus Lombardiæ & Pedemontium tunc senescallum & capitaneum generalem; ac Iacobum de Sabaudia principem Achaiæ, & Ioannem Montisferrati, & Thomam & alios Saluciarum marchiones; & dominos de Beccharia, ac populū & vniuersitatem ciuitatis Papiensis & eius districtus; nec non de Colmorino, de Ponzano, de Carreto, de Incisia & de Ceua marchiones, ac S. Martini de Valperga & de Mazuro comites; nec non & de Castromonte, de Bischis, de Berrio, de Riualba, de Biandisio, & de Bonecito, ac Franciscum de Calamendrana, de Vischisa, de Gorhonaco dominos; ac omnes & singulos Astenses, Taurinenses, Alexandriæ, ac de Calus forinsecos & extrinsecos, cum omnibus & singulis eorundem prænominatorum & cuiuslibet ipsorum ciuitatibus, castris, villis, districtibus, & locis, ac vniuersitatibus & communitatibus eorundem, vassallisque, valitoribus, & subditis, sequacibus, & districtualibus eorundem, & cuiuslibet ipsorum, cæterisque forinsecis, extrinsecis, & intrinsecis ciuitatum, castrorum, villarum, districtuum, & locorum ipsorum hinc inde longo nutritis tempore, permittente Deo, & instigante diabolo satore discordiæ, pacis æmulo, Christianique nominis inimico, infinita scandala, deprædationes, incendia, rapinæ, strages hominum, & animarum perditiones, nec non depopulationes ecclesiarum, locorum, & personarum ecclesiasticarum hinc inde (ex quibus multi vtriusque sexus facultatibus suorum bonorum exuti, cogebantur in terris non suis miserabiliter mendicare, ad illicita se laxantes) in grandem diminutionem cultus diuini, & notabilem dissipationem earundem partium fuerant, proh dolor! subsecuta, & nisi illis occurreretur celeriter, sequi timebantur de propinquo peiora; & attento per eundem Cardinalem, quod tam ex potestate sibi per dictas literas attributa, quam ex debito legationis officij sibi impositi sua intererat de illo remedio prouidere, per quod status dictarum partium, & omnium in eis habitantium personarum subtraheretur a noxijs, & ad salubria dirigeretur; ad occurrendum illi morbo tam graui tamque pestifero, & ad infundendum vinum & oleum vulneribus totius patriæ tam lethaliter sauciatæ; nec nō ad obuiandum furori obstinatæ malitiæ infidelium omnium, & maxime Turcorum, ac damnati Bauari & aliorum hæreticorum & rebellium sanctæ matris ecclesiæ, qui contra ipsam insurrexerant, & fidei catholicæ aduersabantur, suæ considerationis intuitum dirigendo; ac viam, quæ amplius pacis & concordiæ repræsentat imaginem eligendo, treuguas firmas & validas, *& infra.*

Imperatæ a legato Card. induciæ.

apostolica & suæ legationis, qua fungebatur auctoritate sub certis spiritualibus & temporalibus pœnis indixit vsque ad continuos tres annos, tunc sequentes, a vigesima prima die mensis maij pontificatus nostri anni 11. in antea computandos inclusiue, & vltra per vnum mensem continuum de contramandamento intelligendum secundum consuetudinem partium prædictarum continue duraturas, prout in quibusdam patentibus literis exinde confectis, ac eiusdem Cardinalis sigillo munitis plenius continetur, &c.]

Eæ vero inter Insubriæ principes induciæ Clementis iussu extractæ fuerunt: ... rum in alio eiusdem pontificis decreto *a*, suo loco adducendo, refertur memoratum legatum lapso ante bimestri, nempe sexta februarij die pontificatus anno primo, aliud bellum atrox, quod Ioannem & Luchinum Mediolanenses principes, eorumque socios Ludouicum Mantuanum & Simonem Corrigianum inter, atque Albertum & Mastinum Scaligeros exarserat, Insubriamque stragibus & hostilibus grassationibus fœdauerat, imparatis armorum inducijs triennalibus, quæ a factionum aduersarum proceribus, ac Mediolanensibus, Mantuanis, Rhegiensibus, Parmensibus, Veronensibus, ac Vicentinis admissæ firmatæque sacramento fuerunt, sedasse. Occurret inferius crebra de inducijs ab eo promulgatis instaurandisque inter principes Italos mentio, dum nouæ discordiarum causæ, ac præcipue rapinarum studium, & cæca ambitio ipsos ad eas violandas impulerunt. Interea addendum, adhibita etiam apostolica studia pro conciliandis alijs Italiæ populis, qui mutuis dissensionibus se collidebant: atque in primis Romanos encyclicis literis, quibus de suscepto pontificatu fecit certiores, ad mutuam concordiam, ponendaque odia ac dissidia est adhortatus *b*.

a An. 4. l. 3 ep. cur. 17.

Posita a Vicecomitibus & Scaligeris arma.

Romani ad mutuā concordiam incitati.

b An. 1. l. 6 ep. com. 16

20 Flagitabant continentibus votis Romani, vt sedes Apostolica Vrbi restitueretur, cum absentia Pontificum in extremas calamitates adductos se agnoscerent: vtque antea crebris oratoribus sollicitarant Clementem V. Ioannem XXII. Benedictum XII. ita nunc Clementem VI. vt Romam se conferret, rogarunt. Perfunctum ea legatione Nicolaum Laurentium ob insignem ipsius eloquentiam, refert eiusdem gestorum scriptor *c*, sed male exceptum: qui postea restitutus in gratiam a Cardinale Columna, ac senatus populique Romani scriba institutus, magnas seditiones Romæ cōmouit, vti dicetur. Declamasse illum referunt *d* magno eloquentiæ apparatu, Romam in eam calamitatum abyssum lapsam, vt nequidem vbi iaceret posset inspicere: amisisse enim primum imperium, ac postremo pontificatum, quæ clarissima Vrbis orbisque erant lumina. Functus est vna cum alijs legatione Frāciscus Petrarcha, qui egregium carmen Clementi ad ipsum alliciendum in Vrbem porrexit, qua eleganter asseruata in ea sanctitatis monumenta describit *e*.

Rogant Clem. vt in Vrbem veniat.

Nicolaus Laurentius & Petrarcha oratores missi.

c Nic. Laur. vita auct. & M.S. bibl. Vat. signat. n. 910.

Nicolai oratio.

d Idem.

21 —— *quanquam tibi protinus vni*
Omnia subiaceant: dominum licet vltima noscant
Regna suum, Herculeis quæ consignata columnis
Hellespontiaco tellus distinguitur æstu.
Hæc tamē est tua prima domus, tua maxima sedes
Quam sacri tenuere patres, quam corpore Petrus
Innocuo, parili quem Clemens nomine pressit:
Tu Clemens, qui Petrus eras hanc cernere sedem
Nonne voles, cupiesque caput contingere mundi?
Nonne pedis iuuat in solido vestigia saxo
Fixa salutiferi, faciemque agnoscere Christi?
Vel quæ fœmineo seruatur condita panno,
Vel populo quæ visa olim sub vertice templi
Emicuit, perstatque minax horrore verendo?

e Petrar. l. 2. ep. pag. 91.

Petrarchę poema.

Vrbis cōmendatio

Reliquiæ in ea conditæ.

Quid

Quid referam nostræ cunabula parua salutis,
Et sacros postes, vbi rerum Conditor ingens
Contieuit, somnos blande suadente Maria?
Lac quoque vel puero optatum, vel Virginis almæ
Lãue puerperium, puraque ex carne recisam
Particulam infanti, pretiosaque fragmina vestis,
Et custoditos in secula nostra capillos?
Quid digiti Agnetis, & illic quoque fulgidus ornet
Annulus impositus cupidæ quem mente minister
Prorsus inardescens, fatroque assenserit illa
Coniugio, & tali placarit fœdere flammas?

Sacræ antiquitatis monumenta.

Quid Petri trepidantis iter, Dominique monentis
Occursu posuisse fugam, & rediisse volentem
Compressa terrore senem, cunctisque paratam
Exequar? Ipse oculis spectacula pulchra videbis:
Extat opus, laterisque tremit domus arcta caduci;
Et testis pictura rei, cui maxima quamuis
Causa nocet, celerans impendet sæpe viator
Nec se vita quidem, sed viuos cernere vultus,
Colloquiumque audire putans, & territus hæret.
Tristis imago Dei Romana palatia versus:
Tendit enim contra ille humilis, similisque precanti,
Flectitur, & pauido gradientem suscipit ore:
Si mortis secura igitur vestigia flexit
Ille retro, nec pertimuit tormenta, crucemque
Mere petens: tu quid dubitas, cui dulcia mecum
Omnia, cui placidæ patet augustissima vitæ
Conditio, & summi tranquillum culmen honoris?
Quid capita heroum memorem, claramque Ioannis
Ore cicatricem rigido, duramque Leuitæ
Craticulam, & gemino fœcundum martyre bustum.
Collega cessisse locum, quo maximus hospes
Traditur, immotis vbi nunc amplexibus ambo
Felices sine fine iacent? Quis cuncta Calisti

Calisti cœmeterium.

Funera dinumeret, cumulis surgentia miris?
Ossous est paries, illic vbi terra cruentis
Imbribus & sacra distillant tabe cauernæ:
Quis me Vaticano latitantia corpora claustro
Expediat? Quæ, summe parens, agnosceve coram,
Quid nisi cælestis fuerit regionis imago?
Condita quin etiam suprema mœnia montis
Aestiuæ niuis indicio, delubraque partu
Obruta virgineo, & fontes torrentis olim,
Ac Tybridos commixta vadis noua flumina cernes.

Tres fontes S. Pauli.

Quasque dedit scatebras Pauli sanctissima ceruix
Dulcis aqua: quo Siluester latitaris in antro:
Quæ Constantino species oblata deorum
In somnis, niueo quas idem marmore crustat
Liquerit, infamem monstrato gurgite morbum
Propellens, vt cœpta Deo iis teste quierit;
Quod magus infando maculauit corpore saxum,
Fluxerit assenso? Quisnam de Numine sanguis,
Quisque sacer tellure cruor, quis vindice cælo
Sanctorum capitum per maxima mœnia fures
Nexibus implicuit, foribusque auertit apertis;
Ac trepidos meritã ad mortem circumtulit error?
Non ego nunc Aron virgam, nec fœderis arcam,

Monumenta veteris testamenti.

Nec testamenti veteris mea pignora quot sint,
Quotque noui monimenta sequar, prius astra serena
Noctis, & oceani numero stringentur arenæ, &c.

22 Obtendebat Clemens [a] reuerti se in Italiam non posse, cum ad atrocissima Anglorum & Francorum bella componenda, & Hispaniarum pericula auertenda in Transalpinis oris distineretur: vtque aliquo Romanos leuaret solatio, iubileum anni centesimi ad quinquagesimum redegit, de quo sequenti anno agemus.

Clementis ad Vrbem veniendi excusatio.

a An. 1. l. 6 ep. cur. 4.

Ad cõtinendas vero in officio ditionis ecclesiasticæ prouincias, quæ crebris dissensionibus fluctuabant (hoc ipso anno Anconitanos plebeios, seditione mota, nobiles viros in exilium pepulisse, refert Ioannes Villanus [a]) Aymericum tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem legatum creauit [b]. Cui præterea in Etruria, Sardinia, & Corsica idem munus demandauit. Suberant autem aliæ illius mittendi causæ, quæ in diplomate de commisso illi legationis munere continentur, atque eædem ex parte sunt; quas in superioribus ad Guillelmum Cardinalem legatum literis expressas vidimus: impendebat nimirum Bauaricæ irruptionis terror, cum obtento Tirolis comitatu Ludouicus belli facem interceptum Italiæ minitaretur; copulandique mutuo fœdere ad eum propulsandum erant populi. Pullulabant etiam hæreses, ac religio in multis locis defloruerat; quæ ad pristinum splendorem erat reuocanda.

Aymericus Card. in Italiam missus.

a Io. Vill. l. 11. c. 141.
b An. 1. l. 6 ep. cur. 1.

Causæ ob quas missus.

Ardebat præcipue Etruria intestinis bellis, Pisanis inter se & Florentinis digladiantibus, quæ Ioannes Villanus [c], Leonardus Aretinus [d], atque ex eo S. Antoninus [e] accuratius describunt. Luca bellorum præmium longa deuicta obsidione Pisanis sexta Iulij die deditionem fecit [f]: Florentini, qui inanes illius obtinendæ spes magno pretio a Mastino Scaligero emerant, ob rem male gestam consternati reipublicæ præficere [g] Gualterum Brennensem Gallici generis ducem Athenarum, qui breui vocata concione, collectaque ob nonnullorum nobilium, qui in publicam rem erant grassati, populari gratia ducem Florentiæ ad vitam renunciari multis artibus obtinuit [h]. Coorta est etiam eodem tempore Aretij seditio [i] irruentibus in Guelfos Gibellinis, vrbemque sibi subijcere molientibus: sed eorum vis vi repulsa, & conturati exilio mulctati. Laborabat eiusdem factionis peste reliqua prouincia: ad quam pacandam [l] redintegrandamque concordiam Clemens Aymericum Cardinalem paciferi munere ac dignitate exornauit [l], quem etiam auctoritate muniuit [m], vt coitiones publicæ paci aduersantes dissolueret, inducisque imperaret: tum ad restituendum religionis splendorem, quem nonnulli obscurabant hæretici, vt edictis Friderici II. in eos ageret [n], pœnarumque incussarum seueritatem distringeret. Attributa etiam sunt eidem legato [o] quadraginta aureorum in dies singulos stipendia, ac præsules ad comparandos corporis stipatores, quoties itinera periculis plena essent, iussi incumbere. Denique ad conciliandam maiorem legato gratiam auctoritatemque permisit ipsi [p], vt sacerdotia, quæ in prouincia vacarent, certis legibus conferret.

Luca a Pisanis parta.
c Io. Vill. l. 11. c. 139.
d Leonar. Aret. hist. Flor. l. 6.
Gualterus dux Florentiæ creatus.
e Ant. 3 p. tit. 21. c. 7 §. 9.
f Io. Vill. super c. 139.
g Id. l. 12. c. 1.
h Eod. l. c. 3
Leonard. sup. lib. S. Anton. ib.
Legatus Card. creatus pacis seruator.
i Io. Vill. eod. lib. c. 9
l An. 1. l. 6 ep. cur. 3.
m Ib. ep. 33
Amplissima auctoritate instruitur.
n Ib. ep. 39
o Ep. 43.

Ire præterea in regnum Neapolitanum iussus est Aymericus [q] Cardinalis, vt Robertum Regem fidei sacramento adigeret: sed prius quam in Neapolitanum regnum accederet, Robertum vita functum visuri sumus.

p An. 1. l. 1 ep. cur. 6. 7
q Ib. ep. cur. 3.
Robertus Rex Aymerico Card. fidẽ deuincire iussus.

23 Annitebatur Robertus diuulsas regni partes redintegrare, fauissetque ipsi Petri Trinacrij mors, quæ ex labore castrensi ad Mylas suscepto accelerata sexto idus augusti obtigerat [r], videbatur. Secuti enim mox grauiores tumultus, ac Palicij, apud Trinacrios opibus & auctoritate florentissimi Messanam ad Roberti Regis, de cuius iuribus certissime constabat, obsequium occupata arce S. Saluatoris, reuocarunt [s]: sed dum tardius excita Mylis auxilia veniunt, Guillelmus Ludouici patruus, quadringentis equitibus succinctus, Messanam ingressus arcem, depulsis Palicijs, recuperanit.

Petrus Trinacriæ occupator moritur.
Messana ad Robert inclinat.
r Fazell. post decad. l. 9. c. 4.
s Io. Vill. l. 12. c. 13.
Summon. l. 3 & al.

Insigne pietatis specimen [t], a Roberto Rege ac Sancia Regina editum, prætermittere silentio

t An. 1. l. 8 ep. cũ. 15. 16

non

non possumus, cum amplissimis laudibus a Pontifice efferatur. Ægerrime ij ferebant, redacta in servitutem Syria, Saracenorum loca sanctissima, religionis nostræ mysterijs consecrata, iusta veneratione destitui: atque adeo ad restituendum in illis diuinum cultum magnis sumptibus a soldano sepulchrum Domini, ac nonnulla alia sacra loca obtinuere, vt in ijs viri religiosi diuinam rem instaurarent: præterea Regina in monte Sion monasterium pro duodecim Minoritis condidit. De quibus certior factus Clemens, ad supremum Franciscanæ familiæ præfectum hæc scripsit a:

a Ib. ep. 1839.

Gratias agimus gratiarum omnium Largitori, eique dignas laudes exoluimus, quod ipse charissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis & Sanciæ Reginæ Siciliæ illustrium erga redemptoris domini nostri Iesu Christi obsequia zelum deuotionis & fidei sic feruenter accendit, quod ipsi quæ ad Dei laudem & gloriam, ac sacratissimi sepulchri dominici & aliorum locorum vltramarinorum reuerentiam & honorem redundant, non cessant indefessis studijs operari. Nuper siquidem eorundem Regis & Reginæ grata insinuatio nostro apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus & laboribus grauibus a soldano Babyloniæ, qui sepulchrum Domini & alia sacra loca vltramarina, proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum graui opprobrio detinet occupata, obtinuerunt quod fratres vestri ordinis infra ecclesiam dicti sepulchri possint continue commorari, & ibidem missarum solemnia & alia diuina officia solemniter celebrare, & iam certi fratres dicti ordinis sunt ibidem: & quod nihilominus idem soldanus cœnaculum Domini & capellam, in qua Apostolis Spiritus sanctus apparuit, & aliam capellam, in qua Christus, B. Thoma præsente, post resurrectionem suam Apostolis se ostendit, Regi & Reginæ concessit eisdem: quodque ipsa Regina locum ædificauit in monte Sion, infra quem cœnaculum & dictæ capellæ sitæ fore noscuntur, pro dictis fratribus iam est diu, vbi duodecim fratres dicti ordinis sumptibus proprijs continue tenere intendit ad diuinum obsequium in sepulchro, & alijs prædictis locis sacratissimis impendendum; ac tres personas seculares etiam, quæ ipsis fratribus seruiant, & necessaria administrent, &c.]

Sacra Ierosolym. loca restituta Christianis.

Dat imperia, vt viros pietate conspicuos eo mittat. *Dat. Auin. pridie kal. decembris anno 1.* Flagitanti porro Reginæ Sanciæ, vt sibi designandorum trium illorum famulorum, qui Minoritarum obsequijs operam nauaturi erant, facultatem tribueret, assensit b: magnæ quippe felicitati dabatur in ijs sacris locis pietati vacare.

b Super ep. 1516.

24 Vt desolatis Syriæ ecclesijs consuleret Clemens, Geraldum c Antiochiæ, Eliam d Ierosolymorum patriarchas creauit. Præfuerat antea Elias Nicosiensi ecclesiæ, cuius administrationem ipsi permisit e; de quo ad clerum Nicosiensem & Hugonem Regem Cypri extant datæ commendatitiæ literæ f: quem ob spectatas virtutes purpuratorum patrum senatui aggregatum videbimus inferius. Cõuersę porro adeo in Syria Christianæ res erant, vt cũ olim fideles ex vniuerso orbe in eam confluere ac latius proferre religionem viderimus, nunc infideles occidentẽ adorirentur.

Elias patriarcha Ierosol.
c An. 1. l. 6. ep. com. 139.
d Eod. an. l. 3. ep. com. 31.
e Ib. ep. 20.
f Reg. pag. eand. ep.

Petebatur præcipue Africano bello Hispania, atque Marrocius Rex Granatensium fœderatus ingentem classem ad Septam instruebat. Sed Numen diuinum suis non defuit; partæ enim sunt plures de hoste maritimæ victoriæ: duodecim barbarorum triremes in Bulloeio portu a decem Castellanis oppressæ, antequam alijs octoginta tribus, quæ ad Septam erant, se possent coniungere: deinde vniuersa classis Maurorum ad Guadamecili fluminis ostium victa: triremes viginti quinque qua captæ qua mersæ: Marrochitanus & Granatensis præfecti interfecti. Alfonsi Regis Castellæ consilium erat terra marique vno impetu Mauros adoriri: sed incertus casus rem discussit, cum nonnullæ naues, quæ in vado hæserant, ad certamen aduersas classes elicuissent. Non interfuisse illi prælio Aragoniam classem, refert Mariana: submissa autem postea a Petro Aragonio tredecim hostium triremes commeatu onustas intercepit. Retulisse etiam Genuenses gloriæ partem in atterendis maritimis Afrorum viribus, meminere historici a, & vndecim illorum triremes in decem onerarias Regis Mauritaniæ, qui Hispaniæ terra marique diuexabat, incurrisse in loco, cui Bellenoee nomen inditum, ijsque profligatis, laude & præda onustas Genuam reuertisse.

Marrochitani ab Hispanis consusi.

Ligures Afros obterunt.
a Bizar. hist. Gen. l. 6. & al.

25 Superatis mari Africanis & Granatensibus, Alfonsus Rex Castellæ III. non. augusti Algeziram vrbem munitissimam obsidione cinxit b. Verum asperiores deinde res euasere: exhaustum erat ærarium ad tolerandos belli sumptus: stipendia a Pontifice & Rege Lusitano conquisita: Aegidius Toletanus archiepiscopus in Gallias missus a Philippo Rege quinquaginta aureorum millia obtinuit c. Adiutum etiam viginti aureorum millibus a Clemente Malabailæ Asteosis opera, ostendunt Alfonsi literæ proximo anno datæ, quibus eam vim auri acceptam profitetur: *Pro euidentibus*, inquit, *necessitatibus prædicti domini Regis, & pro sustentatione guerræ, quam habet solito auriorem cum perfidis Benamarini & Granatæ Regibus; & specialiter pro prouisione & sustentatione obsessionis villæ de Algezira, quam diutius tenuit, & adhuc tenet obsessam. Actum in exercitu obsidionis villæ de Algezira* XV. *die mensis iulij anno* MCCCXLIII. Multum etiam momenti attulit enata inter Marrocium Regem & Abderramum filium dissensio, quæ ipsum, vt ad Septam se teneret, adegit. Obsessi interea Algezirani, Alfonsi Regis capite licitati pretio, subornatis sicarijs, insidias illius vitæ struxere: sed diuina prouidentia athletam suum texit. Cæterum tenuit plures annos hæc obsidio, de qua iterum inferius dicendum erit: multumque erexit barbarorum animos Petri Aragonij & Iacobi Balearis Regũ dissensio, qui cũ arma in Saracenos conuertere debuissent, illa in se mutuo strinxere, quamquam nullas partes prætermisit d Christi vicarius, vt ipsos inter sese conciliaret sub ipsis illius initijs. Leuior erat causa, querebatur e enim Aragonius causam esse Iacobi auctoritate Perpiniani monetam contra conuenta, quibus Russilionis comitatus iure fiduciario traditus fuerat. Clemens itaque vt dissidentes Reges in concordiam adduceret, Armandum archiepiscopum Aquensem ad vtrumque misit f.

Algezira a Rege Castellæ obsessa.
b Marian. l. 16. c. 10
c Id. eod. c. 10.

Structæ illi insidiæ

Dissensio inter Balearem & Aragoniũ
d An. 1. l. 6 ep. cur. 7.
Sur. l. 7. c. 61.
e Clem. super ep. 7. Sur. 17 c. 60. Marian. l. 10. c. 21.
Decreta ad eos conciliandos legatio.
f An. 1. l. 6. ep. cur. 7.

Clemens, &c. Armando archiepiscopo Aquensi A. S. N.

Cum nuper ad audientiam nostram non sine turbatione peruenerit, quod inter charissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum & Iacobum Maioricarum Reges illustres, humani generis inimico superseminante zizaniam, grauis occasione cusionis & vsus certæ monetæ, quam sicut idem Rex Aragonum asserit, præfatus Rex Maioricarum contra conuentiones & pacta inter ipsos Reges habita in comitatu

Ros-

Armand' Aquensis archiepisc ea persun ctus.

Rossilionis, & alijs terris suis fieri permittit, dissensionis materia est exorta; nos more pij patris, quem non prætereunt incommoda filiorum, ad huiusmodi sedandam discordiam, & turbatæ vnitatis fœdera reformanda vigilantibus studijs intendentes; ac de circumspectione tua gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad dictorum Regum præsentiam te personaliter conferens, ipsos ad huiusmodi sedationem discordiæ, iuxta datam tibi a Deo prudentiam, opportunis monitis & efficacibus exhortationibus solerter inducas, vt auxiliante Domino, qui est pacis actor & humanæ salutis amator, tuaque cooperante solertia, dicta dissensio vlterius non procedat, sed totaliter extinguatur, ac prout proximitas sanguinis, quæ fore dignoscitur inter eos, exposcit, vigeat inter ipsos fraterna dilectio, & sit identitas voluntatum; ac per eorum vnanimitatem, & concordiam ipsorum & subditorum suorum, status tranquillus, & pacificus de bono in melius augeatur, &c. *Dat. Auin. xiv. kal. iulij anno 1.*

a Ib. ep. cur. 8. b Sur. l. 7. c. 61. Pactæ induciæ.

Excitati sunt etiam vtriusque regni ecclesiastici, vt vna cum nuntio apostolico studia pro sedanda discordia coniungerent [a]: atque adeo strenue ab Armando desudatum est [b], vt concordiæ via muniri videretur, Iacobus Balearis iuri stare velle est professus, ac Petrus iudiciarium ordinem ad octauum diem augusti extraxit: cumque vniuersam controuersiam proximo colloquio sopitum iri speraretur, accessit ad Petrum Balearis, accepta liberi & tuti commeatus syngrapha. Verum inde atrox bellum enatum, vnde concordiæ spes arriserat: destructis colloquij specie insidijs suspicio fuit. Præcipua accusationis capita, qua Petrus Rex in suis edictis Balcari obiecit, his verbis perstringit Mariana [c]:

Maior contra dissensio ex insidiarũ suspicione

Imposita Balearici crimina.

c Marian. l. 19. c. 12.

Regis eum Aragonij imperium detrectare, neque vocatum ad comitia venire: insolenti forma & pondere monetam, quod nefas erat, Perpiniani percussam: in Aragonij Regis necem Barcinone, quo per fidem colloquij venerat, conspirasse: index Regina ipsa Constantia Balearis vxor de fratre solicita: demum cum Gallo, Italis principibus, ipso Marrocio Rege fecisse fœdus aduersus Aragonium. Hae accusationis capita fuerunt siue vera, siue conficta, vt fama tulit, cui calamitosi Regis exitium fidem conciliauit, iniuria fuisse oppressum. Hac fatalis dissidij initia, qua Romanus Pontifex, Sanctia Regina Neapolitana vtriusque Regis propinqua, sopire conati, nihil profecerunt.

26 Indoluit grauissime Clemens inopino euentu bellum inter cognatos Reges inflammatum, quo res Christiana admodum periclitabatur: Granatenses enim & Africani ad Hispanias inuadendas inde vires confirmaturi cumulaturique erant: vtque nascentem flammam restingueret, Andream tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis internuntium misit, & ad inducias promulgandas [d], rescindendas coitiones, ferenda censurarum obiecta religione imperia [e], ne quia ad Baleares insulas [e] vel Aragoniam [f] terra mariue inuadendam naues adornaret, vel operam ad id locaret, instruxit; cum inde Saraceni ad Christiana regna vastanda allicerentur. Similiter propositis imminentibus malis, Aragonum Regem a bello deterrere nisus est, vtque Andream Cardinalem honorifice exciperet, eiusque consilia admitteret, est adhortatus [g].

Card. S. Susannæ legatus missus.

d Ap. t. l. 6 ep. cur. 45. e Ib ep. 41 f Ep. 42. Pontificiæ pro conciliandis Regibus curæ.

g Ep. 47. & 52.

Petro Regi Aragonum illustri.

Fili benedictionis & gratiæ, considerantes attentius quanta ex discordia, quam inter te & charissimum in Christo filium nostrum Iacobum Regem Maioricarum illustrem consanguineum & cognatum tuum pacis æmulus & zizaniæ seminator noviter suscitauit, tibi ac ipsi vestrisque posteris imminere dispendia; quantaque hominum strages, facultatum lapsus, incendia, rapinæ, spolia, damna, incommoda plurima, oppressio iustitiæ, & ecclesiasticæ libertatis conculcatio, læsio rei publicæ, infiniti sumptus, & grauamina subditorum, nec non (quod amarius est deflendum) animarum infinita pericula possunt ex ipsa discordia, si (quod absit) inualescat vlterius, prouenire; ac diligentius attendentes, quam grandis ex vestra vnanimitate vtilitas sequeretur, intensis desideramus affectibus, vt radices zizaniarum inter vos extirpentur radicitus, somes cuiuslibet odij extinguatur, & pacis integritas reformetur, vigeat fraternalis dilectio, & integra charitatis sinceritas præseruetur. Vt autem huiusmodi nostrum laudabile propositum, optatum & celerem, actore Domino, sortiatur effectum; & prædictis dissensionibus & scandalis, ne procedant vlterius & durius inualescant, salubriter obuietur, dilectum filium nostrum Andream tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis nuntium, virum vtique laudandæ virtutis scientia, & innata prudentia præditum, cultorem iustitiæ, sedulum amicum pacis, & concordiæ zelatorem, licet eius præsentia, nobis & ecclesiæ generali necessaria, nimium careamus inuiti, ad partes ipsas pro huiusmodi sedanda discordia, nec non pace & concordia inter te, & ipsum Maioricarum Regem, actore Domino, reformandis, prouidimus de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis Angelum destinandum.

Propositæ belli calamitates.

Ideoque serenitatem tuam requirimus, monemus, & hortamur attente, ipsam per Saluatoris nostri aspersionem pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter considerans prædicta & alia, non facile numeranda dispendia, quæ discordia ipsa pareret; nec non detrimentum, quod catholicæ fidei, eiusque cultoribus, & præsertim in frontaria blasphemorum Agarenorum partium Africæ constitutis & vicinis eisdem, ex dissensione huiusmodi proueniret; quantaque etiam audacia aggrediendi ipsos & terras eorum, & aduersus eos exercendi persecutiones hostiles atrocius solito præberetur; & prudenter commemorans tranquillitatem & infinita commoda, quæ tibi & tuis subditis ex sedatione huiusmodi discordiæ prouenirent, quantumque indecens est, nec minus periculosum, tam sublimes & tanta conuinctas consanguinitate & affinitate personas, animarum contrarietate disiungi, seu adinuicem dissidere; animum tuum ad pacis solidæ vnitatem inter te & ipsum Regem Maioricarum, submotis impedimentis quibuslibet, actore Domino, reformandam sic habilites & coaptes, quod inter te & ipsum cuiuslibet odij & rancoris occasione sublata, concordia desiderata proueniat, communibus occurratur periculis, & communibus vtilitatibus consulatur: & nihilominus præfatum Cardinalem ob nostram & Apostolicæ sedis reuerentiam, & suorum excellentiam meritorum, immo nos in ipso potius, benigne recipiens, ac debita honorificentia prosequens & pertractans, eius in præmissis salubribus monitis, & paternis exhortationibus

Saracenos inde insolescere.

Additæ preces vt pacē amplectatur.

effe-

effectualiter acquiescas; ac ea, quæ tibi super ijs ex nostra parte, viuæ vocis ministerio suggeres, credas indubie, illaque sic deuote suscipias, & effectualiter exequaris, quod nos tuæ bonæ intentionis propositum, & deuotionis sinceritatem erga nos & sedem eandem possimus pereffectum operis dignis in Domino laudibus commendare, nobisque propterea præter pacis bonum & commodum, quod omne bonum superat, tibi & Regno ac terris tuis, actore Domino, ex huiusmodi nostris exhortationibus proventurum, subministres materiam, te velut benedictionis filium in futurum opportunis gratijs & fauoribus prosequendi. *Datum Auin. III. kalend. ianuarij anno I.*

Propositum bellicis... [margin]

Conceptæ sunt eadem forma a, quas Iacobo Regi Balearium ad ipsum ad pacis consilia adducendum transmisse. Nil vero pontificiæ preces apud Reges illos profecere; ac sequenti anno maiori virium mole repetitum bellum visuri sumus, quo maxime tempore in Africanos & Granatenses conuertendi omnes conatus fuissent.

a Ib. pag. 32.

27 In septentrione barbari discordiarum, quæ inter fideles ardebant, occasione vsi, grauiora damna rei Christianæ intulere b: cumque Lutheros cruciferorum equitum magister in nouam marchiam ad eam sibi subijciendam irrumperet, Lithuani valido cum exercitu Prussiam ingressi cædibus, spolijs, flamma eam fœdarunt, magnamque Christianorum multitudinem in seruitutem abduxere. Qua clade agnita Lutherus tanto dolore ac furore est correptus, vt potestate mentis deiectus sit; in cuius locum Henricus Dusemer est suffectus, vt refert Michouius. Qui addit insigne publicæ Christianæ pœnitentiæ a ciuibus Vvratislauiensibus editum c specimen, dum magistratus ob pulsum Nankerum episcopum ab eius successore Preczlao e prætoria vrbis domo nudatis pedibus & capitibus sine pallio ac discincti veniam demisse postularunt: non rite tamen de necato fidei censore crimen expiatum, atque ideo diuinitus Vvratislauiam conflagrasse.

b Michou. l. 4. c. 23.

Prussia a Lithuanis vastata.

Vvratislauiensium pœnitentia ob pulsum episc.

c Eod. cap.

Eodem, inquit d, *anno Preczlaus de Pogorzelecz successor Nankeri in episcopatu Vvratislauiensi per Benedictum Papam XII. confirmatus, & consecratus, ex curia Romana reuersus, in Nissam venit: vbi ad illum Carolo marchione Morauiæ filio Ioannis de Luczemburg Regis Boemiæ adueniente, reconciliationem cum eo æquis conditionibus super * indicto composuit: eoque ex Nissa in Vvratislauiam diuertente, & Carolo marchione eum concomitante, consules ac iurati Vvratislauienses pedibus nudati ac capitibus, pallijs quoque & cingulis amotis, ex prætorio vsque ad monasterium S. Adalberti venerunt: & prostrati, culpaque simpliciter recognita, veniam suppliciter deposcebant, per plures execrationes astringentes, se nunquam simili rebellione ecclesiam Vvratislauiensem molestaturos, vnde & interdictum sustulit. Verum digna plaga indignam expulsionem episcopi ac eleas, & eadem Ioannis inquisitoris Vvratislauiensis repente superuenit: casuali enim igne octaua die maij in octaua S. Stanislai in Vvratislauia exorto, tota ciuitas conflagrata est, visusque est tempore incendij a quadam religiosa fœmina, apud S. Mauritium extra muros Vvratislauiæ inclusa, angelus contra ciuitatem exertum gestans gladium, & ardentibus carbonibus ciuitatem feriens & incendens.* De senatus Vvratislauiensis demissione in episcopum, poritaque ab eo venia, nec non Vvratislauia incensa meminit Cromerus. a

d Mich. l. 4. c. 23.

* interdicto

Vvratislauia ignibus consumpta.

Celeste visum tu obiectum.

a Crom. l. 12. in Casim.

Pene quoque consumpta eodem anno est incendio Mechlinia b adeo, vt quinque millia domorum perierint ignibus: idque stupendum accidit, vt cum quis ad cognati domum, vt opem ferret accurreret, suam mox ardere acciperet; ac flammarum globi vicos transuolare viderentur & intactis alijs domibus, alias remotiores corriperent: cumque fœneratorum & insignium improbitate virorum domibus ignis pepercerit, ecclesias depastus sit, arte diabolica occulto Dei iudicio excitatum nonnulli coniecere.

Mechlinia exusta.

b Io. Villd. l. 12. c. 140. Heresm. l. 2. c. 27. in Adolph. ep. Leod. & alij.

28 Luxit eodem anno Vngaria Caroli Regis instauratoris sui atque amplificatoris mortem c, qui cum Bonifacij VIII. auctoritate creatus Rex fuisset ob hereditaria iura contra alios, qui electionis noua iura induxerant, laniatum regnum ita feliciter gessit, vt ex miserrimo statu ad florentissimum euexerit, lateque edomitis sæpius fidei hostibus illius fines protulerit: de quo hæc Boofinius d: *Cum annos duos & quadraginta regnasset, ingrauescente febris æstu, in Visegrado non sine nominis sui perpetua gloria XVII. kal. augusti diem obijt; quem ita longe lateque dominatum esse ferunt, vt Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Seruiam, Galatiam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, Vngariam, & adiecto Gargano monte Salernum ei paruisse, & vectigalia quotannis stata pendisse prodiderint.* Æquandus is fuit summis Regibus, ac posteris statuendus in exemplum: cuius plures clarissimas victorias ad fidem propagandam partas silent historici, de quibus nos ex pontificijs literis meminimus suis locis. Reliquit e tres filios Ludouicum, Andream, ac Stephanum, quibus Vngariæ, Siciliæ, & Poloniæ sceptra varijs iuribus destinabat: Vngaricum vero successionis iure Ludouicus natu maximus capessiuit, quem a Chanadino archiepiscopo Strigoniensi regia inunctione deliburum describit his verbis Michouius f: *Anno Domini MCCCXLII. decimoseptimo kal. augusti alias feria tertia post Margaretæ Carolo Rege Vngariæ in castro Vissegrod rebus humanis exempto, & in Albaregali condito, Ludouicus filius eius, ætatis agens annum decimum septimum, in Regem Vngariæ dominica die ante festum S. Iacobi, alias duodecimo kal. augusti, per Chanadinum archiepiscopum Strigoniensem, assistentibus ei Vladislao Quinqueecclesiensi, Nicolao Agriensi, Mieczlao Vesprimensi, Colomanno Iauriensi, Petro Sirmiensi, Vito Nitriensi, & Laurentio Bosnensi episcopis, & baronum ac nobilium multitudine copiosa, coronatus est.*

Caroli Regis Vng. mors.

c Io. Villd. 12. c. 6.

d Bon. dec. 2. l. 9.

Vi Vngari cum regnum ab eo amplificatū sit.

e Io. Vill. l. 12. c. 6. Bonfin dec. 2. l. 9. Summont hist. Neap. l. 3.

Ludouicus filius sacratus Rex.

f Michou. l. 4. c. 23.

29 Auctum est a Clemente hoc anno Cardinalium collegium, cum ob grauissimarum rerum molem difficillimum onus partiri cum pluribus voluisset. Recenset vitæ eius auctor g accurate singulorum nomina, ac gesta ab ijs munera his verbis designat: *Dictus Papa die vigesima mensis septembris, quæ fuit sexta feria quatuor temporum, anno prædicto quadragesimo secundo fecit creationem decem Cardinalium, videlicet octo presbyterorum & duorum diaconorum. Presbyteri autem fuerunt dominus frater Elias de Nabinano ordinis Minorum diœcesis Petagoriensis, tunc archiepiscopus Nicosiensis.* Patriarcham Ierosolymitanum paucis ante mensibus ipsum creatum diximus: *Dominus Guido de Bolonia frater comitis Boloniensis, tunc archiepiscopus Lugdunensis: dominus Aymericus de Castrolucij diœcesis Lemouicensis, tunc episcopus Carnotensis.* Demandatam illi amplissimam

Cardinales creati a Clemente.

g Gesta Clem. VI. apud Bosq.

msm in Italia legationem superius vidimus: *Dominus Andreas de Florentia Italicus, tunc episcopus Tornacensis.* Dictum Ghinum Melpillium ait Ioannes Villanus a nec diu vitæ fuisse superstitem dolet. *Dominus Stephanus Alberti diœcesis Lemonicensis, tunc episcopus Claromōtensis.* Is accepto Innocentij VI. nomine Clementi successit. *Dominus Hugo Rogerij monachus ordinis S. Benedicti diœcesis Lemonicensis, tunc electus Tutelensis frater ipsius Papæ: dominus Ademarus Roberti diœcesis Lemouicensis, tunc sedis Apostolicæ notarius; & dominus frater Geraldus de Guardia diœcesis Lemouicensis tunc generalis magister ordinis Prædicatorum consanguineus eiusdem Papæ, Diaconi vero fuerunt dominus Bernardus de Turre in Aluernia diœcesis Claromontensis, tunc subdiaconus Papæ, & dominus Guillermus iudicis legum doctor diœcesis Lemouicensis nepos ipsius Papæ ex sorore.* De decem Cardinalibus hoc anno a Clemente creatis M. S. Vaticanum de Romanis Pontificibus b, Ioannes Villanus c ac Felix Canteiorus in clencho, alijque meminere.

a Io. Vill. l. 12. c. 7.

b M. S. bibl. Vat. sign. n. 1040. in Clem. VI.

c Io. Vill. l. 12. c. 7.

IESV CHRISTI
annus 1343.

CLEMENTIS PP. VI. 2. | VAC. IMP. OCCID. 30. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 3.

1 INdicta est a Clemente Papa sacra in Turcas expeditio anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, indictione vndecima, ac fera natio, in rei Christianæ exitium nata, in ipsis primis suæ tyrannidis incrementis edomanda erat Christi vicarij solicitudine, si paribus Christiani Reges ac principes studijs concurrissent. Permouerant ad pium illud bellum cruentæ orientalium lachrymæ, atque intercisæ suspirijs voces Pontificem, cum miserandas clades acciperent a Turcis, qui ingenti nauium classe ac militum numero magno impetu in Christianorum fines irrupere, ac palantes vastarunt d agros; plura expugnarunt vel oppresserunt improuiso aduentu oppida, omnia ferro flammaque miscuere, fideles denique conscidere, fudere, in seruitutem abduxere, & (quod multo magis flendum & perniciosius erat) plures parum constantia præditos qua blanditijs & promissis, qua terrore & minis ad eiurandam Christianam religionem adduxerunt. Deplorat hæc aliaque mala Pontifex in literis ad Mediolanensem archiepiscopum ac suffraganeos episcopos datis e, quibus præcepit, vt populos ipsorum pastorali curæ creditos ad dandum crucesignatæ militiæ nomen, & Christianis in orientalibus oris laborantibus auxilia ferenda pro concione omni studio, propositis indulgentiarum præmijs, cohortarentur.

Turcæ grassantur in Christianos.

d Calcon. l. 2. de reb. Turc.

Plures a Christo abducūt.

e An. 2. p. 1 ep. cur. 38

Clemens, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Mediolanensi, eiusque suffraganeis.

2 Iamdudum & nuper etiam, proue euidentia facti, proh dolor! notum reddit, non sine amaritudine mentis accepimus, quod gentes illorum infidelium paganorum, quæ vulgari lingua Turchi vocantur, sitientes sanguinem populi Christiani, & ad extinctionem catholicæ fidei anhelantes, collectis suæ viribus nationis, a certis retro consinuatis temporibus cum maxima quantitate lignorum naualium armatorum in partibus Romaniæ, & alijs locis fidelium conuicinis eisdem Christianorum fines per mare fuerunt ingressi, & in Christianos & loca ac insulas eorundem atrociter sæuientes, per mare discurrerunt hactenus & non desinunt discurrere incessanter, damnificantes & depopulantes loca & insulas Christianorum partium earundem, ipsasque incendio miserabili supponentes & (quod nefandius est) Christianos eosdem in prædam abducunt & subijciunt horribili & perpetuæ seruituti, vendentes eos vt animalia, ipsosque ad abnegandum fidem catholicam compellentes; quodque insulam Nigripontis diuersis temporibus & vicibus cum eorum iniqua potentia & furore sæuissimæ feritatis hostiliter inuaserunt, & post depopulationes, incendia, cædes, & spolia per infideles ipsos in dicta & alijs insulis ac terris dictarum partium immaniter perpetrata, innumerabiles personas fidelium eorundem cepisse, ipsasque in seruitutem prædictam redegisse, proh dolor! asseruntur.

Illata ab ijs Eubœæ vastitas.

Cum autem de huiusmodi prauis conatibus & oppressionibus, quos fera paganitas in eosdem fideles sic exercet atrociter, in intimis doleamus, & propterea vias & modos exquisiuerimus, vt statui dictorum Christianorum sic oppresso possemus viriliter prouidere; tandem diligenti tractatu super his habito, duximus ordinandum, vt certa armata galearum per nos in isto primo anno realibus subsidijs de nostra camera, licet sit multis expensarum oneribus aggrauata, & deinde spiritualium & ecclesiasticorum subsidijs adiuuanda, nec non charissimum in Christo filium nostrum Hugonem Regem Cypri illustrem, ac dilectos filios magistrum & fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, & nobilem virum ducem Venetiarum, & quosdam alios in instanti fiat pro succursu & defensione fidelium prædictorum, vsque ad triennium duratura: & quod huiusmodi galeæ bellatoribus, & alijs gentibus opportunis, & armis bene munita apud dictam insulam Nigripontis in instanti festo omnium sanctorum debeant conuenire contra infideles eosdem, auctore Domino, viriliter profecturæ.

Indicta in eosdē expeditio

3 Licet igitur assidue cogitemus, quomodo & qualiter negotium ipsum ad Dei laudem & gloriam, & non solum ad defensionem catholicæ fidei & professorum eiusdem, sed etiam exaltationem ipsius feliciter prosperetur; & pro feliciori prosecutione ipsius decimas redditum & prouentuum ecclesiasticorum, in certis terris & prouincijs & partibus consistentium, & aliqua alia subsidia duxerimus concedenda; quia tamen negotium ipsum, quod maxima expensarum profluuia requirit, maioribus subsidijs noscitur indigere ac ad illud coadiuuandum fidelium charitatiua subsidia existunt plurimum opportuna, fideles eosdem ad hoc quibusdam spiritualibus munificentijs, indulgentijs videlicet & remissionibus, prouidimus inuitandos.

Imperatæ in belli sūptus decimæ.

Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus statum miserabilem Christianorum dictarum partium attendentes, tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei contra infideles eosdem, singuli videlicet vestrum in suis ciuitatibus & diœcesibus per vos & alias personas ecclesiasticas seculares, & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore noueritis, Christi fidelibus iuxta datam vobis & eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum crucis, & venerabile signum eius quibusuis fidelibus illud suscipere deuote volentibus concedatis, ipsorumque

Proposito sacram militiam professuris indulgentiæ.

hu-

humctis imponatis, fideles eosdem, quos ad audiendum propositionem ipsam, quoties expedierit, ad loca idonea conuocare possitis; solicitis exhortationibus & opportunis instantijs inducentes, vt ipsi suscipientes eum reuerentia signum crucis, illudque suis cordibus imprimentes, contra infidelium prædictorum perfidiam insurgant viriliter, & negotium ipsum feruenter assumant, & feruentius prosequantur, &c.] Addit Pontifex proposita indulgentiarum præmia piam militiam professuris, vel ijs qui suo sumptu milites submiserint; ac ne piorum eleemosynæ ab auaris diriperentur in ecclesijs, solidioris formæ capsam, in quam immitterentur, tribus seris diligenter munitam, quarum claues viris probitate conspicuis committerentur, proponi iussit, vt communi consensu ad sedem Apostolicam stipem fidelium numeratam iussi transmitterent. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis 11. kal. octobris anno 11.*

a Reg. post eand. ep.

4 Conceptæ sunt eadem verborum forma plures literæ a, quas alijs archiepiscopis & episcopis Italiæ, Sardiniæ, Dalmatiæ, Vngariæ, Poloniæ, Galliarum, Hispaniarum, Angliæ, Germaniæ, Boemiæ, Liuoniæ, Sueciæ, Norvvegiæ, aliarumque Christiani orbis prouinciarum missæ, vt pari ardore pios inflammarent; vocarentque in laboris & gloriæ societatem.

Bella ciuilia rei Christianæ exitialia.

Quamuis vero ad tantum tamque præclarum opus omnes Christianæ nationes inuitarentur, at nonnisi a paucis certa expectanda erant auxilia: Anglum enim ad Gallias inuadendas incitabat furor: Gallus sua tueri vix poterat: Castellanus & Lusitanus Granatenses gloriose oppugnabant b: Aragonius ad Balearem opprimendũ incumbebat: Germania ciuili flagrabat bello; septentrionales barbari Vngaros, Boemos, Liuones, & alios finitimos exercuere; plena factionibus Italia, Sicilia & Trinacria ancipiti belli metu erant suspensæ. Coiri itaque tantum potuit sacrum aduersus Turcas fœdus inter Clementem, Bertutium Gradenicum ducem Venetorum, Hugonem Regem Cypri, atque Helionum e Villanoua Rhodiorum equitum magistrum, cum hos magis quam cæteros Turcica potentia infestaret: Cyprum enim, Rhodum, ac Venetæ ditionis orientales terras inuadere moliebantur barbari. Pontificem vero tuendæ religionis ardor accenderat. Et quidem quod ad Hospitalarios attinet; magna tum ij arsere inuidia, qui ad reprimendos barbaros amplissimis vectigalibus & possessionibus aucti, abiecta sacri belli cura, delitijs indulgerent. Horum vero principem Helionum Villanouanum Clemens militarem disciplinam restituere, & sex triremes omnibus ad bellum necessarijs egregie contra Turcas communibus ordinis sumptibus instruere iussit c: quamquam censebant aliqui, Hospitalariorum stipendijs vniuersam classem sustentandam.

b Bos. hist. l. 2.

Qui principes fœdus coiuerint in Turcas.

Rhodior. equitum mores collapsi.

c To. 2. ep. secr. 233.

Clemens, &c. Heliono de Villanoua magistro hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani.

5 Habet cleri & populi quasi communis & vulgaris opinio, quæ per multos magnos viros sæpius extitit in nostra præsentia recitata, quod tu, fili, & aliæ personæ hospitalis de bonis innumeris ipsius hospitalis in transmarinis & cismarinis partibus boni facitis quasi nihil: nisi quod personæ hospitalis eiusdem, administrationes gerentes, equos magnos & pulchros equitant, cibis vacant delectabilibus, pomposis vestibus, vasis aureis & argenteis, & pretiosis alijs ornamentis vtuntur, aues & canes tenent & nutriunt venaticos, pecunias congregant & conseruant innumeras, & raras vel modicas eleemosynas largiuntur: & cũ bona dicti hospitalis pro defensione ac dilatatione fidei catholicæ tuitioneq; Christicolarum, præsertim in eisdem transmarinis partibus morantium, deputata fore fidelium deuotione noscantur, de ijs solicitudinem aliquam personæ dicti hospitalis gerere non videntur! Propter quod quandoque tactum est, fore non parum vtile fidei & fidelibus antedictis, quod alia militaris religio crearetur per sedem Apostolicam, & dotaretur de parte bonorum hospitalis prædicti; suas rationes illi, qui suadebant huiusmodi nouam religionem creari, ex ijs, quæ præmissa sunt, fulcientes; & subiungentes nihilominus, quod virtuosius & vtilius duæ religiones militares in eisdem transmarinis partibus agerent mutuo zelo, quam vna, sicut olim hospitalarij ac templarij faciebant; & etiam, quod ad hoc abunde sufficerent bona hospitalis prædicti: quamuis nos assensum non præbuerimus, de tua prædicta reformatione & correctione vtili, sicut præmisimus, confidentes. [Addit, tristem famam multorum gemitibus ac suspirijs diffusam increbrescere, Turcas in Romaniæ fideles magno furore excurrere, ac deseuire: ad quorum frangendos impetus, ne religionem Christianam in ijs partibus penitus extinguant, vertenda sint arma: seque, adhibitis in consilium Cardinalibus & alijs viris rei militaris peritis, comparandam aduersus barbaros classem censuisse. Qua vero ratione conflanda esset subijcit].

Enervata delitijs virtus.

De nouo ordine cõdendo agitatum.

Censuit Clemens instaurandam potius disciplinam in veteri.

6 Duximus deliberatione prouida ordinandum, quod viginti galeæ armatæ ac munitæ in eisdem partibus pro huiusmodi subsidio modo, qui sequitur, habeantur: videlicet per charissimum in Christo filium nostrum Regem Cypri illustrem quatuor, & per dilectum filium ducem & commune Venetiarum quinque, ac hospitale sex heredes quoque quondam Nicolai Semita vna per triennium teneantur, & nos quatuor pro isto anno de speciali gratia nostris habeamus expensis; quamuis tam per aliquos ex fratribus nostris S. R. E. Cardinales, quam alios nobis sæpe dictum fuerit & suggestum, quod nedum expensæ dictarum quatuor galearum deberent fieri & ministrari per hospitale prædictum; quinpotius totalis armata posset commode ipsius hospitalis expensis teneri, cum a pluribus asseratur re plus de thesauro quam alia tota Dei ecclesia possidere: & præter hoc multi priores ipsius hospitalis & fratres habent, vt fertur, pecunias infinitas, &c.] Subdit plures conqueri, religiosos equites graues inimicitias inter se exercere, neque ijs, qui ordini suam operam addixere, sacerdotibusue merita stipendia præberi: proinde tot mala emendet, vt pristinus eiusdem ordinis splendor efflorescat. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis vi. id. augusti anno 11.*

Conferenda a fœderatis in Turcas subsidia.

7 Obtulerat se vltro Venetorum dux sacræ expeditioni suscipiendæ socium, & naualis exercitus conficiendi quartam se partem comparaturum Clementi spoponderat: atque adeo, cum viginti triremes adornatum iri constitutum esset, Pontifex eum monuit, quinque apparandas ipsi incumbere, quibus sextam vt adiungeret his literis orauit a.

Dux Venetus partem belli in Turcas suscipit.

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Bertutio Gradenico duci Venetiarum Castellanæ diœcesis.

a An. 3. l. 5. ep. cur. 23.

Cum olim per literas tuas responsiuas ad

nostras, quas tibi super succursu fidelium partium Romaniæ, a Turcis perfidis oppressarum multipliciter & desolatarum, impendendo direximus, plene perceperimus, quod tu quartam partem armatæ, quæ fieret pro succursu dictorum fidelium offerebas firmiter te facturum; ordinauimus nuper pro succursu celeri prædictorum, quod certa armata galearum per charissimum in Christo filium nostrum Hugonem Regem Cypri illustrem, ac dilectus filios magistrum & fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, & te vsque numerum viginti galearum ad minus (licet plures esse debere credamus, cum nos etiam certa temporalia de camera nostra, licet sit multis expensarum oneribus prægrauata, & multa alia spiritualia subsidia pro succursu huiusmodi faciamus) præsentialiter fiat; & quod omnes ipsæ galeæ in futuro proximo festo omnium sanctorum conueniste debeant apud insulam Nigripontis, contra eosdem Turcos viriliter, auctore Domino, profectura.

Pontificię ad eum litera.

Triremes viginti in struendæ in Turcas.

Eubœa belli arx constituta

Verumtamen, quamuis iuxta oblationem tuam prædictam de viginti galeis huiusmodi quinque te contingere dignoscantur; nihilominus tamen, quia propter terras & insulas, quas tu & Veneti in partibus illis habetis, commodum & incommodum huiusmodi negotij te & ipsos Venetos principalius tangunt; quodque cum huiusmodi armata facta fuerit, alias galeas ad defensionem & custodiam maris, terrarum, & insularum earundem non expediet, sicut hucvsque oportuit, te tenere; reputamus conuenire decentiæ, & consonum æquitati, vt sex galeas ad minus pro ista vice, non cumputata in eis potentia dictæ insulæ Nigripontis (cum intendamus, quod illi de dicta insula in armata huiusmodi vnam galeam armare debeant eorum sumptibus, & tenere) armari & muniri facias ad præmissa.

8 Ideoque nobilitatem tuam rogamus, requirimus, & hurtamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus præmissis omnibus in debitam considerationem adductis; & quod tua & dictorum Venetorum principaliter interest ex causa prædicta defendere dictas partes, & tum ob hoc, tum vt Venetis ipsis ad nauigandum, repressis dictorum paganorum ausibus, tempus quietum arrideat; huiusmodi sex galeas, sublato impedimenti cuiuslibet & dilationis obstaculo, bonis capitaneis seu rectoribus, nec non bellatoribus, qui ad negotium afficiantur huiusmodi, & armis opportunis bene munitas ad dictam insulam Nigropontis in eodem termino studeas destinare: vt Deo, cuius causa agitur, in hac parte fauente, negotium ipsum ad Dei laudem & gloriam, quietem fidelium, & ipsorum infidelium confusionem feliciter prosperetur. Nos etiam præfatis Regi & hospiralarijs nostras dirigimus literas efficaces, vt galeas, quas pro huiusmodi succursu armare debent, gentibus & armis optimis bene munitas ad dictam insulam in festo prædicto studeant destinare: nam galeę, quę Ianuę & in istis partibus armabuntur, apud insulam prędictam conuenient cum tuis & aliorum prędictorum in termino supradicto. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis vi. id augusti anno ii.*

9 Quod ad Cypri Regem attinet; Pontifex in hortatorijs literis ad eum de instruendis quatuor vel pluribus triremibus datis, quasi imminentis post longa annorum curricula Cypro discriminis præscius, grauissime Hugonem admonuit a, vt Turcarum potentiam contunderet, ipsos Cyprum aliquando inuasuros: *Celsitudinem, inquit, tuam requirimus, rogamus, & hortamur attente, ipsam per aspersionem pretiosi sanguinis Redemptoris nostri in Domino obsecrantes; quatenus prudenter considerans quantum tibi, & subditis tuis, si dictorum paganorum feritas vlterius inualescat, possit periculum imminere; quantumque commodum prædictis & alijs fidelibus, si eorundem hostium reprimetur audacia, & temeritas compescatur, prouenire debeat, & honor ac exaltatio catholicæ fidei cuncto Christiano populo resultare; tu tanquam princeps Christianissimus, & eiusdem fidei athleta præcipuus, huiusmodi quatuor galeas bonis rectoribus, bellatoribus, & armis, prout tanta necessitas exigit, & facti requirit qualitas, bene munitas, submotis impedimentis quibuslibet, studeas sine defectu ad dictam insulam in eodem termino, in quo aliæ galeæ prædictæ ibidem conuenient, destinare; vt Deo, cuius negotium agitur in hac parte, fauente, negotium ipsum feliciter prosperetur, &c. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis vi. id. augusti anno ii.*

a An. 2. li. 1 ep. cur. 19.

Cyprius Rex admonetur, vt Turcas contunderet.

Cæterum dictis quatuor triremibus, quas Pontifex instruendas susceperat, Martinum Zachariam Genuensem, ducem præstantissimum, gestis pluribus in Turcas prælijs clarum, præfecit a. Quibus constitutis, augendæ classis studio cum alijs pluribus principibus, vt nauales vires coniungerent, egit. Atque in primis Sauciam Siciliæ Reginam solicitauit b, vt Ioannam Reginam ad sociorum classem aliquibus Siculis triremibus augendam impelleret: alijsque literis, vt eandem Ioannam ad id flecteret, impendens ex Turcarum progressibus regno discrimen ipsi exposuit c: *Charissima, inquit, filia debes diligenter attendere, quod si paganorum prædictorum in partibus illis potentia cresceret, & audacia peramplius insaniret, dicti pagani possent tibi & regno Siciliæ, quod a nobis & ecclesia Romana tenes in feudum, & dictis Romaniæ partibus modico intermedio freto distat, ac subditis tuis subito multa inferre dispendia & iacturas: & quod tum ob hoc, tum propter zelum fidei & defensionem fidelium, claræ memoriæ progenitorum tuorum inhærendo vestigijs, teneris & debes pro dictorum succursu fidelium & repressione molimimum infidelium eorundem subsidium destinare, &c. Dat. Auin. vi. id. augusti anno ii.*

Præfectus pontificijs triremib. Zacharias Genuensis.

a To. 2. ep. secr. 323.

b An. 2 p. 1 ep. cur. 20.

Siciliæ Regina, vt vires iungat commonita.

c Ib. ep. cur. 25.

Prædictũ imminens Siciliæ a Turcis discrimen.

10 Prouocatus etiam est d Robertus Achaiæ princeps, vt fœderatorum classi duas triremes adiungeret, cum ipsius maximi interesset, vt Turcæ, qui Achaiam excursionibus suis fœdabant reprimerentur: atque illius matrem Catharinam Imperatricem Constantinopolitanam filium ad id hortari iussit e, cum ipsa quo tempore filij principatum moderabatur, præsulum adducta precibus se paratam obtulisset ad nauales vires, si bellum iussu pontificio Turcis inferretur, coniungendas. Conuenit etiam vna cum alijs principibus Iamuillius Sanutus f dux Agriopelagi, triremem milite & commeatu instructam ad socios submissurum; quem vt promissa impleret admonuit Pontifex. Tum Genuenses g, Perenses h in Asia ex Constantinopolis aduersa parte agentes, quos pluribus a Turcis damnis affectos dolet, Pisanus, Anconitanos, Florentinos, Senenses, Perusinos, Ioannem archiepiscopum ac Luchinum Mediolanenses, Albertum & Mastinum Scaligeros, Veronenses, Thadæum e Pepulis Bononiensis fisci prælectum, sed principi supparem excitauit, vt

Achaiæ princeps in sacri belli societatem vocatus.

d Ep. cur. 22.

e Ib. ep. 21

f To. 2. ep. secr. 335.

Itali ad armorum communicationem solicitati.

g Ib ep. 338.

h Ep. 374.

i Ep. 339. ad 346.

vt vel nauibus vel milite comparandam in Turcas classem pro Christiano nomine defendendo, ac fidei propaganda gloria augerent. Vtque melius rebus orientalibus fluctuantibus consuleret, Henrico patriarchæ Constantinopolitano Latino amplissimum legationis munus in crucesignato exercitu & orientalibus prouincijs iniunxit a. Naualis vero exercitus ducibus data imperia b, vt ei parerent: quo argumento ad Hugonē c Regem Cypri & Venetorum ducem d scriptæ literæ, vt nimirum suarum triremium præfecti patriarchæ Constantinopolitano legato obsequentes esse iuberent.

Henricus patriarcha Constantinop. creatus in exercitu legatus.

a An. 2. p. 1 ep. cur. 15. & 27.
b To. 2. ep. secr. 326.
c Ib. ep. 327.
d Ep. 328.
e Ep. 413

Demandatum præterea est eidem legato munus e, vt concordiam inter Gualterum ducem Athenarum & Catalanos redintegraret. Indiderant ij sibi societatis magnæ e Romaniæ nomen, qui cum olim, vt supra dictum est, sedato bello Trinacrio missi in orientem fuissent, vt Turcarum nascens imperium obruerent, immani flagitio, a schismaticis solicitati, arma verterant in catholicos: dumque hi inter se bello certabant, Turcæ in vtrosque impetum conuertere, ac rem Christianam afflixerunt. Cum itaque Benedictus XII. ex illo inter Catalanos, qui plures ducatus Athenarum arces occuparant, & Gualterum bello infidelium vires in dies confirmari lugeret, edictis apostolicis grauiores pœnas belli auctoribus incussit, & vocato Gualtero, cum illum ad pacem pronum repetisset, Henrico patriarchæ prouinciam tractandi inter eos fœderis dederat: sed id consilium Benedicti mors oppresserat: Clemens vero illud perducendum aggressus est, de quo inferius sermo recurret. Nec modo ex ea Christianorum dissensione animatos Turcas ad vastandam Peloponesum & finitimas prouincias, verum Europæ amœnitate ac fœcunditate terrarum illectos, refert Calcondylas f.

Catalana societas & dux Athenar. bello implicati.

Imperatæ inter eos induciæ.

f Calcond. l. 2. de reb. Turc.

11 Suscepto sacro illo ac necessario bello Pontifex, cum fœderati, Cyprius nimirum, Rhodius, ac Venetus se ad stipendiorum & sumptuum bellicorum molem ferendam valere opibus negarent; æquumque esset, vt ecclesiastica vectigalia pro fide propaganda ac debellandis barbaris eo conuerterentur; neque etiam piorum eleemosynæ ad lucranda indulgentiarum præmia eroganda sufficerent, triēnalem decimam in omnibus Christianis regnis (exceptis Anglia, Gallia, & Hispanijs Angliam enim Eduardus attriuerat, ac sacras inique opes inuadebat, & ad Christianum sanguinem spargendum effundebat, contendebatque iustum se bellum gerere; exhausta Anglico bello erat Gallia, & Hispaniæ expugnandis Mauris sufficere non poterant) indixit g. Collocatas hasce decimas fuisse in bello aduersus Turcas sustendo, ex Ioanne Villano h colligitur, dum ait sumptibus pontificijs crucesignatos conductos fuisse; quam etiam ob causam parta ab exercitu Christiano loca pontificiæ custodiæ sunt commendata.

Indictæ ad sacri belli sumptus decumæ.

g An. 2. p. 1. ep. cur. 30. & 114.
h Io. Vill. l. 12. c. 38.

Dum ita Christi vicarius bellum sacrum in Turcas apparabat, Constantinopolitanus Imperator Ioannes Palæologos vel potius, cum is ob imbellem ætatem tractando imperio par non esset, proceres ad quos consilia summa referebantur, Turcico flagello vexati, vt ad Romanæ ecclesiæ sinum redirent, Clementis opem flagitarunt, suumque erga sedem Apostolicam studium amplissimis verbis exphouere. Experierant iam antea sæpius Græci Romanæ ecclesiæ gratiam, cum res suas in anceps discrimen adductas intuerentur ac viribus postea confirmati laruatam pietatem exuebant: atque etiam Andronicus Ioannis Palæologi pater, cum eam imperij partem, quam in Asia obtinebat, amisisset, spem missis oratoribus dederat, fore vt, si milite ac stipendijs ad amissa recuperanda fulciretur, ecclesiæ catholicæ se aggregaret: cui Romanus Pontifex certissima spoponderat auxilia in Turcas, modo id perfecisset ne quam armis orthodoxorum auxisset potentiam in catholicos verteret, schismaque confirmaret. In quo lugeat lector quanta Græcis exitia schisma attulerit, cum spretis eorum calamitatibus a catholicis, ipsos velut a dominico grege aberrantes oues, summque fugientes pastorem, fera Turcica deuorarit. Non passa vero est diuina prouidentia vnica barbarorum eluuione ipsos mergi, sed crebris excursionibus vrgeri ac lancinari, vt exuerent errores, ac sæuissimorum carnificum minis ad amantissimum patrem omnium fidelium perfugerent.

Græci de instauranda ecclesiarum coniunctione agitant.

Vrgentur ad id Turcarum grassationibus.

12 Fatigabant porro hoc tempore Græcos non solum Turcæ, sed etiam Tartari: ac licet in Turcas ij tantummodo opem poscerent, Pontifex vsurus occasione, vt Græcos ad coniunctionem reuocaret, non modo contra illos, verum contra Tartaros quoque apostolicum patrocinium certissimum est pollicitus a; proposuitque ob oculos ouilis dominici vnum esse pastorem, nec alium quam Romanum Pontificem; & Constantinopolitanum imperium, dum in huius clientela & veneratione stetit, scientiæ & armorum gloria effloruisse.

Pontifex ad eos excipiendos paratus.

a To. 2 ep. secr. 414. ext. etiam in M.S. arch. Vat. de rebus Græc. Tartaror. &c. pag. 44.

Magnifico viro Ioanni Imperatori Græcorum Palæologo gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Munificentiæ tuæ literas per dilectum filium nobilem virum Philippum de sancto Germano nuntium tuum, oriundum de partibus Sabaudiæ, nostro apostolatui præsentatas benigne recepimus, & tam ea, quæ continebantur in eis, quam quæ idem nuntius sub credentia sibi concessa per dictas literas explicare coram nobis pro parte tua curauit verbotenus, pleno collegimus intellectu: cumque tam per ipsas literas, quam ea, quæ idem nuntius verbo, vt præmittitur, explicauit affectum magnæ deuotionis & reuerentiæ nobis & Apostolicæ sedi obtuleris; ac expressis diris oppressionibus, molestationibus, & afflictionibus, quas gens illa nationis Turcorum fœtidæ inimica fidei Christianæ, ad confusionem & exterminium Christianitatis aspirans, tibi & populo Græcorum intulit præsumptuosis & terribilibus ausibus hactenus, & inferre crudelius non desistit, præstari tibi & eisdem Græcis aduersus Turcorum prædictorum infidelium potentiam & malitiam galearum & vasorum nauigabilium armatorum, & munitorum Latinis hominibus, subsidium per nos & Rom. ecclesiam postulaueris; eidem magnificentiæ breuiter super ijs respondemus, quod nos dudum, non sine compassione magna, & ingenti dolore cordis auditis diris & grauibus molestationibus & afflictionibus, quas prædicti Turchi, omni humanitate postposita, Christianis & fidelibus Romaniæ & aliarum transmarinarum partium intulerant & etiam inferebant, non valentes pietatis paternæ viscera claudere super his, nec volentes, pro defensione fidelium & Christianorum dictarum partium, ac repressione præfatorum Turcorum infidelium, certum galearum & vasorum huiusmodi sufficienter armatorum & munitorum ordinauimus subsi-

Legatio a Græcis missa ad Clementē

Postulata contra Turcas suppetiæ.

dium exhibendum; volentes indubie te tenere, quod si tu ac Græcorum clerus & populus, reiecta infectione illius execrandi ac damnandi schismatis, quod eos damnabiliter a sacrosancta Romana ecclesia matre omnium fidelium & magistra diuisit, per vnionem salutarem Deo placibilem, mundo acceptabilem, & saluti animarum multipliciter fructuosam ad matrem rediretis eandem; & diligenter attento, quod dominus noster Iesus Christus vnicum esse ouile ouium suarum & vnum pastorem esse voluit, sicut in euangelio continetur, & in Apostolorum symbolo fides profitetur catholica, vnam esse catholicam & apostolicam ecclesiam, quam ipse dominus Iesus Christus in seipso lapide angulari fundauit, & eius magisterium principi Apostolorum, B. Petro videlicet, cui licet insufficientibus meritis successimus in apostolatus dignitate commisit, vos sub eodem ouili, extra quod non est alicui gratia neque salus, reducere curaretis; nos & ipsa ecclesia, vobis gaudiosis amplexibus occurrentes, intra nostra reciperemus præcordia, & ad defensionem vestram non solum contra Turcas ipsos, sed Tartaros & alios vestros & fidei catholicæ inimicos & hostes, quantum possemus, defendere ac tractare tanquam prædilectos & charissimos filios amplis fauoribus & opportunis gratijs proculdubio studeremus.

Promissa Pont. si Græci schisma eiurent.

Non modo contra Turcas, sed etiam Tartaros.

Et vtinam tua & populi Græcorum perpenderet prudentia diligenter, quod ex reunione huiusmodi, præter commoda spiritualia, quæ vobis affluenter prouenirent, exinde multa bona temporalia resultarent: nam vt communis & vulgaris habet narratio, & antiqua gesta testantur, quandiu Græcia sub deuotione ac vnitate ipsius ecclesiæ Romanæ se tenuit tamquam matris, præ alijs mundi nationibus scientiarum præcellentia floruit, & militari potentia victoriose præfulsit. *Dat. Auin. x1 t. kal. nouembris anno 11.*

Græci ob schisma deiecti.

13 Profecto frequentibus experimentis compertum est, verissimam esse sententiam postremis hisce verbis comprehensam: & quia Græci in veteri perfidia obfirmati in deteriora sunt lapsi, grauissimo Turcarum iugo premi meruerunt.

Scripsit eodem die Pontifex ad Alexium Megaducam [a], qui significarat, sacra se obtinendæ Romanæ ecclesiæ coniunctionis cupiditate teneri: cui Clemens spiritum gratiæ salutaris in præfixo literarum titulo fauste precatus, adiecit stimulos, vt suscepta pia consilia in opus perduceret, commendauitque Bartholomæum Romanum canonicum Negropontensem, siue quempiam alium Henricus patriarcha Constantinopolitanus Apostolicæ sedis legatus ad eum mitteret; tum est adhortatus, vt operam suam, atque industriam ad aggregandum Romanæ ecclesiæ Imperatorem collocaret: *Nobilitatem*, inquit, *tuam in Domino attentius exhortamur, quatenus intra tua præcordia diligenter reuoluens, & absque dubitatione considerans & attendens, quod extra vnicum ouile dominicum, cuius est vnus pastor successor B. Petri Apostolorum principis*, Romanus *videlicet Pontifex vicarius Iesu Christi, non est alicui gratia neque salus, vt Græcorum populus extra ouile damnabiliter errans huiusmodi, se vna cum magnifico principe Ioanne Græcorum ipsorum moderatore Palæologo illustri reducat ad illud, prout decenter & vtiliter poteris, sic studiosis sollicitudinibus elabores, quod inde tibi meritorum acquiras cumulum apud Deum, ac nostram & Apostolicæ sedis abundanter gratiam merearis.*

Alexius Megaducas ad eccles. coniunctionē inclinat.

a Ib. ep. 415 & in ecd. M. 1 pag. 43.

Solicitat' vt ad id operam nauet.

14 Alij vero literis paucis post diebus exaratis certiorem illum fecit, quam peramanter illi paternum sinum explicaret, vtque maturaret gressus apostolicis beneficijs prouocauit [a]: *Nos*, inquit, *tibi ad instar illius patris euangelici, qui filio de regione dissimilitudinis redeunti iucundum parauit conuiuium occiso vitulo saginato, volentes tibi occurrere gaudiosis amplexibus, teque gratijs spiritualibus præuenire, vt cum ad eandem vnitatem veneris, deuio relicto schismatis huiusmodi & reiecto, confessor tuus catholicus, quem duxeris eligendum, plenam omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus & ore confessus fueris, remissionem impertiri auctoritate apostolica valeat; sic tamen quod de his, de quibus alteri fuerit per te satisfactio impendenda, illam tibi dictus confessor faciendam iniungat, quam tu, dum vixeris vel heredes tui, cum te de hac vita transire contigerit, facere teneamini, tenore præsentium indulgemus. Dat. Auin. VI. kal. nouembris anno 11.*

a Ib. ep. 423.

Dat sacerdoti catholico eius absoluendi auctoritas.

Significarat etiam Clementi literis atque oratoris Conradi opera Demetrius Græciæ despota, se desiderio transuolandi in sinum Romanæ ecclesiæ ardere. Cui Pontifex in præfixo literarum quæ VII. kal. decembris sunt consignatæ, titulo fauste precatus: *Promereri gratiam in præsenti, quæ perduceret ad gloriam in futuro*; stimulos addidit [b], vt promissa mandaret operi, se paternum illi sinum aperire, meritisque officijs prosecuturum vt amantissimum filium: tum etiam magistratibus Peyræ, quæ ex aduerso Constantinopoleos litore in Asia iacet, scripsit [c], vt Demetrio, si ad Romanæ ecclesiæ coniunctionem rediret, opera & consilio non deessent: quibus etiam iniunxit, vt Henrico patriarchæ Constantinopolitano A. S. L. vel alijs ab eadem sede vel patriarcha missis ad tractandam Græcorum cum Romana ecclesia coniunctionem, studium suum explicarent. Hortatus pariter est Ioannam Andronici Imperatoris viduam [d], vt faciles ijs aures accommodaret, quæ legatus a filio Ioanne Palæologo missus ad Apostolicam sedem pontificio nomine illi relaturus esset: tum Isabellam e Rocheta, quæ ad eiurandum schisma se paratissimam ostenderat, monuit [e] ne conceptum pium ardorem deferuescere fineret.

Demetri' despota schisma exuere cogitat.

b Ib. ep. 492.

c Ep. 493.

d Ep. 424.

e Ep. 426.

15 Pellicere etiam grauissimis literis patritios, senatores, ac proceres Græci imperij ad Romanæ ecclesiæ obsequia studuit: & quantas vtilitates felix & optanda omnium Christianorum coniunctio vniuerso imperio afferret, quanta schisma inuexisset mala, exposuit [f]; eamque ob causam passam diuinam iustitiam, veterem illius dignitatem adeo deflorescere.

Græci proceres admoniti officij.

f Ead. to. 2. ep. secr. 418.

Clemens, &c. nobilibus viris vniuersis principibus, baronibus, ac populis imperij Græcorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Si quot & quanta spiritualia & temporalia incommoda schisma illud, per quod, procurante hoste antiquo, qui saluti humanæ inuidens charitatem vnitatis lædere innata sibi malitia non desistit, Græcorum populus vnicum ouile dominicum, cuius est vnus pastor, & extra quod non est alicui gratia neque salus, exiens & aberrans a sacrosancta Romana matre sua ecclesia multum damnabiliter, proh dolor! se diuisit hactenus, attulerit in populo Christiano & afferat etiam incessanter, attenta meditatione pensaueritis, & intra vestra reuolueritis præcordia diligenter; profecto credimus, quod ab eodem damnando schismate, velut a deuio periculoso recedere

cu-

turabitis, & ad vnitatem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris omnium fidelium & magistræ, tanquam ad viam rectam, qua salutis æternæ panditur aditus, redire properabitis festinanter.

Vt floruerunt Græci dum vixere catholici.

Habet siquidem vulgaris & communis opinio, & antiqua gesta testantur, quod cum Græcia in sinu eiusdem ecclesiæ vnitæ ac catholicæ foueretur, victoriose ac gloriose inimicos suos suppeditabat & hostes, præ alijs mundi nationibus militari potentia & strenuitate armorum præfulgens, & florens nihilominus scientijs literarum, alijsque varijs decorata virtutum & donorum insignijs lucidius coruscabat. In quo statu autem ipsa fuerit postmodum, & nunc existat Græcia, magistra rerum docet experientia, & vos ipsi ex ijs quæ occurrerunt & occurrunt habere potestis, si diligenter perpenderitis, notitiam pleniorem. Nos igitur, quibus a summo pastore domino nostro Iesu Christo eiusdem ouilis fuit cura desuper est commissa, cupientes vos vna cum alijs fidelibus infra illud includi, vt inde possitis gratiam, quæ perducat ad gloriam promereri, nobilitatem vestram, &c.] Addit preces, vt studium ad redintegrandam orientalis ecclesiæ cum occidentali coniunctionem conferant, ex quo ingens apud homines decus, atque apud æternum Numen præmia sunt comparaturi. *Dat. Auin. XII. kal. nouembris anno* II.

Emarcuerit post schisma eorũ gloria.

16 Conceptæ sunt simili forma literæ ad populum Constantinopolitanum missæ a, quibus paternæ beneuolentiæ signis egregijs mulcere illum studuit, vt ad supremi in terris Christi vicarij gremium reuerteretur. His paternis blanditijs laicos Græcos, vt schisma eiurarent, alliciebat, seque promptum & alacrem ad infideles, qui cruentam de ipsis quotidie carnificinam exercebant, comprimendos exhibebat. Qui etiam vt clerum moneret officij, ne quid intentatum relinqueret, ac ne tot populorum sanguis de eius manibus requireretur, patriarcham, archiepiscopos, & episcopos Græcorum imperij ad restituendam ecclesiæ coniunctionem prouocauit b, grauissimisque diuinæ scripturæ oraculis vnicam esse catholicam ecclesiam, cui vnus summus pastor S. Petri successor ex Christi domini decreto præesset; eoque ex coniunctione orientalium suas venari vtilitates, ipsorumue dignitatem labefactandam, quorũ tueretur potius splendorem. Coniungerent itaq; ex pastoralis officij religione sollicitudinem, diligentiamque omnem, vt ex omnibus Christianis populis vna ecclesia sub vno Christi in terris supremo vicario coalesceret: ita enim, firmissimo fœdere coniunctis orientalibus & occidentalibus, Turcarum ferociam facile repressum iri.

Data populis monita.
a lib. ep. 419.

Et eorum præsulib.
b Eod. lib. ep. secr. 416. & ad S. de reb. Græc. &c. pag. 45.

Dilectis in Christo fratribus patriarchæ, & vniuersis archiepiscopis & episcopis Græcorum spiritum gratiæ salutaris.

17 Saluator noster dominus Iesus Christus, pro redemptione humani generis sub forma serui vestem nostræ mortalitatis assumens, reprobata quondam propter ingratitudinem perfidia Iudæorum, & oblato synagogæ, quæ tempus visitationis suæ non cognouit, libello repudij, sacrosanctam ecclesiam non habentem maculam neque rugam, congregatam in vnum ex gentibus & Iudæis, qui oculos illuminatos habentes, viam veritatis & fidei cognouerunt, ipse lapis angularis vtrumque coniungens parietem & vtraque vnum faciens, in sponsam sibi specialiter præelegit; eamque sanctificans, & mundans aquæ lauacro in verbo vitæ, gloriosam exhibuit ac sanctam, & immaculatam effecit, iuxta quod in canticis canticorum legitur: *Vna est sponsa mea, electa mea, immaculata mea.* Ipse quoque dominus Iesus Christus vnum esse ouile ouium, & vnum pastorem in euangelio protestatur: & in Apostolorum symbolo vnam esse catholicam ecclesiam fides catholica profitetur, quam ipse Dominus in se ipso lapide angulari probato, pretioso, viuo, ab ædificantibus reprobato, a Deo tamen electo & honorificato fundauit, & eius magisterium Apostolorum principi, B. Petro videlicet, cui licet insufficientibus meritis in apostolatus successimus dignitate, concessit inquiens: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*; & paulo post subdidit: *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*; & nihilominus ouium suarum curam non solum alicuius gregis determinati, sed omnium ad ouile suum dominicum pertinentium vniuersaliter verbo tertio repetito commisit, dicens: *Pasce oues meas*; & quod eius fides nunquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in euangelio: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; vt patenter ostenderet, non solum ouium, sed etiam pastorum omnium ipsum vicarium deputare pastorem. Quod etiam significanter ostendit cum, ipso apparente post resurrectionem discipulis, Petrus per mare, cæteri vero discipuli nauigio peruenerunt. Cui soli alibi dixisse ipse Dominus legitur: *Duc in altum*: cum enim singuli determinatas habeant sibi prouincias, soli Petro & eius successoribus ipsa tota commissa est vniuersalis ecclesia toto orbe diffusa, nempe signum singularis pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed seculum ipsum gubernandum suscepit: mare quidem seculum est, naues ecclesiæ designantur. Quæ quidem Græcorum populus prouide non attendens, aliam sibi confinxit ecclesiam (cum sit vnica tantummodo, vt est dictum) & ab Apostolicæ sedis vnitate recessit: nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium imitatur, et inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium diuisione pepercit, scindere vsque ad hæc tempora per frusta conatur; non aduertens prudenter, quod vna Noe tantum extitit arca, intra quam sub vno rectore quicumque fuerunt leguntur in cataclysmo saluati: qui autem extra ipsam inuenti sunt, omnes in diluuio perierunt.

Demonstratur vnitas ecclesiæ.

Et primatus Petri.

18 Sane quia nos libenter ad instar illius pastoris euangelici, qui ouem perditam et extra gregem errantem requirens sollicite, et ipsam repertam imponens super humeros reportauit, ne bestiarum dentibus deuoraretur, ad gregem, pro Græcorum ipsorum ad eandem vnicam ecclesiam reunione Deo placida, mundo acceptabili, et animarum saluti non modicum profutura, si ad hoc, gratia præueniente diuina, disponeretur materia, laboraremus studijs operosis; super ijs tam magnifico viro Ioanni Imperatori Græcorum Palæologo illustri, quam principibus, baronibus, et nobilibus imperij Græcorum, ac populo ciuitatis Constantinopolitanæ per literas scribimus opportunas.

Necessitas redintegrandæ ecclesiarũ coniunctionis.

Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur in domino Iesu Christo, quatenus præmissa, et quod extra dictum ouile dominicum, cuius est, vt præmittitur, vnus pastor

ftor, non eft alicui gratia neque falus, diligentius attendentes, vos qui eiufdem Græcorum populi eminentiam præfulatus gerere videmini, ad reunionem prædictam veftra ftudia dirigentes, tam eundem Imperatorem, quam prædictos principes, barones, nobiles, et populos veftris monitis et exhortationibus falubribus ad reunionem huiufmodi, vt vobis et ipfis perennis vitæ patere valeat aditus, inducatis; fcituri pro certo, quod ex ijs vel alijs veftra vel fua non quærimus, fed tantum veftrarum et ipforum animarum falutem paterna folicitudine fic zelamus, quod fi ad vnitatem ecclefiæ prędictę redieritis, veftra recipere non intendimus, fed vobis potius dare noftra, et etiam fi oportuerit nofmetipfos: ac nos et fedes Apoftolica vos et ipfos recipiemus extenfis charitatis paternę brachijs in amplexus, priuilegijs, gratijs, et opportunis fauoribus, et alias ficut alios fideles eiufdem ecclefię nihilominus profequendo; nec non afsiftendo vobis et ipfis, quantum fieri poterit, contra Turcos et alios veftros et ipforum oppreffores et hoftes. *Dat. Auin. XII. kal. nouembris anno II.*

Non quærit aliud a Græcis Pont. lucrum, quã animarũ.

19 Eodem exemplo calogeris e monte fancto (ita mons Athn ob innumeros monachorum greges, qui in eo agebant, vulgo vocitabatur) quorum ftudium erat in rerum diuinarum contemplatione animum defigere, fcripfit a adiecitque has preces: *Vniuerfitatem congregationis veftra monemus & hortamur in domino Iefu Chrifto quatenus præmiffa, & quod extra vnicum ouile dominicum, cuius eft, vt præmittitur, Dominus paftor, non eft alicui gratia neque falus, diligentius attendentes, vos qui, ficut audiuimus, zelum animarum habentes, in contemplationis altitudine iugiter perfiftitis, ac aufteritate vitæ pro quiete cæleftis patriæ acquirenda vos, vt intelleximus, affligitis ne lutum damnati fchifmatis iter veftrum impediat, & labores veftros huiufmodi euacuet a mercede, vt Græcorum clerus & populus, inter quos principaliter numerari nofcimini, eiufdem impedimento reiecto fchifmatis, ad vnitatem fanctæ Romanæ matris ecclefiæ vna vobifcum redeat, & in ouile dominico prædicto, vt mereatur falutem confequi, fe includat laborare operofis folicitudinibus ftudeatis.*

Monachi, vt redeãt ad ecclef. prouocati

a To. 2. ep. fecr. 413.

Promouendæ neceffariæ adeo coniunctionis defiderio Clemens prætorem Genuenfium Peræ agentium, magiftratum Venetorum, Dominicanæ & Francifcanæ familiæ religiofos viros fumma opera ad Græcos ad catholicam ecclefiam traducendos incumbere iuffit b. Sed eorum diligentiã ac ftudia pontificia, tot infignibus notis tantoque zelo explicita, Græcorum fchifmaticorum pertinacia elufit: quamquam extremo etiam anno a Clemente repetitis literis c VII kal. decembris cum Ioanne Palæologo, hoc ijs titulo præfixo: *Magnifico principi Ioanni Græcorum Imperatori, & moderatori Palæologo illuftri gratiam in præfenti, quæ ducat ad gloriam in futuro*; deque concordia ecclefiarum inftauranda iterum, cum a Cantacuzeno tyranno Turcarum auxilijs fuccincto premeretur idẽ Palæologus, fuerit agitatum. Sed de his inferius fuis locis dicetur: nunc Armenas res aggrediamur.

Miffi religiofi viri pro vrgendo ecclefiarum fœdere.

b Ib. ep. fecr. 420. 421. 422. 527.

c Ep. 527.

20 Elatus arrogantia foldanus Babylonius ex Chriftianorum Regum diffenfione, eo ferocius infolefcebat, quo Eduardus Anglorum Rex, tanquam Saracenorum ftipendijs conductus effet, Francorum Regem, qui Armeniam tuendam ac Babylonium petendum bello fufceperat, a facra expeditione diftrahebat. Impar itaque Ægyptiæ, Syriacæ, ac Babyloniæ potentiæ Armeniæ Rex Guido fupplices oratores ad fummum Pontificem mifit a, qui multis lachrymis triftes Chriftianorum cafus ac Saracenorum ferociam expofuere, rogarentq; vt Reges ad ferendam fratribus eodem cum ipfis Chrifti domini fanguine redemptis opem impelleret. Hos vero Pontifex ad Philippum Francorum & Eduardum Anglorum Reges dimifit, vt ipfos ad vertenda contra hoftes fidei arma, ac feliciores triumphos de Machometi cultoribus referendos inflecterent, quos apoftolicis literis ad tam pium opus prouehendum VI. id. iul. eft adhortatus. b

Armenia a foldano inuafa.

Poftulata a Guidone Rege fubfidia:

a To. 2. ep. fecr. 134.

Porrectæ Regibus eius preces

b Ead. ep. 134. & ep. 631.

21 Exteros etiam Reges fide Chriftiana nondum excultos deuincire amicitia ftuduit Pontifex, vt ipfos facilius ad Chriftum alliceret, tum conftitutos in eorum imperijs Chriftianos ab infidelium iniurijs vindicaret. Propagata apud Scythas Tartaros erat Chriftiana fides religioforum virorum præcipua opera: cumque Elias Vngarus ad fedem Apoftolicam ex Tartaria feptentrionali acceffiffet, expofuiffetque rei Chriftianæ in ijs regionibus ftatum, vt Ianibechus imperator Chriftianis profitendæ religionis vfum permitteret, Clemens Ianibechum ipfũ orauit c, vt in defendẽdis Chriftianis imperiale ftudium explicare pergeret, atque ad alendam amicitiam oratores maiorum exemplo ad fedem Apoftolicam mitteret.

Amplificata apud Tartaros religio.

c Ead. to. 2. ep. fecr. 582.

Magnifico principi Ianibech Imperatori Tartarorum illuftri Deum verum, qui omnia creauit de nihilo, deuote cognofcere, diligere, & timere.

Ad fedem Apoftolicam fæpius extitit multorum relatibus fidedignis perductum, quod progenitores tui Tartarorum Imperatores ex innata, & a Deo fibi infpirata clementia, Chriftianos in tuo degentes imperio tractare præteritis temporibus fauorabiliter & humaniter curauerunt, eos tam diuinæ pietatis intuitu, quam reuerentia dictæ fedis pie manutenendo, & confouendo in fuis libertatibus, ac ab oppresfionibus indebitis, violentijs, & iniurijs defendendo; permittendo quoque facerdotes catholicos diuina ibidem celebrare officia, miniftrare facramenta ecclefiaftica, & tam Chriftianis populis, quam alijs audire volentibus prædicare libere verbum Dei. Propter quod fedes ipfa & prædeceffores noftri Romani Pontifices, ex his gaudij & exultationis rore perfufi, nuncios Imperatorum ipforum quandoque venientes ad fedem eandem receperunt placabiliter, eofque gratijs & fauoribus præuenerunt, regratiatorias, directiuas, & amicabiles literas plerumque præfatis Imperatoribus dirigendo. Et licet præmiffa fæpe læta mente audiuerimus, dum ftatus inferior nos haberet; nũnc tamen ad apicem fummi apoftolatus affumpti, diuina gratia fauente, eis tam per dilectum filium Eliam de Vngaria ordinis Minorum illis in partibus diutius conuerfatum, quam alios fide dignos in noftra præfentia commendabiliter & laudabiliter recenfitis, exinde tanto amplius exultauimus, quanto curam Chriftianorum omnium ex iniuncto nobis defuper apoftolicæ feruitutis officio magis confpicimus imminere; fperantes in eo, qui nunquam ceffat a benedictionibus gratiarum, quod tu laudabilia progenitorum tuorum prędictorum veftigia imitando, fuper his erga Chriftianos eofdem exuberare fauores & gratias huiufmodi non ceffabis.

Tartaror. Imp. ad fidẽ Chrifti prouocatus.

Elias Vngarus Chriftum inter Tartaros prædicat.

22 Tuam fiquidem credimus magnificentiam non latere, quod in terris & ditionibus nonnullorum chariffimorum in Chrifto filiorum

noftro-

nostrorum Regum Christianorum innumera, Saracenorum & aliorum, qui fidem Christianam non colunt, millia commorantur, qui ab eisdem Regibus tolerantur & confouentur, ac ab iniurijs & oppressionibus quorumlibet defenduntur, nec aliquis Saracenorum ipsorum & fidem eandem non colentium, vi, metu, vel violentia ritum suum abnegare, aut fidem Christianam suscipere cogitur; sed si ad eam venire sponte, & libere volueris, fauorabiliter recipitur & benigne. Rogamus itaque celsitudinem tuam & hortamur quatenus præfatos Christianos, in tuo prædicto commorantes imperio, ad instar eorundem progenitorum tuorum habeas commendatos, ipsos defendendo ab iniurijs & oppressionibus indebitis quibuscumque, sacerdotesque permittendo prædictos diuina officia peragere, proponereque libere quibusuis audire volentibus verbum Dei. Nos autem nuncios tuos & literas, si ad nos miseris, recipiemus fauorabiliter & libenter, ac ea, quæ pro parte tua coram nobis exponere curauerint, audiemus, tibique viam charitatiuis & benignis monitis, si audire volueris, ostendemus, per quam tibi gratia in præsenti vita dabitur abundanter a Domino, & tandem post decursum vitæ ipsius æternæ felicitatis gaudia merebeis adipisci. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis ix. kal. augusti anno II.* Infecere Saraceni Ianibechum prauis in Christianos suspicionibus, atque hoc ipso anno ad mercatorum Venetorum ac Genuensium in vrbe Tana amplissimas opes diripiendas concitarunt a. Fluxit mali initium ex contentione inter Christianos & Saracenos exorta, in qua cum ad arma ventum esset, ac vincerent Christiani, Tartari in eos efferati eos partim morte, partim carceribus affecere, bonisque omnibus ac mercibus exuere: neq; cōmercium, nisi aliquot post annis, est repetitum. Quibus addit Folieta b, Scytharum Tartarorum Imperatorem cinxisse obsidione Theodosiam Genuensium coloniam, vulgo Capham nuncupatam, Turcasque se ijs coniunxisse: sed de eo iterum inferius.

Christiani Ianibecho commendati.

a Io. Vill. l. 12. c. 26. M.S. diar. Venet bon an. Bizar. hist. Gen. l. 6. Foliet. l. 7. hist. Gen. b Foliet. eod. lib.

Caffa obsessa a Tartaris.

23 Lugendum quidem, infideles quamuis lingua dissonos, superstitione, moribus, natione dispares, mutua animorum consensione in Christianorum exitium conspirasse: Christianos vero, cū diuini Numinis augenda gloria ac tuenda religio esset, in se mutuo arma strinxisse. Qui non suscepti a Pontifice labores? quæ prætermissa studia, vt non modo Græcos, de quibus actum est, cum Latinis; verum Genuenses quoque cum Cyprijs, Gallos cum Anglis, Aragonios cum Balearibus, Siculos cum Trinacrijs, Italos inter se, Bauaros aliosque plures Germanos cum ecclesia conciliaret? Vtque a primis incipiamus; ardebant ira Genuenses in Cyprios nonnulla damna in Cypri insula accepisse: ad quorum animos leniendos Pontifex, ne sacræ expeditioni, quæ aduersus Turcas parabatur, impedimentum aliquod ex eorum discordijs inijceretur, Simonem e Buccanigra ducem (gubernatorem vocat Clemens) certiorem fecit c, Hugonem Cypri Regem, si quæ Genuensibus damna illata essent, sarcienda curaturum. Et sane Cyprius Rex, Pontificis contra Turcas fœderatus, ad redintegrandum fœdus oratores Genuam miserat: ij vero, etsi a Genuensibus perhonorifice excepti, pacem impetrare non potuerant; immo Genuenses ad Cyprum inuadendam validam classem instruebant: quos vt a nefario consilio abduceret Christi vicarius, grauissimis exposuit literis d, ea consilia in religionis exitium vergere, pium in Turcas bellum dissolutum iri; darent nomini Christiano, darent Numini diuino, darent sedi Apostolicæ iniuriam: quæ æquitatis legibus compensanda foret: accessisse ad aulam pontificiam Hugonis oratores, atque Regis & Cypriorum nomine de controuersia paratos subire iudicium; atque adeo oratores ipsi suos Auenionem auctoritate instructos legarent. Ita Clementis solicitudine Cyprium illud bellum discussum.

Nauata a Pont. opera pro cōciliandis discordijs

c To. 2. ep. secr. 169.

Genuenses bellū parant in Cyprios. d Ib. ep. 543.

Pontifex sopire illud studet

24 At grauiora bella, quæ Gallos inter & Anglos intercedebant, non sustulit Pontifex, sed retardauit. Incubuerat in Britanniam vis bellica, cum Eduardus comitis Montisfortis, ducis Britanniæ sine liberis defuncti tertij natu fratris in Angliam profugi clientelam aduersus Francorum Regem suscepisset a: cumque periculum esset, ne aduersæ acies prælio conserta plurimum sanguinem Christianum spargerent, Cardinales legati Petrus Prænestinus & Annibaldus Tusculanus episcopi a Pontifice missi b ad vtriusque principis castra se contulere, atque inducias ad triennium sunt pacti c, vt excurrente eo tempore Pontifex vtrumque Regem conciliaret. De quibus hæc M. S. Vaticanum d: *Misit*, nimirum Clemens Papa, *dominum Anibaldum Neapolitanum Cardinalem & dominum Claromontensem Cardinalem ad tractandum pacem vel aliquam treguam, cum Regibus Franciæ & Angliæ, & ipsorum regnis: qui Cardinales in tantum operauerunt, quod treuguam inter dictos Reges & ipsorum regna ordinauerunt per tres annos: sed modicum fuit obseruatum, specialiter in Vasconia & Britannia.* Pactas inducias refert Hocsemius e, vt Anglica Gallicaque arma, si non in Turcas, saltem in Granatenses in Hispania ad Alfonsi Regis Castellæ, Algeziram obsidentis, confirmandas vires verterentur: *Circa principium*, inquit, *huius mensis*, nimirum ianuarij, *inter Reges Franciæ & Angliæ treugæ publicatæ sunt a festo Michaelis ad triennium duraturæ; & ex tunc multi magnates properant in adiutorium Regis * contra Granatæ Saracenos.*

Galli & Angli bello atroci implicati.

De Britannia certatum.

a Froissard. hist. l. 1. Io. Vill. l. 12. c. 142. Paul. Aem. in Phil. VI & alij.

b To. 2. ep. secr. 1. & an. 2. l. 5. ep. 104.

c Froiss. hist. l. 1. Clem. vit. auctor. Vualsing. in Eduar. III. Hist. Bosch. in Dauide.

d M.S. bib. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI. pag. 52.

e Hocsem. in Alfons. LXXV. episc. Leod. c. 28.

Initæ inter Reges induciæ.

* Castellæ

Assensit his inducijs Eduardus Anglorum Rex non pacis studio, sed cum ob tempus bello incommodum, hostisque potentiam consilia promouere non posset, bellum distulit, vt antea apud Cameracum & Tornacum egerat, quo illud maiore apparatu redintegraret: at Pontifex, cum induciæ iam inter Francorum & Anglorum Reges essent pactæ, quibus Scoti erant comprehensi, & omnes ambarum partium fœderati, ad quos sedandos, si consurgerent in arma, ac præcipue in Britannia, Reges se obstrinxerant f; intercessit literis apud vtrumque Regem, vt summa religione ad muniendam paci viam seruarentur. Constituta g erat sacra Ioannis Baptistæ natalitijs dies, qua amborum Regum oratores apud sedem Apostolicam de conciliandi pace agerent: sed illam Eduardus ad natalitia Deiparæ extrahi flagitauit; contendebatque, vt Philippus Rex comitem Montisfortis belli Britannici initio apud Nannetas captum restitueret libertati, ac Dauidem Regem Scotiæ moneret vt seruaret inducias. Redintegrando vero potius bello, quam paci componendæ intentus erat Eduardus: dumque tractatus diem extrahebat; plura quæ turbarent concordiam, obtigere. Hactenus de pontificio pro Anglis Gallisque conciliandis studio: quæ secuta sint, anno proximo dicetur. Nunc quæ a Clemente ad Petrum Aragonum & Iacobum Ba-

f To. 2. ep. secr. 1. & 63.

g Supr. ep. 1.

Comes Montisfortis captus

Bellum inter Aragonium & Balearem

Balearium Regea in pristinam amicitiam reuocandos gesta, aggrediamur.

25 Exorta iam inter ipsos, vt superiori anno vidimus, dissensione bellum vtrinque summa vi parabatur. Ad quod repellendum Pontifex Andream primum tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem legationis munere exornatum misit a: sed nihil illius opera, nihil Antonij episcopi Caintani, a Sancia Regina Siciliæ Balearis sanguinis ac Regis Aragonum amitæ ad Petrum Regem legati profuere: is enim contendebat accepta a patribus iura regiæ Aragoniæ infringi! ad quæ tuenda Balearem, non comparentem in iudicio, Barcinone sedens pro tribunali principum ac magnatum Aragoniorum corona cinctus, damnauit contumaciæ, ac Baleare regnum, Ceritaniæ & Ruscinonis comitatus, vt regiæ Aragoniæ beneficiaria, ad ipsam reuocanda pronuntiauit b.

a To. 2. ep. secr. 24.

Aragoni⁹ Balearem insectatur legibus.

b Eod. cap.

26 Inter cætera, quæ Baleari Regi imposuit crimina, illud non prætermisit c, ad Baleares in suum obsequium alliciendos Iacobum Regem intolerabili seruitutis iugo subditos attriuisse, insontesque morte affecisse. Et quidem Balearea Iacobo infensi, misso oratore d precibus Petrum incitarunt, vt ipsos Aragoniæ aulæ restitueret; si appelleret ad insulam cum valida classe, se illius obsequijs addictum ra. Instructus itaque est florentissimus naualis exercitus a Petro: ac tum forte Andreas Cardinalis ad dirimenda Regum prælia ob aduersam valetudinem in Maioricam nauigare non poterat, ac paulo post Perpiniani vita functus e: ingrauescentiq; bello, ac maioribus periculis rei Christianæ impendentibus, alij internuntij apostolici legandi fuerunt.

c Id. c. 65.

Baleares conspirant cum Aragonio.

d Eod. cap. & Matth. Vill. l. 1. c. 27.

Card. S. Susannæ in Aragonia legatione obit

e Clem. an. 2. l. 1. sec. cur. 118.

27 Data ea prouincia est v. idus iunij Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis presbytero Cardinali quem Clemens inter alia amplissima mandata[h] auctoritate instruxit f, vt si visum ita foret, obiecto anathemate, ecclesiasticos ac populos, terra vel mari Baleare regnum bello petere vetaret. Cōtulit pariter auctoritatem Cardinali internuntio g, vt illos, qui regnum Aragonum inuadere molirentur coerceret, ac pluribus tum in Aragonij tum Balearis regno amplissimis muneribus auxit h: & vtriusque regni præsules, ac proceres suam operam ad pacem conciliandam impendere iussit i. Reges denique Aragonium l & Balearem m ad mutuam concordiam, propositis ingentibus ex eo bello periculis emersuris, Africanorum Hispanijs imminentium furore, rei Christianæ excidio, est adhortatus. Missarum vero ad Petrum Regem Aragonum literarum potissima pars his verbis est concepta n.

Bern. tit. S. Cyriaci in eius locum subrogatur.

f Ib. ep. cur. 121.

Instruct⁹ potestate ferendi anathema in belli auctores.

g Ib. ep. cur. 122.

h Ib. ep. cur. 124 ad 142.

Reges ad pacem sollicitati.

i Ep. cur. 143. ad 146.

l Ep. cur. 120.

m Ep. cur. 123.

n Super ep. 120.

28 *Serenitatem tuam requirimus, monemus, & hortamur attente, ipsam per Saluatoris nostri respersionem pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter considerans prædicta, & alia non facile numeranda dispendia, quæ discordia ipsa parit; nec non detrimentum, quod catholicæ fidei eiusque cultoribus, & præsertim in frontaria blasphemorum Agarenorum partium Africa constitutis & vicinis eisdem, ex dissensione huiusmodi prouenit; quantaque etiam audacia aggrediendi Christianos ipsos & terras eorum, & aduersus eos exercendi persecutiones hostiles atrocius solito exhibetur; & pendentes commemorans tranquillitatem & infinita commoda, quæ tibi & tuis subditis ex sedatione huiusmodi discordiæ prouenirent; quantumque indecens est, nec minus periculosum tam sublimes, & tanta coniunctas consanguinitate & affinitate personas, animorum contrarietate disiungi, seu inuicem dissidere; animum tuum ad pacis solidæ vnitatem inter te & ipsum Regem Maioricarum, summotis impedimentis quibuslibet, actore Domino, reformandam sic habilites & coaptes, quod inter te & ipsum, cuiuslibet odij & rancoris occasione sublata, concordia desiderata proueniat, communibus occurratur periculis, & communibus vtilitatibus consulatur: & nihilominus præfatum Cardinalem*, nimirum Bernardum tit. S. Cyriaci in Thermis presbyterum Cardinalem A. S. L. *ob nostram & Apostolicæ sedis reuerentiam, & suorum excellentiam meritorum, immo nos in ipso potius benigne recipiens, ac debita honorificentia prosequens & pertractans, eius in præmissis salubribus monitis & paternis exhortationibus effectualiter acquiescas, &c. Dat. Auin. v. id. iunij anno 11.*

Proposita mutua affinitas.

29 Exposuerat iam ante Petro Regi imminentem Africanorum irruptionem Alfonsus Castellæ ac Legionis Rex, orauerat que ineunte aprili, vt maritima auxilia ad arcendos traiectu in Hispanias Saracenos communicaret. At Petrus, expeditionis Balearis ac proferendi imperij cupiditate ardens, suaque commoda religionis Christianæ causæ præferens, iusta illius petita repulerat: pontificia vero preces de non inuadendis Balearibus insulis, & alia de illius conatibus dissoluendis Cardinali internuntio data imperia, tardiora extitere: tanta enim diligentia naualem classem instruxit Aragonius, vt antequam Clemens superiora decerneret, atque internuntius apostolicus censuras Maioricam oppugnaturis aut naues paraturis incutere posset, iam ille a rebellibus vocatus a rerum potitus esset.

Baleares insulæ Regi Aragonio se subijciunt.

a Matth. Vill. lib. 1. cap. 27.

b Surit lib. 7. cap. 66.

30 Decimo octauo maij die, vt refert Surita b, vela explicuit, & inuectus florentissima classe in maiorem Balearem, frustra illum ab exponendis in terram copijs arcere moliente Rege Baleari, exscensionem fecit, ac prælio congressus Iacobum male instructis agminibus irruentem primo impetu fudit: qua clade consternatus Balearis, suorumque defectione territus, ex insula fuga se subduxit c.

Prona omnia ad victorem fuere, ac Pontiani, post nonnullas Regi Aragonum de illato immeritis bello expositas querelas, intellectis belli causis, Petrum Regem, pacti amplissima iura libertatesque, exceperunt ea lege, inquit Mathæus Villanus d, adiecta vt nunquam Iacobo eiusue posteris subijcerentur: quibus consentientia tradit Ioannes Mariana e, ac Iacobi calamitatem nimiæ in populos acerbitati, & iniustis vectigalium exactionibus tribuit.

c Matth. Vill. l. 1. c. 27. Sur. l. 7. c. 67.

Iacobus Rex insula pulsus.

d Matth. Vill. l. 1. c. 27. M.S. Vat. sign. n. 2040.

e Marian. l. 16. c. 12.

Tyrannis exercita in populos exitio fuit.

31 *Erant*, inquit, *vt in exiguis principatibus fit, Baleares cæterique minuto Regi subditi populi nouis subinde vectigalibus oppressi; quorum cum modum non sperarent, imperium mutari haud ægre laturi erant. Ventum ad arma. Petrus Moncada maris præfectus ab Algezira obsidione reuocatur, vt paulo ante dictum est. Classe valida comparata, in qua centum & sedecim maiora minoraque nauigia erant, ad Rubricati promontorium Aragonius soluens, maiorem Balearem tenuit. Insulani trecenti equites, pedites ad quindecim millia congregantur: collectitius exercitus parumque roboris habiturus. Victus continuo Balearis Pontiam vrbem se recipit: deinde, rebus desperatis, in continentem obijt; & erant insulæ voluntates in Aragonium propensæ, omniaque victori proclinia.* Liberam insulæ possessionem adeptus Petrus Rex veteribus Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ regijs titulis

Ba-

Balearis nomen adiecit: atque ita extinctum Baleare regnum est; & cum Aragonio coniunctum.

Balearicū regnum adiunctū Aragonio.

32 Purganit se de Balearica confecta expeditione apud Clementem Petrus Rex Aragonem, ac rationes, quæ suæ fauebant causæ exposuit; redijtque victor Barcinonem b, vt narrat Surita c, vigesima nona iunij die. Transmisit etiam illi Maria Aragonum Regina ad tuenda mariti Regis gesta, adiunctum nimirum iustis de causis Aragonio imperio Baleare regnum, sententiarum formulas a Petro Rage, seruato iudiciorum ordine e tribunali aduersus Iacobum Balearem latas. Perpensis Petri Regis rationibus Pontifex, rescripsit kal. iulij d, licet pro tuenda sua causa plura afferret, non minoris tamen momenti argumenta a Iacobo Baleari contraria adduci: hortatusque est, vt in sanguine & affinitate coniunctissimū clementia vteretur, neue nepotes ex regia ad priuatam fortunam redigeret; ac Mariam Reginam rogauit e, vt pro redintegranda concordia intercederet; sanguinis & affinitatis iura eo bello turpiter violari: susceptos e Constantia Petri Regis sorore filios: rem Christianam in discrimen adduci. Cumque illa precibus contendisset, ne Cardinalis legatus ad Iacobi Balearis gratiam mitteretur, respondit Clemens III. non. iulij iam tum Bernardum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem non legati, sed internuntij imposito munere instaurandi fœderis causa missum. Hunc vero suris ancipitem ob Regis Aragonum secundis elati successibus inexorabilem animum, vt ad pacem conciliandam summa ope incumberet f, VI. id. augusti excitauit.

Contendit Petrus Rex id iure factum.
a To. 2. ep. secr. 131.
b Ib. ep. sequ. 126.
c Sur. c. 68
d To. 2. ep. secr. 131.
Allatæ cōtraria in Aragoniū querelæ.
e Ib. ep. secr. 126.
Inexorabilis Aragonius.
f Ibid. to. 2. ep. secr. 231.

33 Præterea significauit ei g optimum videri, vt Iacobus Balearium Rex, accepta tuti commeatus syngrapha, Petrum Regem Aragonum conueniret, vel cum Petro Ripacurtiæ comite concordiæ tractatum agitaret, seque ad eam Reges cohortaturum. Extant eo argumento literæ ad Petrum comitem Ripacurtiæ h, vt pacis interpretem ageret; tum ad illius nepotem Regem Aragonium i, vt ad clementiam eum flecteret: *Ad clementiam*, inquit, *te diuina inuitat sapientia, qua teste, firmatur clementia thronus Regis; & dicens alibi: Noli esse multum iustus, rigorosam videtur iustitiam prohibere*.

g Ib. ep. secr. 264.
h Ib. ep. secr. 266.
i Ib. ep. 265.

34 Vt victorem ad clementiam, ita victum ad frangendos altiores spiritus, captandamque Regis Aragonum beneuolentiam solicitauit l. Edocuit experta calamitas Balearem, vt se demitteret: refert enim Surita m, expetijsse iterum iterumque ab Rege Aragonum liberam ipsius adeundi facultatem, nec tamen impetrasse; atqua vltro obtulisse assensurum se, vt Cardinalis, quem Aragonius controuersiæ arbitrum delegisset, de Baleari regno pronuntiaret, dein Ceritaniæ & Ruscinonis comitatu modo possessione non abiret, ipse Aragonius ferret sententiam. Sed tardius Balearis Aragonij, ad eius perniciem aspirantis, ambiebat gratiam. Promouerat in Ceritaniam & Ruscinonem exercitum Petrus Rex, ac nonnulla oppida in suam potestatem redegerat n: cumque paulo post ab armis temperatum, pactis inducijs, accepisset Pontifex, vrgendæ concordiæ solicitus, Armandum archiepiscopum Aquensem, quem primum ad componendam eam controuersiam superiori anno adhibuerat, Bernardo Cardinali ad promouendum pacis tractatum socium adiunxit o.

l Ep. 267.
m Surit. l. 7. c. 70.
Balearis frustra gratiam expetit.
n Marian. l. 16. c. 12. Sur. l. 7. c. 72.
Armandꝰ archiep. ad Aragonium missus.
o An. 2. p. 3. ep. cur. 32.

35 Consumpti porro sunt frustra Bernardi Cardinalis & Armandi archiepiscopi labores, pugnantibus vtriusque Regis voluntatibus, atque altero amissa recuperare, altero tueri parta annitentibus. Suis vero iuribus exui Iacobus Balearis mereri potuit, quippe qui ecclesiarum sui principatus iura inuaserat a. Intercesserat ipsum inter & Elnensem episcopum ea de causa grauis controuersia, quæ cum Pontificis arbitrio edito compromisso esset permissa, Iacobus nondum ea decisa, plura contra illius ecclesiæ, ad quam Elnensis vrbis imperium spectabat, iura pertentarat; deque immani sacrilegio ab eiusdem Regis militibus, operante diuinis sacerdote, patrato Pontifex questus est. Vt vero non Elnensi modo dominatu, sed totius Ruscinonis atque Ceritaniæ comitatibus Iacobus Rex sit exutus, inferius dicetur. Nunc ad Castellanum Regem, aduersus fidei hostes dimicantem, properat historia.

a To. 2. ep. secr. 431.

36 Impetrarat superiori anno a Pontifice Alfonsus Rex nonnullas vectigalium ecclesiasticorum decimas, ac duas tertias reficiendis templorum sartis tectis factas, in belli aduersus Granatenses tolerandos sumptus deriuandas b: tum etiam stipem ab indulgentiarum præmia lucraturis erogandam, adiectis certis legibus ab Alfonso admittendis: quas cum ille habuisset ratas, licet condicto die id sedi Apostolicæ non significasset, oblatas tamen a Petro Sabaudo Cardinale confirmauit Clemens. Vrgebat Alfonsus obsidione Algeziram regiam Maurorum in Hispania imperij sedem, in qua nonnihil periclitatum est, cum Petrus Rex Aragonum classem, vt Baleares inuaderet, abduxisset; atque Albohacenus Rex florentissimas copias in Hispanias traducere pararet, adeo vt Alfonsus de concordia cum Granatensibus agitaret c, modo Afrorum amicitiæ renuntiarent: at ij, cum alienis potius, quam suis viribus starent, detrectarunt: ac tum Philippus Nauarræ Rex pluresqua Angliæ & Galliarum principes, inducijs inter Reges initis vsi d, auxilia Alfonso attulere; de quibus Hispanicarum rerum scriptor hæc tradit e.

Castellanꝰ Maurico bello implicitus.
b Ib. ep. secr. 435.
Traijcere in Hispanias parāt Afri.
c Marian. l. 16. c. 11.
d Hæc sum. c. 18. in Adolph.
e Marian. l. 16. c. 11.

Classis Maurica ad Septam erat numerosa, vniuersis Africa viribus contractis, ad trajiciendum primo quoque tempore parata. Recentes ij veniebant; nostri diuturnis laboribus & difficultatibus fracti. Rem Christianam periculo proximam diui tutelares Hispaniæ sustentarunt, perpetuaque Regis aduersus ingruentia mala animi constantia, atque felicitas: nam vno tempore ex Anglia, Gallia, & Vasconibus numero & virtute valida manus venit Eduardi Angli Regis permissu: comites Arbidi & Soluzberi, Fuxensis comes cum fratre Bernardo ad opem ferendam ex locis disiunctissimis excitati sunt spe veniæ, quam Romanus Pontifex Clemens VI. Lemouicensis, priori anno in Benedicti decessoris locum subrogatus, omnibus qui pia arma caperent pollicebatur. Philippus ipse Vasconum Rex sub iulij mensis finem, commeatu nauibus præmisso copijsque sequi iussis, magnis itineribus festinauit, ne prælio deesset, quod propediem fore fama ferebatur. Horum principum aduentus Regi Castellæ, vt oportuit, gratissimus fuit: nostris cum spe certa victoriæ pugnandi animus accessit. Sed diutius in castris maxime ob cæli grauitatem fœderati hærere non potuerunt, atque ex ijs Philippus Rex Nauarræ, cum Cæsarianum de Castellæ Regis voluntate digressus esset mense septembri, & Fuxēsis comes Hispali morbo extincti sunt, atque vtriusque corpus in patriam relatum.

Auxilia ex copiæ ad Castellanum confluunt.
Philippi Regis Nauarræ mors.

Ac-

Accepta Regis Nauarræ morte Pontifex, Joannam Reginam viduam erigere ad constantiam Christianam consolatorijs literis studuit, vtque ille in expeditione contra fidei hostes sacramentis rite munitus pie obijsset exposuit, atque apostolicum patrocinium est ipsi pollicitus.

Clemens, &c. charissimæ in Christo filiæ Ioannæ Reginæ Nauarræ illustri.

Condolet de ea Pontifex.

37 Non sine cordis anxietate mentisque amaritudine nuper audiuimus, claræ memoriæ Philippum Regem Nauarræ virum tuum fuisse, sicut Domino placuit, viam vniuersæ carnis ingressum. Et licet suarum virtutum magnitudine, deuotionisque altitudine, quibus in hoc mundo præfulgebat Rex ipse conspicuus, intenta consideratione pensatis, de tanti tamque deuoti ecclesiæ filij subtractione fuerimus iuxta possibilitatem conditionis humanæ doloris acerbitate respersi; dumtamen diligenter attendimus ipsius felicem transitum, qui tanquam deuotus ipsius ecclesiæ filius, & zelator fidei catholicæ feruidus, in Dei & eiusdem fidei prosecutione negotij, pro quo ad partes Hispaniarum contra perfidos Saracenos profectus fuerat, & in eiusdem confessione fidei, rebus suis prudenter, vt intelleximus, dispositis & sacramentis ecclesiasticis deuote receptis, euocatus de huius mundi calamitatibus & miserijs ad perpetuas & lucidas, vt creditur, mansiones sic clausit laudabiliter terminum vitæ suæ, multipliciter in Domino consolamur.

Solatur Reginam Ioannam.

Sane, filia charissima, quia te de subtractione dicti viri mœroris repletam mœstitudine, non sine compassione paterna, cordis oculis contemplamur; celsitudinem tuam regiam attentius in Domino exhortamur, quatenus considerantet attendens, quod ille supernus Conditor & creator omnium, qui dedit Regem ipsum, ad se absque tui & cuiusquam alterius iniuria potuit iuxta suæ voluntatis beneplacitum reuocare; quodque mortis iudicium, restitutionis beneficium non admittit, attentis ijs quæ præmisimus, abstersis lacrymis, subductis suspirijs, & doloribus mitigatis, te coaptare dispositioni & voluntati diuinæ in hac parte studeas, & in eo consolationem assumas, qui totius consolationis est pater, vt tua regalis magnanimitas non demissa, sed fortior & virtuosior, sicut statum decet regium, appareat in aduersis; de nobis fiduciam habitura, quod super tuis, ac tuorum & Regis prædicti liberorum opportunitatibus nos, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies & benignos. *Dat. Auin. VIII. kal. decembris anno* II.

Collegere ex Philippi Regis Nauarræ morte animos Saraceni, cumque antea Albohaceno vniuersum certamen experiri suadenti repugnarent: probatam satis antea Christianorum virtutem, qui numero impares vicissent; nunc eracti congredi signis decreuere. Sed diuina ope in traijciendi Palmonis fluminis conatu delati sunt, de quibus hæc scribit Mariana a: *Ea re Mauri incitati, mutato consilio, prælio decernere statuunt. Sexaginta triremes Mauricæ octobri mense ad Steponam appulsæ mox Heracleam tenuere: eo terrestres copiæ posuerunt castra. Ad Palmonem amnem interfluentem vtrasque copias. Cum semel, iterum, & tertio ex interuallis accessissent in transitu prælio pugnatum est. Non animo, non armis, non bellica disciplina, non corporis robore par Hispano Maurus fuit. Breui victi fusique hostes. In vrbe*, Algezira nimirum, *suprema annonæ penuria erat: triremes vna & altera commeatu onustæ a nostra classe intercepta.* Hæc apud Algeziram hoc anno gesta: sequenti in ea defixa triumphalia crucis signa, ac Mahometi superstitione polluta templa Christo consecrata sunt.

a Marian. de reb. Hisp. l. 16. c. 11.

Mauri deleti.

Sacrum bellum in Lithuanos.

a Michou. l. 4. c. 23. Crom. l. 12. in Casimir. II.

38 Pugnatum a est eodem tempore in septentrionalibus oris a pluribus Regibus ac principibus pro fide aduersus barbaros Lithuanos, qui grauiora damna Christianæ rei in Prussia ac Liuonia intulerant. Suscepere sacrum illud bellum Ioannes Boemiæ & Ludouicus Vngariæ Reges, quibus Vuillelmus Hollandiæ & Hannoniæ dux cum lectissimis copijs, debellato in itinere Vltraiecto, se coniunxit b. Penetrarunt Reges in Lithuaniam, in qua dum ferrum flammamque circumferrent, Boguslaus Lithuanorum dux in Liuoniam & Zambiensem tractum irrupit, ac prouinciam cladibus fœdauit. Adductus est in inuidiam cruciferorum magister, atque illius inertiæ mali causa adscripta. De quo hæc Michouias c: *Anno Domini* MCCCXLIII. & infra, *Ludouicus Vngariæ, Ioannes Lucemburgensis Boemiæ Reges, Carolus filius eius marchio Morauiæ, item comes de Halles & alij quamplures illustres viri in Prussiam cum eorum potentijs aduenerunt, atque cum magistro Prussiæ in Lithuaniam descenderunt. Lituani autem interim, quo eorum terra vastabatur, cum omni potentia in terram Zambiensem & in Liuoniam peruenerunt, & eas grassabantur, magistro Liuoniæ absente & Samagitas oppugnante: quæ varietas adeo Reges afflixit, vt magistrum conuitiarentur tamquam huius pessimi euentus auctorem.*

b Io. a Leyd. Carmel. l. 18. c. 9.

c Michou. supr. c. 23.

Liuonia vastata a Lithuanis.

Poloni a cruciferis dissentiunt.

Confirmatæ erant infidelium vires ex Casimiri Regis Poloniæ veteribus cum religiosis equitibus S. Mariæ Theutonicorum hospitalis Ierosolymitani dissensionibus, cum Poloni Pomeraniam aliasque amplissimas terras vt iuris Polonici repeterent, illi vt iure partas tuerentur. Quæ controuersia vt intercesserit, ita in literis pontificijs describitur d: *Super eo, quod dictus Rex asserebat, dictos magistrum, commendatores, & fratres, Culmensem Pomeraniæ, Cuiauiæ Dobrinensem & Michalonensem terras ad se pleno iure spectare, dictosque magistrum, commendatores, & fratres terras seu ducatus huiusmodi occupasse ac detinere contra iustitiam, & recepisse; fructus tempore occupationis huiusmodi, & adhuc recipere minus iuste, seque propterea multas expensas & damna varia subijsse; dictis magistro, commendatoribus, & fratribus asserentibus præfatas Culmensem, Pomeranensem, ac Michalonensem se iusto possidere titulo; Dobrinensem vero & Cuiauiensem terras, seu ducatus prædictas vigore priuilegiorum, eis a Sede Apostolica & imperio concessorum iuste occupasse per bellum, & occupatos potuisse licite possidere, nec non eis damna grauia & innumera in personis & rebus eorum per dictum Casimirum ac claræ memoriæ Vladislaum genitorem suum Reges Poloniæ, associatis sibi Letuuinis infidelibus, contra Deum & iustitiam intulisse; non sine grauibus periculis suscitare studuerat hostis pacis.*

d To. 2. ep. secr. 70.

Controuersiarū inter eos capita.

Benedicti dein sententia.

39 Cum grauiora inueheret exitia hæc inueterata dissensio, ac Lithuani Polonorum freti auxilijs aduersus cruciferos insolescerent, remque Christianam deprimerent; iam antea Benedictus componendæ discordiæ studio, Polonorum & cruciferorum auditis oratoribus, Cracouiensi, Culmensi, & Misnensi episcopis prouinciam dederat, vt si Casimirus Poloniæ Rex ac magister equitum Prussiæ consensissent, Cuiauiæ & Dobriniæ ducatus Polonicæ regiæ, refusis ob illata damna Polonis decem aureorum millibus, restituerentur:

ex

ex sententia enim a Ioanne Boemiæ & Carolo Vngariæ Regibus arbitris pronuntiata, eas prouincias Casimiro adiudicatas vidimus: ac si Polonus de Pomerania Culmensi & Michalouiensi terris litem cruciferis intenderet, pro ea qua valebant prudentia controuersiam ex amicitiæ legibus componerent. Intes hæc e viuis decesserat Benedictus, nec res operi mandata fuerat: quare Clemens, vt exitialem Christianæ religioni discordiam tolleret, iterum Craconiensi, Culmensi, Missnensique episcopis munus iniunxit a, vt omnem diligensiam in Casimiro & magistro Prussiæ mutuo fœdere coniungendis collocarent: quibus literis apostolicis VI. id. iun. pontificatus anni II. dies adiecta est.

a Super ep.

Conuenta Polonū inter & Cruciferos initā.

Ceterum traosegisse hoc anno Casimirum cum cruciferis ea lege, vt Cniauiam & Dobriniam reciperet, suoque in alias prouincias adductas in controuersiam iure cederet, refert subiectis verbis Cromerus b: *Facile Casimirus concessit petentibus, vt iure omni, quodcumque* * *ipsi a maioribus* * *suis haberet, in Pomerania, Culmensi; & Michalouiensi ditione sese posterosque suos, iureiurando interposito & literarum monumentis consignatis abdicaret; ac de sigillo etiam, quo diplomata regia signantur, Pomerania nomen traderet, quo Cuiauiam ac Dobrinensem ditionem ab eis reciperet. Itaque, constituto cum magistro cruciferorum congressu Inouuladislauiæ ad vigesimam secundam diem mensis iulij, comitia quoque suis indixit, vbi abdicatio illa scriptis facta: Casimiri vero non modo Regis, verumetiam Zemouiti Vusnensium, Zemouiti Cirnensium, & Boleslai Plocensium Mazouiorum ducum procerum quorundam Polonorum & primariarum ciuitatum, nempe Cracouiensis, Posnaniensis, Sendomiriensis, Sandecensis, Calisiensis, Vuladislauiensis, & Brestensis diplomatibus consignata est: episcopi vero neque vt signarent, neque vt approbarent adduci vlla ratione potuere: quo robore animi vtinam Rex ac ceteri proceres fuissent. Annus autem, quo hæc acta sunt, fuit* MCCCXLIII. Hactenus Cromerus, quem parum periclitantis rei Christianæ in septentrione statum perpendisse colligitur, dum pacem adeo necessariam vituperat. Sed breui inueterata discordia magno religionis detrimento recruduit, clusitque episcoporum quibus conciliandæ concordiæ prouincia erat data, industriam controuersiæ magnitudo: querentem enim de Casimiro Pontificem, auxilia infidelibus præstitisse contra cruciferos audiemus; illumque culpam in cruciferos, qui ipsum ad id coegerant, conuertentem.

b Crom. l. 11. in Casim. II.
* ipse
* haberet
Pomerania afferta cruciferis.

40 Memoratis porro Cracouiensi c & Culmensi d, ac Posnaniensi e, Plocensi f, Vuladislauiensi g episcopis, Gnesnensique h archiepiscopo partes imposuit, vt censum appellatum denarium S. Petri colligendum in subditis prouincijs curarent, & quæstoribus designandis in eam rem a Galhardo Apostolicæ sedis internuntio studerent. Quod ad Vuladislauiensi episcopo obnoxios populos spectat; deuincti fuerant iamdiu censuris Vuladislauienses i, quod denarium S. Petri soluere detrectassent: deinde cum inter Ioannem Regem Boemiæ, cui Vratislauia parebat, & Galhardum e Carceribus in Vngaria & Polonia A. S. N. concordia esset inita, vt in Silesia annis singulis quadragesima securrente a Silesijs in singula capita denarium communis formæ & ponderis secuturis temporibus penderetur, negarant Vuladislauienses se persoluturos: iam vero mutata sententia in gratiam cum ecclesia redituri, cum censum pendere constituissent, Clemens Arnesto archiepiscopo Pragensi prouinciam dedit, vt Vuladislauiæ templorum & sacrorum vsum restitueret.

c Tom. 1. ep. secr. 157. 158.
d Ib. ep. 161. 154.
e Ep. 155. 156.
f Ep. 160. 163.
g Ep. 159. 162.
h Ep. 153. 154.
i Ep. secr. 216.
Denarii S. Petri exactum in Silesia.

41 Regnabat per id tempus in Suecia ac finitimis prouincijs Magnus Rex, quem Pontifex hoc anno paternis monitis erudiuit a, vt pietatem sectaretur, iustitiam coleret, ecclesias virosque ecclesiasticos gratia & beneficijs prosequeretur, miseros susciperet, viduas, orphanos, pupillos tueretur, vt caduco regno immortale adiungeret.

Magnus Rex Sueciæ.
a To. 1. ep. secr. 206.

Clemens, &c. Magno Regi Sueciæ illustri.

Quia te, fili dilectissime, regnumque tuum fauore dilectionis paternæ prosequimur, & per viam salutis & prosperitatis dirigi cupimus gressus tuos; tuam regiam excellentiam in Domino attentius exhortamur, quatenus ad Deum, per quem regnas & regeris, continue dirigens in humilitate spiritus studia mentis tuæ, te in omnibus actibus tuis diuinis beneplacitis coaptando, ea quæ in oculis diuinæ maiestatis accepta esse crediderís, ingiter studeas operari; & attendens, dilectissime fili, & intra tui regij arcana pectoris sæpe reuoluens quod, sacra teste scriptura, veritas & iustitia Regem custodiunt, & firmatur clementia thronus eius, his inhærere procures iugiter in omnibus factis tuis, vt in regnis & terris tuis iustitiæ cultus Deo grate vtique vigeat continue, rapinis, violentijs, & iniurijs quorumlibet per tuæ virtutis & magnanimitatis potentiam inde relegatis penitus & repressis; sic quod commissi a Deo sibi populi sub tuo felici regimine in pacis pulchritudine sedeant, in tabernaculis fiduciæ habitent, & requie opulenta quiescant. Ecclesias insuper & personas ecclesiasticas pro diuina & apostolicæ sedis reuerentia habeas in honore, ipsas in suis iuribus & libertatibus confouendo, ac pupillis, orphanis, & viduis, alijsque pauperibus & personis miserabilibus te propitium misericordem, & defensorem exhibeas, eas ab oppressionibus & violentijs releuando: sicque in his & alijs pijs operibus te procures beneuolis sollicitudinibus exercere, tuamque circa talia, ex quibus placebis Altissimo, solides iuuentutem, quod velut assueta in dierum longitudinem, in quos pertrahi ex ijs mereberis, semper portet suauius, & inde celebris fama tui nominis per orbem felicia suscipiat incrementa; tandemque consummato cursu vitæ præsentia instabilis, ex his & alijs iustis operibus tuis de regno temporali & corruptibili ad regni gloriam transeas sempiterni, &c. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis, IV. kal. augusti anno secundo.*

Monita illi a Pont. data.

Vtinam Suecus Clementis monita demisisset in animum, atque iustitiæ laudem non obscurasset; feliciter enim regna propagare in posteros potuisset: verum quia postea Elisabetam Henrici Holsatorum comitis filiam, quam Aquino filio Norvvegiæ Regi desponderat, tradita illi Margareta Vvaldemari Regis Daniæ filia, per summā iniuriam reiecit, ratus splendidioribus ijs Aquini nuptijs res suas magis confirmatum iri, delusus vana spe & cogitatione iusto Dei iudicio ex regno depelli meruit; qua de re pluribus Albertus Crantzius b, additque regnum Alberto ducis Magnopolensis filio delatum.

Dum splēdidas spes sectatur Suecus, res suas euertit.
b Crantz. Suec. l. 5. c. 29.

42 In Germania oborti noui motus de creando alio Cæsare: consulturus enim rei Christianæ Clemens, ne diutius catholico Imperatore careret ecclesia, cum Benedicti prædecessoris beni-

Tentata frustra in Ludouicũ Bauar. clementia.

gnitas Bauarum nunquam ad Christianam pœnitentiam flectere potuisset, quamuis iamdiu Ludouicus vi gubernacula imperij tractasset; non expectato illius obitu, electores principes ad creandum Regem Romanorum adigere, vel apostolica auctoritate, si ij recusarent, qua imperium ad occidentales traducere potuit, creare Imperatorem decreuit. Seueritatem tamen clementia temperaturus, vt Bauari sequaces schismaticos vel hæreticos ad ecclesiæ gremium reuocaret, eundem monuit officij, vtque cæsareos titulos, nonnisi pontificio assensu resumendos, abijceret; abstineret hæreticorum patrocinio, ac sacris profanandis: catholicos restitueret sacerdotijs, intrusos pelleret, atque ex Christiani viri officio demisse ad ecclesiæ sinum scelera sua rite expiaturus rediret. Sacro itaque cœnæ Domini noua in Bauarum edicta in frequentissimo hominum cœtu protulit. Qua de re hæc habet M. S. Vaticanum a: *Anno Domini* MCCCXLIII. II. *id. aprilis processus contra Ludouicum Bauarum innouauit* nimirum Clemens Papa. Transmissi ij ad præsules fuere, vt promulgarentur, extantque de ea subiectæ literæ ad patriarcham Aquileiensem ac suffraganeos episcopos datæ. b

Promulgata in eũ a Clemẽte edicta.

a M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765. et aliud sign. n. 2040. b Clem. VI. l. An. 2. l. 6. ep. cur. 24.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus .. patriarchæ Aquileiensi, eiusque suffraganeis.

Pridem, videlicet in die cœnæ Domini, contra Ludouicum de Bauaria, hostem Dei & ecclesiæ manifestum, ac de hæresi condemnatum, recensitis sub compendio culpis horrendis, & nefandis excessibus, ac contumacijs cumulatis, continuatis, & auctis contra Deum, & sacrosanctam Romanam commissis ecclesiam matrem cunctorum fidelium & magistram; nec non processibus per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum diuersis temporibus contra ipsum, ac dantes eidem in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem habitis, ac pœnis & sententijs inflictis eisdem, & nonnullis alijs facinorosis & grauibus ac temerarijs excessibus, fermento non carentibus hæreticæ prauitatis, per ipsum postmodum damnabiliter & contemptibiliter attentatis, recitatis, explicitis; quendam monitionis processũ per literas nostras emisimus in hęc verba.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ludouici flagitia.

43 Prolixa retro series ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora longa sufficerent, tędio nimium audientes afficeret, si Ludouici olim ducis Bauariæ, & in Regem Romanorum discorditer, vt dicebatur, electi culpas horrendas, & nefandos excessus ac contumacias cumulatas, auctas, & continuatas contra Deum, & Romanam commissos ecclesiam cunctorum fidelium matrem atque magistram; nec non processus pronide per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, diuersis temporibus habitos contra ipsum, ac dantes eidem in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem, pœnasque ipsis inflictas, repetitio seriosa & distincta narraret. Ideoque pauca sumentes ex multis culpas, excessus, atque processus, & pœnas eosdem sermone succincto, prout tamen materia patitur, duximus referendos.

Dudum siquidem, cum per obitum Henrici Imperatoris, Romano imperio vacante, Romani principes ecclesiastici & seculares, ad quos futuri Romanorum Regis, in Imperatorem postmodum promouendum, electio pertinebat, votis eorum in diuersa diuisis, dictum Ludouicum Bauariæ, & quondam Fredericum Austriæ tunc duces, in Reges Romanorum, vt dicebatur, discorditer elegissent; idemque Ludouicus post aliqua temporum interualla, quibusdam de hæresi a suis competentibus iudicibus per diffinitiuam sententiam condemnatis, & ecclesiæ præfatæ rebellibus fautorem & defensorem eorum se exhibuisset & exhiberet, præfatus prædecessor noster dictum Ludouicum, quia monitus per ipsum per publicum edictum sub pœna excommunicationis (quam eum incurrere voluit ipso facto, si infra certum terminum ad hoc sibi præfixum, monitioni huiusmodi non pareret) ab ipsis fautoria et defectione iuxta monitionem eandem non destitit, in dictam excommunicationis sententiam incidisse declarauit, ipsumque eadem sententia innodatum & velut excommunicatum, præter casus exceptos a iure nunciauit ab omnibus euitandum; ac subsequenter, dicto Ludouico spretis per eum monitionibus & mandatis prædecessoris prædicti, fautoriam & defensionem prædictas & contumaciam circa eam continuante, & huius contumaciæ contumaciam ac peiora cumulante, dictus prædecessor de fratrum suorum consilio, (quia idem Ludouicus monitus per ipsum sub pœna priuationis omnis iuris, si quod sibi ex sua electione prædicta ad regnum & imperium Romanum quoquo modo competebat & posset competere, quod a prædictis fautoria & defensione desisteret ab eisdem, desistere contempsit) ipsum Ludouicum sententialiter priuauit iure prædicto: ac deinde ipsum monuit, districtius iniungendo eidem sub pœna excommunicationis & priuationis feudorum, quæ a Romana vel alijs ecclesijs seu imperio obtinebat; nec non priuilegiorum quorumcumque a sede Apostolica, vel Romanis Imperatoribus, eidem vel suis prædecessoribus, quatenus eius commodum tangerent, quomodolibet concessorum, vt a fautoria prædicta realiter desisteret: quas quidem pœnas & earum quamlibet dictus prędecessor pręfatum Ludouicum voluit incurrere ipso facto, si pręmissa contemneret adimplere.

Vt a fauto. ne damnatus fuerit.

Ob studium hæreticorũ exauctoratus.

44 Et quoniã præfatus Ludouicus a prædictis noluit abstinere, sed ea contumacius prosequens, manifestiora solito exhibuit argumenta; necnon diuinis officijs audiendis, non absque contemptu clauium, se ingerebat, & in locis ecclesiastico interdicto suppositis ea celebrari faciebat, aliosque ad non seruandum interdictum huiusmodi inducebat, ac nonnunquam compellebat, cum præmissa adeo essent notoria, quod nequibant aliqua tergiuersatione celari; dictus prædecessor de fratrum prædictorum consilio procedens, declarauit & denunciauit eundem Ludouicum contumacem, & priuatum feudis omnibus, quæ a Romana vel alijs ecclesijs, seu ab Imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bauariæ, & omni iure quod in eodem ducatu, seu eius occasione seu causa sibi competebat, aut competere poterat quoquo modo, exponendis seu concedendis catholicis, prout sedes Apostolica duceret ordinandum, principalis dominij iure semper saluo; nec non & omnibus priuilegijs apostolicis & imperialibus sibi seu eius prædecessoribus indultis, ipsumque priuauit omnibus & singulis supradictis. Vasallos quoque ipsius a quolibet vinculo & iuramento fidalitatis & homagio absoluit, & nuntiauit penitus absolutos. Et quia excommunicatus pro fautoria hæreticorum excommunicationis sententiam sustinuerat per bien-

Censuris pluribus irretitus.

biennium, & vltra animo indurato; idcirco declarauit præfatum Ludouicum fore manifestum hæreticorum fautorem, ipsumque pœnas omnes a canonibus inflictas talibus incurrisse: & nihilominus eundem Ludouicum per edictum publicum monuit tam sub excommunicationis, quam alijs spiritualibus & temporalibus pœnis contra fautores & defensores hæreticorum per sacros canones impositis & inflictis (quas ipsum, si monitioni huiusmodi non pareret cum effectu, incurrere voluit & decreuit ipso facto) vt a fautoria & defensione dictorum hæreticorum, atque fautorum, sequacium, & valitorum ipsorum desisteret, penitus eis vel eorum aliquibus, quamdiu in sua perfidia vel extra gratiam prædictæ sedis & communionem fidelium persisterent, nullatenus adhæsurus, nec eos defensurus, vel eisdem præstiturus per se vel alium seu alios directo vel indirecto, publice vel occulte, auxilium, consilium, vel fauorem.

Repetita, ve male cœptis ab sisteret, imperia.

45 Rursus dictus prædecessor, cum ex fama publica, & multarum sublimium personarum relatione peruenisset ad eum, quod licet ipse dudum, deliberatione cum fratribus suis, & numerosa prælatorum & doctorum theologiæ, ac vtriusque iuris multitudine præhabita diligenti, declarasset quod assertio, quæ pertinaciter asseritur, quod Christo & Apostolis in ijs, quæ ipsos habuisse scriptura sacra recolit, ius illis vtendi seu ea consumendi non competierit, nec illa vendendi seu donandi ius habuerint, erronea & hæretica est censenda; prædictus tamen Ludouicus contra declarationem prædictam præsumptione temeraria ausus fuerat, facta mentione expressa de ipsa declaratione, contrarium asserere publice, ac in eius præsentia per alios facere publicari: nec non libellum quendam, sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa & erronea prædictam hæresim continentem (videlicet quod immo Christo cum Apostolis in rebus, quæ habuerunt, nullum ius competijt, sed tantummodo vsus facti; adijciens quod dicere contrarium erat hæreticum censendum, & asserens expresse in eodem libello, se in multorum præsentia iurasse præmissa, & omnia alia in dicto libello contenta se credere esse vera) per certos nuntios ad diuersas ciuitates & principes transmiserat Alamanniæ & Italiæ & partium aliarum, libellum ipsum poni faciens in locis publicis, & exponi; & quod Marsilius de Padua & Ioannes de Landuno librum quendam, quem composuerant erroribus & hæresibus varijs plenum, eidem Ludouico præsentarant, & contenta in eo, ipso præsente, docuerant & manifestauerant in partibus illis & quod, licet nonnulli viri catholici sacris literis eruditi, eidem Ludouico exposuissent, doctrinam illam hæreticam, ipsosque velut hæreticos puniendos, periculosumque fore sibi tales ad suam familiaritatem admittere, aut in terris suæ iurisdictioni subditis sustinere; ipse tamen Ludouicus velut credens illorum hæresibus, ipsos in familiares suos retinuerat, erroresque prædictos manifestos, & damnatos commiserat publicari [ex hoc prudens lector aduertat, an veritate nitantur, qui Ludouicum negant hæreseos labem contraxisse] et insuper quod idem Ludouicus, ligatus diuersis excommunicationis sententijs, in locis etiam interdictis faciebat celebrari diuina, contra rectorum & religiosorum voluntatem, illisque interesse non metuebat; & alios ad celebrandum in locis interdictis, excommunicatis & interdictis præsentibus, inducere ac compellere non omittebat; Ludouicum citauit prædictum per edictum publicum, præsente multitudine fidelium, vt infra certum terminum personaliter compareret coram eo, super præmissis facturus quod esset rationis, & sententiam auditurus, ipsum terminum eidem pro peremptorio assignando.

Publice hæresim professus est.

Librum hæreticũ promulgauit.

Marsilio & Landuno hæresiarchis fauerit.

Profanata a Lud. sacra.

46 Verum cum prædictus Ludouicus infra terminum prædictum sibi, vt præmittitur, assignatũ comparere coram præfato prædecessore nostro per se vel per alium non curasset, idem prædecessor contumacem reputauit, & declarauit eundem. Et cum præmissa adeo forent notoria, quod nulla poterant tergiuersatione celari; ipsum Ludouicum de fratrum suorum consilio fore hæreticum declarauit; nec non assertiones prædictas per dictam constitutionem hæreticas declaratas, & scripturas quascunque continentes easdem, ac ipsum Ludouicum reprobauit & sententialiter condemnauit: & nihilominus ipsum Ludouicum bonis omnibus mobilibus & immobilibus, iuribus & iurisdictionibus, ac quibuscumque alijs, vbicumque consisterent, & quibuscumque nominibus censerentur; & specialiter comitatu Palatinatus Rheni & omni iure, ratione, vel occasione, illi vel alias quouis modo ad eundem Ludouicum pertinente, ac voce in electione Regis Romanorum & in Imperatorem promouendi, seu in electione huiusmodi aliquem ad prædicta regnum vel imperium eligendi, seu quomodolibet nominandi, priuatum fore decreuit, ac priuauit.

Damnat⁹ de hæresi Ludouic⁹.

47 Vlterius quia Ludouicus prædictus in ciuitate Mediolanensi indignus & inhabilis & indigne coronam ferream, quam veri electi & in Reges Romanorum per sedem Apostolicam admissi recipere consueuerunt, assumere non expauit; ac etiam Castrutium de Interminellis, diuersarum excommunicationum sententijs innodatum, ac de fautoria hæreticorum per suos iudices condemnatum, ducem Lucanum publice ordinauit; & subsequenter in Vrbe Romana a certis ciuibus dictæ Vrbis deputatis, prout ferebatur, a populo Romano coronam imperialem, nec non inunctionem immo execrationem a quodam schismatico; & insuper contra constitutionem felicis recordationis Nicolai Papæ III. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Fundamenta*, dominium, senatum, seu regimen Vrbis de facto recepit, cum præmissa adeo essent notoria, quod nulla poterant tergiuersatione celari; idem prædecessor declarauit, Ludouicum præfatum pœnas incurrisse contentas in processibus & constitutionibus prædictis; & nihilominus coronationes, & inunctionem seu potius execrationem easdem, cassas, nullas, & irritas declarauit, ac ipsas, in quantum de facto processerant, cassauit & irritauit: & insuper quidquid penitus in contractibus, obligationibus, donationibus, priuilegiorum concessionibus, renouationibus, confirmationibus, vel cassationibus, aut alias qualitercumque tanquam dux, Rex, comes, vel Imperator, seu Vrbis senator dominus, rector, vel administrator, vbicunque egisset, seu ipsum contingeret agere in futurum, cassa, nulla, & irrita nuntiauit, illaque nihilominus, quatenus de facto processerant, cassauit & irritauit.

Alia Ludouici facinora.

Eius gesta rescissa.

48 Deinde prædecessor præfatus, cum ad suam relatione tam verbali quam literali plurium sublimium personarum, nec non fama publica notoriante, audientiam peruenisset, quod Marsilius de Padua & Ioannes de Landuno præ-

sati quendam librum composuerant, inter multa alia erronea continentem, quod ad Imperatorem spectat Papam instituere & destituere & punire, ipsum articulum & nonnullos alios articulos in eodem libello contentos fore hæreticales & erroneos; nec non & prædictos Marsilium & Ioannem hæreticos, immo hæresiarchas manifestos & notorios, deliberatione cum fratribus suis S.R.E. Cardinalibus, ac multis ecclesiarum prælatis, nec non cum pluribus sacræ theologiæ magistris, ac vtriusque iuris professoribus super ijs habita diligenti, declarauit & sententialiter condemnauit in consistorio publico, præsente ibidem multitudine copiosa, in eadem sententia hoc adiecto, quod si quis doctrinam prædictam defendere seu approbare præsumeret, cuiuscumque dignitatis aut status existeret, deberet ab omnibus, tanquam hæreticus reputari. Sed licet processus huiusmodi in maioris ecclesiæ Auinionensis ostijs fuisset affixus, & in vrbe Romana & locis circumuicinis publicatus; tamen Ludouicus præfatus prædictos Marsilium & Ioannem, qui sub eius vmbra errores præfatos & multos alios publicare & dogmatizare præsumpserant, pertinaciter defensare; ac in vrbe præfata post latam prædictam sententiam prædicantes publice prædictos damnatos articulos veros esse; in sui familiaritate recipere non expauit; & insuper, conuocato publice clero dictæ vrbis & populo, idem Ludouicus hæreticus & schismaticus, ac pluribus excommunicationum sententijs innodatus, asserens errorem prædictum, videlicet quod Imperatori licebat Papam deponere, contra ipsum prædecessorem depositionis sententiam promulgare præsumpsit. Et ideo iamdictus prædecessor de ipsorum fratrum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, dictum Ludouicum in prædictam incidisse damnatam hæresim declarauit; ac ipsum vt hæreticum reprobauit, & etiam condemnauit: declarans nihilominus eundem in omnes pœnas inflictas schismaticis & hæreticis, & committentibus crimina alia prædicta, quæ idem Ludouicus commiserat, per sacros canones & leges catholicorum principum incidisse, eosque omnes & singulos incurrisse. Et quia in prolatione sententiæ supradictæ Ludouici præfati idem Ludouicus hæresim supradictam, scilicet quod Christo & Apostolis in ijs, quæ habuerunt, nullum ius competijt, sed tantummodo vsus facti, expresse tenuit & approbauit, & constitutionem super hoc editam per prædecessorem præfatum visus extitit impugnare: idem prædecessor ipsum Ludouicum in prædictam hæresim incidisse, & eum esse hæreticum ex eo capite declarauit.

Synodus aduersus Marsilium & Iandunum.

Hæresis contra Romanæ eccl. primatum.

Rursus cum idem Ludouicus Petrum de Corbaria in antipapam assumpsisset; ac etiam procurasset, quod idem Petrus pseudocardinales, notarios, ac officiales alios, ac si existeret verus Papa, constitueret aliaque nonnulla præsumeret cunctis catholicis detestanda, præfatus prædecessor omnia per eosdem Ludouicum & Petrum attentata circa præmissa vel occasione præmissorum, nulla, cassa, & irrita declarauit; & præfatum Ludouicum tam ex prædictis, quam alijs diuersis capitulis nihilominus repertum hæresibus tanquam hæreticum & schismaticum manifestum de hæresi & schismate condemnauit.

Conflatū schisma.

49 Idem quoque prædecessor noster Ludouico sæpedicto de fautoria hæreticorum & hæresi iā condemnato, & supradictis ducatu, iuribus, & bonis priuato, vt est præmissum, inhibuit pluries, & mandauit expresse per publicum edictum sub pœnis excommunicationis & alijs diuersis (quas eum incurrere voluit ipso facto, si huiusmodi inhibitioni & mandato non pareret) ne de administratione regni vel imperij Romani se intromitteret quoquo modo, nec Regem vel Imperatorem aut etiam ducem Bauariæ se nominaret, vel ab alijs se faceret nominari, nec aliquid tanquam Rex vel Imperator, siue etiam dux ageret quouis modo. Et insuper omnes citationes, ordinationes, & constitutiones factas, & sententias latas per ipsum, cassas, nullas, & irritas declarauit, & nihilominus, quatenus de facto processerunt, cassauit & irritauit.

Alia actu iudiciaria in Lud.

50 Vlterius sæpedictus prædecessor noster vniuersis Christi fidelibus, cuiuscunque conditionis, præeminentiæ, siue status existerent, etiamsi dignitate patriarchali, pontificali, vel alia superiori siue inferiori, seu etiam regali fulgerent, nec non & alijs personis ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus cuiuscunque religionis aut ordinis; Regibus quoque, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, vniuersitatibus, & communitatibus ciuitatum, castrorum, cæterorumque locorum, & specialiter vniuersis incolis & habitatoribus eorundem regni & Imperij Romani per diuersos processus habitos gradatim temporibus diuersis inhibuit, & mandauit expresse, ne Ludouico præfato tanquam Regi vel Imperatori Romanorum aut in Regem Romanorum electo super illis, quæ ad administrationem regni vel imperij prædictorum pertinebant, nec etiam ei tanquam duci vel comiti quoquomodo assisterent, parerent, seu intenderent, aut præstarent eidem auxilium, consilium, vel fauorem per se vel alium, directe vel indirecte, publice vel occulte, quacunque occasione quæsita, vel prætextu fidelitatis, vel cuiuslibet alterius generis iuramenti, aut alicuius homagij, vel cuiuscunque colligationis, confœderationis, societatis, seu cuiusuis conuentionis aut ligæ: quæ etiam omnia relaxauit ac dissoluit ad cautelam, & contrahi prohibuit & præstari. Specialiter autem incolis & habitatoribus eorundem regni & imperij inhibuit expresse, ne dicto Ludouico vel alij pro eo de redditibus vel obuentionibus, siue iuribus regalibus vel imperialibus, seu ratione * regni prædictorum, aut dominij cuiusuis per eum vsurpati in illis, nec etiam de pertinentibus ad ducatum prædictum responderent, vel aliam sub quocunque velamine satisfactionem impenderent; neue priuilegia, immunitates, feuda, vel iura quæcumque, aut dominium, vel terras, potestarias, rectorias, vicariatus, administrationem, seu alia officia quæcunque in ciuitate aliqua, vel quouis loco alio, maxime in vrbe Romana, seu in regno Siciliæ, vel in terris alijs ecclesiæ Romanæ subditis ab eodem Ludouico, vel ab alio seu alijs eius auctoritate vel mandato reciperent vel exercerent, & recepta deponerent: nec aliquam subiectionem eidem tanquam Regi vel electo, aut Imperatori recognoscerent, neque complicibus, fautoribus, vicarijs, ministris, vel officialibus eiusdem in aliquo intenderent vel parerent, nec eos reciperent vel admitterent, aut de iuribus vel prouentibus quibuscumque ad regnum vel imperium Romanum spectantibus responderent eisdem.

Data subditis imperij iussa

* imperij &c;

51 Præcepit etiam, quod omnes & singuli ab adhæsione, obedientia, consilio, seu fauore dicti Ludouici desisterent omnino, suspensionis

Incussæ censuræ sequacib. Ludouici.

ab

ab officio & beneficio in personas ecclesiasticas, & tam in easdem quam in omnes & singulares personas prædictas excommunicationis, & in terras & loca eorum interdicti; nec non priuationis dignitatum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque ecclesiasticarum personarum prædictarum, & inhabilitatis ad ea & similia obtinenda (præterquam patriarcharum, archiepiscoporum, vel episcoporum) inuenientes temere contra præmissa, vel eorum aliquod, & non parentes monitionibus, inhibitionibus, & præceptis suis in præmissis per prædictum prædecessorem sententijs promulgatis; auctoritate Apostolica decernendo, eosdem perinde ligati pœnis & sententijs supradictis, ac si proprijs nominibus eorum nominati essent specialiter & expressè quarum quidem sententiarum absolutionem & relaxationem soli Romano Pontifici reseruauit specialiter & expressè.

52 Insuper Ludouico præfato de hæresi, vt prædicitur, condemnato prædecessor noster prædictus vniuersis & singulis prælatis, & personis ecclesiasticis secularibus & regularibus, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, status, seu ordinis existerent, etiamsi in patriarchali, pontificali, aut maiori vel inferiori præfulgerent dignitate; nec non Regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, capitaneis, rectoribus, & alijs dominia temporalibus, & qui aliquo titulo præmissorum se intitularent, licet ius non haberent in eisdem; ac communitatibus, vniuersitatibus, ciuitatibus, castris, & villis, & alijs quibuscumque inhibuit expresse; ne prædicto Ludouico de hæresi, vt prædicitur, condemnato adhærere, communicare, participare, vel fauere quomodocumque directe vel indirecte, publice vel occulte præsumerent: nec eidem portarent, mitterent, portari vel mitti facerent, aut procurarent granum, vinum, aut quæcunque alia victualia, pannos, ligna, ferrum, arma, seu quæuis mercimonia, pecuniam, vel quidquid aliud, quod posset in ipsius vtilitatem vel commodum redundare: nec societates, confœderationes, colligationes, pactiones, aut ligas quascunque cũ eodem initas vel contractas, præsertim in eius fauorem, auxilium, vel vtilitatem, obseruarent. Alioquin personas quascunque singulares, excommunicationis; vniuersitates vero, communitates, & collegia, quæ postquam processus dicti prędecessoris nostri super huiusmodi inhibitione facti ad eorum peruenisset notitiam, vel peruenisse probabiliter potuisset, aut per ipsum stetisset quominus peruenisset ad eosdem, in hac parte offendissent quouis modo, nec non terras, & loca quorumcunque circa prædicta delinquentium interdicti sententijs, & generaliter pœnis & sententijs omnibus, quibus fautores hæreticorum & defensores & adhærentes eisdem subijciuntur a iure, vel quibusuis constitutionibus, decreuit & voluit subiacere; apertius prædicens eisdem, se ad earundem pœnarum declarationem, & executionem processurum contra delinquentes huiusmodi specialiter, si, & quando, & quotiens expediens videretur; non obstantibus si ijs, vel eorum aliquibus communiter vel diuisim a sede Apostolica esset indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possent per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet priuilegijs, indulgentijs, & literis apostolicis generalibus, vel specialibus, quibusuis personis, locis, vel ordinibus, sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, etiamsi de illis fuisset specialis & expressa, ac de verbo ad verbum in dictis prædecessoris literis mentio facienda: per quæ nullum contra ipsa vel ipsorum aliquod voluit afferri suffragium vel obstaculum interponi, prout omnia supradicta & multa alia in processibus dicti prędecessoris super eis habitis latius & seriosius continentur.

Prohibitũ cum eo commercium.

53 Vt autem supradicti processus dicti Ludouici & aliorum, quorum intererat, ad communem deducerentur notitiam, prædictus prædecessor chartas, seu membranas processus continentes eosdem ostijs maioris ecclesiæ Auinionensis fecit appendi, vt idem Ludouicus & alij, quos ipsi processus contingebant, nullam de ipsis possent ignorantiam allegare: ac voluit, & auctoritate apostolica decreuit, quod dicti processus, præfatum Ludouicum & alios supradictos adeo apprehenderent & arctarent, ac si eisdem personaliter publicati & intimati solemniter extitissent; constitutione quacumque per Romanos Pontifices prędecessores eius in contrarium edita non obstante eum, vt dixit, pro eisdem publicandis & insinuandis processibus ad eiusdem Ludouici præsentiam securus non pateret accessus, nec possent commode singulorum auribus inculcari: & nihilominus dictus prædecessor processus eosdem mandauit & fecit in diuersis regionibus, & maxime in Italia, solemniter publicari.

Papalis edicti promulgatio.

54 Deniq; prædecessor noster sæpedictus omnibus tam laicis quam clericis vere pœnitentibus & confessis, qui dictum Ludouicum eiusq; complices, fautores, & receptores, quamdiu extra Apost. sedis gratiam existerent, in personis & sumptibus proprijs, vel in personis proprijs & sumptibus alienis expugnarent, & super hoc per annum continuum vel interpolatum infra biennium complendum laborarent, ecclesiæ sequendo vexillum; & eis insuper, qui suis dumtaxat expensis, iuxta quantitates & facultates suas destinarent idoneos bellatores per dictum tempus moraturos & bellaturos ibidem, illam concessit veniam peccatorum, quæ concedi per sedem Apostolicam proficiscentibus in terræ sanctæ subsidium consueuit. Eos autem, qui non per annum integrum, sed pro ipsius anni parte in huiusmodi Dei seruitio laborarent, iuxta qualitatem laboris & deuotionis affectum participes esse voluit indulgentiæ supradictæ. Quod si forsan ipsorum aliquos post iter arreptum in prosecutione dicti negotij ex hac luce migrare contingeret, vel interim negotium ipsum congrua terminatione compleri, eos integre participes esse voluit indulgentiæ memoratæ. Ipsius etiam remissionis voluit esse participes iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum omnes, qui ad expugnationem dicti Ludouici, ac sequacium & fautorum ipsius de bonis suis congrue ministrarent; mandans & faciens concessionem huiusmodi indulgentiæ in prædictis regionibus solemniter publicari, & fideles per verbum prædicationis & alias induci, vt suscipientes cum reuerentia signum crucis; ipsumque suis humeris & cordibus affigentes, se accingerent viriliter ad prosequendum huiusmodi causam Dei aduersus Ludouicum prædictum.

Proposita gesturis arma contra Ludouic. indulgentia.

55 Sane vltra præmissa ad apostolatus nostri, fama publica referente, seu potius infamia diuulgante, peruenit auditum, quod Ludouicus præ-

Cumulata a Lud. vetera facinora.

fatus præmissis non contentus, sed iniquitates iniquitatibus adijciens, & sitim suam in confusione reuerentiæ & auctoritatis Apostolicæ sedis, & violatione ecclesiasticæ libertatis, & oppressione ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum extinguere nequiens; quamplures episcopos, abbates, & alios ecclesiarum prælatos, ad ecclesias locorum, in quibus suam exercet tyrannidem, per sedem eandem rite promotos, ac gratias in locis ipsis imperrantes ab ea, impediuit in assecutione possessionis prælationum & consecutione effectus gratiarum prædictarum, eosque multipliciter afflixit & oppressit, & alios suis iniquitatibus consentientes & sibi fauentes in eis intrusit, seu intrudi mandauit, & fecit in ecclesijs memoratis, diuersa nihilominus inferens grauamina ecclesijs constitutis intra loca prædicta.

56 Adhuc etiam eadem diuulgat infamia, quod dictus Ludouicus, de sedis Apostolicæ contemptu & persecutione satiari, & eis modum ponere, quia non vult, faciens conspirationes quamplurimas cum pluribus illarum partium iniuit, & leges nonnullas iniquissimas, seu potius legum corruptiones edidit notorie contra sedem & libertatem prædictas: quamquam etiam nulla eidem quasuis leges competeret, prout nec competit, condendi potestas. Viros quoque ecclesiasticos interdictum ecclesiasticum, in loca prædicta canonice promulgatum, obseruare volentes expellit ab ipsis, & per apostatas, & a suis ordinibus profugos, ac excommunicatos & irregulares diuina profanari fecit in locis eisdem. Sed adhuc prædicta diuulgat infamia, & notorium fertur esse in partibus illis, quod Ludouicus prædictus, promouens quæ impia sunt & scelesta, ac Deo & hominibus abominabilia, Margaritam tunc ducissam Corinthiæ, quam sua impudicitia non sinit nos dilectam filiam appellare, dilecti filij Ioannis charissimi in Christo filij nostri Ioannis Regis Boemiæ illustris filij legitimam & notoriam coniugem, filio suo primogenito in gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis notorie, vt fertur, coniunctam matrimoniali, seu potius incestuosa & adulterina copula, sanguinis, ac canonum & legum sanctionibus, & bonis moribus, timoreque diuino contemptis, coniungi procurauit & fecit, carnali inter ipsos copula subsecuta; opem & operam præbens, & principalis promotor & actor existens, ac male, vt videtur, sentiens de matrimonij sacramento, quod copula huiusmodi contraheretur, & committeretur adulterium cum incestu per filium suum & Margaritam prædictos. Et insuper prædicta diuulgat infamia, Ludouicum sæpedictum, sensualitati per ipsum ratione subiecta, multa alia praua, quæ non licet, turpia quæ non decet, & varia quæ non expediunt, ad libitum operari, non breui stylo faciliter recitanda.

Editæ ab eo in eccl. nefariæ leges.

Aliena vxor filio data nuptui.

Sēsit male de matrimonij sacramento Lud.

57 Cum igitur idem Ludouicus, in profundum malorum descendens, Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aspidis aures suas, processus & sententias huiusmodi, contemptis ecclesiæ clauibus, in graue animæ suæ periculum, & totius Christianitatis scandalum, elata obstinatione & obstinata elatione tanto tempore contempserit, & adhuc in sua nequitia & contumacia pertinaciter perseuerans, contemnat ipsas sententias, animo sustinens indurato; nos non valentes absque graui illius offensa, cuius ecclesiam dictus Ludouicus offendisse tam grauiter dignoscatur & læsisse, ipsius iniquitates continuatas & multiplicata scelera silentio tradere, & a pœnis, dictis iniquitatibus & culpis correspondentibus, continere; & propterea contra prædictum Ludouicum ad exaggerationem, & aggrauationem pœnarum procedere, quantum patietur iustitia, intendentes vt eum, quem a malo timor Dei non reuocat, rigor debitæ coerceat disciplinæ; de fratrum nostrorum consilio monemus eundem Ludouicum, vt infra trium mensium spatium, quod ei pro termino peremptorio assignamus, ab omni administratione regni & imperij Romani omnino desistat; nomen & titulum Regis seu Imperatoris, ducis, & cuiuscumque dignitatis deponat, administrationē, nomen, seu titulum huiusmodi nullatenus absque sedis Apostolicæ licentia vlterius resumpturus: ab omni fauore quorumcumque hæreticorum prorsus abstineat, intrusos per dictum Ludouicum, seu mandato ipsius in quibuscunque dignitatibus & beneficijs ecclesiasticis ab ipsis beneficijs prorsus amoueri procuret; beneficia & dignitates illis, quos ipsis dignitatibus & beneficijs spoliauit, restituat; interdicta auctoritate apostolica, & a quibusuis iudicibus competentibus opposita obseruet inuiolabiliter, & non prohibeat directe, vel indirecte ab alijs obseruari; & ad sanctæ matris ecclesiæ, a qua multiplicatis hæresibus & schismatibus est præcisus, corde contritus & vere pœnitens redeat vnitatem; nec non pro diuersis maximis iniurijs & damnis Romanæ & alijs ecclesijs illatis satisfaciat; ac pro tot sceleribus, blasphemijs, contumacijs, & grauissimis culpis per ipsum Ludouicum aduersus Deum & ecclesiam suam commissis, nostris & ecclesiæ prædictæ beneplacitis & mandatis personaliter veniat, humiliter pariturus, ac facturus & recepturus quod suadebit iustitia, & nobis videbitur expedire: aperte prædicentes eidem, quod si in obstinata malitia & pristina contumacia perseuerans, prædicta non curauerit infra prædictum terminum realiter, & fideliter adimplere, & nostris & ecclesiæ prædictæ parere beneplacitis & mandatis, nos vltra supradictas pœnas inflictas eidem, cum crescente contumacia pœna debeat adaugeri, ad pœnas grauiores tam spirituales quam temporales, exigente ipsius Ludouici contumaci pertinacia, & pertinaci contumacia, prout expedire viderimus, ac excessuum suorum ac contumaciarum, in præfati prædecessoris nostri processibus contentorum suadebit enormitas, procedemus, &c. [Interiectis nonnullis, quibus significat anathematismos in ecclesiæ ostijs affixos, vt in omnium cognitionem emanarent, subijcit Clement].

Indicta illi iudicij dies.

Intentatæ pœnæ.

58 Fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus singuli vestrum in suis ciuitate & diœcesi huiusmodi nostras literas & contenta in eis, quæ seriatim vulgarizari & exponi populis congregatis ad hoc specialiter faciatis, solemniter publicare curetis, reddituri nos de publicatione huiusmodi per vestras patentes literas, vel instrumenta publica, principium & finem continentia præsentium, certiores. Cæterum quia præsentes literæ nequirent forsan propter viarum pericula, vel alia impedimenta legitima vestrum singulis præsentari, volumus, quod per te, frater patriarcha, huiusmodi literarum transumptum, manu publica scriptum, tuoque communitum sigillo, vobis prædictis suffraganeis transmittatur, cui adhiberi per vos volumus, velut originalibus, plenam fidem. *Dat. Auin. 18. id. aprilis anno 2.* Transmisit Clemens ad

Iussi præsules sentētiam Pōt. promulgare.

ad archiepiscopos eorumque suffraganeos Rhemensem, Auxitanum a, Senonensem, Lugdunensem, Burdegalensem in Gallijs; Cantuariensem & Eboracensem in Anglia, Pisanum & Mediolanensem in Italia, Treuirensem b, Coloniensem, Magdeburgensem, Bremensem eorumque suffraganeos in Germania, & alios plures præsules hæc edicta contra Ludouicum Bauarum, eaque in ecclesijs præsente populo a Minoritis c Prædicatoribus d, Cistericiensibus e, e sacro suggestu promulgari iussit, *vt ipsius horrenda*, ita loquitur Clemens in literis ad Treuirensem archiepiscopum missis f, *& toti Christianitati abominanda scelera clarius eorundem fidelium notitia patefiant*. Quibus vero causis ad edenda superiora edicta sit impulsus, ita exponit: *Attendentes, quod idem Ludouicus de misericordia & mansuetudine sedis Apostolicæ diutius expectatus, si corde contrito sinum eiusdem ecclesiæ, a qua velut membrum putridum separatus fore dignoscitur repetierat, hac facere non curabat; sed potius tanquam in desperationis laqueum & profundum malorum demersus, deducens prædictas pœnas & sententias damnabiliter in contemptum, alios execrandos excessus prioribus culpis & excessibus damnabiliter superaddere non cessabat*.

a An. 2. l. 5 ep. cur. 5. ad 14.
b To. 2. ep. secr. 350. 351. & seq.
c lib. ep. sec. 22
d Ep. 23.
e Ep. 24.
f To. 2. ep. se. r. 250.

Flagitia Lud. excusationibus fucari nō possunt.

59 Ex his Hervvarti apologias mendacium dictis consarcinatas abunde refutatas, ac Ludouicum non iniuste a Romanis Pontificibus damnatum, quiuis prudens intelliget. Certe a ratione penitus abhorret ad illius gesta defendenda calamos acuere, quæ eiusdem Ludouici frater Palatinus, nec non filij eiusdem Ludouici Ludouicus marchio Brandeburgensis & Albertus dux Bauariæ publicis monumentis, a nobis suo loco afferendis damnarunt. Denique Clemens non sua modo edicta diuulgari a iussit præsulibus in ecclesijs coram circumfusa populi multitudine, cum ad sacra conuenisset, verum etiam singulis diebus dominicis & festiuis solemni ritu Ludouicum & illius partium sequaces anathemate defixos, eundemque omni iure in regnum & imperium Romanum exutum, & de hæreticorum patrocinio ac schismate damnatum, atque etiam hæresi manifeste deuinctum teneri, vt in eo Dauidicum oraculum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*; si flecti ad Christianam pœnitentiam non fucatam posset, impleretur. Cōceptæ sunt eo argumento encyclicæ ad Salisburgensem g archiepiscopum, ac plures aliorum regnorum archiepiscopos h literæ.

Inepta Hervvarti defensio pro Lud.

Incussis ijs Ludouico Bauaro censuris, de quibus Clemētis vitæ scriptor agit i de creando nouo Rege Romanorū agitari cœptum est: ac Pontifex Balduinum archiepiscopum Treuirensem arcanis literis l kal. augusti solicitauit, vt principem pium, ecclesiæ studiosum, ac gestando sceptro virtutibus parem Romano imperio præficeret: *Cum tibi*, inquit, *frater, & electoribus imperij, gratiam & communionem Apostolicæ sedis obtinentibus tam singulariter quam generaliter per literas nostras monendo, exhortando, & mandando satis cito scribere intendamus, vt ad eligendum Regem Romanorum, postmodum in Imperatorem promouendum, competentes locum & terminum assignantes ad illos conuenire vos propterea disponatis*.

g An. 2. l. 1 ep. cur. 3.
h Reg. post eand. ep. ad ep. 18. & l. 5. ep. cur. 5. ad 94.
i Gesta Clem. VI apud Bosq.
l To. 2. ep. secr. 209.

De creando Rege Rom. agitatum.

60 His excitatus Ludouicus Bauarus redeundi ad ecclesiæ gremium desiderium præ se tulit, missurum ad sedem Apostolicam oratores pollicitus: accessitque ea etiam de causa ad aulam pontificiam Ioannes Rex Boemiæ, cum e Lithuanica vna cum filio Carolo & Ludouico Rege Vngariæ expeditione, de qua actum est, redisset, atque in propinquis locis hæsit, vt cum oratoribus Ludouici ageret: pontificium enim erat consilium, vt Ludouicus iniuriam illi illatam sarciret; qua etiam de causa Clemens Carolum marchionem Morauiæ VIII. kal. decembris literis inuitauit a, vt exeunte ad proximum purificationis Virginis diem temporis spatio ad sedem Apostolicam veniret; cum de ijs, quæ Ioannem Regem ipsius parentem ac Ioannem fratrem Tirolis comitem attingerent, huius enim exorem ducissam Charinthiæ Ludouicus perperam filio suo, vt dictum est, iunxerat agitare meditaretur. Suberat alia altior ipsius euocandi causa, vt de transfundendo imperio, nisi Ludouicus ad meliorem mentem rediret, pacisceretur: qua de re suo loco agetur. Functos oratorum munere Humbertum delfinum Ludouici auunculum, Augustensis & Babenbergensis ecclesiarum propositos, atque Vlricum scriniij præfectum, cesent Albertus Argentinensis b. Sed quidquid ab his summa consilij maturitate erat gestum, Ludouicus more suo dissoluit, quem demum suprema sententia censuris defixum, atque omni honoris gradu deiectum a Pontifice visuri sumus.

Ludouicus præfefert se redire velle ad ecclesiam

a Ead. ep.

Missi a Lud. oratores.

b Alb. Arg in chron. Rebdorf. in annal. Naucl gen 45. Baron. in mor. M. S. ad hunc ann.

61 Postulauit etiam Clemens Papa iudicio Ludouici partium signiferum Henricum e Virnebur Moguntinum archiepiscopum, qui ad principatus illius fastigium summis laboribus a Romanis Pontificibus contra Balduini Treuirensis archiepiscopi potentiam, cui eiusdem principatus administratio fuerat delata, euectus beneficij immemor ad ecclesiæ hostem desciuerat, extiteratque omnium consiliorum contra pontificiam dignitatem auctor præcipuus: neque ad Christianam pœnitentiam prouocatus, vt crimina expiaret, flecti potuerat. Et licet iam ante a Benedicto XII. in ius vocatus, contumacem se præbuisset, mansuetudine tamen seueritatem lenire meditatus Clemens, cum archiepiscopatu ob insignem contra edicta Ioannis XXII. quibus exauctorandos præsules, qui Ludouico vt Regi Romanorum vel Imperatori studerent, pronuntiatum erat, præuaricationem sine nouo iudiciorum ordine deturbari posset; illum tamen monendum officij decreuit; ac Moguntinæ ecclesiæ, quam suis fœdabat sceleribus, alium præsulem a se impositum iri, denuntiauit c publico edicto, in quo repositas ab eo pro beneficijs iniurias in luce collocat.

Henricus archiep. Mogunt. postulat. iudicio.

c An. 2. l. 1 ep. cur. 40.

Clemens, &c. ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

62 Ipse archiepiscopus, sicut notorium esse per facti euidentiam in illis partibus dicebatur, & eidem prædecessori dictorum nuntiorum relatio patefecit, prædictorum beneficiorum ab eadem Romana ecclesia receptorum oblitus, & ingratus acceptor, adhærere potestati tyrannicæ in suæ animæ ac status periculum magis eligens, quam diuinæ maiestati placere, eidem ecclesiæ non gratias, sed iniurias pariter & offensas retribuere studuerat; impudenter offendens Deum, & dictam Maguntinam ecclesiam suo commissam regimini, seque pariter miserabili subijciens seruituti, plus innitendo brachio arundineo fauoris transitorij & caduci, quam spei diuini auxilij & Romanæ ecclesiæ sæpefatæ: quamuis præfato archiepiscopo non esset incogniti processus dudum habiti per supradictum Ioannem prædecessorem contra Ludouicum de Bauaria olim in

Ingratus eius animus.

Re-

Regem Romanorum in discordia, vt dicebatur, electum per quas exigentibus multis excessibus, contumacijs, inobedientijs, & alijs culpis eiusdem Ludouici omni iure, si quod sibi ex dicta electione ad regnum vel imperium Romanum esset quomodolibet acquisitum, priuatus fuerat; & subsequenter eodem prolabente in diuersos detestabiles errores & hæreses, de diuersis hæresum & schismatum extiterat criminibus condemnatus, &c.

Vt prolapsus in hæresim Ludouico adhæserit.

63 [Nonnullis interiectis, quibus incussum anathema omnibus, quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate conspicuis, refert qui vel studerent Bauaro, vel eius beneficio iura ecclesiarum vel ditionum accepta agnoscerent: intentatum etiam patriarchis & archiepiscopis, ipsos dignitatibus deturbatum iri, ac diuinis humanisque pœnis afficiendos: tum subdit].

64 Idem tamen Henricus archiepiscopus dictos processus velut famæ suæ prodigus & propriæ salutis oblitus contemnens, contra fidelitatis debitum, & iuramentum per eum præfato Ioanni prædecessori eiusque successoribus, & ecclesiæ Romanæ prædictæ præstitum, memorato Ludouico participare, ac ab eo tanquam Imperatore, licet non esset neque fuisset, temporalia eiusdem ecclesiæ recipere & recognoscere, sicut in illis partibus dicebatur, damnabili temeritate præsumpserat, faciendo sibi homagium, & præstando fidelitatis etiam iuramentum, & ex ijs reatum periurij, & excommunicationis sententias, ac pœnas alias tam contentas in dictis processibus, quam a sacris canonibus promulgatas, damnabiliter incurrendo. Rursus idem archiepiscopus nonnullas alienationes bonorum eiusdem ecclesiæ Maguntinæ contra iuramentum per eum præstitum dicebatur fecisse in læsionem enormem eiusdem ecclesiæ Maguntinæ, &c.

Clientelarem illi sponsionem addixerit.

65 [Addit Henricum iniqua & impia pacta inijsse cum Moguntinorum canonicorum collegio edictis Ioannis XXII. defixo censuris, atque ad infringenda Romani Pontificis imperia coniurasse.] Intendens, *inquit*, vt ex prædictis euidenter colligitur, dictum Ludouicum non tantum Imperatoris nomine nuncupare, sed etiam talem eum ausu temerario reputare. [Subdit vt Benedictus XII. redigēdi ad officium Henrici studio legum acerbitatem in eum distrinxerit x. kal. martij pontificatus anno IV. propositoq; publico edicto sistere se apostolico solio ab excipiendam sententiam iusserit: illum vero non comparuisse, sed ipsius procuratorem inanea excusationes declinandi iudicij causa exposuisse, quæ a Benedicto repudiatæ fuere, tum subijcit.]

66 Sed idem Henricus archiepipiscopus, vt suæ ingratitudinis vitium erga sedem præfatam multiplicaret vlterius, & excessus excessibus, culpas culpis grauioribus damnabiliter aggregaret, ex tunc peiora & detestabiliora prioribus præsumptione temeraria & plectibili committere non cessauit: ipse namque, sicut fama seu potius infamia publica pertulit ad nostri appostolatus auditum, præfato Ludouico de Bauaria subsequenter adhæsit, ipsumque pro Imperatore, cum Imperator nec Rex sit, habendo, tenendo, vocando, & exhibendo eidem reuerentiam sicut tali, sibique vt in suis excessibus erroribus, schismatibus, culpis, inobedientijs, & contumacijs perduraret, consilia & fauores exhibendo; & ligas & confœderationes, immo potius coniurationes & conspirationes cum eodem damnabiliter ineundo. In multis quoque parlamentis, seu potius damnatis conuenticulis, in quibus multa contra Deum & honorem eiusdem ecclesiæ Romanæ machinata fuerunt damnabiliter & inique interfuit cum Ludouico prædicto, adhærendo, fauendo, & consulendo eidem, quamuis multi prælati & principes illarum partium, qui per dictum Ludouicum vocari fuerant ad illas conuenticulas, venire contemnerent, sicut nec tenebantur venire: aliosque detestandos excessus, qui breui nequirent explicari sermone in diuinæ maiestatis contumeliam, grauem dictæ sedis offensam, & multorum perniciem committere damnabiliter & plectibiliter non expauit.

Conjunctiones plures cum Ludou. inierit aduersus ecclesiam

Affuerit eius conuéticulis damnatis.

67 Et licet nos aduersus Henricum archiepiscopum supradictum, attentis contumacia huiusmodi & alijs suis detestandis excessibus, iuste possemus procedere absque citatione alia de præsenti; tamen de solita mansuetudine dictæ sedis adhuc experiri volentes, si aliqua fidelitatis & deuotionis scintilla in eo remanserit, quæ in flammam deuotionis accensa illuminaret, vt viam veritatis cognosceret, mentem suam, vt ab inuio mortifero, quo graditur, reducere curaret ad vitæ semitam pedes suos, ad præsens prouidimus agere mitius cum eodem.

Post tot scelera veniæ spes proposita a Clem.

68 Ideoque deliberatione cum fratribus nostris præhabita diligenti, & de ipsorum consilio, præsente hac multitudine copiosa fidelium per publicæ citationis edictum, eum ad locum, vbi nunc morari dicitur idem archiepiscopus, tutus pro citatione huiusmodi facienda accessus minime pateat, eundem archiepiscopum citamus peremptorie, vt infra quatuor mensium computandorum spatium, quod eidem pro peremptorio termino assignamus, sub excommunicationis ac priuationis ab administratione ecclesiæ Maguntinæ ac dignitate archiepiscopali & pontificali pœnis apostolico conspectui personaliter se præsentet, super præmissis responsurus, ac voluntatem nostram & processus, quos faciendos duxerimus auditurus ac nostris & sedis prædictæ mandatis & beneplacitis humiliter pariturus, ac facturus & recepturus quod suadebit iustitia, & nobis videbitur expedire; nec non & apertius eidem archiepiscopo nihilominus prædicentes, quod si in eodem termino vel antea citationi huiusmodi non paruerit cum effectu, ad declarandum ipsum incurrisse pœnas, in processibus prædicti Ioannis prædecessoris nostri contentas, & alias, præsertim in præfati Ioannis prædecessoris contentas processibus infligendas, de quibus exigente iustitia expedire videbimus; contra eum procedemus coniunctim vel diuisim absque citatione alia, ipsius absentia non obstante; decernentes huiusmodi citationis edictum perinde valere, ac eundem Henricum archiepiscopum apprehendere & arctare, ac si eidem lecta præsentialiter extitisset, &c.] subijcit id edictum Auinionensis ecclesiæ foribus affixum iri, ne Henricus ipsum latuisse possit obtendere. *Dat. Auin. XVI. kal. nouembris anno* II. Contempsit [a] pontificias minas Henricus Ægypti baculo innixus, quare damnatum contumaciæ, atque in illius locum Gerlacum Nassouium suffectum visuri sumus.

Vocatur ab eodem in ius.

Obiecta contumaci iudicio rum seueritas.

[a] Aberat. l. 5 Mog. rer. in Henr.

69 Longe prudentius se gessit Balduinus archiepiscopus Treuirensis, qui cum ab Apostolicæ sedis gratia antea excidisset, oratores idoneos misit, literas afferentes archiepiscopali sigillo & chirographo munitas [b], quibus ille ad omnia, quæ pro ipso in gratiam ecclesiæ reuocando constitu-

Treuirensis archie redit ad Pont. obsequium.

[b] To. 4. ep. secr. pag. 209.

stituta ac promissa fuerât, implenda se obstrinxit.

Nonnulli in Germ. bellici motus.

a Nauel. gener. 45.

b Hocsem. in Adolpho episc. Leod. cap. 39.

69 In Leodiensi ditione graues turbæ exortæ a, Adolpho comite Heinspurgensi Lossensem comitatum, ad ecclesiam Leodiensem deuolutum, principum finitimorum studijs & armis fretuo inuadente, aeque anathema quadriennio pertinaciter spernente. Implorarunt b sedis Apostolicæ præsidium Adolpus episcopus & canonici Leodienses contra ducis Brabantiæ & Hannoniæ comitis, ac Ioannis patrui Adolphi comitis studiosorum potentiam & artes: quamquam enim de comitatu compromittere inconsulto Romano Pontifice se non posse erant professi, adiudicato dolo Heinspurgensi comiti Lossensi comitatu Pôtificem, vt rem confirmaret, solicitarunt: contra quos episcopus & clerus Clementem & Cardinales de ijs monuere ac rogarunt, ne ipsis non vocatis quidquam decernerent; suaque in sedem Apostolicam studia his verbis commemorarunt in literis ad Cardinales datis.

De Lossensi comitatu controuersia.

Leodiensium commendatio.

Vestrum igitur suffragium flexis poplitibus implorantes, vt vestram saltem causam propitius defendatis: vestram dicimus, & re vera nam semper, dum Reges & Imperatores Theutonici Romanæ ecclesiæ rebellarent, illisque semper assisterent principes conuicini, pontifices nostri cum suis subditis resistebant, & partem Romanæ ecclesiæ receptabant: quod chronica Othonis vltimi Cæsaris rebellis ecclesiæ clare demonstrat, ac alia postmodum Frederici, & nunc vltimo Bauari, cuius minas terribiles cum fautoribus suis Anglicis, ac quibusdam terræ nostræ principibus confœderatis, eidem, cum corporum ac rerum nostrarum periculis omnimodo spreuimus, vt nostræ matri ecclesiæ Romanæ fidem solitam seruaremus. Et ne ficta vobis narrasse aliqua videamur, literarum copias Bauari, minas huiusmodi continentes, vobis duximus transmittendas. Data anno Domini MCCCXLIII *dominica, XIII die septembris*. Hactenus de Germanicis rebus: nunc ad Italicas decurrimus, atque a Siculis citerioribus, quæ tristes ac turbidæ admodum fuere, exordimur.

Roberti Regis Sic. mort.

c Io. Vill. l. 12. c. 9. M.S. bibl. Vat. sign. 3765.

d Collen. hist. Neap. l. 5.

e Summ. l. 3.

f Marian. l. 16. c. 11.

g Petrarc. in præfat. Eius elogium.

h Petrarc. de rerum memoran. l. 3. pag. 460.

70 Hoc ineunte anno Robertum Regem, annos circiter octoginta natum, decima nona ianuarij die Neapoli morbo correptum, ex hac vita migrasse, scribit Ioannes Villanus c. Studiosum ecclesiæ principem fuisse, religionis, prudentiæ, scientiæ, omniumque virtutum laude præclarum cum Villano consentiunt Collenutius d & Summontius e: cuius dignam memoria hanc aliquando fuisse vocem refert Mariana f, *dulciores sibi literas regno esse*. Laudatur etiam a Petrarcha g, fuisse & summum Regem & philosophum, non regno, quam literis clariorem: *Quem vnicum*, inquit, *Regem & scientiæ amicum & virtutis nostra ætas habuit*; a quo se tridno excussum cum ad poeticam lauream Romam vocaretur, atque dignum iudicatum significat: describitque eleganti stylo h extremum illius vitæ actum: *Decubuerat*, inquit, *corpore quidem languidus, sed animo alacri & infracto: nullus dolor, nulla consternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi desiderium in illo præsertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanserat corporis ergastulum: artusque satis fatiscentes, velut totidem libertatis suæ vincula carnehat, ardebat oculus, & vitalis calor infra senile pectus iam redactus assidue decrescebat: ingeminabant morbi, arescebant spiritus, transibat dies vltimus, extrema hora tempus instabat: nulla interim querela, nulla ipsius lacryma fluebant, eam alienas abstergeret. Sentio quid mihi argutus nunc lector obijciat. Fortitudinis hoc potius, quam sapientiæ videri. Non inficior, non contendo, sciens & virtutibus inesse cognationem quandam, & hunc ipsum, de quo loquimur, omnibus vsque in miraculum abundasse. Hoc sane quod sequitur ad hoc, quod per tot præambula tendebat stylus, sapientis & vniuersa circumspicientis, atque in extremis solito iudicio fruentis animi signum est. Quid enim prohibet, quod in singulis vel Regibus, vel philosophis miratur antiquitas, in hoc (dicendum est enim sæpius) & Rege simul & philosopho posteritas admiraris?*

Nouerat se suis esse charissimum, seque id meritum gaudebat, quibus grauissimum se mœrorem relinquere certus erat. Videbat adolescentulos regni successores, & ætatem multis obiectam periculis verebatur. Nouerat sacrum religiosa coniugis arcanum, fugam e sæculo illo adhuc superstite meditantis. Tuto quidem poterat illustri fœmina regni pondus committere, poterat illi animo superædificare, quantumlibet fundamenta non deerant, nisi ipsa, quod euentus docuit, quamuis miserata casum publicum, saluti propriæ succurrere maluisset, seque post sepulchrum tanti coniugis, mox intra sacros parietes monasterij sepelisset ad altiora suspirans. Hoc muliebre propositum, iampridem cognitum, multa voluentis animum augebat, quis habenas rerum post se flecteret, quis regnum status acciperet: circumspiciebat scopulos, meminerat procellarum & ab aquilone & ab austro; venturasque præsagiens tempestates gubernator egregius, clauum commissurus inexpertis, quid mirum, si sollicitudinum variarum fluctibus æstuabat? Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet ac validum fatigare debuissent, moriens indefesso animi vigore consuluit. Primum omnium flentes, ac eius conditionem miserantes, magnifice castigatos docuit, nil sibi triste, nil asperum, nil miserabile, nil molestum, denique nil nisi suaue prorsus & iucundam morte contingere. Satis se iuxta cæsaream sententiam, vel natura vixisse vel gloria: optare se iam ex corporis statione discedere: sperare ab hoc mortali solio digressum, ad stabiliora regna proficisci. Minime itaque lugendum, sed omni gaudio prosequendum iter suum.

Sancia Regina sanctimonialibus se aggregat.

71 *Quid multa? sic omnium gemitus oratione compescuit, sic omnes miserarum mortis opiniones ex audientium pectoribus extirpauit, vt nunc vsque sese felices arbitrentur, quibus illum ex ipsa morte concionantem contigit audire, nec* * *moriens cubiculo vllas philosophorum scholas præferunt. Demum aduersus singula, quæ terribilia prouidebat, accommodata remedia, veluti præstitura venenis antidota dictauit, regni gubernacula successoribus, quos matrimonio iunxerat tradidit, identidem admonens: Hoc illud consilio, hoc illud periculum declinate. Sic cum subiectis, sic cum amicis, sic cum hostibus viuite. Hæc & alia similia, cum salsa & acuta magis maiestate dixisset, tota mente in Deum versus aspirans, & e corporis vinculis lætus excessit. O felicem perfectamque sapientiam inter mortis angustias, cum cæteris hominibus, nedum rerum alternarum, sed sui etiam ipsius vix vlla superest memoria, ita secum omni ex parte consistere; ita superstites consolari tanquam non ipse, sed hi morituri sint; ita res suas disponere, eas rus peteret, non sepulchrum. Et regno quidem in longum consuluit, modo voces abeuntis animi inhæsissent, nec (quod multum vereor) æternis vitæ consilijs immanescant*, &c. Hactenus Petrarcha. Sepultus i est in monasterio S. Claræ, ab ipso construc-

* moriens.

Data a Rob. in morte cōsilia.

i Io. Vill. et Summont. vbi sup.

structo, bonisque amplissimis locupletato. Non desunt tamen, qui tot laudes Robertum obscurasse auaritia referant, vt Ioannes Villanus a; qui addit, eos thesauros ad recuperandam Trinacriam illum coegisse. Sed misere a successoribus fuerunt dissipati.

a Io. Vill. l. 12. c. 9.

Ioanna Roberto auo succedit.

Quod ad regni successores spectat; erant ij b Ioanna neptis a Carolo filio duce Calabriæ (quem iam ante in ipso iuuentutis flore extinctum luximus) atque Andreas pronepos ex fratre Carolo maiore natu Caroli II. Regis Siciliæ filio, quos ad sedanda bella impendentia nuptijs iunxerat vel, vt S. Antoninus c scribit: *Quasi bona fide recognoscens, vt ad eum rediret regnum ipsum, ad quem prius magis de iure spectabat*. Superioribus consentientia gestorum Clementis scriptor tradit. d

b Io. Vill. sup. cap. Ant. 3. p. tit. 21. c. 8. §. 4. Coll. Summont. Marian. sup. cap. Sur. l. 7. c. 64. Vita Clem. scriptor apud Bosq. & alij

Noua in Neapol. regno cōuersiones.

72 Sublato Roberto regnum fluctuare cœpit, & immanis quædam calamitas Siciliæ citeriori imminere visa. Lugubrem & periculosum rerum statum ita describit Petrarcha e: *Quis non ista præuiderat? & præuidisse quid profuit? tam profunde enim totis regni præcordijs se nequitia dirum virus infuderat, vt iam nisi mortiferum esse non posset: tantum audaciæ, tantumque licentiæ reproborum, tanta piorum desperatio, tantus mæror incesserat. Erant crebra vndique velut instantium procellarum signa, graues frontes turbida nubes obduxerat, & turbida pectora pugnaces vrgebant venti, fulgurabant oculi ardentes, flabant ora minacia tonabantque: prope erat, vt manus impia fulminarent, æquor aulicum iam tumebat, iamque æstus horrisonus & reciproci fluctus & obscœnæ aues & peregrina prodigia vestris late litoribus recursabant. Morte* Regis *mutata regni facies, & cum vnius viri anima omnium vigor & consilium euanuisse videbantur.* Spectabamus *hæc omnes, futurisque non secus ac præsentibus angebamur malis. Loqui autem quis auderet, vbi vix liberi cogitatus erant; & non tantum vocibus, sed nutibus parata supplicia? Quamobrem in triuijs muti omnes, in thalamis murmur ambiguum, mœsta præsagia, & impendentium nuntij malorum taciti augures metus ac dolor. Denique sic apertis oculis torpuerant animi, quasi quos vicini fulminis lux horrenda perstringeret.* Nemo, *ni fallor, vnus hominum me apertius timuit, doluitque liberius: nemo illa curia & introspexit acutius, & contumacius aut lingua percussit aut calamo, &c.*

c Anton. super cap. d Vit. Cle. auct. vbi sup. e Petrar. l. 9. ep. fam. 5

73 Iniecta est prima discordiæ fax inter regios principes: Carolus enim Dyrrachij dux dolo ad Mariæ sororis Ioannæ Reginæ nuptias aspirauit, quamquam illa ex Roberti & Caroli Regum pactis, decretoque pontificio alteri Andreæ fratri ad declinanda impendentia discrimina erat desponsa f, vt ad Vngariæ Regis posteros regnum deuolueretur. Exæstuans igitur ambitione Dyrrachij dux, ignarus sibi a se ignominiosam mortem parare, a Pontifice auunculi Talayrandi tit. S. Petri ad vincula presbyteri Cardinalis Agnetis matris fratris opera diploma subripuit g, quo solutis legibus canonicis, coniunctam sanguine vxorem ducere posset; ac Mariam sororem Reginæ, ea inconsulta, matrimonio sibi copulauit. Rem fraude gestam, cum ex ea Andreæ Regis necis ac regni exitij causa postea fluxisset, querenti Ludouico Vngariæ Regi, respondit h Clemens.

f Annal. to. XV. an. Chr. 1332 n. 19.

Dyrrachij ducis infaustæ nuptiæ.

g Clem. to. 5. ep. secr. pag. 255.

h Io. Vill. l. 12. c. 9.

74 Porro Ioannæ imbecillitas ac viri Andreæ ætas moderandæ amplissimæ ditioni impares erant: ad quam quidem sustentandam Robertus auus Rex in extremis vitæ confinijs testamento sanxerat, vt Philippus Canallicensis episcopus regij scrinij præfectus, Sancia Regina, Philippus de Sanguineto, Gaufridus de Marsano comites; & Carolus Artusius regni procurationem susciperent, donec Ioanna vigesimum quintum ætatis annum attigisset; nec Ioanna quicquam in administranda publicare, nisi his assentientibus, gerere posset. At Ioanna iuuenili leuitate ab ipsis viris prudentibus regi se non patiebatur, neq; ad eos regni consilia referebat; sed regia ad se deriuata auctoritate, interdum nemine consulto, interdum nonnullis assentientibus Siculi regni iura pessumdabat. Ad Pontificem itaque, vt supremum Siculi regni dominum spectabat his malis mederi. Præterea cum regnum Carolo I. fiduciario iure tradidit Apostolica sedes, conuentum fuerat, vt Romanus Pontifex Siciliæ administrationem, dum sceptri heres annis minor esset, capesseret: neque Robertus pontificia iura extrema illa sua voluntate labefactare potuerat. Re igitur in deliberationem adducta, Clemens vt regno consuleret, ac Romanæ ecclesiæ iura tueretur, edicto pronuntiauit, regiæ Siculæ procurationem non ad Sanciam Reginam aliosque a Roberto Rege designatos, sed ad sedem Apostolicam spectare: omnia ab ijs gesta rescidit; atque Aymericum Cardinalem tit. S. Martini in montibus administrando pontificio nomine, donec Ioanna Regina fortiorem ætatem attigisset, regno præfecit a.

Ioannæ leuitas.

Rege Sic. minore regni procuratio ad Pont. spectat.

a An. 2. Lu ep. cur. 43. 44.

Ad perpetuam rei memoriam.

75 Ex ore sedentis in apostolicæ solio dignitatis debet adinstar illius, cuius vices gerit in terris, gladius procedere bis acutus, vt æquo libramine cuncta ad examen ipsius deducta prudenter appendens, ius suum cuique tribuat, & in iustitia nulli parcat: quem tunc bene agere nos cognoscimus, cum tam nostris quam subditorum, non declinando ad dexteram vel sinistram, inuigilamus remedijs, futuris occurrimus periculis, ac iniuste & improuide attentata, quæ partus forsitan se deteriores haberent, si ipsorum inefficacia in publicum præcone iustitia non prodiret, iusti censura iudicij reformamus; tuncque, cum maiora timentur prouenire dispendia, promptiori & vberiori cautela sine personarum acceptione prouisionis nostræ remedio subuenimus. Sane ad apostolatus nostri notitiam pridem deducto, quod claræ memoriæ Robertus Rex Siciliæ, in vltimo testamento suo inter cætera ordinauerat & mandauerat, quod venerabilis frater noster Philippus episcopus Caualicensis, & charissima in Christo filia nostra Sancia Regina Siciliæ illustris, ac dilecti filij nobiles viri Philippus de Sanguineto Altifluminis Gaufridus de Marsano Squilacij comites, ac Carolus Artus essent & esse deberent gubernatores, dispensatores, rectores, & administratores, vel quocumque alio modo & nomine melius poterant de iure censeri, charissimæ in Christo filiæ nostræ Ioannæ Reginæ Siciliæ illustris neptis suæ ex vnico filio primogenita, eidem Regi in regno Siciliæ & terris citra pharum vsque ad confinia terrarum ecclesiæ (excepta ciuitate Beneuentana cum eius territorio, ad Romanam ecclesiam pertinente) iuxta conuentiones inter ipsam Romanam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum primum Regem Siciliæ, ipsius Roberti auum initas, succedentis; volens & mandans, quod præfata Ioanna, donec compleuisset vicesimum quintum annum, nihil deberet vel posset quomo-

Qui fuerint a Rob. procuratores regni constituti.

modocunque & qualitercunque agere, seu facere in iudicio vel extra iudicium, contrahendo, dando, vel alienando, seu alias quemcumque actum legitimum faciendo sine expressa conscientia & assensu principaliter dictæ Sanciæ & aliorum prædictorum, quos gubernatores, dispensatores, rectores, & administratores dictorum Reginæ & regni statuebat; et quod, si ante lapsum prædicti temporis dicta Ioanna secus forte faceret, quod non credebat, nec intendebat ipse Rex, vt dicebat, ipso iure esset nullum, & prosus vacuum & inane, quam ordinationem, & voluntatem dicta Ioanna se inuiolabiliter promiserat seruaturam; intellecto quoque, quod episcopus, Sancia, & alij supradicti, post mortem dicti Regis, virtute ordinationis prædictæ multa gesserant & administrauerant, gerebant & administrabant, & dictæ Ioannæ gubernanti & gerenti in contractibus, iudicijs, & alijs diuersis agendis, auctoritatem & consensum præstiterant & præstabant; ipsa enim Ioanna interdum cum prædictorum, vel aliquorum ex ipsis auctoritate & assensu, & interdum per se, ipsorum vel aliquorum ex eis non interueniente consensu gerebat, disponebat, & administrabat in regno, & terris prędictis donando, inuestiendo, feuda, dignitates, administrationes, & officia perpetua & temporalia concedendo, & aliter contrahendo, & alios actus iudicialiter & extraiudicialiter exercendo; nos considerantes quod dicta Ioanna Regina adhuc est talis ętatis, quod ipsa ad administrationem regni & terrarum prędictorum propter defectum ętatis huiusmodi minus idonea existit; & quod propterea ad nos, qui ejusdem Ioannę immediati superiores existimus, & totius regni & terrarum prędictorum directum & altum dominium obtinemus, cura, administratio, defensio, gubernatio, & bailla regni & terrarum prędictorum regenda per nos, vel alium, seu alios idoneos, quos ad hoc duxerimus deputandos, sic plene & in solidum de iure, & diuersorum prędecessorum nostrorum Romanorum Pontificum obseruantia pacifica istis dignoscitur temporibus pertinere, quod nec prędictus Rex gubernatores, rectores, & administratores huiusmodi pro tempore, quo gubernatio, administratio, & bailia huiusmodi ad nos, vt pręmittitur, pertinet, dictis Ioannę & regno nullo modo poterat deputare; & propterea prędicti episcopus, Sancia, Philippus, Gaufridus, et Carolus, tanquam dati et deputati administratores et gubernatores ab illo, cui ius dandi saltem pro prędicto tempore minime competebat, administrare, gubernare, et regere, seu prędictę Ioannę in agendis auctoritatem, consensum, seu assensum pretextu vel virtute ordinationis prędicti Regis prestare nullatenus potuerunt, nec dicta Ioanna cum auctoritate seu consensu ipsorum, nec etiam per se ipsam sine illis huiusmodi tempore de dispositione et gubernatione regni et terrarum prędictorum, vendēdo, dando, feuda, dignitates, et officia perpetua vel temporalia concedendo, inuestituras faciendo, seu quosuis alios actus legitimos in iudicijs, vel extraiudicialibus exercendo, se poterant intromittere quoquo modo; sicque ex gestis per eam cum dictorum episcopi, Sancię, et aliorum, vel aliquorum ex eis auctoritate, seu consensu, vel per se ipsam, eorum non interueniente consensu, seu per ipsos episcopum, Sanciam, et alios supradictos, qui nullum habuerunt nec habent dispensationis, gubernationis huiusmodi potestatem, decipiuntur subditi et alij cum dicta Ioanna, seu cum episcopo, Sancia, et alijs sępe satis, vel eorum auctoritate vel assensu contrahentes, seu quæuis alia negotia exercentes, et officia, dignitates, administrationes, inuestituras, et quęcumque alia ipsis interuenientibus obtinentes, cum ex administratione, gestione, et gubernatione talium, vmbra quędam solum ostendatur in opere, nulla autem subsit realis veritas in effectu; ac volentes, sicut tenemur, damnis et periculis, quibus regni et terrarum prædictorum incolæ, nostri quidem et ecclesię Romanę homines principaliter et vasalli, subjici propterea possint occurrere, ac indemnitati prędictæ Romanę ecclesię, cui ex prędictis magnum, nisi sic pręsumptis obuiaretur conatibus, pręiudicium pararetur; quantum cum Deo possumus, prouidere deliberauimus cū fratribus nostris tam periculoso errori, ne eum approbare tacite videamur, resistere, et male inchoatis occurrere, ne tractu temporis inualescant per tolerantiam, et eisdem vires dissimulatio subministret.

Vt Ioanna stare eorum administrationi promiserit.

Ad quem regni administratio spectet

Ioannæ gesta iure non fulta.

76 Ideoque de eorundem fratrum consilio pręsentis sanctionis oraculo decreuimus, et ex certa scientia declaramus, prędictum Regem non debuisse nec potuisse pręnominatos episcopum, Sanciam, et alios gubernatores, dispensatores, rectores, et administratores dictorū Ioannę Reginę & regni pro istis saltem temporibus, quibus gubernatio, bailia, et administratio ad nos, vt pręmittitur, pertinet, sicut nec quosuis alios dare, ordinare, vel quomodolibet deputare; nec ipsos, episcopum, Sanciam, et alios debuisse, nec potuisse ex ordinatione ipsius Regis administrationem et gubernationem ipsorum Ioannæ et regni recipere, vel ad ipsam administrationem et gubernationem siue per seipsos, siue dictę Ioannę auctoritatem, consensum, vel assensum in iudicio vel extra iudicium, seu alias qualitercumque prestando, se ingerere; vel ipsi administrationi directe vel indirecte virtute ordinationis prędictę quomodolibet immiscere, nec dictam Ioannam cum auctoritate seu consensu ipsorum; neque etiam per se ipsam, prędictorum non interueniente consensu, de gubernatione et administratione prędictorum regni et terrarum intromittere aliquo modo istis temporibus, vt pręmittitur, potuisse nec posse.

Decretū Pont. circa regni Procurationem.

78 Declaramus insuper omnia gesta, acta, et administrata qualitercumque virtute ordinationis huiusmodi pręnominatos episcopum, Sanciam, et alios communiter vel diuisim; et per præfatam Ioannam cum auctoritate et assensu ipsorum, vel aliquorum ex eis, seu sine ipsorum auctoritate vel consensu, siue sint venditiones, donationes, feudorum, officiorum, et dignitatum perpetuorum vel temporalium concessiones, inuestituræ, seu quæuis alia iudicialia, & extraiudicialia quocumque nomine appellentur, cassa omnino esse & irrita, nullumque debuisse, nec debere sortiri effectum, nec alicuius existere firmitatis.

Ioannæ gesta rescissa.

77 Et nihilominus huiusmodi acta, gesta, disposita, & administrata, vt præmittitur, per prædictam Ioannam quoquo modo, seu per alios supradictos vel ipsorum aut aliquorum ex ipsis auctoritate, consensu, seu assensu, quatenus processerunt de facto, & quæ pro tempore, quo ad nos administratio, vt præmittitur, pertinebat, per ipsam Ioannam, vel prædictos, vel eorum auctoritate vel consensu, modo & forma præmis-

sis

fis fieri, geri, & administrari contingeret in futurum, non obstante iuramento per sępefatam Ioannam pręstito, cassamus & irritamus, & cassa & irrita nunciamus.

Regni procuratores instituti a Roberto exauctorati a Pont.

79 Inhibemus quoque præfatis episcopo, Ioannæ, Sanciæ, Philippo, Gaufrido, & Carolo sub pœna excommunicationis, quam ipsos & eorum singulos non parentes huiusmodi nostris prohibitionibus & mandatis, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, incurrere volumus ipso facto, ne post habitam præsentis decreti, declarationis, ordinationis, & inhibitionis notitiam, prædicta Ioanna durante dicto tempore de dispositione, administratione, & gubernatione dictorum regni & terrarum eum, seu sine auctoritate vel consensu prædictorum episcopi, Sanciæ, & aliorum; nec etiam ipsi episcopus, Sancia, & alij siue per se gerendo & administrando, siue ipsi Ioannæ auctoritatem seu consensum virtute prædictæ ordinationis ipsius Roberti Regis, vt præmittitur, præstando directe vel indirecte, se aliqualiter intromittant, nec se administratores seu gubernatores regni seu Reginæ, vel quouis alio nomine occasione ordinationis prædicti Regis nullatenus verbo vel scriptura nominent vel faciant ab alijs nominari.

80 Cæterum vt incolæ dicti regni, quos in visceribus gerimus charitatis, vel quiuis alij, qui cum dictis episcopo, Sancia, Philippo, Gaufrido, & Carolo tanquam cum administratoribus & gubernatoribus prædictorum regni seu Reginæ, vel cum dicta Ioanna de auctoritate, consensu, vel assensu ipsorum communiter vel diuisim, vel eorum non interueniente consensu quomodolibet contraxerunt, vel ab ipsa Ioanna feuda, inuestituras, dignitates, officia, seu administrationes aliquas receperunt; vel qui cum ea seu prædictis, vel iudicibus seu officialibus alijs deputatis ab ipsis in iudicio vel extra quouis modo aliqua gerere vel agere habuerunt, bonam fidem habentes, ex ignorantia se læsos non lugeāt seu deceptos; nos eisdē prouidere paterna pietate volentes, dilecto filio nostro Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinali apostolicæ sedis legato, per nos in dictis regno & terris administratore, gubernatore, & baiulo deputato committimus per præsentes, quod ea, quæ per sępefatos episcopum, Sanciam, & alios, vel per prædictam Ioannam, cum etiam vel sine auctoritate, consensu, vel assensu eorum, seu aliquorum ex ipsis gesta, & administrata repererit vtiliter & alias rite, & non in Romanæ ecclesiæ, seu regni præiudicium processisse, de patientia toleret vel, prout sibi videbitur, auctoritate nostra approbet, & confirmet.

Aymeric' Card. legatus.

Regno administrando præficitur.

Per prædicta autem non intendimus, quin ea, quæ præfati episcopus, Sancia, Philippus, Gaufridus, & Carolus ab ipso Roberto executores etiam deputati, tanquam executores & virtute executionis dumtaxat, ac prout & in quantum executorum potestas, & ministerium legitime se extendit, gesserunt & administrauerunt, seu eos gerere & administrare contigerit in futurum, plenam & perfectam ac per præsentem constitutionem & ordinationem in nullo diminutam obtineant roboris firmitatem. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. iv. kal. decembris anno secundo.*

a Clem vita scriptor apud Bosq. b An. 2. l. 1 ep. cur. 38.

81 Meminit de huiusmodi decreto, deque Aymerico ad Siculi regni habenas moderandas misso Clementis vitæ auctor a: extantque de ijs in regesto pontificio amplissima diplomata b: ac nedū legati in Sicilia citeriore munere exornauit, verū amplificauit etiam eius auctoritatē in pluribus Italię prouincijs. Tum proceres a regni, vrbiū magistratus præsules b cęteriq; ecclesiastici, ac Ioāna Regina c legato parere iussi. Eadem d præterea ac Sancia e Regina vidua admonitæ, vt legato creato a sede Apostolica regiæ Siculæ procuratori, cum id publica vtilitas, atque ecclesiæ in Siciliam exigerent iura, obsecundarent. Sed Ioannæ leuitas temeritasq; consiliariorum decretis pontificijs se opposuit; quare noua edicta de regni procuratione legato tradenda condita sunt. Extractum f vero est ad Ioannæ gratiā addicendi Pontifici cliētelaris obsequij officium cum ad id præstandum vnius anni flexu obstricta teneretur. Soluit porro ipsa vectigal annuum octo millium vnciarum auri, *in quadraginta millibus florenorum auri, quinque florenis pro vncia qualibet computatis*; ita enim refert pontificia syngrapha. Vtque similia connectamus, numerata g sunt a Petro Aragono duo millia marcharum Sardinię & Corsicæ beneficentia apostolica acceptarum nomine.

a Ib. ep. 39. b Ep. 40. c Ep. 41. d Io. v. ep. secr. 387. e Ib. ep. secr. 388.

f Ibid. ep. secr. 32. Solutus ecclesiæ census quadraginta millium aureorū.

g Ib. ep. 43.

82 Reliquerat Ioannæ Robertus auus ingentem bellicum apparatum ad Trinacriam ex Aragoniorum manibus vindicandam, cuius terrore Ludouicus Petri Trinacrij successor puer, Elisabeta mater, ac Ioannes dux patruus oratores ad pacem ebliandiendam ad Clementem misere. De quibus Pontifex Ioannam fecit certiorem, pollicitus non passurum se, vt Trinacria ab illius imperio diuelleretur, neq; vlla concordię colloquia, inconsulta ipsa, initurum: quare sua in ea re consilia quamprimum expediret. Priuata iam diu erat Trinacria templorum & sacrorum vsu ob Petri & Ludouici iniustum dominatum, Romanique Pontifices insulanos ad Gallici generis legitimorum Regum obsequium censuris redigere nitebantur: Fridericus enim, qui tyrannidem corripuerat, ea lege cum Carolo II. fœdus pactus erat, vt regnū, dum superstes esset, retineret; in posteros vero non transfunderet, Gallique verbis fallacibus fidem adhibuerant. Quo porro facilius perduelles ad officium adduceret Pontifex, sacerdotiorum insignium, atque ecclesiasticarum dignitatum conferendorum ius collationem sedi Apostolicæ reseruauit h.

Cur Trinacrij censuris deuincti.

h An. 1. l. 6 ep. cur. 16.

Ad futuram rei memoriam.

83 Dum statum miserabilem insulæ Siciliæ, quæ propter inobedientias & excessus nefandos varios, contra Romanam ecclesiam commissos ibidem, interdicto ecclesiastico subiacere, ac diu subiacuisse noscitur, mentis oculis intuemur; eidem more paterno compatimur, pijs desiderijs affectantes, quod per veram obedientiam & satisfactionem debitam a suis releuari periculosis opprobrijs, & ad statum dirigi prosperum mereretur. Cum autem propter hæc, & alia circa præmissa diligentius attendenda opportunum admodum existimetur, quod in ecclesijs, præsertim cathedralibus, & alijs locis ecclesiasticis eiusdem insulæ pręcipuis, prælati & rectores præficiantur idonei, per quorum fidelitatem & circumspectam industriam ecclesiarum & locorum prædictorum posse prouideri vtilitatibus, & salubriter consuli statui supradicto speretur; nos his & alijs causis honestis & rationabilibus animum nostrum ad id mouentibus, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorumq; Pontificum in hac parte vestigijs inhærentes, prouisiones & dispositiones omnium & singularum archiepiscopalium, episcopalium, & collegiatarum

Sacerdotiorum collationē in Siciliæ insula reseruat Clemens Apost. sedi.

rum

rum ecclesiarum, nec non abbatiarum, monasteriorum; & prioratuum conuentualium, regularium, & secularium, exemptorum & non exemptorum, nunc vacantium & inantea vacaturorum infra dictam insulam consistentium, in quibus prælati, seu rectores consueuerunt per electionem assumi, si, eum, & quotiens casus vacationis emerserit vsque ad biennium a prima die iunij proximo instantis, quo terminabitur tempus reseruationis per felicis recordationis Benedictum Papam XII. prædecessorem nostrum olim de illis factæ inantea computandum, nobis & sedi Apostolicæ auctoritate apostolica reseruamus; vniuersis ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum, & prioratuum prædictorum capitulis, collegijs, & conuentibus, ac personis districtius inhibentes, uo in eis, huiusmodi reseruatione durante, ad electionem, postulationem, vel prouisionem aliquam præsumans procedere quoquo modo; ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super ipsos per quoscumque alios quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit super ijs attentari. Cæterum volumus, & nostræ intentionis existit, quod reseruatio, inhibitio, & decretum huiusmodi, ad monasteria monialium & aliarum religiosarum mulierum, & ad ecclesias vel prioratus non conuentuales, seu quorum fructus, redditus, & prouentus annui summam quinquaginta florenorum auri secundum communem æstimationem non excedunt, nullatenus extendantur. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin.* III. *non. maij anno* 1.

a lib. ep. 23 b lib. ep. 17

84 Neque in vlteriore modo Sicilia, verum in citeriore a quoque, ac ditione b pontificia, ad alendam publicam pacem ecclesiasticas dignitates a sede Apostolica collatum iri, sancitum est: Cæterum agitata fuisse a Ioannæ Reginæ senatu sanctiore Trinacriæ armis expugnandæ consilia, indicat Petrarcha c in tēpestatis Neapolitanæ descriptione, dum ait in ea quadringentos latrones, qui erepti fuerant supplicio, vt in Sicula expeditione hostium gladijs obijcerentur, atque in naue inclusi erant, pereuntibus cæteris, omnium pessimos euasisse. Cuius tempestatis impetu Massilienses triremes, & quotquot in portu erant naues haustæ sunt fluctibus: ex qua clade videtur bellicus apparatus dissolutus. Adeo vero procella sæuijt, vt adiacentem litori Neapolis partem merserit vel euerterit, reliquam adduxerit in discrimen.

Tēpestas horrida in Neapol. portu.

c Petrarc. l. 5. de reb. fam. ep. 5.

Illius descriptio.

Nox, inquit, *aderat, quam lux suspecta sequebatur. Trepidula fœminarum turba, periculi potius quam pudoris memor, per vicos plateasque discurrere, atque ad vbera pressis infantibus supplex & lacrymosa templorum liminibus obuersari. Trepidatione igitur publica permotus prima vespera domum redij. Solito quidem tranquillius cælum erat*. Et infra: *Vix dum totus obdormieram, cum repente horribili fragore non tantum fenestra, sed murus ipse saxea testudine solidus ab imis fundamentis impulsus tremit, & nocturnum lumen sopito mihi vigilare solitum extinguitur. Excutimur stratis, & in locum somni vicina metus mortis ingreditur. Ecce autem dum inter tenebras alter alterum quærit, & beneficio dira lucis ostensos trepidis inuicem nos vocibus cohortamur, religiosi viri, quorum ædibus habitamus, & sanctissimus eorum prior, quem honoris causa nomino, Dauid qui ex more ad nocturnas Christi laudes surgebant, repentina mali territi, crucibusque ac sanctorum reliquijs armati, & alta voce Dei misericordiam implorantes, thalamum vbi egeram prælatis facibus irrumpunt. Reuixi tantisper: omnes inde ad ecclesiam pergimus, ibique effusi multis cum gemitibus pernoctamus, cum iam iam affuturum finem & ruitura circum omnia crederemus: longius eã, si omnem illius infernæ noctis horrorem verbis amplecti velim: & quamuis longe cætera verum fiat, veri tamen fidem transcendet oratio: quis imber, qui venti, quæ fulmina, quis cæli fragor, quis terrarum tremor, qui mugitus pelagi, quis hominum vlulatus?*

Cum in hoc statu quasi magicis carminibus geminatæ noctis spatio ad auroram vix tandem venissemus, & diei vicinitas magis coniectura animi, quam lucis iudicio appareret, amicti sacerdotes sacra altaribus instaurant, & nos cælum nudum intueri ausi in vda & nuda circum tellure prosternimur. Et infra.

Publica comploratio.

85 *Regina interim iunior nuda pedes, & inculta comas, & cum ea fœmineum ingens agmen, expugnata periculis verecundia, regia egrediuntur, & ad Reginæ Virginis templa festinant, orantes veniam rebus extremis. Sed, iam tanti pauoris exitum pauide, nisi fallor, expectas. Ægre nos in terris euasimus, in alto nauis nulla par fluctibus inuenta, ne in portu quidem res. Massiliensium longas naues, quas galeas vocant, quæ Cypro reduces, & tot maria emensa mane nauigaturæ in anchoris stabant, illacrymantibus vniuersis, nemine autem ferre auxilium valente, fluctibus mergi, nautarum atque vectorum ne vno quidem saluo, vidimus. Aliæ quoque maiores & omnis generis naues, quæ in portum velut in arcem tutissimam confugerant, pari fine consumptæ sunt. In tam multis sola superfuit onerata latronibus*, quadringentos fuisse, ait paulo inferius, *quibus iustum supplicium remissum erat, vt in expeditionem Siculam mitterentur, & huic gladio erepti in illos inciderent*. Hactenus Petrarcha. Non illa modo Neapolitana tempestas, sed totius superi atque inferi maris fuit: ac Venetias quidem periclitatas referunt a, procellamque a dæmonibus concitatam, vrbem vero sanctorum tutelarium Marci, Nicolai, ac Georgij opera liberatam indicio fuit, piscatori ipsos ostendisse cymbam dæmonibus plenam inter fluctus in ipsis faucibus portus salientem ostensam, ac sanctorum iussu euanuisse, redditamque mari serenitatem.

Concitata a dæmonibus in supero mari procella.

a post. Iustin. hist. Ven. l. 4. Sabell. l. 2. dec. 2.

86 Gerebat b tum reipublicæ Florentinæ gubernacula Gualterus Brennensis Athenarum dux (inanis erat is titulus, Catalani enim ipsi principatum iniuria eripuerant) cumque polleret viribus in Etruria, ad opprimendos Aemiliæ tyrannos idoneus visus; vrgebatque etiam Gualterus Pontificem, vt illius prouinciæ sibi principatum cum omnibus vectigalibus, annuo censu imposito, nonnullisque adiectis legibus, ad vitam vel certum annorum spatium permitteret. Quod cum in deliberationem adduceret Clemens, Aymericum tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem A. S. L. consuluit c XIV. kal. iulij, an id ecclesiæ vtilitatibus conduceret. Dum vero hæc agitabantur, populares tumultus Florentię in Gualterum sunt excitati d: plurium enim inuidiam sibi crearat, cum omnem in publica re administranda auctoritatem ad se deriuasset, ac plebem libertati assuetam, aliosque honoribus potiri solitos in seruitutem redigeret. Conflatæ sunt in eum tres coniurationes: quę cum ipsi essent patefactę, ac facile vi aperta opprimere tracto in suas partes populo potuisset, coniuratorum nume-

b Io. Vill. l. 12. c. 15.

c To. 2. ep. secr. 92.

d Io. Vill. l. 12. c. 15. et 16. Leon. Aret. hist. Flor. l. 7. Ant. 3. p. tit. 21. c. 7. §. 10. & 11. & alij

Pulsus seditione Florentia Gualter' dux.

ro et potentia territus dolo in palatium vocatos trucidare decreuit: sed cum insidias parari persensissent, correptis armis, sumpta ex periculi metu audacia, populum ad seditionem velut in tyrannum concitarunt, atque armatis cinxere palatium: denique pacti illius et præsidiariorum salutem, dimisere incolumem, ipsius tamen opibus direptis. Subitam eiusmodi Florentinorum conuersionem Pontifex grauissime tulit, ac Florentinos pacem reipublicæ adeo fœde turbasse perstrinxit; hortatusq; est, vt damna duci illata sarcirent. Eo eiecto seditiones recrudvere, cædibusque et flagitijs vrbs fœdata est: quibus vtcumque compositis, inter Pisanos et Florentinos pax reuocata a. Sed dum Pisani Florentinos sibi conciliant, a Luchino bello sunt petiti.

a Io. Vill. l. 12. c. 24.

Pisani a Luchino bello petiti.

87 Gerebat is vna cum fratre Ioanne archiepiscopo Mediolanensi in Insubriæ parte maxima vicariam imperij præfecturam pontificia ob interregnum auctoritate, ac decem millium aureorum censum in annos singulos ex Benedicti XII. fœdere ærario pontificio pendebat: de quo soluto hac forma verborum concepta est Clementis syngrapha b.

Census a Luchino solutus Pontifici.

b To. 2. ep. secr. 305.

Clemens, &c. venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Mediolanensi, & dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus de Mediolano Placentiæ & Laudensis ciuitatum, ac Cremæ, Carauazij, Martinengi, & Castrinoui, Buccadua castrorum, eorumque comitatuum & districtuum, Mediolanensis, Pergamensis, & Cremonensis diœcesum nostris, & ecclesiæ Romanæ vicarijs.

Dudum felicis recordationis Benedictus Papa XII. prædecessor noster vos Placentinæ & Laudensis ciuitatum, ac Cremæ, Carauazij, Martinengi, & Castri noui Buccæ duæ castrorum, eorumque comitatuum & districtuū Mediolanensis, Pergamensis, & Cremonensis diœcesum vicarios suos & ecclesiæ Romanæ imperio Romano vacante, sicut tunc vacabat & adhuc vacare noscitur, sub certis modis & formis, pactis, iuramentis, conuentionibus, adiectionibus, pœnis, & conditionibus in literis eiusdem prædecessoris inde confectis contentis plenius & expressis; ac sub annuo censu decem millium florenorum boni & puri auri recti & legitimi ponderis soluendo præfato prædecessori & successoribus suis canonice intrantibus, ac ecclesiæ Romanæ prædictæ annis singulis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli, vbicumque Romana curia fuerit, duxit prouida deliberatione præhabita super hoc deputandos, sicut in eisdem literis plenius continetur. Cum autem vos, dictum censum decem millium florenorum auri pro termino, festi eorundem Apostolorum proximo præterito per manus dilectorum filiorum Guidonis Malabaila ciuis & mercatoris Astensis, et Guillermi de Saliuertis alias dicti Nigri de Mediolano, videlicet per manus cuiuslibet ipsorum quinque millia duxeritis die datæ præsentium nostræ cameræ persoluendum; nos volentes, etc.] de accepta ea auri vi illi cauet. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v. idus septembris anno secundo.*

Pontificis ea de re literæ.

Circumcursauit hoc tempore Insubriam, aliasque Italiæ prouincias insignis impostor Bertrandus e Cornelio Lemouicensis, qui nepotem pontificium agebat, ac modo militari, modo clericali cultu, magno equitum peditumque comitatu stipatus incedebat, ac rationibus exquisitissimis a plerisque magnam auri vim extorsit: quem Pontifex comprehendi iussit c.

Sublatus mos de proijciendis libellis.

c Ib. ep. secr. 25.

Eodem anno edita constitutione cauit ne quis libellos supplices sedenti Pontifici in Cardinalium consistorio, vel per vrbem obequitanti injiceret, ni petiti essent; cum nonnullorum impudentia eo prorupisset, vt etiam lapides libellis conderent, de qua ita queritur Clemens a: *Sicut frequenter experimento didicimus, nonnulli grauitate morum & erga nos reuerentia debita procul pulsis, cum sumus in consistorio, & alias cum equitamus, ceram nobis & quandoque super nos, in eis etiam lapides includendo, ausibus præsumptuosis supplices, non sine turbatione nostra, proijcere temere præsumpserunt hactenus & præsumunt, &c.* Ad coercendam itaq; horum impudentiam et tuendam apostolicam maiestatem incussæ ecclesiasticæ pœnæ.

a An. 2. l. 1. ep. cur. 37.

88 Ostendit Deus hoc anno insigni prodigio b apud Ciuitatenses in Hispania, quanta episcopos in altera vita maneant supplicia, qui commissorum sibi populorum prætermissa cura, in delitias se effundunt, quantoque sit miseris peccatoribus apud Deum præsidio sanctorum patrocinium. Petrus Diaz episcopus Ciuitatensis voluptatum irretitus illecebris, cum morbo lethali esset implicitus, quamquam monitus a cubiculario ob spectra dæmonum, ipsius animæ insidiantiū visa, vt sacra confessione crimina expiaret, consilia derisit. Demum vt conuinceretur non inania fuisse somnia, cum iuberetur a quodam Minorita per obiectam speciem cubicularius solicitare episcopum ad pœnitentiam, illeque signum posceret, iussus digitum in ardentis picis cacabum episcopo morituro paratum immittere, mox adustum extraxit, eoque impœnitentem conuicit, vrsitque vt sacerdotem vocaret: sed extorta confessio parum valebat. Excessit in eo statu e viuis, atque in templum delatus, quarto die sepulchro mādandus e pheretro caput erigit, seque ob improbe actam vitam ad diuinum tribunal raptum defixis horrore spectatoribus enarrat, & cruciatibus æternis damnatum: ob suum tamen singulare in S. Franciscum studium, illius precibus flexam misericordiam, vt ad vitam reuocaretur, peracta diebus viginti scelerum pœnitentia iterum moriturus: cuius sepulchro affixum epitaphium etiamnum historiæ veritatem testatur.

b Vuad. in annal. hoc an. n. 34. ex Gonz. Marian. Marc. l. 8. c. 50. Amilo de episc. Ciuitat.

Diuina in episc. libidinosum vltio.

Mortuus ad vitam reuocatus

89 Contigisse eodem anno memorandum animæ Henrici episcopi Lincolniensis, quæ ob alienos agros ad exercendam venationem, atque feras in septo muris campo continendas iniuste ereptos torquebatur, visum refert Vualsingamus his verbis c: *Circa præsens tempus Henricus Burghuaesh, Lincolniensis episcopus in Flandria apud Gandauum diem clausit extremum*, nimirum pœnitens scelerum, vt e sequentibus colligitur, *cui successit Thomas le Beck clericus nobilis & excellens. Iste Henricus quondam Lincolniensis episcopus cupidus & auarus apud prædium suum de Tyngurst parcum fecerat, & suorum terras contiguas ipsi iunctu eidem parco adiecerat, & sepibus ac fossatis incluserat: nō sine diris illorum increpationibus, ademerat terras suas. Post mortem vero suam apparuit cuidam ex armigeris suis quondam cum pharetra & arcu, sagittis & cornu, indutus breui tunica & ipsa viridi, & ait ei:* Nosti quod non fine *Dei offensa & iniuria pauperum clauserim istum parcum: datus sum igitur non sine pœna ad custodiam huius parci, prout vides, quousque terra illic inclusa pristinis possessoribus restituantur. Vade ergo ad fratres meos Lincolnienses canonicos, &* ro-

Episcopi venatoris pœna.

c Vualsing. in Eduard III.

roga eos ex parte mea, vt hæc omnia pauperibus possessoribus redonentur, a quibus cum iniuria ea tulit. Canonici vero hæc audientes & iniuriam prælibatam non ignorantes, miserunt vnum de canonicis VVillelmum Bacheler appellatum ad restituendum sua singulis, et sepes exstirpandas, fossataque complananda: qui rediens, per abbatem de S. Albano Michaelem sibi narrauit hæc omnia seriatim.

90 Labefactata erat in Anglia ab Eduardo Rege, eiusque administris pluribus in rebus immunitas ordinis ecclesiastici, descriptasque antea iniurias ab eo illatas in literis ad legatos Cardinales tum a Benedicto, tum a Clemente vidimus, de quibus cum obiurgatus esset Eduardus, prætermissis cæteris, contendit a sacerdotiorum, quibus donati erant ij Cardinales, præsules, alijue qui in aula pontificia versabantur, vectigalia a se iure inuasa: & plures querelas effudit de exteris, præfectis ecclesijs & curæ animarum, qui sine vlla vtilitate publica sacras abligurirent opes, cum linguæ Anglicanæ imperiti essent, neque in regno moram traherent. Conquisiti sunt ab eo plures fuci ad colorandum facinus, quos afferre non piget, cum demum detersi fuerint.

Plura ab Anglo Rege contra ius ecclesiastic. persentata.

a Ext. de eo apud VValsing. hist. in Eduard. III.

Sanctissimo b patri & domino domino Clementi, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Eduardus Dei gratia Rex Franciæ & Angliæ, dominus Hiberniæ, deuota pedum oscula beatorum.

b M.S. arc. Vat. Nic. Card. de Arag. sign. lit. C. pag. 137. et M.S. sign. lit. E. pag. 235. ext. ead. lit. apud VValsing. in Eduar.

Pensata sedis Apostolicæ clementia, quæ de fomento Christifidelium & animarum salute solet esse summe solicita, non quærens quæ sua sunt, sed potius quæ Iesu Christi, tenet probabiliter nostra fiducia, quod vestra maturitas in specula solicitudinis apostolicæ præ claritate meritorum & scientiæ diuinitus iam erecta, ea quæ decus ecclesiæ & deuotionem plebis attenuant, & animarum & rerum pericula comminantur, misericorditer reformabit. In publicam autem non ambigimus notitiam peruenisse, qualiter ab exordio nascentis ecclesiæ in regno nostro Angliæ progenitorum nostrorum Regum Angliæ, ac procerum & fidelium dicti regni recolenda prioritas propter diuini cultus augmentum construxit ecclesias, & ipsas amplis dotauit impendijs, & priuilegijs communiuit, ponens in eis ministros idoneos, qui fidem catholicam in subiectis sibi linguis & populis feliciter propagarunt, per quam curam & solicitudinem vinea Domini sabaoth in cultu & fructu ibidem mirifice fœcundauit. Sed, quod dolendum est, ipsius vineæ propagines degenerarunt in labruscas, & exterminant eam apri de silua, singularesque feræ depascunt eam, dum per impositiones & prouisiones sedis Apostolicæ, quæ solito grauius inualescunt, ipsum peculium contra piam voluntatem & ordinationem donatorum manus occupant indignorum, & præsertim exterorum, & eius dignitates & beneficia personis conferuntur alienigenis, plerumque nobis suspectis, quæ non resident in dictis beneficijs, & vultus eis commissorum pecorum non agnoscunt, linguam non intelligentes; sed, animarum cura neglecta, velut mercenarij solummodo temporalia lucra quærunt: & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas ecclesiarum, iura depereunt, ruunt ædificia clericorũ, attenuatur deuotio populi Christiani: dicti regni viri magnæ literaturæ & conuersationis honestæ, qui curam animarum possent salubriter peragere, & forent pro nostris publicis consilijs opportuni, studium deserunt propter promotionis ablatam spem, quæ diuinæ scimus non esse placita voluntati; quinimo in graue nostrum & fidelium nostrorum vertitur præiudicium, & graue & inæstimabile periculum. Nisi super hoc citius & consultius caueamus: nam ius patronatus, quod nos & fideles nostri in talibus habemus beneficijs, eneruatur: curia nostra, in qua dumtaxat causæ super iure patronatus dictorum beneficiorum tractari deberent, deluditur: & iura coronæ nostræ regiæ tam probrose tam damnose depereunt, & regni thesaurus ad extraneos, ne dicamus nostros maleuolos, asportatur subtili forsan coniectura, vt regni Angliæ depresso sacerdotio, & eius exhausto thesauro, regnum ipsum reddatur debilius in aduersis. Quæ omnia & singula & alia quæ ex præmissis sequuntur incommoda, fuerunt nuper coram nobis in nostro parlamento generali per communitatem dicti regni palam exposita; vnanimi & feruenti petitione subiuncta, vt prædictis dispendijs, quæ dictæ communitati videntur intolerabilia, occurramus.

Eiusdem aliæ querelæ.

Ab alienigenis sacerdotib. cultum diuinum negligi.

Ius patronatus imminutum.

Exhauriri regnum.

91 Nos autem Anglicanæ depressionem ecclesiæ, & exheredationem coronæ regiæ, ac mala prædicta, quæ sic dissimulata adijcerent verisimiliter grauiora, patulo cernentes intuitu, ad vos successorem Apostolorum Principis (qui ad pascendum non ad tondendum oues dominicas, ad confirmandum non ad deprimendum fratres suos mandatum a Christo suscepit) deferimus votiuis affectibus supplicantes, quatenus de præmissis de iure ponderatis; ac considerando, quod creandi sunt de vico populi magistratus, et iuxta dictum prophetæ, sunt de eodem loco populi vinitores (quod per beatos Apostolos legitur esse factum, dum gentibus viros linguarum suarum notitiam habentes transmiserunt) pensata etiam deuotionis plenitudine, quam domus nostra regia et clerus et populus dicti regni præstiterunt hactenus in obedientia dictæ sedis (propter quod non haberet paternus affectus eius onera et grauamina cumulare) velitis vt pater filijs thesaurizans alleuiare dictarum impositionum et prouisionum ac onerum, iam per sedem Apostolicam inualescentium, grauitatem: permittentes vlterius, vt patroni patronatus sui solatium non amittant, ecclesiæque cathedrales et aliæ dicti regni liberas electiones et earum effectum habeant: quas quidem ecclesias dicti progenitores nostri in singulis vacationibus earundem personis idoneis iure regio conferebant, et postmodum ad rogatum et instantiam dictæ sedis sub certis modis et conditionibus concesserunt, quod electiones fierent in dictis ecclesijs per capitula earundem: quæ concessio fuit per sedem Apostolicam ex certa scientia confirmata. Sed quia contra formam concessionis, et confirmationis prædictarum dicta sedes per retentiones et prouisiones suas dictis capitulis electiones adimit supradictas, & nobis ius & prærogatiuam, quæ iuxta formam dictæ concessionis nobis competunt in hac parte: propter quod iuxta legem regni nostri, ex quo lex posita in concessione non seruatur, regni statutum reuertitur in primæuum.

Postulatũ vt indigenæ præficiantur ecclesijs.

Electiones præsulum celebrandæ in ecclesijs.

Super præmissis itaque dignetur, quæsumus, vestra benignitas ad honorem Dei & salutem animarum, nec non ad tollenda scandala & præiudicia prælibata festinum & salubre temperamentũ apponere, vt nos & nostri qui personam vestram sanctissimam, & sanctam Romanã ecclesiam reue-

reri cupimus vt debemus, cessantibus dictis malis intolerabilibus in paternæ vestræ directionis dulcedine quiescamus, reuirescatq; nostra deuotio per ostensam nobis vestræ moderationis clementiam recreata. Conseruet vos Altissimus ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ per tempora prospera & longæua. *Datum apud Vascon * die III. septemb. anno regni nostri Franciæ IV. regni vero Angliæ XVII. anno Domini* MCCCXLIII. Cum aliquandiu politicorum susurris delinitus Eduardus sua & regiorum administrorum iniqua gesta propugnasset, demum intentato illi & administris a Clemente iudicio, conuictus ecclesiasticum ius ab ipso præter fas opprimi, ne feriretur anathemate, missis oratoribus, veniam petijt, seque pontificijs imperijs ad sarciendas iniurias, quas intulerat clero, subiecit: qua de re inferius.

* al. Vvestmonasterium

92 Interea absoluimus hunc annum pontificio diplomate, quo S. Martialis memoria ab Aquitanis festo duplici recoli iussa est a.

a An. 2. p. 5 ep. cur. 19

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Nos attendentes preclara merita sanctitatis, quibus beatus Martialis Aquitanorum apostolus specialis in ecclesia Dei verbo resplenduit & exemplo, nec non & insignia miracula, quibus ipse, dum adhuc in carne viueret, & etiam post carnis molam depositam claruit, & iugiter clarere dignoscitur; & cupientes eum, quem Dominus glorificauit in cælis, in militanti ecclesia, præsertim partibus Aquitaniæ, cuius incolarum patronus & patrocinator apud Deum specialis existit tum ob hoc, tum quia ad ipsum sanctum almificum specialem deuotionem semper habuimus & habemus, deuotissime honorari; auctoritate apostolica præsentium tenore statuimus, ipsius beati Martialis festum amodo fore duplex, & tanquam apostoli de cætero in tota Aquitania celebrandum; venerabilibus fratribus nostris vniuersis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filijs abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, et alijs ecclesiarum prelatis et rectoribus, ac personis ecclesiasticis quibuscunque, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per ipsam Aquitaniam constitutis, in virtute sanctę obedientię tenore pręsentium districtius iniungentes, vt festum eiusdem beati Martialis, de cętero singulis annis duplex, et tanquam apostoli debeat solemniter honorificentia debita celebrari, vt Altissimus ipsis ex huiusmodi honore, dicto beatissimo sancto in pręsenti seculo exhibendo, ipsius pia intercessione ac meritis ęterna premia, et sempiterna gaudia largiatur. Nulli ergo, etc. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœces. nonas Iulij anno secundo.*

S. Martialis Aquitaniæ apostolus.

Festum duplex ipsius institutum.

IESV CHRISTI

Annus 1344.

CLEMENTIS PP. VI. annus 3. — VAC. IMP. OCCID. 31. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 4.

1 PArta est gemina de hostibus fidei in occidente, et oriente victoria anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo quarto indictione duodecima, atque Smyrna in Asia, in Hispania Algezira Christianæ religioni, pulsa Mahumetica superstitione, restitutę. Ex quo patuit, quam gloriosos triumphos de Saracenis referre, atque amplissima recuperare regna diuino fulti pręsidio potuissēt fideles, si mutuis sopitis dissensionibus arma pro asserenda religione, nomineque Christiano amplificando coniunxissent. Excitarunt porro torpentes Christianos ad circumferenda in Asia triumphalia crucis signa crebræ et atroces Turcarum excursiones, ad quas reprimendas transferendum in Asiam bellum visum est. Sacrum aduersus infideles classicum cecinit Clemens a, propositisque indulgentiarum, adipiscendæque felicis æternitatis præmijs, Christianam iuuentutem e sacro suggestu a præconibus euangelicis ad piam militiam, accepto crucis symbolo proferendam accendi iussit.

Indicta religiosa expeditio in Turcas
a To. 2. ep. secr. 789.

Data inter cæteros Venturino Bergomensi ordinis Predicatorum, sacra eloquentia ad commonendos ad pietatem populos, ac pietatis et virtutum laude conspicuo, de quo superius nobis sermo fuit, ea prouincia in Insubria: ac Ioannes archiepiscopus Mediolanensis et alij suffraganei admoniti, vt cum promptissima in Turcas auxilia contrahere opus esset, Venturino operā commendarent; deque antea indicta a se sacra expeditione ac presulibus superiori anno imposito munere, vt quos pius tuendi Christiani nominis ardor accendisset, sive cruce insignirent, hoc scripsit b: *Ad huiusmodi subsidia fortius & virtuosius ad Dei honorem, ipsorumque consolationem fidelium augenda, sicut expedit, & etiam fulcienda, Christi fideles tam Lombardiæ, quam diuersarum aliarum partium, concessis eis donis spiritualibus, remissionibus videlicet & indulgentijs, per prædicationem verbi crucis viuifica ac assumptionem signi eius prouidimus inuitandos; tibi, frater, tuisque suffraganeis in vestris ciuitatibus & diœcesibus per vos vel alios viros ecclesiasticos idoneos ministerium prædicationis & impositionis dicti signi super humeros illud recipere deuote volentium per nostras certi tenoris literas, sicut in eis continetur plenius, committentes, &c. Dat. Auin. II. non. ianuarij anno I.*

b Eod. ep.

Proposita eam suscepturis noxarum venia.

2 Ad comparandam vero classem Clemens Regem Cypri, Rhodios equites, Venetos, ac Genuenses fœdere coniunxit c, vt triremes certo numero instruerent. Rhodijs equitibus adornandarum sex onus demandatum, ad quos tolerandos sumptus Pontifex Hospitalariorum in Gallia, Anglia, Ibernia, Alamannia, Boemia, Lusitania, Castella, Catalonia, Insubria, ditione ecclesiastica, et Pisana priores ad quartam vectigaliū partem eo deriuandam obstrinxit d. Incubuere Rhodij cęterique aduersus Turcas fœderati ad conflandam classem validissimam, in quam lectissima ex omnibus regnis iuuentus Christianæ cruce distincta concurrit, tum ad Turcas a Gręcia propulsandos, tum ad Armenos aduersus finitimos barbaros defendendos. Pręerat e illi pontificio nomine Henricus patriarcha Constantinopolitanus A. S. L. cui plura egregia facinora fortiter feliciterque confecisse VIII. kal augusti est gratulatus Clemens: bellicā vero rem in classe pontificia Martinus Zacharias Genuensis f locorum peritissimus, rebusq; gestis in Turcas clarissimus, de quo superius mentio est facta curabat. Venetis autem triremibus Petrus Zenus g imperabat. Eminebat h etiam in exercitu Eduardus dominus e Belloioco tum Hugonis Cypri castrorum pręfectus, atque ab Heliono magistro Rhodiorum equitum dati duces pręclari. Sed cum hęc ita ad augendam diuinam gloriam, obterendamque Mahumeticam superstitionem egregie comparata essent, Martinus Zacharias classis pontificię pręfectus, priuati commodi spe delinitus, apparatum belli sacri in suę rei amplificationem conuertere meditatus est, et Chium insulam, quę ab Androni-

Qui principes ad eam fœdere se deuinxerint
c Io. Vill. l. 12. c. 38.
d Tom. 2. ep. secr. 789.
e To. 3. ep. secr. 103.
Præcipui exercitus duces.
f Io. Vill. l. 12. c. 38.
g Id. ib.
h To. 3. ep. secr. 644.

co

co iuniore ipſi proditione erepta fuerat a, ſibi ſubijcere: ſed cum ea res Græcos, qui de repetendo Rom. eccleſiæ gremio agitabant, exaſperatura foret in Latinos, vt proximus immineret terror, ne ij ſe Turcis coniungerent; Pontifex factus certior legatum apoſtolicum monuit b, vt crucesignatos a Græcorum oppugnatione abduceret, & vniuerſos impetus in Turcas effundendos curaret.

Martinus Zachariæ Chium pontificijs armis recuperare molitur.

a Nic. Greg. l. 9.

b M S. arc. Vat. de sub. Græc. &c. pag. 59.

Venerabili fratri Henrico patriarchæ Conſtantinopolitano in partibus tranſmarinis A. S. L.

Inſinuatione percepimus diſplicibili & infeſta, quod licet nos Chriſticolis Romaniæ aliarumque tranſmarinarum partium ſuper afflictionibus, perſecutionibus, & oppreſſionibus, quas a Turchis infidelibus, fidei catholicæ inimicis, paſſi ſunt grauiter hactenus & ſæpius patiuntur, paterno compatientes affectu; pro ipſorum defenſione fidelium, ac repreſſione & expugnatione infidelium prædictorum, certum galearum ſubſidium per nos & eccleſiam Romanam & quoſdam fideles alios ad partes illas procurauerimus, ſicut tua nouit prudentia, deſtinari; te volentes circa præmiſſa ſuperintendere, tibique pareri plenarie in hac parte; tamen dilectus filius nobilis vir Martinus Zachariæ miles, quem velut expertum in talibus & nobis multipliciter commendatum galearum noſtrarum & eccleſiæ capitaneum prouidimus deputandum, non directe ad defenſionem prædictorum fidelium, ſed expugnationem potius inſulæ Chio, quæ dicitur detineri per Græcos, vt eam dictus Martinus ſibi poſſet ſubijcere, ſtolium galearum prædictarum direxit: & nihilominus tam ipſe, quam venerabilis frater noſter archiepiſcopus Thebanus, tuus delegatus ſeu commiſſarius, dilectum filium magiſtrum hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani & Cyprenſes etiam requiſiuerunt inſtanter, vt ad hoc ſuas galeas deſtinarent, eoſdem Cyprenſes ad id prælatus archiepiſcopus per excommunicationis ſententias compellendo. Ex quibus ſequitur, vt eadem inſinuatio ſubiungebat, quod Græci, qui ex miſſione galearum prædictarum Turchos prædictos, ſuos vtique perſecutores & hoſtes debilitari ſperabant, & ad ſe reuniendos cum eccleſia ſancta catholica diſponebant, videntes contra ſe prædictarum dirigi ſtolium galearum; & quod ad vtilitatem publicam, defenſionem videlicet fidelium & expugnationem Turchorum infidelium * ad commodum priuatum conuerti; a ſuo propoſito reunionis huiuſmodi tepeſcendo, tractant de confœderatione cum Turchis facienda prædictis: quod ſi verum eſſet, in detrimentum fidei eiuſdem catholicæ ac dilatationem ſectæ damnatæ Machometi perfidi, quod miſericordiarum auertat Dominus, redundaret.

A legato fit ea de re certior Pont.

Quid ex eo immineat periculi.

*deſtinatum erat,

Ideoque tu frater, de cuius circumſpecta prudentia & fidelitate plenius in Domino confidimus, taliter ſuper præmiſſis & ea tangentibus celeriter, vt expedit, ſtudeas prouidere, quod ceſſantibus dictis periculis & incommodis, per aliqua cum eiſdem galeis facienda noſtræ intentioni principali (quæ pie fertur circa defenſionem fidelium ac repreſſionem & expugnationem infidelium) nullatenus obuietur, &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſis* XIIII. *kal. octobris anno* II.

Diſcuti id conſilium iubet Pōt.

3 *Diſcuſſa* tum ſunt legati pontificij ſtudio Martini Zachariæ conſilia, quamuis poſtea Simon Vignoſius Genuenſi nomini Chium pepererit c; ex quo bellorum ſemina pullularunt. Vertere autem crucesignati in Aſiam arma, ac Smyrnam vrbem munitiſſimam, ex qua erumpebat hoſtis in fideles, expugnandam ſuſceperunt: tantoque impetu & ardore Chriſtiana claſſis in portum inuecta eſt, vt illo breui ſit potita a, victo Marbaſſano b infidelium principe, qui in eo cum validis copiis verſabatur; & crebris impreſſionibus in arcem repetitis, die Apoſtolis Simoni & Iudæ ſacra, Smyrna in crucesignatorum poteſtatē venerit. Edita eſt maxima barbarorum cædes, atque adeo ſæuitum, vt nullo ætatis ſexuſue diſcrimine fœminæ infanteſque ferro inhumane conciſi ſint. De relata porro victoria certior factus Pontifex ab Andrea Dandalo duce Venetorum fœderato, ad quem magna pars gloriæ ob nauatam in ornanda claſſe diligentiam ſpectabat, cum illo reportati triumphi lætitiam hiſce literis communicauit c.

c B. Lat. hiſt. Gen. l. 6.

Verſa in Turcas arma. Smyrna expugnata a crucesignatis.

a Io. Vill. ſuper c. 38

b To. 3 ep. ſecr. 612.

c Ibid. ep. ſecr. 605.

Dilecto filio nobili viro Andreæ Dandalo duci Venetiarum.

Auditis & intellectis per tuas literas, nuper noſtro apoſtolatui præſentatas, felicibus & lætabundis rumoribus de illa glorioſa victoria, quam ſuper ereptione de manibus Turcorum infidelium & hoſtium fidei Chriſtianæ, ac captione triumphali & victorioſa illius caſtri de Smyrnis fortiſſimi & inſignis cum portu maris & fortalitijs proſtrationeque gentis nationis eorundem Turcorum fœtidæ, quæ habitabat ſeu erat ibidem, ſicut literæ ipſæ deſcribunt plenius, in feſto beatorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ proximo præterito ille Rex excelſus & potens, qui omnia palmo concludens cœleſtia ſimul & terrena ſua omnipotentia moderatur, per miniſterium venerabilis fratris noſtri Henrici patriarchæ Conſtantinopolitani A. S. L. cum noſtris ac tuis & dilectorum filiorum magiſtri & fratrum hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani galeis ad partes illas propterea dudum miſſis, & earum apparatibus, virorum videlicet ſtrenuorum catholicorum in eis exiſtentium, ſua clementia contulit populo Chriſtiano; cor noſtrum exultauit in Domino, & ei pro tanto gratiarum munere non ceſſauimus nec ceſſamus vitulum exoluere labiorum; nobilitatem tuam ſuper nunciatis nobis celeriter eiſdem gaudioſis rumoribus cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, & nihilominus attente rogantes eandem, quatenus quæ ad tuam vlterius de illis partibus deducta notitiam fuerint, nobis nunciare quantocius tuæ circumſpectionis prudentia non omittat. *Dat. Auin.* II. *kal. ianuarij anno* III.

Quo die parta victoria.

Actæ Deo gratiæ.

4 De ſubacta Smyrna Pontifex Chriſtianos Reges certiores fecit, vt ipſos in ſacri belli ſocietatem pelliceret, atque inter cæteros ad Philippum Regem Francorum d, Ioannam Reginam e, atque eorum maiorem natu filium Ioannem ducem Normanniæ f ſcripſit extremo anno. Sequenti vero ineunte, cum orator ex Aſia ad Eduardum, vt illi victoriæ clariſſimæ ſeriem exponeret, acceſſurus eſſet, Clemens de eodem ſacro bello pluribus cum ipſo literis diſſeruit, vt ob continuas Turcarum in Chriſtianos excurſiones ad coercendam illorum immanitatem ſacrum fœdus cum nonnullis principibus pepigiſſet; vtque, poſt obtritos varijs tumultuarijs prælijs hoſtes, Smyrna vrbs munitiſſima comparata ſit, ac magnis operibus firmetur, quo inde ad proferendas latius in Aſiam victorias fideles excurrant; repurgata Mahometanorum templa, rituque eccleſia-

d Ib. ep. ſecr. 606.

e Ep. 607.

f Ep. 608.

Sollicitat Eduardum vt arma in Turcas vertat.

stice consecrata: se quidem solemnibus instructis supplicationibus grates diuino Numini egisse; denique vt Eduardum rei Christianæ perturbatorem ad vertenda pro Christo in Turcas arma flecteret, ad pacis consilia cum Rege Francorum, eaque bella gerenda, quibus immortalem coronam adipisceretur, est adhortatus, a

a Tod. to. 3. ep. secr. 718 ext. etiam in super M.S arch. Vat. de reb. transmar. pag 63.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Pontificie ad eum hac de re lite.

Dudum afflictionibus varijs, & diris oppressionibus, quibus illi hostes ferocissimi, Turchi videlicet persecutores & blasphemi nominis Christiani persecuti fuerant immaniter, & persequi continue non cessabant fideles Christi eius precioso redemptos sanguine, in Romaniæ ac partibus alijs transmarinis circumadiacentium regionum degentes, auxijs relatibus sæpius repetitis, non sine vehementi dolore cordis auditis, paternæ pietatis & compassionis viscera nequiuimus continere, quo minus eisdem Christicolis, qui ab eisdem Turchis tam per terram quam per mare hostiliter aggrediebantur quasi continue, spoliabantur, vulnerabantur, interficiebantur, & nonnulli vtriusque sexus sub captiuitate Turcorum ipsorum miserabili vendebantur vt pecudes, & ad abnegationem fidei catholicæ, proh dolor! cogebantur; prouidere de succursu aliquo & defensione contra tam abominabilem & ignominiosam toti Christianitati sæuitiam curaremus. Quamobrem manus, sub diuinæ miserationis auxilio ponentes ad fortia tam per nos, quam charissimum in Christo filium nostrum.. Regem Cypri illustrem, ac dilectos filios .. magistrum & fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani .. ducem & commune Venetiarum, & quosdam fideles alios, certum galearum, hominibus armigeris & alijs rebus necessarijs sufficienter munitarum, numerum ad partes illas pro succursu & defensione prædictorum fideliũ, & repressione hostiũ, sub principali gubernatione ac regimine venerabilis fratris nostri Henrici patriarchæ Constantinopolitani Apostolicæ sedis in partibus illis legati ordinauimus destinandum.

Vt repressæ sint excursiones Turcarũ,

5 Et licet armata stolij hujusmodi cum nonnullis fidelibus, in auxilium Christianorum & conculcationem dictorum infidelium illuc feruore deuotionis fidei accedentibus, multum represserit crudelitatem & sæuitiam hostium eorundem; tamen his diebus præteritis diuina clementia, quæ nunquam cessat in suis fidelibus, & spem suam in ea figentibus a benedictionibus gratiarum, suæ dexteræ potentiam vberius extendente, præfatus patriarcha cum eodem stolio & multis vitis fidelibus strenuis, eiusdem zelo fidei orthodoxæ accensis, ad ciuitatem Smyrnæ, locum vtique fortissimum & portum maris habentem optimum, in quibus prædictorum Turcorum gens nationis fœtidæ specialiter, sicut intelleximus, spem suæ feritatis ponebat, & inde maiora damna intulerant, & inferre poterant fidelibus antedictis, accessit. Et quamquam ciuitas ipsa intra & extra cum portu prædicto munita esset innumera multitudine paganorum, inter quos erat Marbaxanus dux & rector magnus ipsorum; felix tamen Christianorum exercitus, in quo pauci erant respectu multitudinis infidelium prædictorum, in virtute illius, a quo est omnis virtus & victoria, intrepide contra paganorum exercitum ac fortiter & strenue irruens, post conflictus aliquos, eisdem deuictis gloriosæ fidei hostibus, ciuitatem eandem cum portu & fortalitijs suis posuit diuina prouidentia, quæ in sui dispositione non fallitur, in manibus populi Christiani: dictusque patriarcha, eliminata exinde paganici erroris spurcitia, facit ibidem ad laudem & gloriam diuini nominis, exaltationem catholicæ fidei, & consolationem eiusdem populi Christiani diuina officia celebrari, ac fortificari & muniri ciuitatem eandem, vt fideles, qui ad acquirendas terras paganorum partium earundem & sub cultu orthodoxæ fidei reducendas, laborare pro suarum animarum salute voluerint, ad ipsam ciuitatem & portum ipsius applicandi, solidum & optimum valeant reclinatorium reperire.

Diuinum Christianis auxilium affuit.

Smyrna belli sacri arx designata.

6 Nos autem tam per literas eiusdem patriarchæ, quam aliorum fide dignorum, nec non & quorundam exinde venientium relatibus, huiusmodi victoria triumphali, quam de sede suæ magnitudinis dedit Altissimus, cum ingenti lætitia plenius intellecta, tantorum collatori donorum, in humilitate spiritus exoluere curauimus vitulum labiorum, & tam per processiones quam sermones ad clerum & populum laudes fecimus solemniter Domino decantari.

Porro de huiusmodi victoria dilectus filius nobilis vir Ioannes Bonde domicellus de partibus illis veniens, & ad tuæ regalis excellentiæ præsentiam se conferens, qui præsens in ea extitit & super gestis per eum inibi laudabilibus multipliciter commendatur, eandem excellentiam efficere viua voce poterit plenius certiorem.

Adhortatio Pont. ad Eduardum.

Rogamus itaque serenitatem regiam, & attentius in Domino exhortamur, quatenus quæ, quanta, & qualia principes catholici ad eiusdem dilatationem fidei, ac suæ salutis & honoris augumentum possent agere his temporibus, si guerris & dissensionibus suis cessantibus, intendere circa talia procurarent, considéranter attendens, tu fili charissime, quem ad talia & similia inter cæteros principes catholicos orbis terræ aptum, conuenientem, & idoneum reputamus, ad vias pacificas super guerris tuis animum regium dirigas, habilites effectualiter, et inclines, vt in ijs, quæ Dei sunt, tuisque honori et saluti congruunt, intendere, sicut desideranter affectamus, sicque vires tuæ fortitudinis valeas exercere, quod post cursum vitæ præsentis de regno temporali, quod obtines, coronam regni merearis accipere sempiterni. *Dat. Auin. kal. februarij anno III.*

Hæc insequenti anno Pontifex scribebat. Sunt etiam de Smyrna expugnata gratulatoriæ a ad Henricum patriarcham Constantinopolitanum cuius virtus in hoc bello enituerat, literæ. Tum ad Humbertum delphinum Viennensem b, tum ad Mariam c dominam de Belloioco, cuius virum Eduardum præclara explicuisse facinora scribit, atque ad ferendam illius absentiam hortatur: in quibus literis traditur eundem patriarcham Clementis et ecclesiæ Romanæ nomine Smyrnam obtinere: atq; illi a Pōtificibus præfectos impositos visuri sumus: quod gestum est, ne fideles ex inuidia mutuis dissensionibus, si vni addiceretur genti distraherentur.

a To. 3 ep. secr. 720.
b Ep. 632.
c Ep. 644.

7 Dum feritas Turcarum comprimebatur, Saraceni Syri ac finitimi Armenos afflixere d: implorantibusque his auxilia, Clemens Patriarchæ imperia VI. id. septemb. dedit e, vt Guidoni Regi Armeniæ nauali exercitu opem contra barbaros ferret. Guido enim adeptus Armenorum sceptrum oratores ad Clementem miserat, atque plu-

Armenia a Saracenis vexata
d Ep. 263.
e Ep. 264.
Guido Armeniæ Rex.

plurimis verborum officijs eximium suum in sedem Apostolicam studium explicuerat, deque orthodoxa fide cum Romana ecclesia recte sentire erat professus. Cui Clemens, collaudata eius pietate, beneuolentiam apostolicam pollicitus, ipsum est adhortatus a, vt gliscentes apud Armenos errores fœdissimos regia opera excinderet.

Mittit oratores ad Pont.

a To. 3. ep. secr. 273.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Guidoni Regi Armeniæ illustri.

Quamuis, fili charissime, tam ex propositis per ambassiatores et nuncios, quam aliorum fidedignorum relatibus comperimus nimium displicenter, quod per nonnullos Armenos contra veritatem fidei catholicæ, quam ad salutem docet, tenet, et prædicat sacrosancta Romana ecclesia mater omnium fidelium et magistra, fouentur, tenentur, et docentur in aliquibus articulis execrandi et detestandi errores in aliquibus partibus dicti regni; speramus tamen, quod tu, fili dilectissime, qui sicut lætanter admodum intelleximus, velut princeps Christianissimus et eiusdem fidei splendore præfulgidus ad eam colendam et dilatandam studijs deuotis et feruentibus te impendis, ad tollendos, et radicitus extirpandos huiusmodi et quosuis errores alios, obnubilantes claritatem eiusdem fidei, de medio fidelium dicti regni, operosis tibique apud Deum non parum meritorijs solicitudinibus effectualiter laborabis.

Monetur de abolendis hæresibus, quæ apud Armenos inualescunt.

Ex quo quidem, si hoc vt desideranter optamus, et efficaciter petimus feceris, proculdubio tuus et regni tui prædicti status continuis prosperabitur successibus: et ecclesia, quæ sic cum fide ipsa communionem habet indiuisibilem, quod vna in honore non habita nequit altera honorari, nec derogatur quomodolibet fidei, quo minus ecclesiæ detrahatur, tibi tanquam prædilectissimo filio intra ipsius ecclesiæ brachia dulciter recumbenti, aderit quantum poterit consilijs, auxilijs, et fauoribus opportunis: et nihilominus ex his et alijs tuis meritorijs operibus, quibus assistente tibi gratia illius, qui dat regnare principibus, vt in Domino confidimus insudabis, post coronam regni temporalis, quod obtines, coronam perennem et immarcessibilem regni consequeris sempiterni. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis III. id. septembris anno III.*

8 Insuderant b simplicibus Christianis in Armenia maiori, Perside, et vastissimo illo orientis tractu nonnulli hypocritæ ex Fraticellorum, vt argumento est, secta quam Cœlestini V. temporibus emersisse vidimus, nequissimum illum inter ceteros errorem, sanctitatem omnem in ecclesia Romana interijsse, nec superiorum temporum Pontifices, vt Clementem V. Ioannem, ac Benedictum nonnullosque alios Clementis VI. antecessores instructos cœlitus auctoritate ad soluendum ligandumue fuisse: sed omnem in sacris ac diuinis potestatem in ipsos transfusam. Quod cum accepisset Clemens, Armenos, Persas, aliosque transmarinos orientales ecclesiasticos, ecclesiæ Romanæ coniunctos, hortatus est c, vt canonicis legibus in eos, ac sentientes cum ipsis animaduerterent.

b To. 3. ep. secr. 52.

Fraticelli in oriente grassati.

c Ead. ep. quæ extat & in sup. M. S. de reb. transmarin. pag. 57.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filijs electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, & alijs ecclesiarum prælatis & rectoribus, cæterisque personis religiosis & secularibus in Armenia maiori imperij Persidis, & alijs orientalibus, ac vltramarinis partibus constitutis, fidei catholicæ professoribus.

Habet fidedigna multorum, licet displicibilis admodum & infesta relatio, quod nonnulli pseudoreligiosi, sub pelle ouina voracitatem gerentes lupinam, in Armenia maiori imperij Persidis, & alijs orientalibus & vltramarinis partibus (vbi populus, qui olim inueterati schismatis fermento infectus, & alijs erroribus inuolutus nunc gratia illius, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat faciente, per prædicationes religiosorum & aliorum catholicorum virorum, reiecto schismate huiusmodi, & erroribus profugatis, viam veritatis agnoscit, & in vnitate fidei catholicæ, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ deuotione consistit) fideles partium earundem, & maxime personas simplices, per falsas, erroneas, & hæreticales prædicationes, & persuasiones dolosas, a via veritatis huiusmodi, quæ ducit ad vitam æternam, deuiare & secum ad præcipitium damnationis perennis trahere satagentes, inter ceteros errores & hæreses huiusmodi, quibus fideles eosdem subuertere, sicut præmittitur, moliuntur, falso & hæreticali modo asserere et dogmatizare dicuntur, eandem Romanam ecclesiam nõ esse sanctam, nec felicis recordationis Clementem V. Ioannem XXII. & Benedictum XII. quosdamque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros fuisse veros pastores ecclesiæ, nec valere quæ facta fuerunt per ipsos; sed quod principalis auctoritas in paucis religiosis remansit. Quæ quidem hæreticales et falsæ præsumptiones horrorem in cordibus audientium generant, et exinde vniuersa congregatio fidelium, quæ ipsam Romanam ecclesiam, tanquam matrem omnium et magistram, catholicam, vnicam et sanctam; præfatosque Romanos Pontifices veros pastores Christi vicarios, et patres vniuersalis ecclesiæ et fidelium omnium extitisse, religione catholica profitetur, non modicum conturbatur.

Apostolicæ ea de re literæ.

Infandæ illorum imposturæ

Cum autem prædicti venenosi et mortiferi errores, et hæreses sint a cunctis Christi fidelibus radicitus, ne in perniciosam possint crescere segetem, extirpandi, et dogmatizatores eorum tanquam falsi hæretici, et inimici fidei orthodoxæ persequendi, et pœnis debitæ vltionis plectendi; vniuersitatem vestram requirimus, et in Domino attentius exhortamur, vobis per apostolica scripta nihilominus districtius iniungendo mandantes, quatenus tanquam veri eiusdem orthodoxæ fidei zelatores, aduersus falsos et proditores religiosos prædictos, aduersarios ipsius fidei, et cunctorum professorum eiusdem persecutores et hostes potenter et viriliter exurgentes, ipsos aut quosuis fautores, defensores, et adiutores eorum non recipiatis, nec ministretis eisdem quæcumque necessaria, seu consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet impendatis, nec ab alijs, quantum in vobis fuerit, recipi, ministrari necessaria, seu auxilium, consilium, vel fauorem præstari quomodolibet permittatis: sed vos, fratres archiepiscopi et episcopi, per vos et alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, eos solerter, et fideliter perquirentes, vbicumque reperti fuerint, si, prout, et quando opportune fieri poterit capiatis, et carceribus mancipetis, ipsosque secundum statuta canonum corrigatis, et etiam puniatis, inuocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachij secularis, etc. *Dat. Auin. IV. kal. iunij anno III.*

Moniti Christiani vt ab ijs caueant.

9 Seruandæ incorruptæ religionis zelo Pontifex

Neophyti hæretici in Sicilia. a Eod. to. 3. ep. secr. 321.

sex Aymerico tit. S. Martini presbytero Cardinali Apostolicę sedis in Sicilia citeriore legato partes imposuit a, vt quosdam hęreticos dictos Neophytos in ius vocatos meritis pœnis afficeret. Nec desuit censoribus fidei. Grassabantur a in Tolosana prouincia nonnulli Vualdenses, in quos cum Ioanne ę Molendino ordinis Pręd icatorum fidei censor legibus agere constituisset, illi vt merito se supplicio subducerent, pars in Benearniam Fuxensi comiti obnoxiam b, pars in Aragoniam diffugere. Quo vero de fontibus pœnę sumerentur, neue latius spargerentur venena, Clemens Arnaldo episcopo Pampilonensi dedit imperia c, vt ad Vualdensium lue respersos comprehendendos operam inquisitori nauaret: tum Petrum Regem Aragonum excitauit d, vt regia potentia ad huiusmodi hęreticos vinculis mancipandos eundem causarum fidei cognitorem fulciret, ac pietatem maiorum æmularetur.

b Id. ib. ep. secr. 140. c Ead. ep. 140. Vualdenses quęsiti ad supplicium. d Ib. ep. secr. 538.

Similiter solicitati sunt e Aragonij archiepiscopi, inferiorisque dignitatis ecclesiastici, tum prouinciarum præfecti, magistratus vrbium, ac proceres potentia & auctoritate conspicui, vt fugitiuos hæreticos insectarentur. In Insubria nonnulli a fidei cēsoribus crimine hæreseos postulati, cum supplicio affecti essent, eorum bona fisco addicta, corporaq; adhuc iacerent insepulta; ac percrebuisset rumor iniusta nece affectos, & in extremo vitæ actu pœnitentiæ Christianæ signa dedisse, indeque concitati in prouincia ingentes motus fuissent; Luchinus, qui imperij Romanæ ecclesię auctoritate interregni tempore vicariam præfecturam gerebat, quidamque alij Clementem rogarunt, vt necatorum causam discuti iuberet. Pontifex itaq; Bertrādo tit. S. Marci & Guillelmo tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyteris Cardinalibus munus iniunxit f, vt acta publica in eos edita, ac sententiæ latę ęquitatem ad examen reuocarent.

e Ib. ep. 539. Acerbe actum in Insubria contra suspectos de hæresi. Concitati inde motus. f Ep. 519.

Hoc anno agitatum a Clemente est de Ludouico Bauaro ab hæresi ad ecclesiæ obsequia reuocando, missusque g ea de causa VI. kal. martij Guido de Calma ad Philippum Regem Francorum, vt cum ipso rem tractaret ac Ioannam h Reginam & Ioannem ducem Normanniæ, vt eundem Guidonem commendatum haberent pro tractatu Ludouici promouendo, rogauit. Pollicitum enim Gallum Bauaro operam se nauaturum, in Benedicti extremo pontificatu vidimus. Cumque Bauaro dies constituta, ad quam supplex ad ecclesiæ gremium redire iubebatur, extracta esset i ad recurrentem natalem Deiparæ diem; Pontifex Carolum marchionem Morauiæ Ioannis Regis Boemiæ filium, de quo ad imperium euehendo agitabatur, certiorem XVI. kal. iulij fecit.

De conciliando Lud. Bau. agitur. g To. 2. ep. secr. 749. & ep. 752. h To. 2. ep. secr. 572. i To. 3. ep. secr. 55.

10 Lapsis autem ab ea sacra celebritate aliquot diebus, Ludouicus Bauarus, plenas officijs literas ad Clementem misit, ac paratum se professus est, vt ad ecclesiæ obsequium rediret: rogauitque Pontificem, vt ad felicem exitum tractatum perduceret, pollicitus oratores ad sedem Apostolicam mox decretum iri. Conceptæ sunt subiectis verbis eæ literæ, quas inter vetera monumenta Vallicellanæ bibliothecæ reperi.

l Ext. in schedis bibl. Vall.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo domino Clementi, &c. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus &c. recommendationem, & deuota pedum oscula beatorum.

Ludouici ad Pont. literæ

Sanctitati vestræ quamplurimum reuerendæ notum fieri cupimus per præsentes, quod auditis ijs & intellectis, quæ Cal.. de Iadech de affectione & beneuolentia sanctitatis vestræ in negotio nostræ reconciliationis plene retulit viua voce, cui tanquam personæ fide dignæ credidimus in dicēdis, etiam inter cætera corporis nostri viscera ad gaudium sunt commota. Sicut filius tenellus aspirat ad vbera matris, ita desiderat anima nostra redire ad gratiam vestræ sanctitatis, ac sacræ Romanæ ecclesię, quam recognoscimus matrem fidelium a Domino consecratam. Scimus enim, quod si mediante vestræ sanctitatis gratia negotium nostræ reconciliationis, vt speramus, ad finem laudabilem perducatur, leuiathan ille, qui nititur scindere vnionem & seminare discordias, confusus superabitur, cessabit omnis materia scandali, quæ heu in vniuerso mundo propter discordiam est suborta, nec est possibile linguis hominum loqui vel intellectu humano imaginari bona, quæ ex hoc euenirent verisimiliter in futurum.

Nouerit ergo sanctitas vestra, quod diuina gratia spirante, & etiam moti ex verbis & persuasionibus præpositi supradicti, tantam de sanctitate vestra concepimus confidentiam, quod non solum nobis per ipsum expressatis, sed etiam quibuscumque circa personam, statum, & libertates nostras agendis stare volumus ordinationi & dispositioni sanctitatis vestræ, & a vestra voluntate nullatenus resilire: & ab isto nostro proposito auerti non possumus, immo etiam omnia complere intendimus, & ad effectum perducere, Deo dante. Supplicamus etiam sanctitati vestræ, quatenus æmulorum nostrorum falsa suggestione remota, in bono & sancto proposito dignemini permanere, & negotium reconciliationis nostræ fine celeri & laudabiliter consummare: ad quod tractandum, & etiam finiendum, statim post latorem præsentium nuntios & procuratores nostros cum procuratorio sufficienti, secundum informationem præpositi antedicti, sanctitati vestræ transmittemus, de intentione cordis nostri plenius informatos. Insuper petimus, vt sanctitas vestra præposito præfato in dicendis nostrum ex parte fidem & credentiam dignemini adhibere. *Dat. in oppido nostro Landeshut* XX. *die mensis septembris.*

Se itaque illi subiicit.

11 Misit etiam alias ad collegium Cardinalium literas, quibus præfatus redundasse iam ante grauissima in ecclesiam mala, ex ipsius & Ioannis XXII. dissensione, vereodumque ne alia orirentur, addit decreuisse se suosque apices Pontificis voluntati omnino Christiana demissione committere.

Venerabilibus in Christo patribus & dominis Cardinalibus, totique collegio eorundem, Ludouicus Dei gratia, &c. voluntatem & beneuolentiam in omnibus complacendi.

Quanta præteritis temporibus ex discordia iamdudum inter felicis recordationis Ioannem Papam & nos, proh dolor! inchoata, scandala & pericula euenerint, & nisi apponatur remedium, maiora verisimiliter prouenient in futurum, vestræ reuerentiæ incognitum non existit. Sed quia ad officium nostrum tanquam illorum, qui post sanctissimum in Christo patrem dominum nostrum Clementem VI. ad curam & salutem omnium Christi fidelium dispositione diuina principalius sunt vocati, specialiter pertinet talibus periculis obuiare; ideo ad vos recurrimus confidenter, petentes humiliter & deuote, quatenus in isto salubri reconciliationis negotio velitis in-

Eiusdem ad Card. literæ.

ter-

terponere partes vestras; pro certo sciturі, quod in omnibus & per omnia cum integra humiliatione & deuotione sanctæ Romanæ ecclesiæ nos intendimus conformare. In quibuscumque circa personam & statum nostrum agendis stare volumus ordinationi & dispositioni sanctissimi patris & domini nostri supradicti, & sibi in omnibus humiliter obedire. *Dat. in oppido nostro Landesbue die sabbati quatuor temporum.* Accessisse ad sedem Apostolicam Ludouici oratores, atque illius nomine in Cardinalium consistorio Pontifici se submisisse, ex literis Clementis Papæ ad Albertum ducem Austriæ datis a colligitur.

a Ib. ep. secr. 545.

12 Miserat Albertus oratores Pontifici, vt suum in Apostolicam sedem studium explicaret, ac nonnulla de conciliando ecclesiæ Ludouico adiecerat. Cui Clemens, quanto illius ad fidelium communionem adducendi desiderio teneretur, subiectis verbis significauit b: *Tuam volumus prudentiam non latere, quod nos abhorrentes periculum innumerabilium animarum, cui propter factum eiusdem Ludouici subijciuntur, proh dolor! & earum salutem affectione paterna zelantes; & attendentes statum ipsius Ludouici miserabilem sibi & posteritati sua, nisi sibi sistenet super eo salubriter consulere, dispendiosum & opprobriosum, excidium comminantem, attente desiderauimus, & adhuc desideramus feruenter, quod ipse apertis rationis oculis, relictis suis deuijs, ad mortem æternam & perpetuam confusionem ducentibus, rediret ad viam veritatis, & iustitia gressus suos: quia nos, quantum cum Deo & iustitia, ac honore sanctæ matris ecclesiæ fieri posset & poterit, parati fuimus & adhuc sumus eum benigne recipere paternis & charitatiuis amplexibus, si ad hoc, vt debet, se disposuerit, ipsumque ad ouile reducere dominicum, extra quod non est alicui gratia neque salus. Porro te, fili, nolumus ignorare, quod post submissionem per suos procuratores & nuncios dudum in consistorio publico in nos factam, venerunt ad nostram præsentiam ij diebus præteritis nuncij Ludouici prædicti, qui super certis actis nobiscum de nostro beneplacito redeuntes ad ipsum, ad eandem nostram præsentiam, sicut credimus, sunt venturi; sperantes in eo, qui gressus hominum dirigit, inchoare processum prosperum super negotio præhabito, &c.* Albertum hortatur, vt operam suam in re perficienda collocet. *Dat. Auin. III. id. decembris an. III.*

b Ead. ep.

Lud. Bau. præ se fert resipiscentiæ speciẽ.

Resilit a cœptis.

13 Solui non meruit censuris Ludouicus, quippe qui priora cum Pontifice & Cardinalibus gesta contrarijs factis mox, vti solitus erat, corrupit: quocirca ad Clemens Humbertũ delphinũ Viennensem, reconciliationis illius cupidissimum XVIII. kal. februarias ineuntis sequentis anni scripsit c, iam diu se consueta mansuetudine Ludouicum linguis, vt ait, loquentem varijs, nimirum assidue secum pugnantem expectasse, vt fidelium communioni restitueret, atque etiam redituros oratores ipsius, recurrente sacro purificatæ Deiparæ die operiri; eoque temporis spatio euoluto deliberaturum, an ad Bauarum ipse delphinus se conferre debeat. Cæterum flagitasse Ludouicum, vt Pontifex illi ad expianda præterita scelera subeundarum pœnarum capita, atque alias ad reconciliationem necessarias leges præscriberet, ferunt historici d: quæ etiam in superioribus ad Albertum ducem Austriæ literis exhibitæ submissionis & actorum nomine haud obscure indicantur. Sed Ludouicum ijs non assensisse, atque in pristina animi duritia perstitisse docuit exitus.

c Eod. to. 3. ep. secr. 632.

d Rebdorf. in annal. Alb. Arg. in chron. & alij. Kiusiaco stanua.

14 Agit de his Albertus Argentinensis a, narrationemque ad Ludouici Bauari commendationem, sugillationem vero Romani Pontificis concinnat: *Missus*, inquit, *per principem literis & nuncijs ad curiam & ad Francum ad sciscitandum causam impedimenti reformationis, cum ipse paratus esset omnia facere, quæ sibi iniungerentur a Papa; datoque responso per Francum, quod diceretur per Papam, quod non peteret eo modo gratiam, quo deberet.* Non id absque causa dictum, non enim sufficerat Ludouicum profiteri, se suaque Pontifici committere, vt rite culpas expiaret: sed oportebat, vt damnaret potissimum promulgatas iam ante ipsius edictis hæreses, de quibus suis locis meminrauimus; tum quæ in arroganda sibi renuntiandi exauctorandique Pontificis auctoritate, inuadendaque soluendasum legum canonicarum de coniugijs potestate attentauerat: atque ideo ad promerendam ecclesiæ gratiam formula, vt poscebat rei necessitas, proposita est, quam memoratus Albertus carpit velut turpissimam & acerbissimam. Sed ipse potius perpendere debuerat, illum esse Christianæ demissionis triumphum, si ingenue recenseat damnetque scelera, quæ abolere flagitarit; & quidquid in ea confessione acerbitatis fuerit, pietatis suauitate temperatam colliquescere in cælestes delitias. Pœnitenti tum Francisco b Asculano, quem visa Michaelis Cæsenatis hæresiarchæ in extremo vitæ actu conuersione, resipuisse ferunt c quique ad pseudominoritarum confirmandam hæresim doctrina & ingenio abusus fuerat, hæc poscendæ veniæ formula porrecta est.

a Argent. in chron.

Francisc. Asculan. pœnitens.

b To. 3. ep. secr. 58.

c Luc. Vvadin. annal. to. 3. an. 1344. n. 6.

Ego frater Franciscus de Asculo ordinis Minorum, recognoscens veram catholicam & apostolicam fidem, fateor me illam fidem firmiter credere & tenere, quam sacrosancta Romana ecclesia, quæ mater est omnium fidelium & magistra, tenuit & docuit, tenet & docet; & quam sanctissimus in Christo pater dominus Clemens Papa VI. cum sacro collegio Cardinalium tenet & docet. Et præcipue credo & teneo, cum etiam scriptura sacra in plerisque locis hoc asserat, Redemptorem nostrum & dominum nostrum Iesum Christum eiusque Apostolos nonnulla habuisse; & quod asserere pertinaciter, quod Christus et Apostoli nihil habuerint in proprio vel communi, est erroneum & hæreticum: & quod Christus ac eius Apostoli habuerunt in rebus, quibus vsi sunt, ius vtendi, & faciendi ea, quæ scriptura sacra testatur eos fecisse: & quod vsus non possit esse iustus absque omni iure vtendi: & quod in præmissis felicis recordationis Ioannes Papa XXII. recte & catholice definiuit in constitutione sua, quæ incipit: Cum inter nonnullos; quam reputo catholicam, & contrarium tenere post decretalem & eius publicationem pertinaciter ore & corde & profiteor, prout ipse in dicta constitutione declarauit, erroneam & hæreticum fore. Et doleo & me pœnitet, quod unquam aliquid scripserim vel fecerim contra ipsam, & specialiter de verbis excessiuis, quæ credens zelare pro ordine meo aduersus præfatum dominum Ioannem scripsi, dixi, vel feci. Et peto veniam, gratiam, vel misericordiam de præmissis. Et confiteor dictum dominum Ioannem toto tempore, quo regimini vniuersalis ecclesiæ præfuit, verum & catholicum Papam fuisse, & ipsum catholice, & vt verum & fidelem Christianum vixisse & obijsse. Et hanc meam fidei breuem confessionem & annotationem iuro, & suppono correctioni & emendationi, ac supple-

Proposita illi ad poscendam veniam formula.

Ioannem XXII. verum fuisse Pontificẽ profitetur.

tio-

tioni eiusdem sanctissimi patris & domini nostri Papa Clementis VI. Secutum eriam poltea huius exemplum Ochamum, qui ad Ludonici gratiam plura scripsit, visuri sumus.

Italia ob interregnum a Pont. administrata.

15 Interea imperij iusto principe viduati administrationem gerebat in Italia Clemens, ac Ioannes episcopus Nouariensis & Luchinus Vicecomites acceptæ beneficio sedis Apostolicæ Medinlani, Placentiæ, Laudæ, Cremæ, & Caranacij, vicariæ præfecturæ nomine decem millium aureorum censum annuum pontificio ærario, sacro Petri & Pauli Apostolorum die intulere a. Mastinus vero & Albertus Scaligeri Veronæ & Vicentiæ vicarij ac vectigales erant constituti b; Opizo Atestinus marchio præfecturam Ferrariæ, quæ ecclesiasticæ ditionis erat, ad decennium imposito decem millium aureorum censu obtinebat c. Hi autem atque alij principes cum ambitione proferendorum finium, augendæque potentiæ efferrentur, Italiam turbarunt, cui pacandæ operam Clementem nauasse plures ostendunt literæ. d

a To. 3. ep. secr. 202.

b Ib. ep. 176.

c Ep. 191.

Ciuiles in ea motus.

d Ibid. ep. secr. 124.

Andreas regio nomine donatus.

16 Insignierat Andream Clemens ineunte anno Siculo fastigio, ac nomen inunctionemque regiam e Cardinalium consilio decreuerat. Rem promouerant apud Pontificem, missis amplissimis oratoribus, Ludonicus Vngariæ Rex ipsius frater, atque Elisabeta Regina illius mater, tum etiam Ioanna Regina Siciliæ Andreæ vxor, atque Sancia Ioannæ auia, denique regni Neapolitani ordines, vt maior Andreæ auctoritas conciliaretur, ac tum Reginæ dignitati publicæque rei consuleretur; de quo a Clemente hæ literæ Andreæ Regi missæ. e

e To. 2. ep. secr. 672.

Andrea Regi Siciliæ illustri.

Multiplicatas deuotarum precum & supplicationum instantias, nobis per charissimos in Christo filios nostros Ludonicum Regem Vngariæ germanum tuum, ac Sanciam & Ioannam Siciliæ coniugem, & Elisabeth Vngariæ genitricem tuas Reginas illustres, nonnullosque venerabiles fratres nostros archiepiscopos & episcopos, ac dilectos filios nobiles viros barones regni Siciliæ literalibus porrectas scriptionibus; & subsequenter per solemnes nuntios ad nostram propterea destinatos præsentiam, tam in camera quam in consistorijs nostris propositionibus fultas elegantibus, solita benignitate suscepimus, inter cætera continentes, quod cum tu, charissime fili, eiusdem Ioannæ Reginæ, ad quam regimen * prædictum ex successione claræ memoriæ Roberti Regis Siciliæ aui sui peruenisse noscitur, vir existas, vt conuenientius, decentius, vtilius, & honorabilius tuo & eiusdem Reginæ coniugis tuæ, quæ vna caro tecum est, prouideretur statui & tanti coniugij & numerosæ prolis exinde, sicut a Domino petimus, procreandæ consuleretur honori; nos, adhibitis cautelis opportunis & idoneis, te insignire denominatione regij tituli, nec non ordinare, quod cum eadem Regina velut vir suus coronari debeas & inungi, de benignitate apostolica dignaremur.

* regnum

Edictum ea de re pontificium decretum

Nos igitur eisdem precibus & supplicationibus plene ac patienter auditis, & etiam intellectis diligentius, attendentes quod tu, fili dilectissime, de prosapia descendisti domorum regalium, quæ in fide, reuerentia, & deuotione sanctæ Romanæ ecclesiæ absque deuiatione qualibet hactenus continue perstiterunt; & sperantes in Domino, quod tu progenitorum tuorum laudabilibus inhærendo vestigijs, in eisdem fide, reuerentia, & deuotione persistens, erga nos & eandem ecclesiam te clarum meritorum cumulis exhibebis & gratum; quodque dilecto filio nostro Aymerico tituli S. Martini in montibus presbytero Cardinali A. S. L. cui administrationem dicti regni pro tempore, quo ad nos & ecclesiam memoratam eadem spectat administratio, commisimus, parebis efficaciter & intendes; tandem super præmissis & alijs, negotium huiusmodi non parum arduum tangentibus deliberatione cum fratribus nostris eiusdem ecclesiæ Cardinalibus præhabita, prout tanti negotij exigebat qualitas prouida & matura, die decima nona mensis iannarij [sunt eo argumento ad Andream XIV. kal. febr. datæ literæ a, eadem verborum forma conceptæ] proximo præteriti sub certis protestationibus ac cautelis opportunis & idoneis, in alijs literis nostris contentis plenius & expressis, in nostro consistorio te huiusmodi regij tituli denominatione insigniuimus, & ordinauimus (si protestationes & cautelas ipsas admiseris & compleueris; tuque ac dicta Regina vxor tua legato prædicto super eadem administratione pro eodem tempore, nostro & ecclesiæ prædictæ nomine gerenda & exercenda, parueritis vt indubie speramus & supponimus, cum effectu, & non aliter) tu cum eadem Regina tanquam vir eius coronari debeas & inungi.

Iubetur legato regni procuratori parere.

a Ep. 1121

Cæterum cum nobis pro parte tua & eiusdem Reginæ fuerit humiliter supplicatum, vt alicui personæ idoneæ coronationem & inunctionem huiusmodi faciendas & impendendas in illis partibus committere dignaremur; nos quamuis hæc ardua quamplurimum reputamus, vt tamen multis laboribus viarum discriminibus & profluuijs expensarum pareatur, quibus tu & ipsa Regina subijceremini, si vos venire ad nostram præsentiam propter hoc oporteret; si prædictas protestationes & cautelas admiseris & compleueris, tuque ac eadem Regina legato super administratione prædicta parueritis effectualiter, vt præfertur, eidem legato, per quem coronatio & inunctio prædictæ honorabilius fieri poterunt, intendimus opportunam super ijs concedere potestatem, &c. *Dat. Auin. IV. non. februarij anno* 11. Obiecti sunt ab inuidis obices Andreæ inunctioni, vnde ingentia mala fluxere.

Sancitum vt regia inunctione liniatur.

17 Professa est solemni ritu Neapoli die vigesima octaua augusti huius anni Regina Ioanna b coram Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinale Apostolicæ sedis legato, ac regni ob pupillarem Reginæ ætatem tutore atque administratore seu, vt vocant, bainlo, regni Siculi coronam liberalitate sedis Apostolicæ in se transfusam, clientisque fidissimæ obsequia Clementi VI. ac successoribus deuouit: ad cuius rei commendandam secuturæ ætati memoriam subiectas tabulas edendas curauit.

b Ext in arce S. Angel. lib. priuil. rom. eccl. to. 3. pag. 2024. & inter coll. Plat. iussu Sixt. IV. edita l. 3. pag. 71 in M.S. bib Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 240. et in M. S. sign. lit. D. n. 1 pag. 72 Baron. to. 11. ann. 1097. pag. 699.

Ioanna Dei gratia Ierusalem & Siciliæ Regina, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Prouinciæ, & Forcalquerij ac Pedemontis comitissa.

Tenore præsentium notum facimus vniuersis earum seriem inspecturis, tam præsentibus quam futuris, quod de ligio, homagio, & fidelitatis debitæ iuramento, per nos de proximo præstitis in manibus reuerendi in Christo patris domini Aymerici tit. S. Martini in montibus presbyteri Cardinalis A. S. L. in regno Siciliæ pro parte sanctissimi in Christo patris & domini domini Clementis diuina prouidentia eiusdem sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summi Pon-

Clientelaris sponsio a Ioanna præstita.

Pontificis, & ipsius ecclesiæ nomine, auctoritate supraſcriptarum eiuſdem domini ſummi Pontificis literarum præſentatum eſt nuper noſtris obtutibus quoddam confectum exinde publicum instrumentum ſubſtantiæ per omnia ficti.

Infertum ips. publicum documentũ.

28 *In Dei nomine. Amen. Anno a natiuitate eiuſdem MCCCXLIIII. die XXVIII. menſis augusti duodecima indictionis pontificatus ſanctiſſimi in Christo patris & domini domini Clementis, diuina prouidentia Papa VI. anno III. Nouerint vniuerſi præſens instrumentum publicum inſpecturi, quod nos infraſcripti notary publici, & infraſcripti teſtes ad hoc vocati ſpecialiter & rogati ad inſtantiam & petitionem nobis factam pro parte inclytæ & excellentis dominæ dominæ Ioannæ, Dei gratia Ieruſalem & Siciliæ Reginæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Prouinciæ & Forcalqueriy ac Pedemontis comitiſſæ, perſonaliter acceſſimus ad monaſterium S. Claræ de Neapoli; & dum eſſemus in eccleſia ipſius monaſtery in ipſius dominæ Reginæ præſentia, ac reuerendi in Christo patris & domini domini Aimerici tit. S. Martini in montibus presbyteri Cardinalis in dicto regno A.S.L. & nuntij ad infraſcripta per apoſtolicas literas ſpecialiter deputati; nec non prælatorum, comitum, baronum, iuriſperitorum, & aliorum quamplurium multitudinis copioſa; dominus Aimericus nuntius & legatus in præſentia eiuſdem dominæ Reginæ & noſtrorum notariorum & teſtium, ac prælatorum, comitum, baronum, iuriſperitorum, & quamplurium aliorum multitudinis copioſa, oſtendit & publice legi fecit prædictas literas apoſtolicas veras, nota, & conſueta bulla plumbea pendenti cum filis canapis communitas, quas nos etiam vidimus & inſpeximus diligenter, & erant per omnia continentiæ ſubſequentis a.*

a Ch. VI. an. 3. l. 3. lit. diuerſ. form. ep. 374. extat etiam in ter collect Plat. to. 3. pag. 22.

Clemens episcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Card. A.S.L. ſalutem, &c.

19 Inter ſolicitudines varias, quas nobis officium iniunctæ deſuper apoſtolicæ ſeruitutis indicit, ad hoc noſtra vigilat intenſio, & libenter dirigimus ſtudia mentis noſtræ, vt per prouidentiam ſedis Apoſtolicæ circumſpectam negotia vndique ad eam confluentia ſic & ordinentur & diſponantur mature, quod honoribus & iuribus eccleſiæ Romanæ ſponſæ noſtræ ſuper eis prouideatur, vtiliter & ſpiritualium ipſius eccleſiæ filiorum commoditatibus conſulatur. Dum ſiquidem mœſtis relatibus ad audientiam noſtri apoſtolatus perducto, claræ memoriæ Robertum Regem Siciliæ auum chariſſimæ in Christo filiæ noſtræ Ioannæ Reginæ Siciliæ illuſtris, ſicut illi qui apud omnes Reges terræ terribilis aufert ſpiritum principum placuit, ab hac luce ſubtractum ipſaque Ioanna nepte ipſius Roberti Regis ex vnico filio primogenita Regi eidem ſuccedente in regno Siciliæ & terris citra pharum vſque ad confinia terrarum eccleſiæ Romanæ, excepta ciuitate Beneuentana cum eius toto territorio ac omnibus diſtrictibus & pertinentijs ſuis, per Romanum Pontificem diſtinctis, vel in poſterum diſtinguendis dumtaxat exceptis; quæ Ioanna in tali ætate, ſicut adhuc eſſe dignoſcitur conſtituta, quod ad gubernationem & adminiſtrationem regni & terrarum prædictorum propter defectum ætatis huiuſmodi, cuius quidem ætatis conſueuit eſſe conſilium fragile & infirmum multiſque captionibus expoſitum, minus idonea exiſtebat; nos qui ipſius Ioannæ Reginæ ſuperiores immediati exiſtimus, & totius regni ac terrarum prædictorum directum & altum dominium obtinemus, & ad quos cura, dominatio, adminiſtratio, & bailia regni & terrarum prædictorum regendæ per nos, vel alium, ſeu alios idoneos per ſedem Apoſtolicam deputandum, ſeu etiam deputandos plene & in ſolidum de iure, ac diuerſorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum obſeruantia pacifica iſtis temporibus pertinebant, prædeceſſorum ipſorum veſtigijs inhærentes, vtque paterna beneuolentia conſilium capientes pro filijs in ſimilibus caſibus ſalubriter prouiderunt pro bono ſtatu regni & terrarum prædictorum, non parum turbinibus periculoſiſque fluctibus expoſitorum, & in multis iniquorum & pacis æmulorum inſidioſis perturbationibus conſtitutorum; ac pro cenſura recti iudicij & rectitudine iuſtitiæ ibidem ſub rectore debito confouendis, tam pro iure noſtro & eiuſdem Romanæ eccleſiæ conſeruando, quam pro ipſius Ioannæ Reginæ ac regni & terrarum prædictorum vtilitate ac indemnitate incolarum regni & terrarum ipſorum, qui noſtri & eiuſdem eccleſiæ ſunt homines principaliter & vaſſalli; & vt noſtro fulti præſidio ſublata malorum formidine a noxijs & ab oppreſſionibus indebitis præſeruet immunes, & deliberatione præhabita diligenti; decreuimus et ordinauimus gubernationem, adminiſtrationem, et bailiam dictorum regni et terrarum gubernari et regi debere, ac exercendas eſſe noſtro nomine his temporibus et gerendas; eaſque tibi, de cuius circumſpecta, matura, et fideli prouidentia plene confidimus, per noſtras certi tenoris literas prouidimus de fratrum noſtrorum conſilio committendas, certis adminiſtratoribus per præfatum Robertum Regem præfatis Ioannæ et regno de facto datis (cum de iure præſertim pro tempore, quoad nos eadem adminiſtratio pertinet, minime potuiſſet) ne de gubernatione et adminiſtratione huiuſmodi pro dicto tempore ſe quomodolibet intromitterent, ſub diuerſis pœnis in proceſſibus per nos factis ſuper hoc contentis plenius, et expreſſis diſtrictius nihilominus prohibentes.

Roberto auo ſuccedit Ioanna.

Ob pupillarem ætatem Pontificis curæ obnoxia.

Regni adminiſtratio legato commendata.

20 Sane cum tu, pro huiuſmodi adminiſtratione, gubernatione, et bailia gerendis et exercendis ad regnum et terras prædicta te perſonaliter conferens, ibidem prædictis literis noſtris et proceſſibus ſolemniter publicatis, eaſdem adminiſtrationem, gubernationem, et bailiam ſuſcipiens et gerens exerceas plene, ſicut intelligimus, pacifice et quiete, per eandem Reginam et ſuos tibi obedientia plenaria præſtita in hac parte; ac deinde ipſa Regina (cui ſuper præſtatione homagij ligij, plenique vaſſallagij, ac fidelitatis iuramenti, ad quæ iuxta conuentiones et pacta, in conceſſione, per eandem eccleſiam de regno et terris prædictis inclytæ memoriæ Carolo Regi Siciliæ auo prædicti Roberti Regis eiuſque heredibus facta inter eandem eccleſiam et ipſum Carolum Regem habita, nobis quilibet nouus ſucceſſor in regno et terris prædictis, et cuilibet nouo Romano Pontifici in aſſumptione ſua ad ſummi apoſtolatus apicem, et eidem eccleſiæ infra certum terminum pro regno et terris prædictis perſonaliter præſtare tenetur; ex certis rationabilibus cauſis, ad hoc nos mouentibus, ipſius Reginæ ſupplicationibus inclinati, quaſdam dilationes, quarum vltima debet in feſto B. Michaelis futuro proximo terminari, duximus per diuerſas literas noſtras inde confectas, ſicut in eis continetur, ple-

plenius concedendas) nobis instanter et humiliter fecerit supplicari, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum archiepiscopum Brundusinum, ad nostram præsentiam propterea specialiter destinando, vt qualitate inordinati & impacati præsentis temporis, ætatisque ipsius Reginæ teneritudine, suisque alijs necessitatibus paterna & benigna consideratione pensatis, huiusmodi homagij plenique vassallagij & fidelitatis iuramenti receptionem tibi committere dignaremur; nos attendentes, quod secundum conuentiones & pacta prædicta in optione & beneplacito existit Romani Pontificis succedentem nouiter in regno & terris prædictis vocare ad prestandum personaliter iuramentum fidelitatis, & ligium homagium eidem Romano Pontifici & ecclesię prędictę, dummodo ad hoc securum locum statuat & assignet; vel aliquem Cardinalem ipsius ecclesię, aut alium, qui vice Romani Pontificis iuramentum iuxta formam denotatam in literis prędictis super concessione regni & terrarum prędictorum confectis, & homagium recipiat, destinare; ac nihilominus considerantes attente prędictam eiusdem Reginę obedientiam, nobis & eidem sedi vtique multum gratam, suæque conditionem & qualitatem personę, ac ætatis & sexus, nec non itinerum & viarum discriminosa per terram & mare pericula formidanda, si eam venire ad nostram pręsentiam personaliter oporteret; & volentes eam super his fauoribus prosequi gratiosis, eiusdem Reginę supplicationibus benignius super his inclinati; te de cuius prouidentia fideli, & matura circumspectione, & agendorum experientia in multis arduis probata negotijs plene confidimus, ad recipiendum homagium, vasallagium, & iuramentum huiusmodi hac vice ab eadem Regina iuxta conuentiones & sua pacta prędicta nostro & eiusdem Romanę ecclesię nomine prouidimus de fratrum ipsorum consilio deputandum.

Soluta est Reginæ labore conueniendi Pontificē

Data legato prouincia ea adigendæ in Pontificia verba

24 Quocirca discretioni tuę per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus homagium, vassallagium, & iuramentum huiusmodi, quę iuxta formam pręsentibus annotatam per Reges Sicilię primogenitores ipsius Reginę, quorum ipsa heres existit, qui fuerunt pro tempore, pro regno & terris pręadictis citra pharum Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris & ecclesię prędictę prestari sunt hactenus consueta, recipere iuxta formam huiusmodi cum omni diligentia studiosa procures; & nihilominus formam iuramenti, quod eadem Regina tibi nomine quo supra pręstabit, de verbo ad verbum per ipsius Reginę patentes literas, & aurea bulla eiusdem Reginæ impressa typario communitas nobis e vestigio studeas fideliter destinare, in archiuo prędictę Romanę ecclesię in huiusmodi rei testimonium, perpetuamque memoriam conseruandas. Forma autem iuramenti prędicti, quod eadem Regina vt promittitur pręstabit, talis est.

Præscribitur forma sacramenti.

22 *In nomine Domini. Amen. Ego Ioanna Dei gratia Regina Sicilia ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beata & gloriosa virginis Maria, beatorum quoque Apostolorum Petri, & Pauli & ecclesia Romana, in præsentia reuerendi in Christo patris domini Aymerici tit. S. Martini in montibus presbyteri Cardinalis A. S. L. ad homagium ligium & vassallagium & fidelitatis iuramentum, & alia omnia & singula infrascripta a me recipienda per sanctissimum in Christo Patrem dominum meum dominum Clementem, diuina prouidentia Papam VI. specialiter deputatum, illaque eiusdem domini mei Papa & ecclesia Romana prædictorum nomine recipientis, ligium homagium facio dicto domino meo Papa, eiusque successoribus canonice intrantibus, & ipsi ecclesia Romana pro regno Sicilia & tota terra, qua est citra pharum vsque ad terrarum confinia eiusdem ecclesia: qua vtique regnum & terram (excepta ciuitate Beneuentana cum toto territorio, ac omnibus districtibus & pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij, pertinentiarum, & districtus ciuitatis eiusdem, per Romanos Pontifices distinctos vel in posterum distinguendos) clara memoria domino Carolo Regi Sicilia & heredibus suis, sano recolenda memoria domini Roberti Regis Sicilia aui mei, cui ego ex vnico suo filio primogenita in regno & terris succedo prædictis, prædicta ecclesia Romana concessit. Et recognosco & fateor, quod inter Romanam ecclesiam & prædictum dominum Carolum conditiones, conuentiones, modus & forma, & pacta infrascripta interuenerunt, & fuerunt apposita in concessione regni, sibi suisque heredibus per Romanam ecclesiam facta, seu auctoritate ipsius in prædicta concessione pertinentia seu spectantia ad personas eorum, qui successuri erant ipsi domino Carolo suisque heredibus in terra & regno prædictis & eorum, qui in eisdem successuri sunt, mihi meisque heredibus; nec non ad successionem vel formam seu modum succedendi ipsi domino Carolo suisque heredibus, & mihi meisque heredibus in regno & terra præfatis: qua omnia & singula tam me, quam meos in dictis regno & terra heredes seruaturos promitto, & contra ea non venturos. Qua talia sunt.*

Quas terras vectigales accipiat.

23 *Si in nostro vel heredum nostrorum obitu legitimum, prout sequitur, heredem nos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit; regnum ipsum ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere reuertatur. Descendentes autem ex nobis & nostris heredibus Sicilia Regibus mares & fœmina in eodem regno succedent: sic tamen, quod de liberis duobus maribus in eodem gradu similiter concurrentibus primogenitus, & de duabus fœminis primogenita, & de mari & fœmina in eodem gradu similiter concurrentibus masculus, omnibus alijs præferatur. Si vero nos, quod absit, sine liberis ex nobis legitime descendentibus mori contigerit, vel si aliquem de alijs successoribus nostris Regem vel Reginam Sicilia sine legitima prole sui corporis mori contigerit in futurum, succedent eidem, seruatis gradibus, si superstites fuerint ha persona; videlicet Regi vel Regina sine prole legitima sui corporis decedentis frater vel soror, ac collaterales superiores mares & fœmina, vtpote patrui et auunculi, amita et matertera, sursum vsque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus quos nos ad præsens habemus, et dum vixerimus habebimus, et qui post nostrum obitum ex eisdem forsitan orientur, exceptis. Collaterales et inferiores succedant similiter mares et fœminæ, vtpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore, et inferius vsque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis recta linea et collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam etiam innuptis, dummodo nupta sint fidelibus et ecclesia Romana deuotis. Et sicut inter has personas gradus seruari volumus, vt scilicet prior gradus posteriore gradui præferatur, sic in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu posteriori, et marem fœminæ in huius-*

Instaurantur veteres pactiones.

Quis succedentiũ ordo.

huiusmodi successionibus volumus anteferri. Personali autem huiusmodi nulla superstite, regnum ipsum, sicut prædicitur, ad Romanam ecclesiam et eius dispositionem libere reuertatur.

Succedente fœmina quid seruandum.

Quod si forte, deficientibus masculis, contingeret fœminam innuptam in regno succedere, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsius regni regimen et defensionem existat idonea; Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito: nec nubet nisi viro catholico, et ecclesiæ Romanæ deuoto. Et si contra hoc fieret, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad priuationem prædictorum regni et terræ sine figura iudicij, et absque omni iuris solemnitate in quacumque ætate filia ipsa consistet, procedere, si hoc ei videbitur expedire. In regnum vero & terram prædicta nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus. Ad hæc promitto quod tam ego, quam mei in regno & terra prædictis heredes, regnum & terram præfata nullatenus diuidemus: sed semper illa vnus tantum super ipsis conditionibus immediate & in capite ab ecclesia Romana tenebit.

Addicit Ioanna ecclesiæ obsequia.

24 *Item ego Ioanna Dei gratia Regina Siciliæ, plenum & ligium vassallagium faciens dicto domino meo domino Clementi Papæ VI. & ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ (excepta ciuitate Beneuentana cũ toto territorio & omnibus districtibus & pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij, pertinentiarum, & districtus ciuitatis eiusdem per Romanos Pontifices distinctos vel in posterum distinguendos) ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, & domino meo domino Clementi Papæ præfato, eiusque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio aut consensu vel facto, vt vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri sunt per ipsos aut nuncios ipsorum, siue per literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam: & si sciuero fieri, vel procurari, siue tractari aliquid, quod sit in eorum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud ipsis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi existentia, adiutrix eisdem ero ad retinendum & defendendum ac recipiendum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Vniuersas & singulas conditiones contentas in præsenti instrumento seu literis, ac omnia & singula; quæ continentur in instrumento seu literis bonæ memoriæ fratris Anibaldi basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri, Ricardi S. Angeli, Nicolai S. Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobi S. Mariæ in Cosmedin diaconorum Cardinalium super ipsorum regni & terræ concessione facta dicto domino Carolo confectis plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obseruabo: nec vllo vnquam tempore veniam contra illa, exceptis duobus capitulis, quæ inferius describuntur. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.*

De tempore præstandæ sponsionis.

25 *Promitto quoque, quod mei in dictis regno & terra heredes huiusmodi homagium & iuramentum fideliter præstabunt secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum postquam regni dominium adepti fuerint, & singulis Romanis Pontificibus & eidem Romanæ ecclesiæ renouabimus tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum. Quod quidem homagium facere & iuramentum fidelitatis præstare dicti heredes mei, vt prædicitur, tenebuntur. In optione autem & beneplacito erit Romanæ ecclesiæ, me & heredes meos vocare ad præstandum personaliter iuramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici & eidem ecclesiæ, dummodo ad hoc mihi & eis tutum locum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalium ipsius ecclesiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis iuramentum iuxta eandem formam & homagium recipiat, destinare.*

Sicilia cũ imperio non coniungenda.

26 *Item domino meo prædicto & Romanæ ecclesiæ iuro, ad præsens me ad hoc specialiter obligans, quod tam ego singulis eiusdem successoribus & ipsi ecclesiæ, quam mei in dicto regno heredes domino Papæ prædicto & eius successoribus, & prædictæ ecclesiæ, quando præstabimus huiusmodi iuramentum fidelitatis, iurabimus nos ad hoc specialiter obligantes, quod nunquam per nos vel alios, seu quocumque modo procurabimus vt eligamur vel nominemur in Regem vel Reginam, aut Imperatorem vel Imperatricem Romanorum, vel Regem aut Reginam Theutoniæ, seu dominum vel dominam Lombardiæ, aut Tusciæ seu maioris partis earundem, &c.* [Additæ sunt plures in hoc argumento pactiones, quas olim a Carolo I. Ioannes XXI. exegit, iisdem ferme conceptæ verbis & tomo XIV. allatæ a: *Et si Rex non habens filium in Imperatorem electus ad imperium transire voluerit, & de personis, de quibus supradicitur liberis non extantibus, in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia prædordinauimus obseruentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Quod si & mihi Reginæ Siciliæ, aut alicui meorum heredum in regno prædicto sine filio decedenti, superstes sit filia vel mulier, aliaque iuxta præfatam formam debeat ad huiusmodi successionem admitti, quæ Imperatori, dum ego Regina viuam, vel dum meus heres Rex Siciliæ viuet, fuerit desponsata vel nupta, non succedat in regno. Et si regno sibi delato Imperatori nupserit, cadat protinus ab eodem, nisi vir eius imperio prorsus renuncians regno solummodo contentus sit. In primo autem casu, repulsa filia & alijs prædictis, ad personas illas seruatis gradibus regnum perueniat, quæ prænotata sunt in regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non superfint. In secundo autem casu regnum ipsum ad Romanam ecclesiam deuoluatur.*

a An. Chr. 1276. n. 40. ad n. 43.

Parto imperio abdicandum Siciliæ regno.

Item promitto pro me & meis in regno heredibus, ad hoc tam me quam ipsos obligans, quod regnum Siciliæ & terra prædicta imperio nulla modo subdentur, seu sibi nullo vnquam tempore in eadem persona quamodolibet vnientur: & super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quam per alias cautiones cauebimus tam ego quam mei in eodem regno heredes iuxta ecclesiæ voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum: cum prorsus intentionis sit Romanæ ecclesiæ, vt regnum & terra prædicta nullo vnquam tempore imperio vniantur, vt scilicet vnus Romanus Imperator et Siciliæ Rex existat. Quod autem circa vnionem ipsorum regni et terræ cum imperio dictum est, hoc ipsum circa vnionem regni et terræ cum regno Romano, aut regno Theutoniæ, seu dominio Lombardiæ vel Tusciæ intelligitur esse dictum.

De censu pendendo.

Item promitto quod pro toto generali censu ipsorum regni et terræ octo millia vnciarum auri ad pondus ipsius regni in festo B. Petri, vbicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici et Romanæ ecclesiæ singulis annis persoluam, et ad illum

lum similiter persoluendum obligo omnes & singulos in dictis regno & terra heredes. Si vero ego vel mei in dicto regno heredes quocumque modo non soluerimus integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerimus, eo ipso erimus excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra sequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persoluerimus, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem eiusdem census nobis duxerimus consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino & duobus proxime sequentibus mensibus non sit de octo millibus huiusmodi primi termini ipsi ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem regno & terra ipsorumq; iure cademus ex toto, & regnum ipsum & terra ad Romanam ecclesiam integre & libere reuertantur. Si autem de censu octo millium unciarum huiusmodi primi termini infra dictos certum terminum & duos sequentes menses plenarie satisfecerimus, nihilominus semper pro singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si similimodo in eorum solutione cessauerimus, vel illas non soluerimus, pœnas similes incurremus; saluis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de iure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu. Item promitto, quod in quolibet triennio dabimus ego & mei in dicto regno heredes Romano Pontifici unum palafredum album pulchrum & bonum in recognitionem veri dominii eorundem regni et terræ. Promitto insuper, ad hoc tam me quam heredes meos in regno obligans, quod quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, vel dixerit Romanam ecclesiam indigere, ita quod super indigentia huiusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, etc. Quæ sequuntur, iam a nobis ante insinuata sunt a in formula clientelaris sponsionis a Carolo II. præstitæ Nicolao IV. vsque ad dimidium §. primi numeri 10. vt iam ea repetere superuacaneum sit. Postremam itaq; documenti publici partem, quæ a Caroli II. literis discrepat, adiungemus.

Suscipienda a non soluentibus pœnæ

a To. XIV. annal. an. Chr. 1289 n. 4.

Sedi pontificiæ liberalitati regnum acceptum refertur.

27 Ego etiam do de hoc priuilegium seu literas præsentes domino Papæ et Romanæ ecclesiæ memoratis aurea bulla bullatum seu bullatas, in quo vel in quibus proprio iuramento fateor et recognosco expresse regnum Siciliæ et totam terram, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum ecclesiæ Romanæ (excepta ciuitate Beneuentana cum territorio et pertinentiis eius, quæ vt dictum est, ecclesiæ remanebit eidem) ex sola gratia et mera liberalitate sedis Apostolicæ sæpedicto domino Carolo, mihi, meisque heredibus in feudum fore concessa, meque habere ac tenere regnum et terram huiusmodi a dicta Romana ecclesia in feudum pro me meisque heredibus in dictis regno et terra sub pactis et conditionibus, forma, modo, et conuentionibus prædictis, et sub aliis, quæ in literis felicis recordationis Clementis Papæ IV. plenius continetur, exceptis duobus capitulis infrascriptis.

Cæterum vt præmissa omnia & singula, ac insuper vt conditiones & pacta, quæ inter sanctam Romanam ecclesiam & sæpedictum dominum Carolum interuenerunt seu fuerunt apposita tempore, quo sæpedicta terra & regnum dicto domino Carolo suisque heredibus concessa fuerunt in feudum, prout in literis felicis recordationis domini Clementis Papæ IV. plenius continentur, illibata perpetuo maneant, & inconcussa semper obtineant firmitatem; ipsa omnia & singula iuro (duobus exceptis inde capitulis, vno de quinquaginta millibus marchis sterlingorum & illarum solutione, sanctæ Romanæ ecclesiæ debitis ex conuentionibus memoratis per iam dictos parentes meos, & me heredem ipsorum, remissis mihi meisque heredibus in perpetuum & donatis per ipsam ecclesiam, ac felicis recordationis dominum Clementem Papam V. cum consilio & assensu dominorum Cardinalium de mera liberalitate ipsarum ex speciali gratia relaxatis; & de eis sumus ego & mei heredes de nexu cuiuslibet obligationis aut pœnalis promissionis, quibus essemus astricti propterea in perpetuum absoluti, & exinde quietati: alioque capitulo de personalibus iam dicto domino Carolo impositis de habendis per eum mille militibus vltramontanis cum certo equitaturarum & ballistariorum numero ad veniendum ad prosecutionem negotii dicti regni in stabilitis terminis & præfixis sub certarum intimatione pœnarum, quia hæc esse constat impleta) & per stipulationem solemniter promitto, quod plenarie adimplebo & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. In prædictorum autem testimonium perpetuamque memoriam præsens scriptum exinde confici iussi, & aurea bulla regiæ maiestatis impressa typario communiri. Datum Auin. VII. non. Iulii pontificatus nostri anno III.

Remissa a Clem. V. L. millia marcharum.

28 Quibus apostolicis literis ostensis, visis, & sic publice, vt prædicitur, lectis & per nos vt præfertur inspectis, præfata domina Regina earundem literarum apostolicarum auctoritate præscripto die & in nostrum notariorum & testium præsentia (præsente eorundem, aliorum prælatorum, comitum, baronum, iurisperitorum, & aliorum quamplurium multitudine copiosa, præfato domino Aymerico legato, & in præmissis nuntio apostolico præsente, & secundum formam prædictarum literarum apostolicarum recipientes eiusdem domini summi Pontificis & ecclesiæ Romanæ nomine) præfata homagium, vasallagium, & iuramentum huiusmodi, quæ iuxta formam præscriptam in prædictis literis seriose & particulariter continentur, pro regno Siciliæ & tota terra citra pharum præfatis Romanis Pontificibus & ecclesiæ præfatæ præstari sunt hactenus consueta, præstitit iuxta formam huiusmodi, & iuxta præscriptarum literarum continentiam & tenorem, omniaque alia in præscriptis contenta literis seruare iurauit atque promisit, prout astringebatur ad illa ex earundem continentia literarum, prout in patentibus literis reginalibus aurea bulla reginalis excellentiæ impressa typario communitis, quas dicta domina Regina pro cautela sanctæ Romanæ matris ecclesiæ & eiusdem domini summi Pontificis prouide concessit, hæc & alia seriosius annotantur. Quas literas reginales in præscripta forma, in dictis apostolicis contenta literis, dictus dominus Aymericus legatus & nuncius ab eadem domina Regina aurea bulla impressa typario recepit & habuit, ad dictum dominum summum Pontificem deferendas seu transmittendas, prout dicto domino Aymerico legato & nuncio per præscriptas apostolicas literas iniunctum extitit & commissum.

Pontificii diplomatis mandati operi.

29 Quibus peractis, præfata domina Regina requisiuit, rogauit, atque mandauit, vobis dicto domino Aymerico legato et nuntio præsente, nostrum super hoc officium, quod est publicum, implorando vt de prædictis, et qualiter prædicta iurata, præstita, et acta sunt præscripto die in nostrum notariorum et testium præsentia, ac prædictorum aliorum prælato-

Edita de eo publica documenta.

latorum, comitum, baronum, iurisperitorum, et aliorum quamplurium multitudinis copiosæ pro eiusdem dominæ Reginæ testimonio et cautela consisteremus publicum instrumentum. Quorum nos mandato et requisitionibus annuentes, de prædictis, et qualiter prædicta in nostrum notariorum et testium præsentia, ac prædictorum aliorum prælatorum, comitum, baronum, iurisperitorum, et aliorum quamplurium multitudinis copiosa præstita, iurata, et acta sunt, factum est pro cautela et testimonio eiusdem dominæ Ioannæ Reginæ per manus mei infrascripti notarij publicum instrumentum, signo meo solito et subscriptione signatum, sigillo et subscriptione dicti domini Aymerici legati et nuntij, ac signo et subscriptione infrascripti notarij munimine roboratum. Actum Neapoli in dicta ecclesia monasterij S. Claræ sub anno, mense, die, indictione, et pontificatu prædictis, præsentibus notario Mendino de Aversa habitatore Neapolis in notarium ad prædicta assumpto, ac illustri principe domino Andrea Dei gratia Ierusalem et Siciliæ Rege eiusdem dominæ Reginæ consorte, et inclytis et excellentibus dominis, dominis Roberto Romaniæ despoto Achaiæ et Tarenti principe, Carolo principe Duratij, et Ludouico de Tarento, etc. [Interiectis plurium præsulum, procerum, ac notariorum testimonijs, de præstita a Ioanna clientelari sponsione Aymerico A. S. L. ex formula a Clemente concepta: tum subijcit Ioanna.]

Rata habuit omnia a Ioanna.

30 Nos vero eodem instrumento viso & diligenter inspecto, examinatoque prudenter, & pro tanta gratia, ab eodem domino summo Pontifice nobis benigne collata, cum filiali reuerentia eidem domino nostro ad gratiarum actiones vberes consurgentes, omnia & singula in præfatis literis & instrumento contenta harum serie de nostra certa scientia ratificamus & acceptamus, & expresse emologamus, sicut validius possumus confirmamus, taliter nos auctore Domino ad omnia grata apostolicis affectibus habituræ, quod de collatis, a nobis gratitudo proueniet, & in conferendis affectus promptior excitatus exurgat; expressius declarantes, quod per hoc non intendimus neque volumus recedere quoquo modo a protestatione per nos facta coram eodem legato super modo & forma eiusdem præstationis, homagij, & iuramenti tempore præstationis huiusmodi: sed in ipsis protestationis finibus persistentes, non intendimus nec volumus illi propterea in aliquo derogare. In cuius rei testimonium præsens scriptum confirmationis & acceptationis nostræ exinde fieri fecimus, & aurea bulla maiestatis nostræ impressa typario iussimus communiri. *Dat. Neapoli per manus Arnulphi Cumani de Neapoli iuris ciuilis professoris locumtenentis protonotarij regni Siciliæ, præsentibus venerando in Christo patre domino Philippo, Dei gratia Cauallicensi episcopo, cancellario nostro; ac nobilibus viris Gottifrido Squillatij comite regni Siciliæ ammirato, Thomino de S. Seuerino comite Marsici, Carolo de Artus comite sanctæ Agathes, & infra, testibus sub anno Domini MCCCXLIV. die vltimo dicti mensis augusti dictæ XII. indictionis, regnorum nostrorum anno II.*

Quitreffes tei interfuerint.

Relictis paulo post ad importunas preces Ioannæ liberis regni habenis Clemens legatū quem ex regijs vectigalibus operæ nauatæ stipendia accipere iussit a, e Sicilia XIII. kal. decembris reuocauit b; additis hisce præceptis, quibus Ioannam a legato informari voluit.

a Ib. 143
b Ib. ep. 461 & in per M. S. aill. Vall. sign. lit. B.
c 13. pag. 178.

Clemens, etc. Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Card. A. S. L.

Monita Ioannæ Reginæ a Card. legato tradenda.

31 Adijcimus exhortationi prædictæ, quod eadem Regina tales præuia matura, & diligenti deliberatione in consiliarios suos, ac gubernationis & administrationis regni & terrarum prædictorum cooperatores assumat & retineat iam assumptos, qui Deum diligant, iustitiam ament & foueant, sui & regni honoris & commodi ac suæ salutis zelentur augmentum: auaritiam odiant, & lucra propria in suum & regni seu aliorum dispendium non venentur: & cum quorum, sano consilio quæ agenda fuerint expediat vtiliter, & ea quæ non licebunt vel expedient, respuere non omittat; non obstante ordinatione aut sui prædicti, qua quoad hoc ipsam arctari nolumus, & iuramento super hoc præstito, super quo etiam secum, si oporteat, dispensamus. Nec aliquibus consiliarijs, quibus forsan afficeretur, tantum adhæreat, quod aliorum sapientum & fidelium prætermittat consilia vel contemnat; ita quod in suam ac regni & terrarum prædictorum gubernationis vtilis dispendium, personarum acceptio minime vendicet sibi locum ad aliqua, quæ magni ponderis extiterint, absque maturo consilio & pronida deliberatione præuia nullatenus processura: sed potius sic se prudenter & mature in omnibus suis actibus habitura, quod prædictorum regni & terrarum populus in pulchritudine pacis sedeat, fiducia tabernaculis habitet, & requie opulenta quiescat, cultu iustitiæ a se suisque officialibus & subditis obseruato.

Deum quoque in omnibus & per omnia, semper habens præ oculis, sacrosanctam ecclesiam eiusque ministros reuerentia & honore debitis prosequatur, libertates ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum regni sui ac iura defendendo & manutenendo, eaque non violando quomodolibet, nec permittendo ab alijs violari. Is super aelatricem iustitiæ, per quam thronus roboratur & firmatur regius, se reddat continue, subditos suos a potentum oppressionibus protegendo & defendendo & manutenendo, eaque non violando quomodolibet, nec permittendo ab alijs violari, insidiantibus & rapinis bonorum suorum peruersis, & damnatis inhiantibus conatibus * sic purgans & mundans, quod potentia virtuosa regali humana nocendi coerceatur audacia, & illæsa inter improbos innocentia perseueret; his nihilominus subiungendo, quod si se consulte, prudenter, & prouide nostris acquiescendo exhortationibus huiusmodi gesserit, vt optamus, eidem opportunis & beneuolis fauoribus assistemus. Alias autem si contrarium de ipsa (quod auertat Dominus) super his audiremus, eum eam, regnum & terras prædicta specialis dilectionis & fauoris intuitu contemplemur, omittere non intendimus, nec possemus, quominus de opportuno curaremus prouidere in hac parte remedio, sicut prædecessores nostros Romanos Pontifices fecisse in casu consimili legimus de regnis alijs, nequaquam eidem Romanæ ecclesiæ specialiter sic subiectis, &c. *Dat. Auin. XIV. kalend. decembris pontificatus nostri anno III.*

* regnum

Quanto regni damno conceſſa publica administratio.

32 Quanto Siculi regni exitio erepta fuerit apostolico legato publicæ rei administratio, sequentis anni lugebit historia: sed fugiunt humanam prudentiam futuri rerum exitus: non defuit tamen Clemens opera & consilio, vt seuitura mala auerteret. Inflata erat fastu Ioanna,

Ioanna viro inuidet.

ac visum contemptui habere cœperat, neque ad regiæ auctoritatis societatem admittere dignabatur; exorientibusque inter ipsos discordijs, quas regij gynæcei mulierculæ leues atque adolescentes magis accendebant, certior factus Pontifex Andream Regem ac Ioannam ad coniugalem amorem hortatus a est. Tum etiam illam docuit b, quam rationi ipsiusque dignitati consentaneum foret, vt regiæ potestatis, ac publicæ rei administrationis Andreas particeps fieret. Consuluit etiam vt inducias cum Ludouico Trinacriæ occupatore pacisceretur; partis enim tuendis potius quam proferendo imperio incumbendum videri: tum æqui acciperet, si ad diuinum cultum instaurandum sacrorum vsum Trinacriæ ad tempus aliquod restitueret.

a To. 3. ep. secr. 236. 237. b Ib. ep. 582.

33 Petrum etiam Regem Aragonum, vt cum Iacobo Baleari concordiæ iniret colloquia sollicitauit, induciasque ad recurrentem S. Michaeli sacrum diem iniret, & Armando Apost. sedis internuntio assentiretur. At frustratos sua expectatione & opera Pontificem & internuntium, Indicat Surita c, qui etiam Armandi meminit; additque traductum a Petro Rege in Ruscinonis comitatum bellum, & regio edicto Balearis Regis ditionem Aragoniæ coronæ coniunctam fuisse; ac tum Cardinalem Ebredunensem a Clemente missum, vt pacem inter Reges reuocare tentaret. Is erat Bertrandus tit. S. Marci presbyter Cardinalis, ad quem de imposito ei munere subiectæ extant literæ d.

c Sur. l. 7. c. 76.

Bertrand. Card. legatus missus in Aragoniam.

d An. 2. l. 5. pag. 6.

Clemens, etc. dilecto filio Bertrando tit. S. Marci presbytero Card. A. S. N.

Quiantea missi fuerint.

34 Quamuis immeriti, in terris a Domino vicarij constituti, cupientes vt huiusmodi perniciosa discordia ipsorum Regum, tanta sanguinis propinquitate & affinitate iunctorum, auctore Domino sopiretur, bonæ memoriæ Andream tit. S. Susannæ primo, & deinde ipso huiusmodi negotium * prosequendo viam vniuersæ carnis ingresso, dilectum filium nostrum Bernardum tit. S. Cyriaci in thermis presbyteros Cardinales, & venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem diuersis vicibus & temporibus tractatores & reformatores pacis inter Reges eosdem ad regna & terras eorum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandos: dictusque Bernardus non valens huiusmodi discordiam totaliter amputare, sufferentias inter ipsos Reges, vsque ad certi temporis iam elapsi spatium duraturas, cum multis laboribus procurauit.

* prosequente

35 Et quia, sicut displicenter audiuimus & displicentius referre cogimur, post lapsum sufferentiarum huiusmodi dictorum Regum animi, quos sperabamus promptos ad pacem & concordiam inuenire, adeo procurante satore discordiæ durius sunt commoti, quod eorum molimina congregantes, ad hostiles congressus tam maritimos quam terrestres, ac periculosos insultus etiam processerunt, & ad grauiora mala, damna, & pericula altrinsecus inferenda videntur continue se parare, quæ formidantur maiora discrimina productura; nos more pastoris vigilis volentes, sicut ex debito pastoralis officij nostris humeris incumbit, & non debemus nec expedit ab inceptis desistere (præsertim propter animarum pericula exinde prouentura, quæ potius sunt dassenda) nec cessare propter grauiorem commotionem prædictam, quin circa ista officij nostri debitum exequamur. *Et infra*.

Gesta varia prælia.

Discretioni tuæ per apostolica scripta de fratrum eorundem consilio committimus & mandamus, quatenus prudenter attento, quod ad negotium tam insigne, tanque præmissis attentis periculis, insidens cordi nostro, te confidenter duximus eligendum, ad regna, partes & terras prædicta, de quibus expedire videris, te personaliter conferens, Reges nec non valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes, periculis & discriminibus, scandalis atque damnis, quæ ex guerris & dissensionibus sunt solita prouenire recitatis, eosdem ad pacem & concordiam iuxta datam tibi ex alto prudentiam solicitis monitis & efficacibus persuasionibus auctoritate apostolica inducas & horteris, vt faciente pacis Auctore per ministerium tuum, iuxta desiderium nostrum inter Reges ipsos & adhærentes eosdem cesset discordia, regnetque concordia, quies veniat, pax resurgat ad Dei honorem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, & exaltationem populi Christiani, &c. *Datum Auin. 11. id. maij anno* II. Legatum porro plurima ad munus obeundum auctoritate instruxit a ad coitiones dissoluendas b, ad inducias promulgandas c, ad discordiæ incentores censuris reprimendos d.

a To. 3. ep. secr. 49. & an. 2. l. 5. pag. 6. n. 5. ad 26. et pag. 10. n. 30 & 31. b Ead. l. 5. pag. 6. n. 1. c Ead. pag. n. 2. d Ibid.

36 Et quidē Iacobus Balearis, impar viribus, ac maxima ditionis parte exutus, ad pacem ex iuris & legum æquitate constituendam paratus erat e. At Petrus Aragonum Rex secundis elatus successibus ad euertendum Balearem aspirabat, & circumferebat per Ruscinonis comitatum signa victricia, vt refert Surita f; cum Cardinalis Ebredunensis ipsum de pace sancienda cum Baleari, sed irrito conatu, conuenit. Elna enim, dein Colliberis in Aragoniorum potestatem concessere demum Perpiniani obsesso Baleari Rege, legatus Cardinalis, cum victor bello absistere, victusque se subijcere respueret, irrito conatu abscessit. Compulsus est Iacobus Rex in graues angustias, Petro de Exerica principe sermonū interprete: & ostentata clementiæ spe delinitus, salute tantum & libertate, vt nec laxiore vel angustiore carcere includeretur, pactis, dedito Petro Regi Perpiniano, se suaque illi permisit, concepta falsa expectatione, ereptum armorum vi regnum Aragonij liberalitate & clementia restitutum iri. Sed inanea tantum illi voces datæ erant; venientem enim, precantemque clementiam regiam Petrus Aragonius simulata humanitate excepit: quem etiam Pontifex ad mansuetudinem in victum, qui se illius potestati commiserat, explicandam hisce literis est adhortatus g.

e To. 3. ep. secr. 48.

Aragonius inexorabilem se præbet.

f Surit. l. 7. c. 76.

Depulsus Balearis veniæ spe se Petro dedit.

Petro Regi Aragonum illustri.

g To. 3 ep. secr. 107.

37 Sicut iustitiæ debitum exigit debitæ correctionis antidotum adhibere peruersis, sic misericordia suggerit conuersis & humilibus gratiam non negare. Gloriosa quidem illa merito reputatur in principe victoria, quam clementia, qua iuxta sapientis eloquium thronus firmatur regius comitatur. Hæc autem, fili charissime, pro tanto præmittimus, quia sicut audiuimus & fama celebris attestatur, Rex ille summus & æternus, qui solus est potens, & in cuius ditione cuncta sunt posita, sic in suis benedictionibus te præuenit, quod quæcumque aduersus charissimum in Christo filium nostrum Iacobum Maioricarum Regem illustrem tibi, vt asserebatur, rebellem & inobedientem concepisti facere, quasi successerunt pro voto, vt tandem regno Maioricarum & maiori parte terrarum Regis eiusdem viribus tuæ potentiæ subiugatis, Rex idem, certis per dilectum filium nobi-

Aragonius a Pont. ad clementiā solicitatur

nobilem virum Petrum de Cherica ſibi promiſ-ſis, vt fertur, ad præſentiam tuam regiam veniens, humiliter & deuote terram illam in poſſe tuo poſuit, miſericordiam implorando; adeo quod aliud circa negotium huiuſmodi reſtare non videtur, niſi manſuetudo miſerationis & clementiæ regalis erga Regem ipſum miſerabiliter ſic proſtratum. Ad quam, nempe clementiam, exercendam exuberanter & liberaliter in hac parte non ſolum compaſſionis affectus, quem caſus tanti principis, ſicque tibi coniuncti nexu propinquo ſanguinis & affinitatis, inducit; ac honoris tui regij ſtimulus, nec non recolendæ claræ memoriæ progenitorum tuorum geſta magnifica debent magnificentiam regiam inducere, ſed tuam non parum brutorum exempla monere: nam de leone rege animalium legitur, quod pecori humiliato & proſtrato miſeretur & parcit, &c. *Dat. Auin. iv. id. auguſti anno* III. Ingeminanit eaſdem preces nonis nouembris Pontifex. [a]

a To.3 ep. ſecr 393.

38 Sprenit clementiæ laudem Petrus Rex Aragonum proferendi imperij cupidine: ac licet Iacobum Regem ad meliorum ſpem blandis verbis atque inani manſuetudinis oſtentatione erexiſſet, liberam tamen reliquæ illius ditionis ex voluntaria deditione poſſeſſionem nactus, ad priuatam fortunam miſerum Regem redigere decreuit [b], illumque iuſſit Balearici regni, quod Aragoniæ coniunxerat, inſignia abijcere, attributo ad ſuſtentandam vitam tenui annuo vectigali. Expauit ad eiuſmodi ſententiam Balearis, leges multis verbis implorans, abſcedenſque a Rege bellum redintegrare ſtatuit, nonnullaque loca occupauit: ſed mox in Gallias eiectus eſt: ac de Baleari Rege hactenus.

b Marian. ſuper cap. Iuris. l. 7. c. 81.

Balearem ad priuatam fortunam redigit.

Cæterum de Aragonio non prætereundum, ipſum contraxiſſe [c] ob non illatum cenſum anathema, quo demum vbi nomen diſſoluit, liberatus eſt. Vtque ſimilia coniungamus; impoſitam addimus prouinciam Raimundo Pelegrino [d], vt denarium S. Petri, in Anglia, Scotia, Vvallia, & Hibernia. Gneſnenſi archiepiſcopo [e] in Caminenſi & Lubicenſi ciuitatibus, Arnaldo canonico Titulenſi [f] in Polonia circumiectiſque prouincijs colligerent: *Cum*, inquit [g], *cenſus annuus, qui denarius S. Petri vulgariter nuncupatur, in regno Poloniæ, partibuſque circumuicinis nobis & Romanæ eccleſiæ debeatur*.

c To.3. ep. ſecr. 47.

Denarius S. Petri collectus in plurib' regnis.

d To.2. ep. ſecr. 664.

e To.3. ep. ſecr. 116.

f Ib. ep. ſecr. 1037

g Eod. ep.

39 Acceſſit aliorum principum ſedis Apoſtolicæ vectigalium numero hoc anno Ludouicus inſularum Fortunatarum princeps, ad illius dignitatis apicem ex comite Claromontano euectus, cum inſulanos ad Chriſti cultum adducturum, ſuperſtitionemque Mahumeticam, quam nonnullos tantum infeciſſe videbitur inferius, ſe aboliturum polliceretur, eaque de cauſa ad ſedem Apoſtolicam acceſſiſſet; de quo Pontifex ad Petrum Regem Aragonum hæc ſcripſit [h]: *Eundem Ludouicum prædictarum inſularum principem cum conceſſione temporalis proprietatis et dominij earundem, ſibi pro ſe ſuiſque heredibus et ſucceſſoribus facta, ſub certis modis, formis, et conditionibus conſtituimus et deputauimus; eumque inſignijs dignitatis principatus duximus decorandum, etc. Dat. Auin.* III. *id. decembris anno* III. Conceptum eſt hac de re diploma apoſtolicum, cuius exemplum infra ſcriptum eſt. [i]

Lud. Hiſpanus inſular. Fortunat. princeps.

h Ibid ep. ſecr. 540.

i An. 3. l. 4 ep. cur. 9.

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Ludouico de Hiſpania principi Fortuniæ.

Sicut exhibitæ nobis tuæ petitionis ſeries continebat, in mari oceano inter meridiem & occidentem ſunt quædam inſulæ, quarum aliquæ habitatæ, aliquæ vero inhabitatæ fore noſcuntur, quæ in communi nominantur inſulæ Fortunatæ, quamquam earum qualibet proprio vocabulo, vt ſequitur inferius, ſint diſtinctæ: quarum aliquæ inſulæ eiſdem adiacent: quædam vero alia eſt in mari mediterraneo ſituata. Quarum omnium prima Canaria, alia Ningaria, tertia Pluuiaria, quarta Capraria, quinta Iunonia, ſexta Embronea, ſeptima Athlantia, octaua Heſperidum, nona Cernent, decima Gorgones, & illa quæ eſt in mari mediterraneo Galeta vulgariter nuncupantur: omneſque prædictæ inſulæ ſunt a Chriſti fide & Chriſtianorum dominio alienæ: ex quo tu pro exaltatione fidei ad honorem nominis Chriſtiani deſideras in huiuſmodi acquiſitione omnium prædictarum inſularum exponere te & tua; dum tamen a nobis in eiſdem titulus & auctoritas, pro quibus nobis humiliter ſupplicaſti, tibi tuiſque heredibus & ſucceſſoribus tam maſculis quam fœminis concedatur.

Pontificium hac de re diploma.

Nos igitur pium & laudabile propoſitum, quod te in his habere aſſeris, plurimum in Domino commendantes, & cupientes, vt in eiſdem inſulis orthodoxa fides propagetur & vigeat, cultuſque diuinus inibi obſeruetur, & quod per tuum miniſterium Chriſtianitatis termini dilatentur; tuis ſupplicationibus inclinati, ad honorem Dei tuæque ſalutis & ſtatus augumentum omnes prædictas inſulas & earum quamlibet, dummodo in eis non ſit alicui Chriſtiano ſpecialiter ius quæſitum, in omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, ac merum & miſtum imperium & iuriſdictionem omnimodam temporalem in eiſdem auctoritate apoſtolica, ac nomine noſtro & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum & ipſius eccleſiæ Romanæ, tibi & heredibus tuis, & ſucceſſoribus catholicis ac legitimis, & in deuotione ipſius Romanæ eccleſię perſiſtentibus, tam maſculis quam fœminis in feudum perpetuum de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ſub modo, forma, tenore, conditionibus, & conuentionibus contentis præſentibus, concedimus & donamus, teque prædicto feudo per ſceptrum aureum præſentialiter inueſtimus; dantes nihilominus tibi, heredibus, & ſucceſſoribus ſupradictis plenam & liberam poteſtatem, eaſdem inſulas, abſque tamen iuris alterius præiudicio, vt præmittitur, acquirendi ac perpetuo poſſidendi, monetam ſeu monetas fabricandi, & alia iura regalia, ſalua ſuperioritate Romani Pontificis in eiſdem inſulis, exercendi, ac licentiam in eis, & earum qualibet eccleſias & monaſteria conſtruendi, eiſque dotes congruas aſſignandi, ius patronatus tibi & heredibus ac ſucceſſoribus tuis, prout inſtituta concedunt canonica, reſeruando.

Vt traditum illi fuerit de Clem. manu ſceptrū aureum.

Condendarum eccleſiarum ius datum

40 Poſtquam vero in eiſdem inſulis, Deo concedente, per te vel heredes aut ſucceſſores tuos prædictos eccleſiæ ac monaſteria conſtructa ſeu fundata fuerint, & in eiſdem de prælatis & perſonis eccleſiaſticis ſecularibus ſeu regularibus canonice ordinatum extiterit, prælati & perſonæ ac eccleſiæ, ſiue cathedrales ſiue collegiatæ, ſeculares aut regulares, & monaſteria ſupradicta cum locis & bonis ſuis in electionibus, prouiſionibus, & omnibus alijs plena libertate gaudebunt: quam libertatem tu & heredes ijdem & & ſucceſſores ſemper manutenebitis & conſeruabitis, & manuteneri & conſeruari facietis

ab omnibus subditis vestris; dictaque ecclesiæ & monasteria ac personæ vtentur libere omnibus bonis & iuribus eorundem.

41 Et vt per concessionem nostram huiusmodi potioris dignitatis titulo reddaris insignis, te auctoritate prædicta de ipsorum fratrum consilio & assensu dictarum insularum, quas de cætero fore decernimus principatum, ipsumque Fortuniæ nuncupari principem constituimus, coronam auream in signum adeptæ dignitatis dicti principatus tuique honoris augumentum tuo capiti nostris manibus imponendo; volentes vt tu & illorum quilibet, qui tum erit in eodem principatu heres, atque successor princeps Fortuniæ debeatis de cætero nominari, ita quod tu nobis per te, & iidem heredes & successores tui in dicto principatu nobis, ac to & ipsi singulis successoribus nostris Romanis Pontificibus per vos vel procuratores vestros ad hoc legitime constitutos recognitionem & homagium ligium facere, & plenum vassallagium & fidelitatis iuramentum præstare tenebimini iuxta formam inferius annotatam. Cæterum si forte deficientibus masculis contigerit fœminam innuptam in dicto principatu succedere, illa maritabitur viro catholico & ecclesiæ Romanæ deuoto; Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito.

Imposita Ludouico corona aurea.

42 Et insuper tam tu, quam heredum quilibet & successorum tuorum in dicto principatu & pro ipso censum quadringentorum florenorum boni & puri auri, ac conij & ponderis Florentini, vbicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ecclesiæ Romanæ vel ipsi ecclesiæ, vbi ipsa fuerit, sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, & pro portione collegium ipsius ecclesiæ contingente in festo beatorum Petri & Pauli annis singulis integraliter persoluetis: ad quem censum, vt præmittitur, persoluendum tam tu, quam quilibet heredum & successorum tuorum in dicto principatu tenebimini & sitis astricti. Si vero tu vel quicumque heredum seu successorum tuorum in dicto principatu statuto termino non solueritis integre, vt. præmittitur, censum ipsum, & expectati per quatuor menses, terminum ipsum primum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra subsequentes quatuor alios menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolueritis, totus principatus prædictus erit ecclesiastico suppositus interdicto. Si vero nec in tertio termino, & infra alios quatuor menses primos per plenam satisfactionem eiusdem census tu & heredes vel successores tui vobis duxeritis consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino & subsequentibus mensibus non fit de huiusmodi censu primi termini ipsi ecclesiæ satisfactum, ab eodem principatu ipso iure cadatis ex toto, & principatus ipse ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem integre & libere reuertatur; nihilominus pro singulis quadringentis florenis singulorum terminorum, si similimodo in eorum solutione cessaueritis, vel illam non solueritis, tu & quiuis heredum & successorum tuorum in dicto principatu pœnas similes incurratis, saluis alijs pœnis, processibus, & sententijs, quæ vel qui de iure inferri vel haberi seu proferri poterunt per Romanum Pontificem, vel sedem Apostolicam specialiter in hoc casu: sed ad censum ipsum soluendum eidem ecclesiæ tunc & non ante teneamini eum effectu, cum tu vel heredes aut successores tui in dicto principatu, eiusdē principatus vel maiorem partē ipsius fueritis possessionem adepti. Nostræ nihilominus intentionis existit quod Rom. ecclesia occasione concessionis huiusmodi ad impendendum tibi, vel eisdem heredibus aut successoribus aliquod subsidium in acquisitione seu retentione dicti principatus ex debito nullatenus astringatur.

Imperat census quadringentorum aureorum.

Comparandi retinendique illius principatus onere libera sit ecclesia.

43 Et quia in quibusdam articulis seu capitulis supradictis expressius continetur, quod in certis casibus tu, et tui in eodem principatu heredes & successores excommunicationis sententiam incurratis, & dictus principatus sit ecclesiastico suppositus interdicto; quodque tam tu, quam heredes & successores ipsi cadatis a principatu, seu sitis ipso principatu priuati, nos ex nunc huiusmodi sententias, videlicet excommunicationis in te ac eosdem heredes & successores, interdicti in eundem principatum, & priuationis principatus eiusdem, si tua vel ipsorum culpa huiusmodi casus emerserit, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica promulgamus. Forma vero recognitionis, homagij ligij, vassallagij, & iuramenti fidelitatis, quam præstari & fieri volumus a te, & heredibus & successoribus tuis in eodem principatu iuxta tenorem, formam, & conditionem præsentis concessionis verbis competenter mutandis, talis est: *Ego Ludouicus de . . Hispaniæ princeps Fortuniæ fateor & recognosco, &c.* [Repetetur infernus in Ludouici literis huius sacramenti formula ad eas vsque voces, *competitura in eo*, Tum subijcit Clemens].

Præscripta Ludouico sacramenti formula.

44 Similem autem recognitionem, vassallagium, homagium ligium, & iuramentum renouabis, facies & præstabis vnicuique Romano Pontifici, & dictæ ecclesiæ infra biennium a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum: & similia præstabit & faciet, & similiter renouabit, & facere, præstare, & renouare tenebitur vnusquisque heredum & successorum tuorum in dicto principatu nobis infra biennium, ex quo ipse heres tuus in huiusmodi principatu fuerit, & vnicuique alij Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ipsi Romanæ ecclesiæ secundum præscriptam formam, nomen Romani Pontificis, qui tunc erit, & suum proprium exprimendo. Sed postquam tu per te nobis huiusmodi recognitionem, homagium, & vassallagium feceris, ac fidelitatis iuramentum præstiteris secundum formam prædictam, heredes & successores tui in dicto principatu nobis, tuque & ipsi successoribus nostris Romanis Pontificibus illa facere vel præstare personaliter non astringamini, dummodo infra dictum biennium secundum eandem formam per idoneum vel idoneos subditum vel subditos, ad hoc plenum mandatum habentes, recognitionem, homagium, vassallagium feceritis ac iuramentum præstiteritis supradicta. Et si plus placuerit Romano Pontifici vel Romanæ ecclesiæ, recognitionem, homagium, vassallagium, & iuramentum prædicta facietis atque præstabitis tu, & heredes vel successores tui prædicti nomine summi Pontificis & Romanæ ecclesiæ illi vel illis, quem vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex vel sedes eadem deputabit; quandocumque vero tu vel heredes tui in dicto principatu prædictam recognitionem, obligationem, homagium, vassallagium, ac fidelitatis iuramentum facietis atque præstabitis per vos vel alium seu alios, vt superius continentur,

Repetenda successoribus.

tur, dabitis infra mensem post Romano Pontifici & eidem ecclesiæ parentes literas vestro sigillo sigillatas, in quibus fatebimini & recognoscetis expresse dictum principatum a nobis & Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conuentionibus, modo, & forma, ac tenore quæ præsentibus nostris literis continetur.

Præterea tu vel heredes aut successores tui prædicti nullam confœderationem seu pactionem, societatem aut ligam scienter contra Romanam ecclesiam facietis; & si eam forte feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Romani Pontificis seu Romanæ ecclesiæ penitus reuocare. Omnium autem prædictorum, præsentibus literis nostris contentorum, declaratio & interpretatio, quoties opus fuerit faciendæ, ad Romanum Pontificem seu Romanam ecclesiam pertinebit, quoties super his, vel eorum aliquo, vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubij oriri continget, cuius Romani Pontificis vel Romanæ ecclesiæ interpretationi & declarationi stabitur verbo seu literis, prout ipsi Romano Pontifici vel ecclesiæ placuerit faciendis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. XVII. kal. decembris anno III.* Meminit decreato Ludouico Fortunatarum insularum principe Vualsingamus [a], qui in eo errat, dum eas insulas in mediterraneo mari collocat, cum in Athlantico sitæ [b] sint, atque Africæ obiaceant: *Hoc*, inquit, *anno Papa Clemens in consistorio publico dominum Ludouicum de Hispania creauit principem insularum Fortunatarum, qui tunc fuit vnus de ambassiatoribus Regis Franciæ, & assumpsit Papa pro themate: Faciam principem super gentem magnam. Illæ autem insulæ sunt in mari mediterraneo* [*] *valde fertiles, quarum incolæ nec sunt Christiani, nec de secta Machometi.* Desudaturos in ea vinea Domini excolenda viros religiosos visuri sumus, qui eo facilius barbaros ad Christum traduxere, quo nulla propemodum superstitione erant imbuti. Ita pandi iter ad Indos paulatim cœptum est, eaque sulcata maria a Lusitanis, vt ad extremas meridiei & orientis oras euangelium propagaretur.

a Vualsin. in Ednar. III.
b Ortel. in voce fortunata.
Creatus Lud. princeps a Clem. VI in senatu sacro.
* Athlantico

Fit ecclesiæ vectigalis.

45 Professus est Ludouicus solemni ritu earum insularum principatus iure beneficio auctoritateque sedis Apostolicæ se accepisse, eiusq; vectigalem futurum: cuius sacramenti ab eo nuncupati formula his verbis concepta in eiusdem principis publicis literis [c] comprehensa est.

c Ext. in arca I. Angel. & inter collect. Tom. 11. 3. pag. 6. et in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 262. & in M.S sign. lit. D. n. 1 pag. 90

Sanctissimo in Christo patri, & clementissimo domino suo domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici Ludouicus de Hispania princeps Fortuniæ obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam, ac pedum oscula beatorum.

Vt recognitionis & homagij ligij, ac vassallagij, quæ nuper feceram, ac iuramenti, quod vobis, pater sanctissime, nomine vestro & successorum vestrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium ac Romanæ ecclesiæ in concessione infrascriptarum insularum & pro eis (quas ex tunc in antea principatum fore, ipsumque Fortuniæ nuncupatum auctoritate apostolica decreuistis) per vos nomine vestro ac successorum vestrorum & ecclesiæ prædictorum mihi & successoribus meis facta præstitisse, ac obligationis, qua me & heredes ac successores meos in dicto principatu de seruando contenta in literis apostolicis, super huiusmodi concessione confectis obligasse me fateor, certitudo plenaria & indubitata in posterum habeatur; eorundem recognitionis & homagij, ac vassallagij & iuramenti, ac obligationis formam de verbo ad verbum præsentibus inseri feci, quæ talis est.

Ipsius de ea re literæ.

46 Ego Ludouicus de Hispania princeps Fortuniæ fateor & recognosco, me infrascriptas insulas, videlicet Canariam, Ningariam, Pluuiatiam, Caprariam, Iunoniam, Embroneam, Athlantiam, Hesperidum, Cernent, Gorgonidem, & Galetam, cum omnibus iuribus & pertinentijs, a vobis domino meo domino Clemente, diuina prouidentia Papa VI. nomine vestro & successorum vestrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium & Romanæ ecclesiæ mihi meisque heredibus & successoribus catholicis atque legitimis, & in deuotione ipsius Romanæ ecclesiæ existentibus, tam masculis quam fœminis in feudum perpetuum fuisse concessas; ipsasque me recepisse & tenere sub annuo censu quadringentorum florenorum boni & puri auri ac ponderis & cunij Florentini, vobis domino meo domino Clementi diuina prouidentia Papæ VI. vestrisque successoribus ac Romanæ ecclesiæ annis singulis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli persoluendo. Pro quibus insulis faciens plenum vassallagium vobis vestrisque successoribus canonice intrantibus ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ prædictæ, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & vobis domino meo domino Clementi Papæ VI. vestrisque successoribus canonice intrantibus ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, auxilio, aut consensu, vel facto vt vitam perdatis aut membrum, vel capiamini mala captione. Consilium quod mihi mandaturi estis per vos vel nuntios vestros, siue per literas, ad vestrum damnum scienter nemini pandam; & si sciuero fieri vel procurari siue tractari aliquid, quod sit in vestrum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud vobis significare curabo.

Clientelaris sponsionis formula.

47 Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in prædictis insulis quam etiam alibi existentia, adiutor vobis ero ad retinendum & defendendum, ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Insuper modum, formam, seu conditiones, & omnia & singula, quæ continentur in literis apostolicis super huiusmodi concessione confectis, plenarie adimplebo & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra ea. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Me obligo & prædictos heredes & successores meos ac principatum prædictum, iura & bona nobis competentia, & competitura in eo. In quorum omnium testimonium perpetuamque memoriam præsentes literas exinde fieri iussi, & sigilli mei, tam meum quam eiusdem principatus nomina continentis, appensione muniri. *Actum Auin. in palatio apostolico anno a natiuitate Domini MCCCXLIV. indictione XII. die XXVIII. mensis nouembris, sanctissimi pontificatus vestri anno III.*

Traxerat Ludouicus ex Ferdinando principe filio maiori natu Alfonsi X. Castellæ & Legionis Regis atque ex filia S. Ludouici genus, cuius filios a patruo regno deiectos vidimus, ac magno animi ardore ad sarciendas auitas iacturas eas insulas armis eripere Infidelibus cogitabat. Ad cuius iuuandos conatus Pontifex Philippum [a] Francorum, Andream [b] Ioannamque [c] Siciliæ, Petrum [d] Aragonum, Alfonsum [e] Castellæ, Alfonsum [f] Lusitaniæ Reges, delphinum Vien-

Ludouici clarum genus.
a To. 3. ep. secr. 599.
b Ep. 602.
c Ep. 603.
d Ep. 641.
e Ep. 542.
f Ep. 543.
Rogati principes ad eū subsidijs instruendū.

nen-

nensem a, ac Genuensium gubernatorem b obsecrauit, vt milite, nauibus, commeatu, armis, Ludouicum pro conficienda sacra illa expeditione instruerent, cui denique & omnibus, qui eius signa sequerentur, indulgentiarum præmia Pontifex proposuit, addita hac in literis ad Ludouicum proximo ineunte anno datis c ratione: *Cum tu zelo deuotionis accensus ad Fortuniæ & quasdam alias insulas a Christi fide & Christianorum dominio alienas, & illarum partes nuper tibi per nos sub certa forma concessas, pro exaltatione fidei Christianæ cum nonnullis Christi fidelibus, tecum illuc ad catholicæ fidei ac tui honoris augmentum propterea proficisci volentibus, te transferre desideres, & in earum acquisitione exponere te & tua, &c. Dat. Auin. id. ianuarij anno* III. Dum se ad id bellum Ludouicus accingebat, Cressiaca pugna ab Anglis deleti sunt Franci, de qua dicetur suo loco: atque ita ingentium auxiliorum e Gallijs eliciendorum spes euanuit: qua de re hæc in M. S. d bibliothecæ Vaticanæ traduntur in Clemente VI. *Hic dominum Louysium de Hispania fecerat atque coronauerat de regno insularum Fortunatarum: sed posse nunquam habuit, dum vixit.*

a Ep. 601. b Ep. 604.

c An. 3. l. 3 lit. diuers. format. ep. 296.

d M. S. bibl. Vat. sign. n. 9040 in Clem. VI.

Quid vero Hispani Reges ad præbendam Ludouico opem solicitati responderint, ex eorum literis sequenti anno exaratis audiamus: & in primis Alfonsi Lusitani Regis producendæ visæ sunt e, quibus post collaudatum Clementis fidei proferendæ eximium inter infideles studiũ ait Fortunatas insulas primum a Lusitanis repertas: agitatam a se iamdiu ad eas subijciendas Lusitanico imperio expeditionem, sed Castellano & Saracenico bello distractum: e Lusitania veluti regno Christiano proximo in eas insulas inuehendum videri, atque adeo ipsum ab Apostolica sede ad comparandas armis easdem insulas inuitari debuisse, vel moneri, antequam Ludouicus princeps crearetur: verum fidei propagandæ studio, atque ad Ludouici sibi consanguinitate coniuncti gratiam naues, milites, arma, commeatus iusto pretio ac stipendio præbiturum.

e Ext. apud Clem. an. 3 post ep. sec. 545. Queritur Rex Lusitanus, nõ nihil iuri suo detractum.

Sanctissimo patri ac domino domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, humilis & deuotus filius vester Alfonsus Rex Portugalliæ et Algarbij cum reuerentia debita et deuota pedum oscula beatorum.

Alfonsi Lusit. Regis ad Põt. literæ.

48 Ille, qui summo angulari lapide suam sanctam fundauit ecclesiam, sic eam voluit per successores suos in posterum gubernari, quod recta per omnia in pondere, numero, & mensura assidue salubrioribus proficeret incrementis, vt augmento fidelium quotidie dilatata, eneruata paganorum perfidia, per totum vigeat fides Christi. Et vos quidem dignissimus successor dominicus, cui omnimoda cura est Christicolæ gregis & solicitudo commissa, non solum eum custodire a luporum morsibus, verum etiam ampliare curatis: quod in literis a vestra sanctitate directis suscepimus, dum ad extirpandos infidelitatis palmites infelices, qui totam terram insularum Fortunæ inutiliter occupant, & plantandum vineam Dei dilectam, dominum Ludouicum consangineum nostrum principem elegistis. Ad quas quidem literas rescribentes, prout nobis visum extitit, per ordinem cum reuerentia respondemus, quod prædictarum insularum fuerunt prius nostri regnicolæ inuentores.

Lusitanos Fortunatarũ primos inuẽtores ait.

Nos vero attendentes, quod prædictæ insulæ nobis plus quam alicui principi propinquiores existant, quodque per nos possent commodius subiugari, ad hoc oculos direximus nostræ mentis, & cogitatum nostrum iam ad effectum perducere cupientes, gentes nostras & naues aliquas illuc misimus, ad illius patriæ conditionem explorandum: quæ ad dictas insulas accedentes, tam homines quam animalia & res alias per violentiam occuparunt, & ad nostra regna cum ingenti gaudio apportarunt. Verum cum ad præfatas insulas expugnandas armatam nostram mittere curaremus cum militum & peditum multitudine copiosa, guerra primo inter nos & Regem Castellæ, deinde inter nos & Reges Saracenos suborta nostrum propositum impediuit. Quæ omnia tanquam notoria sanctitatem vestram latere minime dubitamus: quæ insuper ambasciatores nostri, quos nuper vestræ destinauimus sanctitati, attendentes, sicut ex literali relatione prædicti domini Ludouici percepimus, de prouisione & assignatione dictarum insularum facta per vos eidem domino Ludouico existimauerunt nos fore, & non immerito, aggrauatos: & hoc vestris auribus intimarunt, considerantes quod tam propter vicinitatem, quæ nobis est cum insulis sæpedictis, quam propter commoditatem & opportunitatem, quam habemus præ cæteris insulas ipsas expugnandi; ac etiam propter negotium, quod iam per nos & gentes nostras feliciter fuerat inchoatum, ad ipsum laudabiliter finiendum debuissemus per sanctitatem vestram, priusquam aliquis inuitari, vel saltem id rationabiliter debuisset nobis vestra sanctitas intimare.

Missos ab ipso exploratores fuisse.

Ab earũ expugnatione varijs distractum bellis fuisse.

Videri earum imperium trãsferri in alium nõ debuisse.

Nos vero, non obstantibus supradictis, prædecessorum nostrorum sequi vestigia cupientes, qui semper curauerunt mandatis apostolicis obedire, vestræ voluntati & dispositioni prædictis ob reuerentiam vestram & apostolicæ sanctitatis voluntatem nostram omnimodo conformamus; & maxime quia nobilem & prouidum virum dominum Ludouicum consanguineum nostrum ipsarum insularum principem elegistis, qui diuina sibi gratia * existente, ac clementia vestra & sedis Apostolicæ eidem adiutrices manus pro tanto & tam pio negotio porrigente, circa cultum vineæ domini sabaoth, videlicet ecclesiæ sanctæ Dei taliter se exhibebit operarium & cultorem, quod per eius ministerium Christianitatis decor & gloria augumentari valeat in futurum.

Cedit iuri, honoris in sedem Apost. ergo.

* assistente

49 Super eo autem, de quo pietas vestra nos rogat, & attentius in domino exhortatur, videlicet quod pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia eiusdemque zelo fidei ipsum principem & negotium supradictum recommendata habere velimus, & ipsis, quantum commode possemus, impertiremur auxilium & fauorem; saltem quod dictus princeps possit de regnis & terris nostris nauigia, gentes armorum, victualia, & alia pro prædictis necessaria habere ac extrahere libere, suis tamen stipendijs & iustis pretijs pro negotio supradicto; vestram benignam clementiam certam reddere affectamus, quod tam principem, quam negotium recommẽdatum habemus intuitu præmissorum, & eisdem, si commode possemus, impertiremur auxilium & fauorem, &c. [Excusat exhaustum continuis in Saracenos bellis ærarium; cumque sibi regiæ opes non sufficiant, oratorum opera a Clemente decimas ecclesiasticorum vectigalium expetijsse: non posse pariter omnes milites suæ Ludouico submittere, cum maioribus etiam viribus ad edomandos finitimos Sara-

ta-

racenos egeat, commeatus vero & alia necessaria, quantum regni facultas tulerit, lubenter suppeditaturum] sanctitatem vestram conseruet Altissimus per tempora longiora. *Dat. in castro montis maioris nous XII. die mensis february.*

a Ext. cod. to. 3. post eaud. ep. secr. 545. Disceptat Castellanus in Castel. insulas.

50 Hactenus Alfonsus Lusitaniæ Rex ad Clementem: cui etiam officij plenas literas a paulo post misit Alfonsus Rex Castellæ, in quibus alia ratione exposuit, Fortunatarum insularum expugnationem ad se spectasse: egit tamen ob Ludouicum Castellanæ stirpis principem creatum Pontifici gratias, seque ad eius imperia pronum futurum spopondit.

Sanctissimo in Christo patri ac domino domino Clementi, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, eius deuotus filius Alfonsus Dei gratia Castellæ, Legionis, Toleti, Galleciæ, Sibiliæ, Corduba, Murtia, Giennis, Algarby, & Algezira Rex, ac comitatus Molinæ dominus, cum filiali recommendatione deuota pedum osculo beatorum.

Ipsius ea re se literæ ad Pont.

Sanctitatis vestræ literas recepimus, pater sancte, continentes quod charissimum consanguineum nostrum Ludouicum de Hispania, dignitatis principatus insignijs vestri clementia decorantes, sibi pro se suisque heredibus & successoribus Fortuniæ ac quasdam alias insulas, in partibus Africæ consistentes, & eidem adiacentes, duxeratis concedendas: ac cum idem princeps instanti optimo tempore aggredi intendat negotium supradictum, nos requirebatis, quod eundem principem & negotium huiusmodi haberemus pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia, ac zelo fidei commendata, & super ijs, quantum commode posset, impertiri auxilium & fauorem.

Et, pater sanctissime, quanquam nulli dubium existat, quod progenitores nostri claræ memoriæ terram illam de manibus perfidorum ac potentia Regum Africæ Deo propitio acquirentes, eandem ab eorundem perfidorum ferocitate & sæuis impugnationibus defraudarunt, varia personarum pericula & expensarum profluuia in guerris, quibus propterea contra prædictos blasphemos institerunt, continue subeundo: ac quod acquisitio regni Africæ ad nos, nostrumque ius regium, nullumque alium dignoscitur pertinere; nihilominus ob vestram & Apostolicæ sedis reuerentiam ac vinculum sanguinis, quo dictus princeps nobis adiungitur, grata nobis aduenit dictarum insularum concessio sibi facta & ex eo specialiter sanctitati vestræ gratiarum referimus actiones, prompti in his & alijs, quæ vestri & Apostolicæ sedis beatitudo iniunxerit, obedire deuote. Sanctitatem vestram conseruare dignetur Altissimus per tempora longiora. *Dat. Alcala de Fenores XXII. die marty anno Domini* MCCCXLIV. ducto scilicet a Verbo incarnato annorum numero, atque adeo in sequentem incidit: hic vero ob institutam de Canarijs insulis narrationem coniunximus.

Africæ imperiũ sibi paratum armis contendit.

Obseruatur in Pont. ergo iustrenuntiat.

b To. 3. ep. secr. 155. vit. Clem. anon. apud Bosq. Mar. l. 16. c. 11. Tur l. 7 c. 71. V valsi. in Edward. III. & alij. Algezira parta de Mauris. c M. S. bibl. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI

51 Algeziræ Regis nomen in superioribus literis Castellanus Rex veteribus titulis adiecit, cum eam vrbem longa pluriam annorum obsidione firmissimis præsidijs & molibus munitam Saracenis Granatensibus eripuisset b post multa cum Africanis, qui repentinis incursionibus subsidio veniebant, iusta secunda prælia, in quibus insigne ad Palmarum amnem fuit, quo Mauri a Castellanis cæsi, de quo hæc habet M. S. Vaticanum c: *Rex Hispaniæ viribus armorum debellauit Regem Bellamarina Saracenum: nec non cepit per obsidionem villam * Geechye super quam fuerat subtus tentoria Rex Hispaniæ cum suo posse per duos annos vel circa.* Deditionis Algezirensium leges Hispanicarum rerum scriptor his verbis affert a: *Marty mensis XXVI. die deditio his conditionibus facta, vt Granatensis, qua ante belli tempus lege Castellæ vectigalis esset: obsessis incolumitas, & cum rebus suis quo vellent discedendi data facultas: induciæ decennales cum Mauris Regibus pactæ Fœdere sancito Mauri in Africam frequentes concesserunt. Castellæ Rex in vrbem solemni supplicatione ingressus VI. kal. aprilis. Proxima luce, templo maximo, Mahometanæ superstitionis sordibus expiato, D. Mariæ Palmæ nomen indidit, quod dominicus palmarum dies esset. In eo templo ingenti omnium lætitia & gratulatione sacra ex ritu Christiano peracta sunt, agri militibus dati.*

* Algezira

a Marian. super cap.

Mahomet templum in Christi cultum expiatum

Ad excitandum præclarum de victa in ea vrbe Mahumetica superstitione trophæum Alfonsus petijt a Clemente, vt sedem episcopalem Algeziræ constitueret. Cuius precibus assensisse Clementem vitæ illius auctor subiectis verbis refert b: *Erexit etiam ad instantiam Regis Castellæ villam Algezira noviter acquisitam, & de manibus infidelium ereptam in episcopalem ecclesiam, dictam villam ciuitatem constituendo.* Eadem confirmat Vvalsingamus, atque Hispalensi archiepiscopatui obnoxiã esse iussam addit. Rem vero ingenti pompa gestam describit Pontifex in literis ad Alfonsum Regem Castellæ datis c: se nimirum acceptis laureatis regijs literis, solemnes supplicationes, instructo agmine religioso, cum Cardinalibus & præsulibus ad peragendas diuino Numini gratias celebrasse; habitaque sacra concione, Algeziram episcopali sede insigniuisse. Plurimis etiam egregijs elogijs ob amplificatum Christianum imperium Alfonsum ornauit: quæ ad commendandam tanti Regis virtutem silentio dissimulanda non videntur.

Episcopalis sedes in ea vrbe cõstituta. b Vita Clem. apud Bosq. Vvalsin. in Eduar. III. c To. 3. ep. secr. 155.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Gratulatur Pont. Castellano de relato triumpho.

52 Respersit rore gaudiorum spiritualium intima cordis nostri, ac ingentis consolationis & lætitiæ materiam Christiano populo ministrauit, audita illa gloriosa victoria, quam tibi pridem de cælo exercituum Dominus contulit aduersus Saracenos perfidos, blasphemos Christi nominis, ac Christianæ fidei crudeles persecutores & hostes. Vox quidem exultationis & laudis in auribus fidelium insonuit, & literarum regiarum nobis missarum series, quas læta manu iucundoque animo recepimus, patefecit qualiter post longam & laboriosam obsidionem, quam contra villam tunc vocatam Algezira, nunc vero ciuitatem Insulæ viridis, in manu forti & potenti virtute posuisti, & tanquam princeps Christianissimus, potens, & magnanimus, inconcussa & intrepida constantia diutino tempore tenuisti; tandem, tecum diuina cooperante virtute, sub manu tuæ potentiæ, confusis inimicis ipsis fidei & sub iugo tuæ ditionis conclusis, ciuitatem eandem, locum vtique fortissimum, populosum, & quasi humano ingenio inexpugnabilem obtinens, die dominica ramispalmarum proximo præterita vna cum prælatis, baronibus, & aliorum catholicorum virorum multitudine copiosa, exultanter ad laudẽ & gloriã diuini nominis, exaltationem & dilatationem eiusdem fidei catholicæ, tuique non modicum honoris augmentum, ciuitatem eandem cum triumphali gloria intrauisti, & eliminata exinde

De abolita in ea vrbe Mahom. superstitione.

Sa-

Saracenicæ fœditatis ſpurcitia, eccleſias erigi catholicas, & in eis fecisti diuina officia celebrari; vt quia in Saracenorum meſquitis colebatur antea ille damnatiſſimus Machometus, deinceps in eccleſijs, fidelium domibus orationum effectis, perpetuis futuris temporibus laudetur diuina potentia, præcelſæ genitricis Dei Mariæ dominæ noſtræ ſemper virginis, & omnium ſanctorum habeatur memoria celebris, eorum imploretur deuotis interceſſionibus patrocinium, & immoletur pro peccatis populi hoſtia ſalutaris. Hæc quidem, fili chariſsime, geſta proculdubio ſunt inclyta, & opera laudabilia, principis catholici & ſpecialis filij ſanctæ matris eccleſiæ prædicti, quæ matrem ipſam reddunt non indigne de tali & tanto filio lætabundam.

Profecto, fili dilectiſsime, inter cæteros catholicos Reges & principes orbis terræ multum habes, vnde gratias Altiſſimo referas, qui te tot præuenit benedictionibus, & donis ditauit mirificis; ex quibus apud eum creſcis meritorum cumulis, & apud homines fama tui nominis & honoris celebrius per orbem diffunditur, & incrementis felicibus ampliatur. Nos itaque, qui tanquam ſpiritualis pater tibi ſuper bonis tuis congratulamur in Domino, ei qui ea tibi de ſuæ clementiæ pietate donauit, in humilitate ſpiritus labiorum vitulum exoluentes, magnificentiam tuam regiam rogamus, & in Domino attentius exhortamur, quatenus prædictam & alias glorioſas victorias, quas ipſe Rex Regum & dominus dominantium, qui ſolus eſt potens, & in cuius ditione cuncta ſunt poſita, de ſua ineffabili clementia tibi dedit, non tuæ vel tuorum humanæ, ſed potius ſuæ diuinæ potentiæ cum humilibus actionibus gratiarum aſcribas; ſibique ſeruire promptius totis viribus non omittas, operando iugiter quæ grata & accepta oculis ſuæ maieſtatis fuerint, & quæ ipſum offenderent quomodolibet euitando, vt maiora de manu ſua merearis accipere; tandemque per ipſius miſericordiam, diebus tuis in longæuum cum votiuis & felicibus protractis ſucceſſibus, de regno temporali, quod obtines, ad gloriam tranſeas ſempiterni.

Hortatur eum, vt victoriæ gloriam Deo referas.

Porro nos tunc auditis de victoria prædicta rumoribus, referendo gratias Altiſſimo, proceſſionem generalem in Romana curia cum clero & populo fieri fecimus, ac coram nobis & fratribus noſtris, præſente prælatorum & aliorum fidelium magna multitudine, diuina officia verbo Dei ſolemniter propoſito celebrari: ac ſubſequenter villam de Algezira prædictam in ciuitatem, quæ vocatur Inſulauiridis, vt præfertur, & eccleſiam maiorem ciuitatis eiuſdem, venerando beatæ Mariæ ſemper virginis genitricis Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti vocabulo inſignitam, in cathedralem, vt cultus diuinus agatur ibidem perpetuis temporibus, ſolemnius duximus, ſicut a nobis pro parte tuæ celſitudinis petitum extitit, erigendas. *Dat. Auin.* XIV. *kal. auguſti anno* III.

Actæ pro ea gratiæ diuino Numini a curia Rom.

53 Pepigiſſe Mauritaniæ tyrannum cum Caſtellano & Aragonio Rege induciſs ad decennium, ex libello etiam ſupplici a Rege Luſitano Pontifici porrecto conſtat: in eo ſiquidem Luſitanus expoſuit, Maurici belli molem in ſe vnum vergere, cum alij Reges inito decennali fœdere arma poſuiſſent, aurumque ſubſidiarium petijt: cui non defuit Clemens, vt ſubiectæ oſtendunt literæ ſequenti anno ineunte exaratæ, [a]

Caſtellanum inter & Maurũ initæ induciæ.

a An. 3. l. 2. p. 2. ep. com. 543.

Clemens, &c. Alfonſo Portugalliæ & Algarbij Regi illuſtri.

Nuper pro parte tua fuit expoſitum coram nobis, quod treugæ inter alios Hiſpaniarum Reges ex parte vna, & Regem de Bennamarin hoſtem crucis & blaſphemum nominis Chriſtiani ex altera per decennium ſunt initæ; quodque guerra inter te ſolum & dictum Regem de Bennamarin ex pluribus & diuerſis cauſis, pro parte tua nobis expreſſis, pro Dei ſeruitio & exaltatione eccleſiæ ſanctæ, nec non fidei Chriſtianæ extitit radicata; propter quam quidem guerram immenſas celſitudinem tuam oportet ſubire ſarcinas expenſarum: quare pro parte tua nobis extitit humiliter ſupplicatum, vt ad expenſarum huiuſmodi ſupportãda facilius onera prouidere tibi paterna beneuolentia de ſpeciali gratia dignaremur.

Luſitanus petitus bello a Mauro.

Nos igitur attendentes, quod ſtatus pacificus tuus & regnorum Portugalliæ & Algarbij non ſolum populorum in dictis regnis degentium, ſed etiam eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum ipſorum regnorum incolumitatem reſpicit, ac in tranquillitatem & pacem ipſorum noſcitur redundare; ſperantes quoque, quod tu, qui velut princeps catholicus & deuotus eaſdem eccleſias & perſonas eccleſiaſticas opportunis fauoribus & auxilijs hactenus confouiſti, eas ab oppreſſionibus & iniurijs, alijſq; noxijs nouitatibus illeſas & immunes ſeruare ſtudebis, Deo propitio, in futurũ ac volẽtes propterea pro tua & dictorum regnorũ defenſione de benignitate ſedis Apoſt. tuis neceſſitatibus huiuſmodi ſubuenire, *& infra*, decimam omnium eccleſiaſticorum prouentuum & redditinum per duos annos, *& infra*, duximus concedendam, &c. *Dat. Auin.* IV. *id. ianuarij anno* III.

Datæ ſubſidiariæ decumæ.

At quamquam Caſtellæ Rex inducias cum barbaro inijt, non tamen Maurici belli cura ſolutus erat, cum idem barbarus faciendæ alicuius inſignis irruptionis occaſioni inhiaret; quate ad eum retundendum parabat ſe Caſtellanus, atque a Pontifice anno proximo elicuit, vt omnes qui ipsũ ea ſacra expeditione ſtiparent, criminum veniam promererentur: *Tuis*, inquit Clemens [a], *ſupplicationibus inclinati, vt confeſſor idoneus, quem duxeris eligendum, vſque ad decennium ab eo tempore numerandum, quo ad terras Saracenorum inimicorum nominis Chriſtiani faciendo eis guerram perſonaliter accedere te continget, te inibi exiſtente, & guerram huiuſmodi proſequente, omnes Chriſti fideles ad dictam guerram ex cauſa deuotionis euntes, & ſingulos eorundem confeſſione ipſorum diligenter audita, ab omnibus peccatis, de quibus vero confeſſi fuerint & contriti in omnibus illis caſibus in quibus vnus de minoribus pœnitentiarijs noſtris poſſit eos abſoluere, ſi in Romana curia præſentes exiſterent, auctoritate noſtra licite poſſit abſoluere, ac eis pœnitentias iniungere ſalutares, & alia, quæ de iure fuerint iniungenda, ſerenitati tuæ tenore præſentium indulgemus. Dat. Auin.* VI. *kal. februarij anno* III.

Parat ſe in eundẽ Caſtellanus.

a Ib. ep. 557.

54 Tranſmiſerant nonnulli ad Alfonſum Regem Caſtellæ eorum exemplum, quæ Angliæ Rex aduerſus auctoritatem pontificiam in conferendis, reſeruandiſue ſacerdotijs nouarat: quo accepto Clemens, vt Alfonſum ipſum aduerſus improborum molimina muniret, ſignificauit ei debuiſſe illos [b] etiam ſcribere quam acerbe Eduardus a ſede Apoſtolica ob tentata obiurgatus fuiſſet, quæue illi pœnæ, niſi reſipiſceret, infligendæ eſſent; tum adiecit: *Sane, fili dilectiſſime, ſi geſta recolenda clara memoria progenitorum tuorum,*

Moliũtur aliqui ius eccleſ. opprimere in Caſtella.

b Ib. 3. ep. ſecr. 154.

Munitur Rex a Põt. aduerſus horum conatus.

rum, qui erga Deum & sanctam Romanam eccl esiam feruore fidei & sinceritate deuotionis fulgentes, & ipsam ecclesiam honorantes tamquam principes catholici, sicut matrem, ab offensis ipsius abstinere, sicut benedictionis filij puris & deuotis studijs curauerunt, reuolueris; et nihilominus attenderis diligenter, quot et quantis benedictionibus tam in obtinendis gloriosis victorijs, quam alijs factis felicibus te progenitorum ipsorum inhærendo vestigijs, et in eiusdem ecclesiæ persistendo gratijs et fauoribus, Dominus præuenerit sponsus suus; et insuper quod a nostræ promotionis ad summum apostolatum auspicijs te sicut præcharissimum et singularem filium gessimus et gerere intendimus in visceribus charitatis, libenter ad ea, quæ tuæ commoditatis incrementa respicerent, paternis affectibus intendentes; pro firmo credimus, quod talia et similia, per quæ Deum et ipsam ecclesiam prouocares contra te, suadentibus nullatenus tua regalis circumspectio acquiesceret, etc. Hortatur ne se improbis consilijs subornari, atque ad obscurandam in infringenda libertate ecclesiastica nominis sui gloriam adduci patiatur. *Dat. Auin. xiv. kal. augusti pontificatus nostri anno* III.

Quod porro ad Eduardum attinet; admonitus [a] anno superiori, vt in illos animaduerteret, qui Ademari tit. S. Anastasiæ & Geraldi tit. S.

a ib. ep. secr. 110. Sabinæ presbyterorum Cardinalium Aquitanorum procuratores ad colligenda sacerdotiorum, ijs pro sustentanda dignitate a Pontifice in Anglia attributorum vectigalia missos vel ceperant, vel pepulerant; non modo non obtemperarat, sed etiam in regni comitijs de contrahenda pontificia auctoritate, ne sacerdotia Angliæ sine regia

Nouat Anglus ad uer sus Pont. ius.

voluntate vel conferret cæteris, vel quæ ab electorum aut patronorum suffragijs pendebant sedis Apostolicæ liberalitati reseruaret, consilium agitarat. Eaque dissensione improbi quidam vsi, ad eam magis augendam nonnulla contra dignitatem Romanæ ecclesiæ, ad sacerdotiorum conferendorum ius spectantia, iactare ac patrare præsumpserant. Quibus permotus summus Pontifex grauissimas hasce literas ad Eduardum scripsit [b].

b Au. 3. l. 4 ep. cur. 8. & to. 2. ep. secr. 210.

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

55 Nuper magnitudinis tuæ literas, per dilectum filium Andream de Offorde clericum tuum nobis exhibitas, benigne recepimus, substantialiter inter cætera continentes, quod super prouisione ecclesiæ Norvvicensis de persona venerabilis fratris nostri Vvillelmi episcopi tunc electi Norvvicensis apostolicæ sedis nuntij, virtute reseruationis apostolicæ dictæ ecclesiæ per nos factæ cogitabundus, vt tuis vtamur verbis, fuisti plurimum & perplexus, pro eo quia, vt in eius dictis literis asserebas, dicta prouisio &

De reseruato Norvvicensi episcopatu lis.

concordia in parlamento tuo generali, pro conseruatione, vt asseris, iuris coronæ tuæ regiæ pridem facta, & nobis per tuas & nobilium ac popularium regni tui Angliæ literas intimata, tibi mutuo contradicunt: adijciens nihilominus in eisdem, quod dum nobis complacere, dictoque episcopo tunc electo fauere cupiebas, præiudicium ex alio latere tibi imminens abhorrebat tua regia celsitudo; quodque cum quidam prælati & nobiles pro dicti episcopi tunc electi expeditione cum instantia te pulsarent, alijs quasi omnibus dissuadentibus ex aduerso, tandem considerans sincerum affectum in missione dicti nuntij ad te missi, & zelum quem habere nos asseris, ad faciendum bonum temperamentum super tua & populari conquestione occasione prouisionum & reseruationum huiusmodi, vt dictæ tuæ continebant literæ, nobis facta, nec non magnum locum, quem idem episcopus tibi tenet & tenere poterit in futurum; & quod dicta prouisio facta erat postquam ipse ad te iter arripuerat veniendi; tam ob mittentis reuerentiam quam missi merita sibi voluisti gratiam facere specialem, præmissis quibusdam protestationibus pro conseruatione, vt asseris, iuris tui regij & ordinationis factæ in parlamento tuo, vt prædicitur, generali, & quod hoc non trahatur ad consequentiam in futurum, temporalia dicti episcopatus, non sine periculoso murmure communitatis dicti

Indignatur Anglus ad per reseruatu ius a Pont collatum.

regni tui; eidem episcopo tunc electo gratiose liberari fecisti, nobis per easdem literas finaliter supplicando, vt a reseruationibus & prouisionibus episcopatuum eiusdem regni tui supersedere velimus, & capitulis ecclesiarum dicti regni electiones libere dimittamus iuxta concessionem progenitorum tuorum inde factam, & per sedem Apostolicam, vt asseris, ex certa scientia confirmatam.

56 Sane, fili charissime, dum verba literarum tuarum prædictarum diligenter discutimus, & subsequenter in nostra memoria recensemus illa, quæ tuæ celsitudini super nouitatibus contra Deum & sanctam Romanam ecclesiam matrem omnium fidelium & magistram in regno tuo

Responsū pontificiū

singulariter attentatis, tam per literas pluries dulciter & charitatiue scripsimus, ac demum per dictum episcopum Norvvicensem, quem velut illum, de quo confidebamus & confidimus, & tui honoris ac commodi semper reperimus zelatorem & promotorem fidelem & feruidum, per nos ad tuam præsentiam propterea specialiter & fiducialiter destinatum, explicari viua voce fecimus, eandem celsitudinem tam per scriptiones nostras huiusmodi, quam per eundem episcopum paternis & salubribus monitis exhortando, vt super eisdem nouitatibus, quas de tua conscientia, cum sis princeps catholicus Deum timens & diligens, processisse minime credebamus, tua regalis curaret prouidentia tale tamque salubre remedium (antequam per orbem in tuæ famæ diuulgarentur dispendium) adhibere, quod eis omnino sublatis, talia vel similia deinceps non audirentur in regno attentari tam Christianissimo sic horrenda; eisdem exhortationibus nihilominus subiungentes, quod illis, qui talia, ex quibus saluti, statui, famæ, ac honori tuis non parum detrahitur, suadere niterentur, de cætero assensum non accommodares quomodolibet; sed eos potius, qui committentes præmissa in excommunicationis vel alias pœnas a canonibus aduersus tales inflictas incidunt, repelleres tanquam tuos detractores & hostes; de tua regali magnificentia quamplurimum admiramur, quod nec per literas tuas, nec per eundem episcopum ad nos redeuntem, & explicasse tibi pro parte nostra præmissa, quod nos eidem imposita referentem nihil nobis penitus respondisti: sed multa scripsisti per prædictas tuas literas, quæ in magnum eiusdem ecclesiæ Romanæ, ac potestatis & auctoritatis apostolicæ præiudicium & libertatis læsionem ecclesiasticæ, proh dolor! cedere dignoscuntur.

57 Videntur quidem innuere literæ supradictæ, quod super reseruationibus & prouisionibus ecclesiarum in tuis tibi parlamentis liceat aliquid

quid ordinare, quodque reseruationes & prouisiones apostolicæ a tua dependeant voluntate. Profecto, dilectissime fili, illa concordia, quam in tuo parlamento habitam tuæ prædictæ describunt literæ, nimis existeret temeraria, & diuinis constitutionibus inimica, per quam Apostolicæ sedis reseruationes & prouisiones dependerent ex tuæ voluntaris arbitrio, tuque per ipsas potestatem eiusdem sedis Apostolicæ, quod profanum est dicere, coarctares: quamquam nos, qui ecclesiarum omnium, tanquam pastor vniuersalis earum inuigilamus commodis, vti non intenderimus nec intendamus reseruationibus & prouisionibus huiusmodi, nisi quantum vtilitatibus & necessitatibus ecclesiarum ipsarum crediderimus expedire. Qualiter autem temporibus prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum circa reseruationes & prouisiones huiusmodi de multis prælaturis et alijs beneficijs ecclesiasticis dicti regni, super quibus nunquam impedimentum extitit appositum, res gesta se habuit, magnitudinem tuam latere non credimus; nec a tua memoria excidisse, quod nobis pro reseruationibus inibi faciendis aliquibus feceris supplicati: neque, fili amantissime, ignorant tui consiliarij pœnas diuinas et canonicas, quas statuentes, ordinantes, concedentes, et consentientes statui aliquid in præiudicium ecclesiasticæ libertatis incurrerunt.

Reseruationes pōtificio stāt arbitrio.

Propositū maiorum exemplū.

Regij administri deuincti censuris.

Vlterius autem ad nostram et fratrū nostrorum sanctæ Rom. ecclesię Cardinalium audientiā pertulit rumor implacidus nimium et infestus, qui iam per orbem esse asseritur diuulgatus, quod in regno tuo prædicto edicta et breuia in derogationem et eneruationem prędictę libertatis ecclesiasticę, primatus eiusdem Romanę ecclesię, ac auctoritatis et potestatis ipsius sedis Apostolicę, ad diuersas partes missa fuerunt: vt de captione & incarceratione multarum personarum ecclesiasticarum sacrilega, et impedimentis literarum et gratiarum apostolicarum ibidem appositis taceatur ad pręsens. Immo ad tantę ferocitatis in regno eodem audaciam dicitur fuisse deuentum, quod vix aliquis audet ibidem literas apostolicas pręsentare. Et licet prędicta sic enormia vel similia de tua procedere conscientia existimare sit graue, tamen apud Deum et homines tibi multum poterit imputari, si postquam sic diuulgata sunt, eis opportunis et salubribus remedijs non obsistas; maxime quia sępe, vt pręmittitur, more pij patris et beneuoli tam per diuersas literas, quam per tuos nuntios leniter et charitatiue tuam magnificentiam exhortandam prouidimus, sicut nosti. Vtinam, fili præcharissime, affectionem quam ad te beneuolam intra paterna viscera gerimus, attenderes, et intra præcordia regia reuolueres diligenter, quam grauiter ex his, quæ circa præmissa in regno committuntur prædicto, diuina maiestas offenditur; et ne ipsius iram incurreres, præueniendo vltionis eius vindictam terribilem, operosis sic studijs euitares, profundisque meditationibus cogitares, quantum a Deo exaltati fuerint hactenus principes orthodoxi, qui sacrosanctam ecclesiam vnicam sponsam Christi deuotionis studijs honorarunt, eam in suis iuribus, honoribus, & libertatibus confouendo, & quam turpiter ceciderunt & abiecti sunt, qui contrarium attentarunt; & deliberatione prouida & matura pensares, si præmissa, quæ in regno tuo prædicto aduersus Deum & ipsam ecclesiam sic impudice aguntur (quæ vtique defendi posse non credimus, nisi fidei & sacrorū canonum fundamenta radicitus euellerentur, quod absit) possunt per nos sine Dei offensa & læsione conscientiæ præteriri sub dissimulationis neglectu, vel quomodolibet tolerari.

Monitus Eduardus ne pontificijs edictis se opponat.

58 Audi ergo, fili, salubre consilium patris tui, & intende honori eiusdem Romanæ ecclesiæ matris tuæ, a qua tu & progenitores tui regnumque tuum prædictum magna beneficia, quibus vos obligauit ad gratitudinis debitum, recepistis. Attende quoque ipsam ecclesiam, cuius pastorali regimini licet meritis insufficientibus præsidemus non ab Apostolis sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum super omnes mundi ecclesias obtinere. Ipse quidem solus eandem fundauit ecclesiam, dicente Domino Petro: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solueris super terram, erit solutum et in cælis*; & super petram fidei mox nascentis erexit, non enim quæuis terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constitutum est cælum & terra; per quod denique constituta sunt omnia elementa, eandem Romanam fundauit ecclesiam: quæ quidem omnes patriarchales, metropolitanas, & cathedrales ecclesias, & ipsarum cuiuslibet ordinis dignitatem instituit: ad cuius pastorem & rectorem ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium ecclesiarum, dignitatum, personarum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere. Cogita quæsumus insuper & recogita fili, quibus & qualibus credis consilijs, quibusque te inuoluis negotijs, & ad eorum ingressum contemplare finalem egressum, cum sit viri prudentis, vt rerum exitus metiatur.

Proposita dignitas primatus Romanæ eccles.

Ideoque regalem excellentiam intensis rogamus & hortamur affectibus, & per Dei misericordiam obsecramus, quatenus ad cor rediens, & dilectos tibi in paterna dulcedine huiusmodi piæ nostræ exhortationis, suauisque increpationis & salubris inductionis afflatus tanquam catholicus princeps & prouidus, ac benedictionis & gratiæ filius deuote suscipiens, rationi & eiusdem ecclesiæ matris tuæ deuotioni subijce temetipsum: qua duce tibique propitia & placata proficere poteris: qua offensa non valebis, cum in eius offensa offendatur sponsus eius Iesus Christus dominus, prosperari; præmissa & alia vergentia in derogationem eiusdem Romanæ ecclesiæ & libertatis ecclesiasticæ in regno tuo prædicto cohibendo penitus & tollendo, nec illa vel similia inibi fieri de cætero permittendo, vt exinde tibi apud Deum cumulus meritorum proueniat, & regali nomini titulus humanæ laudis accrescat, ac nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam vberius regiæ deuotionis sinceritas mereatur. Alioqui cum ex iniunctæ nobis desuper apostolicæ seruitutis officio de anima tua illi, qui magnum iudicat sicut paruum, & apud quem personarum exceptio non existit, simus rationem in extremo iudicio reddituri, ac iura & auctoritatem præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ defendere teneamur; quominus in præmissis, in quibus tam patenter eiusdem Apostolicæ sedis auctoritas est contempta, & in suis iuribus & honoribus conculcata, limam correctionis sedis eiusdem, & pro mensura excessuum adhibere medelam salubrem procuremus, nec dissimulare possemus vlterius, nec salua conscientia præterire. *Dat. Auin. v. id. iulij anno* 111.

Monitus, vt in eius obseruantia diuinā gratiam promereatur.

Ex

59 Ex ijs, quæ de Eduardo primatum Romanæ ecclesiæ labefactare annitente conquerentem Pontificem audiuimus, nullus hæreticus calumniarum occasionem arripiat, quasi male de primatu Romanæ ecclesiæ tum senserint Angli: neque enim is in controuersiam ab ipsis vertebatur, sed agebatur tantum de sacerdotijs cōferendis, quæ transfundi in exteros, ac frequentius contra patronorum iura sedis Apostolicæ arbitrio reseruari indignabantur: quæ etiam ex Eduardi literis vigesimasexta die septembris anno regni, vt ipse iactabat, Franciæ quarto, Angliæ vero decimoseptimo consignatis (quas affert Vvalsingamus a) perspicue constabunt: in ijs enim queritur sacerdotia conferri exteris, qui animarum salute neglecta cumulandis diuitijs, atque e regno auehendis inhient: crebris etiam apostolicis reseruationibus præsulum liberas electiones disturbari, iura patronatus regij in ecclesias, quæ a maioribus conditæ auctæque vectigalibus fuere, labefactari: rogatque Pontificem, vt secuturis inde malis, quæ verbis amplissimis, atque aculeatis percenset, occurrat.

Quæ fuerunt Eduardi querelę de collatione sacerdotiorum.
a Ext. apud Vvalsing. in Eduard III.

Modum porro ijs positurus Clemens, atque enatam controuersiam compositurus, XVIII. kal. octobris Nicolaum archiepiscopum Rauennatem & Petrum episcopum Astoricensem Apostolicæ sedis internuntios in Angliam misit: quos etiam instruxit potestate b, vt ad ea, quæ aduersus auctoritatem apostolicam nouata erant, tollenda, præsules Anglicanos ad synodum conuocarent: & Eduardum repetitis literis c hortatus est, vt quæ aduersus libertatem ecclesiasticam gesserat, reuocaret. Excitauit d etiam Isabellam matrem ac Philippam vxorem Reginas, Henricum Derbeyæ comitem e, tum proceres Anglos præcipuos, vt Eduardum ad rem pristino statui restituendam permouerent. Habitus est vniuersæ huius controuersiæ auctor Ioannes archiepiscopus Cantuariensis f, qui cum illius infamiæ labem detergere a se plurimis verborum ambagibus niteretur, Pontifex ineunte hoc anno ipsum probare se factis innocentem, ac Regem ad præterita rescindenda adducere iussit g: Vvillelmus etiam archiepiscopus Eboracensis h, Richardus episcopus Dunelmensis i, alijque præsules l rogati, vt strenuam ea in re operam nauarent.

Missi in Angliam internuntij.
b To. 3. ep. secr. 267.
c Ibi. ep. secr. 468. & 554.
d Ib. ad ep. 469. ad 494.
e Ep. 323. & 349.
f To. 2. ep. secr. 622.
g Ead. ep. & to. 3. ep. secr. 324.
h Lib. 2. ep. secr. 624.
i Ib. ep. 623.
l Ib. post ep. 624.

60 Vicit obseruantia in sedem Apostolicam Eduardum Dauid Scotiæ Rex, qui cum regno post varias conuersiones & casus restitutus literas officiorum & amoris notis refertas ad Clementem misisset, Pontifex collaudato eius egregio studio, ipsum ad sectandas regias virtutes hortatus est m, atque ad asciscendos ad sanctiora consilia viros probitate ac prudentia insignes: denique preces adiecit, vt eum Philippus Francorum & Eduardus Anglorum Reges ad sedem Apostolicam oratores pro tractanda pace missuri essent, suos etiam ad redintegrandum cum Eduardo fœdus legaret.

Dauid Rex Scotiæ.
m Ib. ep. secr. 635.

Clemens, &c. Dauid Regi Scotiæ illustri.

Excellentiæ regalis literas, deuotionis & reuerentiæ erga Deum ac nos & sanctam Romanam ecclesiam plenitudinem sub pulchris & decenter ornatis verborum sermonibus describentes, læti recepimus. *Et infra:* Magnificentiam tuam exhortamur, quatenus ad illum, qui est via, veritas, & vita, & per quem regnas & regeris, dirigens iugiter studia mentis tuæ, prælatorum regni tui & aliorum sapientum virorum, qui auaritiam odiant iustitiam, pacem, & veritatem diligant, tuæque salutis & famæ feruidi zelatores existant, nec tuam contra Deum & iustitiam vereantur faciem, vtaris in tuis actibus consilijs, & eis in timore & amore diuinis te tenendo, continue acquiescas. *Et infra:* Porro cum charissimi in Christo filij nostri Philippus Franciæ & Eduardus Angliæ Reges illustres super tractanda coram nobis mutua ipsorum concordia debeant, vt pro firmo credimus, infra vigiliam instantis dominicæ ramispalmarum ad præsentiam nostram suos solemnes nuntios destinare; si tui, fili dilectissime, nuncij, viri vtique prudentes & pacifici, sufficienter instructi & idoneo mandato suffulti, tunc ad eādem, prout tibi & regno tuo prædicto expedire omnino credimus, venerint præsentiam, eos admittemus gratanter, & super pace tuique status tranquillitate, quantum cum Deo & honestate poterimus, interponere curabimus partes nostras. *Dat. Auin. XVI. kal. februarij anno secundo.* Adiecit alias ad Ioannam Reginam Scotiæ preces a, vt virum ad pacis consilia opportunis monitis adduceret.

Pontificē prosequitur officijs.
Monetur, vt mittat oratores acturos de pace.
a Ep. secr. 636.

61 Significauit b Clementi Eduardus, si Rex Francus male gesta ex iuris ratione rescinderet, atque iniurias inflictas expiaret, se statuto termino missurum oratores ad sedem Apostolicam, ac paci sanciēdæ accommodaturum. Quibus auditis Pontifex c, vbi primum exposuit Eduardo, quantis periculis vniuersus Christianus orbis fluctuaret, ac bellum illud funestum Anglos inter & Francos accensum ecclesiam grauissime concuteret; rescripsit liberi commeatus syngrapham a Philippo ex sententia oratorum Anglicorum conceptam fuisse.

b An. 2. ep. secr. 1029.
Queritur Eduardus inducias a Philippo violatas.
c Ep. secr. 1080.

Quod ad armigerorum supplicium pertinetet; respondisse Philippum, ipsos ob immania flagitia, patratas cædes, exercita latrocinia non ad infringendas inducias, sed ab ijs violandis metu pœnæ alios submouendos meritæ neci addictos fuisse: tum adiecisse multa contra induciarum religionem ab Anglorum Regis præsidiarijs militibus tentata. Iterumque Eduardum belli auctorem orauit d Clemens, vt quę intimo pectore premeret desideria, sibi ex arcano aperiret, neque enim se cuiquam ea patefacturum, summoque studio ad pacem conciliandam incubiturum, eum ad cœptam in Turcas expeditionem vrgendam maximi interesse. Certiorem vero fecit, canonicas leges ad maiorē ipsius natu filium ducisq; Brabantiæ filiam matrimonij vinculo coniugandos soluere distulisse e, cum in spem efferretur, ex affinitatibus cum Rege Francorum contrahendis pacem confirmatum iri. Ad eam autem a diuino Numine impetrandam viros religiosos atque inter cæteros Cistercienses ad solemnia ordinis comitia vocatos hortabatur f, vt summis precibus illam deposcerent. At votorum compos esse non potuit, cum Angli ipsum Regi Francorum addictissimum quererentur. Verum illos iniqua postulasse, ex alibi dictis haud obscure colligitur: immo Eduardum fraude vsum videbimus, dū ostentata pacis spe contra promissa bello Philippum vt incautum opprimeret, appetijsse ex literis pontificijs dicemus.

Contendit Philip potius ab Eduardo temeratas.
d Ep. 555.
e Ep. 556.
f Ep. 204.
Eduardus dolo pacē affectat.

62 Dum porro Eduardus Philippo Regi, Francorum regnum aut prouinciam aliquam amplissimam eripere nitebatur, Humbertus delphinus Viennensis principatum maximum sua sponte in Philippi posteros transfudit. Carebat Hum-

Humbertus delphinus Viennēsis

bertus prole, ac delphinatium, quos pluribus bellis a Sabaudis attritos vidimus, saluti publicæque paci consulere meditabatur: ac primum quidem Philippum Regis Francorum filium ad delphinatus successionem vocauerat, deinde vero, vt Francorum Regum potentia secuturis temporibus prouincia magis ab hostium iniurijs vindicaretur, in Ioannem ducem Normanniæ ac maiores natu Francorum Regum nasci turos filios ea lege, vt delphini nomen inditum ija foret, transfundendum statuit: auctumque ea ratione est in Gallia Lugdunensi regnum Francorum. Quam donationem translationemque Pontifex diplomate apostolico ad Ioannis ducis Normanniæ gratiam confirmauit a. Cæterum ornauit eundem Normanniæ ducem singulari ea prærogatiua b, vt sacra, exceptos corpore dominico, attrectare; ac dominicum corpus sub vtraque specie sumere posset.

Principatum Gallici regni heredi transmittit.

a Rod. to. 3. ep. secr. 316. b To. 3. ep. secr. 66.

Ioanni primogenito Philippi Regis Franciæ illustri duci Normanniæ.

Tuis deuotis supplicationibus inclinati, vt quæ sacra sunt, preterquam corpus dominicum, quod per alios quam sacerdotes tractari non conuenit, tangere quoties opportunum fuerit, & ad hoc te inducet piæ deuotionis affectus, cum honestate tamen & reuerentia quibus decet, valeas; & cum per confessorem tuum, vel sacerdotem alium sacra communio corporis domini nostri Iesu Christi tibi ministrabitur, possit etiam poculum sanguinis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & obseruantijs quibuscumque contrarijs nequaquam obstantibus, ministrari tibi, quandiu vixeris, & in quocumque statu, etiam si regali dignitate fulgeres, fuerit tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor vel sacerdos, qui tibi communionem huiusmodi ministrabit, c[illegible]a hoc sic secrete se gerat & caute, quod in ministratione tibi facienda de sanguine nihil extra vasa sacra effundi de illo valeat, nec scandalum quomodolibet generari. *Dat. Auin. xi. kal. iulij anno III.*

Côcessus calicis vsus duci Normanniæ.

Aucti etiam eodem sacro beneficio Philippus Rex Francorum c, ac Regina vxor d & Bona e nurus Normanniæ ducissa fuerunt.

Et Philippo Regi ac Reginæ

c Ib. ep. 68. d Ib. 69. e Ep. 67.

63 Interea ad consecrandam editi olim in hoc sanctissimo Eucharistiæ sacramento insignis in agro Vrbeuetano miraculi memoriam, de quo a nobis in Vrbano IV. dictum est f, cum vini species in corporalia lapsa sanguinis colorem hostiæque formam illis impressit, Clemens augendæ pietatis studio indulgentiarum præmia, ab eodem Vrbano templum, in quo sacra corporalia diuino illo cruore tincta cernebantur, aditurís concessa, auxit g.

f Annal. tom. 14. an. Chr. 1264 n. 26.

g To. 2. ep. secr. 703.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Et si deuota populi fidelis sinceritas ad veneranda sanctorum, quorum suffragijs indigere noscitur, solemnia quandoque donis spiritualibus, videlicet remissionibus & indulgentijs inuitetur; ad illius tamen venerationem celeberrimam, qui sanctorum omnium Conditor se pro redemptione generis humani dedit in pretium, & fidelibus suis speratur in præmium se daturum, est fideliū ipsorum deuotio ampliori huiusmodi largitione munerum excitanda. Olim siquidem felicis recordationis Vrbanus Papa IV. prædecessor noster, pia consideratione præmeditana & attendens fidelium ipsorum deuotioni congruere, & expedire saluti, quod illud salutiferum & dulcissimum sacramentum corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, quo quotidie in ecclesia pro salute nostra pascimur & potamur, præter illam venerandam memoriam, quam quotidie facit ipsa ecclesia, celebritate solemnitatis specialis fulgeret, ad hoc certum annuum festum, videlicet quintam feriam post octauas pentecostes, prouidit perpetuis temporibus statuendum. Et vt clerus & populus ad colendum festum ipsum inducerentur deuotius, & ad ecclesiam, in qua eiusdem festi celebraretur officium, frequentius conuenirent, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in ecclesia, in qua huiusmodi ageretur officium, centum; qui vero missæ, totidem; qui autem in primis eiusdem festi vesperis interessent, similiter centum; qui vero in secundis totidem; eis vero, qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completorij officijs adessent, pro qualibet hac ipsarum quadraginta; illis autem, qui per octauas illius festi matutinalibus, vespertinis, missæ, ac prædictarum horarum officijs interessent, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de iniunctis pœnitentijs relaxauit.

Festum corporis Christi institutum ab Vrbano.

Propositæ celebrantis indulgentiæ.

Sane pro parte dilectorum filiorum cleri & populi ciuitatis Vrbeuetanæ, nobis & ecclesiæ Romanæ immediate subiectæ, nuper humiliter supplicato, quod cum in ecclesia Vrbeuetana post institutionem dicti festi de ipso primum oratorium constructum fuerit, & propter quoddam miraculum, quod ad consolationem fidelium, & fidei exaltationem catholicæ ibidem extitit diuina clementia mirabiliter operata, tam de ciuitate ipsa, quam vicinis partibus cum ingenti deuotione fidelium multitudo innumerabilis annis singulis in festiuitate huiusmodi ad ecclesiam conueniat supradictam, ad augendam deuotionem conuenientium huiusmodi, ampliare dictas indulgentias de benignitate apostolica dignaremur; nos, qui deuotionem, & merita crescere populi Christiani paternis desiderijs affectamus, supplicationi huiusmodi benignius inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis in eodem festo & per octauas ipsius ad ecclesiam prædictam causa deuotionis conuenerint, diuina officia, sicut superius per horas distincta sunt audituri, præter indulgentias per eundem prædecessorem generaliter, vt præfertur, concessas totidem de gratia concedimus speciali. *Datum Auinion. id. februarij anno secundo.*

Auctæ a Clemente.

64 Hoc anno decorata est a Clemente insignibus prærogatiuis Pragensis ecclesia in Boemia: cum enim hactenus Moguntinæ obnoxia fuisset, ab illius auctoritate libera pronuntiata est, ac sede archiepiscopali insignita, de qua vitæ Clementis a auctor, scriptoresq; Boemi, Germani, ac Polonici. E quibus Michouiæ b verba adducenda visa sunt: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXLIV. *hactenus ecclesiam Pragensem episcopalem & suffraganeā Maguntinensi archiepiscopo in archiepiscopalem & metropoliticam, Lythomislensem vero, quæ abbatialis seu conuentualis S. Benedicti fuerat, exclusis monachis, in cathedralem Ioannes cæcus Boemiæ Rex Philippo Franciæ Rege enixius factum adiuuante, per Clementem Papam VI. vltima die aprilis in Auinione permutari procurauit, & Arnestum Pragensem tunc episcopum archiepiscopali & pallij honore insigniri; Olomucensemque in suffraganeam*

Pragensis ecclesia archiepiscopali apice insignita.

a Vita Cle. auct. apud Bosq. b Michou. l. 4. c. 23. Crom. l. 12. Cosm. Dubrau. hist. Boem. l. 22. Serar. l. 5. Mog. rer. in Henr. V. Id datum gratia Regi Boemiæ.

neam adijci obtinuit : sed Vratislauiensem, quam successu temporis Carolus Romanorum & Boemiæ Rex Pragensi archiepiscopo subijci deposcebat, impediente vero Cazimiro Rege Poloniæ, tanquam a Regibus Poloniæ fundatam & dotatam, obtinere non potuit. Extat hac de re in regesto pontificio diploma a, quod ob Pragensis ecclesię, ac regni Boemici dignitatem inserendum historiæ visum est, cum in eo etiam dies designentur, quibus nouus archiepiscopus pallio vsurus sit.

a An. 3. 1. 3 ep. de curſar. ſerm. 94.

Clement, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Pontif. de ea re diploma.

Attendentes Pragensem ecclesiam magnæ titulo dignitatis inter alias partium ecclesias præfulgere dignitate, rationabile fore conspicimus, vt ipsam Pragensem ecclesiam & archiepiscopos, qui pro tempore inibi præfuerint, spiritualibus gratiarum largitionibus, in ijs potissime, quę ad suum decus & decorem ex ipsius ecclesiæ excellentia dignitatis pertineret, honoremus. Nuper siquidem, suadentibus rationabilibus caussis, eandem Pragensem ecclesiam olim suffraganeam ecclesiæ Moguntinensis, ac tunc de prouincia Moguntina existentis, & venerabili fratre nostro Arnesto episcopo olim Pragensi in archiepiscopum Pragensem electo regimini eiusdem Pragensis ecclesiæ præsidente, de fratrum nostrorũ consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in archiepiscopalem & metropolitanam ereximus, & honoribus ac insignijs sedis metropoliticæ duximus decorandam. Et attendentes quod ipse Arnestus in eiusdem ecclesiæ regimine, dum episcopalis existebat, hactenus se gessit fideliter & prudenter; & quod illud in postetum attentius gereret, præfatum Arnestum ipsi ecclesiæ Pragensi in archiepiscopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius eidem Arnesto in spiritualibus & temporalibus committendo, sibique deinde pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis, a nobis ex parte sua humiliter postulatum, duximus concedendum.

Transmiſſum Arneſto archiepiſc. palliũ

Vt autem idem Arnestus & eius successores archiepiscopi Pragenses, qui erunt pro tempore, eo licentius pallio vti possint, quo specialiori Apostolicæ sedis super hoc fuerint priuilegio communiti, ipsius Arnesti supplicationibus inclinati, eidem Arnesto & successoribus suis præfatis, vt in ipsa Pragensi & alijs suæ Pragensis prouinciæ ecclesijs, videlicet in natiuitate Domini, & Ioannis euangelistæ, S. Stephani, & circumcisionis ac epiphaniæ Domini, ramispalmarumque, & cœnæ Domini, sabbato sancto, tribus diebus resurrectionis, nec non in ascensionis Domini, pentecostes, natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, & quatuor B. Mariæ virginis, in commemoratione omnium sanctorum, et S. Michaelis archangeli, et ecclesiarum dedicationibus, ac in principalibus ipsius Pragensis ecclesiæ festiuitatibus, et die anniuersarij consecrationis ipsius Arnesti, et ecclesiarum prouinciæ Pragensis prædictæ, vbi ipsum Arnestum vel successores eius prædictos interesse et missarum solemnia celebrare contigerit, principalibus festis; ac etiam in consecrationibus episcoporum, et ordinationibus clericorum, in abbatum et abbatissarum ac monialium benedictionibus pallio, alias eis rite concessu et etiam assignato, vti licite valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v 11. kal. septembris anno 111.*

Quibus diebus eo vſurus ſit.

65 Insignia Henrici archiepiscopi, et cleri Moguntini in sedem Apostolicam demerita non leuem occasionem ad Boemiam illius auctoritati subducendam, quod antea tentatum ab Othocharo sub Innocentio III. vidimus a, porrexercitum etiam aculeatę Nankeri episcopi Vratislauiensis verborum voces temere in Ioannem Regem Boemię iactę, Boemum excitarunt, vt Pōtificem magnis precibus ad erigendam nouā metropolim solicitaret: cũ enim Nākerus episc. Vratislauiensis oppidum Mielitz a Boemo sibi ereptum reposceret, non modo negantē anathemate constrinxit, sed etiam insolenti perculerat voce dum non Regem, sed regulum appellauerat. Quo perstrictus verbo Ioannes, cum rationem ardentis dicterij reposceret, huiusmodi responsum a Nankero retulit b: *Qui in suo regno metropolitano caret, & in coronatione sua prece & pretio aliarum nationum archiepiscopos conducit, regulus est, & inter omnes catholicos Reges minimus.* His addit Michouias: *Sugillatio huiusmodi Ioannem Regem Boemiæ adeo mouit, irritauitque, vt ex Pragensi ecclesia metropoliticam creari temporis processu procurauerit.* Exornata quidem archiepiscopali sede Pragensis ecclesia a Pontifice mox eo est priuilegio aucta c, vt Pragensi archiepiscopo sacrandi Boemię Regis auctoritas ad secutura tempora collata sit, cum antea is honos ad Moguntinum archiepiscopum spectaret; qua de re apostolicum diploma 111. nonas maias a Clemente editum est, quod Serarius d in Francofurdiana bibliotheca asseruari air. Sed de Pragensi ecclesia hactenus.

a To. x111 ao. Chriſt. 1204. n. 53.

Nankerus epiſc. contumelioſo verbo rei occaſionẽ dedit.

b Michou. l 4. c. 22.

c To. 2. ep ſecr. 1055

Pragenſ. archiep. ſacrandi Regis Boem iu re inſignitus.

d Serar. l. 5 Mog. rer. in Henr. III.

66 Per idem tempus ad afferendam suo splendori Vngaricam ecclesiam Pontifex barbarum motem tolli iussit, quo viri ecclesiastici in litibus certamen singulare probationum loco subire cogebantur. Damnatum alias reprobum hoc probationis genus, in quo innocentia & æquitas fatori ac sceleri sępius succumberent, ab alijs Pontificibus vidimus e. Cum igitur infanda consuetudo recrudesceret, Clemens Ludouicum Panoniæ Regem illi fauisse increpuit f, atque Elisabetham Reginam g matrem solicitauit, vt filium regij in ea re officij admoneret: tum etiam Strigoniensis & Colocensis archiepiscopi & Quinqueecclesiensis atque Agriensis episcopi apostolica imperia de abolendo iniusto & crudeli more continentes literas porrigere iussi h, Regemque ad id suis cohortationibus impellere. Onerabat præterea clerum Vngaricum Ludouicus Rex grauioribus vectigalibus, quæ vt amoueret rogatus est i. Datæ etiam sunt ad eundem Vngariæ, ac Poloniæ & Boemiæ Reges, præsules, proceresque commendatiæ literæ l, cum Galhardus electus Senadiensis & Arnaldus canonicus Titulensis pro recuperandis Romanæ ecclesię iuribus in ea regna legati essent.

Singulares pugnę vetitæ in Vngaria.

e An. Chr. 1252. n. 31.

f To. 3. ep ſecr. 452

g Ib ep. 453

h Ep 454.

i Super ep. 452.

l To. 2. ep ſecr. 1046 ad 1051. & to. 3. ep ſecr. 410. ad 421.

Neque illud hoc loco prætereundum est, querente m apud sedem Apostolicam Ioanne episcopo Cracouiensi, Casimirum Poloniæ Regem, plurium officiorum sibi exhibitorum oblitum, cum etiam sedente Benedicto XII. diutius in aula pontificia pro expediendis regijs negotijs eiusque vtilitatibus promouendis strenue operam nauasses, ecclesiam Cracouiensem oppressisse; Pontifex Regem grauissime monuit, quantum dedecus ea in re susciperet, ac diuinas iras lacesseret; nullam ampliorem gloriam, quam in ecclesijs tuendis ac numinis ministris venerandis principem colligere posse: *Tu tamen*, inquit, *fili dile-*

m To. 3. ep ſecr 344.

Monitus Rex, ne ius eccleſiaſticum labefactet

ctissime, tanquam præmissorum, & aliorum multorum obsequiorum vtilium tibi per eundem episcopum, sicut asseritur, impensorum oblitus, instigantibus forsan aliquibus suis æmulis qui, prout creditur, plus lucra sua propria, quam tuum honorem venantur; ad eiusdem episcopi & ecclesiæ suæ prædictæ, ac subditorum suorum offensas grauiores & iniurias te conuertens, eisdem intolerabilia imponi onera, & varias oppressiones irrogari fecisti: & (quod est durius & horrendum auditui) quia præfatus episcopus & nonnulli de clero suorum ciuitatis & diœcesis interdictum ecclesiasticum, ex certis causis tam apostolica quam ipsius episcopi auctoritate ordinaria ibidem appositum, vt tenebantur, inuiolabiliter obseruantes, illud ad mandatum tuum violare quomodolibet recusarunt; aduersus eos commotus plurimum, & ad iracundiam prouocatus, multiplicari fecisti huiusmodi grauamina contra ipsos, aliquos ex eis releganda a ciuitate Cracouiensi prædicta de facto, castris, bonis, ac rebus eorum occupatis, ac dispersis nequiter & vastatis. Et vlterius contra ius diuinum & humanum prohibuisse tuis subditis partium illarum diceris, ne de fructibus prædiorum suorum decimas præsumant episcopo & ecclesiæ soluere supradictis, &c. Præcipit, vt episcopo alijsque bona restituat. *Dat. Auin. IX. kal. nouembris anno III.*

Tartarorū irruptio in Russiam. 67 Incubuit hoc ipso anno Casimiro Regi grauis belli moles ex repentina Tartarorum irruptione: cum enim aliquot ante annis Russiam in prouinciæ formā, capta Leopoli vrbe principe, vti vidimus, redegisset; Russi nonnulli schismatici catholicæ religionis in Russia efflorescentis ac Polonorum odio Tartaros exciuerunt, dum Casimirus Elisabethæ filiæ ex priori coniuge susceptæ nuptijs pactis cum Boguslao Stetinensi duce celebrandis implicitus esset: quam excursionem barbaricam effusa paulo ante ingentia locustarum agmina visa sunt præsagire. Vt vero Casimirus contractis raptim copijs Tartaros Vistulæ transitu arcuerit, ex Cromero a accipiamus.

a Crom. l. 12. in Casim.

Magna vis locustarum ex Vngoria coorta: & mox ingentes Tartarorum copiæ in Russiam & Poloniam inundare a Dascone, quem Rex Præmisliæ præfecerat, & Daniele Ostrogio, & nonnullis alijs Russis res nouas molientibus euocata. Nam ij nacti tempus, quo Rex Casimirus longissime aberat, cruciferorum colloquijs, Silesico bello, & filiæ nuptijs occupatus, missis clam legatis admonuere Tartarorum principem siue Cæsarem, ne tributariam sibi Russiam a Polonis occupari pateretur: non defuturam ipsi fidem suam, operamque polliciti. Habebant autem ij inuisum Polonorum imperium, cum quod non libenter fere externis parent homines, tum quod sectæ ritibusque suis, ne callide sensim abolerentur metuebant: videbant enim multos de suis nostros ritus, & ad Romanam siue adeo catholicam ecclesiam se transferre, pluresque in dies honoribus & alijs præmijs a Rege ostentatis inuitari. Ab his igitur exciti Tartari & adiuti, obiter transcursa Russia, in Poloniam magna vi contendunt. De quorum aduentu cum tempore Casimirus a suis e Russia certior factus esset, coacto celeriter exercitu, in Sendomiriensem tractum obuiam eis profectus, positis in ripa Vistulæ stationibus, transitu fluminis arcere eos satis habuit, non ausus cum longe maioribus copijs manus conserere. Eminus modo hinc balistis, illinc arcubus velitatum est: in qua velitatione Albertus Palatinus Sendomiriensis gente Abdancus sagitta ictus cecidit. Tartari frustra tentato multis in locis transitu Vistulæ, magno cum tumultu populabundi, & ferro atque igni obuia quæque vastantes, per Lublinensem tractum retro abiere, nec arcem Lublinensem aliquot diebus oppugnatam expugnare potuere. Hactenus Cromerus.

Excitisūt a schismaticis barbari.

68 Hoc anno auctum est a Clemente collegium nouorum Cardinalium creatione, de qua eius vitæ scriptor hæc monumentis mandauit a: *Anno Domini* MCCCXLIV. *die vigesima sexta mensis februarij, in qua fuerunt quatuor tempora, dictus Papa creauit duos nouos Cardinales, videlicet dominum Petrum Bertrandi iuniorem de Columbarijs diœcesis Viennensis, tunc episcopum Atrebatensem, & hic fuit in presbyterum assumptus, eratque nepos alterius domini Bertrandi senioris, qui adhuc in collegio superextabat: secundum vero fecit diaconum, videlicet dominum Nicolaum de Bessia, tunc electum Lemouicensem, de cuius diœcesi oriundus erat, nepos suus ex sorore.* Hæc auctor, cui pontificiæ literæ consentiunt, quæ ad Bertrandum episcopum Atrebatensem scriptæ sunt b.

a Vit. Clem. auct. apud Bosq.

Cardinales creati a Clemente.

b To. 2. ep. secr. 821.

Dilecto filio Petro sanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero Cardinali, olim episcopo Atrebatensi.

Datæ ad Atrebat. de collato sacræ purpuræ iure literæ.

Moysi legislatoris, qui Ietro cognati sui vtili adhærendo consilio, viros prudentes, & Deum timentes circa regendam plebem Israeliticam elegisse restatur, exemplo ducti laudabili, ad onus spiritualis regiminis, quod ex iniunctæ desuper apostolicæ seruitutis officio noscitur incumbere, auxiliatores & coadiutores nobis viros vtique potentes in opere, & sermone, qui veritatem & iustitiam diligant, & auaritiam odiant, nos profundis meditationibus perquirentes, pridem ad personam tuam, quam largitor bonorum omnium multis virtutibus insigniuit, direximus intuitum nostræ mentis; & tandem matura deliberatione cum fratribus nostris præhabita, te pridem a vinculo, quo Atrebatensi tenebaris astrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutum, ad cardinalatus honorem de dictorum fratrum consilio duximus assumendum. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus huiusmodi suscipiens reuerenter, ad nostram & apostolicæ sedis præsentiam, absque cunctatione morosa studeas, diuina præuia gratia, te conferre, vna nobiscum & eisdē fratribus diuinijs obsequijs & ecclesiæ Romanæ seruitijs vacaturos. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis id. martij anno secundo*, Insignitum hunc fuisse presbyterali titulo S. Susannæ, Nicolaum S. Mariæ in via lata diaconum creatum, tradunt c.

c Contelor. in elect. Card. in creat. a Clem. VI. & alij.

69 Prætermittendum non visum est, misertum Pontificem Christianorum, qui apud Anteradon insulam Syriæ obiacentem, ex qua veluti ex arce irrumpere in Palæstinam poterant Europæi fideles, ni funesta dissensio eos in mutua funera cōcitasset, a Saracenis in seruitutem fuerant abducti, carcerisque, squalore, ac fame & siti contabescebant, fideles propositis indulgentiarum præmijs excitasse, vt eos collata stipe redimerent.

Christiani apud Anteradon capti a Sarac.

Clemens, &c. vniuersis Christi fidelibus.

Cum, sicut vniuersorum pauperum Christianorum, in carceribus soldani Babyloniæ inimici orthodoxæ fidei existentium, lacrymabili insinuatione percepimus, ipsi qui iam multis annis de vniuersis Christianitatis partibus in insula de Tonrtose & pluribus alijs partibus Syriæ capti fuerint a perfidis Agarenis, & adhuc sunt in Castro Cadri fame & siti pereuntes, & alias pertractati nequiter, eiusdem soldani carceribus mancipati, vniuersitatem vestram rogamus & hortamur

Vrente spes ad eos redimendos stipe erogatur proposita.

in

in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pro ipsorum redemptione captiuorum pias ad hoc eleemosynas, & grata eis charitatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram dictorum captiuorum necessitatibus consuli, & eorum liberatio valeat de ipsorum perfidorum Agarenorum manibus prouenire, &c. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis VIII. id. maij anno III.* Turgidi porro superbia Saraceni Christianos sacerdotes, qui Saluatoris mundi vestigijs consecrata loca incolebant, nec non Minoritas, qui diuinam rem in sepulchro dominico & Monte Sion curabant, varijs iniurijs afficere: quibus permotus Aragonum Rex proximo anno a Clemente expetijt, vt sibi ad soldanum muneribus demulcendum oratores mittendi facultas daretur: cuius consilium Pontifex laudauit a, permisitque vt necessariæ ad id merces Syriæ inueherentur.

Sacerdotes Christiani Ierosolymis vexati. Soldanũ illis conciliat muneribus Aragonius.
a An. 4 l. 4. p. 2. ep. 655 de indultis.

IESV CHRISTI
Annus 1345.

CLEMENTIS PP. VI. annus 4.	VAC. IMP. OCCID. 32. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 5.

1 INgentes luctus, funesta in Asia clade Christianis illata, necato a suis infanda proditione Andrea Siciliæ Rege, Gallis & Anglis in mutuas strages irruentibus, inuexit annus a virgineo partu millesimus trecentesimus quadragesimus quintus indictione decimatertia. Vincere b vi aperta Marbassanus barbarorum princeps non poterat, quamuis collectis ingentibus copijs Smyrnam obsidione cinxisset, ne fideles interiores oras penetrarent; multisque prælijs ac repentinis eruptionibus haud leues clades acceperat. Conuersus itaque ad dolos, relictis in castris aliquot turmis, se subduxit, & florentissimo alio exercitu succinctus in montibus delituit, rei euentum præstolaturus, nostrosque incautos[op]pressurus. Respondit consilijs funestis exitus, quem describit Cortusiorum historia c de Turcis prælocuta: *Cum maxima, inquit, multitudine armatorum se posuerunt iuxta Smiras, & cum trabuchis intrinsecos infestabant in opprobrium sanctæ crucis. Christiani, vexillo crucis præmissa, exierunt subito pugnaturi, & de Turcis habuerunt victoriam, & eorum machinas combusserunt. Dum vero Christiani vagarentur, colligentes eorum spolia & dominus legatus missam solemniter celebraret, Morbassan (qui se scribit dominum Achaiæ & Imperatoris Orchani collateralem & pugilem) cum multitudine equitum superuenit: contra quem nobiles caporales pugnauerunt egregie, quasi ab vniuerso vagante populo destituti.* Paucisque interiectis, vt sub multitudine succubuerint, subdit: *Sic eo die capita dominorum legati, Petri Zeni, Marini Zachariæ de Ianua, capitanei etiam Rhodi, & aliorum viginti nobilium Morbassano Turcorum domino præsentantur. Isti nobiles Christi pugiles & martyres per gloriam viuunt in æternum. Fuit hoc MCCCXLV. die XVII. ianuarij.*

b Io. Villa. l. 12. c. 38. Marbassanus Ioniæ princeps Smyrnam obsidet.
Christianos in insidias allicit.
c Cortus. hist. l. 8. c. 16.

Elatus hac victoria Marbassanus Smyrnam magno furore iterum oppugnauit. At Christi fideles cladi superstites, quique celeri fuga ad Smyrnam sibi consuluerant, non in desperationem acti, sed robore induti, strenue barbaricos impetus propulsarunt, aliosque fideles in auxilium exciuerunt. Proficiscebatur ad ipsos, nondum audita ea clade Petrus a e Palude cum egregio militum crucesignatorum delectu, quem Pontifex Ioannæ Græcorum Imperatrici, Cypri, Armeniæ, Siciliæ Regibus pridie Venetis, alijsque principibus non. martias commendauit.

Iterum Smyrnam oppugnat sed repellitur.
Petrus Paludadducit auxilia
a To. 3. ep. secr. 849. & ab 837 ab 850.

2 Perlato vero tristi & acerbo tot cęsorũ ducũ casu, Clemens Bertrãdum e Baucio pontificiarum triremium Martini Zachariæ loco præfectum, ac Raimundum episcopum Morinensem Apostolicæ sedis legatum creauit b, de quo Philippum Regem Francorum c, tum etiam Anglorum subiectis literis fecit certiorem d.

Raimundus episc. Morinen. creatus in Asia legatus.
b Ib. ep. 897.
c Ibid. ep. secr. 922. 973.
d Ib. ep. 909.

Clemens, &c. Eduardo Regi Angliæ.

Licet casus bonæ memoriæ patriarchæ Constantinopolitani Apostolicæ sedis legati & aliorum strenuorum virorum, de quibus in ipsis literis fit mentio, sit grauis, & mentes fidelium ibidem in prosecutione negotij Redemptoris nostri existentium terrore aliquo concusserit, vt probabiliter existimamus, nosque dictis auditis rumoribus dolore nimio fuerimus conturbati; quia tamen audiuimus, quod fideles ipsi, qui terram acquisitam & ereptam ex manibus paganorum custodiunt, & alij, circa dictum negotium in eisdem partibus laborantes, tanquam viri prudentes & strenui non demissis sed eleuatis cordibus loco illorum, qui (nescitur quo Dei occulto iudicio) ceciderant, quantum potuerunt & in eis fuit, alijs ordinatis, se aduersus hostes fortiter muniuerunt; quodque multi fideles de diuersis partibus zelo accensi fidei catholicæ ad iuuandum huiusmodi Dei negotium celeriter se disponunt; nos, exinde non modicum in Domino consolati, speramus in eo, cuius res in hac parte principaliter agitur, quod ipse post turbines procellosos serenum ad consolationem fidelium operabitur & tranquillum. Nos quoque, qui eius vices, licet insufficentibus meritis, in terris gerimus, ad consolationem fidelium, & fulciendum solidius & fortius negotium supradictum, venerabili fratri nostro Raimundo Morinensi episcopo, viro vtique circumspectione prouido, legationis in illis partibus, & dilecto filio nobili viro Bertrando de Baucio militi domino de Cortedono Auinionensis diœcesis, experto in rebus bellicis, capitaneatus galearum officia, magna & matura deliberatione consilij præuia, de fratrum nostrorum consilio duximus committenda; intendentes quod ipsi, quauis morosa dilatione submota, profectari ad partes illas arripiant iter suum, &c. *Dat. Auin. XV. kal. aprilis anno III.*

De clade ad Smyr. accepta pontificia litera.
Commendata eorũ qui cecidere, virtus.
Suffecti in cæsorum locum alij

De imposita Raimundo episcopo Morinensi prouincia, & collata ei auctoritate extant literæ e, traditaque illi potestas f, vt ad tractandam inter Gualterum ducem Athenarum & Catalanos (quos magnæ societatis de Romania nomine designat) concordiam incumberet g, quo viribus coniunctis Turcarum conatus eliderentur.

e To. 3. ep. secr 963.
f Ib. ep. 962. 965. 966.
De pace inter Catalanos & ducem Athen agitatum
g Ib ep. 969.

3 Accingebant se Asiatico itineri Raimundus legatus ac Bertrandus e Baucio, cum Philippus Francorum Rex pontificium illud consilium discussit h, questusque est præclaros viros, qui sibi vel consilio vel opera ad propulsandos imminentea Anglos necessarij essent, ad alia bella auerti; tum etiam superiorem in Turcas expeditionem damnauit, vt qui metueret ne Gallica iuuentus arma potius in barbaros quam Anglos corriperet, causatus eo bello efferatos magis infideles ad Christianum nomen delendum quam repressos. Cui summus Christi vicarius scripsit, Francorum gloriæ tribuendum, si Gallici generis legatus apo-

Gallus Rex grauate fert suos proficisci in Turcas.
h Ibid. ep. 1048.

ftolicus crucesignato exercitui præesset, neque Gallos ad trausferenda in Turcas arma incitari; falsam vero opinionem, non suscipiendum fuisse aduersus eosdem fidei hostes sacrum bellum, confutauit.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Sicut pridem, magnificentiæ regiæ scripsisse recolimus, nos audita morte bone memoriæ Henrici patriarchæ Constantinopolitani apostolicæ sedis in partibus transmarinis legati, & quondam Martini Zachariæ galearum nostrarum capitanei, vt Dei negocium feliciter contra hostes fidei Christianę in partibus illis incœptum destitutum nullatenus remaneret, & ad consolationem fidelium laborantium in eodem; venerabilem fratrem nostrum Raimundum episcopum Morinensem legatum eiusdem sedis in partibus prædictis, & dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Bautio galearum prędictarum capitaneum duximus deputandos. Et licet ipsi parati essent ad partes easdem arripere iter suum, nosque super his multis magnatibus & alijs earundem partium scripsissemus; intellecto tamen per literas regias nobis missas, quod tibi eosdem episcopum & militem ad partes prædictas temoras accedere non placebat, mox permisimus, vt ipsi se tuis in hac parte beneplacitis coaptarent: sciturus, fili charissime, quod indulgentias, quas ad partes prędictas in subsidium fidelium ibidem degentium accedentibus concessimus, ad illos de regno tuo expresse voluimus non extendi: nec nobis placet, nec placuit, quod aliqui de dicto regno his temporibus, quibus de commotionibus guerrarum timetur, illuc venerunt siue vadant.

Respõdet Pontifex, Gallos ab eius tuitione non auerti.

4 Cum autē intellexerimus per literas regias nobis missas, quod aliqui visi sunt auribus regijs instillare, armatam quam mittendam in subsidium fidelium, & ad repressionem Turcorum infidelium prædictorum ordinauimus, magis in damnum Christianitatis, quam commodum, quia propter eam erant infideles prædicti commoti amplius solito aduersus Christicolas, redundabat; excellentiam regiam volumus pro certo tenere, quod talia veritate minime fulciuntur. Certum quidem est, quod Turchi blasphemi & persecutores crudeles nominis Christiani adeo dure fideles populos, in Romaniæ alijsque circumuicinis transmarinis partibus commorantes, veniendo etiam vsque ad terras dilecti filij nobilis viri Roberti principis Achaiæ nepotis tui, molestare cœperant ac etiam deuastare, quod Christianis in vastitate hostili positis, & per ignis incendia & rapinas atroces bonis suis spoliatis, alij per eosdem Turcos ducebantur captiui & vt pecudes vendebantur, & ad abnegandam fidem catholicam in nostri Saluatoris contumeliam, proh dolor! cogebantur; aliqui vero subijciebantur tributariæ seruituti; sicque dicti hostes se in tantæ præsumptionis audaciam erexerant & audacius erigebant, quod nisi habuissent resistentiam, quam eis fecit armata prædicta fidelium illuc missa, non solum nomen Christianitatis, vt habet fidedignorum opinio, de illis extinxissent partibus; sed forsan vsque ad ignominiosam Christianitatis confusionem, vsque Neapolim processissent, & vltra. Propter quod nos audito literali & verbali clamore populi Christiani, tam in Romania quam in Cypro & Rhodo, alijsque circumuicinis partibus commorantis, & tactis ex tanta ipsius populi miseria dolore cordis intrinsecus, paterna nos coegit pietas, & debitum officij pastoralis induxit, vt super tot & tantis eiusdem populi afflictionibus eis prouidere de aliquali defensionis & consolationis remedio curaremus.

Refellit susurronũ dicta.

Illata à Turcis mala exponit.

Et infandos eorũ progressus

Et susceptum cõtra eos ex pietate bellum.

Ideoque regalis circumspectio ponderet & discutiat diligenter, si nos decuit, immo necessarium fuerit, armatam ordinare prædictam: talibus suggestionibus veritatis fundamento carentibus, non accommodet de cætero regia sublimitas credulas quęsumus aures suas. De his autem, venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis, & dilecti filij nobilis vir Ludouicus de Pictauia, ac magistri Firminus de Coquerello decanus ecclesiæ Parisiensis, & Petrus de Verberia clericus consiliarij regij, veraciter informari, efficere poterunt celsitudinem regiam viuæ vocis oraculo certiorem. Verum quia a nonnullis reputabatur honoribus conueniens regijs, si tale tamque pium negotium dirigeretur, & duceretur per episcopum regni sui, & de suo consilio existentem; videat regalis prouidentia, si decentius existeret, quod præfatus episcopus, qui proficiscendi ad partes transmarinas prædictas licentiam a te alias obtinuisse asseruit, & nunc ad tuæ celsitudinis redit præsentiam, ad partes supradictas accederet; maxime quia super hoc zelum feruentis deuotionis ostendit. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v. id. maij anno III.*

Gallus sacro in Turcas bello obicem obijcit.

a Eod. to. 3 ep. secr. 1010.
b To. 4. ep. secr. 132.

5 Reuocatus porro est a legatione in Turcas episcopus Morinensis a Philippi Francorum Regis importunis precibus, & apostolici legati vices datæ Francisco archiepiscopo Cretensi, qui post Henrici patriarchæ necem strenue se gesserat: ad quem & crucesignati exercitus præfectos hæ datæ literæ. b

Clemens, &c. venerabili fratri Francisco archiep. Cretensi vicelegato in partibus Romaniæ & dilectis filijs tam generali quam alijs capitaneis & patronis galearum Christiani exercitus contra Turcos.

Gerentes in præcordijs, & apostolicis prosequentes fauoribus, Dei & catholicæ fidei negocium, quod per vos geritur contra Turcos, non cessamus, nec cessare intendimus illa promouere, quantum cum Deo poterimus, per quæ dictum negocium ad laudem diuini nominis, eiusdem exaltationem fidei, consolationem fidelium, & depressionem prædictorum Turcorum infidelium blasphemorum & persecutorum crudelium Christiani nominis, valeat prosperari. Exultat siquidem cor nostrum in Domino, & eidem in humilitate spiritus gratiarum referimus actiones, quod vos, vt habet fidedignorum de partibus illis venientium grata relatio, tanquam viri constantes & strenui circa dictum negocium, magis saluris æternæ præmium, quam mercedem temporalis commodi expectantes exinde, fideliter & intrepide geritis & constanter. Adijcit etiam huiusmodi lętitiæ in hac parte, quod, vt a multis audiuimus, diuinæ pietatis clementia de sede suæ magnitudinis negocium huiusmodi respiciens oculis gratiosis, pro ipso in diuersis partibus stupenda miracula operatur, quorum coruscatione fideles innumerabiles de diuersis mundi partibus excitati, & illecti nihilominus remissionibus, & indulgentijs per nos concessis iuuantibus negocium antedictum, ad hoc deuotis & feruentibus affectibus & effectibus se accingunt. *Dat. Auin. xv. kal. augusti anno IV.*

Archiepiscopus Cretensis rem strenue gerit in barbaros.

Fideles in eos fortiter propugnant.

In-

Clemen- tis nepos in Turcas profectus. a Ann. 3. ep. 945. ad 954. b An. 4. l. 2. ep. cur.

6 Intentus itaque submittendo in Asiam auxiliari exercitui Pontifex, Guichardum Combornium nepotem auxiliari militum manu instructum submisit a tum Humbertum delphinum Viennensem crucesignati exercitus ducem creauit, ad quem datæ extant subiectæ literæ b.

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Imberto dalphino Viennensi capitaneo generali sanctæ sedis Apostolicæ, & duci exercitus Christianorum contra Turcos.

Delphin' Viennensis creatus dux exercitus crucesignati.

Diligenti deliberatione præhabita te, vtpote eiusdem fidei feruidum zelatorem id deuote petentem & etiam requirentem, capitaneum sanctæ sedis Apostolicæ & ducem exercitus Christianorum contra eosdem Turcos auctoritate Apostolica facimus, constituimus, & ordinamus modo, qui sequitur, generalem. Arripies namque iter, Deo duce, pro transfretando ad Turchiæ partes, quam cito poteris bono modo. Itaque ad longius pones te in mari infra secundam diem instantis mensis augusti, & eris, Deo dante, in dicta insula Nigropontis infra medium instantis mensis octobris; ducesque tecum ad minus centum homines tam milites quam armigeros bonos & sufficientes in factis armorum, quos tenebis ibidem tuis stipendijs & expensis per tempus, quo liga inter nos & Romanam ecclesiam & charissimum in Christo filium nostrum Hugonem Regem Cypri illustrem, ac dilectos filios magistrum & fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, & ducem & commune Venetiarum, & nonnullos alios de certis galeis contra eosdem Turcos tenendis dudum inita durabit. Et si contingat tempus seu liga huiusmodi prorogari, habebis nihilominus inibi tenere dictos homines armorum ad minus per tres annos, a tempore ordinationis huiusmodi computandos, prout hæc omnia in nostra & fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia personaliter constitutus spontanee promisisti, ac super ijs inuiolabiliter obseruandis præstitisti corporaliter iuramentum per te postmodum viuificæ signo crucis, ac vexillo sanctæ Romanæ ecclesiæ publice de nostris manibus pro his exequendis assumptis. Per hæc autem nolumus nos vel sedem prædictam ad dandum tibi aliud ratione capitaneatus & ducatus huiusmodi quoquo modo astringi. Nulli ergo, &c. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VIII. kal. iunij anno IV.*

Traditum illi vexillum Rom. ecclesiæ.

c Reg. post vand. ep.

De creato delphino crucesignati in Turcas exercitus duce certiores facti c Cretensis, Patracensis, Atheniensis, Thebanus, Corcyrensis, Colocensis, Niczicnsis, Dyrrachinus, Neopacensis, & Neopatrēsis archiepiscopi, eorumq; suffraganei, ac moniti, ne consilio & opera illi deessent: tum præfecti, tribuni, & centuriones delphini imperijs parere iussi d.

d 16. ep. 3. e Ead. l. 2. ep. cur. 6.

7 Data eidem est prouincia e, vt Caffæ a Turcis & Tartaris obsessæ suppetias ferre anniteretur.

Dilecto filio Imberto dalphino Viennensi capitaneo generali sanctæ sedis Apostolicæ, ac duci exercitus Christianorum contra Turcos.

Demandata illi ferenda Caffæ opem ... ca.

Nuper fidedigna relatio ad nostrum deduxit auditum, quod Saraceni, Tartari, & infideles alij crucis hostes ac inimici nominis Christiani in graui multitudine ad ciuitatem Caffensem, quæ nedum Christianis eam inhabitantibus, sed etiam alijs Christifidelibus in illis partibus fore dicitur quodammodo refugium singulare, hostiliter accedentes, eam per terram vndique obsederunt. Cum autem facti experientia te docere possit quid, & qualiter agere debeas circa piam & laudabilem prosecutionem negotij per te feliciter Deo dante assumpti, nobilitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus si commode & absque impedimento prosecutionis eiusdem negotij contra Turcos fieri valeat, eidem ciuitati & incolis, maxime de galeis Ianuensium, præstare velis consilium, auxilium, & fauorem. *Dat. Auin. XV kal. ianuarij anno IV.* Excitati alijs literis Genuenses a, tum eiusdem reipublicæ orientales coloniæ, vt ad Caffam contra barbarorum impetus defendendam prosilirent; propositæque vniuersis, qui sacrum crucis symbolum susciperent, indulgentiæ fuerunt. Denique obsessorum constantia pontificioque studio impetus barbarorum Caffa propulsati fuerunt.

a Ib. ep. cur. 7.

8 Meminere b plures scriptores de suscepta expeditione in Turcas ab Humberto delphino Viennensi, qui se bello sacro deuouerat, ditionemque Franco Regi tradiderat; qua de re extat diploma pontificium, quo principatus ille primum Philippo Galli Regis filio concessus, deinde ob politicas causas in Ioannem ducem Normanniæ transfusus, apostolica auctoritate confirmatus c est. Cæterum delphinus contractas in Galliis copias aucturus in Italia cōmendatus d est a Pontifice Italis principibus & populis, quos quidem pontificijs monitis morem gessisse Ioannes Villanus indicat e: quadringentos enim circiter Florentinos rubra cruce distinctos, Senenses trecentos & quinquaginta delphinum secutos refert, ac plures alias cohortes ex alijs Italiæ vrbibus ad illius signa concurrisse, confluxisseque Venetias conductos pontificijs stipendijs; ac mense octobri in orientem traiecisse.

b Vita Clementis apud Bosq. M.S. Vat. sign. n. 2040. & aliud sign. n. 3765. ac alij. c Tom. 4. ep. secr. 116. d Ibid. ep. 135. & seq. ad 143. e Io. Vill. l. 12. c. 38.

E Sicilia citeriore Robertus e S. Seuerino Coriliani comes sacram inire aduersus Turcas semestrem expeditionem cum decem triremibus decreuit; cui Pontifex ad proceres Italos & populos syngrapham dedit f, vt classem apparaturo fauerent; ac Ioannam Reginam Siciliæ hortatus est g, vt necessaria e regno educi permitteret. Tum etiam eidem comiti amplioris naualis exercitus contrahendi potestatem fecit h: cæterum illum obstrinxit ve vrbes arcesque bello Turcis eripiendas Romanæ ecclesiæ nomine custodiret i, ac delphini Viennensis supremi crucesignatorum in Turcas ducis imperijs obsequeretur l. Denique proposita a Clemente sacra indulgentiarum præmia ijs, qui Roberti signis se aggregarent: iussique m Barensis & Amalphitanus archiepiscopi, fideles sacra arma correpturos crucis symbolo humeris apposito distinguere.

Robertus S. Seuerinus regali sacro te bello accingit. f Eo. 4. ep. secr. 156. g Ib. ep. 160. h Ep. 161. i Ep. 158. l Ep. 157.

Summis etiam Minoritarum n, Prædicatorum o, Augustinianorum p, & Carmelitarum q præpositis de instituendis in singulis prouincijs quatuor vel pluribus concionatoribus sacra eloquentia florentissimis, qui populos ad suscipiendum crucis symbolum cohortarentur, imperia data. Quibus literis, vbi diras Turcarum excursiones, immanitatemque exercitam in Christianos, initam cum Hugone Rege Cypri, Venetis, Rhodijsque equitibus armorum societatem, vocatos ad crucis signa fideles descripsit, subijcit Pontifex: *Licet, sicut intelleximus, nonnulli ex eisdem archiepiscopis & suffraganeis circa præmissa exequenda satis se reddiderint diligentes; vt prædictum tamen negotium, pro quo sicut habet multorum fidedigna relatio, diuina pietatis clementia in plerisque mundi partibus stupenda miracula opera-*

m An. 4. l. 1. ep. com. 530. n To. 4. ep. secr. 173. o Ib. ep. 174. p Ep. 175. q Ep. 176. Religiosi viri ad fideles accendendos incitati.

vatur, quodq; feruentibus et finceris affectibus profequimur, amplius valeat auctore Domino, cuius res agitur, prosperari, &c. De multis prodigijs, quibus fideles ad dandū sacræ militiæ, accepto crucis symbolo, nomen contra Turcas excirari sunt editis in plurihus orhis Christiani regnis meminit in alijs literis Pontifex, ferturq; in Pistoriēsi historia [a] apud Aquilā regni Neapolitani vrbē in cuiusdā ecclesiæ altari Deiparam gestantem in vlnis filium, qui crucem manu præferehat, videndam se multo circumfusam splendore ohiecisse: plures etiam infantes impressam humeris crucem ex vtero tulisse.

a Pistorien hist. Cruces diuinitus efformata.

9 Vocabat sacris ijs prodigijs Deus ad religiosam in Turcas militiam Christianos, vt hostes tererrimos antequam ingrauesceret magis eorum potentia, religionemque extingueret in tot tantisque regnis debellarent: ac diuino impulsu acti fideles ad sacrum bellum procurrissent, nisi Eduardi Anglurum Regis Gallico sceptro inhiantis ambitio Gallos & Anglos in mutuas cædes concitasset. Quantas porro rei Christianæ calamitates horum Regum dissensio inuexerit, plura iam secula luxere: ad quas auertendas Pontifex Eduardo grauissimis sententijs, accepta e clade Smyrnensium occasione porposuit [b] quantam iniret a dinino Numine gratiam, quantum rei Christianæ præsidium afferret, quantum sibi pareret gloriæ decus, si stricta in fideles arma verteret in Turcas: gloriosiora ah ipso bella geri non posse, quam quibus simul terrenæ cœlestesque coronæ compararentur; præcipuas ecclesiæ vires in Gallis & Anglis constare, quæ si inuicem se atterant, fideles barbarorum prædæ expositū iri: conuersos ad ipsos orientalium fidelium oculos, atque expectatione languere: perpenderet animo omnia humana, quæque augustiora somni instar euanescere, æterna diademata habenda in pretio: reponeret Christo e cruce pendenti gratiam, illiusque iniurias ferro vindicaret.

Eduardus Rex Angliæ Turcicam expeditionē disturbat.

Rogatur, vt digniorem cæli triumphū compararet. b To.3 super ep. sec. 909.

Clemens, &c. Eduardo Regi Angliæ illustri.

O fili dilectissime, quam foret Redemptori nostro placihile, quamque Christianitati expediens, ac catholicis Regihus & principibus apud Deum meritorium, & inter homines honorabile, testaretur veritas, & fama celebris prædicaret, si omissis guerris et dissensionihus (in quibus non sine maxima Dei displicentia et offensa, ac animarum euidentihus periculis sanguis illorum funditur, quos redemit pretiosissimi cruoris effusio corporis Iesu Christi) ad pacis et vnitatis concordiam, in qua delectatur Altissimus, conuertentes placabiliter corda sua, aduersus illos, qui Deum blasphemant, Christianitatis vilipendunt gloriam, sanguinem fidelium sitiunt, et ad eorum confusionem et exterminium aspirant, virium suarum potentiam exercerent. Illa quidem propria essent bella catholicorum Regum et principum, per quæ regna temporalia non perderent sed augerent, et regni coronas sibi acquirerent sempiterni.

Solicitatur Eduar. vt arma in Turcas vertat.

10 Cum autem inter cæteros Reges et principes orthodoxæ fidei professores tu, amantissime fili, et charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Franciæ illustris potentiores ac eminentiores reputemini non indigne; et propterea partes transmarinæ prædictæ, in quibus catholicæ fidei viget cultus, contra hostes eiusdem fidei ipsiusque oppressores et persecutures atroces exercetis vestram potentiam huiusmodi, diutius expectauerint et expectent; magnificentiam tuam regiam rogamus et hortamur attentius, ac ohsecramus per aspersionem pretiosi sanguinis Iesu Christi, quatenus præmissa intra præcordia regia pia consideratione reuoluens, et considerans diligenter, quod mundani honores et pompæ, pro quihus sæpe dissensiones et guerræ fouentur, non sunt nisi quidam vapor ad modicum parens, cum potentia humana, quantacumque sit, in pulnerem hreui tempore, vt scriptura testatur, et rei manifestauit hactenus et manifestat euidentia, redigatur; quodque illa, quæ oh amorem diuinum recta intentione aguntur, perpetuas præparant mansiones in cælis; circa reformandum cum eodem Rege pacis et vnitatis concordiam mentem regiam emollias, hahilites, et inclines, vt ea Deo multum placihili, mundo desiderabili, et necessaria valde Christianitati obtenta de manu Domini, possis sicut feruenter optamus intendere circa defensionem et dilatationem eiusdem fidei, vindicando tui Redemptoris opprohria, qui pro tua redemptione passionis ignominiam sustinuit, et mortem subijt temporalem. Et vtinam, fili dilectissime, tuorum nunciorum, quos ad nostram præsentiam destinare disposueras, missio dilata vel impedita nullatenus extitisset, quia nos, omni excusatione postposita et reiecta, parati eramus, sicut condictum extiterat, super negotio pacis mutuæ fideliter et sedule laborare. *Dat. Auin. xv. kal. aprilis anno III.*

Ab eo & Gallo Rege amplificandā fidem.

Proposita diuina præmia.

11 Auersus erat a pacis consilijs Eduardus, seque a Philippo fuisse lacessitum obtendehat: significauitque Clementi a, pertentata excurrente induciarum spatio in Britannia reuocata non fuisse; præterea Carolum ducem Britanniæ et alios naualem exercitum contra rem Anglicam instruxisse. De quihus Clemens Philippum Regem certiorē fecit [b], monuitq; vt Anglici oratores pontificia aula abscessissent: proinde rehus ipse suis strenue contra hostium impetus consuleret. Cæterum Eduardum triplici nauali exercitū Aquitaniam, Britanniam et Flandriam adortum, refert Io. Vilianus [c] cumq; filium, pulso duce Ludouico, præficere Flandriæ anniteretur, illius fœderatum Iacobum Arteueldam vna cum fratre nepote ac amicis obtruncatum: atque ita iustissimas de sceleratissimo viro, qui Eduardo Gallica insignia ad committendas in mutuas cædes florentissimas duas nationes, confirmandamque inter eos tumultus tyrannidem suasetat, pœnas sumptas fuisse: audita vero illius cæde Eduardum sua delusum spe in Normanniam imperus vertisse. Dum ita furerent Angli in Gallijs, Scoti Francorum fœderati ad Anglorum distrahendas vires, contractis triginta millibus armatorum, in Angliam irruptione facta hostilem in Anglos furorem exercuere [d]. Cum vero tot malorum funestus rumor increbresceret in aula pontificia, Clemens Eduardum ac Philippum Reges eorumque proceres iterum pluriesque obsecrauit [e] vt pacis consilia amplecterentur, tum, vt refert Villanus [f], duos Cardinales ad eos in concordiam adducendos legatos creauit [g]. Extat de horum legatione regestum Clementis [h], in quo singula mandata, quibus instructi sunt, descrihuntur. E multis pauca hæc delibanda visa.

Instauratum bellum Anglicum. a To.3. ep. secr. 903.

b Ead. ep.

c Io. Vill. l. 12. c. 46.

Arteuelda proditor cæsus.

Eduardus re infecta Angliam repetit. Scotorū in Angliā irruptio. d Thom. Vualsing. in Eduard III. e Tom. 4. ep. secr. 268. 329. 330. 352. 353. 360. ad 371. 373. 621. 645. f Io. Vill. sup. cap. g Tom. 4. ep. secr. 354. 355. h An. 4 l. 2 pag. 4.

Clemens, &c. venerabili fratri Anibaldo episcopo Tusculano, & dilecto filio Stephano tit. SS. Ioannis & Pauli presbytero Card. Apostolicæ sedis nuntijs.

Propter guerras prædictas, quæ quotidie nimium

De malis bello Anglico illatis.

mium inualescunt, animus noster dolet acerbius non immerito vehementer; & eo potius intima nostri cordis amaricant acerbius, & durioris punctionis affligunt aculeo, quo periculosas huiusmodi discordiarum & guerrarũ circumstantias nobis intentioris considerationis discussio efficacius repræsentat. Attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerunt, & commoda, piaque Dei negotia, quæ impediunt, & vtinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex discordijs atq; guerris non solum Babylonicus hostis, sed etiam alij Reges & reguli Agareni de partibus Africæ ad occupandas terras Christianorum, & religionem Christiani nominis extinguendam sumpserunt, sicut facti euidentia docuit, audaciam transfretandi: & quod continue acriores solito, & paratiores molestias inferre Christianorum Regibus atque regnis & populis machinantur? Quis etiam quantumlibet studiosus concipere poterit, quantum tantorum principum, tanta sanguinis propinquitate & affinitate iunctorum, perniciosa & proh dolor! inueterata dissensio, si inualescat vlterius, & hostilis congressio, Christiani sanguinis hauriet, prout exhaurit? quas hominum strages ingessit & ingeret? quæ animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam & producet? quot profluuia sumptuum & expensarum abyssos tantorum principum horribilis grauisq; commotio & eius prosecutio exegerunt hactenus & exigunt incessanter? &c.] Subdit Pontifex, se incitatum studio apostolico, vt tot tantaque mala in fomite præfocet, ac dissentientes Reges in concordiam redigat Cardinales nonnullos in Galliam & Angliã decreuisse instruxisseq; mandatis amplissimis, vt coitiones armorum; soluerent, atque aduersa paci consilia sacramento firmata rescinderent. *Dat. Auin. 12. kal. decembris anno IV.*

Libertas ecclesiast. ordinis labefactata.

12 Asserendæ etiam causa libertatis ecclesiasticæ, quæ ob tot ingentia bella tum in Gallijs tum in Anglia labefactabatur, ijdem internuntij missi fuere: quamquam enim Petrus tit. S. Praxedis, & Bertrandus tit. S. Mariæ in Aquiro a Benedicto legati essent, vt Reges ab opprimendo iure ecclesiastico reuocarent; tantus tamen in mutuum exitium Reges furor agebat, vt ad comparandas copias populorum & sacerdotum opes, nullo sacri profanique discrimine, exugerent: quare iterum Clemens de violato iure ecclesiastico eadem pene, qua Benedictus formula suo loco allata, nouas querelas fudit a. Nec tuti ab iniurijs regiorum Eduardi administrorum Cardinales, quorum sacerdotalia vectigalia inuasere; ad quos reprimendos, & ordinis ecclesiastici dignitatem in suum splendorem vindicandam, data hæc Cardinalibus internuntijs imperia fuere.

a Vid. l. 2. ep. 2. pag. 4.

Monitus officij Eduardus.

Clemens, &c. Cum vos ad dictum Angliæ regnum pro magnis & arduis negotijs destinemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfato Regi diligenter exposito, quod singularis ad personam suam nos veget affectio, specialis afficit charitas, vt in præcauendo sibi non solum a noxijs, sed etiam ab ijs, quæ saluti suæ derogant, & excellentiæ regalis honori non congruunt, nil persuasisse sufficiat, sed per suasis semper existimemus addendum, sibique per salubris suggestionem consilij solertius ostendentes, quod quanto inclytum genus suum ab olim plenius fouit & exaltauit, ecclesias & personas ecclesiasticas, manutenere ac illibatam seruare studuit ecclesiasticam libertatem, tanto amplius in ipso notatur, si ecclesias vel ecclesiasticas personas opprimi, aut contra libertatem ecclesiasticam violari permittit; quodque per hoc non leue pondus adijcitur præeminentiæ status sui, cum excessus in sublimioribus tanto damnabilior habeatur, quanto facilius quantoque periculosius deriuatur in alios per exemplum; et ideo minus ab ecclesia debet, minusque potest vrgente conscientia tolerari; eundem Regem, quod officiales, ministros, familiares, ac nobiles, & gentes prædictos a præmissis, per quæ Dominus offenditur vltionum, suæ saluti detrahitur, honoris gloria maculatur, grauis nobis & dictæ sedi paratur offensa, pro diuina & ipsius sedis ac nostra reuerentia cessare faciat, & penitus abstinere, ac in statum debitum reuocet, & quidquid contra integritatem libertatis eiusdem in dictis regno & terris dignoscitur attentatum; solerter inducere & efficaciter exhortari eum prouida persuasionis instantia studeatis, eosdem ministros, officiales, familiares, nobiles, subditos, ac gentes ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam & alias pœnas & sententias, de quibus expedire videritis, super quibus plenam vobis & vnicuique vestrum liberam potestatem præsentium tenore concedimus, per vos, vel alium, seu alios, appellatione postposita, compescendo. *Dat. Auin. 11. kal. nouembris anno IV.*

De asserendo sacerdotorum iure.

Fulti etiam ijsdem mandatis sunt Cardinales, vt Philippum Francorum Regem ad temperandas a sacris opibus manus adducerent a, neue regij tuendi iuris, vel ecclesiarum clientela sua tegendarum specie, eas expilaret, neue causas ecclesiasticas ad profana tribunalia rapi permitteret: tum censuris administros regios infensos immunitati sacerdotalis ordinis coercerent. Iussi etiam b Gallum Anglumque obsecrare, vt funesto bello modum ponerent, ex quo res Christiana collaberetur, & Babylonij Saraceni praeferociores insolescerent & Afri Hispanijs imminerent: tum pangere inducias, deque fœdere pacisci: ornati vero amplissimis fuere prærogatiuis c, vt maiori cum dignitate demandatum munus exercerent.

a Ib. ep. 4. pag. 6.

b Ib. ep. 7 pag. 7.

c Ib. vsq ad ep. 67.

Præmittendum vero his Cardinalibus archiepiscopum Rauennatem, VII. id. septembris censuit d Pontifex: ac nonis octobris, Hugo archiepiscopus Bisuntinus missus e, qui induciarum violatores censuris percelleret f. Abruptas porro eas inducias in Occitania & ducatu Britanniæ queritur Clemens. Hactenus de Francorum & Anglorum bellis: iam alias Regum discordias, quas Pontifex conciliandas suscepit, aggrediamur.

d Sup. ep. 351.

e Ib. ep. secr. 472.

f Super ep. 472.

Balearia regnum recuperare molitur.

13 Exutus Balearico regno & Ceritaniæ & Russinonis principatu a Petro Aragonum Iacobus Balearium Rex g, cum se a victore, cuius fidei, Petri de Exerica principis blandis promissis delinitus, dedito vltro Perpiniano salutem tantum & libertatem pactus, se suaque permiserat, indigne habitum regnique iacturam ferre æquo animo non posset; in Gallias ad Clementem confugit h, vt illius auctoritate regno restitueretur: libellumque supplicem in Cardinalium consistorio porrexit, quo summum Pontificem commune omnium Regum perfugium orabat, vt clientelam ipsius contra Petri Regis Aragonum vim & potentiam susciperet. Affici illius calamitate Clemens visus est, ac Petro Regi libellum Iacobi transmisit, nec legum & æquitatis præsidia imploranti deesse posse significauit i.

g Io. Maria l. 16. c. 12.

h MS. bibl. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI. De illata sibi iniuria queritur apud Pont.

i To. 3. ep. secr. 669.

Pe-

Petro Regi Aragonum illustri.

Nuper ad sedem veniens Apostolicam charissimus in Christo filius noster Iacobus Rex Maioricarum illustris, in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutus, aliquibus per eum propositis & suppliciter postulatis, quandam supplicationem exhibuit in effectu proposita huiusmodi continentem, &c. [illius se petita ad ipsum transmittere ait, vt quid ea in re deliberandum sit exploret, tum subijcit:] Quid liceat, deceat, & expediat diligenter attendens, infra kal. instantia mensis martij, infra quas aliquid aliud circa hoc innouare, sicut eidem Regi diximus oretenus, non intendimus, quæ tuæ saluti animæ, salubri statui regni tui, & domus tuæ regiæ honori congruunt, plene prospicere deliberatione matura procures. Scire quidem tuam magnificentiam minime dubitamus, quod nos, qui ex iugo seruitutis apostolicæ desuper nobis imposito sumus omnibus in iustitia debitores, quamuis velimus, vt præmittitur, quantum commode possumus, tuæ sublimitati deferre, Regi tamen præfato denegare iustitiam, salua conscientia, non valemus, &c. *Dat. Auin.* XIV. *kal. februarij anno* III. Non regnum modo Iacobo Balearico eripuerat Petrus Rex Aragonum, verum etiam coniugem Constantiam sororem suam, quam viro Pontifex restitui iussit a.

Monitus Aragoni vt clementer agat.

Refert porro Mariana b, Balearem ad Gallicam aulam, ex qua exitij primordia emanarant, supplicem confugisse, ac pretio centum millium aureorum Philippo Montempessulanum ac ditionē circumiectam, de quibus contentio erat, vendidisse: auctum deinde viribus, ac Regis Gallorum & Pontificis fretum patrocinio Ceretaniam & Ruscinonem repetijsse. Cum vero nonnulli, qui antea iugum excusserant, ad eiusdem imperium redire parati essent, Pontifex Ceritano episcopo permisit c, vt eos periurij labe & noxa liberaret. Recuperare regnum Iacobus non potuit, quem in ipso conatu oppressum ab Aragonijs suo loco dicetur.

a To. 4. ep. secr. 41.
b Maria l. 16. c. 12.

Mons pessulanus Gallo Regi diuenditur.

c An. 4 l. 4. p. 2. ep. de curial 636

Interea rem non prætermittendam addemus, Iacobum Regem, dum apud sedem apostolicam ageret, in Cardinalium consistorio necis a se filio Arnaldi domini e Roccafolio illatæ pœnitentiam publicam egisse, fassumque ex præcipiti iracundiæ impetu in eum irruisse, seque occisi parenti *alto & basso*, id est dato in regium caput vitæ necisque imperio, submisisse. Quibus gestis Clemens Arnaldum monuit d, vt ad clementiam erga Balearem Regem animum flecteret, cum acta in Cardinalium consistorio magno illius honori verterentur.

Balearis Regis publica pœnitentia ob cæsum virum nobilem.

d Ead. ep.

14 Eodem anno ad ingentia auertenda mala, quæ ex bellis inter Ioannem Boemiæ & Casimirum Poloniæ Reges emersura erant, Pontifex inter ipsos concordiam omni studio reuocare nisus est. Initæ inter eos Reges communium amicorum opera ad sacrum D. Martino diem hoc anno recurrentem induciæ fuerant e, quæ antequam effluerent, Pontifex Guillelmum e Pusterla præpositum ecclesiæ Possoniensis diœcesis Strigoniensis Apostolicæ sedis internuntium ad Casimirum & Ioannem Reges legauit f, vt pacem inter eos redintegraret instruxitque auctoritate g, vt si Reges a coeundo fœdere aures auerterent, apostolica potestate fultus inducias inter ipsos indiceret, atque anathemate earum violatores desigeret, ditionemque sacris interdiceret h.

e To. 4 ep. secr. 528.
Missus internuntius ad pacem inter Boemiæ & Polon. Reges conciliandam.
f Ib. ep. sec 526.
g Sup. 527.
h Ead. ep. 528.

15 Ne autem interea infestis signis concurrerent Reges, antequam internuntius apostolicus in prouinciam perueniret, hortatus est Boemiæ Regem Pontifex a, vt inducias ad illius aduentum protraheret. Eademque verborum forma conceptæ literæ Carolo filio b & Casimiro c Regi Poloniæ, tum Ludouico d Regi Vngariæ, vt auctoritatem, qua inter dissentientes Reges florebat, ad eos conciliandos adhiberet, transmissæ.

a Ead. to. 4 ep. secr. 528. 534.
b Ib. ep. sec 530. 536.
c Ep. 529. & 535.
d Ep. 531. & 537.

Cæterum Casimirus vt maiora in eo bello auxilia contra Boemos sibi compararet e, sua commoda religioni prætulit, atque vna cum Lithuanis fidei hostibus, quos in Prussia fideles magnis cladibus afflixisse refert Albertus Argentinensis f, contra Christianos fœdus percussit, deque iungenda cum Ludouico Bauaro ecclesiæ aduersario affinitate egit: eumque eius fama ob hæc iniqua fœdera in pontificia aula traduceretur, ipse ad abstergendam labem sibi aspersam, datis ad Clementem excusatorijs literis, rescripsit se quidem a Ioanne Rege Boemiæ, a quo magnis viribus erat lacessitus, ad faciendum cum schismaticis fœdus tractandamque cum Bauaro affinitatem adactum; nunquam tamen ad illorum gratiam in ecclesiam arma correpturum: immo si Boemico bello implicitus non esset, Bauaro & Lithuanis illud illaturum. Cui Clemens nonnullis verborum officijs de egregio illo studio gratulatus significauit, Ludouicum Bauarum ob hæresim & schisma in sacro Cardinalium senatu damnatum fuisse, omnique iure, quod electionis ambiguæ ratione ad imperium obtinebat, spoliatum; & ab ipsius dignitate abhorrere, vt iuncta cum damnato hæretico affinitate regiæ Polonicæ stirpis gloriam inquinaret. Adiecit apostolicam se operam pro concilianda inter ipsum & Ioannem Regem Boemiæ pace defixurum, atque internuntium ea de causa legasse: conuelleret itaque agitata cum schismaticis fœdera, neque illis auxilia contra catholicos submitteret; quibus literis XV. kal. nouembris dies adscripta.

e Ep. 533.
Initæ a Polono iniqua cum hostibus ecclesiæ fœdera.
f Alb. Arg. in chron.

Officiorū lenocinio excusat flagitium.

16 Exarsisse id bellum referunt g inter Boemos & Polonos, cum Ioannes Rex Boleslaum Suidnicensium principem, qui adhuc in Silesia cum Polonis sentiebat, bello petijsset: Casimirus vero Vuschouensem tractum e Polonico regno olim auulsum Poloniæ restituisset, Zeganensemque ducatum flammis fœdasset: vnde tantum irarum Ioannes Rex conceperit, vt quamuis cœcus & senex ab expeditione non rediturum sacramento affirmaret, nisi Cracouiæ mœnia victrice manu palpasset; inferiorem vero bello fuisse, cum Ludouicus Vngariæ Rex Polonum auunculum magnis auxilijs instruxisset, ac Ioannem Regem demum bello Polonico abstinuisse, cum filium maiorem natu Carolum Morauiæ principem euehere ad imperiū meditaretur. Ex quibus pontificia opera conciliatam inter Reges concordiam facile colligas, quamquam nauatæ ab illo pro sopiendo eo bello diligentiæ, ac missi internuncij apostolici ijdē auctores non meminerint. Agit de eodem inter Casimirum & Carolum principem Morauiæ bello Ioannes Villanus h hoc anno, apud quem insignis error irrepsit, cæsum fuisse acie Casimirum, ac Ludouicum Pannoniæ Regem, audita illius nece, vt Stephanum fratrem ducem Transiluaniæ, vti conuenerat, ad Polonicum regnum eueheret, Dalmatia, in qua bellum gerebat cum Venetis, in Poloniam præcipiti cursu se recepisse.

g Michou. l. 4. c. 18. Crom. l. 12. in Casimiro.
Belli huius causa.

h Io. Vill. l. 12. c. 47.

17 Eruperat Dalmaticum bellum, vt referunt ple-

Bellum inter Venetos & Vngarum

a M. S. dar hist. Ven. & alij.

b Append. ad hist. Andr. Dandali Benfin. dec. 2. l. 9.

plerique scriptores a, cum Iadertini Venetorum iugum excussissent desciuissentque ad Vngaros; debellatos vero demum a Venetis, appendicis ad historiam Andreæ Dandali auctor enarrat b, qui Iaderæ expugnationem inter præclara Andreæ Dandali ducis facinora collocat, vbi hęc ipsius elogia affert: *Hic mirabilis facundia fuit, diuina & humana scientia peritissimus, iustitia & reipublica amantissimus: Iaderam rebellem, propulsatis Vngaris, longa terrestri maritimaque obsidione domuit*. Implicari facile hoc potuit bello Bertrandus patriarcha Aquileiensis, quem III. id. decembris Pontifex ad pacem cum Venetis ineundam est adhortatus c. Cæterum Ludouicus Vngariæ Rex, Neapolitanam expeditionem cogitans, fœdera cum Ludouico Bauaro agitauit, atq; illius filiam Stephano fratri duci Transyluaniæ, quem in Polonici regni ordinum comitijs Casimiri Regis auunculi successorem designatum vidimus, matrimonio iungere est meditatus. Quæ discutere consilia Clemens studuit d: *Regalem*, inquit, *tuam rogamus magnificentiam & in Domino attentius exhortamur, quatenus diligenter attendens quod pœna ac sententia, per processus promulgata prædictos, omnes & singulos participantes, seu communicantes cum Ludouico prædicto, aut ipsum pro Rege vel Imperatore habentes seu ei respondentes aut obedientes vt tali, apprehendunt et penitus includunt; & in serenitate tui nominis & eiusdem prosapia nitore regalis nequaquam ponens maculam deturpantem, tractatus super ijs non admittas; sed eos, si forsan ignoranter admiseris, quandiu præfatus Ludouicus sic extra communionem fidelium & gratiam eiusdem ecclesia tanquam putridum & infectum membrum extiterit, abijcias & repellas, etc.* Dat. *Auin. IV. kal. nouembris anno IV.*

c To. 4. ep. secr. 695.

Bauari affinitas ab Vngaro affectata.

d Ib. ep. se. 532.

Nullum fœdus in eundum cum Bauaro, concet Pont.

Acerba accidere pontificia monita Vngaro Regi, cum fratris Andreæ Regis Siciliæ necis crudelissimæ dolore percitus, illiusque vlciscendæ cupiditate, tum amplissimi regni potiundi spe elatus Germanos principes ad belli societatem trahendos putaret; de quo dicendum erit inferius. Nunc de Bauari tandiu expectata frustra reconciliatione nonnulla addamus.

Vngarus fraternã necem vlcisci parat

18 Allexerat is plerosque principes ad suas partes, dum ecclesiæ gratiam consectari præseferebat: cumq; Philippum Francorum Regem florentẽ gratia apud Clementem, sermonum interpretem adhibuisset, ac prolixa protraxisset cum Rege oratorum opera colloquia, quos triennium tenuisse scribit Rebdorfius e, promissorum immemor Pontificem spe sua & expectatione delusit, ac minora longe quam antea sibi vel prædecessoribus spopondisset, ad promerendam ecclesiæ gratiam obtulit; de quibus Clemens apud Philippum hisce literis questus est. f

e Rebdorf. in chron.

Bauarus expiare crimina detrectat.

f To. 3. ep. secr. 1047

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Regiam volumus excellentiam non latere, quod licet nos propter salutem animarum, & obtentu precum regiarum nobis pro Ludouico de Bauaria sępius directarum, reconciliationem ipsius ad vnitatem sanctæ matris ecclesiæ, a qua suis detestandis delictis enormissimis tanquam membrum infectum & putridum est exclusus, optauissemus sinceris desiderijs & adhuc (cum iustitia tamen, ac honore Dei, & ecclesiæ totiusque cœtus fidelium) desideremus feruenter; ipseque sępius deuotionem confingens, ad eandem reconciliationem & vnionem se velle redire, sicut præmissum est, asseruerit sicut rei probat exitus fraudulenter; & nos, quod in nobis erat, super his expectando, cum de mansuetudine sedis Apostolicæ, sicut regalem ignorare non credimus celsitudinem, fecerimus bona fide; ipse tamen missis nobis nouissime literis & nuncijs, quasi nihil respectu illorum, quæ antea nostro & prædecessorum nostrorum temporibus promiserat, obtulit: sed potius tanquam in profundum malorum, & laqueum desperationis demersus, omnino videtur diuertere quoad reconciliationem huiusmodi ab inceptis, nobis & sedi deludendo prædictis. Super quibus omnibus venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis; & dilecti filij nobilis vir Ludouicus de Pictauia, ac magistri Firminus de Coquetello decanus ecclesiæ Parisiensis, & Petrus de Verberia consiliarij Regij, per nos instructi plene super ijs, quibus copiam articulorum a nobis per nuncios dicti Ludouici petitorum dedimus, sublimitatem regiam reddere poterunt viuæ vocis oraculo certiorem. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v. id. may anno III.*

Omnia ... affectu & ... ctione gesta.

Promissa seruare spreuit.

Ex hisce pontificijs literis Alberti Argentinensis a mendacia confutantur: is enim historiam ad Ludouici gratiam conscripsit, quem vt magnum auctorem sequitur & ostentat Heruuartus.

Refellitur Albert. Argent.

a Argent. in chron.

19 Scripsit idem Albertus commentarium de rebus Bertholdi episcopi Argentinensis, vtque hostium viribus attritus, Ludouici Bauari iugum post varios conatus subierit: vt vero demum collectis viribus seruitutem Bauari suis ceruicibus depulerit, leuiter perstringit. Visæ autem nobis sunt eiusdem episcopi afferendæ literæ, quibus ille facinus, quod multis coloribus subornat Albertus, Argentinensis, Christiana demissione damnat b.

Bertold. episc. Argentin.

b Ext. apud Clem. an. 4. l. ep. ... de ... 662

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo benignissimo domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, deuotus & humilis vester Bertholdus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Argentinensis episcopus, cum omni humilitate deuota pedum oscula beatorum.

Vestræ, pater sancte, clementissimæ sanctitati notifico per præsentes, quod ego sapientem virum magistrum Henricum Schoerlin officialem curiæ meæ Argentinensis, meum certum, verum, & legitimum procuratorem, ac nuntium specialem tenore præsentium facio & constituo; & specialiter ad promittendum & præstandum in animam meam, tactis sacrosanctis Dei euangelijs, corporale iuramentum, quod in omnibus stabo & parebo humiliter mandatis sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac vestris & successorum vestrorum canonice intrantium, nec non super omnibus & singulis transgressionibus, iniurijs, contumacijs, rebellionibus, fautorijs, & alijs inobedientijs, directe vel indirecte, publice vel occulte, per me quomodolibet commissis: ac super quibuscumque pœnis & sententijs, quas incurri ab homine vel a iure propter supra & infrascripta, & ea quomodolibet tangentia, stabo & parebo sanctitatis vestræ omnimodæ voluntati. Nec non ad petẽdum humiliter & obtinendum ab eadem sanctitate vestra beneficium absolutionis, relaxationis, & dispensationis pro me, & commissionem per sanctitatem vestram faciendam pro hominibus, ecclesijs, & terris ecclesiæ vestræ Argentinensis subiectis: nec non a sententijs & processibus excommunicationum, suspensionum, vel interdictorum, irregularitatibus, & pœnis alijs a quondam

Eius ad Pont. literæ.

De secutis Ludouici partibus veniam poscit.

bo-

bonæ memoriæ domino & patre meo domino Ioanne Papa XXII. vel alijs quibuslibet prælatis, quas vel quos ego; vel ipsi homines ecclesiæ vel terræ incurrimus, & quibus ligati sumus pro eo, quod ego dictus Bertholdus post obitum prædicti domini Ioannis Papæ & tempore felicis recordationis domini mei domini Benedicti Papæ XII. propter metum iustum & legitimum, qui poterat cadere in constantem, corporis & bonorum ac iurium & bonorum ac ecclesiæ meæ periculum & euersionem, quam aliter euadere non valens non sponte, sed cum magna cordis amaritudine, cum finaliter amplius reluctari non possem, indebite feuda & regalia ipsius Argentinensis ecclesiæ de facto solum, cum tam propter dictos processus quam ob alias iustas causas non possem nec deberem, recognoui illicite a domino Ludouico de Bauaria tanquam a Romanorum Rege & Imperatore, eidemque indebite homagium feci, prout pro huiusmodi regalibus est solitum; cum protestatione tamen expressa, publice in ipso actu per me facta præsentibus pluribus fidedignis, & per eum admissa, quod per hoc non minus domino meo summo Pontifici & Apost. sedi in omnibus obediam & parebo, nec sibi contra Romanam ecclesiam dabo consilium, auxilium, vel fauorem. Etetiam ad subijciendum me & ipsos homines, ecclesias & terras meas, & ipsius ecclesiæ Argentinensis prædictas omni voluntati & dispositioni & gratiæ eiusdem sanctitatis vestræ ac ecclesiæ Romanæ prædictis: & pro me & ipsis pœnitentiam, emendam, & satisfactionem omnimodam subeundum, & meo nomine promittendum, & ad illa me efficaciter obligandum. Nec non ad promittendum, confitendum, & recognoscendum publice pro me, quod ego tenui, teneo, & tenebo fidem catholicam, ac credo & teneo quod credit & tenet ac docet sancta mater Romana ecclesia: & quod credidi & adhuc firmiter credo & scio, quod non spectat ad Imperatorem Papam seu summum Pontificem deponere, & alium eligere vel creare; immo illud hæreticum reputo, & per ecclesiam Romanam iuste damnatum.

Metu iusto oppressum se fuisse excusat.

Se suaque imperijs pontificijs subijcit.

Profitetur non spectare ad Cæsarem creare vel exauctorare Pontificē.

20 Item & ad præstandum in animam meam super sacrosancta Dei euangelia corporale iuramentum, quod vobis dicto domino meo Clementi Papæ, qui nunc estis, ac vestris successoribus canonice intrantibus, & dictæ Romanæ ecclesiæ fidelis ero de cætero, vobisque & ipsis debitam reuerentiam ex nunc & obedientiam exhibebo; nec cum præfato domino Ludouico de Bauaria, quandiu stabit in rebellione sanctæ matris ecclesiæ, seu quibuscumque hæreticis vel schismaticis, aut eorum sequacibus per ipsam ecclesiam denotatis, vel in posterum denotandis, deinceps ero eis vel quibuscumq; alijs dando consilium, auxilium, vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte: quodque nec dicto domino Ludouico obediam, nec adhærebo, nisi ipse prius fuerit per sanctam Romanam ecclesiam approbatus; nec etiam cum eodem domino Ludouico aut cum quocumque alio in prædicta rebellione existenti obligationem, conspirationem, seu ligam faciā, aut aliud quodcumq; iuramentum his contrariū præstabo. Et generaliter ad faciendum, promittendū, offerendum, & iurandum omnia & singula, quæ in premissis & circa præmissa, ac depēdentia ex eisdem fuerint opportuna, etiam si mandatum exigant speciale, & quæ ego facere possem, si præsentialiter præsens essem; promittens per solemnem stipulationem notario infrascripto, vt publicæ personæ nomine Romanæ ecclesiæ, ac omnium quorum interesse potest stipulanti, & sub iuramento a me in præsentia dicti notarij & testium subscriptorum præstito corporali, me grata & rata perpetuo habiturum sub obligatione & hypotheca omnium bonorum meorum quidquid per eundem procuratorem pro me & dicta mea ecclesia actum, gestum, & procuratum fuerit quomodolibet in præmissis. In cuius rei testimonium præsentes literas fieri feci per notarium publicum infrascriptum, & sigilli mei appensione muniri. *Actum & datum in castro meo Sultz Basiliensis diœcesis non. mensis nouembris hora post cantatas vesperas, pontificatus vestri, pater clementissime, anno quarta indictione XIV. sub anno vero natiuitatis* MCCCXLV.

Non adhæsurū se Bauaro, dum rebellabit ecclesiæ.

Instructi mandatis ad paciscendum oratores.

21 Audiuit proximo anno memoratum oratorem Pontifex, atque illius lapsum non voluntarium misertus veniam clemēter dedit a ea lege, vt duo sacella, quæ condiderat in Argentinensi ecclesia, vectigalibus idoneis ad diuinam rem faciendam cultumque diuini Numinis vrgendum locupletaret.

a Ibid. ep. 662.

Clemens, &c. Bertholdo episcopo Argentinensi.

Attendentes ijs, qui non per affectatam nequitiam, vel alias ex prauitate animi deliquerūt, fore ignoscendum facilius, & gratiosius prouidendum; huiusmodi confessionibus, subiectionibus, promissionibus, obligationibus, ac iuramento ab eodem Henrico procuratore, tuo nomine vt præmittitur factis; & præstito ab ipso Henrico procuratore tuo, & prædictæ ecclesiæ Romanæ nomine receptis, te in persona prędicti Henrici procuratoris tui ab omnibus & singulis sententijs ac pœnis supradictis, quas propter prēmissa, vel aliquod prędictorum tu & prędicta ecclesia Argentinensis quomodolibet incurristi, de dictorum fratrum consilio apostolica auctoritate absoluimus: easque & interdicta quęlibet, propter te in hoc & dictam ecclesiam Argentinensem, & terras & loca quęcumque tua, & Argentinensis ecclesię prędictę & eidem ecclesię subiecta posita, relaxamus, & tecum sub irregularitate & cuiuslibet infamię & inhabilitatis nota, quas contraxisti propterea, dispensamus, teque habilitamus & restituimus in integrum. Pro pœnitentia autem omnium prēmissorum excessuum & delictorum, a te vt prēmittitur commissorum, tibi imponimus & iniungimus, ac volumus, vt tu in capella, quam in latere prędictę Argentinensis ecclesię ad honorem Dei & B. Marię virginis sub titulo & vocabulo B. Catharinę virginis construxisse diceris, vltra illas capellanias instituere & ordinare de nouo, & pro sustentatione duorum perpetuorum capellanorum, qui in eisdem duabus capellanijs instituendis & ordinandis de nouo, perpetuo seruiant laudabiliter in diuinis, sufficienter dotare, videlicet cuilibet dictarum duarum perpetuarum capellaniarum instituendarum & ordinandarum triginta florenorum auri de Florentia annui & perpetui redditus assignando, infra biennium proxime secuturum de bonis tuis tenearis. *Dat. Auin. XI. kal. aprilis anno IV.* Inclinabant b etiam Basilienses ad excutiendum seruitutis iniustę a Ludouico Bauaro impositę iugum, & iam ante ad vnius anni flexum ecclesiastici interdicti seueritatem laxari obtinuerant: sed cum promissa ecclesię nondum pręstare potuissent, iterum ad aliquot menses extracta dies est, vt ea clementię significatione prouocati ad officium procumberent.

Soluitur censura.

b Ib. ep. 592.

Basilienses de suo ad ecclesiam reditu egitant

Affe-

22 Affetebat interea Italiæ grauissimas calamitates diuturnum interregnum, cum magnates auaritiæ & ambitionis furijs acti, fundendoque humano sanguini assueti, continuis bellis ac rapinis populos affligerent, inuicemque sænirent. Et quidem Patauij, vbi Carrarienses nouum condiderant principatum, defuncto Vbertino Carraria, Marsilictum illius consortem dominationis ac successorem Iacobus eiusdem Vbertini nepos obtruncauit a. Genuenses inuicem de principatu digladiabantur. Luchinus Vicecomes Mediolanensis potentia auctior Pisanos in Etruria, Ioannam Reginam in Pedemontio, Scaligeros in Insubria oppugnabat. Similiter marchiones Atestini, Gonzagæ Mantuani, Thadæus Pepulus Bononiensis, alijque mutuis cædibus temperare non poterant. Quibus malis vt mederetur Clemens, plures internuntios apostolicos in Italiam legauit: ac primum vt Genuenses dissentientes sub Montrerena duce, qui Genua & Saona patritios pellendos curauerat b; vnde atrox bellum exarsit, cum exules armis patriam recuperare niterentur, in concordiam reuocaret, Ildebrandinum episcopum Patauinum misit c. Meminit de Patauino episcopo ad Genuenses tumultus componendos legato, dum Genua ab exulibus magnis viribus obsidione premebatur, Folieta d (quamuis in eo erret, dum illum Cardinalem legatum vocat, vt e literis pontificijs constat) atque illius opera pactas inducias ait: deinque soluta obsidione, Luchino Vicecomite Mediolanensi pacis arbitro, fœdus redintegratum mense iulio ijs legibus, vt patriæ & fortunis exules restituerentur.

Intestina seditio orta Patauij al. Vill. 12. c. 4. Corius. hist. l. 9. c. 1

Varij in Italia dissensionũ motus.

b Folie. l. 7

c To. 3 ep. secr. 660.

Ligurum turbæ.

d Foliet. hist. Gen. l. 7.

Missus etiam a Pontifice e apostolicus internuntius Guillelmus episcopus Carnotensis, vt discordias inter Pisanos & Luchinum Vicecomitem nondum sopitas conciliaret; præterea demandata III. kal. februarij eidem episcopo prouincia, vt Insubriæ regulos a mutuis inferendis cladibus abduceret f. Denique anno extremo, cum recrudescerent odia, Pontifex legatos Cardinales in Italiam ad eam pacandam mittendos censuit, ac Luchinum Mediolanensem aliosque fœderatos, quibus Iacobus Carraria accesserat, solicitauit g, vt arma ponerent, donec Cardinales legati composituri ipsorum controuersias accessissent; cum tumultus Siciliæ citerioris ipsos cogerent, vt eo diuerterent.

e To 3. ep. secr. 745

f Ib. ep. secr. 748.

g Ep. 674. ad 679.

23 Reuocatus h fuerat ex Siculi regni administratione Aymericus Cardinalis legatus, quamuis illa ad Pontificem ob Ioannæ Reginæ imparem rebus gerendis ætatem spectaret: sed cum eidem legato verbis tantum paritum esset, atque importunis Ioannæ Reginæ, quæ Francorum Regem ea in re sermonum ministrum adhibuit, precibus vrgeretur Clemens, soluta de pupillis lege, ipsi regni gubernacula permisit. Cum ea vero regni opes ac iura contra imperia apostolica dissipare pergeret, Pontifex regno consultutus factas a Regina post obitum Roberti donationes conuulsit, & Aymerico Cardinali regno discessuto i, & Guillelmo l episcopo Carnotensi Apostolicæ sedis internuntio partes dedit, vt edicta ea de re pontificia in regno vel finibus diuulgarent. Ioannam etiam intentato anathemate regia iura alienare, atque iam distracta rescindere iussit m. At neque censurarum religione leuis adolescentula deterrita est a dissipandis regni iuribus, ac possessionibus alienandis: quocirca Pontifex iniquas illas donationes rescidit, atque ad regiam coronam reuocauit a: *Non obstante*, inquit, *quod ipsa Ioanna, propter iuuenilem ipsius ætatem ad regimen & gubernaculum regni & terrarum prædictorum minus idonea existente, ad nos, qui superiores eius existimus, & totius regni & terrarum ipsarum directum & altum dominium obtinemus, gubernatio & regimen de iure & diuersorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum obseruantia pacifica pertinebat, diuersas donationes & alienationes fecerat in ipsius Reginæ & regni & terrarum prædictarum notabile detrimentum; nos ipsius Reginæ & reipublicæ regni et terrarum prædictarum volentes indemnitatibus prouidere, omnes donationes, infeudationes, & cuiuscumque generis alienationes in quascumque personas factas in consistorio nostro, publico, præsente fidelium multitudine copiosa, tanquam indebite factas de fratrum nostrorum consilio cassauimus, etc. Dat. apud Villamnouam Auin diœcesis XII. kalend. octobris anno IV.* Fœminea etiam superbia & leuitate virum a publicarum rerum tractatione indigne repellere Ioanna non erubuit: de quibus conquestus Pontifex Francorum Regem rogauit, b vt ex sorore neptem præceptis salubribus informaret.

h To 3. ep. secr. 1049

Soluta per papam lex de pupillis in Ioannæ gratiam.

i Ib. ep. secr. 746. 748.

l Ib. ep. secr 747 & to. 4. ep. secr. 430.

m Eod. to. 4 ep. secr. 113. 114.

a Ib. ep. 430.

Donationes Ioannæ Reginæ rescissæ.

b To. 3. ep. secr. 1049.

24 Redigendi illa in seruitutem viri cupida, ad disturbandam illius regiam inunctionem suam extrahere decreuit. At Pontifex redintegrandi Ioannam inter & Andream amoris solicitus, Ioannem causarum sacri palatij auditorem ea de causa legauit, ac Reginam hortatus est c, vt virum debito amore complecteretur, nec se eorum susurris, qui auctores erant, ne vna cum illo regia ornamenta acciperet, subornari pateretur; neue tamdiu inunctionis pompam differret. Andreæ vero XII. kal. octobris leges, quibus solemni ritu corona cingendus erat, præscripsit: & Guillelmo episcopo Carnotensi Apostolicæ sedis internuntio prouinciam dedit, vt regia illum inunctione liniret, vbi ex pontificio rescripto sacramentum nuncupasset.

Monetur a Pont. vt viro se conciliet.

c To. 4. ep. secr. 92.

25 Eo porro decreto sanciebat Clemens, nullum ius ex nomine regio inunctioneque Andream comparaturum: ac si casus contingeret, vt Ioanna sine liberis Andrea superstite e viuis abscederet, Siculum sceptrum ad Mariam Ioannæ sororem eiusque liberos ex initis cum Carolo I. pactionibus deuoluendum; dataque Andreæ imperia, vt tum regios apices poneret: præterea intentatum anathema, si in eodem casu regnum affectaret, ac deuincti obiectis censuris proceres, vt ab Andrea discederent. Imposita etiam Andreæ lex, vt antequam regia consecratione afficeretur, iureiurando profiteretur, regnum si nullis susceptis liberis Ioanna obiret, ad Mariam & Dyrrachinos transfundendum, Neapolitanique regni ordines idem sacramento firmare iussi: quod diploma Clementis XII. kal. octobris consignatum.

26 Hactenus varijs artibus Andreæ regiam inunctionem aduersarij extraxerant: cumque Pontifex amplius non prorogandam pluribus literis decerneret, & Ioannam, Mariam, Dyrrachinum, Tarentinum, aliosq; proceres ad id vrgeret d imperijs, barbara immanitate necatus fuerat; in Baronianis enim notis. De quo hæc reperio e: *Die VIII. mensis septem. obijt Andreas Rex Ierusalem & Siciliæ filius Caroli Regis Vngariæ et Elisabeth, quæ ante obitum filij Romam veniens ad limina Apostolorum calicem aureum gemmis ornatum donauit eidem basilicæ: tabulam etiam argenteam* gem-

d Ib. ep. secr. 405. ad 429.

Andreæ Regis nex.

e Baron. in not. M. S. ad hunc an. Benfin dec. 2. l. 9.

gemmis confectam, in qua inerat depicta figura Apostoli: multas insuper est elargita eleemosynas, ob idque statuta illi dies anniuersaria pro ipso Andrea defuncto, & pro felici statu regni Vngariæ. Hæc habentur in appendice ad martyrologium eiusdem basilicæ Vaticanæ scilicet ea die, qua supra; nimirum quartadecima kal. octobris, biduo antequam quo Andream regio diademate insigniri iussum vidimus.

a Petrar. ep. famil. l. 6. n. 5. Patratum Auersæ flagitium.

27 Describit infandum & crudele mortis Andreæ illatæ genus inter alios Petrarcha a oratorio stylo: *O breui,* inquit, *multum mutata Neapolis! O infelix Auersa; vere auersa, nomen ex re sumptum! Auersa, inquam, prorsus ab humanitate ac fide, quarum prima homini, secunda Regi & iusto domino debebatur: in te vtriusque spreta reuerentia, vtriusque in te sacrum gentibus fractum fœdus. In te enim fraude impia perijt Rex tuus, ferro vtinam aut virili morte alia, vt hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque vnguibus laceratus videretur. O inique condita sydere, infausto signata vomere, cæmentis extructa sanguineis, & vipereis habitata cultoribus, magistra vrbe crudelium exemplorum. Abunda impietatis, & criminum erat, animantium principis sacrosanctam effigiem, ad imaginem Dei factam, violare tam atrociter, tam superbe; nunc id scelus non in homine quolibet ausa es, sed mitissimum innocentissimum hominum, & dominum tuum, & ante annos tui sollicitum, tui amantem, raræ indolis puerum, magnæ spei Regem, truculentissime laniasti. Immo non tu, sed in te acres & immites, dicam homines an belluæ? an quod aduentitij genus monstri, qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes, tuum suumque Regem non gladio, non veneno, dura licet ac solita regum morte, sed velut incendiarium aut latronem infami laqueo peremerunt, & cuius vertici debitum ac speratum diadema, diu perfida tergiuersatione distulerant, eius collo restem & nodos miserabiles iniecerunt: vt exequiarum genera alia, & vita longiore dignissimi corporis ludibria indigna præteream; quæ nostra forte silentio posterorum notitiæ subtrahuntur. Tu quidem misera ciuitas, hæc perpessa tuis in penetralibus, quæ omnes terras, & omnia secula tristi sint inquinatura memoria, Cæterum & culpæ expers, nisi quod patientia criminum sæpe consensus proxima est, & nec obstare poteras, nec vlcisci; miseratione potius digna, quam odio, &c.*

28 Causam tanti sceleris alij Ioannæ adulterijs & ambitioni tribuunt, alij improborum hominum audaciæ, qui iactatis temere ab Andrea vocibus fuerant lacessiti, inter quos est Clementis vitæ auctor b: *Occasio,* inquit, *huius sceleris specialiter fuisse dicitur, quia ipse tanquam virtuosus & audax verbo & facto mõstrabat se velle punire multos, quos videbat criminosos & male se habentes, quamprimum dominium dicti regni ad ipsum peruenisset: de quo male sibi conscij, & merito formidantes cogitauerunt aduersus eum, & modo præmisso sibi ipsis præcauere.*

b In. Vill. l. 12. c. 50. Intempestiuæ minæ pepe[r]ere ipsi exitium.

In quo discant noua dominia acquirentes, quod a principio non exasperent, molestent, aut terreant subditos suos, etiam quantumcumque demeritos, neque pandant interiora sui cordis; sed dissimulent, & potius tales alliciant, eisque blandiantur, donec habeant dominij sui firmitatem, dederintque ordinem, per quem aduersum eos procedere valeant absque sui periculo, & scandalo aliorum; quia ex opposito modo simili, aut crudeliori perijsse, aut a dominijs suis deiecti fuisse leguntur.

29 Haud ita paulo post Ioannæ, ad secundas nuptias transuolare meditanti, edixit Clemens, ne ex pactionibus cum Carolo I. initis inconsulta sede Apostolica virum acciperet, ne sceptrum in principem ecclesiæ non studiosum aut regiæ imparem dignitati transfunderetur, regnique amissionem exauctorationemq; regij apicis, si contra tenderet, pro summo in Siciliam imperio intentauit, repetito Clementis edicto a: *Clemens Papa IV. prædecessor noster prudenter attendens, in conuentionibus inter eandem Romanam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum I. Regem Siciliæ in concessione regni eiusdem per ipsam ecclesiam sibi facta initis & habitis illud inter cætera expressius voluit contineri, quod si forte deficientibus masculis contingeret fœminam innuptam in regno succedere memorato, illa maritaretur personæ, quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existeret idonea, Romano tamen Pontifice prius super hoc requisito; nec nuberet nisi viro catholico & ecclesiæ Romanæ deuoto: & si contra hæc fieret, quod liceret eidem Romano Pontifici, contra ipsam ad priuationem regni & terrarum citra pharum sine figura iudicij, & absque iuris solemnitate, in quacumque ætate ipsa consisteret, procedere si hoc expedire videretur eidem, &c. Dat. Auin. xi. kal. decembris anno iv.*

a To. 4. ep. secr. 107.

30 Cæterum expetiere inter reliquos a Pontifice iusta de sontibus supplicia Massilienses, flagitij indignitate commoti; quorum libellus b supplex Clementi porrectus his cõceptus verbis extat in pontificijs literis exaratis ix. kal. decembris: *Ad pedes sanctissimi, & beatissimi in Christo patris & domini nostri domini Clementis, digna Dei prouidentia sacrosanctæ ac vniuersalis ecclesiæ summi Pontificis, ad honorem & fidelitatem illustrissimæ dominæ nostræ dominæ Ioannæ, Dei gratia Ierusalem & Siciliæ Reginæ, venientes & consistentes Bernardus Gasque, Petrus de Cepeta ambassiatores, & Petrus Amelij notarius, electi & missi per nobilem virum dominum Berengarium Audeberti militem vicarium, & generale consilium nomine & pro parte totius vniuersitatis vicecomitatus Massiliæ, mœstis expositionibus, & diræ punctionis flagellis dictæ pontificali beatitudini flexis genibus denunciarunt humiliter & deuote quod, sicut murmur praeanxians personas vniuersas dictæ ciuitatis reginalis fideles planctibus & vlulatibus tristitiæ sauciauit, vir altissimæ memoriæ recolendæ dominus Andreas Ierusalem & Siciliæ Rex, reuerendissimæ dominæ nostræ Reginæ maritus, fuit nouiter in partibus regni proditionaliter, inhumaniter, & nefandissime interemptus: quo euentu tristissimo reginalis honor, & fidelitatis Massiliensis, & aliorum reginalium fidelium radicata deuotio, plusquam exprimere valeant, iniuriantur, læduntur, & doloribus quippe afficiuntur de tanto innocente domino morti dato.*

Massilienses de Andreæ interfectoribus supplicium sumi postulant. Horum supplex libellus. b Eod. to. 4. ep. secr. 159.

31 *Vnde eidem sanctitati deuote & humiliter supplicant, quatenus scrutari & reperiri mandare dignetur de casu tam horribili veritatem; & reperta tanquam vniuersalis dominus prouideat punitionem acerbam tali effectu fieri, rigiditatis metas excedendo vt conuenit contra auctores, & culpabiles quomodolibet dictæ mortis, adeo quod, quantumcumque vindicta agenda tanto sceleri læsionibus, doloribus, iniurijs, et offensis, proh dolor! æquiparari non possit aliqualiter, licet insufficienter exequenda punitione satisfiat iniurijs, offensionibus, doloribus, et læsionibus anteactis; quam vtique mortem Massilienses vniuersi, proprias iniurias et offensio-*

fionis clamantes, reputantes, et habentes, optant præ desiderijs, vt satiari possent in vindicta mortis tanti domini innocentis, haberi et dici singulares vltores, veram fidelitatem intrinsecam operibus propalantes ad honorem reginalis celsitudinis, et ventris sui remanentis, vt fama tenet, pragnantis; paratos se offerentes nomine vniuersitatis prædictæ ciuitatis Massiliæ, ordinationes et mandata dictæ sanctitatis dominicæ super his et alijs reuerenter exequi, verendo neminem animose.

Præsertim etiã supplicant sanctitati prædictæ, vt reginalem excellentiam et pragnatũ suum, quo in Dei potentia speratur tantæ percussionis haberi cõsolationis leuamen, nec non terram et fideles suos vniuersos, et signanter dictã ciuitatem Massiliensem habere dignetur in sui fauore protectionis et benedictionis gratia propitius cõmendatos. De quibus cum responsione, si quam facere placuerit dicta dominica sanctitati petierunt dicti ambassiatores per dictum Petrum Amelij notarium eis confectum fieri pro parte dictæ ciuitatis Massiliensis publicum et publica instrumenta, vt semper pateat et clareat fidelitas et deuotio hominum prædictæ ciuitatis Massiliæ. De iusto seqnẽti anno de proditoribus & carnificibus Andreæ Regis sumpto iussu Pontificis supplicio, dicetur inferius: nunc a lugubri humanorum casuum narratione ad diuina miracula sermonem traducamus.

Eucharistia in ignibus illæsa diuinitus.

a Rener. rer. Batau. l. 8.

32 Hoc anno Amsterodami Eucharistia in ignem proiecta in medijs flammis integra nocte illæsa permansit, qua de re Renerus Snoi hæc breui stylo affert a: *Amsterodami inuenta Eucharistia vomitu a valetudinario ejecta, inque ignem projecta, mirum relucens, quam ex eo in templum illatam magna hodie mortales in veneratione habent.* Scribebat hæc ille sub Lutheranæ hæreseos initia, antequam illa pestis Batauos inficeret. Describit accuratius eandem historiam Ioannes a Leydis b, ac diem, quo eã res admirabilis contigit, nimirum feriam tertiam præeuntem sacrum palmarum diẽ huius anni consignat. Ob egregium porro Odonis ducis Burgundiæ erga sanctissimum hoc sacramentum pietatis sensum, tum ob eximium in ecclesiam studium, Pontifex illum ea ornauit prærogatiua c, vt dum in humanis esset, quoties sacratissimum Christi corpus sub speciebus panis acciperet, etiam sacerdotum more sub speciebus vini, inter missarum solemnia sanguinem hauriret: *Tuis*, inquit, *deuotis supplicationibus inclinati, vt dum per confessorem tuum, vel sacerdotem alium sacra communio corporis domini nostri Iesu Christi tibi ministrabitur, possit etiam tibi per eundem confessorem vel sacerdotem poculum sanguinis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & obseruantijs quibuscumque contrarijs nequidquam obstantibus ministrari, deuotioni tuæ, quandiu vixeris, de speciali gratia tenore præsentium indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor vel sacerdos, qui tibi communionem huiusmodi ministrabit, circa hoc sic secrete se gerat & caute, quod in ministratione tibi facienda huiusmodi de sanguine nihil extra vasa sacra effundi de illo valeat, nec scandalum exinde quodlibet generari. Dat. Auin. v. kal. decembris anno IV.*

b Io. a Leyd. l. 28. c. 70.

c To. 4. ep. secr. 618.

Concessa duci Burgundiæ sacra sub vtraque specie cõmunio.

33 Postremo neque illud prætereundum videtur, Clementem Papam vergente hoc anno, cum rem Christianam maximis bellorum concussam turbinibus fluctuare plangeret, scissam nimirum factionibus Germaniam, Galliam Angliamque mutuo cruentatas sanguine, Hispaniam dissensionibus turbidam, Italiam præter vetera mala Neapolitani Regis cæde infectam vltoris iras metuere, orientem a barbaris oppugnatum, solemnes precum formulas pro concilianda diuina ope indixisse, atque ad eas repetendas, propositis indulgentijs, fideles allexisse a.

a An. 2. l. 3 ep. cur. 7.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commotum mare mundi huius, impellente flatu diabolico, procellosis aspicientes turbinibus, odijs videlicet, dissensionibus, & guerris in plerisque orbis inter catholicos Reges, principes, & magnates periculose nimium partibus suscitatis, discipulorum Saluatoris nostri gestis instruimur, vt pro sedandis intumescentibus, ac strepentibus vndis tempestatum huiusmodi, quibus commissa regimini nostro Petri nauicula, ecclesia scilicet sancta Dei, cœtum cunctorum comprehendens fidelium, non parum concutitur, Saluatorem ipsum, cuius imperio maria & venti obediunt & quiescunt, deuotis precibus excitemus. Sane dudum felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, pie considerans super similibus & alijs turbationibus, hoste procurante humani generis, tunc imminentibus diuina clementia mitigandis esse ad diuinum auxilium recurrendum; & diligenter attendens, quod in missarum solemnijs deuotius ad Deum preces consueuerunt effundi, certa orationum suffragia in eisdem solemnijs fieri, vt sequitur, ordinauit; videlicet quod in eis, post dictam a celebrante missam: *Pater noster, &c.* [describit earum precum formulam, quam suis conceptam verbis iam ante inseruimus b annalibus.] Idemque prædecessor Christi fideles ad exequendum prædicta promptius donis volens spiritualibus animare; omnibus vere pœnitentibus & confessis celebrantibus & eis assistentibus; obseruantibus supradicta, & alijs præsentibus Domino deuotas preces effundentibus, pro prædictis missis singulis, quibus hæc facerent, viginti dies de iniunctis eis pœnis misericorditer relaxauit.

De indictis a Ioanne XXII. publicis precibus.

b Annal. to. xv. ann. Chr. 1328 n. 46.

Et propositis indulgentijs eas repetituris.

Nos igitur his temporibus, quibus fluctus procellosi odiorum, dissensionum, & guerrarum, peccatis exigentibus, in diuersis Christianitatis partibus ingruunt, proh dolor! & quasi vniuersa catholicorum regna concutiunt, non minus quam tunc fundere preces deuotas ad Dominum ipsum, immo necessarium probabiliter existimantes; auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio tenore præsentium ordinamus, vt preces huiusmodi, prout per eundem prædecessorem ordinatæ fuerunt, vt præmittitur, in missis celebrandis, addita prædictis duabus orationibus hac, quæ sequitur: *Deus a quo sancta desideria, recta consilia & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione trãquilla. Per Christum Dominum nostrum;* deuotius effundatur. Nos enim insuper Christifideles ad prædicta promptius exequendum donis volentes etiam spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis celebrantibus & eis assistentibus obseruantibus supradicta, ac alijs præsentibus preces deuotas Deo effundentibus pro præmissis, in singulis missis, quibus hæc fecerint, præter viginti dies prædictos de omnipotentis Dei misericordia & dictorum beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, decem dies de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus. *Dat. Auin. id. nouembris anno IV.*

Eius exẽplo instauratæ a Clem. solemnes preces.

IESV CHRISTI

annus 1346.

CLEMENTIS PP. VI. 5. VAC. IMP. OCCID. 33. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 6.

1 POst diuturnum ac funestum interregnum quo imperium continuis bellis laniatum, & ecclesia suo orbata defensore a schismaticis concussa est, principes electores summi Pontificis iussu anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo septimo indictione decimaquarta Romano imperio iustum Regem Carolum Boemū dedere, cuius virtute religio ac pietas, quę in Germania obsoleuerant schismaticorum furore, refloruerūt. Agitatum sæpius a Pontificibus fuerat de conciliando ecclesiæ Ludouico; sed is solita incōstantia quæ pactus erat, reuocarat. Cuius rei indignitate permotus Clemens, ineunte anno IV. nonas ianuarias archiepiscopis & episcopis Germaniæ, Italiæ, Siciliæ, & Galliarum imperia dedit [a], vt Ludouicum Bauarum hæreseos & schismatis conuictum damnatumque, eiectum e fidelium consortio, omni iure ad Romanum imperium obtenso deiectum, ducatu Bauariæ & palatinatu Rheni Ioannis XXII. & ipsius Clementinis edictis priuatum solemni ritu diebus festis diuulgarent: & Austriaco concordiæ interpreti adhibito respondit [b], paratissimam sedem Apostolicam ad Ludouicum amantissimo sinu excipiendum, si se ad pœnitentiæ leges Dei & ecclesiæ honori consentaneas demitteret: sed illum, proh dolor! terga vertisse diuino Numini, salutis suæ immemorem, atque in tractando cum Romanis Pontificibus fœdere fallacem inconstantemque se præbuisse.

Lud. Bauarum anathemate ac damnatū promulgari iubet Pont. Bauarus interpretem concordiæ adhibet Austriacum.

a To 4 ep. secr. 753. ad 757. et 878. ad 907.

b ib. ep. 778.

Clemens, &c. Alberto duci Austriæ.

Circa negotium reconciliationis Ludouici, tua intentio ad finem rectum & debitum dirigitur incessanter: ad hoc tamen ipsius Ludouici propositum tendere non videtur, cum ipse tanquam auersus a Deo, proh dolor! de suæ animæ salute, vt apparet, non curans, nec sui & posteritatis suæ status imminens præcipitium aduertens; alias super tractatu reconciliationis nobis, & prædecessoribus nostris, & ecclesiæ Romanæ prædictæ illusit multipliciter, repertus sæpius (quod displicenter referimus) varius, delusorius, & inconstans: quamuis nos & ipsi prædecessores voluerimus, & nos adhuc desideranter vellemus, ipsum vijs honestis & debitis, prout ad honorem Dei & ipsius ecclesiæ valeret fieri, de periculo mortis æternæ, cui subiacere noscitur, eripere; ac vnitati corporis eiusdem ecclesiæ, a qua velut membrum mortuum & putridum præcisus est, misericorditer reunire.

Ludouici inconstantia & fraudes expositæ.

Sed etiam volumus prudentiam non latere, quod idem Ludouicus tam nobis quam eisdem prædecessoribus ea, quæ continentur in eisdem articulis vel maiorem partem illorum, & alia multa sine detractionibus quibuslibet per suos procuratores & nuntios obtulit, prout etiam per literas suas, quas penes nos habere dignoscimur plene patet: suique procuratores, & nuntij eius super hoc mandato suffulti ea pro ipso coram nobis & fratribus nostris obtulerunt etiā solemniter se facturos, & fecissent libenter, si ad illa recipienda noster & fratrum eorundem consensus tunc temporis accessisset. Vnde his circumspectis, & diligenter attentis, tua prudentia considerer & penset, quantum honorem vel vituperium tibi Ludouicus ipse fecerit, suggerendo tibi, teque inducendo, vt prædictos articulos petendo illa de ipsis detrahi, quæ alias oblata per ipsum, vt præfertur, fuerant destinares, &c. *Dat. Auin. v. id. ianuarij anno 10.* Non inconstantiæ modo notam susceperat Ludouicus Bauarus, dum promissa antea ad expianda crimina reuocabat, verum etiam maioribus se contaminasse queritur Pontifex in literis datis [a] ad Regem Francorum, qui pro ipso conciliando intercesserat.

Oblata iā ante ab ipso quæ recenter exiguntur.

Perperam postulari, vt ea detrahantur.

a To. 5. ep. secr. 44.

2 *Quamquam*, inquit, *nos feruentibus & ardentibus desiderijs affectauerimus conuersionem dicti Ludouici salutiferam, et reductionem ad eiusdem ecclesiæ sinum, extra quem non est alicui gratia neque salus; & nihilominus tuis, fili charissime, pro reductione prædicta nobis affectuose sæpe porrectis precibus inclinati eundem Ludouicum expectauerimus diutius, et ad tractatus super his duxerimus fauorabiliter admittendum; ipse tamen, repertus varius et inconstans, nobis et ecclesiæ, immo potius sibimet illudere non expauit, nihil de ijs, quæ cum procuratoribus suis eius nomine tractata fuerunt solemniter, attendendo: sed ad peiora tanquam venundatus, vt malum faciat, se contra ecclesiam & fidem catholicam, tenendo in suis comitiua & consortio viros nequissimos de hæresi et schismate denotatos, et alia nonnulla horrenda et detestabilia committendo, absque nostra conscientia et honoris eiusdem ecclesiæ læsione ipsum non poteramus amplius expectare.* Ex his ac superioribus refelliendus Albertus Argentinensis, quem plures alij sunt secuti, qui non perpensis iustissimis rationibus, ob quas Ludouicus Bauarus in ecclesiæ gratiam admissus non fuerit, temere in Pontificem vt crudelem, ac Francorum Regem tanquam Ludouici causæ proditorem inuehuntur.

Promota sincere a Gallo Bauari reconciliatio.

Vt illusō ecclesiæ a Bauaro.

Hæresiarchæ ab eodem habiti in pretio.

Albertus Argentin. & alij confuti impostura.

Desperata igitur Ludouici Bauari conuersione, Clemens ne apostolico muneri deesset, recurrente sacro cœnæ dominicæ die, edicta a Ioanne XXII. in Ludouicum lata renouauit [b], omnique iure ad imperium, ducatum, & palatinatum exuit, prius illius criminibus, ac præcipue hæresi & schismate percensitis, quæ Naucletus breuiter perstringit. Noua pœnarum adiectione vetera in Ludouicum edicta repetita, addit Clementis vitæ auctor [c] atq; principibus electoribus de designando iusto Romanorum Rege imperia dedisse; quod M. S. Vaticanum confirmat his verbis [d]: *Dominus Papa processus contra Bauarum prædictum innouans, ipsum penitus reprobauit, monuitque electores, vt ad electionem procedant, alioquin sedes Apostolica prouideret, a qua ad ipsos ius eligendi peruenerat.* Assentiuntur his auctores alij, quorum dicta ex subiectis literis ac publicis monumentis [e] illustrabuntur.

Lata in Ludouicū sententia.

b To. 4. ep. secr. 1042 ad 1061. Baron. in not. M. S. Gesta Cle. apud Bosq. Rebdor. in annal. Argent. in chro. Nauclet. vol. 2 gener. 45. & alij.

c M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VII

d Clementis in Lud. Bauar. decretoria sententia.

e An. 4. l. 3 ep. cur. pag. 10.

Ad certitudinem præsentium et memoriam futurorum.

3 Olim, videlicet III. idus aprilis pontificatus nostri anno primo, nonnullos processus, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum contra Ludouicum de Bauaria dudum in Regem Romanorum indiscordia, vti dicebatur, electum successiuis temporibus habitos, vt ipsorum in recentiorem memoriam credentium ignorantia vel diuturnitate temporis obliuio ab aliquibus nequiret prætendi, multitudine fidelium copiosa succincte duximus recitandos; monentes nihilominus eundem Ludouicum, vt infra trium mensium spatium, quod ei pro peremptorio termino assignauimus, ab omni

Quę monita priore edicto illi data.

Vt Cæsareos apices poneret.

ni administratione regni imperij Romani omnino desisteret, nomen & titulum Regis seu Imperatoris, ducis, & cuiuscumque dignitatis deponeret; administrationem, nomen, seu titulum huiusmodi nullatenus absque sedis Apostolicæ licentia vlterius resumpturus: ab omni fauore quorumcumque hæreticorum prorsus abstineret: intrusos

Intrusos pelleret.

per dictum Ludouicum, seu mandato ipsius in quibuscumq; dignitatibus & beneficijs ecclesiasticis prorsus amoueri procuraret: beneficia & dignitates illis, quos ipsis dignitatibus & beneficijs spoliauerat, institueret: interdicta, auctoritate

Interdicta obseruaret.

apostolica & a quibusuis iudicibus competentibus apposita, obseruaret inuiolabiliter, & nō prohiberet directe vel indirecte ab alijs obseruari; ac ad sanctæ matris ecclesiæ, a qua multiplicatis heresibus & schismatibus erat præcisus, rediret corde

De commissis rite veniam posceret.

contritus & vere pœnitens vnitatem: nec non pro diuersis & maximis iniurijs & damnis Romanæ & alijs ecclesijs illatis satisfaceret, ac pro tot sceleribus, blasphemijs, contumacijs, & grauissimis culpis, per ipsum Ludouicum aduersus Deum & sanctam ecclesiam commissis, nostris & ecclesiæ prædictæ beneplacitis & mandatis veniret humiliter pariturus, & facturus & recepturus quod suaderet iustitia, & nobis expediens videretur: nihilominus aperte prædicentes eidem, quod si in obstinata malitia, & pristina contumacia perseuerans prædicta non curaret infra prædictum terminum realiter & fideliter adimplere, & nostris & ecclesię prædictæ parere beneplacitis & mandatis, nos ad pœnas alias, exigente ipsius Ludouici contumaci pertinacia & pertinaci contumacia, procederemus prout expedire videremus, ac excessuum suorum ac contumaciarum, in præfati prædecessoris nostri processibus contentorum, enormitas suaderet, prout in nostris literis, huiusmodi recitationem & monitionem continentibus plenius continetur.

Sed quamquam recitationem & monitionem prædictas publice fecerimus, vt præfertur; ac literas proxime dictas ostijs seu superliminaribus ecclesiæ Auinionensis appendi, & etiam

Spreta hæc a Ludouico imperio.

ipsas literas in nonnullis Alamanniæ & diuersis alijs mundi partibus mandauerimus solemniter publicari; tamen supradictus Ludouicus, monitionis huiusmodi sic publicatæ verisimiliter non ignarus, infra & post terminum in dicta monitione eidem præfixum monitioni contempsit parere prædictæ, prout etiam fama publica manifestat: Et insuper mala malis accumulans, & in leges diuinas impie agens, nonnullas leges, seu potius legum corruptiones, vltra alias, quas ante monitionem prædictam temere condiderat, dignoscitur edidisse, & prohibitiones ac præcepta fecisse contra ecclesiasticam libertatem, & in grauem diuinæ maiestatis offensam, ac in nostrum & Apostolicæ sedis & vniuersalis ecclesiæ præiudicium non modicum & contemptum.

Initæ ab eo aduersus Pontificem coitiones.

Habet etiam fama publica, hic & in diuersis partibus diuulgata, ipsum Ludouicum nonnullas colligationes, confœderationes, & conspirationes inijsse pro defensione suæ pertinaciæ & rebellionis aduersus nos, & sedem ac ecclesiam memoratas post lapsum termini supradicti.

De oratoribus ab eodem missis.

4 Nec silentio duximus omittendum, quod post terminum ipsum dilecti filij Marquardus de Randegge iuris canonici professor & Ebrardus de Tummarte Augustensis ecclesiarum præpositi, ac nobilis vir Imbertus dalphinus Viennensis, nec non Vlricus de Augusta familiaris Ludouici præfati tanquam eiusdem Ludouici nuncij, ambaxiatores, & procuratores comparuerunt in publico consistorio coram nobis, exhibentes pro ipso Ludouico quandam literam pro procuratorio ipsorum subscriptam & signatam, vt legebatur in ea, manibus Othonis Immeldof & Ronacij Hemelin de Karthom clericorum Bambergensis & Constantiensis diœcesis publicorum auctoritate sedis Apostolicæ notariorum, & sigillo, quo dictus Ludouicus vtebatur communiter, sigillatam, inter alia continentem, quod Ludouicus

Mandatis ijsdem datis.

sæpedictus constituebat suos procuratores, ambaxiatores, & nuncios speciales prænominatos præpositos, dalphinum, & Vlricum, dans eisdem plenam, meram, & liberam potestatem & speciale mandatum confitendi coram nobis singulos excessus per eum commissos & perpetratos contra Ioannem prædecessorem prædictum, & sanctam Romanam ecclesiam, ac legatos, officiales, & ministros ipsius quoscumq; & res & personam ac statum eius absolute & liberaliter in manibus nostris ponendi ac ordinationi & dispositioni nostræ non solum in præmissis, sed alijs quibuscumq; volens, vt in dicta litera continetur, ordinationi & dispositioni nostræ totaliter & in omnibus obedire, nihil sibi proprij arbitrij reseruando, prout hæc & alia multa in dicta litera, quam in nostris & ecclesiæ Romanæ archiuis conseruari fecimus, latius exprimuntur. Cuius literæ seu procuratorij virtute ipsi Ebrardus & Marquardus præpositi, ac Imbertus dalphinus & Vlricus pro omnibus malis, excessibus, criminibus, delictis per dictum Ludouicum contra prædictum Papam Ioannem, Romanam ac etiam vniuersalem ecclesiam, & libertatem eiusdem ecclesiæ commissis, & pro emenda ac satisfactione omnium præmissorum ipsi ecclesiæ facienda, & pro alijs in dicta litera contentis absolute & liberaliter eiusdem Ludouici personam & statū, nec nō & bona, prout in mandatis habebant, in manibus nostris posuerunt, ipsaque nostris ordinationi & dispositioni submiserunt nihil in ijs proprij arbitrij ipsius Ludouici reseruando eidem.

Vt stare arbitrio pontificio iurauerint

5 Et ad maiorem roboris firmitatem prædictorum procuratores, ambaxiatores, & nuncij prænominati, & quilibet eorum tactis sacrosanctis euangelijs iurauerunt ibidem coram nobis in animam Ludouici sæpedicti, prædicta omnia & singula, vt præfertur, posita & submissa, ac quidquid super prædictis duceremus ordinandum, attendere & complere & effectualiter obseruare, & non contra facere vel venire per se vel per alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione seu causa. Et quamuis huiusmodi submissio, vt præmittitur, facta fuisset; tamen ipse Ludouicus a propria & inueterata malitia excæcatus, & cor impœnitens se ostendens habere, nobisque, sed sibi magis illudens; post submissionem prædictam, quasi ipsius oblitus, iniquitates, blasphemias, culpas, rebelliones, contumacias, & scelera prædicta continuauit ad multa alia detestabilia damnabiliter procedendo.

Cōtrarijs operibus promissa hæc mox corrupta.

6 Nos igitur præmissa diligentius attendentes, & tantis erroribus, ne non resistendo approbare videamur eosdem, obuiare volentes; omnes & singulas leges, prohibitiones, omniaque præcepta, nec non colligationes, confœderationes, & conspirationes prædicta nullas & irritas, nullaque & irrita pronuntiamus & declaramus: & nihilominus leges, prohibitiones, præcepta,

Rescissæ Ludouici coitiones.

 con-

confœderationes, colligationes, & conspirationes hujusmodi, quatenus de facto processerunt, cassamus & irritamus, ac cassa & irrita nunciamus, iuramenta super ijs vel aliquibus ex eis de ipsis obseruandis præstita, cum vincula iniquitatis esse non debeant, relaxantes de apostolicæ plenitudine potestatis. Et insuper vniuersis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & alijs ecclesiarum prælatis atque rectoribus; nec non Regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, alijsque singularibus personis ecclesiasticis & secularibus, cuiuscumque conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis existant; communitatibus quoque, vniuersitatibus & collegijs quibuscumque ecclesiasticis & secularibus interdicimus, ipsosq; omnes & singulos præsentiũ tenore monemus, ne leges, prohibitiones, præcepta, colligationes, confœderationes, siue conspirationes prædicta vllatenus obseruent directe vel indirecte, publice vel occulte: alioquin leges, prohibitiones, seu præcepta ipsa contra interdictum & monitionem nostram obseruantes scienter, singulares personas excommunicationis, vniuersitates vero, communitates, & collegia, terras & loca ipsorum singularum vniuersitatum, communitatum, collegiorum interdicti sententijs, ac etiam pœnis & sententijs, in supradictis processibus dicti prædecessoris contentis, eos volumus & decernimus subiacere; non obstantibus, si prædictis vel eorum aliquibus a sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari vel eorum castra, terræ, siue loca quæcumque interdici non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibuslibet priuilegijs, indulgentijs, & literis apostolicis generalibus vel specialibus quibusuis personis, locis, vel ordinibus sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiam si de illis esset specialis & expressa ac de verbo ad verbum in præsentibus mentio facienda, per quæ nullum præmissis vel præmissorum alicui nolumus afferri præiudicium, vel obstaculum interponi.

Intentatæ cum eos sientibus pœnæ.

De Ioannis in Ludouicum edictis.

7 Sane cõsiderantes attentius, quod præfatus prædecessor noster in processibus suis antedictis Ludouicum sæpedictũ declarauit schismaticum & hæreticum manifestum, ac ipsum velut hæreticum reprobauit & etiam condemnauit, declarans eundem in omnes pœnas inflictas schismaticis & hæreticis per sacros canones & catholicorum principum leges incidisse, easque omnes & singulas incurrisse, aliquas ex pœnis ipsius tenore præsentium ad cautelam duximus exprimendas. Siquidem secundum condemnationem & declarationem prædictas prædecessoris eiusdem præfatus Ludouicus infamis existit, nec ad publica officia, vel ad eligendos aliquos ad ea, aut ad testimoniũ perhibendum, vel ad hereditatẽ seu successionem alicuius est admittendus, nec testamenti habet liberam factionem; nullusque ipsi super quocumque negotio, sed ipse alijs est respondere cogendus: nullæ causæ ad ipsius sunt audientiam deferendæ: sententiæ quoque per eum latæ nullam obtinent firmitatem: nullus aduocatus in causis eius patrocinium præstare, nullusque notarius pro factis siue causis ipsius publica debet conficere instrumenta. Omnis audientia est ipsi in quocumque negotio deneganda, omnisque proclamationis & appellationis beneficiũ ei est specialiter interdictũ: vniuersa eius bona sunt perpetuo confiscata, eiusque filij & nepotes ad nullum sunt vnquam beneficium ecclesiasticum, nullumque publicum officium admittendi. Cunctis fidelibus cum dicto Ludouico, nisi pro ipsius conuersione & animarum salute, est communio interdicta; ipseque moriens carere debet ecclesiastica sepultura. Omnes seculares potestates ipsum Ludouicum de terris eorum iurisdictioni subiectis pro viribus exterminare tenentur.

Vt renouatæ a Clemēte fuerint.

Vt autem dictus Ludouicus, qui tam grauissime per contenta in processibus supradictis, & alia postmodum cumulata per ipsum, diuinam maiestatem & Apostolicam sedem & vniuersalem ecclesiam offendit, fidem violauit catholicam, & libertatem ecclesiasticam conculcauit, remque publicam perniciose nimium perturbauit, virus suæ feritatis in ipsas effundens, ac furenti rabie furens continue contra eas, nedum in pœnas prædictas & alias a canonibus & legibus, & a prædecessore nostro prædicto per supradictos processus eidem inflictas, se incidisse cognoscat sed & Dei vltionem, quam multipliciter vt prædicitur offendit, & nostram maledictionem incurrat; diuinam suppliciter imploramus potentiam, vt Ludouici præfati confutet insaniam, deprimat & elidat superbiam, & eum dexteræ suæ virtute prosternat, ipsumque in manibus inimicorum suorum & eum persequentium concludat, & tradat corruentem ante ipsos. Veniat ei laqueus quem ignorat, & cadat in ipsum. Sit maledictus ingrediens, sit maledictus egrediens. Percutiat eum Dominus amentia & cæcitate, ac mentis furore. Cælum super eum fulgura mittat. Omnipotentis Dei ira, & beatorum Petri & Pauli, quorum ecclesiam præsumpsit & præsumit suo posse confundere in hoc & in futuro seculo exardescat in ipsum. Orbis terrarum pugnet contra eum: aperiatur terra & ipsum absorbeat viuum: In generatione vna deleatur nomen eius, & dispereat de terra memoria eius. Cuncta elementa sint ei contraria. Habitatio eius fiat deserta, & omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant, & in hac vita super eum apertam vindictam ostendant, filijque ipsius eijciantur de habitationibus suis, & videntibus eius oculis in manibus hostium eos perdentium concludantur.

Formidandæ in eũ Pontificis comminationes.

8 Porro quia Romanum imperium propter tyrannidem, iniquitates, & impedimenta Ludouici sæpedicti adeo iusto iudicio reprobati & abiecti, iam per longa tempora dignoscitur vacauisse, prout & vacat ad præsens; & ob hoc sancta Romana ecclesia per tempora suo caruit, prout adhuc caret, speciali aduocato & defensore in fidei catholicæ & eiusdem Romanæ, aliarumque ecclesiarum & ecclesiasticæ libertatis ac reipublicæ grande & multiplex detrimentum, multarumque periculum animarum; nos hoc vlterius tolerare nolentes, prout nec velle debemus, ac tantis malis carere cupientes, omnes & singulos principes ecclesiasticos & seculares, ad quos Regem in Imperatorem postmodum promouendum ius pertinet eligendi, præsentium tenore apostolica auctoritate monemus, districtius iniungentes eisdem, quatenus sine moræ dispendio pro electione Regis in Imperatorem postmodum promouendi de persona idonea facienda conueniant, & ad electionem ipsam procedere non postponant. Alioquin sedes ipsa, a qua ius & potestas electionis prædictæ ad principes pertinuit eosdem, super hoc de opportuno remedio prouidebit.

Sancitum nouum Cæsarem creandũ.

Ceterum volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod præsens processus noster præfatos

tos

tos Ludouicum & electores & alios omnes & singulos, quos præsens processus noster contingit & contingere poterit, adeo apprehendat & arctet ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset, quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos Pontifices edita non obstante. Vt autem processus noster huiusmodi, & omnia in eo contenta ad dictorum Ludouici & electorum ac aliorum, quorum interest vel interesse potest, communem notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentes eundem, maioris ecclesiæ Auinionensis appendi vel affigi ostijs siue superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, vt ipsi, quos processus ipse contingit, aut contingere poterit, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos non peruenerit, vel ignorauerint eundem, cum non sit verisimile, quod apud ipsos remaneat incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. *Actum in palatio nostro Auinionensi id. aprilis anno* 1v. Transmissum hoc edictum est non ad Germanos & Italos præsules modo, verum ad alios etiam, insertumque literis encyclicis a, quibus addita imperia, vt illud rite vulgarent.

a Ann. 4. l. 2. ep. cur. 67 & 68.

9 Proximo tempore a celebritate cœnæ dominicæ, in qua moniti de creando Rege catholicæ ecclesiæ ac fidei defensore principes electores publice fuere, Clemens literas ad ipsos eo argumento hortatorias misit b, quibus extrema pericula, in quæ res Christiana adducta esset, exposuit: Christianos Reges plerosque in mutuas cædes consurgere, serpere hæreses, schisma grassari religionem obsolescere, insolescere infideles, magnam Christianorum multitudinem ob Ludouici Bauari amplexa studia deuinctam censuris ecclesiasticis in æternum exitium trahi: aduersus tot mala strenuum & catholicum principem ad vacans imperium euehendum. Conuenirent itaque pro celebranda electione constituendis loco & tempore; ac si qui censuris deuincti ob præstita Ludouico studia essent, ab archiepiscopis solutum iri: omnia vero sacramenta, quibus Bauaro se obstrinxissent, rescissa atque irrita pronuntiata: vetiti tamen Ludouicum Bauarum iuniorem ad electorum numerum admittere, cum marchionatum Brandeburgensem iure & legibus non obtineret.

Iussi electores creandi nouum Cæsarem.

b To. 4. ep. secr. 1043

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, & dilectis filijs nobilibus viris principibus electoribus imperij.

Impositum nobis desuper apostolicæ seruitutis officium pulsare non desinit continue mentem nostram, vt circa remouenda pericula & scandala de medio populi Christiani curæ nostræ commissi, eique quietis & pacis procuranda commoda, intentæ meditationis studijs, & operosis solicitudinibus, quantum nobis ex alto permittitur, intendamus. Sed dum intra præcordia nostra reuoluimus, & profundis cogitationibus attendimus vtiles fructus & vberes, quos ex iusto & recto regimine Imperatoris Romani catholici, Deo & ecclesiæ sanctæ suæ fidelis & denoti, si præsideret imperio, tam ecclesiæ Romanæ, cuius Imperator ipse aduocatus & defensor esse debet præcipuus, quam fideli populo & toti reipublicæ prouenirent; cum per ipsius potentiam regiminis, prout ad eum pertinet, exercendi libertas defensari possit ecclesiastica, fides dilatari catholica, improborum excessus reprimi, iustitiæ cultus coli, & pacis serenitas defensari; ex debito solicitamur pastoralis officij, vt prouideri super his, quantū ad nos spectat & cum Deo possumus, mente vigili procuremus.

Datæ eo argumento literæ.

Afflictus respub. Christianæ miser status vacante imperio.

10 Ideoque considerantes attente, quod per prolixam vacationem eiusdem imperij per obitum claræ memoriæ Henrici vltimi Romanorum Imperatoris Ludouico de Bauaria, qui post obitum huiusmodi dicebatur discorditer in Regem Romanorum electus, suis detestandis & horrendis excessibus, delictis, criminibus, culpis, rebellionibus, contumacijs, & inobedientijs exigentibus, per processus felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri solemniter & publice dudum factos & habitos, diuersis excommunicationis & alijs spiritualibus & temporalibus pœnis & sententijs innodato; ac iure, si quod sibi ex electione huiusmodi competere poterat, nec non ducatu Bauariæ omnibusque priuilegijs, feudis, bonis, honoribus, & iuribus, quæ a Romana vel quibuscumque alijs ecclesijs vel imperio quomodolibet obtinebat, iusto priuato iudicio; ac de diuersorum hæresum & schismatum criminibus, quibus damnabiliter se inuoluit, condemnato sententialiter, & etiam denotato, tam ecclesia Romana, quam vniuersitas fidelium & tota res publica diutinis temporibus, quibus (sicut præmissum est) prædictum vacauit imperium, prout adhuc vacare noscitur, huiusmodi commodis caruerunt, quamquam eis indigerent plurimum; his præsertim temporibus, quibus peccatis exigentibus inter nonnullos Reges, principes, & magnates catholicos orbis terræ fremunt, proh dolor! in diuersis Christianitatis partibus variæ dissensiones & guerræ, hæreses & schismata pullulant, & fides catholica per infideles & hostes Christiani nominis in plerisque partibus periculose nimium impugnatur; intuentes quoque non sine dolore cordis & anxietate mentis nimia tam Alamanniæ, quam partes alias circumpositæ regionis nonnullos Christicolas degentes in eis propter fautoriam, adhæsionem, & participationem Ludouici prædicti, attentis grauibus spiritualibus & temporalibus pœnis & sententijs, aduersus quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, cuiuscumq; præeminentiæ, dignitatis, ordinis, status, vel conditionis existant, etiamsi pontificali, regali, aut maiori vel inferiori præfulgeant dignitate; nec non communitates & vniuersitates, quæ præfato Ludouico adhærerent, assisterent, aut præstarent directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel fauorem, per processus prædictos inflictis, magnis animarum & statuum periculis expositos, eisque paterno compatientes affectu; vias & modos libenter exquirimus, per quos super prædictis omnibus posset, diuina suffragante gratia, huiusmodi supradictis periculis & scandalis vtiliter & salubriter prouideri. Et tandem in examine maturæ deliberationis adducto, quod ad hoc facilius & vtilius pandi poterit, & via salubrius aperiri, si vir aliquis strenuus, catholicus, & deuotus ad imperij regimen præficeretur prædicti; per nostros processus die cœnæ Domini proximo præterita, præsente fidelium multitudine copiosa, de consilio fratrum nostrorum aduersus eundem Ludouicum suosq; fautores, adherentes, valitores, cōplices & sequaces solēniter habitos, vos commonendos duximus & hortandos, vt ad electionem Regis, in Imperatorem Romanum postmodum promouendi, dante Domino, celebrandam conuenire absque morosæ dilationis obstaculo, quæ secum, vt ex præmissis col-

Mala ex diuturno interregno oborta.

Stremui Cæsaris necessitas.

colligitur, periculosa traheret dispendia, & ad eam procedere curaretis.

11 Quocirca vos rogamus, requirimus, & attentius in Domino exhortamur, quatenus his, quę præmissa sunt, in scrutinio rectæ considerationis adductis, ad vocationem venerabilis fratris nostri Gerlaci archiepiscopi Maguntini [De eo in locum Henrici exauctorati suffecto agetur inferius] conuenire pro electione celebranda huiusmodi, & ad eam, habendo præ oculis solum Deum, procedere, assistente vobis diuinæ virtutis clementia, studeatis; ita quod a Deo præmium æternæ retributionis consequi, & ab hominibus laudis & commendationis attolli pręconijs mereamini non indigne, ac nos & sedes Apostolica prouidere de alio in hac parte remedio non cogamur.

Brandeburgensis iure electionis exclusus.

Cæterum cum marchionatus Brandeburgensis vacauerit diutius, & adhuc vacare noscatur, nequaquam nostræ intentionis existit, quod detentor illius, qui nullum ius habet in eo, vocetur ad electionem huiusmodi vel etiam admittatur. Nos autem, qui feruenter in votis gerimus, quod tam pium tamque necessarium & vtile reipublicę negotium auxiliante Domino prosperetur, taliter prouidimus ordinandum, quod illi ex vobis, qui propter fauorem, adhęsionem, & participationem eiusdem Ludouici essent forsitan prędictis excommunicationum sententijs innodati, dummodo ab illis desistant omnino de cętero, & illi, quem eligi contigerit (dum tamen gratiam & communionem apostolicę sedis obtineat) consilijs, auxilijs, & fauoribus opportunis assistant, ne dictum negotium impediri valeat propter hoc, absoluentur iuxta formam ecclesię consuetam.

Proposita alijs Ludouicum deserturis venia.

Nec vos credimus nec volumus ignorare, quod quęcumque colligationes, confœderationes pactiones, seu ligę, per quoscumque sub quauis forma vel conceptione verborum initę cum Ludouico prędicto; nec non tam fidelitatis & homagij, quam alia quęcumque iuramenta eidem prestita, cum sit, vt pręfertur, extra communionem fidelium hęreticus & schismaticus manifestus, nulla, cassa, & irrita declarata esse ac fuisse per dictos processus fuerunt, nullumque ad eorum obseruationem teneri quomodolibet vel astringi, & quatenus de facto processerunt, extiterunt annullata, cassata, irritata, & iuribus penitus vacuata. *Dat. Auin. iv. kal. maij anno iv.* Qua etiam die consignatę sunt literę a eodem argumento ad singulos principes electores, proceres, & populos pręcipuos scriptę: quos omnes hortatur, ne electoribus consilio & industria desint, atq; designando Regi, dummodo catholicus extiterit, obtēperent: si quo forte iurciurādo fidem Ludouico deuinxerint, illud dissolutum fuisse ac grauiores etiam pœnas cum ipso in posterum sentientibus intentatas.

a Ep. lib. 4 ep. secr. 1047. 1049. ad 1070. Sacramēta præstita Ludouico rescissa. b Ibid ep. secr. 1085 1033. 1036. Rebdorf Argentin. in chro. Naucler. vol. 2. gener. 45. Serar. l. 5. Mogunt. rer. in Henr. III & alij. Henricus Moguntino archiepiscopatu deiectus.

12 Vocandi erant ad imperij comitia a Moguntino archiepiscopo principes electores, atque ab eo locus ac tempus ex veteri more designanda: sed cum Henricus Varnemburgensis, a Romanis pontificibus ad Moguntinum principatum contra hostium potentiam euectus, sedi Apostolicę atrocissimas reposuisset b iniurias, & ad schismaticos defecisset, iamque ad expiandum crimen edicto pontificio, quod suo loco attulimus, sollicitatus vocatusque in ius pontificias censuras spreuisset, seque hostem Romanę ecclesię esset professus; pontificia sententia vii. idus aprilis in Cardinalium cōsistorio est damnatus contumacię atque archiepiscopatu deturbatus. Extat ad perpetuam rei memoriam editum pontificium decretum a, sententiam complectens ante triennium latam, quam ijsdem ferme verbis repetijt Clemens, obiecitque hac inter alia.

Clementis in eum sententia. a An. 4 l. 3 ep. cur. pag. 7.

Clemens, &c. Ipse prefato Ludouico de Bauaria subsequenter [nimirum post acceptum beneficio sedis Apostolicę Moguntinum archiepiscopatum] adhęsit, ipsumque pro Imperatore, cum tamen nec Imperator nec Rex sit habendus, tenendo, vocando, & exhibendo sibi tanquam tali reuerentiam; & vt in suis excessibus, erroribus, schismatibus, culpis, inobedientijs, & contumacijs perduraret, consilia & fauores exhibendo, ac ligas & confœderationes, immo potius coniurationes & conspirationes, cum eodem damnabiliter ineundo. In multis quoque parlamentis seu damnatis conuenticulis, in quibus multa contra Deum & honorem eiusdem sanctę Romanæ ecclesiæ damnabili machinatione ordinata fuerunt, cum eodem Ludouico inique interesse præsumpsit, adhærendo, fauendo, & consulendo eidem, quamuis multi prælati & principes illarum partium, qui per eundem Ludouicum ad huiusmodi conuenticulas vocati fuerant, illuc ire contemnerent, sicut nec ire etiam tenebantur: alios etiam detestandos excessus, qui breui non possent sermone concludi, in diuinæ maiestatis contumeliam, grauem dictæ sedis offensam, & multorum perniciem committere non expauit. [Addit Clemens se, sumpto primum post Benedicti obitum pontificatu, illum intentato iudicio redigere ad officium, clementiaque flectere tentasse; ipsumque vocatum in ius pœnituisse in speciem, ac promissa inanibus diffugijs, & aperta demum perfidia fefellisse].

Obiecta Henrico ingrati animi labes.

De intentato illi antea iudicio.

Pendente termino citationis ipsius, Ioannes præpositus Xanctensis germanus dicti Henrici & Conradus scholasticus S. Petri Aschaffenburgensis ecclesiarum Coloniensis & Maguntinæ diœcesum, coram nobis & dictis fratribus nostris in consistorio comparentes, & asserentes se procuratores eiusdem Henrici, & per eum ad sedem Apostolicam destinatos, dictæque citationis processum ad eorum notitiam plenarie peruenisse, humiliter supplicarunt vt huiusmodi terminum prorogare ipsi Henrico de speciali gratia dignaremur, promittentes præpositus, vt frater & coniuncta persona, & scholasticus prædicti, tanquam familiares iuratus dicti Henrici per proprium iuramentum, se curaturos & facturos, quod idem Henricus infra terminum, per nos prorogandum eidem, coram nobis personaliter compareret, & quod ipsi interim eidem Henrico literas apostolicas & processum citationis huiusmodi præsentarent, intimarent, & realiter assignarent, prout in quodam instrumento publico inde confecto plenius continetur.

Missis ab eo procuratoribus

13 Et licet idem Henricus expresse recognouisset & asseruisset, se a data literarum nostrarum apostolicarum fuisse citatum, ac citationem ad eius notitiam peruenisse; & nihilominus promissionem per dictos præpositum & scholasticum factam ratificasset, approbasset, ac etiam acceptasset, confecto super hoc publico instrumento sigillo dicti Henrici etiam communito; tamen Henricus ipse nec in huiusmodi termino prorogato, nec ante, nec post ipsum etiam de benignitate sedis expectatus ipsius comparere curauit: sed dictum Ioannem de sancto Trudone & Henricum dictum Batzeman canonicum ecclesiæ Fritzelariensis Leodiensis & Maguntinæ diœcesum

Vt promissa ab ijs rata habuerit.

Dein nō comparuerit in iudicio.

pro-

procuratores constituit ad petendum, terminum comparitionis suæ huiusmodi, vt dicitur prorogatum sibi denuo prorogari. Sed quamuis huiusmodi terminus de benignitate dictæ sedis fuisset ad certum tempus aliud iterum prorogatus, idemque Henricus recognouisset infra illud se præmissarum citationis, promissionis, & prorogationis plenam habuisse notitiam & habere, ac eas acceptasset, & gratas etiam habuisset, prout in quibusdam alio publico instrumento, & patentibus literis ipsius Henrici sigillo munitis nobis super hoc directis, luculenter apparet; tamē idem Henricus in huiusmodi termino, aut ante vel post ipsum etiam contumaciter comparere neglexit, quamquam dicti Ioannes de S. Trudone & Henricus dictus Barzeman mandatum aliud procurationis eorum pro parte dicti Henrici archiepiscopi, nec non certas patentes ipsius literas quasdam excusationes continentes, coram nobis & eisdem fratribus nostris in consistorio produxerint, petentes concedi aliam dilationem eidem Henrico archiepiscopo de vberiori clementia dictæ sedis. Nos vero excusationes huiusmodi reputauimus, prout erant, frustratorias & non veras; ipsumq; Henricum archiepiscopū, in huiusmodi termino aut ante vel post ipsum diutius expectatō de benignitate sedis ipsius, nō comparentem merito contumacem. Et tandem, cum ipse in huiusmodi sua contumacia pertinaci animo perduraret, ipsum de dictorum fratrum consilio, præsente tam prælatorum quam clericorum & laicorum multitudine copiosa fidelium, ab officio & beneficio duximus suspendendum.

Inania excipit diffugia.

Contumaciæ damnatus fit.

In ea obduruerit.

14 Et quamuis, attentis huiusmodi contemptibus, contumacijs, inobedientijs, alijsque excessibus & culpis prædicti Henrici, potuissemus iuste, ac deberemus digne actius procedere contra eum; volentes tamen adhuc sibi prolixioris temporis spatium indulgere, si forsan ipse ad cor rediens pœnitentiæ signa prætenderet, & ipsius sedis misericordiam in humiliatione spiritus imploraret, dilecto filio nostro Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis presbytero Cardinali oraculo viuæ vocis, licet ex superabundanti, commisimus vt super huiusmodi excessibus, criminibus, delictis, inobedientijs, contemptibus, rebellionibus, atque culpis auctoritate nostra ex officio diligenter inquireret, & se etiam informaret, & quidquid per inquisitionem huiusmodi inueniret, nobis postmodum referre curaret: dictusque Cardinalis huiusmodi commissionis vigore præfatum Henricum ad respondendum quibusdam articulis, excessus, crimina, & culpas continentibus supradicta (super quibus iuxta formam dictæ commissionis intendebat inquirere contra eum) citari fecit in audientia publica literarum contradictarū ad certum peremptorium terminum competentem: & cum præfatus Henricus in eodem termino vel post coram ipso Cardinali minime comparuisset, dictus Cardinalis præfatum Henricum reputans, prout erat, exigente iustitia contumacem, ipsum ad videndum iurare quosdam testes, per quos de veritate contentorum in dictis articulis se volebat plenius informari citari fecit ad certum peremptorium terminum in audientia supradicta.

In dictum illi propter ea iudicium a de legato iudice.

15 Et tandem in contumaciam dicti Henrici in dicto termino vel post coram ipso Cardinali comparere contumaciter non curantis, eorundem testium iuramenta recepit: ac deinde, per dictum Cardinalem dictis testibus examinatis & eorundem attestationibus in scriptis redactis, ac postmodum publicatis in contumaciam ipsius Henrici ad videndum publicari attestationes ipsas ad certum peremptorium terminum in audientia prædicta citati, nec tunc vel post coram eo comparere curantis; dictus Cardinalis eundem Henricum ad dicendum quidquid vellet contra attestationes easdem, nec non ad concludendum in causa ipsa vel dicendū causam rationabilem, quare concludi non deberet in ea, citari fecit in eadem audientia ad certos peremptorios & competentes terminos successiue. Et quia dictus Henricus in neutro dictorum terminorum coram ipso Cardinali comparere curauit, dictus Cardinalis, reputans ipsum Henricum, prout erat, merito contumacem, in eadem causa, in dicto termino ad hoc statuto conclusit & habuit pro concluso.

Spreta illius seueritas.

16 Subsequenter vero facta nobis per dictum Cardinalem super his omnibus & singulis relatione plenaria & fideli, nos cum tam per relationem huiusmodi, quam etiam alias de huiusmodi eiusdem Henrici excessibus, criminibus, inobedientijs, contemptibus, rebellionibus, atque culpis nobis plenarie constaret; & propterea non valentes illa, salua conscientia, visceris relinquere impunita, præfatum Henricum ad comparendum coram nobis, & ad audiendum sententiam per nos ferri super prædictis, per eundem Cardinalem citari fecimus peremptorie ad hanc diem in audientia supradicta. Et demum, præfato Henrico dicta die vel post coram nobis comparere contumaciter non curante, nos eis, quæ super huiusmodi criminibus, excessibus, ingratitudinis vitijs, delictis, contemptibus, rebellionibus, atque periurijs coram eodem Bernardo Cardinali probata sunt, cum diligentia recensitis: & tam super ipsis, quam alijs quampluribus eiusdem Henrici nefandis excessibus, tam in Romana curia quam in partibus illis notorijs adeo, quod nulla possint tergiuersatione celari, habita cum eisdem fratribus nostris deliberatione prouida & matura, aduersus eundem Henricum propter ipsius grauem multiplicis inobedientiæ contumaciam, perfidiam in Deum, infidelitatē in ecclesiam manifestas, illicitæ amicitiæ fœdum confœderationem cum dicto Ludouico hæretico & hoste Dei & ecclesiæ prædictorum, fautorias & adhæsiones damnabiles eidem hæretico per dictum Henricum factas, contemptum clauium apostolicæ potestatis, quibus paruipendit se a consortio catholicæ communionis excludi; nec non irregularitatum notas per profanam ministerij sacri contrectationē ligatum, et pluries super dictam periurij labem ac bonorum ecclesiasticorum dilapidationem intolerabilem et damnosam, pro gloria confusionis opprobrium eligentem, et irreparabilis ruinæ periculum; disciplinæ zelum ad piaculum vltionis acuimus. Et ne arbor, non tam infructuosa, quam pestilens vmbra damnabili terram vlterius occupet, præsente tam prælatorum quam clericorum et laicorum multitudine copiosa fidelium, in radicem eius securim perpetuæ succisionis iniicimus; et in ipsum Henricum archiepiscopum absentem corpore, præsentem tamen spiritu de dictorum fratrum nostrorum consilio perpetuæ depositionis sententiam proferentes, eum omni honore, dignitate, potestate, ac pontificali priuamus; infeudationes, alienationes, quas de bonis eiusdem ecclesiæ Maguntinæ præsumpsit post latas in eum excommunicationis et suspensionis sen-

Instauratum propterea a Pont. iudicium.

Braudiuntur decretoria sententia Henricus.

ſententias, in irrirum reuocantes. Nulli ergo, etc. noſtræ prolationis, priuationis, et reuocationis infringere, etc. *Dat. Auin. VII. id. aprilis anno* 10.

Suffectus in eius locum Gerlacus.

a Nauclerus vol. 2. generat. 45. b An. 4. l. 2. ep. de prouis. 50.

Henrici pertinacia c Ser. l. 5. rer. Mogunt. in Henr. III.

17 In Henrici exauctorati locum ſuffectus eſt Gerlaens Naſſouij comitis filius apoſtolica auctoritate, vt refert Nauclerus a: extatque ea de re diploma pontificium b. Narrat vero Serarius c, Henricum, in pertinaciam & impietatem actum præcipitem, ad confirmandam potentiam Cunonem e Falkenſtein vi & iniuria dignitatis & muneris ſocium ſibi aſciuiſſe contra Gerlacum, pluraque ex hiſce duobus æmulis ſecuta bella, ac mala emerſiſſe, queruntur nonnulli Germanici ſcriptores: quorum ſane culpam catholicus & prudens lectornon in Romanum Pontificem, ſed in ſchiſmaticum & periurum Henricum deriuandam agnoſcet. Quid enim aliud Pontifex molitus eſt, quam hæreſes abolere, religionem ſuo ſplendori reſtituere reuocareque ad ſinum eccleſiæ ſchiſmaticos? ad quos cenſuris ſoluendos ex concepta ſubiectis verbis formula, quam pœnitentes profeſſuri eſſent, Gerlaco prouincia impoſita eſt d.

d To. 4. ep. ſecr. 1095

Formula Ludouici Bauari ſequacibus, ad eccleſiæ gratiā redeuntibus, propoſita.

Ego N. confiteor, me tenuiſſe & tenere fidem catholicam, & credere ac tenere quod credit, tenet, & docet ſancta mater eccleſia, & credidiſſe & adhuc firmiter credere, quod non ſpectat ad Imperatorem Papam ſeu ſummum Pontificem deponere, & alium eligere vel creare: ſed hoc hæreticum reputo & hæreſim damnatam per eccleſiam prælibatam. Inſuper ad ſancta Dei euangelia iuro, quod ſtabo & parebo mandatis eccleſiæ & domini noſtri Papæ ſuper illatis iniurijs, contumacijs, rebellionibus per me confeſſatis, & ſententijs, quas incurri ob homine vel a iure propter præmiſſa & ea tangentia; & quod domino noſtro Papæ, qui nunc eſt, & eius ſucceſſoribus canonice intrantibus fidelis ero de cætero, & eis debitam reuerentiam & obedientiam exhibebo; nec cum Ludouico de Bauaria, quandiu ſtabit in rebellione dictæ eccleſiæ, ſeu alijs hæreticis & ſchiſmaticis, aut cum eorum ſequacibus per dictam eccleſiam denotatis deinceps ero, nec eis ſeu quibuſcumque alijs dabo contra Romanam eccleſiam conſilium, auxilium, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte; quodque nulli vt Imperatori obediam vel adhærebo, niſi ille prius fuerit per eandem eccleſiam approbatus, &c. Adiectæ erant aliæ leges, non adhæſuros Henrico e munere deturbato, Gerlacum archiepiſcopum agnituros, atque eccleſiæ Moguntinæ iura defenſuros. *Dat. Auin. IV. kal. maij anno.* 10. Terruit plurea Henrici tyrannis, ne ad eccleſiæ caſtra impietatem execraturi reuerterentur. Quamquam vero tū Gerlacus toto Moguntino archiepiſc. viuo Henrico potiri non potuit, non parum tamen ſchiſmaticorum vires repreſſit, atque ad creandum catholicum Romanorum Regem, quæ res maxime erat in piorum votis, operam ſtrenuam collocauit.

Ioannis & Caroli Boemor. ad ſedem Apoſt. acceſſus.

e To. 5. ep. ſecr. 95. & 44. Baron in not. M. S. ad hunc an. Argent in chron. Naucler. gener. 45. & alij.

18 Acceſſere e hoc anno ad Apoſtolicam ſedem Ioannes Rex Boemiæ & Carolus maior natu filius marchio Morauiæ, vt ſummo Pontifici fidem obſtringerent, ſe rem catbolicam & iura eccleſiæ tutaturos, ac bellorum cauſas cum Regibus Siciliæ, Francorum, & Poloniæ amoturos, ſi ſtudijs apoſtolicis imperium Boemicæ regiæ inferretur. De Henrici quidem cum Neapolitana regia ſimultatibus, nec non de controuerſis aliquibus iuribus in imperij limite Gallum inter Germanoſque alias dictum eſt. Quod vero ad Polonicam rem attinet; geſſerat diuturna bella Boemiæ Rex Ioannes cum Vladiſlao & Caſimiro Polonis Regibus, de quibus ſuis locis meminimus ac Polonis periculum conflari poterat, ſi Boemus imperio augeretur, eoq; metu perſuſus Caſimirus cœperat ad Bauari partes inclinare. Vt Caſimirum itaque abduceret a Ludouico Pontifex, Ioannem Regem & Carolum ſceptri Boemici heredem ſacramento adegit, ipſos omnes ſuas controuerſias, quæ intercedebant cum Polonis, Apoſtolicæ ſedis arbitrio permiſſuros. Pronum ſe ad pacis conſilia Caſimirus exhibuit ac pollicitus eſt oratorem ſe pro iungendo fœdere miſſurum; cui Clemens geſta cum Carolo & Rege Boemiæ ſignificauit a.

Controuerſia Boemum inter & Polonum permiſſa Pontifici.

a To. 5. ep. ſecr. 23.

Clemens, &c. Caſimiro Regi Poloniæ illuſtri.

Serenitatem tuam volumus non latere, quod nuper Rege prædicto & dilecto filio nobili viro Carolo eius primogenito marchione Morauiæ apud ſedem Apoſtolicam in noſtra præſentia conſtitutis, nos ipſos ſuper huiuſmodi reformatione pacis & concordiæ commonendos duximus & exhortandos. Qui tandem nobis beneuole reſpondentes, ſe ſuper hoc ordinationi & voluntati noſtræ pro ſe ac omnibus vaſſallis & ſubditis ſuis & ipſorum quolibet ſuper quibuſcumque quæſtionibus, quas ipſi coniunctim vel diuiſim tecum habent, vel habere poſſunt ex quibuſcumque cauſis vel occaſionibus totaliter ſubmiſerunt, ſub pœna decem millium marcharum auri nihilominus promittentes efficaciter, & ad ſancta Dei euangelia manu tacta iurantes, eidem ordinationi & voluntati ſtare, parere, ac tenere, perficere & complere quidquid duximus ſuper his ordinandum, confectis nihilominus exinde publicis inſtrumentis. Quocirca tuam regalem excellentiam rogamus, requirimus, & hortamur attente, quatenus his, quæ præmiſſa ſunt, conſideranter attentis, reformationi pacis & vnitatis huiuſmodi tuum dirigens animum; & nihilominus procuratores tuos ad ſubmiſſionem & obligationem ſimiles, tuo nomine faciendas idoneo mandato ſuffultos ad noſtram præſentiam e veſtigio deſtinare procures, &c.] Addit preces, vt inducias cum Boemis ineat. *Dat. XI. kalen. iunij pontificatus noſtri anno V.* Alijſque literis a Gneſnenſem archiepiſcopum ac Ludouicum Regem Vngariæ Caſimiri ex ſorore nepotem hortatus eſt, vt Poloniæ Regem ad induciarum & pacis fœdera cum Boemis incitaret.

Polonus de eo fit certior.

Commonitus, vt mittat oratores.

a To. 5. ep. ſecr. 27.

19 Dū Regum vtilitatibus ac publicæ paci in eo cum Ioanne Rege Boemiæ & Carolo colloquio de inferendo regiæ Boemicæ imperio proſpiciebat Clemens, iura Romanæ eccleſiæ, ne a Carolo, acceptis imperij Romani ſceptris læderentur, negligere non debuit; qua in re ipſum muneri ſuo non defuiſſe, teſtatur Card. Baronius b in manuſcriptis Vallicellanæ noſtræ bibliothecæ ab ipſo relictis: *Eodem*, inquit, *anno ipſe Carolus aſſumendus in Imperatorem in publico conſiſtorio iuramentum pleniſſimum præſtitit de tuendo iura eccleſiæ Romanæ: quod iuramentum iterum replicatum ab eodem anno MCCCXLVIII. vt infra. Hæc habentur libro priuilegiorum Romanæ eccleſiæ.* Producenda in lucem nobis viſa ſunt ea publica monumenta tum ad ornandam hiſtoriam, tum ad eccleſiæ Romanæ iura illuſtranda: ſubiectis vero verbis concepta ſunt c.

b Baron. in M. S. not. ad hunc ann.

Spondet Carolus tutaturū ſe ius pontificium.

c Ext. lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 382.

In Nomine Domini. Amen.

Nouerint vniuerſi & ſinguli, quod anno a natiuitate eiuſdem MCCC. XLVI. indictione XIIII. die XXII. menſis aprilis, pontificatus ſanctiſſimi in Chri-

Christo patris & domini nostri domini Clementis, diuina prouidente clementia, Papæ sexti anno quarto Auinione in camera eiusdem domini nostri Papæ, præsentibus reuerendis in Christo patribus dominis Petro Penestrino, Bertrando Ostiensi & Velletrensi, Gaucelino Albanensi, & Ioanne Portuensi episcopis, Taloyrando tituli S. Petri ad vincula, Petro tit. S. Clementis, Bertrando tit. S. Marci, Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis, Guidone tit. S. Caeciliæ, Aymerico tit. S. Martini in montibus, Hugone tituli S. Laurentij in Damaso presbyteris, & Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin diacono S. R. E. Cardinalibus; nobis notarijs & testibus infrascriptis, nec non serenissimis principibus dominis Ioanne Boemiæ Rege illustri & Carolo eiusdem domini Regis filio primogenito principe Morauiæ præsentibus, de mandato eiusdem domini nostri Papæ volentibus, requirentibus, & consentientibus, fuerunt ibidem lectæ & publicatæ duæ notæ, & vna litera imperialis bulla aurea bullata per magistrum Ioannem de Pistorio decanum ecclesiæ S. Saluatoris Traiectensis, quarum notarum & imperialis literæ successiue tenores sequuntur sub his verbis.

Qui interfuere his pactionib' Cardinales.

In nomine domini. Amen. Nouerint vniuersi præsentes pariter & futuri, quod nos Carolus primogenitus Regis Boemiæ marchio Morauiæ, in præsentia sanctissimi patris, & domini nostri domini Clementis sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis ecclesiæ summi Pontificis constituti, eidem domino nostro Papæ, nomine suo, & ecclesiæ Romanæ recipienti; ac nihilominus notarijs infrascriptis nomine omnium & singulorum, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, recipientibus & stipulantibus, promisimus & promittimus, fecimus & facimus in forma, quæ sequitur, & iuramenta præstitimus, tactis sacrosanctis euangelijs, & præstamus.

Caroli sacramentũ

Ego Carolus primogenitus domini Regis Boemiæ illustris marchio Morauiæ vobis sanctissimo patri ac domino nostro domino Clementi sacrosanctæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, pro vobis & ecclesia Romana recipientibus, promitto bona fide & iuro, quod si Deo fauente contingat, me in Regem Romanorum eligi, in Imperatorem postmodum assumendum, faciam, præstabo, concedam, & promittam omnia iuramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, confirmationes, & cætera omnia, quæ claræ memoriæ dominus Henricus vltimus Imperator auus meus per se vel per alium vel alios fecit, præstitit, promisit, concessit, & confirmauit: nec non & omnia alia iuramenta, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, & confirmationes, & cætera omnia, quæ alij electi in Reges Romanorum & assumpti ad Imperium, siue etiam non assumpti, siue antequam assumerentur, siue post per se vel per alios summis Pontificibus & sanctæ Rom. ecclesiæ, seu eorum alteri, per se vel per alios recipientibus seu recipienti, reperientur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet concessisse.

Instaurata pollicitationes ab Henr. Imp præstita.

20 *Item promitto & iuro, quod omnes processus factos, et quaslibet sententias latas, et quæcunque alia, quocunque nomine censeantur, Romæ seu vbicunque alibi gesta per Ludouicum de Bauaria, per ecclesiam de hæresi et schismate iusto iudicio condemnatum, ac priuatum omni iure, si quod per electionem in Regem Romanorum de ipso factam ei fuerat acquisitum, seu per alios eius nomine vel auctoritate sub imperiali titulo, quem sibi vsurpauit indebite; nec non et omnia, quæ per se seu alium in Italia fecit seu gessit, etiam sub regali nomine, et cætera etiam omnia vbicunque gesta ab eo per se vel alium, quæ ex defectu iurisdictionis vel potestatis facere sibi non licuit, nulla esse, ac cassa et irrita pronunciabo et declarabo; illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullando et penitus reuocando.*

De gestis Lud. Bauari. rescindendis.

Item promitto et iuro, quod si contingat me eligi, vt præfertur, non occupabo, nec recipiam, nec acquiram, nec quouis modo vsurpabo Romam, aut prouincias, ducatus, comitatus, Ferrariam, ciuitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam mediate vel immediate spectantia in Italia vel vbilibet extra Italiam, sicut est comitatus Venaysini, qui ad Romanam ecclesiam pleno iure noscitur pertinere, et plura etiam alia ad eandem ecclesiam pertinentia extra Italiam constituta: et specialiter nec Regna Siciliæ, Sardiniæ et Corsicæ, quæ de directo dominio, iure, et feudo eiusdem Romanæ ecclesiæ esse noscuntur; nec alia feuda, retrofeuda, seu quælibet alia loca, ad eandem ecclesiam mediate vel immediate spectantia; nec iura, personas, vel res aliquas in eisdem: nec aliquibus inuadentibus seu occupantibus, vel quouis modo vsurpantibus, seu inuadere, occupare, vel quomodolibet vsurpare tentantibus, siue volentibus prædicta regna Siciliæ, Sardiniæ, vel Corsicæ, seu Romam, ac prouincias, ducatus, comitatus, Ferrariam, ciuitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam ecclesiam mediate vel immediate spectantia, siue sint intra Italiam, siue extra Italiam, seu aliqua prædictorum, non iuuabo, nec eis adhærebo, nec etiã ipsis dabo aliqualiter auxilium, consilium, vel fauorem; quinimmo quoscunque inuadentes, occupantes, seu quomodolibet vsurpantes, seu inuadere, occupare, vel vsurpare volentes, seu attentantes dicta regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, & vrbem Romanam, ac ducatus, comitatus prouincias, ciuitates, castra, & terras, seu quæuis alia loca Romanæ ecclesiæ, vel aliqua ex eisdem, retraham & impediam posse meo eisdem, cum armis me opponendo, & ne conatus talium effectum habeat, cum tota mea potentia resistendo: ac vobis & ecclesiæ Romanæ, pro defensione regnorum, prouinciarum, & terrarum, & locorum prædictorum, contra quoscunque occupatores, inuasores, seu occupare, inuadere, seu vsurpare attentantes, fideliter assistendo; nec dabo, nec concedam vllo vnquam tempore in perpetuum vel ad tempus aliquid de prædictis sub colore, conditione, vel titulo quibuscumque: quodque prædictam Romanam ecclesiam, aut vos dominum nostrum Papam, seu successores vestros, vel officiales, ministros, vassallos, & subditos vestros non inquietabo, vel quomodolibet molestabo in dictis regnis Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, nec in vrbe Romana, terris, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, castris, oppidis, & alijs terris & territorijs supradictis, seu aliquo prædictorum: sed nec extra loca prædicta, ratione quorumlibet delictorum, vel excessuum, in locis eisdem commissorum vel committendorum, aliquem vel aliquos puniam, vel alias persequar, nisi hoc ad me pertineret de iure ex alia ratione quam territorij, cum territorij ratione hoc ad Regem vel Imperatorem Romanum, quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere: & hoc casu promitto & iuro, quod tales contra iustitiam non grauabo, nec eis in casu etiam aliquo Reges prædictorum regnorum, aut ministros, vassallos, & subditos eorundem in regnis prædictis, seu pro eis, vel quolibet eorum parte aliqua-

Non occupanda ditione ecclesiastica.

Non affectanda Sicilia vel Sardinia.

De non ambiendo Vrbis & aliorũ terrarum imperio.

quatenus molestabo : nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitutem, potestariam, capitaneatum, vel aliud officium, quocunque nomine censeatur, accipiam vel vendicabo, vel per me vel per alios exercebo in prædictis Romo, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem : nec etiam fidelitatem, recognitionem, vel aduocationem, aliquam quouis modo recipiam per me vel alium seu alios pro me in Romo, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, terris, & territorijs supradictis, vel pro aliquo eorundem : nec etiam pro quibuslibet rebus vel iuribus in præmissis Romo, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territorijs supradictis, vel in eorum, seu aliquibus pertinentijs constitutis, etiam si mihi a quibuslibet communitatibus, vel personis singularibus offerrentur : nec ius etiam aliud qualecunque vendicabo, acquiram, vel occupabo, seu quomodolibet per me vel alium seu alios vsurpabo, recipiam, vel exercebo : nec concedam etiam recipi, vel haberi in Romo, regnis, Veneyssino, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem ; & specialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris, & locis expressis in quibusdam literis dicti domini quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius est insertus.

De non arrogando sibi in pontificiā ditionem vllo iure.

21 Ad euitandum quoque occasionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum promitto vt supra, quod ante diem, mihi pro coronatione mea impersona præfigendam, non ingrediar vrbem Romanam : quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, imperialem recipiam coronam ; & quod siue illa die, siue vere ac legitime impeditus die alia dictam recipiam coronam, ipsa die, qua coronam huiusmodi recepero, dictam vrbem, vero ac legitimo impedimento cessante, exibo cum tota etiam, quantum in me fuerit, gente mea : & cessante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis diætis extra totam terram Romanæ ecclesiæ me recto gressu transferam versus terras imperio subiectas, nunquam postmodum ad vrbem, regna prædicta Siciliæ, Sardiniæ Corsicæ, prouincias, ciuitates, vel alias terras Romanæ ecclesiæ, nisi de speciali licentia sedis Apostolicæ accessurus. Iuro quoque super sancta Dei euangelia, per me corporaliter manu tacta, quod super his vel eorum aliquo nullum impedimentum fingam aut præstabo, aut fingi aut præstari per alium vel alios, quantum in me fuerit, permittam. Item promitto, quod contra prædicta, vel eorum aliquod nullatenus per me vel alios veniam : etsi contrarium quouis modo contingeret fieri per me vel alios meo nomine quandocumque, statim cum hoc ad meam notitiam deductum fuerit, illud reuocabo, & faciam, quantum in me fuerit, effectualiter reuocari, & pro non facto volo & decerno haberi, et etiam reputari.

Promissū eadem die abiturum Vrbe qua coronam accepetit.

22 Item si per præfatum quondam dominum Henricum Imperatorem auum meum, vel per iam dictum Ludouicum, seu per quemcunque alium, seu alios ipsorum, vel alterius eorum nomine seu auctoritate, aliqua sententia fuerint promulgatæ, seu processus aliqui facti, seu arrestationes personarum aut rerum, vel aliqua ad iurisdictionem pertinentia, attentata in Romo, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus immediate vel mediate subiectis, promitto & iuro, quod illa omnia decernam & pronunciabo esse nulla : quodque si aliqua fidelitates, homagia, obedientia, recognitiones, donationes, aduocationes, occupationes, seu concessiones qualescunque, a prædictis domino Henrico & Ludouico, vel eorum altero per se vel alium, seu alios facta fuerint, vel recepta pro Romo, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territorijs supradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus vel iuribus in eis vel sub eis etiam constitutis a quibuscunque vniuersitatibus vel personis singularibus quouis modo, illa omnia nulla fore pronuntiabo, & quatenus processerunt de facto, totaliter reuocabo, & etiam pro non factis volam & decernam haberi. Item promitto & iuro, quod si in Regem Romanorum assumptus fuero, ad imperium postmodum assumendus, antequam ingrediar partes Italiæ, & antequam in eis vel de eis per me vel alium seu alios aliquid disponam, aut quomodolibet administrem, apud sanctitatem vestram prædictam, & sedem Apostolicam, approbationem personæ meæ & cætera, quæ electus in Regem Romanorum promouendus in Imperatorem habet prosequi, prosequar cum effectu.

Iniquæ Henrici acta iudiciaria abolet penitus.

Non administraturum se Italiam antequam Cæsar a Pont confirmatus fit.

23 Item promitto & iuro, quod quandocunque post approbationem prædictam in Lombardiam & Tusciam, vel earum alteram aliquem vel aliquos mittam pro terris & iuribus imperij gubernandis, quotiens illum vel illos transmittam, faciam eum & eos iurare, vt adiutor vel adiutores domini Papæ sint ad defendendum terram S. Petri & Romanam ecclesiam secundum suum posse. Item promitto & iuro quod si contingat me eligi, vt præfertur, infra octo dies electionem meam immediate sequentes omnes supradictas & infrascriptas promissiones & iuramenta renouabo, & iterum faciam plene, singulariter, & expresse, videlicet quod omnia & singula suprascripta & infrascripta per me promissa, & per me præstito iuramento vallata, post approbationem meam per sedem Apostolicam factam bona fide & inuiolabiliter obseruabo, faciam, implebo, & integraliter attendam iuxta præsentium continentiam & tenorem : quodque cum mittam ad sedem Apostolicam pro dicta mea approbatione habenda, mittam etiam ad sedem eandem certos procuratores meos cum pleno, sufficienti, expresso, ac speciali mandato de omnibus promissionibus, concessionibus, donationibus, & omnibus etiam alijs supradictis, vobis nomine vestro & ecclesiæ Romanæ recipientibus, per eos pro me ac meo nomine faciendis : qui procuratores, meo nomine omnes promissiones, concessiones, donationes, & omnia alia suprascripta & infrascripta in præsentia plene & specifice faciant, & adimpleant & adimplere, & facere teneantur : et post approbationem prædictam infra octo dies, ex quo de approbatione ipsa literas apostolicas recepero, omnia & singula per eosdem procuratores, vt præmittitur, meo nomine facta expresse & singulariter approbabo, ratificabo, & per me ipsum etiam renouabo, & iterum faciam hæc de nouo : & nihilominus post consecrationem & coronationem meam imperialem infra octo dies, consecrationem & coronationem eandem immediate sequentes, pro maiori firmitate omnium prædictorum ipsa omnia & singula ratificabo & etiam renouabo singulariter & expresse : & super præmissis omnibus & singulis, & pro qualibet vice de prædictis iuxta præmissam distinctionem temporum dabo literas meas quadruplicatas eiusdem tenoris patentes & sufficientes, ac sigillo, quo dictis vtar temporibus, communitos.

Promissa habiturū rata post electionē.

Et post acceptum imperiale diadema repetiturum.

24 Item super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuro, quod nullam omnino promissionem,

nem, nullum pactum, nullumque iuramentum, nec aliquid aliud feci, per quod præmissis, vel eorum alicui possit in aliqua quomodolibet derogari. Et nihilominus super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuro, præmissa omnia & singula me facturum & completurum, & nullo vnquam tempore per me vel alios contra illa, vel aliquod de illis quouis modo venturum. Etsi (quod absit) contingeret me facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquid, quæ præmissis, vel eorum alicui possent quomodolibet obuiare, vel me ad aliquid secus agendum inducere, vel mihi occasionem agendi contra prædicta, vel eorum aliquod quomodolibet ministrare; nihilominus, illis nequaquam obstantibus, prædicta omnia et singula complebo et inuiolabiliter obseruabo, et ad ea complenda et inuiolabiliter obseruanda ex promissionibus et iuramentis præmissis semper me volo remanere efficaciter obligatum. Et ex nunc etiam attestor et protestor, me velle et intelligere præmissa omnia et singula sic excipi fore ab omnibus factis et promissionibus ac iuramentis specialibus et generalibus, per me quomodolibet faciendis, per quæ præmissis, vel eorum alicui posset quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occasione mihi nullo modo liceat, litereue possit mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea vel aliquod de eisdem.

De intrusis in ecclesias pellendis.

Promitto etiam bona fide, quod intrusos in ecclesijs infra prædicta regnum et imperium consistentibus, et qui eas contra ius et libertatem, superioritatem et auctoritatem ecclesiæ Romanæ detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, si super hoc per vos dominum nostrum Papam, vel sedem Apostolicam fuero requisitus, expellam ac pro posse faciam expelli de illis: et prouisos per sedem Apostolicam iuuabo et faciam iuuari, vt ad ecclesias, quibus de eis per sedem Apostolicam prouisum est vel fuit in futurum, realiter admittantur, suisque iuribus libere vti possint. Tenor autem supradictarum literarum domini quondam Henrici Imperatoris sequitur sub his verbis: Sanctissimo, etc. Feruenti, etc. Dat. Lausanæ anno MCCCX. Insertæ sunt eæ literæ a nobis superiori annalium tomo a suis conceptæ verbis quare iam repetendæ non sunt visæ: confirmatis vero sponsionibus de tuendis ecclesiæ iuribus, quæ in ijs literis continentur, subdit Boemus Rex.

a Tom. annal. xv. an. Christ. 1310. n. 3. &c.

25 *Sane quia ego Ioannes, Dei gratia Rex Boemiæ, præmissa omnia & singula, in præsentibus literis contenta, per dictum Carolum filium meum marchionem Morauiæ promissa & iurata, ipsis per me plenius intellectis, reputo & credo vtilia, licita & honesta, & ob hoc per ipsum Carolum, si in Romanorum Regem assumptus fuerit, desidero compleri & irrefragabiliter obseruari in eiusdem sanctitatis vestræ præsentia pariter constitutus, vobis nomine vestro & Romanæ ecclesiæ, ac omnium in præsentibus literis expressorum, ac omnium aliorum, quorum interest vel intererit seu interesse poterit in futurum, recipientibus promitto, & super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuro, me toto posse meo facturum & curaturum bona fide, quod præfatus Carolus omnia & singula, per eum in literis suprascriptis promissa & iurata, plene, realiter, & inuiolabiliter faciet & complebit, & quod contra ea vel eorum aliquod non faciet per se vel alium quouis modo: & si secus agi contingeret, illud pro posse procurabo ad statum debitum celeriter reuocari.*

Cõfirmat Io. Rex promissa a filio Carolo.

Quibus notis & literis imperialibus, vt præmittitur lectis & publicatis, præfati domini marchio primus omnia et singula in prima nota et literis imperialibus, et subsequenter dictus dominus Rex omnia et singula contenta in secunda nota gratis & sponte promiserunt, et ad sancta Dei euangelia, tacto libro, ipsorum quilibet iurauerunt, se tenere et complere omnia et singula contenta in notis et imperialibus literis prædictis suo posse, prout in ipsis plenius continentur. Et nihilominus promiserunt præfati dominus Rex et marchio et ipsorum quilibet, nobis notarijs publicis infrascriptis tanquam publicis personis stipulantibus et recipientibus pro omnibus et nomine omnium, quorum interest vel interesse poterit in futurum, omnia et singula suprascripta per ipsos promissa, et iurata plene et integre et inuiolabiliter obseruare, perficere, & complere, & in contrarium aliqualiter non venire. De quibus omnibus & singulis sic promissis & iuratis præfatus dominus noster Papa mandauit, & præfati domini Rex et marchio requisiuerunt per nos subscriptos notarios fieri vnum, duo, vel plura publica instrumenta. Acta fuerunt hæc anno, indictione, pontificatu, mense, die, et loco prædictis, et præsentibus supradictis dominis Cardinalibus, nec non venerabili patre domino Gasberto Narbonensi archiepiscopo domini Papæ camerario, nobili et potenti viro domino Guillelmo Rogerij vicecomite Bellifortis, dominis Bernardo Stephani, Raymundo de Valle notarije domini nostri Papæ, Gasberto de septem fontibus canonico Ilerdensi, Nicolao decano Olomucensi, Nicolao de Lucemburgo præposito Saccensi Pragensis diœcesis, Rodolfo Losse cantore ecclesiæ Cardonensis, ad præmissa testibus vocatis & rogatis.

26 Se præterea, initis alijs cum Pontifice pactionibus, Boemus Rex & Morauiæ marchio sacramento obstrinxere, rescindere omnia fœdera quæ antea cum Ludouico Bauaro sanciuerant, seque illum bello insectaturos, neq; vnquam amicitiam, affinitatemue cum eo contracturos, dum fidelium consortio pulsus esset; neque vllos fucos aut prætextus ad hæc promissa labefactanda accersituros: qua de re publica hæc sunt documenta confecta a.

a Ext. in arc. S. Ang. & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 350 & inter coll. Plat. to. 3. pag. 17.

In nomine Domini. Amen.

Alia Ioannis Regis pactiones cũ Pont.

Nouerint vniuersi & singuli, quod anno a natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, indictione quartadecima, die vicesima secunda mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Clementis, diuina prouidente clementia, Papæ sexti anno quarto, constitutis personaliter Auinione in camera eiusdem domini nostri Papæ coram dicto domino nostro summo Pontifice, præsentibus reuerend. in Christo patribus dominis, miseratione diuina, Petro Penestrino, Bertrando Ostiensi & Velletrensi, Gaucelino Albanensi, Ioanne Portuensi episcopis, Talayrando tituli S. Petri ad vincula, Petro tit. S. Clementis, Bertrando tit. S. Marci, Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis, Aymerico tit. S. Martini in montibus, Guidone tit. S. Cæciliæ, Hugone tit. S. Laurentij in Damaso presbyteris, & Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinalibus S. R. E. nobis notarijs & alijs testibus subscriptis ad infrascripta vocatis, & rogatis; præsentibus etiam serenissimo principe domino Ioanne Rege Boemiæ illustri, ac domino Carolo eiusdem domini Regis filio primogenito marchione Morauiæ de mandato eiusdem domini nostri Papæ, volentibus, requirentibus, & consentientibus præfatis dominis Rege & marchione, fuit ibidem lecta & publicata quædam papyrea cedula per magistrum Ioannem de Pistorio decanum ecclesiæ S. Saluatoris Traie-

ctensis, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur sub his verbis.

Ioanna & Caroli literæ.

Vniuersis præsentes literas inspecturis Ioannes Dei gratia Rex Boemiæ, & Carolus eius primogenitus marchio Morauiæ salutem.

De Ludouici Bauari perfidia.

Cum, sicut est per diuersas orbis partes longe, lateque diffusum & notum ac etiam diuulgatum, Ludouicus de Bauaria, propter multiplices, graues, execrabiles, & enormes, atque notorios eius excessus, offensiones, iniurias, rebelliones, contumacias, & contemptus, ac hæreses, & schismata, aliaque nonnulla detestabilia crimina notorie commissa per eum, ac exigentibus suis demeritis & culpis horrendis, fuerit & sit per sedem Apostolicam pluribus varijs & diuersis excommunicationum & anathematum, ac alijs pœnis & sententijs innodatus, ac omni iure, si quod vnquam sibi in regno & imperio Romano competere potuisset; nec non omnibus feudis, quæ tunc a Romana vel alijs ecclesijs, vel dicto imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bauariæ, ac etiam bonis suis alijs mobilibus & immobilibus, iuribus, & iurisdictionibus priuatus perpetuo, iustitia suadente, ac de hæresi & schismate, & alijs diuersis criminibus & excessibus condemnatus, ac hæreticus & schismaticus publice nunciatus; & propterea in pœnas & sententias diuersas tam in processibus dictæ sedis huiusmodi occasione habitis contra eum contentas, quam in iure contra tales inflictas incidisse, & eas omnes incurrisse, sit & fuerit declaratus, ac etiam Christi fidelibus expositus impugnandus; nos prænominati Ioannes Rex & Carolus primogenitus tanquam deuoti sanctæ Romanæ ecclesiæ filij, verique cultores catholicæ fidei, obstinatam & pernitiosam nimium Lodouici præfati pertinaciam & perfidiam abhorrentes; & consultius attendentes processus sedis eiusdem, vt præmittitur, habitos contra eum; & considerantes etiam, quod hæretici & schismatici sunt a catholicis pro iuribus expugnandi, & quod eisdem fidelibus non licet cum ipsis hæreticis vel schismaticis amicitias, societates, confœderationes, pactiones, colligationes, vel ligas aliquas facere vel habere; ob zelum Dei & eiusdem fidei, ac ad honorem ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ matris nostræ, & ob deuotionem, quam habemus ad ipsam, ac etiam conscientia merito nos vrgente, intendentes Ludouicum præfatum iuxta ipsorum processuum seriem, prout nobis erit possibile, impugnare; bona fide promittimus, & ad sancta Dei euangelia per nos, & nostrum quemlibet corporaliter sponte tacta, iuramus, quod ad quemcunque statum peruenerimus nos vel alter nostrum, quamdiu idem Ludouicus in huiusmodi perfidia, hæresi, schismate, pertinacia, excessibus, & criminibus permanebit, & quamdiu subiacebit pœnis & sententijs supradictis, & quandiu erit extra gratiam dictæ sedis, nullam amicitiam, societatem, confœderationem, pactionem, colligationem, vel ligam cum eo faciemus: & si aliquam hactenus fecissemus, eis de cætero non vtemur.

Et Pontifi cum iusta in eum edicta.

Rescindũt quæcumque ipsi cum eo fœdera.

27 Item promittimus, & iuramus, quod nullam parentelam, consanguinitatem, vel affinitatem cum Lodouico præfato, nec matrimonium, vel sponsalia aliqua, aut parentelam, consanguinitatem, vel affinitatem cum aliquo vel aliqua seu aliquibus, ab eodem Ludouico per masculinam vel femininam lineam descendentibus, contrahemus Romano Pontifice inconsulto, & absque ipsius sedis licentia speciali: nec eidem Ludouico consilium, auxilium, vel fauorem impendemus per nos, vel alium seu alio directe vel indirecte, publice vel occulte: quinimmo eundem Ludouicum iuxta ipsorum processuum continentiam totis nostris viribus impugnabimus, expugnabimus, & persequemur, & super his faciemus totaliter, realiter, & efficaciter posse nostrum. Quæ quidem omnia & singula, ex causis prædictis & ob eas modo prædicto recta & pura fide sine omni dolo & fraude promittimus, & ad sancta Dei euangelia corporaliter sponte tacta iuramus, nos efficaciter seruaturos & completuros toto posse; & quod contra præmissa vel eorum aliqua per nos, vel alium seu alios directe vel indirecte, publice, vel occulte, aliqua ratione, occasione, vel causa, ingenio vel colore nullatenus veniemus.]

Eundem armis se petituros spondent.

Nullo fuco violaturos promissa.

Qua cedula lecta, publicata, & eisdem domino Regi & marchioni exposita, præfati domini Rex & marchio & ipsorum quilibet, omnia & singula contenta et narrata in eodem approbantes, et rata et firma habentes, promiserunt et conuenerunt ac iurauerunt, prout in eadem continentur, se facturos et seruaturos, et non contra facere vel venire aliqua ratione, occasione, seu causa. Et nihilominus promiserunt et iurauerunt et ipsorum quilibet, se acturos et procuraturos bona fide, quod dominus Ioannes pater dicti domini marchionis prædicta omnia et singula promittet et iurabit modo et forma prædictis. De quibus omnibus, vt præmittitur, sic actis, promissis, et iuratis præfatus dominus noster Papa mandauit per nos notarios infrascriptos fieri vnum, duo, et plura publica instrumenta. Acta fuerunt hæc anno, indictione, pontificatu, mense, et die prædictis, præsentibus dominis Cardinalibus, nec non venerabili patre domino Gasperto Narbonensi archiepiscopo domini Papæ camerario, nobili et potenti viro domino Gullermo Rogerij vicecomite Bellifortis, venerabilibus viris dominis Bernardo Stephani, Raimundo de valle notarijs domini nostri Papæ.

28 Professi etiam sunt coram sacro Cardinalium senatu ijdem Rex et marchio, si in bello Ludouico Bauaro inferendo aliqua damna contraherent, vel sumptus maximos susciperent, nunquam se vel præmij, vel pactorum, sarciendiue damni causa quidquam ab Apostolica sede repetituros: qua de re subiectæ tabulæ confectæ a.

Vniuersis præsentes literas inspecturis Ioannes Dei gratia Rex Boemiæ, & Carolus eius primogenitus marchio Morauiæ salutem.

a Ext in cod. lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 318. & in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 504.

Nuper Ludouicum de Bauaria hæreticum & schismaticum, persecutorem catholicæ fidei, hostem Dei suæque sanctæ ecclesiæ manifestum, de hæresi & schismate, ac alijs multiplicibus execrandis criminibus et excessibus condemnatum, ac alijs pluribus et diuersis excommunicationum et anathematum ligatum sententijs, et priuatum omnibus mobilibus et immobilibus bonis suis, ac declaratum prædictas aliasque nonnullas spirituales et temporales pœnas et sententias incurrisse, ac etiam Christi fidelibus expositum impugnandum per processus sedis Apostolicæ habitos contra eum; nos ipsius Dei et eiusdem fidei zelo succensi, ad honorem etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac ob deuotionem, quam habemus ad ipsam, et etiam vrgente nos conscientia, promisimus impugnare totis nostris viribus iuxta seriem processuum prædictorum, etiamsi ad statum imperij vel alium quemcumque nos vel nostrum

Edita de eo publica documenta. Indictum Ludouico Bauaro bellum a Boemis.

strum alterum contigerit deuenire, et ad sponte nos adstrinximus vinculo iuramenti, prout in pasentibus nostris literis inde confectis, sigillorum nostrosum appensionibus communitis, hęc et alia seriosius continentur.

Cum itaque ob feruorem zeli et deuotionis huiusmodi nostri firmi et inconcussi propositi, et inuiolabilis intentionis existat, impugnationem huiusmodi Ludouici prędicti prosequi et exequi nostris psoprijs sumptibus et expensis; nos Ioannes Rex et Casolus primogenitus prędicti coram vobis sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Clemente VI. diuina prouidentia sacrosanctę Romanę ac vniuersalis ecclesię summo Pontifice, propterea personaliter cōstituti, volentes ad cautelam vestram, & successorū vestrorū Rom. Pontificum et ipsius sanctę Rom. ecclesię intentionem et propositum nostra huiusmodi expressius declarare, et super his caueseidonee, vobis et successoribus vestris et ecclesię memoratę promittimus bona fide, vobis pręnominato domino summo Pontifici pręsenti & nomine vestro & successorum ac ecclesiæ prædictorum stipulanti solemnites & recspienti, & ad sancta Dei euangelia pes nos et nostrum quemlibet corporaliter sponte tacta iuramus, quod ratione impugnationis prædictæ et prosecutionis negotij impugnationis eiusdem, seu quantumcumque prolixitatis, durationis, aut difficultatis impugnationia et prosecutionis ac negotij huiusmodi, vel sumptuum et expēnsarum, vel damnorum aut interesse realium et personalium, et quorumcumque aliorum per nos vel nostrum alterum propterea subeundorum et sustinendorum, aut ratione destructionis vel amissionis quorumcumque bonorum nostrorum mobilium vel immobilium, quantæcumque quantitatis seu quanticumque valoris fuerint nullam restitutionem, refectionem, satisfactionem, vel emendam aut recompensationem, nec aliquod subsidium pecuniarium, vel aliud quodcumque, etiam si ad imperialem vel alium quemcumque statum nos vel alter nostrum deuenerimus, petemus per nos, vel alium, seu alios directe vel inditecte aliquo tempore a vobis prædicto domino summo Pontifice, vel aliquo successorum vestrorum prædictorum, aut a Romana ecclesia memorata; volentes et consentientes expresse, quod vos vel successores vestri, et ecclesia supradicti proptes præmissa, vel eorum aliqua seu alia quæcumque, ca contingentia quoquomodo nobis vel successoribua nostris, in nullo penitus teneamini, nec sitis propterea in aliquo obligati; ac ex nunc ab omni eo, quod ratione vel occasione præmissosum a vobis vel successoribus vestris seu ecclesia prædictis noa vel successores nostri possemus petere, vos et successores vestros se ecclesiam prædictos omni modo, iure, et forma, quibus melius et efficacius possumus, liberamus, absoluimus, et quitamus.

Adhibita, si bellum non succedat, cautio.

Quas quidem liberationem, absolutioaem, et quitationem, et omnia alia et singula supradicta promittimus bona fide, et ad sancta Dei euangelia corporaliter sponte tacta iuramus, perpetuo rata, grata, et firma habere, tenere, et etiam obsesuare; et contra in aliquo per nos, vel alium, seu alios nullo tempore facere vel venire directe vel indirecte aliqua ratione, occasione, vel causa, ingenio vel colore. In quorum omnium fidem et testimonium præsentes literas fieri mandauimus, et fecimus sigillorum nostrorum appensionibus communiri. *Dat. Auin. die xxii. mensis aprilis anno a natiuitate Domini nostri Iesu Christi MCCCXLVI. indictione XIV. pontificatus vestri præfati sanctissimi domini nostri Papæ anno IV.*

29 Eximio adeo et singulari in ecclesiam studio Boemiæ Rex et marchio Morauiæ promeruerunt, vt flagitantibus iis a Clemente apostolica studia in exornando Carolo imperialibus infulis, si a principibus electoribus Romanorum Rex salutaretur, Pontifex amplissimis verbis sua officia sit pollicitus, et omnibus honorū ornamentis quibus Imperatores catholici redimiri solent ipsū condecoraturū: quę ex arcano gesta inconsulto Francorum Rege ob superiora ab ipso cum Bauaro inita fœdera, de quibus suo loco egimus, pluresque alias causas. Ex quo emendandi historici, qui passim Carolum a Francorum Rege elatum ad imperium referunt. Subiectis vero literis Clemens factum excusauit apud Philippum a, qui magnis precibus expetierat, vt Bauarus in gratiam sedis Apostolicæ admitteretur.

Promissa a Pontif. arcano Carolo imperii.

Gallus Rex pro Bauaro pacis interpretem agit.

a T. 47. ep. secr. 45.

Clemens, &c. Aduertentes, quod tam ecclesiæ, quam reipublicæ vtilitati expediens reputatur, quod Romanum impesium, quod diutinis temporibus vacationis sustinuit incommoda, præsidio regiminis alicuius viri catholici fulciatur; tandem præfatis Regi et marchioni respondimus, nos eidem marchioni, si electio prædicta de ipso celebrari contingeret, huiusmodi fauorem et gratiam impensuros.

Necessitas instituendi nouum Cæsarem.

Hæc autem, fili dilectissime, antequam faceremus, responsionem huiusmodi tuæ celsitudini omisimus intimare, considerantes aliqua, quæ inter te ac eundem Ludouicum, pro cuius reconciliatione affectuose apud nos literis & nunciis institeras sæpius iteratis, dudum prolocuta vel acta fuisse dicuntur; quodque præfati Rex & marchio, habentes festinanter recedere de curia, expectare tanto tempore non valebant: & quia nos, & felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster principes electores imperij instantes diuersis temporibus duxeramus commonendos, & instantius requirendos, vt ad electionem Regis Romanorum, promouendi in Imperatorem, de viro catholico, idoneo, & ecclesiæ Romanæ prædictæ deuoto celebrandam procedere procurarent: & etiam eorundem Regis & marchionis petitio adeo innitebatur iustitiæ, cum solum fauorem debitum peterent, quod nec debebat nec poterat eis quomodolibet denegari. Quare super hoc nos habeat regalis excellentia, quęsumus, excusatos. *Dat. Auin. III. non. iunij anno V.*

Solicitatos iam ante electores, vt eum crearent.

30 His constitutis cum Ioanne Rege Boemiæ & Carolo Morauiæ marchione, Pontifex Vualramo Coloniensi & Balduino Treuirensi archiepiscopis, ac Rodulpho Saxoniæ duci persuasit, vt Carolum in comitijs a Gerlaco Moguntino archiepiscopo indicendis ad sceptra Romanorum vocarent; quo argumento datæ hortatoriæ literæ b in quibus post nonnulla de Ludouico Bauaro exauctorato exposita subdit Clemens: *Cum multum reipublicæ vtilitati expediat, quod vir strenuus, deuotus, & catholicus & fidelis, cui nos & ecclesia Romana tanquam speciali aduocato & defensori eiusdem ecclesiæ debeamus fauores & gratias impertiri, ad tanti culminis fastigium assumatur; & inter cæteros principes & magnates earum partium dilectum filium nobilem virum Carolum primogenitum charissimi in Christo filij nostri Ioannis Regis Boemiæ illustris marchionem Morauiæ, attentis multis virtutibus, quibus ipsum decorauit Altissimus, ad hoc aptum & idoneum existimamus; acce-*

Rogati electores, vt Carolum eueherēt ad imperium.

b lib. ep. 1089. 1090. 1091.

ptum Deo & expediens vtilitati publica crederemus ac nobis & Apostolica sedi admodum procuidubio gratum esset, si prafatus marchio in Regem promouendum in Imperatorem Romanorum postmodum assumatur. Quocirca fraternitatem, hoc verbo compellat archiepiscopos, laicos vero principes altero consueto, nobilitatem, *tuam plenis affectibus deprecamur, quatenus ad electionem de ipso marchione celebrandam operosis affectibus & effectibus intendere studeas diligenter, sciturus, quod ex hoc prater mercedem perennis pramij, quod inde merebere, nostrā & eiusdem sedis gratiam tibi plenius et vberius vendicabis, etc. Dat. Auin. 1v. kal. maij anno* 1v. Conceptæ sunt ijsdē pene verbis literæ ad comitem Palatinum Rheni ducem Bauariæ datæ, quibus cum adhortabatur a, vt in Carolum suffragium conferret si septemuiratus ius spectaret, nulloq; ad illud exercendam impedimento teneretur. Sgregatus is erat e fidelium cōmunione, cum in Ludouici schismate sordesceret; neq; monitis apostolicis morem gessit, vt videbitur inferius, quamuis ei b ac Ruperto c & Adolpho d Bauaræ stirpis principibus data essent imperia, ne Ludouico studerent.

a To. 4. ep. secr. 1093
b Ibid. ep. 1037.
c Ibid. ep. 1040.
d ep. 1241

31 Vt rite Regis Romanorum electio celebraretur, Clemens episcopum Acconensem misit e, qui Balduinum archiepiscopum Treuirensem anathemate deuinctum censuris exolueret ad serenandam illius conscientiam, atque asserendam dignitatem: causas vero non exprimit Pontifex; sed non abest coniectura, archiepiscopum ipsum ob partes Ludouici in nonnullis principum conuentibus iniuste defensas easdem censuras contraxisse. Treuirensi vero partes iniunxit f, vt principes electores, qui censuris obstricti essent, cum ad electionem celebrandam conuenissent, fidelium communioni restitueret. Ex ijs Rodulphus dux Saxoniæ, qui etiā tū ab ecclesiæ gremio exularat, vt ex Clementis literis g patet, quibus spiritum consilij sanioris comprecatur, atque ad piorum consortium aiiicit, pontificijs monitis est obsecutus; quem pecunia corruptum vna cum Coloniensi, perperam queruntur Albertus Argentinensis & Herwartus, quasi animæ suæ salus, restituendæ in Germania pietatis reique catholicæ studium, diuini Numinis timor, suæ dignitatis tuendæ cura, atque apostolica monita ipsum ad id impellere non potuerint: Coloniensem vero sine pecuniarum illecebra ad iussa apostolica semper pronum vidimus.

e Ep. 1093. Treuerensis arch. censuris solutus.
f Ep. 1094
Rodulphus Saxo fauet Boemo.
g Ep. 1050 & 1091.
Et Coloniensis archiep.

Vocati itaque electores principes catholici Rentzam a Gerlaco archiepiscopo Mogūtino Regem Romanorum renuntiaturi, primum ex pontificia sententia in literis plurimis a nobis exposita, orbatum esse rectore suo imperium Romanum pronuntiarunt, vt refert memoratus Argentinensis h: *Imperium*, inquit, *diu vacasse decernentes*. Quo decreto aperte ijdem electores Ioannis XXII. & Clementis contra Ludouicum Bauarum sententias iustas professi sunt, illumque iure omni ad imperium ex electione quæsito ob sua scelera apostolica auctoritate exui potuisse, insteque fuisse spoliatum: & si quæ antea edicta contraria in Francofurtensi & Rensensi conuentibus iniqua condiderant, plane ac iuridice damnarunt. Progressi deinde ad electionem principes in Carolum marchionem Morauiæ, vt in aula pontificia agitatum fuerat, mense iulio circa diem S. Margaritæ sacram, vt scribit Rebdorfius i, siue feria quarta ab eodem festo euoluto, vt clarius designat Argentinensis l suffragia contulerunt; qua de re hæc M. S. Vaticanum refert a in Clemente: *His ratificauit atque roborauit processus, & sententias latas contra Bauarum: nec non viuente ipso ordinauit cum suis fratribus Cardinalibus de creatione noui Imperatoris, quod & factum est, & priuato archiepiscopo Moguntino, qui dicto Bauaro haretico adharebat. Nec non electores, ad quos electio Romanorum Imperatoris spectabat, de consensu & voluntate sedis Apostolica elegerunt atque nominauerunt in Regem Romanorum & Alamannia, & pro Imperatore dominum Carolum IV. filium Regis Boemia: quam electionem dictus Papa ratificauit & approbauit.*

h Argent. in chron. Decernūt principes, iuste Bauarum a Pont. exauctoratū.
i Rebdorf. in annal.
l Argent. in chron.
a M. S. bib. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI. Caroli creatio rata habita a Pont.

32 De euecto ad Romanum imperium Carolo felix nuntius ad Clementem celerrime aduolauit; III. enim kal. augusti eo accepto, ingenti lætitia delibutus Pontifex, nactam demum ecclesiam pium & strenuum defensorem gratulatorias ad principes electores Ioannem Boemiæ Regem b Balduinum archiepiscopum Treuirensem c huius patruum, Rodulphum ducem Saxoniæ d, Gerlacum Moguntinum e, & Vvalramum Coloniensem f archiepiscopos de egregio principe Romano imperio dato tum ad nouum Regem Romanorum Carolum literas dedit; quibus, vt demisse de se ex Christiana pietate sentiret, spem locaret in Deo, regijs animum excoleret virtutibus, hortatus est g: tum prosperos illi successus, ac diuturnum imperium est comprecatus.

Gratulatur electoribus Pontifex.
b To. 5. ep. secr. 294.
c Ep. 295.
d Ep. 296.
e Ep. 297.
f Ep. 298.
Et Carolo Regi.
g Ep. 290.

Charissimo in Christo filio, Carolo in Regem Romanorum electo.

Lætis & iucundis rumoribus ad Apostolicam sedem perducto, electionem de te, fili charissime, in Regem Romanorum, promouendum in Imperatorem, fuisse solemniter & concorditer celebratam, exultauit cor nostrum in Domino, & immensi rore gaudij, & lætitia perfusa fuerunt præcordia mentis nostræ, sperantes in eo, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, quique cælestia simul & terrena sua omnipotentia moderatur, quique in te sic feliciter suæ clemētia pietatis incepit, ipse qui opus imperfectionis abhorret, prosperis perficiet successibus, solidabitque vsque ad perfectionem votiuam; ita quod ecclesia sancta sua te defensorem & pugilem habebit strenuum & fidelem ad confundendum & extirpandum schismata, hęreses, & errores, ac dilatandum cultum fidei orthodoxæ: regnabitque sub tuo felici, pio, & prouido regimine pacis & iustitiæ pulchritudo; excessibus, criminibus, & delictis claudetur aditus: & te sedente in solio regalis & imperialis culminis, dissipabitur omne malum. Talem namque filium diutinis temporibus auide desiderauit eadem mater ecclesia, quem se, vt firmiter credimus, cum repletione consolationis & gaudij lætabitur his temporibus recepisse.

Conceptæ ex ei⁹ regno spes.

Rogamus itaque serenitatem tuam, & hortamur attentius in domino Iesu Christo, quatenus ad illum, in cuius manu & potestate omnium iura regnorum consistunt, & nihil boni vel prosperi esse potest alicui, nisi de suæ bonitatis clementia largiatur, dirigens in humilitate spiritus iugiter vota tua, & anchoram spei tuæ in eo solo figere non desistens; ad illa, quæ præmisimus, & alia opera virtuosa, per quæ Deo semper fieri merearis acceptior, intendere continue, tuarumque operationum studia conuertere non postponas; sciturus pro certo, quod si hæc, vt confidimus, egeris teque cum Deo tenueris inces-

Monitus vt amplitudinem suā Deo referat acceptam.

san,

fanrer, ipse actus tuos prosperare non desinet, tuum exaltando super terram solium, & prottahendo in dierum longitudinem cum prosperiraris votiuę successibus vitam tuam; tandemque post decursum huius laboriosi certaminis de temporali regno & corruptibili re cum corona immarcescibili ad regni gloriam prouehet sempiterni. *Datum Auin. III. kal. augusti anno v.* Adiecit alia in ijsdem literis a monita ad firmandum solium, vt Italos in suas partes pelliceret, ac fœdera cum Insubribus percuterer: de quibus Ioannem Regem etiam præmonuit b, vt Ludouici cum Insubribus coitiones inire meditantis conatus occuparet, ipsumque omnes sinistras suspiciones de Luchino Vicecomite Mediolanensi conceptas ex animo delere iossit.

Italos ad suas partes alliciat.
a Eod. ep. 290.
b Super. ep. 294.

33 Confirmandæ etiam amplificandæque Caroli dignitatis solicitus Pontifex, vt regijs ornamentis quantocius cingeretur, operam dedit; ac vigesimam septimam diem augusti ad peragendam celebritatem constituit c, sanxitque Apostolica auctoritate, vt si Aquisgrani instrui non posset, Coloniæ perageretur. Cæterum rem peractam referunt Ioannes Villanus d & Rebdorfius e mense nouembri die S. Catharinæ sacro, cuius retardatæ celebritatis gemina contra Leodienses tum contra Eduardum Angliæ Regem prælia causæ extitere: *Mense nouembri*, inquit idem auctor, *suprascriptus Carolus electus in Regem Romanorum coronatus est prima corona in oppido Bonna Colonensis diœcesis (quia ciuitas Aquensis eum intromittere noluit) in die B. Catharinæ, elapsis iam XXXII. annis a tempore coronationis prædicti Ludouici.*

c Ib. ep. 334.
d Io. Vill. l. 12. c. 77.
e Rebdorf. in annal.
Die D. Catharinæ sacro perata celebritas.

Antequam Bonnæ corona cingeretur f Carolus, oratores Ernestum Pragensem archiepiscopum, Ioannem e Pistorio decanum, Nicolaum e Luxemborgo præpositum, Geraldum e Magnaco, atque Ademarum de Pictauia auratum equitem ad aulam pontificiam auctoritate instructos misit. Qui exposuere vt Carolus ab omnibus principibus electoribus, qui debuerant & potuerāt interesse, communibus suffragijs Romanorum Rex salutatus fuisset: Ludouicus enim Bauarus iunior, cum nullo iure marchionatum Brandeburgensem obtineret, ad comitia admitti erat vetitus: Henricus Moguntinus exauctoratus, suffecto in eius locum Gerlaco, omni honore ac iure exciderat: Palatinus Rheni comes & dux Bauariæ dubio & ambiguo iure erat præditus, vt ex literis pontificijs indicauimus, in quibus ea adiecta erant verba, *si ad te & in quantum ad te pertinet*, cū ad eligendū Carolum solicitabatur; pretetea schismaticos nexus excutere detrectauit, atque ideo, licet ius ad ferendum suffragium obtinuisset, tunc tamen eo vti non potuerat. Ex quibus confutandi sunt ij, qui Caroli electionem vt non iustam traducere nituntur: qui & nefaria ironia ab impijs Carolum Imperatorem presbyterorum, cum annitente Pontifice creatus esset, dictum effutiant; nā Carolum magnum pluresque alios potiori iure Imperatores presbyterorum appellauerint. Sed ad institutam narrationem redeamus.

Decreta a Carolo ad Pont. legatio.
f Io. Vill. l. 12. c. 79.
Clem. to. 5 ep. secr. 738.
Confutata impiorum in Carolum dicteria.

Cum oratores adderent preces, vt Clemens pontificia studia Carolo impenderet, illumque imperialibus insignibus constituto tempore exornaret, tum in illius verba Caroli nomine iurare paratos se offerrent, coniunxissentq; cum ijs suas preces alij noui oratores, Pōtifex solēni ritu (quāquam id antea egerat, dum Coloniæ corona illum redimiri iussit) discussa Caroli electione, exploratisque eius virtutibus, ipsum iustum Regem Romanorum ad imperiale fastigium prouchendum pronuntiauit, atque oratores fidei sacramento in sua & successorum Pontificum verba adegit: qua de re certiorem hisce literis Carolum fecit, ac fausta omnia illi precatus ad dignas imperio virtutes excitauit a.

Carolus confirmatur Cæsar a Pontifice.
a Au. 5 l. 3 ep. cur. 27. & ep. sec. 738.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri.

34 Romanus Pontifex, cui Rex æternus & summus in persona beati Petri Apostoli, æternæ vitæ clauigeri, cœlestis simul & terreni iura imperij & plenitudinem potestatis concessit, super cunctos fideles suæ curæ commissos inuigilans, & intendens circa ea, quæ fidelibus ipsis ampliora pacis & iustitiæ afferre commoda existimat; tanto diligentioribus se tenetur impendere studijs, quanto ad hoc iniunctæ desuper apostolicæ seruitutis officium ipsum stimulat & perurget. Et quia regnantium recte ordinata regimina nutrire consueuerunt iustitiam, & Christiano populo pacem dare, Pontificis eiusdem auctoritas, cui dictum legimus a Domino per prophetam: *Ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes*; ad erigenda & dirigenda huiusmodi regimina, prout ad suam spectat solicitudinem, nequaquam debet tepescere; sed potius operosas apponere, cum expedire conspicit, manus suas. Sane dudum imperio Romano per obitum claræ memoriæ Henrici vltimi Romanorum Imperatoris vacante, duo videlicet quondam Fredericus Austriæ & Ludouicus tunc Bauariæ duces in Reges Romanorum in discordia electi, vt dicitur, extiterunt: deindeque Frederico prædicto rebus humanis exempto, Ludouicus prædictus propter ipsius excessus, culpas, crimina, & alia demerita detestanda, quasi totum diuulgata per orbem, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum de fratrum suorum consilio extitit omni iure, si quod eidem Ludouico ad regnum vel imperium Romanum ex electione discordi prædicta, vel alias competere poterat quoquomodo, iudicio iusto priuatus, & subsequenter de hæresi & schismate sententialiter condemnatus.

Pontificiū de re diploma.
De Lud. Bauaro damnato hæreseos.

35 Nos autem postmodum, licet insufficientibus meritis, ad apicem summi apostolatus assumpti, attendentes quod ex his regnum & imperium prædicta diu vacauerant & vacabant, & ob hoc sancta Romana mater ecclesia per longa tempora suo caruerat & carebat speciali aduocato & legitimo defensore in catholicæ fidei, & eiusdem Romanæ ac aliarum ecclesiarum, & libertatis ecclesiasticæ, reique publicæ grande præiudicium, multiplex detrimentum, & multarum periculum animarum; ac huiusmodi discordijs & periculis, quæ tolerare salua conscientia non poteramus vlterius, occurrere paternæ solicitudinis studijs cupientes, principes tam ecclesiasticos quam seculares, ad quos ius eligendi Regem Romanorum in Imperatorem postmodum promouendum pertinebat, apostolica auctoritate monuimus, eis districtius iniungentes, vt pro electione Regis Romanorum in Imperatorem, vt prædicitur, promouendi de persona idonea facienda conuenirent inuicem, & ad electionem huiusmodi procedere non differrent: alioquin Apostolica sedes, a qua ius & potestatem huiusmodi electionis ad principes peruenisse constat eosdem, super hoc de opportuno remedio proui-

Vt vacāti imperio consulendum fuerit.

 de-

deret. Præfati vero principes, salutaribus monitis nostris huiusmodi deuota se promptitudine conformantes, ac certa die & loco pro electione huiusmodi celebranda, illi videlicet qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, conuenientes in vnum; post diligentem deliberationem & tractatus, prout tanti magnitudo negotij requirebat, habitos inter eos te marchionem Morauiæ, nunc etiam Regem Boemiæ, in Regem (promouendum postmodum in Imperatorem) Romanorum vnanimiter & concorditer elegerunt: tuque deliberatione habita super hoc, ad instantiam electorum prædictorum & aliorum multorum electioni huiusmodi consensisti.

Renuntiatus fit Cs rolus Roman. Rex.

36 Post hæc autem venerabilis frater noster Ernestus archiepiscopus Pragensis, & dilecti filij magistri Ioannes de Pistorio decanus S. Ioannis Traiectensis, & Nicolaus de Lucembergo præpositus Saczensis Pragensis decanus, ac Geraldus de Magnaco archidiaconus de Baltesio Constantiensis ecclesiarum capellani nostri, nec non nobilis vir Ademarus de Pictauia miles, procuratores & nuncij tui ad nostram præsentiam super hoc destinati (habentes ad infrascripta omnia plenum, sufficiens, & speciale mandatum, sicut per patentes literas tuo sigillo munitas nobis extitit facta fides coram nobis & fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus in solemni & publico consistorio, præsente tam prælatorum & clericorum aliorum, quam laicorum multitudine copiosa fidelium) constituti, pro parte tua inter cætera proponere curauerunt, electionem ad Regem Romanorum de te, ad imperium postmodum promouendo, ab omnibus principibus tunc in electione huiusmodi vocem habentibus, qui vt præfertur debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, fuisse concorditer & vniformiter celebratam: teque vt prædicitur, electioni huiusmodi consensisse, filialem reuerentiam & deuotionem, quam tu ad nos & eandem Romanam ecclesiam matrem tuam gessisti, gerebas, & geris & proponis gerere in futurum, sinceris affectibus exponentes; ac inter alia supplicantes, tibi nostros fauores & gratias exhiberi, nec non inunctionem & consecrationem per manus nostras impendi, teque imperiali diademate coronari; offerentesque se paratos & promptos super te & animam tuam præstare debitæ nobis & eidem ecclesiæ fidelitatis & cuiuslibet alterius generis iuramentum. Tandem autem prædictis procuratoribus per se & vna cum dilectis filijs & nobilibus viris Henrico comite de Salmis, Gaucherio de Montilio, Geraldo de Vssa, & Ioanne de Asperomonte militibus Treuirensis, Valentinensis, & Virdunensis diœcesis, ac Rudolpho dicto Losse officiali Treuirensi, procuratoribus & nuncijs tuis vna cum eis per alias literas tuas similiter constitutis, hæc omnia pluries petentibus, ac deuote offerentibus coram nobis; nos, præmissis per eosdem procuratores & nuncios tuos propositis diligenter auditis, factaque nobis de huiusmodi electione concordi & vnanimi plena fide, eaque nec non persona tua, in quantum tua patiebatur absentia, diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate, ac conditionibus omnibus, quæ requiruntur in illo, qui est electus ad imperialis culminis apicem sublimandus, cum pluribus prælatis & alijs magnæ auctoritatis viris, qui tuos mores, conditiones, & statum plenius nouerant, inquisito; ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatæ ac gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, ac exaltationem & honorem ecclesiæ & bonum & promotionem imperij prædicti, & prosperum statum mundi, de fratrum eorundem consilio te in specialem nostrum & ecclesiæ filium suscepimus, tibi nostros fauorem & gratiam concedentes; personaque tua, cuius nos & ijdem fratres nostri specialem prius notitiam habebamus, idonea reputata, te nominauimus, denunciauimus, declarauimus, & assumpsimus in Regem Romanorum, promouendum in Imperatorem, eandem tuam approbantes personam, ac sufficientem & habilem declarantes ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem; ac decernentes vnctionem, consecrationem, & coronationem imperialis diadematis, tibi per manus nostras opportunis loco & tempore impendendas: supplentes quoque omnem defectum, si quis aut ratione formæ, seu tuæ aut electorum prædictorum personarum, qui electioni tuæ interfuerunt, seu ex quauis alia ratione, siue causa in eadem electione interuenerit quouis modo ex certa scientia, & de apostolicæ plenitudine potestatis: præcipientes etiam omnibus fidelibus & vassallis regni & imperij prædictorum, vt tibi tanquam Regi Romanorum, in Imperatorem promouendo, pareant efficaciter & intendant, & nihilominus ibidem a prædictis procuratoribus & nuncijs tuis ad hæc, vt præmittitur, plenum, sufficiens, & speciale mandatum habentibus, prout ipsi nobis frequenter obtulerant, fidelitatis recepimus iuramentum.

Concors principũ electio fuerit.

Promissus eidem imperialis apex.

Exactum ab eius procuratoribus sacramentũ fidei.

Vt ea corroboravit a Pont.

37 Attende itaque, fili charissime, quæsumus, & intra præcordia tua diligenter reuolue dona magnifica, & multiplicia beneficia, quibus te largitor bonorum omnium in suis benedictionibus dignatus est præuenire: illaque sibi deuotione humili, & operosis affectibus recognoscens, ad eius mandata & beneplacita in omnibus te coapta, & vitare stude summopere quæ suæ offendere oculos maiestatis. Pone gressus tuos semper in semitis mandatorum ipsius, & eius ministros condigna honorificentia prosequi non omittas. Præfatam quoque Romanam ecclesiam matrem tuam, quæ internæ charitatis officio & affectu de tui status & honoris augmento solicita redditur, filiali venerari reuerentia semper studa: iustitiam dilige: veritatem ama: sectare pacem: æquitatem serua: & clementiam (quæ amicos & deuotos multiplicat) amplexare, vt inde lætentur cæli & exultet terra, & de tuis benignis & virtuosis actibus vniuersæ reipublicæ populus nuncusque vehementer afflictus hilarescat; ingo tuæ dominationis, superbæ mentes hostium comprimantur: contriti & depressi subditorum tuorum animi ope tuæ misericordiæ releuentur: te virtus cælestis gratiæ terribilem tuis inimicis faciat; pietas subditis benignum ostendat; tuisque felicibus temporibus in pulchritudine pacis populus Christianus sedeat, in fiducia tabernaculis habitet, & in requia opulenta quiescat: tuque his & alijs tuis bonis operibus in conspectu diuinæ maiestatis acceptus post multorum annorum curricula de terreno ac temporali regno ad cælestis & æterni regni prouehi gloriam merearis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. vi id. nouembris anno v.*

Præceptis imbuitur a Pont.

Consulturus iuribus Romanæ ecclesiæ Clemens, exacto a Caroli Regis Romanorum oratoribus fidei sacramento, magistrum Geraldum e Magnaco archidiaconum e Baltesio Constantiensis diœcesis capellanum pontificium, de quo paulo an-

Missus ad ipsum internuntius

ante memoratum est, ad Carolum dimisit pridie non. decembris a, vt ex præscripta formula illum sacramento sedi Apostolicæ deuinciret.

a To. 5. ep. secr. 783. & an. 5 l. 3. ep. cur. 38.

38 Exercuere Carolum aduersæ res sub adepti imperij initijs, ac gemina clade fusus est, dũ pro fœderatis pugnabat: primum enim Leodij fugatus b, mox ab electione celebrata. De quo bello vitę Clementis scriptor hæc narrat: *Sugilbertus de Martha episcopus Leodiensis, habens in sui adiutorium dictum Carolum Regem Romanorum & Ioannem Regem Boemia patrem suum cum multis alijs principibus Alamania, Leodiensibus guerram mouit, & cum eis bello congressus est: sed tandem Leodienses victores fuerunt, dictusque Carolus, qui primo loco ibidem aquilam in vexillo erexerat, cum ea per fugam saluatus est illa die. Sed eodem anno dictus episcopus cum eisdem Leodiensibus iterato bellauit, & extitit victor: & dein fuit inter ipsos pax reformata.* Agit de eodem bello Hocsemius b, atque illius causas leui ex re exortas, cum nimirum viro homicida necato supplicio, Hoyensea magistratum episcopi insectati essent, transissentque in partes Leodienses ciues, & episcopus armata manu de seditiosis ex legum æquitate pœnas sumere vellet: cumque florentissimum, in quo Romanorum & Boemiæ Reges aderant, exercitum admoueret vrbi, deque concordia agitaretur, tumultuaria pugna, ex inopino euentu a factiosis concitata, fusum fugatumque esse maiori ignominia quam clade vigesima quinta iulij die D. Iacobo sacra, vt obseruat Io: Villan. c

Bellum Leodiense gestum a Carolo.

Versus in fugam in eo Carol^o
b Hocsem. l. 2. c. 33.

Belli eius exordia.

Corripuerant d iter Treuerim Carolus & Ioannes Reges, cum a Francorum Rege in auxilium exciti e fuere contra Eduardum Anglum. De lugubri vero bello, rei Christianæ perniciosissimo, dicturi nonnulla primum de nefario illius apparatu ab vtroque Rege instructo præmittemus.

c Io. Vill. l. 12. c. 61.
d Alb. Arg. in chron.
e Dubrau. hist. Boem. l. 21.

39 Cumulandis opibus, quas sceleratius ad fundendum Christianum sanguinem ea tempestate (qua bellum cum Turcis pro Christiano nomine susceptum erat, absumeret, sacerdotiorum vectigalia) ornandis altaribus pauperibusq; alendis sacra, Eduardus inuasit: quod flagitium pluribus fucis colorare nisus f. Philippus etiam Gallorum Rex, prædonum purpuratorum exagitatus consilijs, sacerdotum absentium vectigalia occupauit: quem principem cum Pontifex antea ecclesiæ addictissimum repente a maiorum pietate desciuisse conspiceret, hisce grauioribus querelis reuocare sequenti anno a cœptis est conatus. g

Cumulate ab Anglo per nefas opes in belli apparatum. Et a Gallo.

f To. 4. ep. secr. 1177.

g To. 5. ep. secr. 1100.
Proposita illi flagitij grauitas.

Clemens, &c. Regi Franciæ illustri.

Fili dilectissime præmissa vtiq; diuino & humano iuri contraria claritati deuotionis, qua tu tuique progenitores præfulgere studuistis erga Deum, & ipsam ecclesiam hactenus, congruere, proh dolor! non videntur. Et vtinam tui consiliarij, qui te induxerunt ad ea, solerti diligentia maturius attendissent grauia pericula, quibus talia facientes, & in eis faciendis consilium vel fauorem præstantes, olim editi a sanctis patribus canones euidenter inuoluunt: & nihilominus considerassent attente, si per Reges Franciæ progenitores tuos talia vel similia, in diuinæ maiestatis contumeliam redundantia, vllis vnquam temporibus, aduersus eandem ecclesiam & libertatem ecclesiasticam adinuenta fuerint, vel etiam attentata.

Debuissent namq; præfati consiliarij, si rationis haberent apertos oculos, prospexisse, quod Romanus Pontifex pastor vniuersalis ecclesiæ catholicę Christique in terris vicarius, ad quem ecclesiarum omnium plena noscitur dispositio pertinere, prælatos & personas ecclesiasticas de quibuscumque mundi partibus, in quibus catholicæ fidei cultus viget, ad se vocare potest, et illos, de quibus sibi videtur, apud sedem Apost. secumque tenere, et nihilominus ad partes diuersas mundi destinare, prout incumbentia negotia exigunt, et expedire cognoscit. *Et infra:* Et nihilominus cõsiderare apertius debuissent, quod bona ecclesiarum ad ministrorum ipsarum et Christi pauperum sustentationem ac pios vsus alios specialiter deputata noscuntur, nec licet ea in vsus conuerti alios, etiam propter communes, statutis conciliorum generalium prohibentibus, ipsius Romani Pontificis licentia non obtenta. Et quamquam ecclesijs ac prælatis et personis ecclesiasticis, vt administrent iura et bona ecclesiastic, a iure suo competat; ipsis tamen eadem administratio per executionem litterarum subtrahitur prædictarum. *Et infra:* Præterea, tua quæsumus, serenitas regalis attendat, et intra secreta cordis diligenti meditatione reuoluat, quod etiam præfati debeant consiliarij (si salubriter vellent in hac parte consulere) attendisse, cum qua fiducia ipsa ecclesia mater tua (cuius precibus et suffragijs egere semper nosceris, et præsertim his temporibus, quibus tibi procellosi guerrarum turbines imminent, proh dolor! et insurgunt) pro te tuique statua prosperitate ad sponsum suum dominum nostrum Iesum Christum, a quo est omnia virtus, victoria, et fortitudo, qui per præmissa grauiter offenditus et vehementer proculdubio irritatur, leuare poterit manus suas. *Dat. Auin. vi. non maij anno v.*

Monetur officij.

Pendere a Christo victoriam.

Superiora scribebat Pontifex non vt iusto presidio in rebus asperis regnum nudaret, periclitanti enim vt ex opibus ecclesiasticis succurreret extremo anno Narbonensi, Tolosano, Auxitano archiepiscopis eorumque suffraganeis permisit a, vt pecuniarum subsidia ex ecclesiasticis vectigalibus pro tutando regno conferrent ea lege, vt edicta a S. Ludouito ad ecclesiasticorum gratiam lata a Philippo confirmarentur: quæ subsidia ita constituta, vt primum præsules ea de causa conuenerint, ijsque assentientibus concessa erogandi facultas a Pontifice fuerit, vt e Clementia ad Philippum responsis b constat. Vetabat vero sacras opes profana auctoritate occupari Pontifex, cum maxime nulla adhuc verno tempore vrgeret necessitas, ac sacris instructi opibus Reges ad bellum magis concitarentur, quod sopire omni studio & contentione nitebatur. Legarat ea de causa apostolicos nuntios c Cardinales Annibaldum episcopum Tusculanum & Stephanum tit. SS. Ioannis & Pauli presbyterum, qui in pontificatu Clementi successit: quorum legationis meminit etiam Ioannes Villanus d, quamquam Stephani loco Petrum Cardinalem collocat. Illi vero, cum in Angliam traijcere ad Eduardum a bello inferendo ad pacis consilia reuocandum pararent, tuti & liberi commeatus syngrapham ab Eduardo impetrare non potuere: is enim transfretaturum se in Gallias respondit. Repulsam passos ab Anglo belli & sanguinis auido, scribit Villanus, cui M. S. Vaticanum f consentit his verbis: *Eodem tempore reuertitur in Franciam D. Anibaldus Cardinalis iuncto sibi domino Stephano tit. SS. Ioannis & Pauli, qui postea fuit Innocentius Papa VI. qui illam modicum profecerant.*

Subuentũ postea Philippo ab ecclesiasticis.
a Eod. to. 5 ep. secr. 814. 815. 816.

b Ibid. ep. 182.

Missi duo Cardinales ad Gallum & Anglum conciliandos.
c To. 4 ep. secr. 1000
d Io. Vill. l. 12. c. 63.

40 Incenderant Eduardum ambitio furorque, vt a concordia penitus abhorreret: cui Clemens subiectis literis exposuit g quot quantaque fune-

e Id. Vill. l. 12. c. 63.
f M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765.
g Clem. l. 5. ep. secr. 158.

funesto illo bello patraret mala, de quibus coram diuino tribunali in ius vocandus esset, vtque nuncios Cardinales pacis interpretes audiret, est ad hortatus.

Solicitatur Eduardus ad pacis consilia.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Cum nos inter cætera desiderabilia cordis nostri læsam ictibus venenosis hostis prædicti [nimirum dæmonis] charitatem inter vos inuicem redintegrari & restaurari, ac pacis & vnitatis reformari Deo gratam, & hominibus desideratam concordiam ardenter cupientes, venerabilem fratrem Annibaldum episcopum Tusculanum et dilectum filium nostros Stephanum tituli sanctorum Ioannis et Pauli presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis nuncios, viros vtique profunditare scientiæ præditos, probitatis et maturitatis discretione conspicuos, pacis, veritatis, et iustitiæ feruidos zelatores, ad tuam & eiusdem Regis præsentiam propterea de fratrum nostrorum consilio prouiderimus destinandos; magnificentiam tuam regiam rogamus, et hortamur attentius, te per Dei misericordiam nihilominus obsecrantes, quatenus quod ex eisdem guerris et dissensionibus sanguis innoxius redemptorum pretioso cruore Christi, clamoribus validis ad Dominum vociferari non cessans, effunditur; ecclesiæ, monasteria, et alia sacra et pia loca destruuntur, vastantur, et dissipantur; pauperes, orphani, pupilli, viduæ, aliæque miserabiles personæ opprimuntur iniuste; diuina et pia negliguntur opera, turbatur et impeditur cultus iustitiæ (quam nutriendam et manutenendam Reges et præsidentes constituti debitores sunt, et inde habent in stricto iudicio reddere rationem) delinquentibus et malignantibus præbetur audacia, et alia mala inenarrabilia, vnde non immerito grauiter prouocatur et irritatur Altissimus, subsecuta sunt hactenus et etiam subsequuntur; intra præcordia regia diligenter considerans, et considerantet reuoluens, eosdem nuncios per nos et sedem Apostolicam pro præmissis tanquam pacis angelos destinatos, et ad tuam præsentiam accedentes, gratanter et benigne recipias, plene, fauorabiliter, et patienter audias, ac eorum salutaribus monitis et persuasionibus sic clementer et efficaciter acquiescas, quod mala prædicta tollantur de medio, et tranquillitas arrideat optatæ tranquillitatis et pacis; tuque Regis æterni et pacifici vocari merito filius, et beatitudinem quæ viris pacificis promittitur, valeas promereri. *Datum Auin. III. non. augusti anno* v.

Proposita belli clades.

41 Non valuere hæc monita: iniecerat enim Eduardus belli faces, neque in Aquitaniam, vt primum decreuerat, sed in Normanniam subornatus a Gorofredo Haricuriæ comitis fratre patriæ proditore, qui coniurationis cum Clissonio societatis crimine postulatus fugerat in Angliam. Plurium itaque Normannorum defectionis spe adductus Eduardus, florentissima [a] classe inuectus, vigesimo iulij die descensionem fecit, ac late prouinciam ferro, flamma, rapinis est populatus. Quæ mala deflet Pontifex in literis ad Ioannam Francorum Reginam, ex eaque hostili excursione de pace colloquiũ abrũpi queritur [b]: *Hæc pro tanto filia charissima præmittimus, cum speraremus per Cardinales, quos pro tractatu reformationis huiusmodi miseramus, ipsum inchoari tractatum, et deinde ad finem deduci votiuum; displicenter nimis audiuimus, Regem ipsum Angliæ in partibus Normanniæ regnum Franciæ intrauisse hostiliter, et damna ibidem aliqua intulisse: de quo dolore cordis affligimur, verentes tractatum ipsum turbari, vel impediri propter hoc; & quia regnum prædictum Franciæ, de quo traxisse noscimur originem, lædi non potest, non existentibus nobis læsis, etc. Dat. Auin. VI. kal. septembris anno v.* Cum vero adducti essent in inuidiam a nonnullis nuntij Cardinales, male officio suo perfunctos qui Eduardum ab illa irruptione non auertissent, monuit Pontifex [a], ipsos opera non defuisse, sed illius opem, qui imperat ventis et mari, implorandam; et corda Regum in manu Dei consistere. Eduardi irruptionem et bellica facinora describit his verbis M.S. Vaticanum [b]: *Sub* MCCCXLVI. *de mense augusti Rex Eduardus Angliæ cum octingentis nauibus bene munitis ad guerram in Normanniam tunc applicauit, & viribus armorum villa cum Canij innumerabilibus villis, castris, & locis per dictum ducatum occupauit, ferro et igne pene deuastans vsque ad sanctum Clou prope Parisios: in quo loco dictus* Rex *Angliæ cum suo exercitu per diem totam et noctem sequentem castra metatus est. Per paucos dies vero sequentes, videlicet die sabbati XXVI. mensis augusti antedicti Rex Franciæ vna cum* Rege *Boemiæ, Rege Nauarræ, et Rege Maioricarum,* interfuisse etiam Regem Romanorum addunt nonnulli [c], *cum innumerabilibus ducibus, comitibus, baronibus, atque nobilibus, nec non communitatibus, armorum prælium cum dicto Rege Angliæ et suis gentibus habuerunt. Vltimate permissione diuina dictus Rex Angliæ et suæ gentes bellum prædictum obtinuerunt: et dictus* Rex *Franciæ cum paucis apud Ambianum est receptus. Dictus autem Rex Angliæ per duos dies postea subtus tentoria die noctuque in loco, qui dicitur Cresci, in quo fuit bellum commissum, castra metatus est cũ suo exercitu. In quo bello mortuus est Rex Boemiæ, dux Lotaringiæ, comes de Lancione frater dicti Regis Franciæ germanus, comes Flandriæ, et alij multi comites et barones atque nobiles Francigenæ, nec non vt dicitur plusquam duodecim millia hominum Gallicorum in dicto bello ceciderunt mortui: de Anglicis non pauci mortui fuerunt.* Agunt de eodem prælio vniuersi eius temporis historici, nonnullique cæsorum numerum ad triginta millia ascendisse referunt [d]. Tantum fudit cruorem Eduardi crudelis ambitio, vt Gallicam tingeret sibi purpuram, quam tamen adipisci non potuit.

Anglorũ in Normãniam irruptio.
a Io. Vill. l. 12. c. 62. Paul. Æmil. l. 9.
b To. 5. ep. secr. 448.
a Super. ep. 445.
b M.S. bibl. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI. Eduardi Regis excursione per Gallias.
c Dub. hist. Boem. l. 21.
Parta ab eo in Crescenco cãpo victoria.
Gallorum insignis clades.
d Frois. hist. l. 1.

42 De cæso Rege Boemiæ cæco meminit inter alios Petrarcha hoc elogio [e]: *Eo*, inquit, *se præcipitem dedit, quo spectare alij, cæcumque oculis prosequi vix audebant.* Et infra: *Et quid, oro, gloriæ viri fortis obfuit visu caruisse, nisi vt quem virtus et natura mirabilem fecerant, stupendum cæcitas faceret?* Planxit Pontifex strenuum ecclesiæ defensorem amissum, qui vna cum Philippo aduersus Saracenos pro fide restituenda Syriæ vitam fundere decreuerat [f], & Carolum Romanorum Regem, qui prælio euaserat eiusque sororem Bonam Normanniæ ducissam consolatorijs literis erexit, quibus hoc elogio Ioannem exornat [g]: *Rex ipse tanquam princeps catholicus, fortis, prudens, et strenuus, gloriose ac victoriose cum celebris famæ præconio in mundo, viam Domini non deserens, diutius vixit, et regnauit multis temporibus, ac prolem numerosam et inclytam post se relictam a Domino meruit obtinere: tandemque armorum actus, in iusto bello regnum Franciæ defendendo, exercendo magnanimiter, sicut ad suum spectabat honorem regium, vires suas, honorabiliter sic Deo deuotus vt credimus, et spe de miseri-*

cor-

Cæsus Rex Boem. in eo prælio.
e Petrar. l. 2. de remed. vtr. fortunæ dial. 96.
f Clem. to. 5. ep. secr. 527.
g Ib. ep. 529. Illius elogium.

cordia diuina concepta, inter suarum caternam militum finiuit terminum vitæ suæ, quod pie credi potest de laboribus ad quietem, de miserijs & ærumnis ad beatitudinem, & ad lucem de tenebris transiisse, &c. Adiecta est ijsdem literis hæc temporis nota. *Dat. Auin. XII. kal. octobris anno V.*

Caletium obsessum ab Anglo. a M.S. bibl. Vat. sign. n. 2040. pag. 52.

Porro de gestis ab Eduardo post partam memoratam victoriam subdit M.S. Vaticanum a: *Obtento bello, prædictus Rex Angliæ cum suo exercitu versus villam Caletij iter assumpsit, & dictam villam obsedit, & ibi personaliter cum Regina & filijs atque sua posse in dicta obsidione stetit per vndecim menses & XXVI. dies, donec ex vi & per compositionem fame dictam villam liberam ad suam voluntatem & mandatum habuit.* Sed de Caletij expugnatione anno sequenti. Subdit auctor.

Scotus in Anglia profligat'. Londinensi carceri mancipatus.

43 *Durante illa obsidione gentes Regis Angliæ debellauerunt Regem Scotiæ & suas gentes in territorio Eboracensi: in quo bello plusquam decem millia Scotorum mortui ceciderant, & dictus Rex Scotiæ vulneratus & captiuatus, atque conductus & positus in turri Londoniarum: & hoc fuit de mense octobris anno Domini* MCCCXLVI. Consolatorias proximo anno VI. kal. iun. literas dedit Pontifex ad Ioannam Scotiæ Reginam de capto Dauide Rege, pro eo liberando apostolica studia pollicitus. Ascripta est a nonnullis ipsius clades diuinæ ob sacrilegia patrata vindictæ, vt qui sacros D. Cutberto agros euastari, ac templa diripi & inflammari permisisset; de quo Scoticarum rerum auctor b hæc historiæ mandauit: *Ferunt in somno Regem monitum, vt ab agris D. Cutberti abstineret, alioqui infelicem exitum temeritatem eius habituram: sed a somno experrectum, vana esse somnia dicentẽ mandasse, ne cuiquam agro nec villæ parcerent, omniaque corrumperent. Peruentum est tandem cruentissima deuastatione Dunelmum, cui D. Cutbertus præsidere creditur, eamque adeo violenter peruagatus est, vt omnibus & fortunis & habitatoribus exhaustam reddiderit, &c.* Subdit Boethius, vt collatis cum Anglis signis, quamquam viribus longe superior, victus sit ac duobus telis transfixus; vtque alterius ferrum alte infixum tibiæ, diuino miraculo, implorato S. Niniani nomine, sponte exierit, cum nulla antea arte auelli sine periculo potuisset: *Telum autem*, inquit, *vnum Regis tibia infixum extrahi statim non potuit, nec priusquam S. Ninianum inuiseret: visa enim tum est tibia manifesto aperiri, ac telum prosilire.*

b Hector. Boet. l. 15. Ascriptũ diuinæ ob sacrilegia vindictæ.

S. Niniani ope curatus.

Gallia Britann. & Aquitania cæsi. c M.S. bibl. Vat. sign. n. 2048. d Fross. hist. l. 1. e Paul. Æmil. in Phil. VI. & alij. f To. 5. ep. secr. 459.

Gesta etiam hoc anno plura alia prælia in Britannia, Aquitania, & Occitania Anglos inter & Gallos, & vbique Gallos sub Anglico furore succubuisse, multasque vrbes victoris imperia admisisse, describunt pluribus M. S. Vaticanum c, Froissardus d gallico idiomate, & alij scriptores e. Pronæ ita ad exitium Gallorum reo Flandros, qui ad comitis sui obsequium iam erant reuersi, in pristina pertinacia confirmarunt: apostolicam enim benignitatem, quæ ad ipsos paterno sinu excipiendos annis quatuor expectarat, delusisse queritur Pontifex in literis datis f ad Anibaldum & Stephanum Cardinales internuntios: *Porro nos sperantes, quod apertis eorundem Flamingorum rationis oculis, & cordibus diuinæ claritatis lumine illustratis, suis omissis deuijs ad præcipitium damnationis æternæ ducentibus, ad viam veritatis & rectitudinis curarent dirigere gressus suos; post regressum dicti episcopi*, nimirum Beltramini Bononiensis, *de partibus prædictis Flandriæ, vt præfertur fere per quatuor annorum spatium destitimus a faciendis processibus contra ipsos. Nobis vero sic eos clementer expectantibus, superuenerunt rumores implacidi & infesti, quod dicti Flamingi de mense augusti proximo præterito contra vtramque pacem prædictam in suæ damnationis cumulum venire, ipsamque infringere damnandis & temerarijs ausibus non verentes, seque ac dictam patriam prædictis per Clementem & Ioannem Romanos Pontifices prædecessores, sicut præmissum est promulgatis, vlterius inuoluentes, regnum prædictum Franciæ hostiliter inuaserunt, ad rebelliones, inobedientias, & offensas & iniurias graues & atroces prænominati Philippi moderni Regis Franciæ inconsultis motibus notorie prorumpendo. Nos igitur dissimulare vlterius salua conscientia non valentes, quominus tantis discriminibus ipsorum Flamingorum animarum obuiare debitis, quibus possumus, remedijs procuremus, discretioni vestræ per apostolica scripta committimus, & mandamus, &c.* Dat prouinciam, vt si in Belgium ipsis aditus patuerit, vel in circũiacentibus locis diebus dominicis ac festiuis promulgent, latas a Clemẽte V. & Ioanne XXII. Rom. Pontificibus censurarum sententias illos incurrisse, ac singulos, qui in vtroque pacis fœdere scriptas leges resciderant, anathemate se irretijsse; vrbes vero ac populos ecclesiastico interdicto deuinciri. *Dat. Auin. kal. septembris anno V.* Demum Belgæ partim censuris & religione, partim reniuiscente veteri in auitos principes studio, ad Ludouici comitis obsequium biennio post redierunt. e

Violata pax a Belgis.

Infligi iussæ ijs censuræ.

a Aegid. a Roya an. 1348. in chron. Meyer. l. 13. Neapolitanæ turbæ.

44 In Neapolitano quoque regno grauiores motus concitati sunt, cum alij in Ioannam vt viro illatæ necis ream sceptrisque indignam rebellionem mouerent, alij Ioannam vt puram a crimine tuerentur: in eandem Carolus Dyrrachinus regnandi spe & illecebra moueret arma: alij captata ex tumultu publico occasione improbitati fræna laxarent. Quibus malis vt occurreret Pontifex, ad quem supremum in Siciliam vtramque spectabat imperium, regni administrationẽ Guidoni Card. demandauit, sed cum is id munus non admitteret: illud in Bertrandum tit. S. Marci Cardinalem Ebredunensem transfudit b; ad cuius præterea augendam auctoritatem vniuersæ illum in Italia ditionis ecclesiasticæ vicarium, ac publicæ pacis seruatorem creauit c Pontifex. Verum obiectæ aliæ ex alijs difficultates, ac maxime aduersa valetudo eundem legatum detinuere, ne in regnum Neapolitanum ad suscipiendas publicæ rei habenas se conferret. Interea ingrauescebant publici tumultus, exercebantque mutua odia principes d; cumque ea ratione impendens sibi ex Vngaria discrimen vltro accerserent, Clemens ipsos ad concordiam est cohortatus e cum Ildebrandino episcopo Patauino munus iniunxit f XVII. kal. iulij, vt vna cum Guillelmo episcopo Cassinensi regiæ stirpis principes in mutuam concordiam adduceret. Non Pontificis, non apostolicorum internunciorum, non procerum Siculorum consilia apud illos valuere, donec ijdem vel necem, vel exilium, vel vincula sibi regnoque excidium pepererе. Inter hæc tulit Clemens aduersus Andreæ Regis interfectores, & omnes alios, qui illius cædis flagitio se deuinxerant, vltricem hanc sententiam g.

b Io. Vill. l. 12. c. 51. et alij. c Cle. to. 4. ep. secr. 777. 778. c Eod. to. ep. 1366. Bertrandus Card. ad eas cõponendas missus. e To. 4. ep. secr. 1367. & to. 5. ep. secr. 342. &c. d Io. Vill. l. 12. c. 52. e To. 5. ep. secr. 60. 61. 62. 63. f Ib. ep. 101. Pontificia in Andreæ interfectores sententia. g An. 4. l. 3. ep. cur. 9.

Clemens, &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Detestanda nimium & horrenda nequitia, & infandi nefandique sceleris immanitas, per viros sanguinum & dolosos, innoxium sanguinem sitien-

fistentes, in personam claræ memoriæ Andreæ Regis Siciliæ proditionaliter perpetrata, nos (qui propterea diris dolorum sculeis pungimur) inducit pariter & compellit, & communis vtilitas fidelium (quorum interest, peccata nocentium nota existere, & criminosos pœnas debitas luere) persuadet vt quod apud multos est infausto rumore perlato longe lateque dispersum, nos silentio, innocentis sanguine clamante ad Dominum, non tradamus; sed potius enormitatem sceleris & acerbitatem flagitij in notionem publicam deducamus, & ipsius detestabilis crudelitatis acerbitatem, & acerbitatis facinoris crudelitatem, Deo & hominibus abominabilem, impunitam nullatenus, sicut nec salua conscientia possumus, relinquamus. Dudum siquidem inter Andream & charissimam in Christo filiam nostram Ioannam Reginam illustrem Siciliæ, præcedente dispensatione legitima, matrimonio per carnis copulam consummato, nos ipsi Andreæ, deliberatione cum fratribus nostris habita diligenti, nomen & titulum regium, prout ad nos pertinere dignoscitur, duximus ascribendum, ordinantes ipsum in Regem Siciliæ vna cum dicta Ioanna coniuge sua inungi, & regale simul dictis coniugibus tribui diadema.

Vt decreta illi fuisset regia inunctio.

45 Cum itaque venerabili fratri nostro Guilielmo episcopo Carnotensi tunc de mandato nostro in illis partibus existenti commisissemus, quod ad dictorum coniugum honorem & communem nostram & regnicolarum lætitiam ipsos auctoritate nostra inungeret, & diademate regio coronaret; ecce, quod versa est in planctum cithara, & Rachel plorante filium, conuersum est speratum gaudium in mœrorem. Quidam etenim sceleratissimi iniquitatis filij & perditionis alumni, summum cogitantes & cogitatum audentes nefas perficere, prædictum Andream adolescentem ætate, moribus compositum, gestuque modestum, ac nullam in se machinationem fieri; cum quasi in proprijs laribus & inter suos securus existere crederet, suspicantem circa primum noctis silentium, vt cameram, in qua sibi erat nocturna quies, exiret proditionaliter seduxerunt, ipsumque tanquam agnum ad victimam foras eductum morti turpissimæ, cogitatu terribili, dictuque lamentabili immaniter tradiderunt. O impietas Herodiana, & inhumanitas perhorrenda, quæ innocentis inebriata sanguine sæuitia sic nefanda desæuit. O effrænata temeritas, & crudelis factio, quæ non considerans illum, qui in Regem, etiam a Domino reprobatum, sine dolo manus iniecerat, a Dauid Rege mitissimo mortis iudicium pertulisse; in Regem innocentem dolosa perfidia manus cruentas apponere non expauit. O nefarium & inauditum scelus, immane facinus, & piaculare flagitium, in quo ab impijs egressa est impietas, & prædones pietatis prædantes nequiter pietatem, tanquam hostes humanæ naturæ virum innoxium proditorie ac crudelissime peremerunt, non ipsius adolescentiæ, non innocentiæ, non tam illustrium, videlicet Franciæ, Siciliæ, Vngariæ, ac Poloniæ Regum, a quibus traxerat originem claritati, neque regali, qua pollebat, excellentiæ deferentes. Cuius itaque cor tam lapideum & penitus sic saxeum, quod de tanto scelere non emolliatur, & commoueatur ad gemitum & dolorem? Cuius natura tam inhumana, qui non prouocetur ad lachrymas? Cuius tam durus animus, qui de tanta impietate, tam crudeliter perpetrata, non appetat iustitiam, & vltricis pœnæ debitum non expectet?

Atrox in eundem inita conjuratio.

Nullus prosapiæ clarissimæ respectus habitus.

46 Sed nec hoc silentio præterimus, quod in peremptione Andreæ Regis præfati, vltra diuinam offensam, nostra & Apostolicæ sedis reuerentia per prædicti facinoris patratores & eius participes non mediocriter est contempta: cum enim eundem Andream, quem affectione singulari & paterna beneuolentia prosequebamur, speraremus futurum prædicti regni Siciliæ vtilem & pacificum gubernatorem, ac specialem nostrum & Romanæ ecclesiæ filium, & fidelem & strenuum defensorem; nunc per sceleratorum huiusmodi flagitium spe nostra frustramur, & de regni ipsius turbatione ac periculosis dispendijs verisimiliter dubitatur. Res etiam publica & vniuersa fidelium multitudo ex hoc est læsa multipliciter & offensa. Quis enim locus tutus esse poterit, cuique domus, quæ consueuit esse tutissimum refugium, dicetur secura, cum in habitatione propria tantus princeps occubuerit sceleribus impiorum? De quibus audebunt homines confidere, aut quibus fiducialiter se committent, quando Rex ab illis, per quos liberari ab aliorum insidijs sperare debuerat, proditorie traditus est diræ morti?

Proditionis immanitas exponitur.

47 Cum igitur prædictum flagitium in grauissimam diuinæ maiestatis offensam, in nostrum & Apostolicæ sedis contemptum; & cunctorum fidelium scandalum, vt præmittitur, ac exempli perniciem fuerit sic nequiter perpetratum; dignum reputamus & iustum, vt qui in tot & tantis præsumpserunt offendere, indignationis iustæ non euadentes aculeos, pœna multiplici feriantur, vt similium proditorum malitia successorem non inueniat, & punitæ transgressionis exemplar alios retrahat ab offensa. Idcoque Saluatoris nostri, qui est Deus vltionum, & iustus iudex vindicans delicta patrum in filios, vices licet immeriti gerentes in terris, prouida consideratione pensantes facinus huiusmodi in regno Siciliæ, quod iuris & proprietatis ecclesiæ Romanæ, nostræque temporali iurisdictioni subiectum existit, perpetratum fuisse, & ad nos (attentis prædictis & alijs causis rationabilibus) in casu præsenti cognitionem & punitionem dicti criminis pertinere; ac nolentes, prout nec velle debemus, tam horrendum facinus & detestabile scelus impunitum relinquere, ne ex impunitate trahatur in exempli perniciem, sed potius metus pœnæ meta similis præsumptionis existat; considerantes quoque quod, cum dicti sceleris enormitati vix, attentis omnibus eius circumstantijs, pœna condecens valeat respondere, non indignum existit, vt vltionis seueritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum plagarum modus exuberet, nec pœnis solitis contentemur; ad infligendas infrascriptas pœnas, quas ob maleficia solui ratio magna suadet, contra malefactores prædictos in virtute Altissimi exurgentes, deliberatione cum fratribus nostris præhabita diligenti, de ipsorum consilio, auctoritate Apostolica, & de plenitudine potestatis omnes & singulos, cuiuscumque status, dignitatis, præeminentiæ, sexus, vel conditionis, ecclesiasticæ vel secularis existant, qui interfecerunt vel interfici mandauerunt Andream Regem prædictum, vel interficientibus ipsum ad hoc dederunt scienter auxilium, consilium, vel fauorem; aut interfectionem huiusmodi eorum nomine factam ratam habuerunt, vel interficientium eorundem in ipsa interfectione socij & complices extiterunt, tanquam famæ

Illius necis participes notati infamia.

suæ

suæ prodigos infamiæ perpetuæ nota damnamus, omnibus legitimis actibus priuantes eosdem, ac decernentes, quod sint prorsus intestabiles, vt nec testandi liberam habeant facultatem, nec ex testamento seu ab intestato succedere vel aliquid ex cuiusquam successione percipere valeant, nec ad reddendum testimonium admittantur. Dentur cuncta eorum ędificia in ruinam, nec sit qui inhabitet ea, & perpetuę infamię notam perpetua ruina testetur, nulloque tempore reparentur. Nullus eis debita reddere, vel respondere in iudicio teneatur. Bona quoque omnia mobilia & immobilia, iurisdictiones, iura ipsorum vbilibet constituta publicamus, eis sub quorum consistunt dominio sine iuris alieni pręiudicio applicanda. Omnibus dignitatibus & beneficijs ecclesiasticis, quantacumque & qualiacumque existant, quæ obtinent, omni spe restitutionis adempta: ac etiam honoribus & dignitatibus, ac publicis officijs & administrationibus & earum exercitijs secularibus priuamus eosdem, ipsos reddentes inhabiles ad similia in posterum obtinenda. Vassallos etiam & subditos eorum, si quos habent, a fidelitate, qua tenentur eisdem, absoluimus, iuramenta super hoc præstita de apostolicæ potestatis plenitudine relaxantes.

Omnibus exuit dignitatum insignib⁹.

48 Decernimus quoque, vt omnia loca, ad quæ dicti rei, postquam per nos vel alios, quibus hoc commiserimus, rei & culpabiles tanti sceleris fuerint declarati peruenerint, quandiu inibi scientibus ipsorum locorum dominis, siue rectoribus, aut vniuersitate eorum præsentes fuerint, nisi quamcito sciuerint capiantur, & capti ad nos fideliter deducantur, ecclesiastico eo ipso sint supposita interdicto. Ad hæc vniuersis & singulis ciuitatibus & vniuersitatibus quibuslibet, & personis singulis ecclesiasticis & mundanis, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, status conditionis, aut sexus existant, hoc generali mandamus edicto, vt nullus supradictos aliquo ex dictis modis reos, vt præmittitur, declaratos receptet vel defendat vel, quantum in eo fuerit, receptari aut defendi permittat: nulla eos vniuersitas in potestatem vel consules aut rectores recipiat, vel ad quodlibet aliud officium, quocumque nomine censeatur, admittat: nullus commercium aliquod aut communionem quamlibet, nisi forsan in illis, quæ salutem animarum ipsorum respiciunt, habeat cum eisdem: nullus eis præstet auxilium vel fauorem publicum vel occultum: nullus cum eis sub quouis prætextu seu colore societatem, ligam, seu confœderationem aliquam inire præsumat: nulla vniuersitas, vllaue singularis persona, eis vel eorum alicui quouis iure subiecta, post declarationem prædictam pareat aliqualiter vel intendat. Alioquin omnes singulares personas, scienter contrarium facientes, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incorrere volumus ipso facto. Vniuersitates autem, quæ secus scienter fecerint in præmissis vel aliquo prædictorum, et terras eorum, qui scienter dictos reos receptauerint, aut defensauerint, aut societatem seu confœderationem cum ipsis scienter inierint, ecclesiastico supponimus interdicto; ipsasque societatem, ligam, et confœderationem initas et in posterum ineundas, etiam si pœnarum aut iuramenti adiectione vel quacumque fuerint alia firmitate vallata, quatenus in ipsis eorum commodum vertitur, omnino viribus vacuamus, et esse decernimus vacuas, irritas, et inanes. Vt autem facinoris huiusmodi pœna, in ipsorum reorum producenda et duratura posteris, in omnium notitiam futuris temporibus diffundatur, eadem auctoritate statuimus, vt sicut nec ipsis, ita nec descendentibus vsque ad secundum gradum ab ipsis vnquam portæ pateant dignitatis, nec ad dignitatem aliquam ecclesiasticam vel secularem ipsis vel eorum alicui pandatur aditus, seu ad impetrationem illius eis vel supplicantibus pro eisdem præstetur auditus: et omnibus legitimis actibus priuantes eosdem, districtius inhibemus, vt ad clericatum vel clericorum consortium, ministerium, vel beneficium ecclesiasticum seu in regularibus domibus ad eminentiam prælationis cuiuslibet, seu quodcumque ecclesiasticum vel seculare officium publicum nullo vnquam tempore ipsorum aliqui assumantur, & ad ea obtinenda inhabiles prorsus existant.

Capi iubentur.

Interesseq; eorū fautoribus pœnæ.

49 Monemus insuper omnes & singulos in dicto regno & terris ipsius citra pharum, ac vicinis eis partibus infra vnius diætæ vulgaris spatium commorantes, cum de illis sit magis verisimile, quod de reis prædicti criminis & veritate facti possint infrascriptos melius & certius informare, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, status, sexus, vel conditionis ecclesiasticæ vel secularis existant, qui sciunt illos vel aliquos ex eis, qui fuerint facto, opere, aut consilio, seu alio quouis modo culpabiles sceleris supradicti, quatenus huiusmodi reos, & quidquid de crimine prædicto sciunt, dilectis filijs nostris Bertrando S. Marci & Guidoni S. Cæciliæ titulorum presbyteris Cardinalibus, quos ad partes Italiæ cum plenæ legationis officio prouidimus destinandos, seu eorum alteri, vel ad hoc deputatis ab ipsis, postquam ipsi legati regnum prædictum, seu terras prædictas ipsius regni citra pharum intrauerint, vel ab ipsis regno vel terris per triginta milliaria non distabunt, infra triginta dierum terminum, ex quo commode poterunt, omni fraude cessante, reuelare clare & specifice teneantur. Alioquin ipsos sententia excommunicationis innodamus, contra eos & alios prædictos grauius spiritualiter & temporaliter processuri, prout viderimus expedire: non obstante si aliquibus ex supradictis a sede sit indultum prædicta, quod excommunicari vel interdici, siue ipsorum terræ seu loca interdicto supponi ecclesiastico non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac eorum personis, locis, & nominibus proprijs mentionem.

Decreti Cardinales legati, ad quos de cōscijs sceleris referatur.

50 Cæterum prædictas omnes excommunicationum sententias sic firmiter sic inuiolabiliter volumus obseruari, quod absoluendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi tantum in mortis articulo, tam omnibus pœnitentiarijs nostris, quam quibuslibet alijs confessoribus generalibus vel specialibus, seu familiaribus quorumcumque vel quantumcumque sublimium personarum vbilibet consistentium, etiam si eis a nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma absoluendi a sententijs hominis vel canonis, seu eas relaxandi generalis vel specialis sit concessa facultas, adimimus potestatem. Concedimus tamen, quod omnes illi, cuiuscumque status aut sexus existant, qui solum ratione scientiæ & non reuelationis reorum præfati facinoris in huiusmodi sententias forsitan inciderint, possit per dictos Cardinales seu eorum alterum, postquam de ijs, quæ super prædictis sci-

Adempta sacerdotibus absoluendi criminis potestas.

sciuarint, reuelauerint veritatem, iuxta formam ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere. Per præsentem autem processum non intendimus prædictis Cardinalibus, quin iuxta potestatem, per nos eis circa præmissa vel eorum occasione concessam, vel in posterum concedendam, per se vel alium seu alios ad pœnas alias imponendas & per nos, vt præmittitur, impositas declarandas, & executioni mandandas contra reos prædictos procedere libere valeant, adimere potestatem. Vt autem processus noster huiusmodi & omnia contenta in ipso ad omnium illorum, quos tangere dignoscitur, notitiam communem deducatur, chartas siue membranas, processum continentes eundem, in maioris ecclesiæ Auinionensis appendi vel affigi ostijs faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, vt ipsi, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorauerint eundem: cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. *Actum in palatio nostro Auinionensi kal. februarij anno IV.*

Expositũ palam hoc edictum.

51 Commisit [a] Pontifex III. nonas iunij Bertrando e Baucio comiti montis Caueosi, vt in necis Andreæ Regi illatę participes legum seueritatem exerceret. Sumptum itaque est illius iussu supplicium de Tralizi & Ebuli comitibus vt regię necis auctoribus, quorum postremum magnum regni, vt vocabant, senescalum turpis cum Regina Ioanna commercij ignominia ex publica fama notatum refert Ioannes Villanus [b]: qui iniecto hamo linguę, ne loqui possent (Pontificem enim Bertrando imperia dedisse vidimus, vt si Regina regijue principes criminis participes reperirentur, rem silentio premeret, sedique Apostolicę accurate circumstantijs descriptam referret, ne regnum in maiores tumultus conijceret, sibique Reginæ iudicium reseruaret) impositi currui lapidibus sunt obruti a furente dolore & vindicta populo, flammisq; traditi. Raimundus pręfectus cubiculi Reginæ captus ac filius, cui a Pace nomen inditum, Andreę Regis interfecti cubicularius publice, detractis forcipibus carnibus, excarnificati: Raimundus Cabanus & Nicolaus Mirazanensis septimo augusti haud dissimili affecti supplicio: in carcerem etiam coniectę duę fœminę Philippa Reginę magistra ac Sancia Campana, quę apud ipsam plurimum gratia floruerant; sed harum patrocinium Ioanna enixe suscepit. Et cęterę pretermissum aliquorum sontium supplicium, datis ad Bertrandum e Baucio VII. kal. decembris literis queritur [c] Pontifex pręcipitque, vt cum reorum causam iam instruxerit, leges in eos exerceat.

[a] Tom. 5. ep. secr. 45. Io. Vill. l. 12. c. 51.

[b] Io. Vill. l. 12. c. 51. Summonte hist. Neap. l. 3. & alij

Duæ muliercula sceleris auctrices.

[c] Ibid. ep. secr. 751.

52 Non hæc placarunt Ludouicum Vngariæ Regem, ægre ferentem posci quidem administros sceleris ad supplicium, sed illius auctricem dissimulatione præteriri. Parabat itaque exercitum vlciscendæ necis Andreæ Regis fratris sui cupiditate, ac Ioannam Reginam in crimen vocabat vt adulteram. Afferuntur subiectæ aculeatæ & ardentes Ludouici literę a Collenutio [d]: *Inordinata vita præcedens, retentio potestatis in regno, neglecta vindicta, vir alter susceptus, & excusatio subsequens necis viri tui te probant esse participem & consortem*. Adduntur apud Summontium hæc verba [e]: *Neminem tamen diuini humanique iudicij pœnas nefario sceleri debitas euasurum*. Eadem est literarũ quas Bonfinius affert [f], sententia; quamuis verbis discrepent. Postulabat Vngarus eodẽ crimine Carolum Dyrrachij comitem, cum Andreę regiam inunctionem retardasset; Robertum Tarentinum principem nuptiarum cum Regina spe in Andreæ necem conspirasse: qua etiam suspicione Catharina Imperatrix, cum Ioannam regeret, ac alterũ ex filijs extollere ad regnũ meditaretur perstricta. Denique consanguineos reliquos tanquam eiusdem necis participes accusabat, missisque oratoribus ad sedem Apostolicam, verbis acerbissimis, quæ fraternæ necis dolor exprimebat, de Pontifice est questus, qui extracta Andreæ regia inunctione, ambitiosis de corona ac vita fratri eripiendis occasionem dedisset: de Talayrando Cardinale, qui ad Dyrrachij principis nepotis gratiam flagitio assensisset: de Regina Ioanna, alijsque principibus vt diræ mortis auctoribus: in quos, aliosque sceleris administros agi legibus; sibi vero Siculam coronam iure fiduciario cõferri postulauit, neue ad Roberti principis Tarentini alteriusue e regia stirpe, vt matrimonium cum Ioanna contraheret, leges canonicas solueret. Ad quæ singula suis capitibus distincta ita respondit Pontifex [a].

Ioanna in crimen vocata ab Vngaro.

[d] Collenutio hist. Neap. l. 5.

[e] Summ. l. 3.

Grauissima in cã accusatio.

[f] Bonf. dec. 2. lib.

Perstricti suspicione principes.

[a] To. 4. ep. secr. 978.

Clemens, &c. Ludouico Regi Vngariæ illustri.

53 Super eo, quod postulas, vt tibi & præfato Stephano germano tuo præfatũ regnum Siciliæ dare & locare velimus, breuiter respondemus, quod licet desideremus tibi & dicto germano tuo, quantum cum Deo & rationabiliter possemus, istis præsertim temporibus, quibus vobis sic dire afflictis compatimur, complacere; attamen scire potes & debes, fili dilectissime, quod hoc facere sine Dei offensa & læsione iustitię præsentialiter non valemus: cum enim dicta Ioanna Regina Siciliæ, ad quam dictum regnum hereditario & successionis iure peruenit, in possessione pacifica dicti regni existat, pro quo nobis & ecclesiæ Romanæ fidelitatem & homagium ligium præstitit, & inuestituram ipsius a nobis recepit, prout prædecessorum suorum tempore extitit obseruatum; nondum de dicto scelere conuicta sit aut confessa, nec iudicialiter dicto regno priuata, vel quod dictum regnum perdiderit declaratum, & ob hoc nondum sit certum, prædictum regnum ad nos & Romanam ecclesiam ob causam huiusmodi vel alias deuolutum; videat & prudenter attendat, quæsumus, regia celsitudo, quomodo id, quod ipsa Regina tanquam domina possidet, & quod adhuc nostrum esset non apparet, nec ad manum nostram & Romanæ ecclesiæ peruenisse, possimus tibi concedere, & in hoc cum alterius iniuria & læsione iustitiæ complacere.

Negata Vngaro regni donatio.

Ioannam antequam conuicta sit, eo non exuendã.

Nondum regnum ad sedem Apost. deuolutum.

54 In hoc autem fiduciam te volumus habere, quod si dictam Reginam de nece prædicta culpabilem reperiri, & ob hoc regnum ipsum ad nos deuolui contingat, super quibus & alijs supradictis si vias aliquas aperias, iustitia & ratione suffultas, eas quantum cum Deo & iustitia fieri poterit, fauorabiliter admittemus: ad te enim & germanum tuum prædictum, directe de domo Siciliæ procedentes, specialem & paternam considerationem habere intendimus, & inter alios tam ex causa prædicta, quam in consolationis deflebilis * fauorem apostolicũ sine alterius præiudicio exhibere. *Et infra:* Porro super dispensatione matrimonij dictæ Reginæ, super qua nihil tibi scripsisse reperimus, pro qua non fienda deuotius supplicasti; rescribimus, quod licet pro obtinenda dispensatione prædicta multoties, & a

* vicem

mul-

multis magnæ auctoritatis viris nobis fuerit supplicatum; attamen supplicationem huiusmodi noluimus exaudire, nec ad concedendam dispensationem huiusmodi intendimus properare, nec ad ipsam faciendam procedere, nisi instæ & rationabiles causæ suaserint, quæ ad concedendum dispensatiohem prædictam monere merito debeant seruitutis apostolicæ puritatem.

Excusat Pont. protractam fuisse Andreæ inauctionem. 55 Illud nempe non omittimus, quod mirari non debes, fili amantissime, neque nobis aliquid imputare, si negotium coronationis Andreæ fratris tui prædicti non per annos, vt scribis, sed per menses aliquos est dilata: scis enim, quod negotium de se erat arduum, insolitum, & non clare sub iuris regulis limitatum; propter quod Non constitisse de iure. vtrum de iure posset hoc fieri, multi magnæ auctoritatis viri probabiliter dubitabant, asserentes quod coronatio magis ex gratia, quam iustitia dependebat: & super ordinandis caurelis, quæ in coronatione adhiberi debebant, non modica fuit altercatio, prout negotij qualitas exigebat. Et ideo tum ex ijs, tum etiam quia ambaxiatores tui super prouisione coronationis fiendæ vias varias tetigerunt, quæ deliberatione habuerunt necessario prorogare, cum etiam propter diuersa negotia, ad sedem Apostolicam vndique confluentia, quæ intermitti totaliter non decebat, negotium coronationis prædictæ aliquandiu extitit necessario protogatum.

56 Denique, fili charissime, mirati cogimur, quod celsitudo regia dilectum filium nostrum Talayrandum tit. S. Petri ad vincula presbyterum Cardinalem de scelerata nece germani tui conscium literarum prædictarum serie descripsisti: licet enim ipse in negotio dicti regni Siciliæ pro Excusatur a Pont. Talayrandus Card. nepotibus suis interdum institerit, eorum iustitiam allegando, & pro eorum prouisione sine iuris alterius præiudicio pure in ipso negotio procedendo; non debuisti propterea vel quiuis alius existimare, quod idem Cardinalis, qui de præclaro & antiquo genere trahens originem, magna probitate & literarum scientia existit præditus, & multiplicibus virtutibus insignitus, tanti sceleris conscius fuerit, vel ei dederit initium, consilium, auxilium, vel fauorem: nam, vt cum veritate loquamur, audita nece prædicta, indicia euidentia, signa patentia ingentis tristitiæ & doloris noscitur ostendisse. Cessante igitur, quæsumus, apud te suspicione prædicta, quæ caret proculdubio veritate, credas quod prædictus Cardinalis in prædicti regni, vel quocunque alio negotio, nihil scienter ageret, quod diuinam crederet offendere maiestatem, aut maculam in gloriam suam poneret, vel suam & domus suæ nobilitatem aliqualiter denigraret. [Addidit Talayrandi apologiæ Clemens ad Ludouicum preces, ne qua vindictæ cupiditate ab æquitate abhorrentia molitetur; tum subdit.]

Pontificiæ ad Lud. Regem placandū preces. Postremo serenitatem tuam rogamus, obsecramus, & in Domino exhortamur, quatenus progenitorum tuorum elata sequens vestigia, qui tanquam benedictionis filij deuotione purissima Romanam ecclesiam matrem suam sunt singulariter prosecuti; considerans quoque fauores & beneficia, quæ progenitores tui Reges Vngariæ ab eadem ecclesia receperunt, in deuotione eiusdem ecclesiæ studeas perseuerare constanter; & ipsius tanquam piæ matris consilijs & beneplacitis te coaptans, nihil minus sano ductus consilio attentare procures, quod posset in offensionem Dei & prædictæ ecclesiæ redundare.

Dat. Auin. 11. id. martij anno 1v. Abducere his precibus nitebatur Clemens Ludouicum Regem Vngariæ, ne fraternæ necis vindicādæ regnique Neapolitani occupandi cupidine bello Siciliam adoriretur: tum edita Clementis V. & Ioannis XXII. Pontificum, quibus censuræ idem regnum inuasuris obiectæ fuerant, cum Henricus Imperator & Fridericus Trinacriæ Rex expeditionem in illud appararunt, instaurauit a: quæ tum Genuæ, tum Venetijs b promulgari: atque a Bertrando patriarcha Aquileiensi Vngaro Regi exponi iussit c. a An. 5. l. a. ep. diuers. form. 148.

57 Cum vero Elisabeta Vngariæ Regina de nuru Ioanna Neapolitana sumendum supplicium instaret, deque Pontifice quereretur patrocinium illius arripi, hæc respondit Clemens d. b To. ep. 148. c Ib 5. ep. secr. 251. d To. 5. ep. secr. 255.

Clemens, &c. charissime in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Vngariæ illustri.

Quia, sicut alias scripsisse magnitudini tuæ meminimus, iuris non patitur æquitas nec ratio persuadet, quod executio cognitionem præcedat, mirari non debet tua circumspectio, nec est horrendum auditui, si Ioanna donec conuicta & condemnata de iure fuerit, nominetur Regina: immo si fieret aliter, vel regni administratio, quousque per sententiam illo priuata existeret, amoueretur ab ipsa, & concederetur alteri, eidem irrogaretur proculdubio iniuria manifesta. Et quamuis eredas, filia præcharissima, impossibile & apud aliquos difficile asseras reputari, quod infra regnum Siciliæ posset dicta iustitia ministrari; scire tamen tuam prudentiam volumus, quod ecclesia Romana prædicta maiora & magis difficilia, quam sint ista, & in illo regno & in alijs fecisse noscitur, & ad effectum plenarie deduxisse. Cur Ioanna erepta supplicio. Et quamquam modus, quem dicta Ioanna mortis tempore, & post mortem dicti Andreæ Regis viri sui scribitur obseruasse, commendandus proculdubio non existat; scire tamen debet tua excellentia, quod ecclesia Romana prædicta, quæ veritatem quærit, & iustitiam in omnibus factis suis non consueuit, sicut nec debet præsertim in tanto casu, ex præsumptionibus iudicare. Porro super custodia pueri supradicti (nimirum Caroli a Ioanna ex Andrea suscepti) diligentiam quam potuimus, adhiberi fecimus hactenus & facere intendimus: ac super hoc, eum rem nostram & eiusdem ecclesiæ reputemus agi principaliter in hac parte, venerabilem fratrem nostrum Ildebrandinum episcopum Paduanum specialiter, vt ordinetur quod tuæ curæ ac custodiæ tradatur dictus puer, vel alias taliter ordinetur de ipso, quod cuiuscumque periculosæ suspicionis tollatur materia, duximus destinandum; intendentes ea, quæ super his quomodolibet fecerit, excellentiæ tuæ absq; moræ dispendio nūciare, ac vlterius iuxta tuæ prouisionis consilium ordinare. *Et infra.*

58 Non omittimus rescribendum, quod quānis Regnum Siciliæ de directo dominio nostro & ecclesiæ Romanæ prædictæ sit, & omnes regnicolæ sub nostra & eiusdem ecclesiæ generali protectione consistant; tamen dictus Andreas Rex sub alia protectione nostra speciali nequaquam extitit interfectus: immo, sicut alias scripsimus Purgat se Clemens de Andreæ nece. pro conseruatione vitæ suæ ac augmento honoris & status sui, tam mittendo ad partes illas venerabilem fratrem nostrum Guillelmum episcopum Catnotensem, quam alias duximus, adhibita diligentia quam potuimus, laborandum. Nec sanguis eius innoxius propter nostram, & ecclesiæ negligentiam, sicut præmissum est, remanebit inultus,

cum simus & fuerimus parati iustitiæ debitum, prout ad nos pertinet, exequi; nec nobis a Deo vel hominibus poterit imputari. Rogamus itaque serenitatem tuam regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus super prædictis & alijs diuinis & eiusdem sedis beneplacitis se conformans, huiusmodi responsiones nostras benigne recipias & mature, certam de nobis & sede prędicta fiduciam habitura, quod circa iustitiam de prędictis sceleribus, & eorum patratoribus tam per dictum legatum, qui se festinanter prępatat & disponit ad regnum proficisci prędictum, quam per prefarum comitem ac alios & alias sicut melius fieri poterit ministrandam, adhibere operosę solicitudinis diligentiam faciemus; & super his, quę tui dictorumque natorum tuorum & domus prędictę regię incrementa commodi respicient & honoris, reperiemur, quantum cum Deo fieri poterit, propitij & benigni. *Dat. Auin. xvi. kal aug. anno v.* Cum legatus Neapolim peruenisset, male a Ioanna & principibus exceptus est: neq; enim passi sunt, vt ex imposita ei prouincia in ipsos inquireret; de quo Clemens questus est [a] Vngarum Regem ad vltionem sine vllo dignitatis discrimine repetendam concitatum iri. Abscessit [b] itaque Beneuentum legatus, cui Beneuentani agri limitis definiendi munus iniunctum erat. Visum vero est Pontifici designandos tum illius limites ne, si Pannonię Rex irrumperet in Neapolitanum regnum, Beneuentano agro eiusue oppidis vastitatem inferret: de cuius irruptione ac Ioannę fuga proximo ac altero sequenti anno agetur.

a Tom. 5. ep. secr. 1226.

b Io. Vill. sup. c. 70.

Incumbebat alterius Trinacrij belli moles [c] Reginæ Ioannæ: ex dissensionibus enim Neapolitani regni captata occasione Ludouicus princeps Aragoniæ stirpis, qui transmissum iniuria a Petro Friderici Regis filio sceptrum in Trinacria sustinebat, Guillelmi regni procuratoris opera Mylas mense augusto terra marique obsidione cinxit, & arcem quamuis milite & commeatu instructam ad deditionem pellexit: et quamquam a Clemente indictæ [d] erant triennales induciæ, bellum vrsit. Ambigua erat ac suspensa ex sui commodi, & confirmandæ in Trinacria dominationis inique occupatæ spe principum Aragoniorum fides: eaque de causa de fœdere cum Ludouico Vngariæ Rege, qui expeditionem Siculam meditabatur, ineundo agitarunt [e], ac polliciti sunt quadraginta triremes ad pellendam Siciliæ regno Ioannam se instructuros, ijs legibus, vt Ludouicus omnibus in Trinacriam iuribus cederet, ac Rhegium aliasque Calabriæ terras concederet, quas aliquando Fridericus bello de Roberto Rege pepererat: quæ fœdera affinitatibus, ducta a Guillelmo duce Athenarum Regis Vngariæ sorore, sancienda essent. At iniquas nimium leges Vngarus, vti suis vtilitatibus contrarias, repudiauit. Præterea tot hostibus aduersus Reginam Ioannam, vt bellis vndique cinctam facilius auitis principatibus spoliarent, accessere Ioannes archiepiscopus Mediolanensis & Luchinus Vicecomites [f], qui vt in Pedemontio imperium proferrent, indictas a Guillelmo tit. SS. Quatuor coronatorum presbytero Cardinale inducias violarunt. Iisque erat infelix Ioannæ Reginæ rerum status, in quem post Andreæ viri necem collapsa erat: vt cum antea suæ potentiæ terrorem finitimis inijceret, nunc ab Insubribus, Genuensibus Vintimilium repetentibus, Trinacrijs, Vngaris, atque ipsis Siculis citerioribus vndiq; bellis appeteretur: ad quæ pacanda Pontifici desudandū fuit.

c Id. Vill. l. 12. c. 68. Fazell. de reb. Sic. post decad. l. 9.

Melacium Ioannæ eripeum.

d Clem. an. 5. l. 3. ep. cur. 1.

Pacisci cū Vngaro fœdus moliti Trinacrij.

e Io. Vill. eod. c. 68.

Vicecomites Ioannæ infensi.

Pedemontium vexatum bello a Vicecomitibus.

f To. 5. ep. secr. 681.

59 Cæterum restituendæ Insubriæ pacis desiderio incensus Clemens, indictas iam ante ab eodem Guillelmo Cardinale inducias inter Italos principes ad biennium extraxit [a].

a An. 4. l. 3. pag. 7.

Clemens, &c. ad futuram rei memoriam.

Dilectum filium nostrum Guillelmū tit. SS. Quatuor coronatorum presbyterum Cardinalem propter vrgentem & euidentem necessitatem prędictarum partium Lombardiæ, quibus sperabamus per eius prouidentiam circumspectam, illo auxiliante qui potest omnia, in prædictis salubriter consuli & vtiliter subueniri, cum plenæ legationis officio de fratrum nostrorum consilio ad partes easdem duximus destinandum. Qui tandem comperto ibidem inter alia quod, fama publica longe lateque notorie diffundente, hostis antiquus & pacis æmulus, omniumque malorum incentor sic in dilectis filijs nobilibus viris Luchino de Vicecomitibus in Mediolano pro nobis & ecclesia Rom. vicario generali, ac Ludouico de Gonzaga & eius filijs, ac Simone de Corrigia & eius fratribus, ac communibus vniuersitatum Mediolani, Mantuæ, Rhegij, & Parmæ ex parte vna; nec non Alberto & Mastino fratribus, nostris & eiusdem ecclesiæ Romanæ in Verona vicarijs generalibus, & communibus vniuersitatum Veronæ & Vincentiæ ex altera; ac in ipsorum prænominatorum & eorum cuiuslibet & dictorum filiorum & fratrum suorum, ac communium vniuersitatum ipsarum colligatis amicis, valitoribus, vassallis, subditis, hominibus, gentibus, & fautoribus hinc & inde vbilibet constitutis maleuolentias, brigas & guerras innumeras suscitarat, quod hinc inde manus ad res bellicas erant dispositæ; & quod ad hæc grandia mala, periculosa scandala, ac dissipatio notabilis totius patriæ, multaque alia mala verisimiliter sequi poterant, de propinquo; cupiens plurimum in eorundem nobilium & singulorum ipsorum cordibus veræ pacis & concordiæ semina serere, dictique hostis antiqui malitijs obuiare, treugas firmas & validas, & guerrarum inducias inter eosdem nobiles & eorum singulos hinc & inde, ac terras, loca, castra, colligatos, amicos, valitores, vassallos, subditos, gentes, homines, & fautores ipsorum suæ legationis auctoritate ex officio suo sub certis spiritualibus & temporalibus pœnis indixit vsque ad tres annos inclusiue, tunc inchoandos a vigesima sexta die mensis februarij pontificatus nostri anni primi, continue duraturas. Quas subsequenter præfati nobiles & quilibet eorundem, ac nonnulli colligati, amici, valitores, vassalli, subditi, gentes, homines, & fautores ipsorum emologarunt, approbarunt, & ratificarunt solemniter & expresse; ab eisdem etiam & eorum singulis super treugarum & induciarum huiusmodi plena obseruantia præstitis ad sancta Dei euangelia corporaliter iuramentis, prout in patentibus literis eiusdem Cardinalis, sigillo munitis, super indictione treugarum & induciarum prædictarum, & quibusdam publicis instrumentis super emologatione, approbatione, & ratificatione treugarum & induciarum earundem, ac præstatione iuramentorum dictorum nobilium de illis obseruandis confectis plenius continetur.

De Guillelmi Card. in Insubria legatione.

Indictis ab illo inter dissentientes inducijs.

Vt ab aduersis partibus ratæ habitæ sint.

Quia igitur dictorum trium annorum finis instare dignoscitur, nondumque hostis prædicti sæuiente versutia ad pacis & concordiæ bonum desideratum, quod dolentes referimus, est deuentum; nos cupientes ab intimis inter eosdem nobiles vijs & modis, quibus illo præstante, a

quo

quo bona cuncta procedunt, fieri poterit, pacem & concordiam reformari, prædictas treuguas firmas & validas & guerrarum inducias inter eosdem nobiles hinc, & inde & eorum singulos, ac terras, loca, castra, colligatos, amicos, valitores, subditos, gentes, homines, & fautores eorum, auctoritate apostolica ex officio nostro vsque ad duos annos inclusiue, incohoandos a prædicto fine dictorum trium annorum, continue durantes, sub modis, formis, conditionibus, monitionibus, pœnis, & sententijs, sub quibus per Cardinalem præfatum ad prædictos tres annos indictæ fuerant, prorogamus & etiam ipsas de nouo indicimus per præsentes. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. 11 non. ianuarij anno IV.* Repertis, cum nouæ turbæ oborirentur, eadem fuere imperia a, ac demandata prouincia Beltramino episcopo Bononiensi b, vt induciarum violatores censuris percelleret: tum ad eas Fernandus Luchinum, Iacobum e Sabaudia, Ioannem marchionem Montisferrati, Ludouicum Gonzagam; tum Opizonem Marchionem, Albertum & Mastinum Scaligeros, Thadæum Pepolum, Iacobum Cartariam illius belli societate implicitos est adhortatus c. Non admissæ tum a Luchino Vicecomite induciæ, cum breui Parma se potiturum speraret.

Ad proximum biennium imperatæ.

a To. 3. ep. secr. 139. b Ib. ep. 140. 141.

c Eod. to. 3. ep. secr. 244. ad 251.

60 Imminebat Italiæ alterius belli terror, ad quod auertendum, tum ad pacandam ditionem ecclesiasticam, abrumpendosque Ludouico Bauaro aditus, ne in Italiam penetraret, Ebredunensem Cardinalem, de quo antea memoraui, legatum decreuit his literis d.

d An. 4. l. 2. ep. cur. 1. & seriatim Card. Ebredunensis pag. 87.

Clemens, &c. dilecto filio Bertrando tit. S. Marci presbytero Cardinali A. S. L.

Dum anxie cogitamus statum Tusciæ, Romandiolæ, marchiæ Anconitanæ, ducatus Spoletani, patrimonij B. Petri in Tuscia, Campaniæ, ac Maritimæ prouinciarum; nec non Ferrariensis, Bononiensis, Perusinæ, Tudertinæ, Narniensis, Reatinæ, & Interamnensis ciuitatum & diœcesum, ac aliarum terrarum & prouinciarum Romanæ ecclesiæ temporaliter subiectarum, in partibus Italiæ consistentium & circumpositarum, ae aliarum vicinarum partium, quas inueterata dissensio longis, proh dolor! retro continuatis temporibus plurimum lacessiuit, & quas guerrarum turbines exposuerunt animarum periculis & personarum ac rerum dispendijs infinitis; quodque propter hoc neglectus cultus diuinus ecclesiarum & ecclesiasticorum locorum iura violenta direptione in prædam posita, libertas ecclesiastica conculcata fuerunt & (quod deflendum est potius & dolendum) pullularunt schismata, & insurrexerunt hæreses contra catholicæ fidei puritatem; & quod, quamuis status huiusmodi fuerit in nonnullis locis dictarum prouinciarum ac partium aliqualiter tranquillatus, nihilominus tamen inter multos magnates & nobiles, vniuersitates ciuitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum prouinciarum ac partium earundem solitæ dissensionis fomes & rancoris seminaria remanserunt ex quibus noscuntur præmissa & alia grauia non facile numeranda pericula animarum & corporum facultatum lapsus, & multa dispendia prouenire: nostris præsentialiter obtutibus; dum etiam in mentem reuoluimus obstinatas nequitias & rebellionem protervam Ludouici de Bauaria hostis Dei & ecclesiæ manifesti, de hæresi condemnati, & quod ipse sub prætextu contubernij de filio suo cum comitissa Tirolis contra Deum & bonum publicum, ac in suarum animarum periculum per sui facti potentiam publice attentati, comitatum Tirolis, partibus Lombardiæ contiguum seu vicinum, sua temeritate damnabili occupauit, vt per illum sibi ad prædictas & alias Italiæ partes, quas sicut multi fidedigni referunt, se velle intrare asserit, liberior pateat transitus & accessus, ac fideles & deuotos partium earundem, sub nostra & sanctæ Rom. ecclesiæ obedientia & deuotione manentes, in suum deuium damnabiliter trahere, & ab eorum deuotione & obedientia reuocare, nec non diffidentes turbare grauius & earundem partium statum percutere valeat; anxiamur immense, cogitationibus profundis immergimur, ac aelua noster & ignis charitatis paternæ in nostris meditationibus exardescit pro dictarum prouinciarum & partium, quas plenitudine dilectionis paternę prosequimur, statu dirigendo salubriter, ac pace, concordia, & vnione in eis perfecte auctore Domino reformandis, vt incolę prouinciarum & partium earundem effecti vnanimes & concordes, ac bono pacis, quod omnia alia bona superat perfruentes, tam contra ipsius Ludouici obstinatam proteruiam & rebellionem proteruam, quam contra sequaces & fautores ac auxiliatores ipsius pro statu eorum dirigendo salubriter, ac honore ipsius sacrosanctę Romanę ecclesię defensando, insurgant tam zelo fidei quam deuotionis feruore viriliter & potenter, &c. *Dat. Auin. idib. martij anno IV.* Hęc de rebus Italicis sufficeriat: nunc ad Hispanas traducenda est oratio.

Ad abrupendos Bauaro in Italia aditus decreta.

Bertrandi Card. in Italiam legatio.

Et conciliandos mutuo fœdere Italos.

61 In Castella instructi sunt ingentes bellici apparatus, cum Marrochitanus Rex ad nouam irruptionem in Hispaniam faciendam se compararet; quare Pontifex postulanti opem Alfonso Regi attribuit biennales decumas subiecto diplomate a.

a An. 4. l. 4 p. 2. ep. de indultis 796.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Compostellano, Toletano, ac Hispalensi archiepiscopis.

Dudum Redemptor ipse charissimum in Christo filium nostrum Alfonsum Regem Castellę & Legionis illustrem, ex quo ad florentis adolescentię suę annos peruenit feliciter, sic ad eiusdem Redemptoris amoris ardorem allexit, & influxit in eum beodictionis salutiferę vbertatem, quod ipse summi Regis athleta magnificus, & pugil strenuus, solicitusque sine intermissione bellator effectus, ad impugnationea & persecutiones hostiles, quas perfidi Agareni partium Africę regnique Granatę, hostes fidei orthodoxę contra Christianos, præsertim in ipsorum hostium fronterijs constitutos, iugiter exercebant, & alia nefandissima scelera committebant; abhorrens illaque sustinere non valens, diuino accinctus & munitus robore ad reprimendum impugnationes nefarias eorundem, & exterminandum eosdem, ac plantandum cultores ipsius fidei, non parcendo laboribus etiam personalibus nec periculis, nec expensarum oneribus indulgendo, pro diuini nominis gloria, & eiusdem fidei palmitibus dilatandis cum suis baronibus, militibus, & fidelibus regnorum suorum diuersis vicibus & temporibus insurrexit viriliter, & feliciter fuit progressus; ac dextera Domini secum faciente virtutem, contra blasphemos de Benamarin & Granatę Reges, aliosque Agarenos partium & regni prędictorum, maxima quam ipsi hostes habebant potentia eis nullarenus suffragante, potenter & feliciter triumphauit, eosque

Alfonsus Castellæ Rex fidei Christianæ propugnator.

Illius de Mauris triumphi.

 po-

posuit in conflictum; primogenito dicti Regis de Benamarin cum maxima dictorum Agarenorum multitudine in ore gladij, digno Dei iudicio, interemptis.

Et subsequenter idem Christi athleta intrepidus considerans, quod ciuitas insulę viridis olim villa de Algezira vocata, & per nos in ciuitatem erecta, locus vtique maximus & insignis, pręfatis Agarenis partium pręedictarum vicina, & iuxta mare situata, portumque habens etiam singularem, quę per dictum blasphemum de Benamarin Regem tenebatur, in qua dictus Rex de Benamarin velut singulari refugio suum apparatum tam maritimi exercitus, quam terrestris contra Christicolas faciebat, erat causa persecutionis Christianorū & damnorum ipsorū quodammodo principalis; & propterea volens securitati suorum fidelium, & aliorum Christianorum etiam illarum partium prouidere, dictamque fœtidam nationem extirpare de illa, & eam ad cultum reducere nominis Christiani, suo in manu forti exercitu congregato, dictam villam tam per mare quam per terram potenter obsedit, & eam per viginti menses, vel circiter, arctatam tenuit & obsessam.

De Algezirae expugnatione.

Interim vero, cum idem Alfonsus Rex ad huiusmodi negotium, quod maxima requirebat expensarum onera, prosequendum per seipsum sufficere non valeret, coram nobis & fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus præmissa in consistorio proponi fecit, & nobis etiam supplicari, vt prouidere sibi de opportunis subsidijs dignaremur. Nosq; huiusmodi supplicationem eiusdem Alfonsi Regis admittentes benigne, decimam omnium reddituum & prouentuū ecclesiasticorum regnorum, comitatuum, terrarum, & dominij suorum, & duas partes tertiæ decimarum solitæ pro ecclesiarum in regnis, comitatibus, & terris ipsius Alfonsi Regis consistentium fabrica reseruari, conuertendas, in huiusmodi prosecutionem negotij, sub certis pactis, modis, formis, & conditionibus vsque ad quinquennium tunc futurum & nondum elapsum auctoritate apostolica, de dictorum fratrum consilio, prout in literis nostris super hoc confectis plenius continetur, duximus concedendas. Et demum præfatus Alfonsus Rex dictam villam de Algezira, & nonnulla castra & loca, in ipsius frontariæ partibus consistentia, diuino sibi auxilio suffragante, suisque laboribus & deuotis solicitudinibus, operibus atque curis promerentibus, ad Dei laudem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, Christianorum securitatem, vtilitatem, & pacem; dictorumque hostium confusionem & exterminium, acquisiuit, expulsa & abolita inde totaliter dictorum hostium natione.

Attributæ Regi quinquennalibus decumis.

62 Nuper vero venerabilis frater noster Gundisaluus episcopus Seguntinus, & dilectus filius Garsias Fernandi de Bartoso miles, nuntij & ambaxiatores eiusdem Alfonsi Regis, ad nostram præsentiam accedentes, coram nobis & fratribus nostris prædictis pro parte eiusdem Regis reuerenter exponere curauerunt, quod licet idem Rex velut catholicus princeps & athleta Domini strennus non solum pro defensione, sed etiam dilatatione Christianæ fidei ac hostium exterminio prædictorum totis inuigilet studijs & intendat, ac disponat de bono in melius intendere, auctore Domino, in futurum; quia tamen idem Alfonsus Rex in obsidione & captione ciuitatis & locorum prædictorum sumptus innumerabiles, & quodammodo importabiles (præsertim circa maris custodiam, sine qua nequiuisset negotium huiusmodi prosperari, nec ad optatum finem deduci) assidue subijt, & multa debitorum onera pro huiusmodi negotij prosecutione contraxit, regna & terras propria depauperando totaliter, & ad exinanitionem quodammodo deducendo; & consideratis periculis, quibus Christianitas subiaceret si, quod absit, ciuitas prædicta, in cuius acquisitione infinitus Christianorum sanguis effusus extitit, perderetur, eundem Alfonsum Regem maiores (ad quos supportandos per se ipsum sufficere non potest, magnorum debitorum propterea contractorum oneribus prægrauatus) subire incessanter oporteat pro prouisione habitantium & populantium eandem, ac etiam munitione ciuitatis, & locorum prædictorum murorumque ciuitatis eiusdem restauratione, ac maris custodia ad dictorum de Benamarin Regis & aliorum perfidorum Agarenorum transitum impediendum, qui die noctuque ad supplantationem fidelium, & potissime ciuitatis & locorum præfatorum recuperationem inuigilant & intendunt, quod ijdem ambaxiatores & nuntij manifeste apparere dixerunt, cum idem blasphemus Rex de Benamarin de loco Ceptæ, qui de dicta ciuitate videri dicitur ad oculum manifeste, post dictæ ciuitatis captionem se minime absentauerit, continue se muniendo ad inuadendum, si posset, ciuitatem & Christicolas antedictos, treuga quam cum dicto Alfonso Rege habere dignoscitur, non obstante; prælati ambassiatores & nuntij eiusdem Alfonsi Regis ex parte ipsius nobis humiliter supplicarunt, vt tam pro necessitatibus ipsius Regis releuandis huiusmodi, & alijs circa prædicta sumptibus necessarijs sibi incumbentibus supportandis, quam persoluendis debitis supradictis huiusmodi subsidium per nos eidem Regi concessum ad longius tempus concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Alfonsi Regis sinceritatis affectum, & propositum Deo gratum, ac toti mundo perutile, quod ad prosecutionem & Deo auspice consummationem felicem præfati negotij & eiusdem fidei exaltationem habere dignoscitur, debita consideratione pensantes, &c.] Attribuit Clemens Alfonso biennales decumas ad instruendum Granatensis belli apparatum. *Datum Auin. 11. id. martij anno IV.*

Profusis in Maurico bello sumptibus.

Vt Afer nouas struat insidias.

Ad coercendos eius impetus datæ Alfonso biennales decumæ.

63 Infremuit etiam bellico fragore septentrio: Henricus enim Dusemer magister equitum Prussiæ, contracto quadraginta millium armatorum exercitu, in Lithuaniam pro religione pugnam initurus irrupit, Olgerdumque ducem a pietate alienum ingenti clade fudit; quam Michouias his verbis describit [a]: *Olgerdus Lithuaniæ dux habens secum copias Smolecensium, Polocensium, & Ruthenorum in die purificationis cum magistro & exercitu eius conflixit, & maxima cæde vtrinque edita, Lithuani & Rhuteni succubuerunt. Duodeuiginti millia Lithuanorum & Rhutenorum cæsa referuntur. Magister & cruciferi spolijs potiti in propria reuersi, in signum obtentæ victoriæ monasterium Virginum in Konisberg dotarunt.* Quanta fulsissent gloria cæteri principes, si egregij huius ducis exemplo in hostes diuini Numinis arma strinxissent! Indictum iam ante fuerat Turcis bellum, ac sacram societatem cum Pontifice Veneti, Cypri Rex, ac Rhodij equites coierant, repressaque admodum erat Turcica ferocia: sed cum barbarus vires ingentes compararet, atque

Prussiæ equitum in Lithuaniam expeditio.

a Michou. l. 4. c. 24. Crom. in Casim. 11.

Cæsa duodeuiginti millia barbarorum.

Delphinus Christiani exercitus dux in Turcas.

exer-

exercitus, cui præerat delphinus, confirmandus esset, Pontifex Genuensium ducem solicitauit a, vt vires cum Christianis coniungeret, cum rei gerendæ opportunum tempus affulgeret.

[Genuenses ad iungendas cũ eo vires solicitati. a To. 4. ep. secr. 928.]

Quia, inquit, *nunc adesse videtur tempus acceptabile, vt tam per potentiam dilecti filij nobilis viri Humberti delfini Viennensis, exercitus fidelium contra Turcos eosdem capitanei generalis, qui cum armatorum comitiua strenua zelo accensus fidei ad partes prædictas transmarinas est profectus, quam aliorum fidelium paganitatis reprimatur infidelitas, & augeatur in ipsis partibus ad honorem diuini nominis, consolationem fidelium, & salutem animarum, cooperante diuinæ virtutis potentia, cultus eiusdem fidei orthodoxæ, &c. Dat. Auin. xv. kal. martij anno 10.* Excitati eodem argumento conscriptis literis b fuere ad corripienda in Turcas sacra arma Pisani, Anconitani, Perusini, Senenses, Florentini pluresque principes, atque inter cæteros Eduardus Anglorum Rex ardentissimis precibus prouocatus c. Sed illum ambitio in Gallos ita efferarat, vt veros triumphos, ex Dei hostibus debellatis comparandos, contempserit. At Genuenses florentissimam triginta trium triremium classem instruxere duce Vignosio, qui represso in itinere Fundorum comite, qui Terracinam inuaserat, ac Siciliæ citerioris litore infestato, in orientem contendens, plura in Ægæo mari bellica facinora explicuit: quanquam non in Turcas, vt optarat Pontifex, sed in schismaticos Græcos vires conuertit. d

[b Lib. ep. secr. 929. ad 936. Item Pisani & alij populi. Rogatus etiam Anglus. c Tom an. 5. ep. secr. 448. Genuensium classis Græcos adoritur. d Cantac. l. 3. c. 95.]

64 Interea Ioanna Imperatrix & Cantacuzenus imperij inuasor ciuili bello, quo res Græca scelesti hominis ambitione afflicta est, impliciti, ostentata redintegrandæ orientalis cum Romana ecclesia coniunctionis spe Latinorum auxilia ad suas confirmandas partes sibi conciliare, missis ad delphinum Viennensem fœderis interpretibus, studuerunt. De quo certior factus Pontifex cum Cantacuzeno tanquam tyranno fœdus inire detrectauit: cum Imperatrice vero ac Ioanne Palæologo sanciendum, spondendaque pro retinendo imperio auxilia putauit, si Græci ad sinum ecclesiæ essent redituri: qua de re hæc delphino Viennensi rescripsit. e

[Cantacuzenus rebellat. Postulat de fœdere duci pontificij exercitus. Repellitur a Clemen. e To. 9. ep. secr. 103. & in M. S. arch. Vat. de reb. red. smar. pag. 80.]

Clemens, &c. Humberto delpino Viennensi, capitaneo generali & duci exercitus fidelium contra Turcos auctoritate apostolica deputato.

Super credentia, quam præfato nuntio, sicut ipse nobis retulit, ad te dederunt dilecti filij nobiles viri Nicolaus Pisanus capitaneus galearum Venetorum, & Petrus de Palude miles circa reductionem seu reunionem Imperatricis [nimirum Ioannæ] ac Græcorum ecclesiæ catholicæ procuranda; volumus, quod quantum poteris & expedire videris, ac fructum exinde posse prodire conspexeris (prouiso tamen, quod non illudaris, nec commissum tibi principaliter negotium effectu suo frustretur propter hoc) huiusmodi negotium prosequaris, sciturus quod nos fauorem, quem honeste dare poterimus super hoc exhibebimus: & inde nihilominus præfatæ Imperatrici scribimus, exhortando per nostras literas, sicut vidimus expedire, quarum seriem cedula interclusa præsentibus tibi plenius indicabit. Tractare autem cum Catecusino ad præsens honori nostro & ecclesiæ ac tuo propter causas, quas referet idem nuntius, expediens non videtur.] Non successit id consilium de reuocanda ad obsequium sedis Apostolicæ Constantinopolitana ecclesia: quod vero Cantacuzenus refert, literas ad Pontificem ea de re, deque eliciendis auxilijs missas non ab Imperatrice Ioanna, sed ab Apocauco, ad quem omnia belli consilia referebantur, quique aspirabat ad tyrannidem Ioannæ nomine, vt in eam seditionem concitaret fuisse exaratas, confictum ab auctore videtur, vt eo commento Pontificis Latinorumque studia ad se deriuaret.

[Promissa Ioanni Imp. auxilia, si ad eccl. rediret.]

65 Intulit porro his temporibus patriæ suæ Cantacuzenus, vocatis in auxilium Turcis, clades innumeras, cum illis facile suasisset, Imperatricem Latinam genere & e principibus catholicis prognatam fœdus cum Romano Pontifice contra sectam Mahumeticam coituram, atque adeo ad illam deprimendam efferauit. Sed nec gratis, vt ementitur, bellum in Ioannem Palæologum ad Cantacuzeni gratiam gessere, cum prædam, vrbesque & misera Christiana mancipia cum hoc tyranno partirentur: nec sub eius signis vt ipse gloriatur a, militabant; sed Cantacuzenum potius suæ in Europam irruptionis socium habuere, quod ex ingenti copiarum Turcicarum numero apparet, quæ ad viginti equitum millia ascendebant: tum ex eo constat, vt cum idem Cantacuzenus Turcas orasset, ne in Mœsiam irrumperent, cum Alexandrum principem socium haberet, barbaros reiectis illius precibus professos, Mœsum habere hostem, Christianam illam prouinciam ferro, flamma, rapinis libidine fœdasse: quæ non seruiuisse Cantacuzeno Turcas, sed illi potius dominatos ostendunt.

[Cantacuzenus Turcas in Græcorũ exitium armat. a Cantac. l. 3. c. 86. Græci a Turcis maximo apparatu appetitꝰ.]

Inde etiam Cantacuzeni proditoris rei Christianæ flagitium ex eius dictis magis se prodit: cum enim Amurius Turcarum in Ionia princeps traducere superiores copias in Græciam cuperet, atque catholicæ crucesignatæ turmæ immissæ a Romano Pontifice barbarum transitu arcerent, vt Cantacuzenus ipse refert: *Ideo nequibat, quod natale eius vna cum nauibus Smyrnæ Latini cremauerant, castelloque ad lacum occupato, triremes habebant, quæ illic discurrentes, classem ædificari & instrui, exercitumque in Thraciam transportari impediebant*; obstaret etiam Lydiæ satrapa Sarchanes, ne per ipsius fines ad Hellespontum penetraret. Cantacuzenus vt Turcicam pestem ad perdendos Christianos exciret, hæc se egisse refert: *Sarchanes*, inquit, *legatos* nimirum Cantacuzeni, *comiter excepit, accessitque illa Amurio reconciliatus transitum impune concedit: simul ei filium vna Imperatori militaturum commendat. Sic per Hellespontum cum viceni equitum millibus in Thraciam appulsi Dydimoticum ad Imperatorem adeunt, ei dona offerunt.*

[Distractæ Turcarũ vires a põtificijs.]

Ita nominis Christiani proditor Lydiæ Satrapam Sarchanem cum Ionio Amurio coniunxit, denique Turcici exercitus opera: Constantinopoli & maris Ægæi insulis exceptis, quas Latini tutabantur, vniuersum imperium Cantacuzenus occupauit b. Qui, ne ingratus erga Sarchanem videretur, filiam suam Christianis sacris initiatam Machometi cultori prostituere non perhorruit c, vt in concubinarum numerum accederet. Tot tantisque flagitijs viam sibi muniebat ad imperium, quod partiebatur cum Turcis, demum illis in prædam cessurum: tantaque apud Constantinopolitanos ob impietatem flagrauit inuidia, vt nonnulli, qui Zelotarum nomen accepere, anabaptistarum more Cantacuzeni sequaces, veluti profanatos impura eius societate, iterum baptismo lustrare d impie ausi sint.

[b Eod. l. 3. c. 95. Prostituta Mahometano filia a Cantacuzeno. c Eod. l. c. 95. Zelotæ apud Græcos anabaptistæ. d Cap. 93.]

Græcorũ extrema infelicitas.

Hactenus de rebus Græcorum, qui adeo extitere infelices, vt quo tempore summus Pontifex ad Turcas ab ija auertendos exercitum mittebat, ipsi cæco furore se Turcis coniungerent.

a To. 5. ep. secr. 123.

Nec tamen ob illorum perfidiam a tuenda re Christiana tum destitit Dei vicarius: oranti enim delphino Viennensi, ne classem ex Græco mari reuocatet, hæc respondit a XVII. kal. iulij: *Ad hoc, quod de non reuocandis per nos galeis nostris in partibus illis existentibus tua prædicta litera continebant, breuiter respondemus, quod galeas ipsas, si commode fieri possit, augeremus potius, quam reuocaremus vel imminueremus easdem.* Promissa opere impleuit Pontifex, submisit enim subsidiu orientalibus crucesignatis contra Turcas quatuor triremes, quas Genuensibus kal. iulij earumque præfectos enixe commendauit b; tum ad Hugonem Regem Cypri c, Deodatum e Gozono cæsi olim draconis gloria insignem e Rhodiorum equitum magistrum d, Bertucium Gradenicum Venetorum ducem e contra hostes Christiani nominis fœderatos datis literis, eorum studium in gerendo facto bello collaudauit; conuenitque, vt triremes ex fœderis legibus bellico apparatu egregie instructæ ad vlteriora tempora tenerentur.

Aucta classis Christiana.

b Ib. ep. 187. c Ep. 131. e Bos. hist. hospitalar. equit. p. 2. l. 2. d Ep. 132. e Ep. 133.

Cæterum delphinum Viennensem admonuit f, vt missis Græcis impetus in Turcas conuerteret: vtque fidelium vires augerentur, eius precibus flexus assensit, vt Catalani, qui ob inuasum Galteri Gallici generis ducis Athenarum principatum fidelium communione erant segregati, templis certis legibus restituerentur. *Tu vero fili*, inquit, *stude prouidere prudenter, quod Græcos expugnando vel alias non consumas inaniter tempus tuum, cum ad expugnationem Turcorum hostium eiusdem fidei catholicæ, ipsamque fidem defendendam contra ipsos, & ampliandam etiam, dextera Domini faciente virtutem, peregrinari principaliter decreueris, & ad hoc tuæ potestatis officium se extendat. Cæterum super eo, quod sententias olim promulgatas aduersus illos de magna societate Catalanorum in ducatu Athenarum existentium, & interdictum ibidem appositum sub certis modis, formis, & conditionibus, tam fidei catholicæ quam negotio Dei, pro quo laboras in transmarinis partibus, quam etiam dilecto filio nobili viro Galtero duci Athenarum multipliciter, vt rationibus per te in eisdem literis prudenter & subtiliter allegatis colligitur, accommodis & expedientibus, per nos suspendi vsque ad triennium postulasti; suspensionem huiusmodi sub eisdem modis, formis, & conditionibus, quamquam aliquibus non videretur expediens, committimus per literas nostras, quas tibi etiam mittimus faciendam, &c. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis XVII. kal. iulij anno V.*

f Super. ep. 123. & M. S. de reb. transmar. pag. 8.

Catalana societas censuris liberata ad trienium.

66 Attriti multis cladibus Turcæ a Christianis, cum etiam Genuensium classis accessisset (quæ licet Græcis potius diripiendis, quam Turcis inuadendis intenta esset g; non leuem tamen barbaris terrorem afferebat) inducias a Christianis flagitarunt h deuexo iam anno, quas Pontifex ob ciuilia occidentis bella, de quibus non fine luctu a nobis actum est, admittendas Deodato e Gozono Rhodiorum equitum magistro i & memorato crucesignati exercitus duci delphino significauit.

Petunt Turcæ inducias a Pont.

g Bizar. l. 6. hist. Gen. h To. 5. ep. secr. 760. 761. i Ib. ep. 759.

Clemens, &c. Humberto delphino Viennensi.

Sicut tuæ nobilitatis prudentiam non credimus ignorare, in Franciæ, Angliæ, Alemanniæ, & Siciliæ regnis, ac Italiæ & quasi omnibus alijs Christianitatis partibus adeo, peccatis exigentibus, vigent his temporibus dissensiones & guerræ, quod illi, qui zelo deuotionis accensi ad iuuandum negotium Dei, pro quo in partibus transmarinis aduersus hostes fidei catholicæ peregrinari, teque multis laboribus & periculis cum expensis & sumptuum profluuijs exponere noscetis, proposuerant & etiam proponebant, nequeunt adimplere super his vota sua, nec decimalia & alia subsidia propterea imposita possunt exigi & leuari. Quamobtem his & alijs occurrentibus considerati attente, non solum expediens, sed etiam necessarium omnino nobis de concordia & vnanimi consilio fratrum nostrorum videtur, quod ad treugas, de quibus fiebat in tuis nobis missis literis mentio, faciendas & ineundas meliori, honorabiliori, & tutiori modo, quo fieri poterit, procedatur. [Addit Pontifex excitis in consilium peritissimis viris, triremiumque præfectis in id omnium iudicia concurrisse, vt induciæ cum Turcis inirentur, non perpetuæ quidem, sed ad certum tempus, vt sopitis intestinis Christianorum bellis, arma in eos verterentur: præsentes vero populi Christiani angustias aperiendas non esse, ne ex eo ferocirent magis & insolescerent. Tum subijcit de Græcis:] Vlterius, cum negotium prædictum non ad impugnandum Græcos, sed ad reprimendum Turcorum infidelium ausus temerarios, ne fideles partium illarum affligerentur per ipsos, inchoatum extiterit, sicut nosti, de illo Catecusino & Græcia alijs, de quibus faciebant tuæ literæ mentionem, te factis dictis treugis intromittere, sicut credimus, non oportet. *Dat. Auin. IV. kal. decembris anno V.* Intermissa itaque est ob bella ciuilia expeditio in Turcas, quam delphinus Viennensis susceperat; qua de re vitæ Clementis auctor hæc tradit a: *Deo sic permittente, nihil proficere potuit; sed vacuus rediens deliberauit mundum relinquere, & statum mutare: elegitque in habitu regulari Domino deseruire.* At delphino rursus inferius.

Assentitur ijs Pontifex ob stipendiorũ penuriam

Vetitus delphin. Græcorũ turbis se immiscere.

a Gesta Clem. apud Bosq.

Delphini reditus in occidentẽ

67 Pio tuendæ in Armenia incorruptæ fidei studio ductus Pontifex Antonium episcopum Gaietanum & Ioannem electum Coronensem internuntios in eas regiones, quæ multis errorum sentibus horrebant, legauit b: quibus excolendis Benedictum XII. iam ante intentum vidimus; is enim, vt falce apostolica eos facilius succideret, ex Armenorum scriptis hæreses & errores, qui pullularant, exscripserat transmiseratque ad catholicon Armenorum, vt coacta præsulum synodo, illos damnaret, ac fide orthodoxa imbueret Armenos & Regem Constantium ad nauandam in tam præclara re regiam operam excitarat. Morem gessit summo totius ecclesiæ pastori catholicon, & damnata ab Apostolica sede reuocanda curauit. Verum vt religionis puritas magis reflorescetet in Armenia, censuit Clemens in id regnum mittendos, qui doctrinæ splendore omnium errorum tenebras discuterent, atque ex imperijs apostolicis collapsam pietatem instaurarent, quos hac auctoritate instruxit.

Missi in Armeniã a Pont. internuntij.

b To. 5. ep. secr. 3.

Catholicon Armenor. veteres errores pontificio iussu damnat.

Discretionem, inquit, *vestram monemus, requirimus, & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus de diuina gratia & apostolico fauore confisi onus tam salubris negotij suscipientes deuota mente ac animo reuerenti, & ad partes illas vos conferentes personaliter, ad prædictos & alios errores quoslibet, ac vitia de illis supputanda partibus, nec non fidem catholicam ac mo-*

rte

res & virtutes etiam propagandos operarias manus diligenter ac solicite apponere studeatis, ipsos prælatos, clerum, & populum de ipsius fidei veris dogmatibus salutarique doctrina informantes plenius, & perfectius instruentes; ita quod, præstante Domino, de partibus illis omnis per operationis vestræ fructuosum studium errorum ac vitiorum spurcitia expietur, & eadem fides catholica ad nostri laudem & gloriam Redemptoris radicetur firmius, dilatetur diffusius, & fortius roboretur, &c. Dat. Auin. 18. kal. decembris anno v.

68 Permouerat Armena ecclesia Pontificē ad hos internuntios mittēdos, cum patriarcha, quem catholicon vocant, post habitam synodum, atque in ea repudiatos errores; tum etiam amplexas leges canonicas, in decretorum ac decretalium libris contentas, amplissimis oratoribus missis, cum Romana ecclesia conspiratione animorum fidei & canonicorum institutorum se suosque consentire significasset. Clemens igitur apostolicis internuntijs Romanæ ecclesiæ canones deferendos in Armeniam tradidit, commendatoque præsulum obsequio ac zelo, has clero Armeniæ literas misit [a].

Pontificū decreta admittūt.

a An. 5. l. 3 ep. cur. 17

Venerabilibus fratribus Consolatori, dicto catholicon Armenorum, nec non archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filijs abbatibus & cæteris clericis in Armenia constitutis.

Quia, diuinæ sapientiæ testante sacro eloquio, sapientia filij patrem lætificat, & matrem eius stultitia reddit mœstam, nos quibus licet immeritis a Deo vniuersalis ecclesiæ pastorale officium est commissum, & sancta Romana ecclesia domina & magistra omnium fidelium sponsa nostra de vobis gaudemus, & in Domino admodum exultamus, cum veræ sapientiæ lumine, scilicet fidei catholicæ, percipimus vos fulgere: sed in corde multum affligimur, dum in illis partibus claritatem audimus, eiusdem fidei errorum tenebris obfuscari, affectantes desiderabiliter, vt huiusmodi profugatis de illis partibus tenebris, claritas prædictæ fidei apud vos splendeat, vsque ad lucem æternam cælestis patriæ vos dirigens & perducens. Sane literæ vestræ pridem per venerabiles fratres nostros Ioannem de Merchar & Antonium episcopos, ac dilectum filium Danielem lectorem & vicarium fratrum ordinis Minorum in Armenia consistentium, ac nobilem virum Gregorium Genguiz, vestros nuncios præsentatæ nostro apostolatui continebant, quod dudum felicis recordationis Benedictus Papa XII. prædecessor noster per suas literas vos charitate paterna requisiuit & monuit, vt quosdam errores eidem catholicæ fidei obuiantes, quos periculose nimium inualuisse in illis partibus perceperat relatibus fidedignis, abolere & extirpare, illos nihilominus per vestram synodum condemnando, curaretis fideli & solerti adhibita diligentia de cordibus Armenorum. Et vt hoc plenius & perfectius perficere valeretis, dictos errores distinctos per ordinem vobis destinauit in scriptis: vosque, reuerenter & cum gratiarum actionibus huiusmodi receptis literis & scripturis, errores continentibus supradictos, & vestra synodo, prout per vos commode fieri potuit, conuocata errores abiecistis & condemnastis prædictos, sicut in libello, quem nobis transmisistis per vestros prædictos ambassiatores & nuncios, continetur; nihilominus in vestris prædictis literis subiungentes, quod si in libris vestris, quibus communiter vtimini, errores alij eidem fidei ac doctrinæ ipsius, quam eadem Romana & vniuersalis catholica ecclesia tenet, profitetur, & docet, quomodolibet obuiantes reperiantur forsan, abolere ac tollere penitus iuxta mandatum nostrum & eiusdem ecclesiæ Romanæ (cui subesse vos confitemini, ipsamque cognoscitis ecclesiarum omnium esse caput, & super omnes tam Armenorum quam aliorum ecclesias obtinere primatum a tempore B. Gregorij illuminatoris vestri, & S. Siluestri citra, vt tenemini, veraciter cognouistis) quodq; parati estis vti decretis ac decretalibus, quibus eadem Romana & vniuersalis ecclesia vtitur secundum tenorem & continentiam literarum prædecessoris nostri prædicti, vobis super hoc directarum, illa postulantes humiliter vobis mitti.

Gratulatur id illi Clemens.

Vt professi fuerint in synodo Armeni primatū Romani Pont.

69 Nos igitur huiusmodi literis vestris affectu solitæ benignitatis receptis, visoque prædicto libello nobis per dictos ambassiatores & nuncios præsentato, & ijs, quæ ipsi dicere ac explicare voluerunt, plenius intellectis; & tam cum fratribus nostris eiusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, quam multis prælatis alijs, sacræ scripturæ doctoribus, & magistris habita deliberatione prouida & matura, zelum deuotionis, quem ad fidem ipsam ac nos & præfatam ecclesiam Romanam vos gerere obtulistis, ac diligentiam, quam circa reuocandos & condemnandos dictos errores adhibuisse asseritis, multipliciter in Domino commendamus. Verum quia errores alij valde perniciosi & damnandi, quos fore hostis humanæ salutis in illis partibus (vt sectatores illorum secum trahere valeat in damnationis præcipitium) satagit remanent extirpandi; nos desiderantes attente, vt ipsos ac alios errores, si quos astutia sathanæ, vt animas simplices diabolica fraude deceptas secum in æternam prædam adducat, superseminare conatur, discernere clarius, & confutare facilius, atque prudentius valeatis, venerabilem fratrem nostrum Antonium episcopum Gaietanum, & dilectum filium Ioannem electum Coronensem, Apostolicæ sedis legatos, viros vtique profundæ scientiæ ac in lege Domini eruditos, & ipsius fidei sinceros & feruidos zelatores, qui per semitam mandatorum Domini gradientes, ipsum verum lumē de lumine, veramque sapientiam (quantum eis ab ipso permittitur) imitantur, commisso eis & eorum cuilibet plenæ legationis officio, ad vos & partes ipsas de dictorum fratrum consilio decreuimus destinandos, vt per eos de ipsa fide eiusque salutari doctrina informemini plenius, & imbuamini viua voce, quam possetis scriptura instrui, vel literis informari; ac tenacius cordibus vestris impressa maneant, quæ ipsorum legatorum studio, & linguæ ministerio fuerint propagata.

De alijs erroribus excindendis.

Ideoq; vniuersitatē vestram monemus & hortamur, vobis nihilominus districte præcipiendo mandantes, quatenus legatos ipsos, per quos decretum & decretales postulata transmittimus, immo potius nos in eis, pro nostra & ipsius sedis reuerentia benigne recipientes, ac debita honorificentia prosequentes, eisque tanquam dictæ sedis legatis deuote ac humiliter intendentes, eorum salubribus monitis & mandatis, exhortationibus & doctrinæ fideliter acquiescere, ac efficaciter & effectualiter obedire, ac vna cum ipsis ad extirpandos penitus prædictos et alios errores, et de mentibus ac intentionibus

Monit Armenis, vt legatis obsequantur

Ar-

Armenorum errantium euellendos et remouendos omnino diligentem operam et solicitudinem, sicut Dei ministri adhibere; nec non Dei doctrinam veræ fidei catholicæ super ipsis articulis, et alijs ipsam tangentibus profiteri, sequi, ac docere, cum omni solicitudinis studio efficaciter procuretis, ad eosdem legatos super huiusmodi articulis eiusdem fidei, si forsan circa intelligentiam eorundem aliquid dubitationis emerserit, recurrentes: vt vestras et ipsorum Armenorum lucrifacientes animas Domino, illustrati veræ splendore fidei, et errorum quorumcunque fermento, aditum salutis claudentium, purgato totaliter & reiecto, de bonis laboribus vestris fructus gloriosos colligere, & vobiscum deferre valeatis, in districto iudicio inde coronam perennis beatitudinis percepturi: pro certo scituri, quod si præmissa feceritis, vt speramus, vos in sinu sanctæ matris ecclesiæ consouebimus, & vobis gratiosis fauoribus, quantum cum Deo fieri poterit, super vestris opportunitatibus assistemus; nec vestris detractoribus, si qui forsan existerent, credulas præbebimus faciliter aures nostras. Alioquin pœnas & sententias, quas ipsi legati & quilibet eorum rite tulerit siue statuerit in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. *Dat. Auin. 11. kal. septembris anno V.*

70 Curauit etiam Pontifex rem Christianam in regnis, quæ infidelium seruituti erant obnoxiæ: cum enim Tephelicensis episcopus a Ioanne XXII. ad inserendam gentilibus euangelij lucem, atque hæreticos & schismaticos ad sinum Romanæ ecclesiæ traducendos missus, plures infideles Christianis sacris imbuisset, aliosque fide parum excultos instruxisset egregie, nonnulli scelerati perciti liuore neophytos ab illo abalienare, atque alios ad pietatem affectos retardare moliti sunt. Quibus iniurijs lacessitus episcopus confugit ad supremum religionis Christianæ antistitem Clementem VI. qui Soltaniensi archiepiscopo, cuius suffraganeus Tephelicensis erat, imperia dedit [a], vt censuris ecclesiasticis nefarios homines hostes pietatis reprimeret. Tum vniuersos fideles Tephelicensis diœcesis literis apostolicis monuit [b], vt episcopo memorato tanquam pastori animarũ ac patri obsequerentur. Propagandæ etiam religionis ardore permotus Clemens præfecit nonnullis inter infideles ecclesijs constitutis præsules [c], inter quos duos Minoritas, Danielem [d] nimirum Bosraensem in Arabia maiore, & Antonium [e] de Alexandria Hieropolitanum in Phrygia archiepiscopos creauit. Intendit [f] vero iudicium archiepiscopo Seleuciæ, qui pseudominoritarum hæresim circa paupertatem Christi & Apostolorũ conscriptis in Ioannem Papã venenatis commentarijs spargere in Perside, & fideles impiæ doctrinæ lue inficere annitebatur. Dedit itaque prouinciam [g] archiepiscopo Soltaniensi & suffraganeis Clemens, vt comperta re illum ad eiurandum publice errorem adigerent, detrectantique diem dicerent.

Tephelicen. episc. plures ad fidem cõuertit.

a To. 5. ep. secr. 223.

Persecutionem patitur.

b Ibid. ep. 224.

c V. ad. in annal hoc an. n. 10.

d An. 5. l. 1. ep. 13.

e Ib. ep. 31.

Archiep. Seleucia monetur.

g An. 5. p. 2. ep. com. 1309. & an. 5. l. 3. ep. cur. 2.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Soltaniensi eiusque suffraganeis.

Molesta & displicens assertio nonnullorum fidelium ad apostolatus nostri perduxit auditum, quod venerabilis frater Pontius archiepiscopus Seleuciensis apostolicæ instructionis oblitus, plusquam expediat sapere satagens, non ea quærit, quibus se ad vtilitatem erudiat; sed illa inserere præsumit ignarus, quibus loquacior appareat, vel doctior hominibus videatur. Ipse namque non sobrie sapiens, sed nimiæ vanitatis ebrietate desipiens, quandam postillam super euangelium B. Ioannis, vt fertur, composuit & transtulit in linguam Armenicam, in qua postilla inter alia ausus est contra determinationem & decisionem sanctæ Romanæ, catholicæ, ac vniuersalis ecclesiæ perniciose inserere, ac pertinaci sua impetitia affirmare, quod Redemptor noster Dei filius Iesus Christus ac eius Apostoli nec in communi, nec in speciali aliqua habuerunt; quodque in ijs, quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam eis ius vtendi seu consumendi cõpetat seu ex ipsis alia acquirendi. Et non reputans sibi sufficere, quod per hoc se præcipitio damnationis immergit, sed vt etiam alios secum attrahat in gehennam, postillam huiusmodi, transumptum illius, seu copiam multis orientalium exhibens, in publicam satagit producere notionem.

Nefaria ab eo edita commentaria.

Orientẽ molitur inficere.

Quoniam vero hæc, si vera sunt, tanto nobis amplius molesta redduntur, quanto talia, nisi in eorum extinguantur initijs, latius & periculosius dilatantur, quantoque illarum partium populi, vtpote diuinæ legis perfectam notitiam non habentes, in errorem facilius prolabuntur; nos, nolentes hoc sub dissimulatione transire, ne ipsius insaniam archiepiscopi approbare silentio videamur, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus super his vos & vestrum quilibet communiter vel diuisim diligentius informetis, & si præcedente informatione debita inueneritis ita esse, postillam huiusmodi damnatam & erroneam reputantes, inhibeatis expresse sub pœnis & sententijs, de quibus videritis expedire, omnibus & singulis Christi fidelibus, ne quis ea vti, aut ipsam de cætero pro vera tenere vel reputare, siue prædicare præsumat: quinimmo eam tanquam ab eadem ecclesia Romana damnatam abijciant & confutent. Præfatum quoque archiepiscopum, clero & populo congregatis, vt eandem postillam abiuret & publice detestetur, ac contrarium asserat & prædicet secundum eiusdem fidei veritatem; efficaciter inducatis. Alioquin, si vos audire noluerit, vel si post abiurationem, detestationem, ac prædicationem huiusmodi in pristinum, quod absit, relabatur errorem, vos vel alius vestrum ipsum ex parte nostra peremptorie citare curetis, vt infra quatuor mensium spatium a citatione nostra huiusmodi computandum, apostolico conspectui personaliter se præsentet, facturus & recepturus quod iustitia suadebit, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, &c. *Dat. Auin. 11. kal. augusti anno V.*

Reuocare damnatum errorẽ iussus.

Ad tuendum etiam fidei splendorem, ne hæreticorum erroribus obsolesceret, intentus Clemens, cum Fraticelli impune venena diffunderent censorum fidei inertia, qui ex Franciscano ordine coercendis hæreticis præpositi erant, grauiter est questus encyclicis literis ad sacri illius sodalitij præfectos datis [a]: *Nonnulli*, inquit, *fratres vestri ordinis, quibus inquisitionis hæreticæ prauitatis in diuersis sibi decretis prouincijs negotium auctoritate apostolica est commissum, super corrigendis & puniendis Fraticellis eisdem super prædictis ac eisdem erroribus & hæresibus extirpandis se reddunt & reddiderunt hactenus nimium negligentes, &c.* Excitati sunt pluribus alijs literis [b] ad operã in fibris hæreseõ euellendis explicandã, quam quidem Petrus ex eodẽ ordine adeo egregie explicuit, vt in Me-

Fraticelli tolerati a Franciscanis censorib' fidei. Põtificiæ de ea re querelæ.

a To. 5. ep. secr. 1107

b Ibid. ep. secr. 1109 1114. 1115. 1116.

Mediolanensi agro cæsus ab hæreticis martyrum numerum auxerit. a

a Bozius de sign. eccl. l. 7. sign. 25.

Venturini Bergomatis mors.

71 Extinctum est hoc anno Smyrnæ egregium doctrinæ & sanctitatis lumen Venturinus Bergomas, quem decem millia pœnitentum religioso cultu traxisse Romam vidimus, ac deinde a Clemente VI. excitandis ad sacram in Turcas militiam fidelibus præfectum, de quo hæc Thomas Bozius b: *Anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto abyt in cælum Venturinus Bergomas ex ordine Dominicanorum clarissimus ætatis suæ concionator non in Italia modo, sed & in Hispanijs, Gallijs, Britannia, Germania, Dalmatia, & aliquibus Græciæ locis. Sæpe ex illius facie, dum verba faceret e superiori loco, maximus cunctis sermentibus splendor eluxit. In Gallia mortuum suscitauit, quod narrare solitus erat Humbertus princeps, vt vocant, delphinus. Innumera edidit miracula tum viuens tum defunctus.* Persenset ea Leander, qui eius mortem ita consignat. c

b Bozius eodem sign. 25. ex annal. Domin.

Mortuus ab eo ad vitam excitatus.

c Leand. de viris illust. ord. Præd. l. 5.

Beatus Venturinus cum episcopo Smyrnæ Smyrnam tendit, quo kal. martij, qui fuit quadragesima primus dies peruenit, vbi diu summis vocis expectatus fuerat: statimque nullius quietis habita ratione concionari cœpit & hortari, impellere, inflammareque ad sanctam expeditionem omnium animos: quod vbi publice fecerat, priuatim quoque non omittebat. Visebat ægrotos, & remedijs corpori & animæ salutaribus nulli deerat. Nulla illi mora, nulla quies vnquam erat. Hinc factum est, vt corpus fatigatum longa ac difficili admodum itinere & continuis laboribus ægritudinem contraxerit, quæ illi vitæ finem attulit: quare cum ægrotare idibus martij cœpisset, post diem XIII. sanctissimam illam animam in summo omnium mœrore ac luctu efflauit. Obijt igitur B. Venturinus v. kal. aprilis anno ab aduentu Christi millesimo trecentesimo quadragesimo sexto: in cuius felici egressu perhibent incredibilem in eius facie & toto corpore claritatem esse conspectam, vt minime dubium cuiquam foret, beatam illam animam continuo in cælum euolasse, sempiterno cum sanctis æuo fruituram.

Contracta ab eo ægritudo dum ægris inseruit.

Sanctitatis argumentum in corpore defuncti.

72 Confirmata sunt hoc anno a Clemente d ad Apetzonis episcopi Lubecensis preces acta concilij Posoniensis iam ante Clemente V. Pontifice celebrati a Gentile Cardinale A. S. L. præcipue quoad eam partem canonum, qui ad episcopalis ordinis asserendam dignitatem, perpoliendos mores, religionemque ab impiorum sordibus vindicandam conditi fuerant, qui apostolico diplomati inserti instaurarique fuerunt.

Posoniensis concilij canones instaurati.

d An. 5. p. 2. l. 6. diuers. form. p. 115.

Ad perpetuam rei memoriam.

73 Petitio pro parte venerabilis fratris nostri Apetzonis episcopi Lubucensis nobis exhibita continebat, quod dudum bonæ memoriæ Gentilis tit. S. Martini in montibus presbyter Cardinalis in regno Vngariæ ac prouincia Poloniæ, infra quam ecclesia Lubucensis existit, ac quibuscumque alijs terris eidem regno adiacentibus auctoritate sedis Apostolicæ plenæ legationis fungens officio, in concilio videlicet per eum apud Posonium Strigoniensis diœcesis constitutum in dicto regno Vngariæ celebrato, nonnullas constitutiones pro libertate ac vtilitate ecclesiarum, ac earum prælatorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum infra fines legationis suæ consistentium edidit vtiles & salubres, inhibitiones, prohibitiones, decreti interpositiones, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & nonnullas pœnas alias continentes, prout in literis præfati Cardinalis inde confectis ipsius sigillo munitis, quarum quidem constitutionum certa capitula de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, continentur. Quare pro parte dicti episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, vt capitula prædicta & omnia in eis contenta, cum præfatæ literæ timeantur vetustate consumi, fulcire apostolico munimine dignaremur. Nos igitur ecclesias & earum prælatos ac personas ecclesiasticas prædictos in suis libertatibus ac vtilitatibus, quantum cum Deo possumus, confouere volentes, ipsius episcopi supplicationibus inclinati, capitula prædicta rata & grata habentes, illa auctoritate apost. ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenores autem dictorum capitulorum tales sunt.

Datum ad precib. episcopi Lubecēsis

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem MCCCIX. indictione VII. pontificatus domini Clementis Papæ V. anno IV. Incipiunt constitutiones editæ per reuerendum patrem dominum Gentilem Dei gratia tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem in regno Vngariæ, Poloniæ, ac partibus illis contermineis A. S. L. & primo proœmium super statu regni: Frater Gentilis miseratione diuina tit. S. Martini in montibus presbyter Cardinalis A. S. L. ad futuram rei memoriam. Varietati morborum diuersa medici medicamenta proponunt, & ipsorum morborum qualitatibus secundum artis peritiam efficacibus remedijs exquisitis aliquibus grauioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adijciunt; alijs vero, qui leui possunt fomento sanitatē recipere, facilia medicamentorum antidota subministrant. Sic & dominus noster Iesus Christus sub figura Samaritani medici formam assumens, vulneribus infudit vinum & oleum sauciati. Nos itaque, ad regnum Vngariæ ab eo, qui pontifici Regis & summi medici locum tenet in terris, cum plenæ legationis officio licet immeriti destinati, attendentes regnum ipsum infirmitatibus varijs & grauibus laborare; ac propterea informati exemplo domini Iesu medicorum præcipui, diuersitati infirmitatum huiusmodi etsi non omnibus magis tamen lethalibus cupientes diuersas & congruas adhibere medelas, infrascriptas constitutiones de prælatorum dicti regni, ac per nos concilij congregati consilio et assensu, auctoritate qua fungimur, duximus promulgandas.

Proœmium præfatio.

De non offendendis prælatis.

73 *Cum Apostolicam sedem, in qua Christus catholicæ fidei posuit fundamentum, Christianorum matrem esse voluerit & magistram, non est dubium quin Christus ipse grauiter offendatur, si matrem filius, & magistram discipulus dehonorat. Quia igitur ipsi Apostolicæ sedi non est possibile cunctos filios & deuotos materno affectu & suo magisterio præsentialiter confouere, debitum apostolicæ seruitutis explere nititur modo per episcopos, immo per archiepiscopos nonnunquam, & per legatos a latere suo missos, quos quia eius priuilegio gaudent, cuius legatione funguntur, a cunctis Christi fidelibus tanquam Apostolicam sedem, immo Christum, qui in eis se recipi prædicat & audiri, honorari conuenit & foueri. Verumtamen fuerunt & sunt nonnulli, quos termini nostræ legationis includunt, sicut fidedigna relatione percepimus, qui licet glorientur nomine Christiano, ad ipsum tamen Christum & Apostolicam sedem debitam reuerentiam non habentes, episcopos, archiepiscopos & legatos huiusmodi doctores catholicæ fidei & magistros ipsius Christi veros vicarios & legatos hostiliter insequi, ausu sacrilego capere & percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere non verentur. In quo quantum Christi fides de-*

De reuerentia prælatis debita.

na-

notio minoratur, euidenter intelligit qui prudenter attendit. Proinde nos qui ex iniuncto nobis legationis officia sedem Apostolicam licet immeriti repræsentamus, cupientes omnes & singulos nostra legationi commissos de tam nefandis excessibus coercere præsenti decreto statuimus, vt nullus de cætero in Dei offensam, Apostolicæ sedis contemptum, & catholicæ fidei læsionem præsumat tantum facinus attentare. Si quis autem propria inimicus salutis reuerentia religionis reiecta, diuinis & humanis legibus in ciuili damnatione calcatis, præmissum scelus exercere præsumpserit per se vel per alium publice vel occulte, eum excommunicatum & a totius Christianitatis consortio separatum publice nuntiantes qua fungimur authoritate priuamus omnibus priuilegijs indulgentijs, feudis, gratijs & beneficijs quibuscumque eis ab ecclesia quacumque concessis omnibus ad quos pertinet eorum ordinatio seu dispositio disponendi potestatem liberam concedentes, terram suam nihilominus & quamlibet aliam, quæ sibi adhærere præsumpserit, interdicto ecclesiastico supponentes. Et ne minus vindicta quam excessus memoria prorogetur, decreuimus vt filij talium in clericorum collegium nullotenus admittantur, nec in domibus regularibus alicuius prælationis assequantur honorem, quod contrafactum fuerit irritum decernentes, nisi cum eis per sedem Apostolicam vel legatum de latere fuerit dispensatum. Et quia dignum est, vt is, qui tot præsumit offendere, pœna multiplici castigetur, omnes eorum vassallos, castellanos, comites, iobagiones, & officiales alios, quouis nomine censeantur, a fidelitate, homagio, & qualibet alia præstatione, quo eis tenebantur astricti, qua fungimur auctoritate absoluimus donec ad gremium sanctæ matris ecclesiæ humiliter redeuntes, absolutionis beneficium meruerint obtinere. Quod si eis in prædicta excommunicatione manentibus adhærere forte præsumpserint, illos eadem cum ipsis pœna statuimus excommunicationis inuolui. Cæterum vt dictorum sacrilegorum pœna sit aliorum cautela, inhibemus venerabilibus in Christo archiepiscopis & episcopis & alijs ecclesiarum prælatis, eorumque vicemgerentibus & ecclesiasticis personis secularibus & religiosis, necnon ecclesiarum capitulis & conuentibus exemptis & non exemptis Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Benedicti, Minorum, Prædicatorum, S. Augustini, & aliorum ordinum, nec non magistris præceptoribus & fratribus militiæ templi S. Ioannis Ierosolymitani, hospitalis & B. Mariæ Theutonicorum sub nostra legatione manentibus, non obstantibus aliquibus priuilegijs, indulgentijs, & literis eis vel eorum aliquibus, aut ipsorum ordinibus a præfata sede concessis, ne ipsi vel eorum aliquis vel aliqui corpora illorum, qui sine digna & debita satisfactione decesserint, tumulare aut tumulationi eorum quoquo modo interesse præsumat. Si quis autem prædictorum cōtra præmissam inhibitionem nostram venire tentauerit, excommunicationis vinculo se nouerit innodatum, maiori pœna pro tanta inobedientia puniendum, & loca nihilominus, in quibus talium corpora sepulta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto. Publicata Posonij IV. idus nouembris.

Obiectū eos offendentibus anathema.

Intentatæ aliæ pœnæ.

Ecclesiasticę sepulturæ mulcta irrogata.

Vt nulla ecclesiastica persona præbeat auxilium, consilium, vel fauorem alicui laico contra ecclesias ecclesiasticasque personas.

74 *Illi proculdubio sunt maiori pœna plectendi, qui nituntur offendere, quod totis suis viribus defendere tenebantur. Cum igitur personæ ecclesiasticæ singulariter teneantur tueri ecclesiam, a qua suam tuitionem recipiunt, præsenti decreto statuimus vt nulla ecclesiastica persona exempta vel non exempta, cuiuscumque præeminentiæ, status, aut dignitatis existat, etiam si pontificali fulgeat dignitate, præbeat alicui laico, cuiuscumque dignitatis aut conditionis existat, contra ecclesias ecclesiasticasue personas consilium, auxilium, vel fauorem publice vel occulte. Si quis autem ecclesiastico honore postposito contra tam salubre statutum venire præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Et nihilominus si inferior episcopo fuerit, episcopus suus contra eum ad priuationem ecclesiastici commodi & honoris procedere: si vero episcopus metropolitanus, sui suffraganei excessum huiusmodi teneantur quam cito commode poterunt sedi Apostolicæ nunciare. Public. Posonij IV. id. nouembris.*

Veriti ecclesiastici laicis cōtra ecclesias opem porrigere.

Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici.

75 *Præsentis constitutionis auctoritate sacro approbante concilio inhibemus, ne quis archiepiscopatum, episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, personatum, parochialem ecclesiam cum cura vel sine cura, beneficium aliquod ecclesiasticum, seu alicuius prædictorum administrationem vel detentionem de manu laicali recipere vel iam recepta tenere sub quouis colore præsumat. Si quis autem contrafecerit, vel sic receptum beneficium eo ipso, & nisi locum, quem sub crimine tantæ inobedientiæ tantæque ambitionis taliter iam recepit vel in futurum recipiet, resipiscendo deseruerit liberaliter infra duorum mensium spatium a publicatione constitutionis præsentis quoad iam recepta, a receptionis vero tempore quoad ea, quæ deinceps continget sic recipi numerandum, ad quodlibet aliud inhabilis ipso facto reddatur, ita vt ad dignitatem vel beneficium ecclesiasticum nullo vnquam tempore absque dispensatione Apostolicæ sedis vel nostra eligi valeat vel assumi. Insuper, vt quantum excesserit pœna docente recognoscat, si quam dignitatem, personatum, vel beneficium aliquod cum cura vel sine cura sic recipiens, vel detinens &, vt præmittitur, non dimittens canonice forsan obtineat ea vel eo sit præsentis constitutionis vigore ipso facto priuatus: indignum enim fore censemus vt ecclesiastico beneficio gaudeant, qui eam tam nefandis ausibus despectui habuerunt. Iniungimus quoque, ac in virtute sanctæ obedientiæ nec non sub excommunicationis pœna præcipiendo mandamus omnibus & singulis tam clericis quam laicis rusticis, iobagionibus, vasallis, castellanis, comitibus, et officialibus alijs quocumque modo subiectionis astrictis dignitati, personatui, vel beneficio taliter occupatis, quod occupatori vel detentori prædictis in nullo pareant vel intendant. Qui vero temere contra fecerit, si vniuersitas fuerit, interdicti si autem singularis persona, excommunicationis sententiæ se nouerit subiacere. Publicato Posonij IV. id nouembris.*

Sacerdotia a laico non accipienda.

Proposita contra id molientes pœna.

De non occupandis & occupatis restituendis bonis ecclesiasticis.

76 *Cum multa prouidentia fuerit olim a felicis recordationis Benedicto PP. XI. apostolicæ sedis legato, dum in his partibus fungeretur legationis officio, constitutum quod nullus inuadere, occupare, illicite detinere præsumeret decimas, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones, & bona ad ecclesias & pia ac religiosa loca et ecclesias ac personas ecclesiasticas spectantia, vel pertinentia quoquo modo, sententia excommunicationis prolata in huiusmodi inuasores, occupatores, & illicitos detentores, sed quia propter præsumptiones & quorumdam cupiditates nullus fructus hactenus aut rarus ex prædicta constitutione prouenit, nos tantis animarum periculis præcauere volentes, vt tam salubre statutum videatur in de-*

Contra inuasores iuris ecclesiastici lex.

desuetudinem abiisse, & ab huiusmodi præsumptoribus eius ignorantia prætendatur, prædictum statutum duximus innouandum & ipsum in suo robore permanere: ac inuiolabiliter obseruari volentes adiecimus vt quicumque propter inuasionem, occupationem, & illicitam detentionem dictarum rerum excommunicatione auctoritate prædicti statuti ligatur, infra trium mensium spatium inuasa, spoliata, occupata, & detenta huiusmodi non restitueret spoliatis, omnes eorum vasalli, iobagiones, castellani, comites, & officiales alij quocumque nomine censeantur, & quiuis alij eis quoquo modo obnoxij a fidelitate, homagio, & qualibet præstatione qua eis iuramento, pacto, consuetudine, vel qualibet alia firmitate vallato tenebantur astricti, sint absoluti & liberi præsentis auctoritate decreti, donec ad cor humiliter redeuntes satisfactionem debitam impenderint de præmissis. Quod si perseuerantibus in huiusmodi contumacia & contemptu adhæserint, quia eos in peccatis fouere satagunt, excommunicationis vinculo sint legati. Et terra, quæ eis medio tempore obediens fuerit, ecclesiastica supposita interdicto, quod interdictum omnes & singuli archiepiscopi & episcopi & alij ecclesiarum prælati, capellæ, & conuentus tam regulares quam seculares, exempti & non exempti Cisterciensium, Præmonstratensium, S. Benedicti, ac Prædicatorum & Minorum, eremitarum S. Augustini, aliorumq; approbatorum ordinum, nec non magistri & præceptores milites templi & hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani ac B. Mariæ Theutonicorum in virtute S. obedientiæ, & sub excommunicationis pœna seruare inuiolabiliter teneantur. Et nihilominus si sine debita satisfactione decesserint prædictorum omnium corpora perpetuo ecclesiastica careant sepultura: non enim debet illi ecclesia beneficium subuenire, qui dum viueret ecclesiam hostiliter impugnauit. Publicata Posonij 1v. id. nouembris.

Soluti ab eorum imperio subditi.

Anathema & interdictū incussi.

De pœna publicorum concubinariorum.

77 *Alma mater ecclesia, quæ plerumque rationabiliter ordinat & consulte quæ suadente subiectorum vtilitate, postmodum consultius ac rationabilius reuocat aliquando, subtrahit, addit quandoque pariter & commutat in melius; imitantes exempla constitutionem bonæ memoriæ Philippi quondam Firmani episcopi, in regno Vngariæ ac partibus alijs nostræ iurisdictioni subiectis Apostolicæ sedis legati, contra publicos concubinarios editam, a felicis recordationis Benedicto PP. XI. tunc in regno & partibus supradictis legato sedis Apostolicæ confirmatā, quibusdam additis & subtractis iuxta infrascriptam modificationem in posterum obseruari præcipimus. Ad ipsius quidem temperandum rigorem animarum zelus, quas ex illius contemptu quasi continuo peccatorum sordibus fœdari conspicimus, nos inducit spei recuperationis hortatur. Confidimus enim, quod spiritualis pœna excommunicationis videlicet, quæ quamuis sine comparatione periculosior, minus tamen peccatis exigentibus formidatur in temporalem mutata vindictam subditorum mutabuntur & mores. Decreto igitur præsenti statuimus, vt quicumque clericus contra ipsius constitutionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicationis pœna in ea contenta propter causas prædictas cessante, quartæ partis redditimum beneficiorum suorum præsentis constitutionis auctoritate damnationi subiaceat. Quia vero nil prodesset iura condere nisi foret qui ea executioni mandaret, omnibus episcopis eorumq; superioribus, nec non singulis ecclesiarum prælatis de iure vel antiqua consuetudine iurisdictionem habentibus in virtute S. obedientiæ ac sub excommunicationis pœna quam si ad huiusmodi constitutionis obseruantiam negligentes fuerint vel remissi, ipso facto incurrant districte præcipimus, quatenus a subditis suis, qui contra ipsam constitutionem excesserint, pœnam præfatam integraliter exigant: ipsius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum vsus, seu ecclesiæ exigenti commissa commodum conuertenda. Prædicta autem condemnatio tandiu cum exactione debita repetatur, quousque mores suos & vitam quoad præmissa curauerint emendare: ad quod etiam corporalis pœna si superior suus expedire crediderit, indicatur. Publicata Posonij 1v. id. Nouembris.*

Decretū in concubinarios.

Contra clericos eo crimine contaminatos.

De prohibita deprædatione.

78 *Cum Christus vera pax de summis cœlorum descenderit, vt quam mundus dare non potest, suis fidelibus pacem daret: profecto non est membrum Christi, nec eius ecclesiæ, qui pacem suam non recipit vel qui ne alij recipiant, suis peruersis actibus causam præstat. Cum itaque in regno Vngariæ olim in pulchritudine pacis æmulus & discordiæ seminator diu procurauerit optatæ pacis exilium immittendo guerrarum discrimina, & deprædationes seu disturbationes per peruersos homines membra sua inhumaniter, exercendo, propter quæ pax & concordia extra dicti regni terminos diu, quod dolenter referimus exulauit nos, qui præfati regni & incolarum eius specialem curam suscepimus, ipsorum pacifico statui prouidere desiderabiliter affectantes, statuimus sacro approbante Concilio, vt omnes & singuli cuiuscumque dignitatis, conditionis aut status extiterint, qui in regno Vngariæ præfato deprædationes seu disrobationes publicas, per quas pax, & tranquillitas dicti regni vt plurimum impeditur, per se vel per alium publice exercere, vel qui aliter ipsius regni statum pacificum impedire præsumpserit, nisi per episcopum proprium monitus, ad quod ipse episcopus in virtute obedientiæ teneatur, infra octo dies vitam suam melius consulte correxerit, & si clericus fuerit exemptus vel non exemptus beneficijs priuatus, ipso facto excommunicatione, qua Deus iratus animas percutit sit ligatus. Publ. vt supra Posonij.*

De coercendis deprædatoribus.

De his qui contumaciter sustinent excommunicationem.

79 *Cum peccata tanto grauius depriment atq; laboriosius extirpentur, quanto inualuerint consuetudine longiori, præsenti constitutione sacro approbante concilio duximus statuendum, quod si quis clericus vel laicus, cuiuscumque status aut conditionis existat, aliquam de constitutionibus nostris transgrediens, quas contra recusantes dictum Carolum pro Rege naturali Vngariæ recipere & habere, vel alium aduocantes vel nominantes, seu recusationi, aduocationi, vel nominationi huiusmodi consentientes seu fauentes ac etiam contra occupatores regalium generalium, vel ecclesiasticorum bonorum, contra eos quoque qui in Regem prædictum, archiepiscopos, episcopos vel legatos manus iniecerint violentas, nec non contra occupatores & detentores sacra corona, eorumque fautores edidimus, maioris excommunicationis sententiam in præfatis constitutionibus seu aliqua earum contentam, quod absit, incurrerit quamcitius commode poterit cum debita instantia illius absolutionem efficaciter obtinere procuret: qui vero concepta malitia siue damnosa negligentia excommunicationem huiusmodi per annum sustinuerit animo indurato contra eum prælatum per ad quem de iure pertinere dignoscitur, seu per inquisitores hæreticæ prauitatis, bonis pro facto iure confiscatis ipsius, tanquam contra hæreticum procedatur. Publicata Posonij 1v. id. nouembris.*

Contra censurarū contemptores.

Iudicio hæresec a postulari iussi.

Ne

Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.

Fideles mulieres iungi tho ro cum hæreticis vel schismaticis vetitum.

80 *Vt fides catholica, qua scissuram erroris cuiuslibet aspernatur, nullius schismatis vel fermento prauitatis haretica maculetur, de consilio & assensu prasentis concilij perpetuo probibemus edicto, vt nullus nostra legationi subiectus, qui vult reputari & haberi catholicus, prasumat de catero baretico Patareno, Gazaro, schismatico, vel alteri fidei Christiana contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rascijs, Lituanis in errore manentibus (qui sicut fidedignorum testimonia prastantur, in diminutionem catholica fidei, opprobrium Iesu Christi, & sacrosancta Romana ecclesia, qua est vera fidei fundamentum, non solum sacri baptismatis reiterant sacramentum, verum alia catholica ecclesia salutifera sacramenta damnabiliter contemnentes habent despectui, fidei veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, & eis diuersis modis & varijs iniuriam irrogare conantur) filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere vel ea eis modo aliquo copulare, cum hoc sit in pradicta fidei Christiana detrimentum non modicum & iacturam: nam sicut didicimus ab experto, viri ab vnitate fidei catholica separati vxores suas quantumuis catholicas, instigante diabolo, ad infidelitatis errorem trahunt potius quam trahantur. Qui vero contra inhibitionem prasentem filiam, neptem, vel consanguineam suam pradictis pestiferis hominibus, qui quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino saluatur, nituntur confundere, dederit vel danti consenserit, vel ex proposito & scienter huiusmodi scelestis nuptijs astiterit (mulier etiam data vel tradita, qua eisdem consenserit) eum per hoc in Christiana religione scissuram & maculam ponere satagat, ac per hoc hæretica prauitati fauere, eo ipso excommunicationis mucrone percussum se nouerit & ecclesiastica sepultura priuatum. Volumus autem & in virtute obedientia districte pracipimus archiepiscopo vel episcopo, in cuius diœcesi contemptor huiusmodi moram trahit quod eum excommunicatum denuntiet & ab omnibus euitandum: & si infra mensem corde contrito & humiliato non redierit ad ecclesia vnitatem, de tanta iniuria irrogata nomini Christiano & fidei orthodoxa condignam satisfactionem & debitam impensurus ex tunc contra eum tanquam contra fautores hæreticorum et inimicos fidei Christiana procedatur iuxta sanctiones canonicas & ciusles. Publicata Posonij IV. idus nouembris.*

Destxi anathemate contrarium agentes.

De obseruantia mandatorum Apostolica sedis, & legatorum ipsius.

De honore legatis sedis Ap. deferendo

81 *Cum Apostolica sedes ad obedientiam omnibus singulari priuilegio proponatur, dolemus quod quidam, quos termini nostra legationis includunt, bonum obedientia peruertentes, ipsius Apostolica sedis vel etiam legatorum eius, qui in decreta sibi prouincia secundum in obedientia & reuerentia locum tenent ipsius obedientia debito reuerenter subtracto, mandatis siue in recipiendis canonicis, siue in custodiendis sententijs siue in quibusuis praceptionibus obseruandis aliorum damnabiliter voluntatem praponunt; & non attendentes, quod quasi peccatum ariolādi est repugnare, et quasi scelus idololatria nolle acquiescere, pœna inobedientia debita se supponunt: quod in terra Polonia maxime per nonnullos episcopos & capitula, qua prasertim pro aliquibus recipiendis canonicis, nisi de suorum superiorum voluntate procedat, ab eadem sede vel legato ipsius directis literis obedire contemnunt, factum esse frequentius nostris auribus est relatum. Proinde nostro commissos regimini in bono perfecta obedientia, sine qua infidelis quisque conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur, obseruari feruente desiderio affectantes; monemus omnes & singulos archiepiscopum, episcopos, electos abbates, priores, ecclesiarum quoque capitula pradicta terra Polonia, vt non obstante suorum superiorum voluntate contraria, dicta sedis legatorumque ipsius mandata sic reuerenter recipiant & obedienter adimpleant, quod meritum obedientia non amittant: scituri, quod si mandata huiusmodi per inobedientia vitium non duxerint adimplendum, eos taliter puniemus, quod pœna docente cognoscent quam graue sit eorū iussionibus contraire. Publicata vt supra. Dat. Posonij IV. idus nouemb. pont. domini Clementis PP. V. an. av.* His addit Clemens VI. *Nulli ergo, etc. nostra confirmationis infringere, &c. Dat. Auinion. IV. non. septembris anno v.*

Præsules Poloni moniti officij.

IESV CHRISTI
annus 1347.

CLEMENTIS PP. VI. 6. CAROLI IV. ROM. REGIS 2. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 7.

1 RESCISSÆ sunt a Carolo IV. Romanorum Rege anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo septimo indictione decimaquinta omnes leges a Ludouico Bauaro contra Romanæ ecclesiæ iura dignitatemque Romæ, Pisis, alijsue in locis latæ, tum regio vel imperiali nomine ab eo gesta in Italia tanquam nulla fulta auctoritate, cum adepto ex discordi electione iure priuatus, atque hæreseos & schismatis crimine damnatus esset, irrita pronuntiata. Obstricta etiam sacramento ab eodem pio & catholico Rege fides, ditionem ecclesiasticam, vel regna vectigalia sedis Apostolicæ Siciliam, Sardiniam & Corsicam se nunquam inuasurum: si quæ ab Henrico auo Imperatore vel Ludouico Bauaro occupata aut distracta essent, reuocaturum: immo regiam potentiam in defendendis iuribus pontificijs collocaturum; atque excurrente ab acceptis imperialibus ornamentis octiduo promissa confirmaturum, neque vllo iureiurando deninctum deuinciendumue esse, cuius religione ab eo retardetur.

Quæ promissa sint a Carolo Roman. Rege.

Spopondit præterea Carolus intrusos vi & iniuria præsules depellere, ac sacerdotes & episcopos, apostolica auctoritate pascendis animabus præfectos, in possessionem ecclesiarum inducere: rata habita ab auo Imperatore vel concessa sedi Apostolicæ corroborauit: latam vero ab eodem in Robertum Siciliæ Regem eiusque heredes, ac Florentinos aliosue horum socios sententiā abrogauit: Prouinciam, Folkarquerium, aut Pedemontium bello se non vexaturū promisit; omnes deniq; iniurias illatas imperio ab Italicis vrbibus sedi Apostolicæ condonauit. Ad redigendum vero ad officium Ludouicum Bauarum, censuris apostolicis ob infanda scelera irretitum, neque imperij modo, sed etiam ducatus Bauariæ iuribus exutum, & ad excercendā in eum edictorum pontificiorum iustam seueritatem persecuturū se bello, coram Geraldo de Magnaco archidiacono e Balthesio in ecclesia Constantiensi, Apostolicæ sedis internuntio, quem superiori anno, vt Carolum in Pontificis verba adigeret, missum vidimus, pollicitus est, ac literas regio sigillo & chirographo obsignatas promissorum testes Clementi VI. transmisit a: quæ post susceptum imperiale insigne fuerunt confirmata edito nono cæsareo diplomate. Pactarum vero superiorum, Carolum

a Ext. in arce S. Angeli & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 3. pag. 281. & inter insignia monumenta collecta a Platina iussu Sixt. IV. to. 3. pag. 53. & in M. s. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 113. ad 120.

lum inter ac Pontificem conuentionum, reque gestæ series accurate describitur in publicis monumentis, hac verborum formula [a] tum editis.

[a] Ext. in lib. priuil. Rom. eccl. to. 3. pag. 282. & M.S. bibl. Vall. sign. lit. D. n. 12 pag. 302. Publicata de re documenta.

2 *In nomine domini nostri Iesu Christi, Amen. Anno natiuitatis eiusdem* MCCCXLVII. *indictione* XV. *die* XXVII. *mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Clementis, diuina prouidentia Papa VI. anno* V. *in præsentia mei notarij publici & testium infrascriptorum personaliter constitutus venerabilis & discretus vir magister Geraldus de Magnaco archidiaconus de Balthesio in ecclesia Constantiensi, eiusdem domini Papa capellanus, cum ea, qua decuit reuerentia, dedit, præsentauit, & assignauit serenissimo principi & domino domino Carolo, Dei gratia Romanorum Regi semper augusto, & Boemia Regi cum reuerentia debita recipienti, eiusdem domini Regis approbationis literas* [b] *apostolicas, vera dicti domini Papa bulla plumbea in filis sericis more Romana curia bullatas, quarum principium tale est.*

[b] Rayn. ann. Chr. 1346 n. 34.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri salutem, & apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex, cui Rex æternus & summus in personam B. Petri Apostoli, æternæ vitæ clauigeri, cælestis simul & terreni iura imperij & plenitudinem potestatis concessit supra cunctos, &c. *Finis vero ipsarum talis est*: Ad cælestis & æterni regni prouehi gloriam merearis. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Si quis autem hoc, &c. *Dat. Auin.* VIII. *id. nouembris pontificatus nostri anno* V.

Post quarum literarum præsentationem & receptionem, vt præmittitur, venerendus idem magister Geraldus mandauit & fecit ibidem, præsentibus infrascriptis testibus per me subscriptis notarium legi quasdam alias literas apostolicas in chordula canapis more Romana curia iuxta modum prædictum bullatas: in quibus sibi, vt prima facie apparebat, mandabatur quod certas a præfato domino Rege promissiones, iuramenta, & concessiones reciperet iuxta earundem literarum apostolicarum continentiam & tenorem. Quarum literarum auctoritate dictus magister Geraldus ibidem secundum formam mandati huiusmodi super præstandis & faciendis promissionibus, iuramentis, & concessionibus eisdem prædictum dominum Regem attentius requisiuit. Qui quidem dominus Rex ad requisitionem huiusmodi ibidem in instanti reuerenter & deuote in manibus antedicti magistri Geraldi de Magnaco, supradicti domini Papa, successorum suorum, sacrosancta Romana ac vniuersalis ecclesia & sedis Apostolica nomine recipientis, omnes & singulas promissiones, iuramenta, & concessiones infrascriptas sigillatim & specifice, tactis corporaliter sacrosanctis euangelijs, renouauit, fecit, præstitit, approbauit, ratificauit, & confirmauit per omnia in hac verba.

[c] Ext. in arce S. Angeli & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 162. & inter Coll. Plat. to. 3. pag. 53. & in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 113. Caroli Regis literæ publicæ.

Sanctissimo e in Christo patri & domino suo domino Clementi, sacrosancta Romana ac vniuersalis ecclesia summo Pontifici, Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Boemia Rex cum reuerentia debita, & deuota, pedum oscula beatorum.

3 Summis & feruentibus desiderijs in spiritu humili cupientes sanctitatis vestræ pedibus, & Apostolicæ sedi toto corde & animo zelum nostræ reuerentiæ, fidei, et deuotionis offerre, vestris sanctis dispositionibus, monitis, exhortationibus, & mandatis nos pro totis viribus coaptando reuerenter & deuote, in manibus discreti viri magistri Geraldi de Magnaco archidiaconi de Balthesio in ecclesia Constantiensi capellani vestri vestro, sanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ, & sedis Apostolicæ nomine, de mandato vestro speciali eidem super hoc facto recipientis, promissiones, iuramenta, & concessiones omnes, & singulas infrascriptas sigillatim & specifice, tactis sacrosanctis euangelijs, renouauimus, & renouamus, fecimus & denuo facimus, præstitimus & præstamus, approbauimus & approbamus, ratificauimus & ratificamus. Et primo facimus, præstamus, concedimus, & promittimus omnia iuramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, confirmationes, & cætera omnia, quæ claræ memoriæ dominus Henricus vltimus Imperator auus noster per se vel per alium seu per alios fecit, præstitit, promisit, concessit, & confirmauit: nec non & omnia alia iuramenta, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, & confirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum & assumpti ad imperium, siue etiam non assumpti, siue antequam assumerentur siue post, per se vel alios summis Pontificibus, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu eorum alteri per se vel per alios reperientur suis temporibus præstitisse, fecisse, & confirmasse, seu quomodolibet concessisse. Item omnes processus factos, & qualibet sententias latas, & quæcumque alia, quocumque nomine censeantur, Romæ seu vbicumque alibi gesta per Ludouicum de Bauaria, per ecclesiam de hæresi & schismate iusto iudicio condemnatum, ac priuatum omni iure, si quod per electionem in Regem Romanorum de ipso factam ei fuerat acquisitum, seu per alios eius nomine vel auctoritate sub imperiali titulo, quem sibi indebite vsurpauit; nec non & omnia, quæ per se vel alium in Italia fecit seu gessit, etiam sub regali nomine, & cætera etiam omnia vbicumque gesta ab eo per se vel alium, quæ ex defectu iurisdictionis vel potestatis facere sibi non licuit, nulla esse ac cassa & irrita pronuntiamus & declaramus: illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullamus, & penitus in his scriptis reuocamus.

Vt rata habita a Carolo cõuenta cũ Clem. VI.

Præstita olim a Cæsaribus iuramenta corroborata.

Et edicta in Lud. Bau. confirmata.

Rescissa omnia eius gesta.

Item promittimus, & ad sancta Dei euangelia corporaliter per nos tacta iuramus, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vsurpabimus Romam aut prouincias, ducatus, marchionatum Anconitanum, Ferrariam, ciuitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam mediate vel immediate spectantia, in Italia vel vbilibet extra Italiam, sicut est comitatus Venaysini, qui ad Romanam ecclesiam pleno iure noscitur pertinere, & plura etiam alia ad eandem ecclesiam pertinentia extra Italiam constituta: & specialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, quæ de dominio directo iure & feudo eiusdem Romanæ ecclesiæ esse noscuntur; nec alia feuda, retrofeuda, seu qualibet alia loca ad eandem ecclesiam mediate vel immediate spectantia: nec iura, personas, vel res aliquas in eisdem: nec aliquibus inuadentibus seu occupantibus, vel quomodolibet vsurpantibus, seu inuadere, occupare, vel quomodolibet vsurpare attentantibus seu volentibus prædicta regna Siciliæ, Sardiniæ, vel Corsicæ, seu Romam aut prouincias, ducatus, marchionatus, comitatus, Ferrariam, ciuitates, oppida, ca-

Sponsio Caroli de pontificia ditione sibi non arroganda.

caſtra, terras alias, ſeo territoria vel loca eccleſiæ Romanæ, ſeu ad ipſam eccleſiam mediate vel immediate ſpectantia, ſiue ſint intra Italiam, ſiue extra Italiam, ſeu aliqua prædictorum, adhærebimus, nec ipſis etiam dabimus aliqualiter auxilium, conſilium, vel fauorem: quinimmo quoſcumque inuadentes, occupantes, ſeu quomodolibet vſurpantes, ſeu inuadere, occupare vel vſurpare volentes, vel attentantes dicta regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, & vrbem Romanam, & ducatus, marchionatus, comitatus, prouincias, Ferrariam, ciuitates, caſtra, & terras, ſeu quæuis alia loca Romanæ eccleſiæ vel aliqua ex eiſdem retrahemus & impediemus pro poſſe noſtro, eiſdem nos cum armis opponendo: & ne conatus talem effectum habeat cum tota potentia noſtra reſiſtendo: ac vobis & eccleſiæ Romanæ pro defenſione regnorum, prouinciarum, terrarum, & locorum prædictorum contra quoſcumque occupatores, inuaſores, & vſurpatores, ſeu occupare, inuadere, vel vſurpare attentantes fideliter aſſiſtendo.

Non affectandis Siciliæ, Sardiniæ & Corſica.

4 Nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum vel ad tempus aliquid de prædictis ſub colore, conditione, vel titulo quibuſcumque: quodque prædictam Romanam eccleſiam, aut vos dominum noſtrum Papam, ſeu ſucceſſores veſtros, vel officiales, miniſtros, vaſſallos, & ſubditos veſtros non inquietabimus, vel quomodolibet moleſtabimus in dictis regnis Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, nec in vrbe Romana, terris, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, Ferraria, ciuitatibus, caſtris, oppidis, & alijs terris & territorijs ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum: ſed nec etiam ratione quorumlibet delictorum vel exceſſuum, in locis eiſdem commiſſorum vel committendorum aliquem vel aliquos puniemus, vel alias perſequemur, niſi hoc ad nos de iure pertineret ex alia ratione quam territorij, cum territorij ratione hoc ad Regem vel Imperatorem Romanorum, quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere. Et hoc caſu promittimus & iuramus vt ſupra, quod tales contra iuſtitiam non grauabimus, nec eis in caſu etiam aliquo Reges prædictorum regnorum, aut miniſtros, vaſſallos, & ſubditos eorumdem in regnis prædictis, ſeu pro eis vel qualibet eorum parte aliquatenus moleſtabimus.

Nõ occupando vllo in terris eccl. magiſtratu.

Nec aliquod dominium, iuriſdictionem, ſuperioritatem, ſeruitutem, poteſtariam, capitaneatum, vel aliud officium, quocumque nomine cenſeatur, accipiemus vel vendicabimus, vel per nos vel per alios exercebimus in prædictis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, Ferraria, ciuitatibus, oppidis, caſtris, villis, terris, & territorijs ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem; nec etiam fidelitatem, recognitionem, vel aduocationem aliquam quouis modo recipiemus per nos, vel alium ſeu alios pro ſeu in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, Ferraria, ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territorijs ſupradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuslibet rebus vel iuribus in præmiſſis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, Ferraria, ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territorijs ſupradictis, vel in eorum aliquo ſeu aliquibus pertinentijs conſtitutis; etiam ſi nobis a quibuslibet communitatibus vel perſonis ſingularibus offerrentur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, ſeu quomodolibet per nos vel alium ſeu alios vſurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi vel haberi in Roma, regnis, Venayſino, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, Ferraria, ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territorijs ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem; & ſpecialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris, & locis expreſſis in quibuſdam literis dicti quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius eſt inſertus.

5 Ad euitandum quoque occaſionem veniendi contra prædicta vel aliquod prædictorum, promittimus vt ſupra, quod ante diem nobis pro coronatione noſtra imperiali præfigendam non ingrediemur vrbem Romanam: quodque eadem die, vero & legitimo impedimento ceſſante, imperialem recipiemus coronam; & quod ſiue illa die, ſiue vere & legitime impediti die alia dictam recipiemus coronam, ipſa die, qua coronam huiuſmodi receperimus, dictam vrbem, vero & legitimo impedimento ceſſante, inde exibimus cum tota etiam, quantum in nobis fuerit, gente noſtra: & ceſſante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis diætis extra totam terram Romanæ eccleſiæ nos recto greſſu transferemus verſus terras imperio ſubiectas, nunquam poſtmodum ad Vrbem, regna prædicta Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, prouincias, ciuitates, vel alias terras Romanæ eccleſiæ, niſi de ſpeciali licentia ſedis Apoſtolicæ, acceſſuri. Iuramus quoque ſuper ſancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, quod ſuper his vel eorum aliquo nullum impedimentum fingemus aut præſtabimus, aut fingi, aut præſtari per alium vel alios, quantum in nobis fuerit, permittemus. Item promittimus, quod contra prædicta vel eorum aliquod nullatenus per nos vel alios veniemus: & ſi contrarium quouis modo contingeret fieri per nos vel alios noſtro nomine quandocumque, ſtatim cum hoc ad noſtram notitiam deductum fuerit, illud reuocabimus, & faciemus, quantum in nobis fuerit, effectualiter reuocari, & pro non facto volumus & decernimus haberi & etiam reputari.

De egrediendo ex Vrbe eadem die qua ſumpſerit inſigne auguſtale.

Item ſi per præfatum quondam Henricum Imperatorem auum noſtrum, vel per iam dictum Ludouicum, ſeu per quemcumque alium, ſeu alios ipſorum vel alterius eorum nomine ſeu auctoritate aliquæ ſententiæ fuerint promulgatæ, ſeu proceſſus aliqui facti, ſeu arreſtationes perſonarum aut rerum, vel aliqua ad iuriſdictionem pertinentia attentata in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, ciuitatibus, mediate vel immediate ſubiectis; illa omnia decernimus, & in his ſcriptis pronunciamus eſſe nulla: quodque ſi aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, aduocationes, occupationes, ſeu conceſſiones qualeſcumque a prædictis Henrico & Ludouico, vel eorum altero per ſe vel alium ſeu alios factæ fuerint vel receptæ pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, marchionatu, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territorijs ſupradictis vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus vel iuribus, in eis vel ſub eis etiam conſtitutis, a quibuſcumque vniuerſitatibus, vel perſonis ſingularibus quouis modo; illa omnia fore nulla pronuntiamus, & quatenus proceſſerunt de facto, totaliter reuocamus, & etiam pro non factis volumus et decernimus haberi.

Conuellẽdis Henrici aui ſententijs.

Item

Cæsareis ducibus ad tuenda iura ecclesiastica sacramento adigendis

Item promittimus & iuramus, quod quandocumque in Lombardiam & Tusciam vel earum alteram aliquem vel aliquos mittemus pro terris & iuribus imperij gubernandis, quoties illum vel illos transmittemus, faciemus eum & eos iurare; vt adiutor vel adiutores domini Papę sine ad defendendum terram S. Petri & Romanæ ecclesiæ secundum suum posse. Item promittimus & iuramus, vt supra, quod omnia & singula suprascripta & infrascripta per nos promissa, & per nos præstito iuramento vallata, bona fide & inuiolabiliter obseruabimus, faciemus, & implebimus, & integraliter attendemus iuxta præsentium continentiam & tenorem. Et nihilominus ipsa omnia & singula post inunctionem, consecrationem, & coronationem imperialem infra octo dies inunctionem, consecrationem, & coronationem eandem immediate sequentes pro maiori firmitate omnium prædictorum ipsa omnia & singula ratificabimus, & renouabimus singulariter & expresse: & super præmissis omnibus & singulis dabimus literas nostras quadruplicatas eiusdem tenoris patentes & sufficientes, imperialis maiestatis typario communitas. Item supra sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuramus, quod nullam omnino promissionem, nullum pactum, nullumque iuramentum, nec aliquid aliud faciemus, per quod præmissis vel eorum alicui possit in aliquo quomodolibet derogari. Et nihilominus super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuramus, præmissa omnia & singula nos facturos & completuros, & nullo vnquam tempore per nos vel alios contra illa vel aliquod de illis venturos: &, si (quod absit) contigerit nos facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquod, quæ præmissis vel eorum alicui possent quomodolibet obuiare, vel nos vel aliquem ad aliquod secus agendum inducere, vel nobis occasionem agendi contra prædicta vel eorum aliquod quomodolibet ministrare; nihilominus illis nequaquam obstantibus prædicta omnia & singula complebimus & inuiolabiliter obseruabimus, & ad ea complenda & inuiolabiliter obseruanda ex promissionibus & iuramentis præmissis semper nos volumus remanere efficaciter obligatos. Et ex nunc etiam attestamur & protestamur, nos velle & intelligere præmissa omnia & singula sic exclusa fore ab omnibus factis & promissionibus ac iuramentis specialibus & generalibus, per nos quomodolibet faciendis, per quæ præmissis vel eorum alicui posset quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occasione nobis nullo modo liceat, liceretue possit mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea vel aliquid de eisdem. Promittimus etiam bona fide, quod intrusos in ecclesijs, infra prædicta regnum & imperium consistentibus, & qui eas contra ius & libertatem, superioritatem & auctoritatem Romanæ ecclesiæ detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, si super hoc per nos dominum nostrum Papam, vel sedem Apostolicam fuerimus requisiti, expellemus & pro posse faciemus expelli de illis: & prouisos per sedem Apostolicam iuuabimus, & faciemus iuuari, vt ad ecclesias, quibus de eis per sedem Apostolicam prouisum est, vel fuerit in futurum, realiter admittantur, suisque iuribus libere vti possint. Tenor autem supradictarum literarum quondam Henrici Imperatoris sequitur sub his verbis.

Contrarium his iusiurandum non conceptu rū se promittit Carol.

Intrusos eiectum iri.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo Clementi, sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici Henricus, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus cum reuerentia debita pedum oscula beatorum.

Dudum antequam susceperimus imperij diadema in humilitatis spiritu &c. [Repetendæ eæ non videntur, cum ipsas in superiori tomo, dum ageremus de Henrico, attulerimus a. Confirmatisque singulis sponsionibus in ijs contentis, subiungit Carolus].

Promissa sb Henr. Imp. repetita a Carolo.

a Annal. to. xv. ann. Chr. 1312 n. 40.

6 Item nos Carolus Rex Romanorum prædictus, quia per claræ memoriæ Henricum vltimum Imperatorem auum nostrum seu auctoritate ipsius plures processus facti fuisse, & etiam plures sententiæ capitales, & proscriptiones bonorum, & aliarum pœnarum & mulctarum diuersarum inflictiones diuersis tēporibus promulgate fuisse dicuntur tam contra claræ memoriæ Robertum Regem Siciliæ, quam contra quondam Ioannem ducem Duratij Regis eiusdem germanum, ac etiam contra vassallos et alios eidem Regi immediate vel mediate subiectos regni Siciliæ, et comitatus prouinciæ, et aliarum terrarum Regis eiusdem, quam contra nonnullos ciues et incolas ciuitatis Romanæ; nec non contra ciuitates et commune Florentiæ, ac potestates, capitaneos, officiales, ministros, et nonnullas singulares eiusdem ciuitatis personas, ac etiam contra alias ciuitates et loca, et contra nonnullas personas singulares, quæ quidem ciuitates et personæ tempore dicti Henrici adhæserunt Regi præfato; omnes huiusmodi processus et sententias propter quoscumque etiam et qualescumque excessus, inobedientias, rebelliones, et iniurias ipsi processus facti et sententiæ promulgatæ fuerunt, quatenus processerunt, reuocamus ex eos et effectum eorum annullamus, et tollimus in totum: et quidquid etiam ex eis secutum est, vel ob eos, et insuper omnes excessus, rebelliones, inobedientias, iniurias, et offensas, qui vel quæ commissi seu commissæ fuerunt per Regem et alios supradictos vel ipsorum aliquem vel aliquos, et per ciuitates, communitates, et loca prædicta in partibus Italiæ contra præfatum Henricum vel suos officiales, seu contra imperium quouis modo, in quantum processerunt et ad nos et imperium pertinere possunt; remittimus et tollimus, et penitus abolemus, et in integrum aduersus prædicta restituimus omnes et singulos suprascriptos, ac ciuitates, communitates, et loca prædicta sic, quod illorum occasione vel causa ipsi vel successores eorum non possint per nos aut nostros quoslibet successores, vel per alios nostro vel eorundem successorum nomine vllo vnquam tempore impeti, seu inquietari, vel etiam quomodolibet molestari: nec successores dicti Regis Siciliæ eatione vel occasione cuiuscumque commissionis, confiscationis, seu incursus, seu ex quauis alia causa pro præterito tempore super comitatibus Prouinciæ, Forcalquerij, et Pedemontis inquietabimus, molestabimus, nec aliquod ius in eis vel aliquo eorum vendicabimus ob præmissa vel aliqua eorundem.

Edicta Cæsarea in Guelphos reuocata.

Prouinciæ Pedemontisque comitatibus consultū.

Item ob reuerentiam vestri domini nostri Papæ, & propter etiam bonum pacis, vobis domino nostro Papæ concedimus irreuocabiliter, & damus per præsentes plenam & liberam potestatem, quitandi & remittendi omnibus ciuitatibus & communitatibus quorumcumq; locorum omnium partium Italiæ; nec non & quibuslibet personis singularibus partium earundem, cuiuscum-

Condonatæ Pontifici acceptę ab eis sequutæ iniuriæ.

quę ſtatus aut conditionis exiſtant, omnes iniurias, rebelliones, inobedientias, & offenſas commiſſas hactenus quandocumque & quomodocumque contra imperium & Reges ac Imperatores Romanorum, ſeu officiales, miniſtros, vel gentes eorum, ac etiam proceſſus quoſcumque & ſententias inde ſecutas, quatenus ad Reges & Imperatores eoſdem, qui fuerunt pro tempore, pertinuit cognitio & punitio prædictorum, & ad nos illorum proſecutio iuri regni vel imperij poterunt pertinere, tollendi, caſſandi, reuocandi, & totaliter annullandi; pœnaſque quaslibet corporum & bonorum, mulctas etiam & infamias a iure vel homine illorum exceſſuum occaſione vel cauſa inflictas, vel infligi poſsibiles in futurum remittendi & penitus abolendi, & contra prædictos exceſſus, proceſſus, ſententias, pœnas, & infamias huiuſmodi in integrum reſtituendi, & alias de illis & ſuper illis omnibus & ſingulis, quandocumque & quomodocumque vobis placuerit in ſimul vel diuiſim per vos vel alium ordinandi, & diſponendi alte & baſſe pro libito voluntatis quidquid placuerit veſtræ ſanctitati, & hoc in ſcriptis vel ſine ſcriptis, nobis etiam abſentibus & non vocatis, nec alio quocumque pro nobis nec etiam requiſitis. Ratum quoque & gratum per nos, & pro ſucceſſoribus noſtris habituri promittimus quidquid ſuper præmiſsis, & eorum quolibet per ſanctitatem veſtram remiſſum, ſublatum, caſſatum, annullatum, reuocatum, reſtitutum, & abolitum fuerit, vel quomodolibet ordinatum: & ſuper hoc ſufficientes iuxta voluntatem veſtram patentes vobis concedemus literas noſtro munitas ſigillo quoties per vos ſuper hoc fuerimus requiſiti. Poteſtatem autem præmiſſam durare volumus per annum integrum, computandum a tempore, quo poteſtatem huiuſmodi vobis conceſſerimus, & nos eiuſdem conceſsionis poteſtatis literas fecerimus aſsignari: eo tamen adiecto, quod ſi poſt approbationem prædictam, durante anno prędicto, illi vel aliqui ex eis, de quibus pręmittitur, nobiſcum amicabiliter conuenirent, poſsimus eis vel pro eis remiſsionem ac alia prędicta facere, conceſsione ſanctitatis prędictę ſuper his facta nequaquam obſtante: quę tamen in ſuo pleno effectu remaneat quoad omnia alia, de quibus ſic non duxerimus ordinandum.

Ab eo aPō gestæ rata habenda.

7 Item cum, ſicut eſt per diuerſas orbis partes longe lateque diffuſum & notum, ac etiam diuulgatum, Ludouicus de Bauaria propter multiplices graues, execrabiles & enormes, atque notorios eius exceſſus, offenſiones, iniurias, rebelliones, contumacias, & contemptus, ac hęreſes & ſchiſmata, aliaque nonnulla deteſtabilia crimina notorie commiſſa per eum, ac exigentibus ſuis demeritis & culpis horrendis, fuerit & ſit per ſedem Apoſtolicam pluribus, varijs, & diuerſis excommunicationum et anathematum, ac alijs pœnis et ſententijs innodatus, ac omni iure, ſi quod vnquam ſibi in regno et imperio Romanorum competere potuiſſet, nec non omnibus feudis, quæ tunc a Romana vel alijs eccleſijs vel dicto imperio obtinebat, et ſpecialiter ducatu Bauariæ, ac etiam bonis alijs ſuis omnibus mobilibus et immobilibus, iuribus et iuriſdictionibus, priuatus perpetuo, iuſtitia ſuadente, ac de hæreſi et ſchiſmate et alijs diuerſis criminibus et exceſſibus condemnatus, ac hæreticus et ſchiſmaticus publice nuntiatus; et propterea in pœnas et ſententias diuerſas tam in proceſſibus dictæ ſedis huiuſmodi occaſione habitis contra eum contentas, quam in iure contra tales inflictas incidiſſe, et eas omnino incurriſſe ſit et fuerit declaratus, ac etiam Chriſti fidelibus expoſitus impugnandus; nos tanquam deuotus ſanctæ Romanæ eccleſiæ filius votuſque cultor catholicæ fidei, obſtinatam et perniciosam nimiam Ludouici præfati pertinaciam et perfidiam abhorrentes, et conſultius attendentes proceſſus ſedis eiuſdem, vt præmittitur, habitos contra eum; et conſiderantes etiam, quod hæretici et ſchiſmatici ſunt a catholicis pro viribus expugnandi, et quod eiſdem fidelibus non licet cum ipſis hæreticis vel ſchiſmaticis amicitias, ſocietates, confœderationes, pactiones, colligationes, vel ligas aliquas facere vel habere; ob zelum Dei et eiuſdem fidei, ac ad honorem ipſius ſanctę Romanæ eccleſiæ matris noſtræ, et ob deuotionem, quam habemus ad ipſam, ac etiam conſcientia merito nos vrgente intendentes, Ludouicum præfatum iuxta ipſorum proceſſuum ſeriem, prout nobis erit poſſibile, impugnare bona fide promittimus, & ad ſancta Dei euangelia per nos corporaliter ſponte tacta iuramus, quod quandiu idem Ludouicus in huiuſmodi perfidia, hæreſi, ſchiſmate, pertinacia, exceſſibus, & criminibus permanebit; & quandiu ſubiacebit pœnis & ſententijs ſupradictis, & quandiu erit extra gratiam dictæ ſedis, nullam amicitiam, ſocietatem, confœderationem, pactionem, colligationem, vel ligam cum eo faciemus: & ſi aliquas hactenus feciſſemus, eis de cætero non vtemur.

De edictis Pontificijs in Ludou. mandando operi.

Item promittimus & iuramus, quod nullam parentelam, conſanguinitatem, vel affinitatem cum Ludouico præfato, nec matrimonium, vel ſponſalia aliqua, aut parentelam, conſanguinitatem, vel affinitatem cum aliquo vel aliqua ſeu aliquibus ab eodem Ludouico per maſculinam vel fœmininam lineam deſcendentibus contrahemus Romano Pontifice inconſulto, & abſque ipſius ſedis licentia ſpeciali: nec eidem Ludouico conſilium, auxilium, vel fauorem impendemus per nos vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte; quinimmo eundem Ludouicum iuxta eorumdem proceſſuum continentiam totis noſtris viribus impugnabimus & perſequemur, & ſuper his faciemus totaliter, realiter, & efficaciter poſſe noſtrum. Quæ quidem omnia & ſingula ex cauſis prædictis, & ob eas modo prædicto recta & pura fide, ſine omni dolo & fraude promittimus, & ad ſancta Dei euangelia corporaliter ſponte tacta iuramus, nos efficaciter ſeruaturos & completuros toto poſſe: & quod cōtra præmiſſa vel eorū aliqua per nos vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione, occaſione vel cauſa, ingenio vel colore, nullatenus veniemus. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ & Romanorum Pontificum ſecuritatem atque cautelam præſentes ſcribi literas, & regiæ maieſtatis ſigillo fecimus communiri; promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod poſt imperialis diadematis coronationem ſuſceptam prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoſcemus, & faciemus & ſeruabimus atque iurabimus: & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum ſeriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem & cautelam veſtram & ſucceſſorum veſtrorum, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ impe-

Nullo eſt eo fœdere affinitateue iungendus.

Confirmandis ſuperiorib. poſt acceptum auguſtale inſigne.

ria-

rialis maiestatia typario communitaa. *Datum Tridenti v. kal. maij anno Domini* MCCCXLVII. *regnorum vero nostrorum anno* 1.

Iusiurandum religiose de his nuncupatum.

Quibus quidem promissionibus, iuramentis, & concessionibus, nec non omnibus alijs & singulis suprascriptis per præfatum dominum Regem, vt præmittitur, sigillatim & specifice, tactis corporaliter sacrosanctis euangelijs, renouatis, factis, præstitis, approbatis, ratificatis, & confirmatis, & per supradictum magistrum Geraldum ab eodem D. Rege receptis; idem magister Geraldus de præstatione ac receptione huiusmodi, nec non de supradictarum literarum approbationis præsentatione, ac præmissis omnibus & singulis per me subscriptum notarium fieri sibi petyt publicum instrumentum, quod etiam sui sigilli munimine mandauit & fecit roborari. Actum Tridenti in castro episcopali boni consily in superiori episcopali camera eiusdem castri anno, indictione, die, mense, & pontificatu, quibus supra, &c. Addita sunt procerum, qui testes adhibiti fuere, nomina. Contenta superioribus Caroli literis ab eodem post acceptum augustale insigne confirmata fuisse, inferius visuri sumus.

a Tom. 5. ep. secr. 1171.
b Alb. Arg. in chron.
Caroli in Tirolensé comitatú expeditio.

8 Accesserat Carolus Romanorum Rex, cum arcana Viennæ mense februario cum Ludouico Rege Vngariæ genero & Alberto duce Austriæ, (ad quem extant Clementis hortatoriæ literæ a, vt Carolo creato Romanorum Regi atque a sede Apostolica confirmato adhæresceret) colloquia habuisset b, Tridentum magno instructus exercitu, vt Ioanni fratri, quem adeptis regnis creatat marchionem Morauiæ c, Tirolensem comitatum assereret d, quem materno iure illi debitum contendebat: redactisque in suam potestatem nonnullis arcibus, Tirolum obsidione cinxit. Imminēte vero Ludouico iuniore, Brandeburgensis marchionatus ac Bauariæ viribus succincto, partim illius metu, partim ob annonæ penuriam post nonnulla lenia consetta prælia abscessit, inque Bauariam inferiorem mense iulio irrupit, quam ferro flammaque fœdauit e cum Ludouicus Bauarus senior ex arcano cum Nicolao Laurentio, qui Romæ tyrannidem cum tribunitiæ potestatis insignibus corripuerat, iniusta fœdera ad Siciliam, ex Regis Andreæ nece fluctuantem, vni ex filijs armis comparandam agitaret f. Ex quo constat quam imprudenter Ludouicus Vngariæ Rex cum Bauaro ad vlciscendam fraternam necem contra pontificia monita coitiones iniret: quem enim ad subijciendam sibi Siciliam armorum socium sperabat, hostem erat experturus, ni Bauari consilia mors oppressisset. Sublatum quidem hoc anno Ludouicum Bauarum ex literis Clementis idibus nouembris datis constat quibus Vlrico episcopo Constantiensi de illius interitu certiorem se factum testatur g, additque pluribus malis finem impositum.

c Dubrau. l. 22.
d Rebdorf. in annal. Alber. vbi sup. Dubr. vbi sup.
e Alb. Arg in chron. hoc anno.
Ludouici Bauari, de irrumpendo in Italiam consilio.
f To. 6. ep. secr. 862.
Illius repentina morte oppresso.
g Ib. ep. secr 834. Alb. Arg. Rebdor. Io. Vill. l. 12. c. 105. Cle. vita script. Aeg. ad Ro ja in annal. Boig. Naucl. generat. 45. Trith. in chr. Hirs. Bar. in M. S. not. ad hunc ann. & alij.
h Io. 10. 9. p. 2 ep. secr. pag. 224. Annal. to. xv. an. 1334. n. 21.

9 Exercuit apertam in eo principe diuina iustitia vindictam ob improuisū mortis genus, de quo sæpius illum Romani Pontifices præmonuerant. Et quidem Ioannes XXII. h vel potius Christus tredecim iam ante annis vicarij sui ore his verbis ad pœnitentiam, intentato repentinæ mortis terrore, maturandam vocabat: *Attente recogita, quanta tua menti infundetur iucunditas, dum infra claustra tui reuolues pectoris, quod te cum tanta multitudine tibi adhærentium de inimicis eripueris faucibus, quantoque securius in die tremendi iudicij ante tribunal Christi recepturus pro meritis poteris comparere: & aduerte proinde si quod concepisse diceris, sed parum vsque nunc produxeris, cum quanto tremore cum tibi adhærentibus, quorum damnationis actor extiteris, comparere poteris; quantisque pœnis interminabilibus tam pro tuis, quam ipsorum erroribus merearis te affligi. Rumpe itaque moras, & fac cito quod diceris concepisse. Quid tardas ipsum, quem iam concepisti, spiritum parturire salutis? Nil mortalibus est morte certius vel incertius hora mortis. Noli, quæsumus procrastinare vlterius, nec de die in diem differre tam salutaris inspirationis parturire spiritum,* NE SVBITO IRA DEI IN TE DESAEVIAT, ET EXTINCTO SPIRITV IN VINDICTAE TEMPORE TE DISPERDAT, *&c. Dat. xv. kal. iul. an. XVIII.*

Prædicta a Ioanne XXII. ea diuina vltio.

Iniecerat illi etiam sæpius Benedictus XII. virtutum laude præclarissimus improuisæ mortis metum, vt ad conuersionem accelerandam alliceret, illumque ante octo annos his salubribus monitis instruxerat a: *Tibi consulimus, & paternis exhortationibus & salutaribus monitis suademus, quatenus diligenter considerans vias tuas malas, & dum tibi vitæ tempus superest, ab eis conuertere, & ad vias rectas dirigere non differas gressus tuos, vt possis illa verba prophetica dicere Domino: Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua; non solum sæpe, sed sæpius intra tua præcordia reuoluendo, quod moriturus es, & tibi, qui iam in annos processisti plurimos, mortis terminus appropinquat, & ignoras penitus dies mortis.* ET QVID ETIAM, SI (QVOD ABSIT) TE CONTINGERET IN TALI STATV ET CVM TALIBVS OPERIBVS TERMINVM CLAVDERE VITAE TVAE, EXINDE CVM TE TVA SEQVERENTVR OPERA REPORTARES? PROFECTO NIHIL ALIVD NISI POENAS CRVCIATVS PERPETVI, ET TORMENTA, *&c. Dat. Auin. x. kal. febr. anno v.*

Alia a Benedicto eidem significata oraculo.
a Bro to. 5. ep. secr. 392. anno to. xvi. an. 1339. n. 5.

Non defuerat apostolico muneri Clemens VI. prædecessorum exemplo in eo ad Christianam pœnitentiam, obiecta improuisæ mortis formidine prouocando: cumque durum pectus mollire non potuisset, demum illum horrenda hac comminatione, ex hypothesi nempe, quod non ad Deum conuerteretur, frequentato in scriptura sacra loquendi more, superiori anno perculerat. VENIAT EI LAQVEVS QVEM IGNORAT, ET CADAT IN IPSVM: SIT MALEDICTVS INGREDIENS, SIT MALEDICTVS EGREDIENS. Quam quidem sententiam non cecidisse irritam, orbis expauit. Quis enim funestior laqueus esse possit, quam repentina mors, quæ peccatorem, quasi iniecto laqueo hominum aspectum fugiente, præfocauit? Quis ingressus egressusque tristior fingi queat, cum egressus domo & ingrediens agrum, non saluti animæ, sed ferarum venatui intentus, repente fit raptus ad diuinum tribunal? De quo hæc ad Bertrandum tit. S. Marcelli presbyterum Card. Apostolicæ sedis in Siciliæ regno legatum scripsit Pontifex b: *Credimus ad tuam notitiam perductum, qualiter inueteratus ille dierum malorum Bauarus, hostis Christi & eiusdem ecclesiæ, subitanea morte de medio sit sublatus: ex cuius subtractione charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Romanorum illustris speramus, auctore Domino, negotia prosperari. Dat. Auin. id. nouembris anno* VI. Mortis genus breuiter attingit Albertus Argentinensis c: *Eodem,* inquit, *anno princeps Ludouicus in venatione vrsi in siluis iuxta Monachum paralysi percussus, de equo corruens expirauit anno Domini* MCCCXLVII. *quinto idus octobris anno regni sui trigesimo tertio finito minus octo diebus, imperij vero decimonono.* Describit fusius eandem mortem Rebdorfius d di-

Minæ Clementis in Ludou. non irritæ.
b To. 6. ep. secr. 835.
c Alb. Arg. in chron.
d Rebdorf. in annal.

diuinæq; vltioni Ludouici flagitijs exasperatæ tribuit: *Eodem*, inquit, *anno v idus octobris prædictus Ludouicus, de ciuitate sua Monacho Frisingensis diœcesis exiens ad venationem ferarum, in qua temporibus vitæ suæ delectabatur vltra modum, de mane hilaris & iucundus, quia vxor sua præscripta sibi peperit infantem, qui adhuc non erat baptizatus, cum insisteret venationi & insideret equo suo, subito apoplexia percussus circa meridiem eiusdem diei cecidit ad terram in medio familiæ suæ de equo ad duo milliaria de Monacho, & subitanea morte decessit. Et sic notabiliter diuina plaga interijt, non sine causa, quia aliquot annis ante obitum suum officijs & iudicijs suis præposuit tyrannos & excoriatores pauperum, minimam iustitiam facientes. In expeditionibus suis permisit terram & pauperes excoriari. In hospitijs, ecclesijs, monasterijs, sæcularibus & religiosis prælatis ipse & filij sui grauissimi fuerunt. Clerum sæcularem adeo cordi habuit, immo expresse pluries dixit, quod si thesaurizaret thesaurum de luto, collegia sæcularia non fundaret. Et sic non absolutus a sententijs excommunicationis ecclesiæ, quas Ioannes Papa contra ipsum fulminauit, miserrime expirat, & in parochia B. Virginis in Monacho est sepultus.* Hæc auctor, qui alia prætermittit. Sunt qui veneno a Ioanna ducissa Austriæ necatum referant. a

Mortis genus.

Caroli res confirmatæ.

10 Aucta estatque amplificata Caroli Romanorum & Boemiæ Regis auctoritas ex Bauari interitu, ac fœderatæ vrbes plurimæ, quæ antea erant aduersatæ, agnita iusta illius electione viuo Ludouico celebrata, ad obsequium partim potentiæ metu, partim religionis studio tædioque censurarum, partim promissis ac spe certatim confluxere. Describit eiusdem Regis progressus, ac virium, & ex affinitatibus principum potentiam Albertus Argentinensis b; vtque Ratispona, Nurembergum, Vvittembergensis comitatus, Bamberga, Herbipolis, Argentina, vniuersaque Alsatia in eius obsequium procubuerint; tum Bertholdus episcopus Argentinensis regali iure ab ipso sit indutus, ita enarrat: *Argentinæ etiam honorifice est receptus, ipsum episcopum in gradibus ecclesiæ indutus regalibus insignibus, habens coronam auream in capite & pomum & sceptrum in manibus, de feudis regalibus, præstito sibi homagio: solemniter inuestiuit.* Gratulatus est VII. id. decembr. Pontifex Carolo ipsum plures vrbes ac populos extincto Ludouico feliciter ad obsequium suum adduxisse, eumque ad res præclare gerendas magis accendit: *Fili charissime acceptabile tempus, quod ille per quem viuis & regnas feliciter & opportune disposuit, prudenter attendens, ad ea, quæ Deo placita & grata cognoueris, & honorem ipsius ecclesiæ matris tuæ respiciunt, ac tui status votiua pariter incrementa perducant, erige animum, conuerte studia, & operationes intende: & sic te sub spe diuini auxilij & fauoris accingas, quod dextera Domini actus tuos & opera dirigente, aspera conuertantur in plana, & indirecta qualibet dirigantur.* Addit se ad illius augendas res absoluendorum Ludouici sequacium, vidua filijsque exceptis, quibusdam Germanis episc. prouinciam contulisse, ad quos extant literæ c; meminitque de his Rebdorfius d: *Post cuius*, inquit, *obitum*, nimirum Ludouici Bauari, *Clemens Papa absolutionem sententiarum latarum in fautores & adhærentes prædicto Ludouico in Alemannia commisit in solidum dominis archiepiscopo Pragensi & episcopo Babenbergensi: vnde nota, quod absoluendos ab his clericos & laicos inter alia oportebat iurare solemniter ex forma commissionis data a sede Apostolica, se credere, quod non spectat ad Imperatorem Papam deponere & alium creare; sed hoc esse hæreticum. Circa hoc vide canonem LXVII. d. cap. Adrian. II. & hæc forma est adiecta propter * pactum Ludouici. Item ex eadem forma oportuit iurare absoluendos, quod deinceps nulli vt Imperatori obedirent, nisi prius foret per ecclesiam approbatus: & hæc forma est adiecta propter diffinitionem principum Alamanniæ, de qua supra sub isto Ludouico: & propter illud, quod notatur in constitutione Clement. de iureiur. c. Romani super verba, Reges, vbi glos. & etiam definitio principum loquitur de Rege.* Præmonuit etiam Pontifex kal. decembris Carolum a augendarum eius rerum studio, vt cum ex obitu Ludouici Bauari senioris effloresceret in dies eius potentia, in Italiam ad opprimenda nonnullorum consilia, qui ipsum aditu arcere moliebantur, procurreret.

a Hotfem. hist. Leod. de Engelb. e Mur. l. 1. & 35 Naucl. vol. 2. gen. 45. Trith. in chron. Hirsaug. b Alb. Arg. in chron.

Præstita illi ab Argentinen. episc. clientelaris sponsio.

c To. 6 ep. secr. 925. d Rebdorf. in annal.

* peccatum

Iurant Germani Cæsari nō nisi ab ecclesia confirmato parere.

Solicitat Carolus, vt in Italiã descendat.

a To. 6 ep. secr. 873.

11 Neque prætereundum videtur Pontificem ad eiusdem Regis gratiam Pragensem academiam instituisse b, atque archiepiscopo conferendæ doctoratus laureæ ius contulit, vt e subiecto diplomate patet.

Instituta Pragæ academia.

b An. 5. l. 2. ep. com. 1169.

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Considerantes eximiam deuotionis & fidei puritatem, quam tam ipse Carolus & prædecessores sui Boemiæ Reges, quam eiusdem regni incolæ ad sanctam Romanam ecclesiam gessisse, ac ipsi Carolus Rex & incolæ gerere dignoscuntur, feruenti desiderio ducimur, vt regnum ipsum, quod diuina bonitas multitudine populi rerumque copia prædotauit, fiat literarum fertilitate fœcundum, ac in eo quemadmodum auri & argenti fore dignoscitur, sic scientiarum præualentium sit * ..., vt viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diuersarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant vniuersi literalibus cupientes imbui documentis.

Pontificium ea de re diploma.

* abundantia

His igitur omnibus, & præsertim amœnitatibus ciuitatis præfatæ diligenti examinatione pensatis, ad huiusmodi vniuersalem non solum præmissorum eiusdem regni & regionum circumadiacentium incolarum, sed etiam aliorum, qui de diuersis mundi partibus ad eandem confluent ciuitatem, commodum & profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Regis supplicationibus inclinati de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate statuimus, vt in dicta ciuitate Pragensi perpetuis futuris temporibus generale studium vigeat in qualibet licita facultate: & quod legentes & studentes ibidem omnibus priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus concessis doctoribus, legentibus, & studentibus commorantibus in studio generali gaudeant & vtantur: quodque illi, qui processu temporis scientiæ margaritam fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti; sibique docendi licentiam, vt alios erudire valeant, ac magisterij honorem seu titulum petierint impertiri, per magistros seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, archiepiscopo Pragensi, qui est pro tempore, præsententur. Idem quoque archiepiscopus, doctoribus & magistris in eadem facultate inibi actu regentibus conuocatis, illos in ijs, quæ promouendis ad doctoratus seu magisterij honorem requiruntur per se vel alium iuxta modum & consuetudinem, quæ super talibus in generalibus studijs obseruantur, examinare studeat diligen-

Præscripta conferendæ doctoratus laureæ ratio.

genter; eisque, si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, ac honorem seu titulum conferat magistralem. Illi vero qui in eodem studio dictæ ciuitatis examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam & honorem seu titulum magisterij obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque examine & approbatione alia regendi & docendi tam in ciuitate prædicta, quam alibi vbicumque quibuscumque tam dictæ ciuitatis, quam quorumlibet aliorum locorum, seu generalium studiorum, in quibus voluerint regere vel docere, statutis & consuetudinibus contrarijs apostolica vel alia quacumque firmitate vallatis nequaquam obstantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo, &c. *Dat. Auen. VII. kal. february anno V.* Floruit initio clarissimorum doctorum numero hæc academia, Vvicleffique hæreses in Boemiam illatas damnauit, deinde a Ioanne Hus, Iacobello, & Hieronymo contaminatam obsoleuisse, ac virus prauissimarum opinionum vniuersæ Boemiæ infudisse, visuri sumus. Nunc ad Neapolitanos tumultus orationem traducimus.

Neapolitanę res.

12 Irrumpere in Siciliam citeriorem Ludouicum Regem Vngariæ meditantem, vt de Andreæ necis authoribus vltionem repeteret, retardare Clemens annisus est, ne insontes populi publicis calamitatibus inuoluerentur: ac Bertrandum Cardinalem legatum in Ioannam & stirpis regiæ principes inquirere, Baucij vero comitem in alios animaduertere iussit [a]. Ingressus Neapolim vigesimo nouembris die Cardinalis legatus primum Neapolitani regni ordines ac principes in Caroli Martelli ducis Calabriæ verba sacramento adegit, illum, Ioanna cedente decedenteue Regem culturos: quod Pontifex Ludouico Regi, Stephano duci Transiluano, eorumque matri & alijs proceribus significauit; addiditque Cardinalem demandato illi muneri non defuturum; a comite vero Baucij de pluribus sumptum supplicium acerbissimum: quod postremum etiam confirmant historici [b], interque alios Carolum Arsusium proditorem nequissimum, cui vna cum alijs Ioannæ tutelam Robertus commiserat, in Beneuentano carcere occubuisse, atque eius filium neci traditum. At Vngarus persuaderi non potuit, valere ea auctoritate Cardinalem legatum, vt iudiciario ordini Ioannam ac principes subijceret. Nec vana eum tenebat opinio: de Regina enim, quamuis sæpius Clemens rem vrserit, ea non permittente quæstio habita non est [c]: de quo concepit grauiores iras Vngarus, vtque sui præsentia leges armaret, cum Germanis, Italis, ac Neapolitanis pluribus armorum fœdera iunxit. In Ioannam itaque, vt sceleris in Andream patrati consciam, citeriores Siculi mouere cœperunt. Pronisque ita in exitium rebus, censuit Clemens [d], regni administrationem Ioannæ permittendam, ne illius amissi inuidia ecclesiæ adhæresceret. Muniuit iter Ludouico Quinqueclesiensis episcopus, conductis Italicis copijs, cui Fundorum comes iunxit vires, pluribusque locis qua vi qua deditione occupatis, monuit Ludouicum, vt ad certissimum triumphum, regnique amplissimi, iam iam in illius obsequium procubituri spem prouolaret. Qua de re certior factus Clemens, vt periclitanti regno succurreret, consuluit legato [e], principes Neapolitanos inter se fœdere constringendos, vt ab imminenti exitio regnum vindicarent. Sed eos pontificio posthabito consilio, dum mutuo ardent liuore communi hosti se dedidisse, visuri sumus.

Tradita legato potestas, vt in Reginā principesque inquirat.

Carolus Martelli sceptri heres signitas.

a To.5.ep. secr. 900. vsque ad 908.

Sumptū de pluribus reis supplicium.

b Io. Vill. l.12. c.51. Summon. l.3. hist. Neap. & alij.

Non habita est quæstio de Regina.

In eam cōcitatę tur bæ.

c To.5 ep. secr. 960. 1224. 1226. & to.6.ep.sec 416.

d To.5.ep. secr. 1224

Quinqueclesiensis episcopi irruptio.

e To.6.ep. secr 815.

Clementis consilium ad Vngaros repellendos.

Interea Ludouicus adulto autumno irrupit in Italiam, quamuis censuræ a Ioanne XXII. Siciliam inuasuris incussæ ei obijcerentur [a]: ac Bertrando Cardinali apud Fulginates sibi occurrenti [b], intentantique anathema, respondit se illæsa ecclesiæ iura seruaturum, & iustam causam iusto diuino Numini commendaturum. Motis dein castris Aquilam peruigilio natalis Domini peruenit [c], cuius victorias sequenti anno describemus. In hac vero Neapolitanarū rerum consternatione, cum parte alia Aragonij ex Trinacria irruptionem minitarentur, missisque iam ante ad Pontificem oratoribus gratiam ecclesiæ expetijssent, polliciti [d] vectigale aurum, cui soluendo defuerant, pontificio ærario se illaturos, Ioannam adegere, vt suis in Trinacriam iuribus cederet: ex quo fœdere Aragonij in Trinacria regium nomen sibi asseruerunt.

Ludouici in Italiam ingressus.

a To.6.ep. secr. 612. 657. ad 678.

Legato obijcienti censuras responsū.

b Io. Vill. l. 12. c. 105.

c Cap. 110

Pax Ioannam inter & Trinacrium percussa.

d To.5.ep. secr. 1256

Affert illius leges Fazellus his verbis [e]: *Officiosa legatorum relatione atque opera pax demum inter Ioannam & Ludouicum* Regem, *omnesque Siciliæ proceres anno salutis* MCCCXLVII. *pridie nonas nouembris his pactis inita est, vt Siciliæ regnum perpetuo apud Ludouicum esset, qui præ annuo censu ad vnciarum tria millia* Romano *Pontifici in festo Apostolorum Petri & Pauli Reginæ Ioannæ nomine pendenda teneretur: vt idem, si regnum Neapolitanum ab hoste quandoque inuaderetur, classem triremium quindecim ad trimestre cum soluto milite auxiliarem mitteret: Ioanna vero Regina ius, si quod in Sicilia & insulis abiacentibus habebat, Ludouico in perpetuum cederet: Romanus quoque Pontifex Siculos & Regem a diris, & præteritorum annorum censibus absolueret, pacemque probaret.* Pactæ sunt eæ fœderis leges inconsulto summo Pontifice. Quibus auditis Clemens hæc rescripsit [f] Bertrando Cardinali legato.

e Fazel. dec. poster. l.9. c.5.

Illius pactiones.

De tractatu habito inter eandem Reginā & occupatores Siciliæ valde miramur, nam per manus nostras tractatum habere poterant meliorem. Sed si datum erat, vt sic huiusmodi concordia fieret, minus molestum nobis est, quod Reginæ tantum suoque consilio, si quod minus prouide factum est, valeat imputari: nos enim super ea, quod Romanam concernit ecclesiam, proponimus sicut erit expediens prouidere: nec intentionis nostræ est, quod Regina octo millia, & detentores præfati tria millia vnciarum iuxta ordinationem felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri apostolicæ cameræ singulis annis soluantur, &c. Dat. Auin. idib. nouembris anno VI. Atque hactenus de rebus Siculis: iam Romanas & theatralis tribuni vniuersum orbem subigere meditantis, ac leges dantis imperatoribus, molitiones insolentes aggredimur.

f To.6.ep. secr. 815.

Initæ inconsulto Pontifice.

Suis rationibus prospicere decernit Clemens.

13 Corripuit hoc anno tyrannidem in Vrbe [g], captata absentiæ Pontificum occasione, insignis impostor Nicolaus Laurentius cum popularem beneuolentiam restituendæ antiquæ amplitudini Romanæ reipublicæ inani ostentatione collegisset. Natus erat ex obscurissimo genere, matre pannorum lotrice, patre tabernario: in eam tamen superbiam elatus est, vt leuibus successibus inflatus Cæsarum maiestatem æquare, vniuersumque orbem sibi subijcere affectaret, imperialiaque ornamenta susciperet. Eloquentia fuit is admirabili, insatiabili gloriæ animo: iustitiæ vindex acerrimus initio, dum sibi studium populare putauit necessarium: dolorum mirus artifex, vt cum pontificiam dignitatem op-

g Vita Nicol. Laur. c.11.

Nicolai Laurentij dotes.

pu-

pugnaret, se ad illam asserendam incumbere gloriaretur: hypocrita scelestissimus, magorum a enim & dæmonum b societate inquinatus, pietatis laruam sibi asciscebat, vt sanctorum sibi victorias spondentium colloquijs frui ementiretur.

a To. 6. ep. secr. 88c. b Vit. Nic. c. 2. &c.

Eiusdem artes ad conciliandum sibi populare studium.

Hic igitur cũ cæsareos apices volueret animo, mellitis verbis subornare populum cœpit atque secretis & publicis conuenticulis ac sermonibus ad libertatem dignitatemque pristinam excitare: adducere in inuidiam illos, qui iustitiam administrabant: plura de se polliceri: propositis emblematibus curiosorum oculos pascere; captataque procerum ex Vrbe absentium occasione, populum ad publicam rem a tyrannis labefactatam constabiliendam vocare ad capitolium. Ita a populo, quem eloquentia sua subornarat, impetrauit sacro pentecostes peruigilio, vt rector Vrbis vna cum Raimundo episcopo Vrbeuetano in diuinis pontificio vicario crearetur c, ea lege, si Romano Pontifici grata res & accepta accederet.

Vrbis administrationem corripit.

c To. 6. ep. secr. 76.

Potitus votis homo vaferrimus contestatus d est, se rem publicam, vt pontificia tantum iura tueretur, ac populi salutem curaret, capessere: ac mollioribus verborum lenocinijs, vt in munere a Clemente confirmaretur, flagitauit e. Doli ac seditionis a nefario homine concitatæ ignarus Pontifex, certis legibus, quas consulturus sedis Apostolicæ in Vrbe imperio exposuit, promissis a Nicolao Laurentio de tuendo honore pontificio factis adductus assensit f: *Quamquam*, inquit, *huiusmodi electio fieri sine nostra licentia minime debuisset, cum præter hoc, quod plenum in dicta Vrbe dominium habemus, præfatus populus omnia dictæ vrbis officia, prout ad eos pertinebant nobis in nostræ promotionis primordijs ad apicem apostolicæ dignitatis concorditer & vnanimiter concessisset.*

d Ib. ep. 469. e Ep. 240.

f Super. ep 469. Assentitur initio Clemens.

Tribunitiam potestatem sibi arrogat Nicol.

g Vit. Nic. Laur. c. 6.

Arrepta inde Nicolaus tribunitia potestate, neque expectata Clementis voluntate, solemni pompa instructa ad basilicas primum Lateranensem, deinde Vaticanam superbissimo cultu, præferens manu sceptrum, perrexit g: vtque imperiales pompas æquaret, spargi quacumque ibat pecunias iussit. Trahebat hoc splendore ad stuporem non Romanos modo, sed finitimos populos, quos subornabat literis, sui esse consilij Italos ad pristinam dignitatem libertatemque excitare. Ac recurrentibus kal. augusti equestrem baltheum magna celebritate sumere decreuit h, in qua non Christianos ritus, sed sacrilegos, quos sibi finxerat, vsurpauit. In sacra enim concha, in qua Constantinus magnus olim a S. Siluestro Papa baptismo ablutus, atque a lepra mundatus, fuerat, quæ ad commendandam miraculi memoriam religiose asseruatur, ac Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus venerationi fuerat, lotricis & tabernarij filius impurum corpus lauit, ac deinde baltheo militari a Vico Scotto, prænobili ciue Romano, gladio accinctus vesania incredibili lectum splendidum iuxta baptismales fontes sterni iussit, vt in loco sacro homo profanus quiesceret. Vertit vero prodigio vitæ Nicolai auctor i, lectum etsi nouum ac bene compactum mox, atque in illud sacrilegus insilijt, concidisse ac Latina verba Italicis interijcit: *Et sic in nocte silenti mansit.*

Eiusdem iactantia.

h To. 6. ep. secr. 240.

Et superba impietas.

i Vit. Nic. Laur. c. 10.

Insequenti die equestri cultu indutus in sacello Bonifaciano Lateranensis basilicæ rei diuinæ quæ solemni ritu peragebatur, magna procerum multitudine stipatus interfuit, sed vt profanaret. Inter solemnia enim Nicolaus ad populum progressus sonanti & profusa voce Clementem VI. Romanum Pontificem, vt sedem Apostolicam in Vrbem reduceret, citauit a: deinde collegium Cardinalium, vt titulares ecclesias curarent: ac demum Carolum Boemum ac Ludouicum Bauarum in imperio æmulos, vt suæ electionis iura ostenderent, agnoscerentque electionis iura, intermisso aliquanto tempore, ad Romanos deuoluta. De quibus plures historici meminere interque alios subiectis verbis M. S. Vaticani auctor b: *Anno Domini* MCCCXLVII. *populus Romanus, nobilium Vrbis regimine tyrannico conculcatus, quemdam Nicolaum Laurentij notarium vrbis in tribunum elegit: qui populi fretus auxilio multos nobilium occidit, seque lauari faciens in concha, qua olim Constantinus mundatus est a lepra, ipse die sancto pentecostes miles factus, talem titulum sibi fecit: Candidatus Spiritus sancti miles Nicolaus seuerus & clemens, liberator Vrbis, zelator Italiæ, amator orbis, & tribunus Augustus. Iste, gubernando Vrbem, pacem multam in ea & vicinis eius fecit: dominum Carolum electum & electores coram se citari mandauit, docturos de iure suo: & alia multa fecit, quæ dignitati & iuri ecclesiæ & imperij derogabant.*

Et impudentia in citando Pontifice.

a Cap. 11. Alb. Arg. in chron. & alij. Et Cæsare & electoribus.

b M.S. bib. Vat. sign. n. 3765. pag. 32.

Arreptis ab eo consuli.

14 Proposito vesano edicto Nicolaus, vt superba consilia vniuersi orbis sibi subijciendi explicaret, educto e vagina ferro, aerem ad tres mundi partes conuersus, repetita ter verborum adiectione: *Hæc ad me pertinent*, dixisit. Stabat ad hæc vehementi stupore defixus collega Nicolai Vrbeuetanus episcopus vicarius pontificius, ac palam est professus, his se non assentiri, neque ea e Clementis Papæ conscientia emanare: ac publicas illico tabulas ea de re confici a tabellione iussit c. Sed tyrannus, vt illius vocem obrueret, tubis clangere imperauit: aspiransque ad maiora, sacrum assumptæ Virgini diem ad sumendam lauream constituit d, qua veteres tribuni olim insigniri iactabat, atque Italicarũ vrbium sindicos Romam conuocauit, cum persuasisset e, ad publicam securitatem libertatemque Italiæ ac felicitatem populorum a se solemnes cœtus agitatum iri; percussitq; nouum pecuniæ genus. De cuius temerarijs ausis ita queritur Clemens in literis ad Bertrandum Card. legatum datis. f

Mimica eiusdem ludibria.

c Vit. Nic. Laur. c. 11 Lauream tribunitiã accipit. d To. 5. ep. secr. 240. e Io. Vill. l. 12. c. 86. Pontificiam ditionem sibi subijcere nititur. f Super. ep. 240.

Dicti episcopus & Nicolaus, antequam dictæ nostræ literæ ad eos peruenissent, eorum ad nos ambaxatores & nuntios destinantes, humiliter petierunt, vt eos confirmare in tribunatus officio, vel huiusmodi eis de nouo concedere officium dignaremur. Cumque nos cum fratribus nostris deliberaremus, quid super eo foret agẽdum, intelleximus ex insinuatione multorum, quod dictus Nicolaus concesso per nos ei rectoriæ titulo non contentus, sed adhuc intitulans se tribunum, kal. augusti proximo præteritis cum nonnullis conciuibus suis cingulum militare susceperat, & ad suscipiendam lauream qua, vt asserit, consueuerant antiquis temporibus tribuni, proximo præteritum tunc futurum, diẽ assumptionis B. Mariæ Virginis assignauit; & quod ad coronationem huiusmodi omnium ciuitatum et insignium locorum Italiæ sindicos conuocauit, quodque monetam nouam cudere, ac alia plurima innouare iam cœpit: & inter alias nouitates nonnullis cõmunitatibus singularibusq; personis terrarũ ecclesiæ diuersa dicitur direxisse mãdata; eisq; vectigaliũ imposuisse onera insueta. Ex quibus videtur ad occupationẽ & vsurpationem terrarum eiusdem ecclesiæ tendere, ipsasque terras dominio ecclesiæ præfatæ subtrahere, ac Ro-

Indicti ab eo publici Italorum cœtus.

ma-

mane subijcere ditioni, etc. Dat. Auin. x i i. kal. septembris anno vi.

15 Aspirabat sine dubio ad nefaria ea consilia Nicolaus, atque suo illo temerario & insano edicto kalendis augusti pronunciato concessa a Constantino, Carolo, Othone, S. Henrico, alijsque Imperatoribus priuilegia Romanæ ecclesiæ resciderat: ac tanquam Iulio Cæsari suppar illius simium se finxit, & lauream coronam accepturus, vt maiori religionis supercilio gentilitios titus sectaretur, illam in S. Laurentij basilica, quæ extra Vrbis mœnia est, sacrari iussita. Nec scenicus imperator vna contentus corona, sumendas septem decreuit, vt nimirum septem donis Spiritus sancti, totidem coronis adumbratis, ornatus videretur. Quo vero ritu celebratæ hæ ineptiæ apud Hocsemium describuntur b quem lector consulat. Idem vero vir vafer vt Italos deliniret, garrire cœpit ad eos potissime Romani Cæsaris creandi ius spectare, vtque suo iure vterentur excitare. De quo Pontifex Carolum Cæsarem vt suis rebus Germaniæque dignitati prospiceret, admonuit c.

Septem coronas inepte sibi conferri iubet.

a Nicol. Laur. in lit. ad Raynald. de Vrsin. quæ ext. apud Hocsem. b Hocsem. in lib. 2. c. 35. c To. 6. ep. secr. 908.

Vt Carolum & electores citarit.

Attende quæ tibi & tuis negotijs possent, quod auertat Dominus, ex ijs pericula imminere: nam idem Nicolaus, originariæ conditionis oblitus, fatua insanaque præsumptione ad fastigium cæsareæ dignitatis aspirans, post citationes derisorias, per eum de te ac electoribus imperij attentatas, misit ad nonnullas ciuitates Italiæ nuntios & ambassiatores suos, per quos eisdem ciuitatibus certas voces in electione Romani Imperatoris, quantum in se fuit, obtulit & concessit, non sine graui ipsius ecclesiæ, ac tua & dictorum electorum iniuria manifesta; petens, quod ciuitates ipsæ in festo resurrectionis dominicæ ipsarum nuntios Romam transmitterent pro electione Imperatoris inibi celebranda. Permulsere eæ Nicolai illecebræ plures Italos, quibus indignum videbatur in creando Romano Cæsare ipsos ad comitia non vocari; celebrarique sociarum vrbium conuentus Nicolai famam & auctoritatem admodum auxere: tantusque paucissimis mensibus comparatus splendor poetas atque oratores ad Nicolai Laurentij celebrandas laudes excitauit, inter quos a Petrarcha elegantissima conscripta oratio panegyrica d. Præterea plures principes ad consectandam ipsius amicitiam traxit. e Vtque Veneros & Luchinum Vicecomitem mittamus, Ludouicus Bauarus, qui Germaniæ magnæ parti imperitabat, Ludouicus Vngariæ Rex, ac Ioanna Regina Siciliæ, alijque principes Siculi illius fœdus, missis oratoribus, cum eo inire studuerunt: immo Vngari & Siculi oratores coram illius tribunali multis accusationibus ac purgationibus disceptarunt. Cum vero Pontifex Vngarum studere Nicolao accepisset, Carolum Cæsarem monuit f, vt oratores ad Ludouicum Regem decerneret, qui illum ab omni fœdere cum Nicolao Laurentio abducerent, vtpote qui non ad ipsius Regis honorem, sed ad sua fœda & turpia commoda inhiaret.

De creando Imp. agitarit.

Plurimũ sibi splendorem cõparat.

d Ext. inter opera Petrarc. e Vit. Nic. Laur. c. 9.

Salutant eum missis oratoribus, Reges.

f Ead. ep. secr. 908.

Fingebat Nicolaus Vngarum inter ac Ioannam futurum pacis interpretem, vt Pontifici scribebat g: *Recepti*, inquit, *etiam ambasciatores Reginæ Ioannæ ac vicarij Regis Vngariæ, Aquilæ permanentis, de causa dissensionis eorum, compromittendo in me: & super quiete regni missi ambasciatam solemnem ad Reginam & vicarium supradictos.* At Nicolaũ ipsum Reginã pellere regno meditatum, initis cum Ludouico Rege Vngariæ arcanis fœderibus, ac comitatũ Prouinciæ ad Ioannam spectantem in Romani populi ditionem redacturum iactasse, literæ pontificiæ doceat a. Immo Ludouicum Vngariæ Regem circumuenire, atque vna cum Ludouico Bauaro de subijcienda illi Sicilia egisse, misso oratore mago, grauissimæ fuer Clementis querelæ in datis ad Bertrandum Cardinalem A. S. L. literis b: *Vt prauæ*, inquit, *ac stultitia mentis Nicolai præfati clarius cognoscas effectum, nec te affectio, quam habet ad regnum Siciliæ lateat; scire te volumus, quod dudum homo iste, ab humanitate qualibet segregatus, tanquã tribunus duos Theutonicos, quorum vnus Theodoricus & alter Albertus proprio nomine appellantur, & quorum alter nigromãticus magnum habere diaboli ferebatur inclusum, ad damnatæ memoriæ Ludouicum de Bauaria tunc viuentem cum literis suis de credentia (in quibus quidem literis eundem Ludouicum, vt Rom. Imperatorem alloqui non erubuit) destinauit. Ac idem Ludouicus, literis & nuncijs receptis huiusmodi, credentiam nuntijs prædictis impositam habere voluit, & habuit in vulgari lingua Theutonica ab eisdem, quam translatam postmodum in Latinum interclusa literis nostris cedula continet seriose. Dat. Auin. x i i. non. decembris anno vi.*

g Ext. apud Hocsem. c. 35. in Engelb. e Mare.

a To. 6. ep. secr. 469.

Cum Bauaro de subijciendo illi Neapolitano regno agitat.

b Ib. ep. secr. 881.

Excepisse Nicolaum Ludouici Bauari oratores, Nicolai ipsius vitæ auctor refert c: sed sparsisse in vulgus solicitatum venisse, vt inter Pontificem ac Ludouicum concordiæ interpres esset. Alia vero ab his consilia agitabantur, & Nicolaus Bauari potentia tyrannidem constabilire nitebatur. Nouandarum porro in Sicilia citeriori rerum intestini tumultus occasionem præbuere, cum inter cæteros populos Caietani ciues, missis oratoribus, se suaque Nicolao Laurentio obtulerint d, ac dono etiam decem aureorum millia miserint. Neque Vrbis dominatu contentus, circumiectam ditionem ecclesiasticam proferendi imperij studio sibi subijcere est aggressus: tantumque scelus magnificis verbis colorare est nisus, vocati nimirum se a populis ad publicam eorum rem reuocandę iustitiæ causa capessendam: quæ dolosis verbis vni ex Cardinalibus significare non est veritus. His autem auditis Pontifex prouinciæ præfectum arces fortissimo præsidio munire iussit. e

c Vit. Nic. Laur. c. 9.

Caietani se illi offerunt.

d Ib. c. 9.

Pontificiam ditionem inuadit.

Clemens, &c. Petro de Pina vicerectori patrimonij nostri B. Petri in Tuscia.

e To. 6. ep. secr. 355.

Nicolaus Laurentij ciuis Romanus, qui intitulat se tribunum, cuidam ex fratribus nostris quasdam literas destinauit, in quibus inter alia continebatur clausula quædam, cuius tenor talis est: *Nouerit paternitatis vestræ benignitas, quod hodie primo septembris quasi omnes terræ de Sabina & Patrimonio propter iniusta grauamina, quæ ab officialibus ecclesiæ, quod cum pudore referimus, Deo teste, inferuntur eisdem, & vt liberentur a rabie tyrannorum, & possint vitam ducere in iustitia & pace securam, per sindicos eorum ad hoc legitime ordinatos nobis eorum regimen cum lacrymis supplices commiserunt: quos nos, quia populorum grauamina qualibet de compassionis nostræ præcordia velut quædam transeunt acuta venabula, procurabimus (non ecclesiæ sanctæ præiudicium vel offensam, pro cuius ecclesiæ sanctæ causa fouenda, & pro tuenda iustitia, ad quam ardenter aspirat desiderium cordis nostri, mortem etiam non timemus) omne salubre, quod poterimus, remedium adhibere.* Quocirca discretioni tuæ, per apostolica scripta mandamus, quatenus de terris & locis commissæ tibi prouinciæ solicite curam gerens, adhibeas celeriter omne quod poteris remedium in præmissis, terras & loca prædicta, sed specialiter roccas & for-

Quos scelori præteriuerit fucos.

fortalitia tute muniens, & custodiens diligenter, &c. *Dat. Auin. xii. kal. octobris anno vi.* Antequam hæ literæ ad prouinciæ præsidem peruenirent, iam multa oppida Nicolaus inuaserat, vt ipse gloriatur [a], proceresque exagitabat. Ad quem reprimendum Pontifex Bertrandum Cardinalem in Neapolitano regno legatum, de quo paulo ante memoraui, subiectis monitis mandatisque instruxit. [b]

Iubet Clemens arces militibus muniri.

[a] In literis suis apud Hocsem. c. 35.

[b] To. 6. ep. secr. 489.

Clemens, &c. Bertrando Cardinali

A. S. L.

16 Tu quoque præfatum Nicolaum, vt ab huiusmodi suis prauis actibus & profanis excessibus deinceps abstineat, & quæ contra dictam ecclesiam, terras & iura occupando & vsurpando, ac subditis illius insolita onera imponendo; nec non contra totum orbem, specialiter contra dictum vicarium, ac dilectos filios nobiles Vrbis eiusdem, & charissimam in Christo filiam nostram Ioannam Reginam Siciliæ illustrem, quo ad comitatum suum Prouinciæ, quem cameram dictorum populi mendaciter fore * ac super tractatibus, vt fertur, secrete habitis cum charissimo in Christo filio nostro Ludouico Rege Vngariæ illustri; nec non de citatione charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Romanorum illustris, & electorum principum Alamanniæ imperij, ac Ludouici de Bauaria a Deo & eadem ecclesia iusto iudicio reprobati, quem ducem Bauariæ non erubuit pollutis labijs appellare, ac de fatue promulgatis per eum sine lege legibus, & de generali reuocatione hactenus concessorum in derogationem primatus, vt videtur, & potestatis eiusdem ecclesiæ, licet de facto attentare præsumpsit, quanquam nullam substantiam habeant; consulte ac solemniter reuocare studeas, & alia facias, quæ pro tantæ culpę ac transgressionis emenda tuæ prudentiæ videbuntur. Et si proprios nolit egredi terminos, sed Vrbis eiusdem contentus regimine, attentata per eum, sicut prædicitur, in præiudicium ecclesiæ & orbis prædictorum reuocare, nobisque ac successoribus nostris iuramentum fidelitatis præstare voluerit, toleres eum in concesso per nos sibi officio, aut solum aut simul cum præfato vicario, quem dicitur expulisse, vel cum aliquo alio ad eiusdem Vrbis regimen, si & prout tibi videbitur expedire; receptis tamen prius ab eo per te, quod ipsam ecclesiam debita reuerentia prosequetur, & quod contra eam eiusque terras & iura nihil omnino præsumet, cautionibus iuratorijs, & alijs sufficientibus; ac prouiso, quod sufficienter se obliget & cõsentiat, quod ex nunc feratur in eum excommunicationis sententia, quam ipso facto incurrat, si contrarium eorum, quæ promiserit, attentaret: quanquam existimemus probabiliter & credamus, quod promissiones suæ parum habituræ sint firmitatis. Verum si tibi omnino intolerabilis videatur, priues eum commissu per nos ei huiusmodi officio rectoriæ, & omni titulo vsurpato per ipsum vel sibi concesso, licet de facto, per dictos populum quouis modo: ac eisdem Vrbi & populo de senatoribus forensibus, siue de populo, aut alijs, sicut attentis & pensatis diligenter conditionibus & circumstantijs negotiorum & temporis videris vtilius expedire, studeas prouidere, &c.]

* iactat,

Monet legatũ Neapolit. de coitionib. Nicolai Laurentij.

Cogat illum ad reuocanda, quæ stulte præsumpsit.

Non labefactanda iura ecclesiastica.

Stricte stet munere exauctoret.

Addit Pontifex, vt si Nicolaus in suscepto scelere obfirmatus fuerit, & erepta ecclesiæ restituere, ac male tentata rescindere detrectarit, apostolica diplomata in ditionis ecclesiasticę inuasores confecta promulget: accersat illum in iudicium apud sedem Apostolicam, publicas tabulas de eius flagitijs instruat; & cum multa patrarit, ob quæ hæresis infamia laboret, perpendat an eo crimine aspersus sit, vel hæreticis studio inhæserit, ac tum vt in hæreticum censuras distringat. Cæterum sciat Nicolaum cauillis superbe monita sibi a Bernardino pœnitentiario pontificio data elusisse, atque omnia in ecclesiæ ac Pontificis honorem a se geri mille fucis ac verborum lenocinijs venditare: proinde dandam operam, vt malum, antequam adolescat, præfocetur: præmonendum populum, vt se a Nicolai consortio ac studio seiungat; ac si fauere perrexerit, Vrbem ecclesiastico interdicto, dicta prius ipsis die, percellendam: omnia vero sacramenta, quibus Nicolao adacti fuerint, ne religio impietatis sit vinculum, dissoluenda; atque hæc & alia ipsius arbitrio ac prudentiæ se committere. Cum vero armis frangenda sit proterui hominis audacia, præfecisse se patrimonio beati Petri nepotem suum Guichardum e Cambornio. Si necessitas ferat, se principum auxilia imploraturum, neque ipsos defuturos: ac, si ita videatur, fœdus cum nonnullis vicinis ecclesiæ conditionibus honestis percutiat, vt eorum opera Nicolai vesaniam infringat. *Dat. Auin. iv. id. octobris anno vi.*

Iudiciaria seueritate coerceat.

Verbis vim addat.

17 Acceptis apostolicis imperijs, Bertrandus Card. legatus Romam se contulit, atque e Vaticano palatio Nicolaũ Laurentium Romana castra apud Marinũ metatũ in Vrbem ad iussa pontificia audienda exciuit [a], a quo superbe & impudenter habitus est. Cum frangere clementia ad officium Nicolaum non potuisset Clemens, illum armis edomare aggressus, legato copias in eum instruere, & Vrsinos ac Columnenses sibi conciliare [b] iussit, tũ Romanos admonuit in ipsos vniuersum orbem, ac præcipue Germanos, si Nicolai eloquentia subornari se paterentur, concitatum iri.

[a] Vit. Nic. Laur. c. 23.

[b] Clem. l. 6 ep. secr. 881.

Clemens, &c. dilectis filijs populo Romano nostris & ecclesiæ Romanæ fidelibus & deuotis.

Decreuimus ex ipsius Nicolai temerarijs fatuisque processibus, immo grauibus & periculosis excessibus atque culpis, aliqua præsentibus inserenda, vt eis coram vobis expositis, & per vos in examen prouidæ ac maturæ discussionis adductis, consideretis quæ, quot, & quanta sunt vobis, nisi per opportunæ prouisionis remedium ante tempus salubriter occurratur, animarum & corporum inde nascitura pericula, rerumque dispendia prouentura; & ad obuiandum huiusmodi periculis atque dispendijs, tanto attentius operam necessariæ solicitudinis impendatis, quanto vt nostis morbis, postquam per moram vires susceperint minus vtiliter medela paratur. Dudum siquidem, cum venerabilem fratrem nostrum Raimundum episcopum Vrbeuetanum in spiritualibus in Vrbe vicarium nostrum, & eundem Nicolaum ad ipsius Vrbis regimen elegistis de facto tantum, quia præter id, quod in dicta Vrbe plenum spirituale ac temporale dominium obtinemus, omnia ipsius Vrbis officia, prout & quæ ad vos pertinebant, nobis in promotionis nostræ primordijs ad apicem apostolicæ dignitatis ad vitam nostram concorditer commisistis, nosque illa sub certis protestationibus duximus acceptanda; nos id non solum æquo animo tulimus, sed vt nostræ dilectionis exuberantis erga vos plenius innotesceret affectus, ipsos vobis in rectores præfecimus vsque ad nostræ beneplacitum voluntatis, credentes probabiliter & sperantes, quod eadem Vrbs sub co-

Clementis ad Romanos literæ.

De episcopo Vrbeuet. & Nicolao Lauren. præfectis Romanæ rei

eorum regimine prosperitatis & statue iherementa susciperet, ac tranquillitatis & pacis commodis lætaretur: quodque idem Nicolaus, in quem omnium vestrum, qui estis, sicut prædicitur, peculiaris populus, ac speciales fideles filij & deuoti ecclesiæ eiusdem, vota conuenerant eligentium, fidem & deuotionem erga vos & ecclesiam eandem respiciens, ac vestram benignitatem in hac parte considerans; nec minus beneficia, fauores, prærogatiuas, gratias, quibus eum vltra, immo præter merita sua prosecuti fuimus, debita gratitudine recompensans, fidelis deuotus esset eidem ecclesiæ, iura manuteneret & conseruaret illius, eaque ab occupatorum eriperet manibus, & potentiæ vestræ sibi assistentis auxilio teneret. Verum ipse fauore sibi commissi regiminis intumescens, & subito notitiam sui perdens, quas nobis & eidem ecclesiæ pro huiusmodi gratijs, honoribus, & beneficijs vices & gratiarum actiones exoluerit, vt pauca excipiamus ex multis, si diligenter attenditis, perpenditis.

Queritur Clemens electum fuisse episcopum a Nicolao.

28 Sicut enim communis habet assertio, sicut vulgaris sermo denuntiat, sicut fama publica notoriat, præfatus Nicolaus, commisso eidem episcopo & sibi officio nõ contentus, sed corde vanus vanos titulos imprudenter vsurpans, ac vestra postposita & neglecta vtilitate communi, ad quam fallacis hominis simulata voluntas tendere videbatur; ad propria commoda inhians, eundem episcopum, ex cuius collegio conditioni suæ multus nimis honor accreuerat, ab huiusmodi officio repulit: qui eiusdem Nicolai execrabilia facinora execratus, in eadem Vrbe noluit remanere. Ipse spirituales & temporales, quibus inuasores & occupatores terrarum & iurium ipsius ecclesiæ subiacent, pœnas sententiasque non veritus nec timens, contra se Deum, nos, & eandem ecclesiam grauiter prouocare, ad occupationem terrarum & iurium ipsius ecclesiæ sacrilegas manus extendere, ac subditis illius grauia & insolita vectigalium imponere onera non expauit.

Ipse quoque paraonicam peluim, in qua miserationis diuinæ potentia diuæ memoriæ Constantinum per beatum Siluestrum sacra regenerauit vada baptismatis, & a lepræ contagio miraculose mundauit, quæue in venerabili Lateranensi basilica velut sacra res venerabiliter conseruatur, originariæ conditionis oblitus, se contagiosum immundumque vitijs, militare cingulum suscepturus immergens, quantum in se fuit, ausu damnabili profanauit, ebriosior quippe fastu elatione superbiæ, quam temulentus fuerat Balthasar ille vino. Ille, inquam, vasa templi Domini, quod fuit in Ierusalem, sumendo pocula polluit: hic autem immunda qualiber & sordida membra perfundens aqua fœdauit vas templi Domini, quod est Romæ.

Eundem æmulari gentilitios ritus.

Ipse Christianæ religionis mores abijciens; & priscos gentilium ritus amplectens, vanas coronas laureasque suscepit, ac fatuas sine lege leges more Cæsarum promulgare tentauit. Ipse tanquam pullus onagri, se liberum natum putans, qui subesse non didicit, cupit cum nesciat, ambitiose præesse, ac velut ille Lucifer prauo corde conscendere meditatus est in cœlum, præsumptionis suæ solium, vt sedeat aquilonis in latere, super astra cœli & altitudinem nubium stultus arrogans nititur exaltare. Ipse, cuius interiora iniquitate repleta sunt, & qui peccare non cessat, primatum ecclesiæ præfatæ subuertere, ac totius orbis statum nititur conturbare.

Carolo & Bauaro dicam indixisse.

Ipse infimum erigens cor ad alta, charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Romanorum illustrem, ad imperiale fastigium electum legitime, riteque ab eadem ecclesia approbatum, & inueteratum illum dierum malorum Ludouicum olim ducem Bauariæ dudum in Regem Romanorum in discordia (vt dicebatur) electum, a Deo & eadem ecclesia iudicio reprobatum, ac omni iure, si quod sibi ad regnum vel imperium Romanorum quomodolibet competebat, omnique titulo & honore ac dignitate priuatum, cuius memoria in maledictione est, & quem pollutis labijs non erubuit, sed præsumpsit appellare ducem Bauariæ; ac principes ecclesiasticos & seculares electores imperij generaliter primo, & deinde nominatim de facto citauit, vt videlicet Rex & Ludouicus ad ostendendum de iure electionum suarum, ac electores prædicti de potestate eligendi coram eo Romæ personaliter, & peremptorie comparerent; ac nihilominus quibusdam ciuitatibus Italiæ, certas voces in electione Romani Imperatoris obtulit vel concessit, quasi sua intersit de huiusmodi electionum iure ac eligentium potestate cognoscere, & de statu Romani imperij ordinare, vt fauorem vestrum & aliorum populorum Italiæ per huiusmodi adulationes subdolas, & derisoria blandimenta sibi attrahat, & ad fastigium Cæsareæ dignitatis, ad quod insani hominis aspirat insania fatuaque præsumptio, ruat potius quam ascendat: non attendens antichristi præcursor, homo peccati, releuatus in gentibus, filius perditionis, qui aduersatur seque extollit super omne, quod dicitur, aut quod colitur Deus, quot vobis dispendia ex ijs congerit, quæ parat pericula, & incommoda quanta procurat, dum contra vos Regis & aliorum principum prædictorum, ac omnium Germanorum corda commouet, prouocat iram, incitat & furorem, ac nostrum & ipsius ecclesiæ fauorem vobis subtrahere, vosque a nostra & ipsius ecclesiæ auertere deuotione laborat.

Nonnullis Italis vrbibus eligendi Cæsaris ius fictitium concessisse.

Cæsaream speciem ambire.

Reuocasse donationes a condita Vrbis tempore factas.

Concessiones quoque a conditæ Vrbis tempore factas per populum Romanum, quibuscumque personis, de quibusuis iuribus & iurisdictionibus, honoribus, dignitatibus, priuilegijs, atque rebus, de facto, cum de iure non posset, reuocare damnabili immo damnanda temeritate præsumpsit.

Impium dogma circa ecclesiæ principatum fudisse.

29 Ipse omni dolo plenus, omnique fallacia, diaboli filius, iustitiæ inimicus, bestia monstruosa, super capita cuius blasphemiæ nomina scripta sunt, contra eandem sanctam, catholicam, & vniuersalem ecclesiam blasphemare non metuens præfatam ecclesiam ciuitatemque Romanam idem esse asseruit, aliaque plura euomuit impudenter erronea fidei catholicæ inimica, per quæ de schismate ac hæresi suspectum se reddidit, & vtinam non infectum. Ipse in alienam messem falcem, quam præsumptuosus vsurpat, immittens clericos Romanos manentes extra Vrbem eandem, vt ad eandem redeant proposito edicto citauit: ac sententias canonum pœnasque non metuens, quamplures religiosos & seculares clericos arctauit & arctat angustia carcerali. Hæc sunt eiusdem Nicolai opera: hæc & alia similia magnifica gesta sua: hæc vtilitates & honores & commoda Vrbis & vestra, quibus se insudare iactabat; hæc sunt tributa eius, qui tribunum se nominat, quæ nobis & ecclesiæ præfatæ retribuit pro tot, quæ retribuimus nos eidem: vt

Cum Lud. Bau. fœdus coiuisse.

fœda fœdera vnionis & ligæ, per eum profa-

num

num vtique Dei hostem ab eodem Ludouico, quem in suis literis vt Romanorum Imperatorem alloqui & salutare non metuit, damnabiliter postulaes, quæ super lignum sanctæ crucis iuramento præstito se obtulit seruaturum; & oblatam libere possessionem regni Siciliæ ipsi Ludouico pro vno ex ipsius vipereæ nationis filijs, quem propterea destinari petijt, taceamus.

Vni ex filijs Siciliā detulisse.

30 Et licet zelus domus Domini, cuius gubernationem quamuis immeriti gerimus, ad obuiandum tam iniquis, tamque impijs conatibus nos vrgeret; nos tamen desiderantes attente more pij patris lenimento clementiæ Nicolaum eundem ab inuio erroris retrahere, & ad viam reducere veritatis, ne adhibere ferrum ad curationem vulnerum cogeremur Ipsius, si fomentorum sperneret medicinam, apud eum per dilectum filium nostrum Bertrandum tit. S. Marci presbyterum Cardinalem A. S. L. paternis instimus monitis, vt huiusmodi fatuitates erroneas atque pestiferas, ex quibus vobis & detrimenta grauia spiritualiter & temporaliter imminebant & imminent, omnino deponeret, & ad salubre ipsius Vrbis regimen & statum prospere dirigendum, contentus proprijs terminis, cogitatus erigeret, conuerteret studia, & opera exerceret; eandem ecclesiam in dominam reuereretur & matrem, errata corrigeret, pro commissis veniam peteret, & a committendis de cætero abstineret: occupata per eum ipsius ecclesiæ iura dimitteret, & ab occupandis manus sacrilegas reuocaret. Sed ipse monita patris ohaudiens & contemnens, ac medicum respuens & medelam, quo eum patientius tolerauimus, eo intumuit potius, eo amplius superbiuit, quasi adeo sit imminuta potentia Domini, qui Balthazar Regem post libata pocula eadem nocte iussit occidi, regnumque suum Parthis diuisit & Medis: quique Luciferum ad infernum demersit in lacum, eumque de sepulchro suo proijciens velut inutilem stirpem, sanieque pollutam cum interfectis gladio deputauit, & Cherub perdidit, de cuius medio, qui eum comederet eduxit: quique subuertentem magum ad vocem Apostoli cæcitate percussit, & illustratione aduentus destruet, ac spiritu oris eius interficiet antichristum, bestiamque blasphemam dejecit in stagnum ignis & sulphuris cruciandam; vt non possit ipsius Nicolai cornua elata confringere, iniquitati ponere terminum, & linguam prohibere blasphemam.

Monitum officij a Card. legato.

Obduruisse in perfidia.

Non defuturam diuinam vindictam.

Quocirca vniuersitatem vestram monemus, requirimus, & rogamus attente, ac paternis vobis sanisque consilijs suademus, quatenus præmissa & alia multa, quæ circa hæc prouidæ considerationi possent occurrere, attenta meditatione pensantes, ab omni eiusdem Nicolai sequela, consilio, auxilio, & fauore penitus desistatis, & eum, cuius nequitia serpit vt coluber, mordet vt cancer, inficit vt venenum, in suis erroribus relinquentes, ac velut morbidum pecus totum contagio suo gregem contaminans repellentes, in ipsius ecclesiæ obedientia & reuerentia persistatis, eius monita & mandata solito more suscipientes humiliter, ac efficaciter adimplentes: si enim, sicut speramus & credimus, in nostra & ecclesiæ præfatæ persiteritis obedientia & deuotione sincera, vos velut speciales, deuotos & fideles ipsius ecclesiæ filios gratis fauoribus & fauorabilibus gratijs, præstante Domino, paternis & sinceris affectibus prosequemur. *Dat. Auin.* 111. *non. decembris anno* VI.

Solicitati Romani, vt Nicolai partes damnent.

31 Antequam hæc scriberet Pontifex, ac Nicolaum hostem sedis Apostolicæ pronuntiaret, Columnenses qui Præneste magnis præsidijs instruxerāt, insignem ad Vrbis portas cladem accepere a. Ex qua insolescens Nicolaus Laurentius se gulæ, luxui, auaritiæ, tyrannidi dedidit b: verum eum Bertrandus Cardinalis legatus illum anathemate percussisset, atque hæreseos infamia notasset, exinde improbi hominis existimatio obscurari, nobiles quorum odia in se concitarat vrbem infestare, & commeatus intercludere, populus literis pontificijs ab eo abalienari cœpere: denique Pipinius Mineruini comes, quem Nicolaus in ius vocarat, exulum nobilium gratia fretus coniurationem in eum conflauit c: quam cum opprimere facile, si valuisset animo, potuisset, vt erat ignauissimus, quamuis vniuersi orbis expugnatorem futurum se iactaret, populare studium in se refrixisse conspicatus, abiectis tribunitijs insignibus, septimo ab arrepta tyrannide mense flens ac gemens fuga ex Vrbe se subduxit d. Cuius euersionem Pontifex Carolo Regi Romanorum ac e Balduino Treuirensi, Walramo Coloniensi, Gerlaco Moguntino archiepiscopis, ducique Saxoniæ his verbis sequenti anno significauit f: *Factum est*, inquit g, *eo qui superbis resistit & dat gratiam humilibus, disponente quod eiusdem Nicolai cornua elata contrita sunt, ac ipse, quæ superbe ac fatue vsurpauit, tribunitia insignia perdidit, & ab Vrbe prædicta cum ignominia est deiectus: idemque legatus præfatum Nicolaum huiusmodi rectoria priuauit officio, ac suspectum fore de crimine hæresis sententialiter declarauit. Dat. Auin. non. februarij anno* VI. Hactenus de Nicolao Laurentio, quem postea in Caroli Imperatoris aula captum, raptumque Auenionem in vincula, atque ob eloquentiam liberatum, iterum Romæ tyrannidem exercentem; sed dissimili exitu trucidatum, tractum vnco, redactumque in cineres, visuri sumus.

Columnenses ad Vrbis portas cæsi a Nicolao.

a Vita Nic. Laur. c. 12. Cle. to. 6. ep. secr. 1107 Petrar. l. 7 ep. 13.

b Vit. Nic. Lau. c. 15. 16.

Conflata in Nicolaum coniuratio.

c Ibid.

d Ib. c. 16.

e To. 6. ep. secr. 1111

Ignaua illius fuga.

f Ib. ep. 1110. ad 1115.

g Super. ep 1111.

Sententia hæreseos damnatur a legato.

Quis postremus illius exitus fuerit.

22 Iacta sunt hoc circiter tempore funestissimi inter Venetos & Genuenses belli semina leui ex causa, cum nimirum Genuenses, qui Capham siue Theodosiam Genuensium coloniam incolentes infelici æmulatione perciti in Venetos, qui vltra Capham Pontum Euxinum nauibus sulcabant, Venetam nauim interceperunt: quam iniuriam cum vlturi essent Veneti, atque ob vnam nauem inuasam, alijs factum tuentibus, alijs repetentibus vindictam, Christianus orbis Turcarum inuasioni exponendus esset; Pontifex Ioannem Murtam Genuensium ducem rogauit h, vt discordiæ causas tolleret.

Genuenses inter & Venetos belli exordia.

Pontificię pro eo supiendo cura.

h To. 6. ep. secr. 306.

Clemens, &c. dilectis filijs nobili viro Ioanni de Murta gubernatori, & consilio ciuitatis Ianuensis.

Ex literis vestris, quas nuper affectione paterna suscepimus, intellecto quod prætextu transitus nauium dilectorum filiorum .. ducis & communis Venetorum vltra ciuitatem Caphensem nauigantium, & pro eo quod dilecti filij .. consul, & alij conciues vestri in dicta ciuitate Caphensi morantes vnam ex huiusmodi nauibus iam ceperunt, inter vos ac dictos ducem & commune dissensionis materiam pacis hostis suscitare conatur; nos tanto molestius & displicentius id ferentes, quanto Christi & fidei præfatæ negocia in partibus orientis aduersus Turcos & alios crucis hostes, inspirante Christi gratia, vtiliter inchoata, & ipsius fauente potentia, felicibusque hucvsque promota successibus possent, quod

Expositā Turcicam tyrannidem subactum iri.

quod auestat Dominus, potiora detrimenta sentire, ac malis & periculis, quæ exinde nascitura probabilis coniecturæ minatur, obuiare salubriter auctore Domino intendentes, vniuersitatem vestram attente requirimus, & rogamus, &c.] Adiungit mixtas imperijs preces, vt mutuam cum Venetis amicitiam colant, ac sarciant iniuriam, ne rem Christianam leui de causa euertant. *Dat. Auin.* III. *kal. septembris anno* VI.

a Ib. ep. secr. 307.

Delinire alijs literis studuit Pontifex a Andream Dandalum ducem cæterosque Venetos, qui cum adeo etiam tum rei maritimæ gloria floruissent, pari non poterant Genuenses Ponti Euxini imperio inhiare, atque etiam haud tacita erant in eos æmulatione suffusi, insulam Chio inuasisse, cum illius procuratio crucesignatis fœderatis ab Imperatrice Anna permissa esset, indeque nauali in oriente rei haud leue damnum illatum iri metuebant. Permulsit vero eos Clemens resarciendæ a Genuensibus iniuræ spe, ac pontificiam in ea re operam se nauaturum spopondit, ipsosq; deterruit ab eo bello, ex quo versis in mutua exitia Christianis armis, barbari præmia victoriæ erant relaturi. Perfecit demum sua diligētia Pontifex, vt Genuēses æquitati assentire sint visi (de quo ad Andream Dandalum & senatum Venetum scriptæ sunt literæ b) discordiamq; sopiuerit haud extinxerit tamen, reuiuiscentem enim flammam, quę misere rem Christianam est depasta visuri sumus. Interea ad sedandam aliam inter Genuenses & Hugonem Cypri Regem discordiam apostolicum studium conuertit Pontifex c, cum ad Turcas reprimendos coniungendæ non distrahendæ vires essent, atque ideo Ioannem e Murta Genuensium ducem monuit, vt oratores ad controuersiam componendam instructos auctoritate ad sedem Apostolicam legaret.

Sopita belli flamma

b Ep. secr. 836.

Ligurum cum Cyprijs liti componēdæ data opera.

c To. 5. ep. secr. 1083

Auctam hoc anno admodum Genuensium potentiam, adiuncta Genuensi reipublicæ insula Corsica, cum pene omnes paribus animis insulani proceres in id consensissent, refert Ioannes Villanus d. Quam insulā a Bonifacio VIII. Iacobo Regi Aragonum iure beneficiario traditam ca lege vidimus, vt is Trinacriam Carolo II. Regi Siciliæ restitueret: verum receptis hisce insulis, Aragonij Trinacriam etiam, cum ita suas res augerent, retinuerant. Affectatum etiam est a Genuensibus alterius insulæ imperium e, bellumque ducibus Aurijs gestum cum Aragonijs in Sardinia vario euentu, vt gemino prælio alternante victoria victi victoresque fuerint.

Corsica a Genuen. occupata.

d Io. Vill. l. 12. c. 99.

e Eod. c. 99. Sur. l. 8. c. 16.

Sardinia ab ijsdem affectata.

23 In Gallijs premebatur Eduardus Itiū, vulgo nuncupatum Caletum, ingenti obsidione, strenueque obsessi turabantur mœnia, cum Pontifex reuocandæ inter Reges pacis studio Anibaldum & Stephanum Cardinales legatos kal. februarij nullis parcere laboribus iussit f, ac si non pacem, inducias saltem conciliarent g. Reges etiam grauissimis literis ad id est adhortatus: Philippum h quidem, vt Francorum calamitatibus ad concordiam flecteretur: Eduardum autem i, vt non modo innumera mala, quorum auctor ille bello esset, perpenderet; verum oculos etiam in orientem conijceret, in eo amplissimos triumphos de diuini Numinis hostibus ipsum referre, ac mortales immortalesq; coronas adipisci posse: barbaros ob illius discordias insolescere, remque Christianam euertere.

Gallicæ res ab Anglo quassatæ.

f To. 5. ep. secr. 895.
g Ibid. ep. 975.
h Ep. 897.

Clementis ad Eduardum bello Gallico abducendum studia.

i Ep. 896.

Clemens, &c. Eduardo Regi Anglorum illustri.

Si diligenter attenderes, fili charissime, tanquam princeps catholicus personarum innumerabilium pretioso Christi sanguine redemptarum excidia, lapsus rerum, & animarum amarius plangenda pericula, quæ dissensiones & guerræ, quæ inter te ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Franciæ illustrem suscitatæ produxerunt, & producunt quotidie incessanter; nec non gemitus pauperum pupillorum, orphanorum, viduarum, ac aliarum miserabilium personarum, quæ deprædatæ ac derobatæ, famisque subiectæ angustiæ clamant ad Dominum lacrymis descendentibus ad maxillas; nec non destructiones ecclesiarum & monasteriorum & locorum sacrorum, vasorum & aliorum ornamentorum deputatorum diuino cultui rapinas sacrilegas; captiones quoque, incarcerationes, macerationes, spoliationes, religiosorum & ecclesiasticorum ac aliarum personarum, cæteraque innumerabilia detestanda & execranda mala, diuinæ maiestatis oculos offendentia manifeste, intra præcordia reuolueris regia; tuisque considerationibus adieceris in hac parte, quod ex prædictis fides catholica præsertim in partibus orientalibus opprimitur, ac fideles ibidem degentes, propter dissensiones & guerras easdem auxilijs catholicorum partium occidentalium destituti, ab infidelibus, sic turbatam Christianitatem aspicientibus, diris persecutionibus solito crudelius (quanquam his temporibus ad ipsam fidem ampliandam in ipsis partibus orientalibus existat parata materia plusquam fuerit a multis retroactis temporibus) affliguntur propterea; credimus profecto, credimus quod cor tuum emollies, & quod tot & tanta mala non procedant vlterius nec tot bona, quot pro dilatatione fidei prædictæ fieri possent his temporibus, impediri valeant, ad pacem & concordiam cum Rege reformandam prædicto placabilem diriges animum, & conuertes. Si enim tibi, fili dilectissime, arridentem fortunam dederit Dominus potius humiliari, quam eleuari tuus debet animus & reperiri ad pacem huiusmodi magis promptus, vt Domino, qui pacem diligit, & in viris pacificis delectatur, placere ac ad vitandum mala prædicta, quæ ipsum grauiter offendere non est dubium, curabis dirigere studia mentis tuæ, &c. *Dat. Auin.* XVIII. *kal. februarij anno* V.

Proposita ingentia ex eo oborta mala.

Oriens in prædam infidelibus datus.

Si in eura vertantur arma, prosperos successus expectandos.

24 Prætulit religioni commoda Eduardus, a Christiana enim pietate abhorrebat: cuius infelicem mortem vitæ respondisse, contemptumque a Deo, qui Deum contempserat, visuri sumus. Interea ecclesiasticas opes specioso crediti prætextu, vt Gallias oppugnaret, inuasit a. Cuius exemplo, vt sua tueretur, Philippus Rex b & sacerdotum in regno nō agentium (exceptis Cardinalibus) vectigalia, decimasque aliorum sacerdotiorum occupauit, ac iura ecclesiastica in pluribus labefactauit: at quo plura eripuit ecclesiæ, plures clades accepit. Missi sunt c ad ipsum a cœptis auocandum Pastor archiepiscopus Ebredunensis & Guillelmus episcopus Carnotensis, & Galli præsules libertates ecclesiasticas tueri iussi d: denique intentatæ e Philippo iræ pontificiæ, ni ecclesiasticum ius pristino splendori restitueret. Hæc Pontifex tum iuris ecclesiastici tuendi studio gerebat, tum ne Reges inuasis sacris opibus bellum maiori furore gererent; ad quod sedandum cum Stephanum tit. SS. Ioannis & Pauli presbyterum Cardinalem ad aulam Gallicam, Annibaldum Tusculanum episcopum ad castra Anglica misisset, Isabellam f Eduardi matrem

Præfert religioni ambitionē Eduardus.

Sacerdotum opes inuadit.

a To. 5. ep. secr. 1139.
b Eod. ep.

Pari exemplo grassatur Gallus in ecclesiasticos.

c Ep. 1107
d Ep. 1108 ad 1138.
e Ep. 1160.

Missi ad vtrumque legati.

f Ep. 1153

ac Philippam vxorem, ac Ioannam a Francorum Reginas, tum b principes ac matronas nobiles vtriusque regni IV. kal. maij rogauit, vt Cardinalibus fauerent. Flecti non potuit Eduardus, cum Caletum obsessum sibi dedi vellet, de quo Pontifex ita queritur c: *Miramur admodum, quod Cardinalibus Apostolicæ sedis nuntijs ad te dictumque Regem iamdudum per nos pro pacis reformatione huiusmodi destinatis te in aliquo noluerit aperire. Profecto tibi reputatur ad duritiam, quod ad treugas eisdem Cardinalibus tractantibus denegaueris consentire, nisi castrum Calisij, quod diu tenuisti obsessum, & adhuc tenere diceris*, & infra, *receperis*. Præmiserat his preces, vt rei Christianæ ob illius cum Rege Francorum bella corruentis misereretur.

a Ep. 1143. b Ep. 1144. ad 1154. & 1158. ad 1159. & 1175. ad 1185. c Ep. 1174. Repudiate ab Anglo inducias ni Caletum deditione acciperet.

O fili dilectissime si consideranter attenderis, & intra præcordia reuolueris diligenter, quot & quanto malo ex tuis & eiusdem Regis guerris & dissensionibus, ex quibus ira Dei accenditur & vehementius prouocatur, secuta sunt, & quot & quanta bona præsertim ad præsens sunt & omittuntur, procul dubio credimus, quod tu quem ad bona opera huiusmodi zelum feruentem & deuotum habere audiuimus, ad tuam conscientiam, vt pacis inhærere procures vestigijs, te reduces, &c. Porrexit e, sed irrito conatu, similes Philippæ Reginæ, Eduardo filio Anglici sceptri heredi, alijsque proceribus preces, vt Regem ad concordiam adducerent. At fixum Eduardi animo erat nisi arce obsessa in suam potestatem redacta, omnem concordiæ tractatum respuere: ac frustra etiam lectis vtrinque quinque proceribus ad Cardinalium preces colloquium de concordia agitatum d. Philippus autem Francorum Rex, vt Iriensium fidei & constantiæ, qui nonnisi fama ab Anglo edomari poterant, responderet ad inferendos mari commeatus classem triremium duodecim Genuensium ac nauium septuaginta instruxit e: sed mox atque ab Anglis conspectæ sunt ex aduerso Douerensi Angliæ portu, in Gallicam classem illi irruerunt tanto impetu, vt partim capta, partim fuga dissipata fuerit: atque ita Itienses summa rei frumentariæ inopia pressos deditionem fecere f.

e Ed. to. 5. ep. secr. 1175. ad 1185.

d Io. Vill. l. 12. c. 95. e Cap. 94. Classis Gallica dissipata. f Id. Vill. cod. c. M.S. bibl. Vat. sign. nu. 3765. Pros. hist. l. 1. Paul. Aemil. in Phil. VI. Vualsing. in Eduard. III. Meyer. hist. Fl. l. 12. & alij.

Potitus Calato Eduardus ciues alio migrare iussit, & Anglorum coloniam in eam vrbem traduxit, vt belli armamentarium esset. Notat vero Ioannes Villanus g, exiguum fuisse illud operæ ab Anglo nauatæ post amplissimam victoriam pretium, eiusque triumphos Anglis exitiales fuisse, quinquaginta enim millia suorum tum morbo tum in præteritis pugnis ipsum amisisse: vt mittamus in reditu graue periculum subijsse h, ac nonnullas e suis naues vi tempestatis mersas: Inducias vero, annitentibus iussu pontificio i Cardinalibus internuntijs, de quibus supra memoraui, ad S. Ioannis natalitia percussisse, vt excurrante eo tempore, missis ad sedem Apostolicam oratoribus, de pace agitarent: arcana vero consilia erant, vt cum milite & ærario exhaustus esset, debilitatas vires reficeret. De initis inter Reges inducijs meminit Pontifex l, quas ad decimumquintum a festo S. Io. Baptistæ euoluendum diem pactas ait.

Anglorũ de Gallo victoriæ ipsis funestæ. g Io. Vill. l. 12. c. 95. h Meyer. hist. Flan. l. 13. in Lud. Malano. Compositæ induciæ. i To. 6. ep. secr. 181. & 189. l Ep. 413.

25 Damnatus est Parisijs l a doctoribus error insignis Ioannis a Mercuria Cisterciensis ordinis, qui adeo insaniit, vt Deum peccati auctorem, qua necesse est, affirmare nõ perhorruerit: sculus doctrinæ sacam nostrorum temporum nouatores improbis quibusque, vt fræna peccandi laxarent, propinarunt.

Damnata noua hæresis Deũ fingens peccati auctorem. l To. 4. bib. patr. col. 1323.

In oriente Græcorũ res in exitium versæ, Cantacuzenus enim tyrannus, cum iam vniuersum imperium Constantinopoli, Thessalonica, & Æno exceptis occuparet a, conflata in vrbe Constantinopolitana coniuratione, perrupta a proditoribus porta aurea, noctu ingreditur b. Exciuit in auxilium Anna Augusta Galatæos Latinos, qui cum triremibus & lembis ad Blachernas applicare nitebantur, a Cantacuzeni copijs atque a populo relis petiti, recessere. Ita illa, cum eorum, qui palatium imperiale præsidio tenebant, proditionem metueret, Cantacuzeni mollioribus verbis delinita Asanis & Palamæ, quos e custodia dimiserat, pacis interpretum opera fœdus his legibus percussit: *Imperarent ambo Cantacuzenus & Ioannes adolescens Palæologus, seque eo inuicem benevolentia complecterentur, qua patres & filij solent, iuniorque seniori potiores deferret in omnibus, ac propter ætatem nondum firmatam decem annos administratione cederet: quibus exactis æquali auctoritate cum eo imperaret. In has conditiones & ipse Imperator & Anna Augusta cum filio Imperatore, vt in perpetuum seruandas, iurauerunt. Secundum iuramenta qui in palatio erant, portis reclusis, Cantacuzenum Imperatorem acceperunt VI. id. februarias anno orbis conditi sexies millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto indictione quintadecima.*

a Cantac. l. 4. 12. b Lib. 3. c. 99. Cantacuzenus Cõstantinopoli potitur.

Paritur cum Ioãne Palæol. imperiũ.

Redactis in suam potestatem Blachernis, victor ad confirmandam tyrannidem in palatio ornamentis imperialibus redimiri voluit c, ac filiam Helenam Ioanni Palæologo matrimonio iunxit: coegitque pseudosynodum Constantinopoli in qua Acyndinus pius monachus, qui Barlaami vestigia secutus hæresiarchæ Palamæ pseudomonachi errores depulit, eruditosque commentarios de simplicitate diuinæ naturæ conscripsit, vna cum sibi adhærentium cœtu damnatus est, ac Ioannes patriarcha ob impensum Acyndino studium, exagitatosque Palamæ sequaces gradu patriarchali deturbatus; Palamæ vero hæreses edicto confirmatæ, de quo hæc Cantacuzenus d: *De dogmatis tomum edunt, in quo confitentur omnes, Acyndinum eiusque cætum praue atque impie de religione sentire: Palamam autem cum sui similibus diuinorum theologorum placitis consentanea sapere & confiteri.* Tinctus erat Palamæ erroribus Cantacuzenus, vt passim eius scripta ostendunt; fuisseque a Paulo patriarcha Constantinopolitano e Latino apud Vrbanum V. de prauis dogmatibus accusatum, inferius visuri sumus. Quantum vero Palamæ placita corrupta essent, discrepărentque a theologorum dictis, iam ante a nobis est ostensum, magisque illustrabitur ex Demetrio Constantinopolitano, qui Palamæ errores ex eiusdem fœdissimis libris decerptos recenset, ac pseudosynodi cum ipso sentientis profanum decretum ex parte adducit, auspicaturque exordium ab ipso harum controuersiarum, quæ cæcutientem Græciam densioribus inuoluere tenebris, fundamento: nimirum Palamam pseudomonachos, quibus dæmon in angelum lucis transfusus sit, obijciebat, turdos & omphalopsychorum hæresim amplificandam suscepisse: *Palamas*, inquit, f. *in secunda oratione earum, quas inscribit priores, hæc ait: Quoniam, vt quidam testatur, qui circa hæc inter valde peritos enumeratur*, is erat Simeon abbas Xerocerci, cuius deliria suo loco attuli, & ab ipso Demetrio in hoc ipso opere repetuntur, *post transgressionem, qui fieri potest, vt non magnopere conducat figuras externas internis assimilari? qui enim festinat ad colligendam mentem in se, non de-*

c Cap. 3. & 4. Pseudosynodus aduersus Acyndinum.

Patriarcham deijcit. d Lib. 4. c. 3. In ea synodo dãnata orthodoxa doctrina.

e Paul. pat. Const. inter opusc. aurea theolog. typis cusa Romæ an. 1630. pag. 405.

Demetr. Cydonius Constantinopolitanus scribit aduersus Palamam.

f Ibid. inter eadem opuscula pag. 410.

Palamas heresim Massalianam instaurat.

debet motu recto mouere, sed circulari & ab omni erratione libero; neque oculum huc illuc circumducere, sed veluti quodam firmamento in proprio pectore vel vmbilico innixum habere: quippe mouere se motu externo circulari, quantum fieri potest, instar motus est mentis, quo studiose mens se ipsam exercet; & suscipiendo exterius per oculos virtutem mentis, mittet in cor hanc figuram corporis. Huiusmodi igitur perennem lætitiam & lumina, erant hæc diabolica spectra, quæ pseudomonachis vmbilicum contuentibus, illudebant, *totamque de his rebus scenam per traditionem acceptam veluti quandam informem materiam Palamas informauit, atque deificauit.* Et infra: *De his reprehensus ab illo Barlaam, qui etiam ab initio eum detexit, cum manifeste substantiam Dei visibilem & spirabilem constitueret, deuitans nimirum absurdum peiori malo, heresim curare aggressus est, atque audet superfubstantialem existentiam Dei reali distinctione in essentiam & operationem, quin potius operationes multas diuidere: atque ait in quadam prædictarum orationum, hoc lumen substantiam Dei non esse, etenim intactilem illam esse, angelum non esse, quod heriles characteres gerat.* Et rursus: *Lumen hoc intuitum esse non diuina natura, sed gloria naturæ eius, quam etiam dedit Dominus discipulis.* Et infra: *Et ad confirmationem suorum sermonum vtitur lumine, quod fuit in transfiguratione Domini. Hæc postea sectatores eius tomo edito secuti, de distinctione substantiæ Dei & operatione hæc aiunt: Nos a sacris scripturis edocti sumus, et substantiam habere Deum, et potentiam atque operationem a diuina substantia differentē, immo vero potentias et operationes.*

Diuinitatem corpoream fingit.

Confessio impia sequacium Palamæ.

De lumine vero transfigurationis postea quæsitum est. Dixerunt, ostensum esse a sanctis increatum esse lumen transfigurationis Domini, & illud non esse substantiam eius: & omnes ferme dixerunt, demonstratum esse. Et in anathematismis, quos ediderunt contra eos, qui non adducuntur, vt credant eorum blasphemias, vbi seipsos præconio celebrant, hæc aiunt: Iis, qui dicunt, diuinam operationem prouenire quidem ex diuina substantia; prouenire vero inseparabiliter, cum per illud prouenire ineffabilem distinctionem significent, per illam vero particulam, inseparabiliter, admirabilem coniunctionem ostendant; æterna sit memoria. Et de lumine iis aiunt, qui confitentur, lumen quod resplenduit ineffabiliter in monte transfigurationis Domini, lumen esse inaccessibile, lumen immensum, & effusionem incircumscriptam diuini splendoris, & gloriam ineffabilem, ac diuinitatis claritatem plusquam perfectam, Filij gloriam, & Dei regnum pulchritudinemq; veram, atque in sui amorem allicientem circa diuinam & beatam illam naturam & naturalem gloriam Dei, ac deitatis Patris & Spiritus in Vnigenito coruscantem. Et propterea existimant increatum huiusmodi lumen: non tamen asserunt esse supersubstantialem Dei substantiam, tanquam illa penitus sit inuisibilis & imparticipabilis: dicunt vero potius hoc lumen esse gloriam supersubstantialis substantiæ, & ab ea proficiscentem inseparabiliter, atque se ostendentem mente purgatis pro sua benignitate: cum qua gloria Dominus noster & Deus venturus est secundo suo atque tremendo aduentu iudicare viuos & mortuos. Æterna sit memoria. Et rursus iis, qui non confitentur iuxta sanctorum a Deo inspiratas theologias, & pium ecclesiæ sensum diuinissimum illud lumen neque creatum esse, neque substantiam Dei, sed increatam & naturalem gratiam, & illustrationem atque operationem ex ipsa diuina substantia inseparabiliter perpetuo prouenientem; anathema. Igitur *vniuerse loquendo de substantia & operatione increata Dei (quam etiam lumen & gloriam & gratiam, atque illustrationem, deitatemque demissam & aliis multis nominibus nuncuparunt) hæc affirmarunt, singillatim vero multis etiam modis distinctionis vsi sunt.*

Hæresis fingens, lumen Thaborium increatū.

Fictæ deitates supereminentes & demissæ.

Percēset Demetrius viginti huiusmodi distinctionis modos confictos a Palama garrulo & imperitissimo, a pietate abhorrentes: tū alia infanda dogmata etiam aduersus distinctionem personarū diuinarum; quæ adeo auide ab eius sequacibus pseudomonachis suscepta, vt de his hęc referat idē Demetrius: *In omnibus impudentes ausi sunt dicere, proportionem esse; vt se habent mysteria legis antiquæ ad traditiones euangelicas, ita etiam prædicationes euangelica ad noua Palamæ dogmata.* Confirmat hæc auctor verbis Coccii principia monachorum montis Atho, quem sanctum vocitabant. Retulit porro ab impijs Palamas a impietatis præmia; quippe ad Thessalonicensem archiepiscopatum euectus est: eius autem propugnator Isidorus cognomento Bouchiras a memorata pseudosynodo patriarchalibus infulis est insignitus. Illatam sibi iniuriam tulit acerbe Ioannes patriarcha, habitaque suorum synodo Palamæ & sequacium impietatem ob inductas multas diuinitates, alias supereminentes, alias demissas; cum inter diuina attributa non distinctionem rationis tantum, seu virtualem, sed realem collocarent, damnauit anathemate. Quem non modo amici, verum etiam plures Cantacuzeno antea addictissimi secuti sunt: atque ita nouo schismate discissa fuit Constantinopolitana ecclesia, maximaque ob hæreseos crimen conflata inuidia est a Ioānis patriarchæ sequacibus Cantacuzeno, vt ipse de se refert b: *Ab illo*, inquit, *& a veritate se abstrahentes, ipsum maledictis lacerabant: et hanc mendacio patrocinantes corrumpebant, Barlaami & Acyndini falsa dogmata per vestigia insequētes.* Hęc ille tenebras lucem, & lucē tenebras appellitans. Porro orthodoxam doctrinam Barlaami, cuius nomen ob confutatos Græcorum errores inuidia laborabat, in omnibus non est amplexus Ioannes patriarcha: quippe in illo suo synodali decreto c Barlaamum inique perstrinxit, deque illo hæc habet: *Quidam ausi sunt idem essentiam Dei & operationem existimare, aut si operationem aliud esse tenendum est, non coæternam illam dicere, neque eiusdem principij cum sempiterno & principio carente Deo; sed creatam & corruptibilem, vt res omnes creatæ, qualis in Taborio diuinitatis splendor apparuit, aut illa, quæ pastoribus illuxit, vel quæcumque alia Dei apparitio fuit.* Cæterum Barlaamus fidei athleta, qui hoc tempore Gyracensi episcopatui præerat, a Clemente Papa soli Apostolicæ sedi subesse, metropolitanique sui auctoritate liber renuntiatus est, vt ex regesto pontificio constat. Ipsum in controuersia de diuina essentia & eius operatione optime sensisse demonstrat pluribus Pontanus d, in notis ad Cantacuzenum, nimirum operationem Dei immanentem idem esse cum diuina essentia re, sed non ratione: si vero de transeunte Dei operatione, quæ terminus est operationis immanentis agatur, non esse coæternam & carentem principio; sed creaturam esse, qualis lux Thaboria fuerit, quæ exemplum erat & imago corporis glorificati. Itaque Ioannes patriarcha perperam Barlaamum traduxit: prudenter autem Palamæ, qui hoc tempore nouorum errorum caliginem Græcis offundebat, vesaniam eiusque studioso-

Palamæ dogmata a sequacibus euangelio antelata.

a Io. patr. in sue edi. 8o synod.

Isidorus patriarcha Constantinop creatus.

A Ioanne æmulo damnatur.

b Cantac. l.4. c.3.

c Ext. apud Leon. Allat. l.2. de eccl. occid. et orie. consens. c. 6.

Barlaami doctrina perperam perstricta erroris a Io. patriar. Quis Barlaam fuerit.

De distinctione diuinæ essentiæ & eius operatione.

d Pontan. in c.40. l.3 Cantacuz.

Si operatio Dei immanens sumatur, ea ab essentia nō realiter distinguitur. Si vero transiens, creaturam esse necesse est.

rum dogmata confutauit, Quænam autem illa essent, ita describit in memorato suo decreto a.

a Rat. apud Allat vbi sup.

Confictæ a Palama polytheia.

Supersubstantialem unam deitatem, siue unum Deum in Triade sine diuisione diuisum, noua diuisione subdiuidentes audaces isti multas quasdam deitates esse, & multos deos præter vera dogmata impudenter & temerarie sanciunt, &c. Tum nonnulla subijcit, quæ indicent monachos illos Græcos dæmonum consortio fuisse contaminatos: *Naturales*, inquit, *has Dei operationes, quæ extra substantiam secundum se sunt, & loqui & consuescere, ac si vita prædita essent, cum illis, qui eorum sacris initiati sunt, spondent & increatam naturam eorum participes immutare: Quinimmo & benefactrices vocant similes deitates beneficas cuicumque illæ voluerint proprio quodam modo: supersubstantialem vero deitatem parum aut nihil ad similia dicunt conferre*. Et infra: *Testimonium exhibent non pauci eorum, qui spiritualem curam animarum gerunt, a delusis per ipsos rem extorquentes, tum demum ad nos referentes*. Addit hos pseudomonachos, non ausos palam blasphema ea dogmata edere, ne gentilitia superstitione, quæ plures deos colebat, infecti dicerentur; sed clam suis instillasse, & aliud in rescindendis coniugijs facinus aggressos: *Nuptijs*, inquit, *hominum manus iniciunt, iuuenes mulieres a viris & filijs intrepide peregrinis suis atque absurdis doctrinis separantes. Facinori addunt tonsuras temerarias & inconsideratas ex primo nostro genere iuuenum, &c.*

Diabolica de huiusmodi deitatibus commenta.

Sparsa clã a pseudomonachis

Nuptiæ ab ijsdem temeratæ

26 Porro Palamam, quem multa inter se pugnantia effutijsse liquet, purgare se ab obiecta multarum deitatum impietate annisum, ex illius sequacium scriptis, atque inter alios Dauidis b monachi, refert Pontanus c qui Palamitarum ineptias ita confutat d: *Velut ex speculo eluet, quid istos fallat: concipiunt enim, & cogitatione informant operationem Dei quasi a Deo prodeat, vt lux prodit a sole, calor ab igne, aqua a fonte perenni: quod pinguius quiddam est, quam vt in subtile beneque purgatum ingenium cadere possit, cui non ignotum, has locutiones de progressu & fluxu operationum diuinarum esse metaphoricas, & ad nostrum intelligendi modum adaptatas, qui operationes tanquam quid substantia & essentia posterius & ab ea emanans concipimus. Quod tamen in Deo re ipsa locum non habet, vbi a parte rei substantia seu essentia & operatio vnum prorsus idemque sunt: nec magis operatio Dei ab essentia diuina fluit, quam ipsa essentia ab essentia, cum essentia & operatio sint vnum idemque ens simplicissimum, penitusque indiuisum*. Idem respondens ad argumenta Græcorum, de distinctione rationis siue virtuali operationis immanentis ab essentia, hanc solutionem præmisit e: *Aliud est substantia Dei, & aliud operatio non re, sed sola ratione: eadem enim res simplicissima quatenus per se existit, substantia est; quatenus vim agendi habet, potentia est; quatenus productrix effectus, operatio & energia est: & hæc omnia simul est propter infinitatem & immensitatem essentiæ*. Obseruat porro iure Pontanus, utique a schismaticis Barlaamum & Acyndinum exagitatos: & merito etiam Præteolum, eos in hæreticorum catalogo reponentem, reprehendit.

b Dauid monach. apud Pont sup. cap.

c Pontan. in sup. not

d Pontan. n. b. sup.

Crassus operationem ab essentia distinguendi modus

e Idib.

Sola distinctione virtuali seu rationis essentia & operatio differunt.

Cantacuzenus Turcis coniunctissimus.

27 Quod ad Cantacuzenum attinet; non ille modo ob noui hæresiarchæ sumptum patrocinium de Græcia male meritus est, verum etiam ob affinitatem arctissimam cũ Turcis Græcorum carnificibus, qui adeo ipsi amicitia iuncti erant, vt illum Orchanes Rex gener gratulabundus vna cum filijs, quorum natu maior erat Solimannus, adierit a; atque ex aduersa Constantinopolis parte lautissima cũ eo conuiuia peregerit, visaq; Constantinopoli ad conceptum expugnandæ tantæ vrbis consilium magis est inflammatus. Poposcit a barbaro auxilia Cantacuzenus, vt partũ scelere imperium scelere augeret, ad Cralem oppugnandum: traditaque illi ab Orchane, duce Solimanno filio, decem millia Turcarum, qui violata fide Græcos Cantacuzeno subditos inuasere, diripuere, trucidauere, in seruitutem abduxere, vt ipse Cantacuzenus sero queritur b. Ita miseri Græci dum Pontificem Romanum inique odere, suos carnifices, Turcas inquam, vltro ad edendam ipsorum stragem exciuerunt. Quid vero tum pro Græcorum salute Christi vicarius ad Turcas reprimendos gereret, intueamur.

a Cantac. l. 4. c. 4.

b Eod cap.

Vt mittamus pontificia studia pro conciliandis Anglis & Gallis, vt occidentis bella in Turcas converteret, de quibus suo loco dictum est; sustentabat naualem exercitum ad ipsorum in Europam excursiones coercendas, cui præerat Franciscus archiepiscopus Cretensis A. S. L. reportatusque est secundo diuino auxilio illustris triumphus. De quo certior Pontifex a legato factus, magno gaudio delibutus his verbis VIII. kal. iulij gratias egit c: *Receptis gratis rumoribus per literas de dictis partibus nobis missas, qualiter gentes tuarum & vnionis prædictæ galearum, eis dextra diuina potentia assistente, in insula Imbri centum octodecim vasa nauigabilia Turcorum ceperant, & Turcos, qui de dictis vasis ad terram eiusdem insulæ aufugerant, circumclusos seu obsessos tenentes, ad eos debellandos & captiuandos facilius miserant pro equis & armis, hominibus & peditibus & alijs subsidijs opportunis, intendentes nobis, quæ inde contingerent, nuntiare, &c.* Meminit Bosius d de parta hac victoria apud Imbrum insulam, quam perfidi Turcæ violatis inducijs, instructa centum quinquaginta nauium classe, numerosissimoque exercitu oppugnabant, incensasque hostium naues centum supra octodecim maiores minoresue ait: denique eos, qui in terram euaserant, ad deditionem coactos: ad quinque millia mancipatos seruituti: auctum vero triumphi decus ex eo, si nostrarum triremium exiguus numerus cum hostilis classis magnitudine conferatur. Non defuere viri nobiles, qui pio accensi ardore aduersus Turcas procurrere: inter quos Barnabas Gerardus Parmensis trecentis, equitibus, peditibus quadringentis succinctus suis stipendijs has copias integro anno sustentaturus tuendæ fidei studio sacræ expeditioni se addixit e: a quo Smyrnam fortissime propugnatam visuri sumus.

c To. 5. ep. secr. 74.

Turcæ apud Imbrum profligati.

d Bosius hist. equit. Hiero. p. 2. l. 2.

e To. 5. ep. secr. 1042.

28 Vertenda e Turcis in Saracenos Syros, Ægyptios & Babylonios crucesignatorum arma fuerunt: soldanus enim Armeniam magno furore inuasit, vt omnem Christianæ religionis cultum in Asia extingueret, ratus euerso eo regno, occidentales amplius orientalia bella non meditaturos. Tulere periclitanti Armeniæ auxilia Hugo f Cypri Rex, & Deodatus g e Gozono Rhodiorum equitum magister, cum victis Armenis par exitium ab infidelibus inferendum Cyprum Rhodumque maneret. Quorum pium ardorem collaudauit Pontifex, atque Francisco h archiepiscopo Cretensi A. S. L. et naualis exercitus in Turcas crucesignati præfecto VI. kal. octobris imperia dedit, vt ad retundendos Babyloniorum impetus, ac defendendos Armenos in Ciliciam vela explicarent. Expugnatum est ab infidelibus Aiacium, inferioris Armeniæ vrbs nobilissima, ad

Armenia vexata a soldano.

A Cyprio & Rhodio submissa illi auxilia.

f Ib. ep. 407.

g Ep 408.

h Super ep. 409.

De Aiacio in Cilicia recuperando actũ.

quam

quam recuperandam, cum Rex Constantius se attingeret, atque occidentalium imploreret auxilia, Clemens Venetos solicitauit [a], vt maritimas vires contra Babylonios coniungerent.

a To. 6. ep. secr. 406. extat etiam in MS. archiu. Vat. de reb. Transm. pag. 86.

Dilectis filijs nobili viro Andreæ Dandulo duci, & communi Venetiarum.

Veneti ad maritimas vires coniungendas solicitati.

Occurrunt frequenter considerationis nostræ conspectui deuotionis et fidei studia, quibus insignia terra vestra erga Deum et Romanam ecclesiam euidentibus signis et operibus claruit: occurrit qualiter vos pro defensione fidei Christianæ, ac ipsius cultu diffusius dilatando tanquam viri catholici, et veræ fidei prælatæ cultores aduersus ipsius persecutores et hostes labores et solicitudines subijstis hactenus, et subitis. Propter quod in his, quæ Christi et ipsius ecclesiæ beneplacitis conueniunt, et eiusdem fidei fauorem concernere dignoscuntur, tanto fiducialius eadem requirit ecclesia, quanto se esse in his per vos satisfieri promptius votis suis. Sane ad notitiam vestram iam dudum credimus peruenisse, qualiter soldanus Babyloniæ immanis persecutor nominis Christiani, ad eiusdem fidei anhelans exitium, post impugnationes hostiles, post vexationes innumeras, post clades, depopulationes, & spolia aduersus Christianos orientalium partium per eum, vt nostis, a longis retro temporibus crudeliter, peccatis exigentibus, perpetrata ciuitatem Aiacensem, insignem vtique locum Armeniæ, proh dolor! occupauit, & eam detinet occupatam, Christianos illius ciues & incolas affligens iugo miserabilis seruitutis. De cuius ciuitatis recuperatione charissimus in Christo filius noster Constantius Rex Armeniæ illustris, anxia cura solicitus, ad vos, quorum interuentionibus apud eundem confidit diuina fauente gratia super hoc exaudiri, vt intelleximus, nuncios suos mittit, petiturus a vobis, vt pro recuperatione huiusmodi, vel aliqua cum eodem soldano super hoc habenda conuentione siue concordia ad præfatum soldanum speciales nuncios destinetis. Quocirca vniuersitatem vestram attente rogamus, quatenus diuinæ remunerationis intuitu, ac pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia, eisdem Regi & regno consueti fauoris auxilia impendentes, petitionibus Regis ipsius super his & alijs, quæ Deo grata, & ipsi fidei profutura noueritis, liberaliter condescendere prudentia vestra velit, vt redemptor noster, cui præstabitis in hac parte gratum obsequium, mercedis vobis præmium tribuat, nosque deuotionem vestram dignis gratiarum actionibus prosequamur in Domino. *Dat. Auin. VII. kal. octobris anno VI.*

Frustra ab Armenis implorata Anglorum arma.

29 Legarat Constantius Armeniæ Rex in occidentem oratorem ad Philippum Francorum, & Eduardum Anglorum Reges, vt expositis orientalium Christianorum, quos soldanus crudelissime infestabatur, calamitatibus ad mutuam pacem reuocaret, incitaretque ad feliciores victorias in oriente colligendas: sed occuparat adeo Eduardi animum sceptri Gallici cupido, vt ad suspiria Armenorum eius aures obsurduerint. Cum vero redijsset ad Clementem ex Regum aula orator, Pontifex rescripsit Constantio, de maioribus auxilijs Armeniæ submittendis se deliberaturum, cum Antonij episcopi Caietani & Coronensis electi Apostolicæ sedis legatorum, qui ad excindendos errores in Armenia exortos erant missi, literas de restituta incorrupta fidei puritate accepisset, eundemque Regem Armenum grauissimis sententijs ad commendandam regiam illius in tam præclaro opere diligentiam ac potentiam est adhortatus [a]: ea enim re diuinum sibi patrocinium ad retundendos hostium conatus ipsum conciliaturum.

Solicitat Constantius Rex ad errores excindendos.

a To. 6. ep. secr. 420. & super MS. arch. Vat. pag. 86.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Constantio Regi Armeniæ illustri.

Rogamus serenitatem tuam, & attentius in Domino exhortamur, quatenus prudenter considerans, quod nulli est absque fide gratia, nulli salus; quodque figura mundi huius præterit velut fumus, præfatis legatis in officio legationis huiusmodi eis pro ipsius fidei negocijs, vt præfertur, ac tuæ subditorumque tuorum animarum salute commisso tanquam princeps catholicus & euangelicæ veritatis amicus tui fauoris auxilio potenter & patenter assistas, vt ipsi in huiusmodi officio tuo fulti præsidio ad Dei & ecclesiæ sanctæ catholicæ sponsæ suæ laudem & gloriam sic se possint vtiliter exercere, quod omnis erroris & schismatis de partibus ipsis fugata caligine, lumen catholicæ veritatis effulgeat, tuque ipsos subditos tuos non solum temporaliter regas & dirigas, sed eis ad æternæ vitæ gaudia salubriter præbuisse ducatum per laudabilium operum studia comproberis. Si enim, prout desideramus attentius, & de tuæ fidei speramus sinceritate, talibus te studijs applices, talibus operibus, vt teneris insistas, ille Rex regum, per quem viuis & regnas, te regnumque tuum ab omnibus præseruabit aduersis, vota tua continue fœcundabit prosperitate successuum, solium tuum stabiliet, & crucis hostes ad eiusdem fidei ac tuum dictique regni exterminium anhelantes, dexteræ suæ virtute prosternet, tuque nostrum & eiusdem ecclesiæ ac catholicorum Regum & principum in tuis opportunitatibus auxilium & fauorem adesse tibi efficaciter sentias per effectum. *Dat. Auin. VI. kal. octobris anno VI.* Iunxisse cum Armenis auxiliares copias Rhodiorum equitum magistrum, refert Bosius [b] ac non modo soldanum Armenia propulsatum, verum etiam arcem insignem, quam Isso vocat, olim dictam Alexandretam, parti olim de Dario ab Alexandro triumphi memoria illustrem a Constantio Rege recuperatam.

Egregiū opus vrgēti diuinā opem nō defuturā.

b Bos. p. 2. hist. eq. Hier. l. 2.

Reuocandi in eadem Armenia splendoris fidei, sic quæ erroris labe obsolesceret, folicitus Clemens Caietanum episcopum & electum Coronensem vrsit [c], vt sedi Apostolicæ significarent, quo tandem modo in expugnandis Armenorum erroribus se gessissent, vt ne fides apud ipsos refloresceret: exigebat enim ab Armenis, vt sedi Apostolicæ, quæ illorum clientelam magnis laboribus contra infideles suscipiebat, mutua consensione amoris ac fidei integritate responderent. Cum vero grauissimos sumptus in sustinendo aduersus infideles exercitu Pontifex profunderet, æquumque esset, vt crucifixi opes pro eius tuenda gloria collocarentur, sacerdotiorum quæ conferenda essent ab eadem sede redditus certo temporis spatio ærario pontificio reseruauit [d], & quæstores in Dania, Suecia, Norvvegia, Cypro, Anglia, Hibernia ea de causa instituit. [e]

c To. 6. ep. secr. 404.

Sacerdotalia vectigalia in Armenorum subsidium demulcta.

d lib. ep. 331.

e Ep. 332. ad 335.

30 Concepit pium Stephanus Rasciæ Rex eiurandi Græcorum schismatis, ac redintegrandæ veteris tum Romana ecclesia coniunctionis desiderium: quod cum Pontifici Scotarensis episcopi opera significasset, illum Clemens ad perficiendum sacrum consilium incitauit, Romanæque ecclesiæ pro tuendo ipsius regno amplissimum stu-

Rasciæ Rex ad coniunctionem ecclesiæ expetit.

studium est pollicitus subiectis literis, in quibus vbi pluribus de diuina prouidentia, quæ omnes nationes ad eiusdem ecclesiæ obsequium adducit, deque sua vt supremi omnium ecclesiarum pastoris in fide propaganda, & congregandis populis solicitudine est præfatus, hæc subiungit a.

a To. 5. ep. secr. 1019

Clemens, &c. magnifico principi Stephano Regi Rasciæ illustri gratiam in præsenti, qua perducat ad gloriam in futuro.

Cum, sicut lætanter referente venerabili fratre nostro Marco episcopo Scutarensi audiuimus, tu diuinitus inspiratus, & sancti Spiritu gratia illustratus, tuæ ac populi tui saluti animarum intendens, gregem ipsum ingredi, reiecto cuiusuis pestiferi sermento schismatis desideras & affectas, & in sinu sanctæ Romanæ ecclesiæ matris omnium fidelium & magistræ communitati fidelium ipsorum salubriter congregari, vt cum eis portionem integram bonorum illorum, quæ suis fidelibus præparauit Dominus, ipso donante, abundantius valeas promereri; nos, qui locum illius, quamuis immeriti tamen tenemus, qui omnes quærit saluos fieri, & neminem vult perire, exinde gaudij & exultationis rore perfusi, & eidem, qui rectum tibi dedit, vt perfertur, spiritum immensas gratias in humilitate spiritus referentes, tuæ salutaris deuotionis in hac parte propositum multipliciter in Domino commendamus, tuam rogantes excellentiam, & attentius in Domino exhortantes, quatenus conceptum, tibique diuinitus inspiratum propositum huiusmodi non extinguas, sed potius magis ac magis serueas in eodem.

Gratulatur illi Clemens

Nos equidem more illius hominis euangelici, ouem perditam requirentis, & super humeros reportantis ad gregem, te suscipiemus intra brachia paternæ dilectionis gaudenter, stringendo charitatiuis amplexibus te tanquam filium prædilectum, tuisque honoribus & commodis, quantum cum Deo fieri poterit, intendendo: super quibus eidem episcopo, quem tuæ beneuolentiæ recommendamus, propensius fidem credulam poteris adhibere. Vt autem de tua intentione super his operoso effectui mancipanda plenius consolemur, nos velis de illa, quæsumus, efficere per tuas literas certiores. *Dat. Auin. VI. non. martij anno V.*

Paternū gremium expandit.

Addidit hortatorias alias ad Rasciæ principes b literas Nicolaum Beccham c protouestiarium, Gregorium d Galubiam regni Rasciæ Cæsarem, aliosque proceres, vt ad pristinam ecclesiarum coniunctionem reuocandam pios Regi Stephano adderent stimulos: paratissimum enim se ad ipsum paterno sinu excipiendum, omnique amoris significatione ac studijs prosequendum. Meminit e M.S. Vaticani Germanus auctor Rasciæ Regem ad Romanæ ecclesiæ gremium admitti flagitasse, missumque episcopum Pactensem ordinis Carmelitarum, vt illum & Rascios pristinæ cum Romana ecclesia coniunctioni restitueret, non tamen rem mandatam operi, visumque pietatis specimine illusisse, vt Vngariæ Regis arma impetusque retardaret.

b Ib. ep. 3045. Et Rasciæ principibus c Ep. 1020. d Ep. 1021.

e M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Cle. VI

31 Confirmauit hoc anno diuina prouidentia insigni miraculo catholicam de sanctissimo Eucharistiæ sacramento fidem in Polonia; cum enim fures sacram pixidem, in qua erat reposita sacra hostia, cæca lucri cupiditate auro conflatam arbitrati subripuissent, comperissentque æneam, ipsam in palustrem locum proiecere; vbi mox cœlestis lux fulgore die noctuque conspecta est, Excitatus prodigij magnitudine episcopus Cracouiensis, instructo agmine religioso eo petrexit, & Eucharistiam reperit. Ad cuius miraculi commendandam secuturis ætatibus memoriam Casimirus II. Rex Poloniæ prænobilem ecclesiam in eodem loco extruxit; quam historiam Michouias enarrat a.

Eucharistiæ veritas insigni prodigio illustrata.

a Michou. l. 4. c. 24. Crem. l. 10

Quidam nequam, inquit, *& famelici latrunculi sub octauis corporis Christi anno Domini MCCCXLVII. de ecclesia parochiali omnium sanctorum in Cracouia delatorium diuinissimi sacramenti, vulgo monstrantiam, furati sunt; compertaque quod esset area, illam in paludem Mothe arbustis plenam.* Et infra.

Et cum plures mortales luminaria die noctuque in palude relucentia viderent, ad pontificem Cracouiensem eiusque venerabile capitulum, ac deinde ad Regem Casimirum rem tanquam prodigiosam pertulere. Qui, processionibus totius vrbis ordinatis, triduano prius ieiunio indicto & exacto, cum hymnis & vexillis paludem adeuntes, delatorium cum sacramento diuinissimo acceperunt, & illud ad ecclesiam omnium sanctorum, vnde erat ablatum, retulerunt.

Excellentissimus autem Rex Casimirus in loco inuentionis tam ineffabilis sacramenti, quamuis cœnoso & paludinoso, ecclesiam in honorem & titulum corporis Christi se fundaturum vouit. Nec mora: anno altero nobilem chorum & sacrarium cocto latere initiauit & consummauit, parochia quam ex antiquo ecclesia S. Laurentij habebat ei adiuncta, calicibusque ac apparatibus crucibus, cæterisque clenodijs munificentia regia adornauit, & titulum corporis Christi, quo ecclesia S. Francisci a primaua sui fundatione illustrata fuerat, fratribus Minoribus pretio precibusque contentatis, vt solidior sua fundatio permaneret, abrogari & extingui procurauit. Villa quoque Bauol in suam ditionem & proprietatem traducta, oppidum de suo nomine Kasimiria nuncupatum processu temporis muris communiuit, amplius monasterium insigne in decus sanctarum Margarethæ & Catharinæ, in quo sunt fratres eremitæ ordinis S. Augustini, constituit; chorum ecclesiæ eiusdem monasterij magnifico & liberali sumptu vsque ad integrum cum sacrario muro coctili & excelso locauit, & profundatos annulos, quos ferebat, in iactu fundationis & primi lapidis posuit: ac post autem deuotio fidelium corpus ecclesiæ cum sacellis adiecit. His consentientia Cromerus b & alij tradunt.

Templū in eo loco in quo cœlestis lux refulserat excitatū.

Condidit etiam oppidum.

b Crom. in Casim. II. hist. l. 12.

32 Hoc eodem anno adiectus est e solemni ritu sanctorum catalogo Iuo Britannus, qui apud iudicum tribunalia viduarum & pupillorum causam agebat de quo hæc M.S. Vaticani d auctor anonymus: *Hic etiam canonizauit S. Iuonem presbyterum & confessorem Britonem anno coronationis suæ VI. XVI. kal. iulij.* Cui alterius M.S. auctor consentit e: *Prædictus*, inquit, *dominus Papa canonizauit S. Iuonem presbyterum Trecorensem in Britannia multis miraculis clarentem, qui pietate gratis pro pauperibus* * *anno Domini MCCCXLVII. prædicto, pontificatus vero anno VI. anno migrationis eiusdem sancti XLVI. mortuus Auinione existente.* Effulsit ingentibus miraculis, ob quæ maturo præsulum consilio is honos ei habitus. Inter cætera, pontificium nepotem e grauissimo morbo illius apud Deum precibus curatum, vitæ scriptor tradit f, atque etiam Clementi se videndum obiecisse, hortatumque vt venerationem beatis exhiberi solitam ipsi decerneret. Cum

Iuo SS. catalogo additus.

c Gesta Clem. VI. apud Bosq. Baluz. in not. M.S. & alij.

d M.S. bibl. Vat. sign. n. 2040.

e M.S. n. 3765 in Clem. VI.

* causas agebat

Pontificis nepos eius ope valetudini restitutus.

f Sur. to. 3. die 19. maij Cromer Saxo eccl. l. 9. c. 34.

ve-

vero Philippus Rex Francorum suas preces antea ea de re adiecisset, Pontifex quæ a se ad diuinam gloriam gesta essent exposuit a, vtque in Anintonensi comitatu plura sancti suffragijs a Deo beneficia impetrarentur.

a To. 6. ep. secr. 38. ant. etiam in bull. in Clem VI. const. 1 v.

Clement, &c. Philippo Regi Franciæ.

33 Ad spiritualis gaudij & consolationis augmentum patefieri regali excellentiæ volumus per præsentes, quod nos super negotio canonizationis almi confessoris domini Iesu Christi, B. Iuonis videlicet quondam presbyteri diœcesis Trecorensis, pro qua tua sublimitas instanter hactenus nos rogauit, in nomine Domini procedentes, die sextadecima præsentis mensis iunij examinatione diutina, prolixa, prouida, & matura, sicut exigit tanti negotij arduitas, præcedente præfatum sanctum, qui vitam sanctam pijs exuberantem operibus, castigando, & in seruitutem redigendo carnem suam, spiritum non sine multis & magnis austeritatibus gessisse pœnitentialibus, dum in humanis ageret, multorumque coruscatione miraculorum tam in vita quam post felicem ipsius transitum claruisse manifestis probationibus fuit repertus, præsente fidelis cleri & populi multitudine copiosa, obseruataque solemnitate, quæ consueuit in talibus obseruari, ad laudem & gloriam diuini nominis, ac consolationem fidelium, & maxime regni tui, de quo traxisse noscitur originem, ac tui & eiusdem regni exaltationem honoris de consilio fratrum nostrorum canonizauimus, & sanctorum catalogo adscribendum mandauimus, et vt sanctum deinceps a fidelibus venerari; festum ipsius diem decimanona mensis maij, quo eius anima molecarnis exuta, cælos petens cum scala gloriæ, cælicis ciuibus est coniuncta, statuentes a fidelibus annis singulis celebrandum. Ad ipsum quidem sanctum ingentem deuotionem gerit partium istarum populus, & iam multi ad ipsius suffragia deuotis orationibus & emissis votis in humilitate spiritus recurrentes, exinde sanitatum & alia remedia super suis iustis petitionibus reportarunt, & reportare non desinunt incessanter, &c. Dat. Auin. xv. kal. iunij anno vi.

Vt carnẽ voluntarijs pœnis maceraũit

Decreti solemni pompa illi honores.

34 Qui vero ij solemnes ritus fuerint, describere visum est ex veteri M.S. Vaticano b ab auctore, qui hoc tempore in aula pontificia rituum formulis præerat, composito.

b M.S. bibl Vat. sig. n. 4737. pag. 30.

Modus qui communiter seruari consueuit circa canonizationem alicuius sancti.

Audita per dominum nostrum Papam fama alicuius sancti, & ab aliquibus honestis & autenticis personis eidem domino nostro Papæ negotio huiusmodi denuntiato, ac supplicato eidem continuatis vicibus ac pluries & instanter pro canonizatione huiusmodi facienda, dominus noster Papa consueuit hoc proponere inter fratres, scilicet Cardinales: & de ipsorum consilio committit aliquibus episcopis patriæ illius, qui dicitur sanctus, vel alijs personis autenticis, honestis, discretis, & interruptibilibus, vt inquirant de fama & deuotione populi, quam habent ad illum, qui dicitur sanctus & de miraculis & alijs, quæ eidem domino Papæ sunt nuntiata. Et illi, quibus commissum fuerit, debent inquirere & referre de fama & deuotione populi & alijs; quæ super miraculis illius, qui dicitur sanctus, inuenerint in genere & in specie & quoad famam, non quoad veritatem; & vt videatur eis, quod super veritate & in specie sit requisitio committenda. Et si scribant talia, propter quæ inquisitio veritatis committi debeat, dominus noster Papa requirit iterum consilia Cardinalium, & de ipsorum consilio definit in consistorio vtrum secundum relata sit inquisitio prædicta super veritate committenda, vel non: & si committenda videatur, iterum scribit dominus Papa eisdem vel alijs, de quibus sibi videbitur, quod veritatem de prædictis inquirant, videlicet de fide & excellentia vitæ & miraculis ac operatione miraculorum illius, qui petitur canonizari, exacte, prudenter, diligenter, & fideliter secundum articulos & interrogatoria, quæ sub bulla sua transmittit eisdem: & illi, quibus committitur, facta huiusmodi inquisitione, eam remittere debent dicto domino Papæ sub sigillis suis fideliter interclusam.

Qui ritus seruari soliti in tribuendis cuipiã SS honoribus.

Vt peragẽda primũ sit inquisitio.

Illius acta publica mittenda Pontifici.

35 *Qua inquisitione sic remissa, dominus Papa consueuit ipsius inquisitionis examinationem committere in curia aliquibus capellanis suis, vel alijs personis autenticis & discretis, & in talibus expertis, qui ordinent & forment rubricas super inquisitione prædicta: & ipsis rubricis cum exacta diligentia ordinatis & formatis committitur per dominum Papam examinatio ipsorum rubricarum & totius inquisitionis tribus dominis Cardinalibus, videlicet vni episcopo, alij presbytero, & alteri diacono; qui domini Cardinales, visis per eos & diligenter examinatis contentis in commissionibus, rubricis, & inquisitionibus prædictis, debent referre in consistorio domino Papæ plene omnia in genere supradicta, & quæ inuenerint in eisdem; hoc excepto, quod super vita & miraculis, & depositionibus testium super ipsis productorum nihil tunc in specie referunt: sed postea in consistorio in præsentia domini Papæ, & aliorum dominorum Cardinalium singulariter & sigillatim leguntur depositiones testium super vita & miraculis productorum. Primo enim leguntur depositiones testium, super vita productorum. Lectis & diligenter auditis per dominum Papam & Cardinales, antequam ad aliud procedatur, dominus Papa de consilio Cardinalium determinat, vtrum vita excellentia illius, de quo agitur, sit plene probata vel non: & ipsa determinatione facta, procedunt modo prædicto ad lecturam miraculorum, & depositionum testium super ipsis miraculis productorum. Notandum tamen, quod lecta in consistorio depositione cuiuslibet testis super quolibet articulo, vel testium saltem melius probantium, dominus Papa de consilio Cardinalium definit, vtrum illi testes plene probent articulum, de quo agitur, vel non; vel vtrum adminiculentur: & hæc scribi debent ibidem per vnum de dominis Cardinalibus, de quo domino Papæ placuerit.*

Horum examen tribus Cardinalibus committendum.

Ab his refertur ad sacrum senatum.

Vt excipiantur dicta testiũ.

36 *Quibus omnibus finitis, & diligenter per dominum Papam & Cardinales examinatis, dominus Papa debet requirere consilia ipsorum Cardinalium; & petere ab eis, an videantur prædicta talia, propter quæ sit canonizatio merito facienda: & si facienda videatur, dominus Papa ibidem in consistorio secrete inter Cardinales definit, ipsam canonizationem esse faciendam. Postea vero, definitione huiusmodi facta per dominum Papam, debent vocari omnes prælati, qui tunc in curia sunt præsentes, & dictus dominus Papa narrat eis publice in consistorio ea, quæ acta sunt & probata secrete, definitione facta prædicta suppressa: & requirit consilia eorundem prælatorum.*

Statuatur an probationes sufficiant.

Vocentur in consiliũ prælati.

Deinde assignatur per dominum Papam certa dies ad aliquem certum locum aptum ad hoc, vbi habeant conuenire idem dominus noster Papa & Cardinales, & alij prælati de curia, & clerus & populus: & iterum extra consistorium per dominum Papam, sex vel septem prælatis ad minus, de-

Designentur qui rationes argumentis concionibus habeant.

qui-

quibus eidem domino Papæ videbitur faciendum, qui dicta die assignata habeant publice prædicare. Habet etiam tunc dominus noster Papa ordinare gradus inter ipsos prælatos, qui prædicare habebunt, ut videlicet primo talis prædicet, & talis secundo, & sic de alijs: consueuit enim dicta dies assignari per unum mensem ante, vel per tres septimanas ad minus ad finem, quod prædicti prælati diligenter collationes potuerint studuisse, quas ipsa die assignata succinctè & breuiter in publico facere habebunt. Conclusiones vero dictarum collationum debent esse tales, videlicet quod ostendant per rationes, quod dicta canonizatio est merito facienda, & supplicetur domino nostro Papæ, ut facere dignetur eandem.

Deligantur Cardinales, qui cõponant officium.

37 *Facta vero prædicta definitione secreta per dominum Papam, & prælatis vocatis, & die certa ad faciendum collationes ipsis prælatis, ut præmittitur, assignata dominus Papa interim in consistorio consueuit committere duobus dominis Cardinalibus, potissime religiosis, qui nouerint in sacra pagina, ut unus ipsorum legendam seu lectiones ordinet super vita ipsius sancti, & aliqua de miraculis probatis in ipsis lectionibus recitando; alius vero ordinet responsoria & antiphonas ac orationem: ipsis enim ordinatis, dicti duo domini Cardinales omnia legere debent in consistorio temporibus opportunis. Peruento itaque ad dictam diem assignatam mane hora consistorij, conueniant ad locum ordinatum dominus Papa more consistoriali, videlicet cum manto seu pluuiali rubeo & mitra aurifrigiata cum perlis, & omnes Cardinales & prælati cum communibus vestibus, videlicet cum cappis laneis, & etiam clerus & populus ibi cõueniant.*

De celebri coetu agenda.

Dictus vero dominus noster Papa, veniendo ad dictum locum, associatur per Cardinales tunc præsentes, duobus diaconis Cardinalibus sibi a dextris & a sinistris, ut est moris, assistentibus: & in dicto loco debet esse faldistorium seu cathedra cum scabello parata, in qua dictus dominus noster Papa sedere possit. Residente vero ipso in dicto cathedra, fit ei reuerentia solita per solos dominos Cardinales: qua reuerentia facta, sedeant suo ordine more consistoriali domini Cardinales, & duo diaconi Cardinales Papæ assistant, ut superius est iam dictum: prælati vero alij stant ex opposito domini Papæ a dextris & a sinistris, prout locus patietur. Quibus residentibus surgere habet procurator huiusmodi negotij, existens ex opposito dicti domini Papæ, & assumpta sibi aliquali auctoritate, narrare debet aliqua de huiusmodi negotio, &

Supplica oratione habenda ad Pont.

supplicare ipsi domino nostro, ut ipsa sanctitas sua audire dignetur aliquos prælatos, qui super prædictis prædicare intendunt: & nihilominus quod placeat sanctitati suæ definire illum, de quo agitur, esse sanctum, & sanctorum catalogo ascribendum, & tanquam sanctum esse a fidelibus venerandum; ac festum eiusdem anno quolibet perpetuo certa die, de quo ipsi domino nostro Papæ videbitur, celebrandum. Et huiusmodi supplicatione per dictum procuratorem facta, surgat ille prælatus, qui primo prædicare seu collationem suam facere debet, iuxto ordinationem antedictam, & incipiat collationem suam, & eam prosequatur succinctè & breuiter: qua finita surgat secundus & faciat similiter, & sic de alijs.

Habendis in sanctj laudem concionibus.

38 *Finitis vero omnibus collationibus supradictis, dominus noster Papa surgit, & diaconus Cardinalis, qui assistit ei a sinistris, dicit more solito: Confiteor; quo dicto, datur indulgentia per dominum nostrum Papam de uno vel duobus annis & totidem quadragenis, vel plus, prout domino Papæ placuerit: qua indulgentia data, dominus Papa, deposita sibi mitra, facit absolutionem, & dat benedictionem: deinde pronuntiatur dicta indulgentia per unum de dominis Cardinalibus: & ipsis expletis reuertitur ad cameram suam.*

Danda indulgentia.

Post hæc vero in consistorio ordinatur certa dies ad aliquam certam ecclesiam, in qua conuenire habeant dominus Papa, Cardinales, et prælati alij de curia, ac clerus et populus pro solemnitate canonizationis huiusmodi facienda. Qua quidem die adueniente, sternatur tapetis ecclesia, et paretur, et illuminentur in ea cerei multi: et mane, descendente domino nostro Papa ad eandem ecclesiam, occurrat ei processio cleri illius ecclesiæ. Cum autem est in ecclesia, orat aliquantulum ante altare, deinde ascendit sedem suam in medio ecclesiæ paratam, et ibi recipiat Cardinales, et alios prælatos more solito ad reuerentiam: et ipsa reuerentia facta, Cardinales & prælati alij parantur paramentis albis. Quibus paratis Papa, prout de camera venit, scilicet cum pluuiali rubeo, & mitra aurifrigiata cum perlis vadat ad cathedram eminentem ante altare cum scabello paratam, et ibi sedendo facit sermonem, mitram tenendo in capite, ut est moris, processum recitando et probata, ac inducendo populum ad orandum pro eo, quod Deus non permittat eum errare in hoc negotio.

Ornanda solemnis pompa.

Indicuntur preces ne erret ecclesia.

39 *Finito vero sermone huiusmodi, dominus Papa prædicit se oraturum, et hortatur alios ut orent, ut supra, scilicet quod Deus non permittat eam errore in hoc negotio. Deinde flexis genibus fit deuota oratio: et Papa tunc debet incipere, cantando hymnum, Veni creator Spiritus. Quo incepto genuflectat, & in fine primi versus surgere debet, & continuatur totus hymnus ab omnibus alijs cantando. Quo hymno cantato, si domino Papæ placet, diaconus Cardinalis a dextris Papæ assistens dicit: Flectamus genua: & dominus Papa & cæteri alij basse & secrete genibus flexis orant: & deuota oratione facta, post moram diaconus Cardinalis, qui est a sinistris, dicit Leuate: & tunc omnes surgant. Quibus leuatis, dominus Papa, tenendo mitram in capite, definit publice illum, de quo agitur, esse sanctum, & sanctorum catalogo ascribendum, & tanquam sanctum ipsi ab omnibus venerandum, ipsumque sanctorum catalogo ascribit, statuens ut ab uniuersali ecclesia in die tali festum eius et officium deuote et solemniter celebretur: quam definitionem facere poterit ipse dominus noster, ut sequitur.*

Decantandus hymnus Veni creator.

Ad honorem Dei omnipotentis Patris, Filij, et Spiritus sancti, et exaltationem fidei catholicæ, et Christianæ religionis augmentum auctoritate ipsius Dei omnipotentis Patris, et Filij, et Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostra de fratrum nostrorum consilio decernimus et definimus, bonæ memoriæ N. sanctum esse, et sanctorum catalogo ascribendum: ipsumque dictorum sanctorum catalogo ascribimus, statuentes ut ab uniuersali ecclesia anno quolibet in die tali festum ipsius et officium sicut pro uno confessore, si sit confessor; vel sicut pro uno martyre, si sit martyr, deuote et solemniter celebretur. Et si domino Papæ placuerit, poterit addere ista verba: Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis ad sepulchrum eiusdem in die tali deuote accesserint, unum annum et quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis infra octauas dicti festi ad sepulturam ipsius quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. Quibus verbis per dominum Papam prolatis, ipse dominus Papa mitra deposita, incipit cantando hym-

Formula decernendi cuipiã SS. honores.

Concinentur postea Numini laudes.

hymnum: Te Deum laudamus, quem cæteri cantando prosequuntur. Quo finito diaconus Cardinalis a sinistris Papæ assistens dicat vers. Ora pro nobis B. N. .. alleluia, & cæteri respondeant: Vt digni efficiamur gratia Dei, alleluia: si vero solemnitas fieret a septuagesima vsque ad pascha, in prædicto festo omittetur alleluia. Deinde dominus Papa dicit cantando: Dominus vobiscum, & respondetur: Et cum spiritu tuo. Dicat: Oremus, & postea orationem, quæ competat illi sancto, finiendo ipsam orationem: Per Christum dominum nostrum, & respondeatur: Amen. Et ipsa oratione finita, dictus diaconus Cardinalis a sinistris Papæ assistens dicat: Confiteor, &c. vt est moris, & locis debitis, scilicet immediate post Apostolos, faciat mentionem de dicto sancto. Qua confessione finita, dominus Papa dat indulgentiam gratiosam septem annorum & septem quadragenarum: & data indulgentia per Dominum nostrum Papam, ac mitra eidem deposita, facit absolutionem, & dat benedictionem more solito, dicendo: Precibus & meritis, &c. faciendo mentionem loco suo de sancto canonizato.

Inter sacra fit mentio eiusdem sancti.

Quibus factis, accedat dominus noster Papa ad locum consuetum, vbi recipiat pontificalia paramenta, scilicet alba: & postea more solito missam celebret solemniter in honore dicti sancti canonizati. Qua missa finita, ac data iterum indulgentia in fine missæ de VII. annis & VII. quadragenis, & depositis paramentis, ad cameram suam siue ad palatium reuertatur cum pluuiali & mitra, prout primitus ad ecclesiam venerat.

40 Seruatis hisce ritibus in cõsecranda B. Iuonis memoria contulit Pontifex ad fideles ad illius venerationem alliciendos indulgentiarum præmia illius sepulchrum adituris, et translationis celebritatem honestaturis, vt subiectum diploma anno proximo datum ostendit. a

Trãslatio S. Iuonis. a To. 7. ep. secr. 979.

Clement, &c. venerabili fratri episcopo & capitulo Trecorensi.

Laudabilis & longæuæ obseruationis exemplo imitatione digna decreuit antiquitas dies, quibus primum sanctorum corpora de ipsorum tumulis transferuntur, festiuitate celebri venerandos, vt iuxta sacræ paginæ veritatem de loco suo laudibus pullulent ossa sanctorum, et sicut in tempore suo tritici aceruus infertur, sic sancti post congesta opera recolenda sepulchrum in abundantia gratiæ comperiantur ingredi, dum post præsentis vitæ pressuras præmia patriæ cælestis inueniunt. Et non solum eorum spiritus in claritate veri luminis, et secreto æternæ gloriæ occultantur, horreum quasi conseruationis ingressi; sed et eorum corpora, licet adhuc terrea de humilitatis tumulo ad venerationis cumulum eriguntur. Profecto translationem huiusmodi iustitiæ præfigurasse videtur ille accrescens & decorus aspectu, qui de hoc seculo transiturus, fratres adiurans, ad promissionis terrã ex Ægypto sua petijt ossa transferri. Nos igitur noui sancti, sanctorum nouiter congregati collegio, ex signorum insignium præclara congerie, beati videlicet Iuonis confessoris olim Trecorensis presbyteri translationem volentes solemniter celebrari, auctoritate apostolica præsentium vobis tenore concedimus, vt corpus confessoris eiusdem congrua temporis opportunitate captata, conuocatis clero & populo Trecorensibus cum debita solemnitate ac honorificentia digna ad locum transferatis idoneum, diem translationis huiusmodi, quem perpetuis temporibus celebrandum fore decernimus, festiuis solemnijs celebrantes, &c. Addit nonnullarum indulgentiarum præmia ad incendendam eorum pietatem, qui expiata rite conscientia vel celebritati intererunt, vel sepulchrum S. Iuonis recurrente eius annis singulis festo die lustrabunt. *Dat. Auin. IV. id. maij anno VI.*

Iusse peragendam probatur exemplo.

Eã cohonestaturis proposita indulgentia.

IESV CHRISTI
annus 1348.

Clementis PP. VI. 7. Carols IV. Rom. Regis 3. Io. Palæologi Imp. Or. 8.

1 PErcussus diuinæ iustitiæ flagello ingemuit occidens anno a virgineo partu millesimo trecentesimo quadragesimo octauo indictione prima, sæuiente atroci adeo lue, vt redactæ vrbes in solitudines, & deesse mortuis sepeliendis viui viderentur. Et quamuis ea omnes pene nationes sit peruagata, nonnulla tamen regna altero belli flagello attrita cælestes magis iras excepere. Inter quæ Sicilia citerior calamitatum exemplum ac theatrum fuit: vidit enim prius pulsam Reginam, principes vinctos, Dyrrachij ducis fusum cruorem, matronas regia stirpe satas ad mendicitatem redactas, populos a latronibus spoliatos. Peruenerat, vt vidimus, extremo anno superiori Ludouicus Rex peruigilio natiuitatis dominicæ die Aquilam, ineunteque anno Neapolitani ciues, missis oratoribus, regnum vt Caroli II. maioris natu filij nepoti ac iusto Regi detulerunt a. Quibus perculsa Ioanna Regina, Vngarieq; Regem cũ ingẽti exercitu Neapolim petere accipiẽs, ex eiusdem vrbis arce, in quam se receperat, impositis triremibus thesauri auiti reliquijs, cum exiguo comitatu in Prouinciam velis remisque contendit: quam Ludouicus princeps Tarentinus, cum se proditum a patruelibus principibus alijsque videret, magnis itineribus secutus, mortem aut carcerem imminentem effugit.

Lud. Regis Vngar. in Neap. regnum ingressus.

Neapolitani illi se subijciunt Ioanna se in Prouinciã aufugit. a Io. Vill. l. 12. c. 110.

Cæteri regiæ stirpis principes, nimirum Robertus Imperator Constantinopolitanus appellatus Tarenti princeps ac Philippus minor natu frater, Carolus Dyrrachij dux ac Ludouicus & Robertus fratres, pluribus stipati proceribus officij causa Vngarum Auersæ agentem conuenere: a quo ad mutuos amplexus & oscula regiasque dapes admissi. Sed mox proditione Vngarus fraternam proditionem vlcisci meditatus, Carolum Dyrrachij ducem necari in eodem loco, in quo Andreas fuerat præfocatus, ac principes alios regiæ Siculæ mancipari vinculis imperauit b. Auollis deinde signa versus Neapolim iussit, eamque instructis agminibus ingressus terrore compleuit, ciuium contempsit honores, mutauit veteres magistratus, deque fraternæ necis auctoribus quæstiones nouas exercuit: tum graues apud Clementem querelas fudit, Ioannam vniuersi sceleris in Andream patrati consciam artificemque omnium sontium testimonijs conuinci. Ad asserendum vero sibi Neapolitanum regnum oratores ad Pontificem decreuit, qui exposcerent, vt Bertrando Cardinali Apostolicæ sedis in Sicilia legato, vel alteri ipsius Sicula corona exornandi auctoritatem conferret, ac significarent, paratum Ludouicum ad suscipiendum iter Auinionense, vt e pontificijs manibus Sicula corona exornaretur: rogarent etiam Clementem, ne fœdus confirmaret pactum inter Ioannam Reginam ac Ludouicum Friderici olim Trinacriæ Regis nepotem, qui insulam Siciliæ occupabat, ex quo Ioanna suis iuribus cesserat; recuperare

Principũ deditio & vincula.

Carolus Dyrrachius cæsus. b Ild. a. 128 Marsh. Vill. l. 1. c. 10. Hœse. l. 2. c. 35. Collenu. l. 5. Summ. l. 3. & alij.

enim

enim eam insulam ex Aragoniorum manibus meditabatur, ac facile rem perficere poterat, cum mense aprili Ioannes dux, qui insulam egregie administrarat, ac noua illius retinendæ iura pepererat Aragonijs, obijsset. Ex cuius obitu tanta inter proceres regni procurationem affectantibus orta discordia, vt illud pene in solitudinem redegerint. a

Trinacriã subijcere meditatur Vngarus.

a Fazell. l. 9. decad. poster. c. 5. Matth. Vill. l. 1. c. 31.

2 Institit etiam Vngarus, vt Ioanna in custodia, in quam a Prouincialibus coniecta fuerat, detineretur; atque in eam ex iudiciorum ordine haberetur quæstio: excusauit eorundem oratorum opera sua in Siciliam gesta: transmissum ad paternam auiam Carolum Martellum educandum: Carolum Dyrrachij ducem iure cæsum, accessisse vocatum in Siciliam: fraternæque necis vltionem iustissimam repetijsse. Denique significauit nullo succinctum exercitu Auenionem se accessurum, modo Carolum Martellum vel Stephanum ducem Transiluaniæ regni Siculi moderatorem crearet. Adiecere oratores nonnullas in Talayrandum Cardinalem querelas, precesque ad Clementem exorandum, vt apostolica beneuolentia Ludouicum prædecessorum more complecteretur. Quibus respondit Pontifex, se Ludouico Siculi regni insignia iure tribuere non posse, cum Ioanna sceleris conuicta non esset, ac si ea damnaretur: censere nonnullos ad Carolum Martellum ex veteri pacto regnum spectare, alios vero ad ecclesiam deuolui: initas inter Ioannam & Ludouicum Trinacrium fœderis leges, quibus illa suis in insulam iuribus cesserat, neque confirmatas fuisse, neque visas ab sede Apostolica: constitutos nonnullos Cardinales ad excutiendam Ioannæ causam iudices: Carolum Martellum in Vngariam sine pontificia voluntate transmitti non debuisse: cæsum iniuria insontemque videri Carolum Dyrrachij ducem, nec seruatum in illius supplicio iudiciorum ordinem: Talayrandi accusationes meras esse calumnias: nullam diffidentiæ de apostolico studio causam subesse posse: iniuste quibusdam ditionis ecclesiasticæ arcibus præfectos eum imposuisse: fauisse Apostolicæ sedis hostibus, ac præsertim Nicolao Laurentio, quem ipsa capi iusserat: regnum a Vvernero Sueuo ipsius duce cædibus, latrocinijs, libidinibus fœdatum: neque iure Robertum Constantinopolitanum Imperatorem aliosque principes, in vincula coniectos. De quibus singulis ad Bertrandum Cardinalem Apostolicæ sedis in Sicilia legatum nonis maij scripsit b, vt Regem ad assentiendum æquitati, atque iniuste præsumpta reuocanda pro sua sapientia adduceret.

Gesta excusat apud Pontificem.

Pontificis responsũ ad Lud.

b To. 6 ep. secr. 1397

Clemens &c. Bertrando Cardinali A.S.L.

3 Primo ad id, quod idem Rex [nimirum Ludouicus Vngarus] nobis scripsit suppliciter postulans, vt tibi vel alteri coronationem committeremus ipsius: licet velimus & desideremus attente memorato Regi in omnibus, quantum cum Deo possimus, liberaliter & fauorabiliter complacere; debent tamen idem Rex & consilium eius diligenter attendere, & attenta meditatione pensare, vtrum id possimus facere sine offensa Dei, & magna conscientiæ læsione: cum charissima in Christo filia nostra Ioanna Regina Siciliæ illustris, quæ tam ex testamento claræ memoriæ Roberti Regis Siciliæ aui sui, quam alias vt proximior dicto Regi in regno Siciliæ successisse dignoscitur, quæue pro eodem regno per nos ad homagium est recepta, & quæ non interueniente ecclesiæ Romanæ iudicio, eodem regno per ipsius Regis Vngariæ potentiam se queritur spoliatam, ac super spoliatione huiusmodi petit sibi iustitiam exhiberi. *Et infra:* De crimine mortis claræ memoriæ Andreæ Regis Siciliæ viri sui nec condemnata sit nec conuicta: & esto quod esset de huiusmodi crimine condemnata, nonnulli asserunt, secundum conuentiones habitas in concessione dicti regni inter eandem ecclesiam & claræ memoriæ Carolum primum Regem Siciliæ tunc in humanis agentem præfato Regi facta per eandem ecclesiam, regnum ipsum ad dilectum filium nobilem virum Carolum Martelli primogenitum dictæ Reginæ ducem Calabriæ successionis iure spectare: & aliqui tenent, regnum præfatum fore ad eandem ecclesiam deuolutum. Et nos libenter vellemus, quod idem Rex Vngariæ diligenter attenderet, qualiter eum qui rem aliquam non expectata sententia iudicialis arbitri auctoritate propria occuparit, tam ciuiles quam canonicæ sanctiones rei occupatæ priuant dominio & iure, si quod sibi in ea vel ad eam quomodolibet competebat.

Ioanna sine legitimo iudicio se spoliatam queritur, & restitui postulat.

4 Ad ea etiam, quæ per dilectum filium Martini clericum suum scripsit, vt tractatum inter Reginam prædictam & Siculos habitum confirmare nollemus: poterit Regi responderi præfato, quod licet ijdem Siculi multos tractatus, nobis & eidem ecclesiæ forsitan vtiles, diuersis successiue vicibus obtulissent, suos ad nos propterea frequenter nuntios destinando; verumtamen, quia eorum in hac parte causa inter ecclesiam & Reginam præfatas coniuncta & eadem quodammodo videbatur, eosdem Siculos exaudire noluimus; nec tractatus eorum, quos vt præmittitur, frequenter obtulerant, duximus admittendos. Verum est tamen, quod Regina ipsa sine scitu nostro, & absque eo, quod significauerit aliquid nobis, inde tractatus aliquos cum eisdem Siculis dicitur habuisse: quos tractatus nec vnquam vidimus, cum nec nobis oblati fuerint: & nos ad approbationem vel reprobationem ipsorum procedere nullo modo proponimus prætermissa ipsius ecclesiæ grauitate.

De Ioannæ cum Trinacrijs tractatu.

Respondeatur etiam dicto Regi ad id, quod nobis per Martinum descripsit eundem, super ipsius arrestatione Reginæ, quod nos dudum inquisitionem super præmisso crimine non solum contra Reginam eandem, sed & contra regales cæteros vtriusque sexus tibi, cum adhuc eadem Regina in ipsis partibus moraretur, & postquam Regina ipsa huc applicuit, venerabili fratri Bertrando episcopo Ostiensi, & dilectis filijs nostris Guillelmo tit. S. Stephani in Cælio monte presbytero, ac Galhardo S. Luciæ in Silice diacono Cardinalibus contra præfatam Reginam commisimus faciendam; qui, tanquam veri iustitiæ zelatores, ad inquisitionem huiusmodi & alia contra ipsam Reginam, si inueniatur culpabilis procedent, prout fuerit suadente iustitia faciendum: et cum inquiri commode in Ioannam non possit, solicitandum precibus Vngariæ Regem, vt publicas tabulas a Bertrando comite montis Caueosi de crimine illatæ Regi Andreæ necis confectas, vel earum exempla transmitteret].

Poscit Vngarus vt Ioanna comprehendatur a Pont.

Responsũ Clementis.

5 Rursus ad ea, quæ venerabilis frater noster Stephanus archiepiscopus Colocensis, & dilectus filius præpositus ecclesiæ Budensis Strigoniensis diœcesis nobis pro parte Regis Vngariæ exposuerunt ipsius, ac alia quædam, quæ Ioannes de Campello archidiaconus Orodiensis etiam tetigit: videtur suprascripta responsio facien-

cienda. Ac primo super eo, quod suppliciter petiuerunt, quod sicut ad Reges alios, affectum dilectionis exhiberemus ad ipsum: de tali petitione miramur, cum nos eundem Regem Vngariæ inter cæteros catholicos principes orbis terræ dilexerimus, & ostenderimus signa charitatis, & dilectionis eidem, nuncios suos recipiendo benigne, ac honeste tractando, & honorando, & quantum cum Deo & iustitia potuimus, expediendo feliciter; supplicationesque suas tam super episcopatibus, quam alijs ad exauditionis gratiam fauorabiliter admittendo: super negotio quoque dicti Andreæ Regis Siciliæ, dum viuebat, quidquid honeste potuimus faciendo, intitulationem, inunctionem, & coronationem regias ei liberaliter concedendo, ac huiusmodi coronationem venerabili fratri nostro G. Carnotensi episcopo committendo, multosque solemnes nuncios pro ipsius Andreæ Regis prosperitate ad regnum destinando præfatum; ac penes Reginam eandem, vt eum ad administrationem dicti regni reciperet, & maritali affectione tractaret; per nuncios & literas sæpius insistendo, illos insuper, qui dicebantur Reginam ipsam ab eiusdem Regis dilectione auertere, processus apostolicos graues pœnas & sententias continentes, a dictæ Reginæ consortio repelli mandando, & post eiusdem Regis proditoriam mortem aduersus omnes huiusmodi mortis patratores, tractatores, & conscios processus generales, grauissimas & insolitas quodammodo pœnas & sententias spirituales & temporales continentes, faciendo; & nihilominus inquisitionem super tanto crimine faciendam præfato comiti (quem credebamus eidem Regi Vngariæ magis fauorabilem atque propitium, quique nonnullos, quos repererat tanti criminis reos atque culpabiles, vltimo deputauit supplicio) committendo; te quoque ad inquirendum super hoc non solum contra Reginam, sed & cæteros regales prædictos ad partes ipsas, commisso tibi in eis plenæ legationis officio, transmittendo: nec recordamur aliquid memorato Regi Vngariæ denegasse, quod ei absque remorsu conscientiæ ac offensa Dei potuerimus concessisse. Aduertant igitur dicti Rex Vngariæ eiusque consilium, vtrum Rex idem de nobis conqueri aut diffidere iuste possit, vt de ijs, quæ aduersus ipsum in tam multis & magnis, in quibus nos & eandem ecclesiam offendisse dicitur, omisimus vsque nunc facere, taceamus. *Et infra.*

Sua in Vngarum studia exponit Clemens.

Quæ pro Andrea caso gesserit.

Affectos supplicio reos.

Super eo etiam, quod de missione dicti Caroli Martelli in Vngariam exposuerunt nobis: Regi respondeatur præfato, quod licet alias institerimus penes Reginam eandem, vt præfatum Carolum Martellum ad charissimam in Christo filiam nostram Elisabeth Reginam Vngariæ illustrem auiam suam mitteret nutriendum, ne forsan de eo fieret impie quod de memorato Rege patre suo fuerat tam nequiter perpetratum; tamen eiusdem Caroli Martelli captio & extra dictum regnum transmissio, præter conscientiam nostram factæ, in nostrum & eiusdem ecclesiæ præiudicium & contemptum attentatæ noscuntur: nec scimus, vtrum expedierit moderno tempore, & an placuerit vel displicuerit gentibus dicti regni.

Queritur Clemens se inscio Carolum Martellum in Vngariam transmissum.

6 Ad id denique, quod de morte quondam Caroli ducis Duratij proponere curauerunt: poterit responderi, quod libenter vellemus dictos Regem eiusque consilium attendisse, qualiter præfatus dux Duratij in captione & punitione proditorum ac patratorum dicti criminis se virtuose ac viriliter, vt intelleximus, habuit: & qualiter non erat forsan possibile, quod illi capi tunc, nisi dicti ducis, vt fertur, interueniente ministerio, potuissent. Propter quod attendant si verisimile videatur, quod dictus dux ad captionem & punitionem proditorum processisset huiusmodi, si tanti sceleris conscius extitisset. Nec debuit dictorum Regis & consilij consideratio præterire, quod patratorum huiusmodi sceleris ad nos dumtaxat pertinebat & pertinet, sicut nos etiam duximus per nostras literas specialiter declarandum; insuper vtrum in morte ipsius ducis formam iuris seruauerint, aut ex toto eam omiserint, attendere debuerunt: cum id etiam, quod est iustum, scriptura iuste præcipiat exequendum. *Et infra.*

Excusat Carolum Dyrrachij ducem.

Casum sine iudiciario ordine dolet.

7 Item ad id, quod proposuerunt de arrestatione Reginæ, respondeatur vt supra responsum est, quod nos inquisitionem faciendam contra Reginam prædictam episcopo & Cardinalibus commisimus supradictis, qui sicut de eorum virtutibus & probitate confidimus, facient super hoc quod iustitia suadebit. Item super ijs, quæ nomine dicti Regis Vngariæ proposuerunt contra dilectum filium nostrum Talayrandum Cardinalem, &c. [Asperserant eum Regis oratores patrati in Andream homicidij suspicione & infamia, quam ab eo detergit Pontifex: alienum penitus tam immane crimen a sancto viro, tot virtutibus prædito, atque adeo illustri prosapia sato: illum acerbissimo dolore audita Andreæ nece sauciatum fuisse. Viderent porro qui has calumnias ipsi suggererent, quanto dedecore sacrum Cardinalium collegium afficerent, qui horrendum flagitium Talayrando affingerent].

Talayrandus Card. excusatur de imposito crimine.

8 Item ad ea, quæ dixerunt, quod idem Rex Vngariæ libenter solus venisset ad nos, dummodo tamen vel eundem Carolum Martellum, aut dilectum filium nobilem virum ducem Poloniæ suum vicarium ordinasset: respondeatur eidem, quod nos libenter videremus & honoraremus eundem & pro eo quidquid possemus absque Dei offensa, & præiudicio partis, ac iuris iniuria faceremus. Asseruerunt etiam dicti archiepiscopus & præpositus nomine dicti Regis, quod idem Rex paratus erat venire ad nos personaliter, ad suscipiendum coronam regiam pro regno Siciliæ, si per nos ad id vocaretur. Ad quod ipsi responderi poterit, quod satis potest considerare circumspectio regia, quid nobis liceat, quidue deceat in hac parte. Nunc igitur videtur responderi posse præscripto modo ad omnia, quæ idem Rex nobis tam per literas, quam per nuncios intimauit.

Excusat se Clemens, non posse regnum conferre Vngaro.

9 Ostendatur insuper memorato Regi, quomodo prædictum regnum nullo modo iuste potuit occupare: & offeratur eidem, quod si aliquod ius in eodem regno sibi credit competere quoquo modo, parati sumus exhibere sibi super hoc celeris & fauorabilis iustitiæ complementum: & requiratur etiam, quod ea, quæ contra eandem ecclesiam in terris suis demanialibus & alijs pleno iure spectantibus ad eandem, sicut mittendo vicarios ad ciuitates & castra quædam ipsius ecclesiæ, præiudicialiter admodum dicitur attentasse, velit efficaciter & effectualiter reuocare; & quod tyrannis ac inimicis & persecutoribus eiusdem ecclesiæ, sicut decet principem catholicum & fidelem, nullum omnino præbeat auxilium, consilium, vel fauorem; reducendo ad me-

mo-

Proponit cumulata in eum ab ecclesia beneficia.

motism dicti Regis, quæ, qnot, & quanta eadem Romana fecit ecclesia in fauorem claræ memoriæ Caroli Regis Vngariæ patris sni, mittendo ad partes Vngariæ in auxilium Caroli Regis eiusdem legatos sedis apostolicæ ipsius, videlicet S. R. E. Cardinales, & adindicando sibi prædictum regnum Vngariæ contra Regem Boemiæ ac ducem Bauariæ, qui tunc erat, quorum quiliberse Regem intitulabat Vngariç, & eiusdem Vngariæ regni susceperanr diadema: & inducatur prudenter & prouide, quod horum aliorumque fauorum multiplicium, quos eidem patri ac progenitoribus suis eodem impendit studio, piæ matris ecclesiæ esse velit recognitor deuotus & gratus; & attendete diligenter, quod raro vel nnnquam alius aduersus eandem ecclesiam supra firmam petram, quæ est Christus Iesus, stabili firmitate fundatam, contra quam, teste ipso Christo, portæ inferi præualere non possunt, legitur erexisse calcaneum, quin finaliter diuina maiestas dextræ suæ virtute illum deiecerit, contriueritque deiectum.

Monetur Vngarus, ne Nicolaũ Laur. tribunũ foueat.

10 Item requiratur ipse Rex, vt deuotus ipsius ecclesiæ filius operum expetimento probetur, quod ab omni iuuamine, auxilio, & fauore viro illi nequam Nicolao Laurentij ciui Romano excommunicato & suspecto vehementer de hæresi, ac vtinam non infecto, eiusque sequacibus atque fautoribus impendendo prorsus abstineat; quinimmo Nicolaum eundem, qui per aliquod tempus fertur in ciuitate Neapolitana mansisse, capi faciat, & captum ad nos vel ad te mittere studeat, pro suis demeritis recepturum; ostendendo sibi quam periculosum esset eidem, & quam granem & inextricabilem quodammodo maculam in sua gloria poneret, si suspecto de hæresi, vt præfertur, faueret vel, qnod absit, qnomodolibet adhæreret. [Dedit etiam legato Pontifex impetia, vt Ludouico Regi exponeret quot & quanta mala dux Vvernerus alijque ipsius stipendiarij Siciliæ insulissent, qui non indicto bello tauro furore irruperant, ac nullo sexus ætatisue discrimine ferinam in omnes crudelitatem exercuerant: quos si Rex tot cædibus temperare iuberet, facile a tantis flagitijs absisterent. Pergit Clemens.]

Queritur de cladibus ab Vngaris Siciliæ illatis.

Item cum punitio omnium qualitercumque culpabilium de morte Andreæ Regis eiusdem ad nos dumtaxat pertineat, vt præfertur, ipseque Ludouicus Rex charissimum in Christo filium nostrum Robertum Imperatorem Constantinopolitanum illustrem, & dilectos filios nobiles viros Philippum de Tarenro, ac Ludouicum & Robertum de Durario occasione huiusmodi criminis auctoritate propria ceperit, & captos in Vngariam, sicut præmittitur, destinarit; attendat circumspectio regia vtrum nobis & eidem ecclesiæ tanquam filius deuotus & reuerens detulerit in hac parte: maxime cum nihil fuerit super ijs per nos subductum iustitiæ, nosque parati simus, sicut & semper extitimus, facere de prædictis regalibus absque cunctatione qualibet, si & prout culpabiles reperti fuerint, de præmisso crimine quod iustitia suadebit, &c.] Præcipit legato, vt si Vrbis, Patrimonij, aliarumque rerum, quæ ipsi commissæ sunt, status patiatur, ad Ludouicum se conferat, vt hæc in ipsius oculis & animo defigat: sin vero illuc contendere non possit, eam prouinciam Petro episcopo Viterbiensi, atque alteri præsuli de omnibus egregie ab ipso instructis transfundat. *Dat. Auin. non. maij anno* VI.

Captos contra fas principes.

11 Solicitatus iterum Clemens, vt Siculum regnum Ludouico Vngariæ Regi confirmaret, ac regia insignia illi conferret, negauit [a] id iure perfici posse, neque ad deuinciendam eo scelere conscientiam se vnquam adductum iri: restituendæ tamen concordiæ Siculo regno varias rationes attigit, si Ludouicus regni custodiam sedi Apostolicæ permitteret, ac sententiam de controuersis in regnum iuribus exciperet: aut si regnum Carolo Martello tribueretur, atque a sede Apostolica ex antiquis cum Carolo I. pactis administrando regno legatus præficeretur: vel denique si Ludouicus consuetum censum sedi Apostolicæ penderet, neque ecclesiæ hostibus studeret in regni possessione tolerari posse ea lege, vt sedes Apostolica cum ipso nullas pactiones iniret, suaue firmaret auctoritate, & aduersæ parti ipsum in ius vocanti ex legum & iudiciorum ordine non deesset. At nullam ex ijs propositam concordiæ rationem Ludouicus Vngariæ Rex iniit cum Pontifice, cum antequam literæ a Cardinale legato afferrentur, iam ille sæuientis epidemiç metu in Vngariam auolasset.

Variç cõcordiæ pactiones propositæ.

Ludouici in Vngariam recessus.

Interea Ioanna, custodiç tradita [b] in Aquensi arce, ad Ludouici Tarentini, qui Prouincialium metu aufugerat, [c] preces iussu pontificio dimissa Auenionem se contulit, obtinuitque a Pontifice, vt solutis de consanguinitate canonicis legibus Ludouico, ex quo vterum iam gerebat, connubio iungeretur [c]. Postulata [d] vero iudicio ab Vngariç Regis oratoribus, obiecta exceptione, ad vim Ludouici, a quo regno pulsa esset, vi retundendam incumbendum respondit: excitaq; a Neapolitanis absente Ludouico, vt pecuniam pro recuperando amplissimo regno conficeret, Auenionem pretio distraxit, quam editis publicis tabulis emit Clemens [e], obtinuitque a Carolo Romanorum Rege, cum ea vrbs imperij esset beneficiaria (quod in Frederico II. vidimus [f]) vt emptionem ratam haberet atque etiam regia liberalitate ab imperio diuelleret, adeo vt supremo ab ecclesia iure teneretur, vti Clementis vitç auctor narrat his verbis [g]: *Ciuitatem Auinionensem cum suo territorio a Ioanna Regina Siciliæ, ad quam per prius spectabat, tenebaturque in feudum ab imperio, Romana ecclesia dato magno pretio emit, consensu tamen & voluntate memorati Caroli Regis Romanorum in Imperatorem electi: qui etiam auctorizando, approbando, & confirmando emptionem huiusmodi, voluit & concessit, quod in perpetuum pertineret ad ius & proprietatem dictæ ecclesiæ, præfati Papæ, suorumque successorum canonice intrantium: quodque per eos libere teneantur & possideantur in franco allodio, nec propsis homagium seu fidelitatem, seruitium seu recognitionem, cuiquam facere in posterum teneatur: & in signum adeptæ possessionis & translationis dominij eorumdem de domo communi sita iuxta ecclesiam S. Petri Auinionensis arma dictæ Reginæ in ea affixa amota fuerunt, & in ipsorum loco arma ipsius Papæ apposita & affixa*,

Ioanna ex Aquẽsi carcere emissa.

Nubit Ludouico Tarentino.

Vocatur a Neapolitanis.

Auinionẽ diuendit.

Carolus Imp. emptionem cõfirmat.

Pontificia insignia Auenione defixa.

12 Instructi auri vi ex venditione Auinionis, tum ex sacerdotiorum Prouinciæ decimis, nec non ex oppigneratis monilibus ac gemmis [h] redacta, Ludouicus Tarentinus ac Ioanna Regina decem Genuensium triremes, tum Vvarnerum Germanum cum mille ducentis equitibus conduxere [i]: vtque maiori auctoritate in regnum Ludouicus accederet, Regis Ierosolymitani (cum Siculi nomen sine apostolica auctoritate non posset) corripuit, quo in publicis actis vsus est: inuectusq; triremibus Genuẽsibus prope Neapolim cum

Ioanna cum viro Neapolim repetit.

[a] To.6.ep. secr.p.399.
[b] Io. Vill. l. 12.c.114.
[c] To.5.ep. secr. 258. M.S. bibl. Vat. sign. n.3765.
[d] To.7.ep. secr. 889.
[e] M.S. bib. Vat. sign. n.2040. in Clem. VI. & aliud sign. n. 3765. Matth. Vill. l. 1.c. 18. Samm l. 5. & alij
[f] Annal. to.XIII. an. Chr. 1226.n.31 & 32. & an. 1250. n.31.
[g] Gesta Clem. VI. apud Bosq.
[h] To.9.ep. secr. 200.
[i] Matth. Vill. l. 1. c.18.19. 20.

Cupide a Neapolitanis excepta.

cum nullam classem Vngarus pro tuendo regno magna imprudentia comparasset, exceptusque ab obuijs proceribus effusa gratulatione ac vrbē ingressus partim terrore partim vi duas arces Neapoli imminētes recepit: deinde Vvarneri Germani a quo baltheo militari, vt illum sibi magis deuinciret, cingi a voluit, equestribus copijs instructus nonnullos proceres, qui sentiebant cum Vngaris, perdomuit b; multa Vngarorum præsidia arcibus dispulit, cum plures ex ijs peste absumpti, plures stipendiorum inopia fuga lapsi, alij vel ferro vel auro se vinci facile finerent. Quos felices successus cum Ioanna Regina significasset Pontifici, Clemens illam ad agendas diuino Numini grates excitauit, atque effusam liberalitatem prudentia coercere iussit. Decreti autem fuere duo Cardinales legati e Clemente ad pacem Neapolitano regno restituendam, quorum alter Guido tit. S. Cæciliæ in Vngariam pridie kal. decēbris missus c, vt Ludouicum mulceret; alter vero Anibaldus Tusculanus episcopus Siculi regni statum fœdissime bellis præteritis labefactatū componere iussus d: de quo datæ ad Ioannam Reginam e regnique ordines f extant literæ. Cui etiam demandata prouincia g, vt Beneuentani agri ed ditionem ecclesiasticam spectantis limites definiret, sed ea de re deque Anibaldo inferius. Nunc vlterioris Siciliæ res perstringamus.

a Id. c. 35.
b Id. c. 36. & seq.

Vngaros regno depellit.

c An. 7. ep. cur. 83. ad 168.

Anibald. Card. in Sicil. citeriorem legatus.

d Ib. ep. cur. 2.
e Ep. 48.
f Ep. 67.
g Ep. 71.

Flagitarat a Clemente oratorum opera sub anni initio Ludouicus Vngariæ Rex, ne fœdus illud, quo Ioanna Trinacriæ insulam a Siciliæ regno sine vllo fructu atque vtilitate diuulserat, confirmaret; sed illum, vt dixi, pestis ex regno depulerat: ac Trinacrij Vngarorum metu, missis oratoribus, institere paulo post, vt apostolica auctoritate Trinacriam a Neapolitano regno disgregari confirmaret. Respondit Clemens, pārum sedis Apostolicę in tanta re iuribus ac dignitati cautūm; deliberarent ij hac de re: se, cum pestis ferocia remisisset, redijssentque Cardinales, rem cum ipsis in consilium adductur ū; interea sacrorum & templorū vsum insulæ Siciliæ ad recurrentem sacrum epiphanię diem restitutum iri: sed de Trinacrię calamitatibus sequenti anno sermo recurret. Iam alias Italicas res coniungamus.

De Trinacria a Neapol. regno diuellenda agitata consilia.

13 Mouerenisus est nouas turbas Nicolaus Laurentius tribunatus officio & Vrbe depulsus: cum enim ed Ludouicum Regem Vngarię, cum quo fœdus ad Siciliam citeriorem inuadendam iunxerat, profugisset (de quo apud Vngarum Clementem questum vidimus) Vverneri ducis Germani, qui dissoluto a Ludouico Rege exercitu in Campaniam se subduxerat, opera amissum tribunatum recuperare contendebat. Aduersus vtriusque conatus Pontifex Bertrandum legatum Perusinorum, Florentinorum, ac Senensium opem sibi conciliare iussit h: cumque in Vrbe plures Nicolaum Laurentium restituere pristinę dignitati affectarent h, ob conceptam de illius ęquitate, & in rebus gerendis peritia opinionem (ex quo deiectus fuerat, infesta erant latronibus itinera, quę ipse antea ab ea peste expurgarat) legatum admonuit, vt diligentiam omnem in viatum grassatoribus comprimendis collocaret; ita enim Romanos a Nicolai Laurentij studio, vel eb alio creando tribuno abductum iri: denique adiecit, vt prępnentem aliquem virum probitate insignem, nec genere Romanum senatoria dignitate orneret. Non defuit imposito muneri Bertrandus, coactis enim apud Montemflasconem ordinum cœtibus, Nicolaum Laurentium iu-

Motæ turbæ a Laurentio tribuno.

h To. 6. ep. secr. 1358
h Eod. to. ep. 1399.

dicio hęreticos postulauit, neque comparentem decretoria sententia defixit: quam postea Clemens Papa ab Anibaldo Card. cum illum vergente anno Italicę legationi ad ditionis ecclesiasticę motus componendos prefecisset a, promulgari iussit.

a An. 7. l. 3. ep. cur. 1.

Clemens, &c. Venerabili fratri Anibaldo episcopo Tusculano A. S. L.

Dudum Nicolaum Laurentij ciuem Romanum, qui tribunum se nominabat, rectorem Vrbis eiusque districtus vna cum bonę memorię Raimundo episcopo Vrbeuetano, in spiritualibus in dicte Vrbe vicario nostro, duximus vsque ad nostrum beneplacitum deputandum, sperantes quod ipse nobis & ecclesię Romenę fidelis, & deuotus existeret, & dilectos filius populum Romanum in pace & iustitia auctoritate nostra vna cum dicto Raimundo episcopo gubernaret, & terras ac iura ipsius ecclesię a quibuscumque molestijs & iniurijs prеseruaret. Sed idem Nicolaus perceptorum ab eadem ecclesia atque a nobis, honoris, & beneficiorum oblitus, datus in sensum reprobum nonnulla contra eandem ecclesiam & rem publicam in Dei offensionem & grauem lęsionem dicti populi attentere pręsumpserat, & solus commissos per nos eidem Raimundo episcopo & sibi, ac nonnulla alia officia & titulos vsurpauerat. Nos super ijs de opportuno remedio prouidere, ac ipsius Nicolai temerarijs conatibus obuiare volentes, venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Sabinensi, tunc tit. S. Marci presbytero Cardinali in prędicta Vrbe & eius districtu A. S. L. per nostres certi tenoris literas commisimus & mandauimus, vt eundem Nicolaum ab huiusmodi rectorię per nos sibi in Vrbe & districtu pręfatis, vt præmittitur, commissa; nec non quibuscumque alijs officijs seu titulis quocumque nomine censeantur, per eundem quomodolibet vsurpatis, aut alias per nos vel alium seu alios quouis modo concessis eidem suspenderet, priuaret, & amoueret ad tempus vel in perpetuum, sicut expedient videtur, prout in prędictis nostris inde confectis literis pręmissa seriosius continentur. Idemque Bertrandus episcopus, receptis nostris literis antedictis, de pręmissis (licet essent in illis partibus notoria) plenius informatus, tam ipsarum vigore quam & legationis & vicariatus, sibi per nos in dicta vrbe & districtu eiusdem, ac diuersis terris alijs & prouincijs commissorum, eundem Nicolaum in publico diuersorum prelatorum, nobilium, & subditorum ciuitatum & aliarum terrarum prouincię patrimonij B. Petri in Tuscia perlamento per publicę citationis edictum, debita sibi securitate concessa, vt excusationem aliquam pretendere non valeret, peremptorie citari fecit, vt in tertio termino tunc expresso coram eo in castro Montisflasconis Balneoregiensis diœcesis comparere curaret, dicturus & allegaturus causam rationabilem, si quam haberet, quare propter excessus per eum commissos huiusmodi rectoria ac alijs officijs & honoribus quibuscumque, quæ sibi in Vrbe & districtu præfatis quomodolibet vsurpauerat, priuari non deberet, ac pronunciari incidisse in nonnullas excommunicationis sententias, tam a canone quam ab homine promulgatas pro eo, quod certos clericos ceperat ac carcerali fecerat custodiæ mancipari, & diuersa castra, terras & villas, ad prædictam Romanam ecclesiam pertinentia, occupauerat.

Data Bertrando Card. prouincia agendi iudicio in Nic. Laurentium.

Vt inuentarum fuerit a legato eidem iudicium.

Et quia supradictus Nicolaus nec in dicto ter-

termino nec post per se vel alium coram dicto Bertrando episcopo comparere curauit, idem Bertrandus episcopus eundem Nicolaum reputauit exigente iustitia contumacem, ac ipsum sententialiter perpetuo omni honore, dignitate, administratione, & officio, quæ in prædicta Vrbe & eius districtu vsurpauerat & susceperat, ac duxerat quomodolibet exercenda, priuauit; ac etiam declarauit, eundem in diuersas excommunicationis sententias promulgatas a canone pro eo quod, vt præfertur, nonnullos clericos & personas ecclesiasticas ceperat, seu capi & carcerali fecerat custodiæ mancipari; & quod etiã diuersa castra, terras, & villas, ad supradictam Rom. ecclesiam pertinentia, contra processus per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum contra inuasores & occupatores terrarum eiusdem ecclesiæ factos & habitos, ac per nos postmodum confirmatos, & etiam roboratos, incidisse.

Reperita secunda citatio.

Et nihilominus dictus Bertrandus episcopus memoratum Nicolaum apud eum & alios, per nonnullos bonos & graues de hæresi vehementer suspectum & grauiter diffamatum, per similem citationis edictum in consimili parlamento, debita etiam ipsi securitate concessa, peremptorie citari fecit, vt in certo peremptorio termino, tunc etiam expresso, coram eo in præfato castro Montisflasconis personaliter comparere curaret, super facto fidei & certis hæreticalibus articulis responsurus, ac alias facturus & recepturus, quod ordo exigeret rationis. Sed cum idẽ Nicolaus neq; ante terminum, neque in prædicto præfixo termino curaret coram ipso Bertrando episcopo comparere, præfatum Nicolaum reputauit, exigente iustitia, contumacem. Volens tamen mite agere cum eodem, ipsum post prædictum terminum ad eius malitiam conuincendam, priusquam ad proferendam in eum excommunicationis sententiam propter huiusmodi contumaciam veniret, duxit per dies aliquot expectandum. Et quia idem Nicolaus suam præsentiam coram dicto Bertrando episcopo in prædicto castro Montisflasconis seu alibi exhibere contumaciter non curauit, idem Bertrandus episcopus in ipsum Nicolaum sic, vt præmittitur, in facto fidei contumacem propter ipsius contumaciam excommunicationis sententiam promulgauit, ipsumque mandauit & fecit excommunicatum publice nuntiari, prout in diuersis literis inde confectis, ipsius Bertrandi episcopi sigillo munitis, præmissa seriosius continentur.

Intentata anathematis sententia.

Cum autem præfatus Nicolaus suæ salutis oblitus, nesciens aut potius nolens a vetitis & illicitis abstinere, tanquam in profundum malorum prolapsus mentis suæ oculos peccatorum mole depressos non curet ad veritatis & rectitudinis semitam redire; sed magis in sua damnabili pertinacia & execrabili obduratione persistens, ac peiora prioribus, si ei facultas & voluntas affuerit, peruerso studio satagens cumulare, adhuc statum Vrbis & regimen, sicut habet fidedigna assertio & manifesta probant indicia, conetur subuertere, & ecclesiam Dei matrem cunctorum fidelium præsumptione temeraria, quinimmo execrabili insania, perturbare, & (vt suum venenosum propositum & perniciosum affectum eo potius perducere valeat ad effectum, quo suæ pertinaciæ & factionis iniquæ plures consortes habuerit & fautores) clandestinis tractatibus, subdolis machinationibus, illicitis & quas implere non posset promissionibus, & mendosis seductionibus diuersos comitatus & singulares personas a deuotione ecclesiæ nititur retrahere, ab vtilitate reipublicæ reuocare, euertere, & eas secum trahendo in præcipitium ad subuersionem status Vrbis prædictæ in nostrum & ecclesiæ prædictæ graue dispendium, multorum scandalum, & exempli perniciem colligare; propterea nos volentes tam perniciosis ausibus & periculosis temeritatibus obuiare, ac indemnitati nostræ & reipublicæ quanto salubrius possumus prouidere, fraternitati tuæ, &c.] Imponit prouinciam, vt edicta Bertrandi Cardinalis aduersus Nicolaum Laurentium in decretæ legationis Italicæ locis promulganda curet; neque illum modo, sed omnes eius sequaces, qui ipsum quopiam in loco receperint, vel qui eo cognito eundem non detulerint, anathemate defiget. *Dat. Auin. 11. kal. decembris anno VII.*

Iussus Anibaldus eadem decreta vegere.

Perfectum ita est pontificia solicitudine, ne Nicolaus Laurentius, vel alius reipublicæ perturbator ad tribunatum a Romanis excitaretur, neue schisma conflaretur, ad quod nonnulli contendebant, vt ex literis pontificijs constat: *Ad quorum*, inquit Clemens a, *alterum & schisma etiã procurandum quorundam laborare fertur intentio*. De Nicolao iterum inferius: iam Hispanicas res delibemus.

Discussa aliquorũ Romanorum fæua consilia. a To 6. ep. secr. 1399

14 Questus est Alfonsus Rex Castellæ apud Clementem, exterum hominem ad episcopatum Cauriensem in ipsius regno euectum: quem grauissimis literis docuit Pontifex b, Apostolicam sedem exteros in omnibus regnis moderandis ecclesijs posse imponere.

Disceptatum de iure ecclesiastico cũ Castellano Rege. b An. 7. ep secr. 335.

Clemens, &c. Alfonso Castellæ & Legionis Regi illustri.

Dum tuam progenitorumque tuorum deuotionis & fidei puritatem, qua erga Deum & Romanam ecclesiam claruistis, diligenter attendimus, dumque speramus, quod tu, in hac deuotionis & fidei puritate persistens, illam non solum continuare debeas, sed augere; miramur quomodo sic tuam per aliquos circumueniri prudentiam passus fueris, sicque illorum quærentium sanctuarium Domini hereditario possidere inordinatæ condescenderis voluntati, vt ipsius Romanæ ecclesiæ matris tuæ ordinationem prouidam circa prouisionẽ eiusdem Cauriensis ecclesiæ moleste tuleris, eam tanta maturitate digestam lauibus aliquorum allegationibus, quas non rationum efficacia roborat, sed noxij potius appetitus confutat affectio, impugnans. Nunquid, fili charissime, Apostoli Domini, quorum doctrina fulget ecclesia, & Christiana fides incrementa suscepit; immo in quibus iacta sunt fidei fundamenta, & quorum sunt episcopi successores, extra proprias nationes & gentes prouincias alias atque regna in sortem prædicationis, disponente Domino, nõ susceperunt? Nunquid B. Iacobus, per quem Hispanijs euangelicæ veritatis lumen resplenduit, & sacri baptismatis innotuit sacramentum in Hispanijs ortus est? Quid igitur mirum, si Romanus Pontifex, ad exequendum ministerium seruitutis iniunctæ illius, cuius vices gerit in terris, & apud quem non est Iudæi Græcique distinctio, neque acceptio personarum, instructus exemplo personas idoneas eligit, & quanquam alienigenas vacantium ecclesiarum regimini præficit, deputatque pastores ad dominici gregis curam?

Clementis responsum.

Contendit exteros posse præfici.

B. Iacobũ Hispanũ non fuisse.

Cæterum si inter prælatos extraneos in ecclesijs dictorum regnorum tuorum ex apostoli-

cæ

Creatam Compostellano ob virtuté inuidiam.

sæ sedis auctoritate promotos vnus minus forsan aliquibus placuit, hoc illi tua puritas ad vitium quæsumus non ascribat: sed subditis suis, qui phreneticorum more languentium medelam & medicinam respuerunt, imputet potius ad delictum, cum ipsa idonea, si attente mores eius & vitam inspicias, & in libra rectæ considerationis appendas, occurrat tibi clarus meritis atque virtutibus, ac scientia doctrinaque prælucidus velut quoddam luminare magnum in Dei ecclesia coruscasse. Quapropter, fili charissime, sincerum ergà te matris ecclesiæ zelum & amorem considerans & attendens, molestum non habeas, si vacantibus ecclesijs regnorum suorum prædictorum interdum apostolicæ sedis præficit aliquas personas idoneas ex plenitudine sibi creditæ potestatis, &c. *Dat. Auin. xv. kal. nouembris anno VII.*

Caroli res in Germania auctæ.

15 In Germania Caroli Romanorum & Boemorum Regis post Ludouici Bauari obitum admodum res auctæ, atque amplificatæ sunt; quod Pontifex III. non. februarij est ipsi gratulatus his verbis a: *Omnipotenti Deo laudes & gratias agimus, quod eo tua negotia dirigente cuncta tibi, de quo gaudemus immense, in partibus ipsis feliciter prospereque succedant.* Eruperat Carolus e Boemia, validoque succinctus exercitu Germaniam peragrabat b & quà armorum terrore quà censuratum religione deuinctos populos, ostensa veniæ & cũ Rom. ecclesia gratiæ spe, in suas partes adigebat. Commiserat enim episcopis Pontifex, vt ad Caroli Regis imperia redeuntes, expiato rite præterito crimine, absoluerent: qua de re formula Balduino archiepiscopo Treuirensi data his verbis concepta est c.

a To. 8. ep. secr. 1090.

b Alb. Arg. in chron.

c An. 6. l. 1. ep. com. 799.

Formula redeuntibus præscripta.

Forma confessionis facienda, & iuramenti præstandi per illos, qui absoluuntur, talis est.

Ego .. confiteor me sensisse & tenere fidem catholicam, & credere & tenere quod credit, tenet, & docet sancta mater ecclesia; & credidisse & adhuc firmiter credere, quod non spectat ad Imperatorem Papam seu summum Pontificem deponere & alium eligere vel creare: sed hoc hæreticum reputo & hæresim damnatam per ecclesiam supradictam. Insuper ad sancta Dei euangelia iuro, quod stabo & parebo mandatis ecclesiæ ac domini nostri domini Clementis, diuina prouidentia Papæ VI. & ecclesiæ Romanæ super illatis iniurijs, contumacijs, rebellionibus, fautorijs, & alijs implicite vel explicite per me commissis confessatis & non confessatis, ac cateris pœnis, quas incurri ab homine vel a iure propter præmissa. vel ea tangentia: & quod etiam domino vestro Papæ eiusque successoribus canonice intrantibus fidelis ero de cætero, eisque debitam reuerentiam & obedientiam exhibendo. Domino prætereà Carolo Regi Romanorum tanquam Regi Romanorum, per eandem ecclesiam approbato, obediam & parebo: & relictæ & filijs dicti Ludouici, quandiu in rebellione ipsius ecclesiæ persisterint, & præfato domino Carolo Regi non obedierint; ac hæreticis & schismaticis aut eorum sequacibus per dictam ecclesiam denotatis non adhærebo, neque fauebo, nec quibuscumque alijs contra dominum Papam, ecclesiam, ac Regem prædictos dabo auxilium, consilium, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte: quodque deinceps nulli vt Imperatori obediam vel adhærebo, nisi ille primitus fuerit per eandem ecclesiam approbatus. Nec cum eisdem relicta & filijs dicti Ludouici, aut quibuscumque alijs in rebellione ipsius ecclesiæ existentibus contra ecclesiam & Regem prædictos colligationem, obligationem, conspirationem faciam, siue ligam: Volo etiam & consentio, quod si contingat (quod absit) in posterum, me contra prædicta, quæ confessus sum, & propter quæ incurri sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti prolatas ab homine vel a iure, vel eorum aliquod vlterius facere, contra iuramentum per me præstitum veniendo, in prædictas sententias reincidam ipso facto. Dat. Auinion. xv. kal. martij anno VI. Consentit omnino his ea formula, quam Albertus Argentinensis Babenbergensi a episcopo traditam reperit b; quæ etiam Vlrico e episcopo Constantiensi & Ernesto Pragensi d data. Ceterum addit memoratus auctor illam Basiliensibus, qui de amplectendis Caroli Regis partibus agitabant, acerbiorem visam, atque ita regijs obsequijs accessisse, vt a Ioanne Pistoriensi internuntio apostolico totius populi nomine a censuris liberari magistratus poposcerint, ac templorum & sacrorum vsus Basileæ fuerit restitutus: & tum episcopus Basiliensis Morbacensisq; abbas, acceptam Caroli liberalitate suam ditionem solemni ritu sunt professi & in eiusdem verba iurarunt. Addit auctor e: *In die quoque sancto natiuitatis Domini*, nimirum superioris anni, *Rex communicatus fuit legitq; in missa in galli cantu alta voce, habens in manu euaginatum gladium, euangelium: Exijt edictum a Cæsare augusto.* Digressus Basilea, Spirenses, Vvormatienses, Moguntinos, adijt, ab ijsque regia pompa exceptus.

a Reg. post cand. ep.

b Alb. Arg. in chron.

c Clem. 2. p. l. 4. an. 6. ep. diuers. form. 199. & to. 8. ep. secr. 1368

d Reg. l. 2. post ep. com. 799.

Basilienses conciliati ecclesiæ.

e Alb. Arg. in chron.

Euangeliũ a Cæsare districto gladio lectum.

Creatus per seditionem Ger. man' Rex

16 Dum vero Moguntiæ agebat, Henricus exauctoratus ac Bauari principes Ludouicus, qui marchionatum Brandeburgensem obtinebat, Rudolphus, ac duo Ruperti Palatini Rheni cum Erico duce inferioris Saxoniæ ab Eduardo Rege Angliæ solicitati proximo ab Epiphania die Eduardum Anglum f, habitis ab oratoribus in arce, cui Conitein nomen inditum, comitijs Romanorum Regem salutarunt; vnde magnos in Germania concitatos motus, refert Argentinensis ac Regem Carolum Moguntia Vvormatiam se recepisse: sed omnes schismaticorum conatus irritos cecidisse, quamuis alios atque alios Reges elegerint ac triumpasse de suis hostibus Romanam ecclesiam, Carolo quem ipsa constituerat rerum potito, visuri sumus. Atque in primis Clemens aduersus Henricum exarchiepiscopum Moguntinum, dum amissæ ob scelera dignitatis dolore furebat, harum discordiarum in Germania præcipuum auctorem, ecclesiasticarum censurarum contemptorem, neq; hæresis infamiæ immunem in ius vocauit; vt de fidei articulis coram sede Apostolica responderet. Data est accersendi illius in iudiciũ prouincia g præposito S. Victoris ac S. Mauritij & S. Ioannis ecclesiarum scholasticis, atque edicti pontificij diuulgandi: in quo vbi nonnulla Pontifex de Ludouico Bauaro est præfatus, vt a Ioanne XXII. ob scelera adeptis ex discordi, vt fama ferebat, electione iuribus exutus fuerit, atque omnibus patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, intentata dignitatum priuatione, ipso opere sine præuia monitione contrahenda, interdictum ne in illius verba iurarent, vel ecclesiasum suarum ditionem ipsi acceptam referrent: Henricus tamen, spretis apostolicis edictis, clientelarem sponsionem Ludouico addixerit, seque periurij & anathematis nexu irretierit, ac postulatus iudicio in contumacia obduruerit: tum subdit quæ subiecta earumdem literarum pars potior complectitur.

f Io. Vill. l. 12. c. 105. Alb. Arg. in chron. Rebdor. in annal. Gest. Clem. VI. Serar. in Henr. Mogunt. rer. l. 5. Trith. in chron. & alij.

Henricus Moguntinus postulatus iudicio.

g An. 6. l. 1. p. 1. ep. cur. 1.

Clemens, &c. dilectis filijs præposito S. Victoris extra muros Maguntinos, & ... S. Mauritij

vitij ac .., S. Ioannis Maguntin, scholasticis ecclesiarum salutem.

17 Comparere contumaciter non curauit [nimirum Henricus] sed vt suæ ingratitudinis vitium erga sedem prædictam multiplicaret vlterius, & excessus excessibus, & culpas grauiores culpis damnabiliter cumularet, ex tunc priora & detestabiliora prioribus committere perniciosa temeritate præsumpsit; ipse namque præfato Ludouico subsequenter adhæsit continue, ipsum pro Imperatore, cum tamen nec Imperator nec Rex fuisset. habendus, tenendo, vocando, & exhibendo sibi tanquam tali reuerentiam, & plurea alios detestandos excessus, qui breui non possunt sermone concludi, in diuinæ maiestatis contumeliam, grauem dictæ sedis offensam, & multorum perniciem committere non expauit: propter quæ eundem Henricum, in sua pertinacia indurato animo contumaciter perdurantem, reputauimus contumacem, & in eius contumacia de fratrum nostrorum consilio, præsente prælatorum, clericorum, & aliorum multitudine fidelium copiosa, ipsum ab officio & beneficio duximus suspendendum; & tandem de dictorum fratrum nostrorum consilio, astante simili multitudine copiosa, in eundem Henricum tunc archiepiscopum, contumaciter absentem, ad hoc citatum legitime, perpetuæ depositionis proferentes sententiam, eum omni honore, potestate, dignitate, ac officio pontificali priuauimus, iustitia exigente; ac feudationes, alienationes, & obligationes, quas de bonis ipsius ecclesiæ Maguntinæ post latas in eum excommunicationis & suspensionis sententias attentare præsumpsisset, in irritum duximus reuocandas; ac eidem ecclesiæ Maguntinæ tunc vacanti, ne longæ vacationis subiaceret incommodis, de persona venerabilis fratris nostri Gerlaci archiepiscopi Maguntini de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus prouidendum, curam & administrationem ipsius tam in spiritualibus, quam in temporalibus sibi plenarie committendo.

Vt archiepiscopali munere interdictus fuerit.

18 Postmodum autem ad notitiam nostram fidedigna relatione deducto, quod idem Henricus, præmissis omnibus per eum perpetratis non contentus, cum quibusdam suis in hac parte complicibus, fautoribus, & ei adhærentibus, ipsam ecclesiam Maguntinam & administrationem eiusdem, nec non oppida, castra, villas, & loca alia, & nonnulla ornamenta ecclesiastica pontificalia, vasa argentea, & bona & iura ad Gerlacum archiepiscopum & ecclesiam Maguntinam præfatos spectantia, occupabat, vsurpabat, consumebat, & detinebat indebite occupata in nostrum & eiusdem contemptum, suæ saluris dispendium, & eorundem Gerlaci & ecclesiæ Maguntinæ intolerabilem iacturam, & scandalum plurimorum; nos volentes huiusmodi tam detestandis ausibus, & peruersis conatibus obuiare, & eisdem Gerlaco archiepiscopo & ecclesiæ Maguntinæ prouidere de remedio opportuno, venerabilibus fratribus nostris.. Treuerensi &.. Rauennati archiepiscopis, ac dilecto filio.. archidiacono Treuerensi, eorum proprijs nominibus non expressis, nostris dedimus literis in mandatis, vt præfato Gerlaco archiepiscopo assisterent, & Henrico iamdicto, suisque sequacibus, fautoribus, & ei adhærentibus resisterent vijs omnibus & remedijs opportunis.

Maguntinæ ecclesiæ opes absumpsit.

Subrogatus in eius locum fit Gerlacus.

19 Præsentatis itaque literis apostolicis supradictis venerabili fratri nostro Nicolao Patracensi, tunc Rauennatensi archiepiscopo, ipse Nicolaus solus in huiusmodi negotij executione procedens, prout sibi vigore literarum nostrarum huiusmodi competebat, nonnullos processus contra eundem Henricum eiusque sequaces, fautores, & adhærentes eidem fecit; quos etiam postmodum aggrauauit, monitiones & excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias continentes, prout hæc omnia in eorumdem Prædecessorum nostrorum, ac nostris literis & ipsius Nicolai processibus inde confectis plenius continetur. Sed idem Henricus, tanquam iniquitatis & perditionis filius, processus, monitiones, mandata, & sententias supradictas pluribus annis sustinuit, & adhuc pertinaciter sustinet animo indurato, nec curans redire ad ecclesiæ vnitatem, non sine scrupulo hæreticæ prauitatis.

De Henrici pertinacia.

Nos igitur nolentes, sicut nec velle debemus, præmissa tam detestanda facinora conniuentibus oculis pertransire, ne ipsius facti peruersitas alijs transeat in exemplum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos vel alium seu alios eundem Henricum olim archiepiscopum Maguntinum ex parte nostra citare curetis, vt infra certum terminum peremptorium competentem, quem ei duxeritis præfigendum, se conspectui apostolico personaliter repræsentet, super catholicæ fidei articulis debite responsurus, & auditurus, recepturus, & facturus super præmissis, quod iustitia suadebit; aperte Henrico prædicentes eidem, quod nisi infra prædictum terminum per nos ei, vt præmittitur, statuendum comparuerit personaliter, vt præfertur, nos contra eum, prout nobis expediens videbitur, mediante iustitia procedemus, ipsius contumacia non obstante. Diem vero huiusmodi citationis & formam, & quidquid super hoc duxeritis faciendum, nobis per vestras literas harum seriem continentes intimare curetis. Volumus insuper quod processum vestrum, super huiusmodi citatione habendum, per edicta publica in locis proponenda & affigenda publicetis, de quibus verisimilia habetur præsumptio, quod ad ipsius Henrici possit peruenire notitiam, vel alias, prout melius & vtilius videbitur, ratione prævia faciatis. *Dat. Auin. 11. id. februarij anno VI.*

Intentatur illi decretoria sententia.

20 Depressam Henrici superbiam, atque Gerlacum contra eius vim ecclesiam Moguntinam tum ope Caroli Romanorum Regis consecutum, refert Serarius his verbis a: *Hic Gerlacum electum & a Pontifice confirmatum, vt ei Moguntinus clerus ac populus, deserto Henrico, pareret valde adiuuit, & Falckensteinium Canonem, de quo iterum postea, rebus quas e Moguntina diœcesi tenebat, omnibus exuit. Fuerat autem moris, vt propter tantam temporum difficultatem amicta stola crux in summi templi medio poneretur, & coram ea quotidie a clero canoretur: Media vita; & psalmus: Deus laudem meam. Sublato autem Ludouico, fuit & illa solemniter sublata, cantantibus omnibus: Te Deum laudamus; præsentibus Carolo IV. Moguntino nostro, Treuirensi, Coloniensi, Herbipolensi, Spirensi, Argentinensi, & Bambergensi episcopis, alijsq; plurimis principibus & viris nobilibus, vt habet M.S. L.*

a Ser. Mog. rer. l. 5.

Ritus sacer Moguntini cleri schismatis tempore.

Non destitit a mouendis nouis turbis ferox Henrici animus, Eduardo enim oblatum a schismaticis perduellibus Imperium respuente, spondente tamen ipsis regium studium, vt Carolum Regem Boemiæ Regis Francorum studiosum dej-

Eduardus a perduellibus designatus Cæsar.

Frideric. Misnensis electus, repannus. a Alb. Arg. vbi sup. Cum Carolo paciscitur.

deijceret, Henricus Moguntina sede deturbatus, ac Bauari principes Friderico marchioni Misniæ abnepoti ex filia Friderici II. Imperatoris ineunte mense iunio in oppido Bauariæ, cui Kaus nomen est, tyrannidem detulere a. Sed is cum iniustam electionem perpenderet, quantisue se obijceret periculis, Carolo Regi, acceptis decem marcharum millibus, clientelare officium solemni ritu præstitit.

Aliqui pseudominoritæ infesti ecclesiæ.

b To. 7. ep. secr. 32.

21 Non defuere ex sacro Minoritarum ordine viri hypocritæ superiori Corbariano schismate infecti, qui his tumultibus faces addidere, ac plures egregie ad Carolum Regem Romanorum agnoscendum comparatos a suscepto consilio auertere, & contra edicta pontificia declamare ad schismaticorum gratiam non perhorruerunt: de quibus Clemens, datis ad supremum Minoritarum præpositum & alios, qui sodalibus in singulis prouincijs præerant, literis grauissime est questus b, ab ijs sedi Apostolicæ iniurias pro acceptis beneficijs rependi.

Clement, &c. dilectis filijs generali & prouincialibus ministris, ac cæteris fratribus ordinis Minorum.

Pontificis de ijs querela.

Molesta nobis & displicens multorum relatio ad nostrum perduxit auditum, quod nonnulli ex confratribus vestris partium earundem [nimirum Germaniæ] qui eiusdem Ludouici fautores, consiliatores, & ei adhærentes extiterant, non solum Deo & ecclesiæ per pœnitentiæ debitum reconciliari, proh dolor! non curantes; sed velut in profundum malorum demersi, vt sibi & alijs præcipitium damnationis existant, quamplures volentes ad gremium ecclesiæ præfatæ reuerti, ab eorum proposito retraxerunt, quod idem Ludouicus verus Romanorum Imperator extiterat pollutis ac mendacibus labijs ac præsumptione damnabili asserentes: ac quantum in eis erat, nonnullos se ad charissimi in Christo filij nostri Caroli Romanorum Regis illustris, rite promosi & ab eadem ecclesia legitime approbati, obedientiam disponentes, ab eorum proposito reuocantes. Hi sunt fructus, quos ex laboribus eorundem confratrum ipsa metit ecclesia? Hæc sunt opera sanctitatis, quibus quærunt Deo populum acceptabilem reddere, quibusque vacant profectibus animarum? Quia vero hæc tanto nos pungunt acerbius & grauius sauciant, quanto plurium simplicium animas ruinæ damnationis exponunt; ac proinde pati ea sub dissimulationis velamine nullatenus intendentes, vniuersitatem vestram mouemus, requirimus, & hortamur attente, per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus de illo super hoc remedio prouidere curetis, per quod talia similia de cætero conquiescant, & ad correctionem eorum non oporteat limam apponere apostolicæ potestatis. *Dat. Auin. VIII kal. iunij anno VII.*

Iubentur ab ordinis præfectis comprimi.

Carolus in Bauaros expeditio. c Argent. chron.

d Rebdorf. in annal. e Cl. to. 7. ep. secr. 301.

22 Lacessitus porro Bauarorum principum iniurijs Carolus Rex signa aduersus eos extulit c, perque Ruperti ducis ac Palatini ditionem ferrum Boemicum flammasque circumtulit. Quibus ipsi cladibus acceptis, paucis post mensibus eiusdem Caroli gratiam experiere concordiæ interprete Alberto Austriæ duce, ac solemnes ea de causa Patauij cœtus habitos refert Henricus Rebdorfius d: legatusque est a Carolo ad sedem Apostolicam Ioannes Boemus e ex Dominicana familia religiosus vir, vt pro adducendis in Apostolicæ sedis gratiam Ludouici Bauari filijs Clementem oraret. Ac cum is nullas illius ineundæ expressas leges attulisset, citissimeque redire iussus esset, nullum certum responsum Pontifex dedit, quippe cui non potuit ea de re deliberare cum Cardinalibus, quos pestilentiæ disperserat metus; ac Romanorum Regi hæc rescripsit a: *Quia nonnulli ex fratribus nostris propter pestem, quæ vt ad tuam credimus peruenisse notitiam, patriam hanc inaudita & incredibili clade vastauit, a curia secesserunt, nec adhuc redierunt ad illam; & quidam ex eis, qui in curia præfata remanserant, infirmitate grauentur, eligere vel deliberare nequimus quid tibi super huiusmodi nuntij tui ambassiata respondere possemus. Et ideo, vt tibi certitudinaliter respondeamus ad illa, significa nobis specifice et extense quæ & qualia sint, quæ inter te ac prædictos ipsius Ludouici filios tractata sint & tractantur, & quæ & qualia nobis & ecclesiæ Romanæ pro tot iniurijs, opprobrijs, & contumelijs per eosdem patrem & filios Deo & eidem ecclesiæ irrogatis, vt nosti, pro satisfactione condigna offerunt, vt nobis & eidem reconcilientur ecclesiæ, ac pacem tuam etiam mereantur, in quibus puritas tua, prout decet & expedit, mature procedat: ita quod eidem honorificentia debita deferatur ecclesiæ, & fama tua celebris conseruetur: & consulte prospicias, vtrum cum hostibus & persecutoribus ecclesiæ matris tuæ, cum & tu persequi tenearis eosdem, eis in persecutionis & inimicitiæ pristinæ pertinacia persistentibus, excellentiam tuam deceat concordiam habere vel pacem. Dat. Auin. kal. septembris anno VII.*

a Ead. ep.

Contendit Pontifex istis pœnitis expianda eorum crimina.

Adactum sacramento Carolum superiori anno vidimus, Ludouicum Bauarum & filios bello insectaturum, donec illatas ecclesiæ iniurias sarcirent, admissaque scelera rite expiarent. Cum vero de pace colloquium minime perfectum iri tradat Rebdorfius a, detrectasse Bauaros principes ad Christianam pœnitentiam se demittere, colligitur; quare illi nouas in Carolum Regem coitiones inijere, vt vel ipsum euerterent, vel meliores pacis leges extorquerent: eamque ob causam Guntherum comitem Svvartzenburgensem in Thuringia vna cum fœderatis iniustis suffragijs ad tyrannidem anno insequenti euexere.

a Rebdorf. in annal. Bauari principes pacem detrectant.

23 In Prussia, extincto cruciferorum equitum magistro, die epiphaniæ sacro præfectum ordini refert Michouias b Venrichum c Kniprode: qui vt specimen virtutis adepta dignitate ederet, exercitum aduersus infideles finitimos collegit, excurritque in Lithuaniam, ac Pastri euastata spolijs onustus rediit. Vix dissoluerat exercitum; cum Olgerdus dux Lithuaniæ fratribus Keystud & Patrikyg stipatus cum validis copijs irrupit in Prussiam, ac ferro flammaque in obuia quæque est debacchatus. Quo abeunte, Smoleccusis dux Russorum Lithuanorumque cinctus turmis penetrauit similiter in Prussiam, ac ferox signa circumtulit in tractu, cui Labiouu nomen inditum. Aduersus hostem comparauit se prouinciæ præfectus, ac licet militum numero longe impar, hostem tamen in tumultuaria pugna, dum flumen traijceret, deuicit, haustusque vorticibus vndarum dux Smoleccusis clarissimam victoriam reddidit.

b Michou. l. 4. c. 24.

Cruciferorum in Lithuaniam expeditio.

24 Duxit c per hæc tempora etiam aduersus schismaticos Moschouitas exercitum Magnus Sueciæ & Norvvegiæ Rex, vt latius Christianæ religionis fines proferret: quam dum ornaret expeditionem, S. Birgitta vidua diuina luce collustrata e cælo accepit tristem exitum habiturum, nisi eos dimitteret ab exercitu, qui non diuinæ gloriæ studio, sed rapinarum, libidinum, furorisue exer-

c Magnus hist. Goth. Sueonum. gentis l. 21. c. 3. Suecus Rex in Russos signa attol. S. Birgitta prædicit accipiendam cladem.

cendi caosa sumebant arma; ac Danos & Germanos stipendiarios assuetos prædis ac vitijs designauit, monuitque diuino Numini hos acceptos in sacro eo bello non esse; sed suos Gothos ac Sueones, qui nihil alind ab hostibus quam licentiam male faciendi auferrent, ductaret. Contempsit Rex consilium, vimque vaticinij est expertus; addit enim Magnus a: *Moschouitas* contracto ingenti exercitu, iunctisque Lithuanis & Tartaris, illius secutos vestigia incautum ferme oppressisse, vt vix fuga præcipiti e periculo euaserit. *Imprudens*, inquit, *Rex non solum hanc, verum etiam omnes alias reuelationes a Deo inspiratas contemnens, colluuiem ingentis atque inconditæ militiæ secum trahens, primo insultu magnam Moschouiæ partem victrici manu subiugauit, occupata eorum præcipua arce Pechense. Sed nō deerat vaferrimis Moschouitis ingenium, quo hostium auaritia callidissimis promissis illuderent: cum enim intelligerent Regem nimia auri fame laborare, tantum auri & argenti se quantocius allaturos spondebant, quantum ipse & totus exercitus eius vix optare potuisset. Sed quid accidit? Credidit infelix Rex perfidissimis schismaticis, qui prius credere noluit Birgittæ mulieri sanctissimæ. Confestim igitur suæ temeritatis pœnas luens, vidit infinitam Moschorum, Tartarorum, & Lithuanorum multitudinem aduolare, non aurum aut argentum, sed ferrum in aculeos sagittarum conuersum afferre, & mortem inferre paratam. Itaque* b *cum ad extrema & pene ineuitabilia pericula deductus esset, a solis Sueonibus, quos in postremo stipendio collocauerat, seruatus euasit. Hi enim magno labore & non minore industria vicini fluminis meatum effodientes, Regem quamuis male meritum a mille periculis non sine omnium admiratione eduxerunt.*

a Magn. ced. c. 3.

Moschouitarum dolus. Spondent aurum, & ferrum acuunt.

b Cap. 4.

Deriuato flumine Suecus euadit.

Hic addimus Pontificem, cui pietatis in omnibus regnis augendæ incumbebat cura, cum in amplissimo Vngariæ regno (illius enim fines orientem versus latissime se porrigebant) plures infideles Cumani videlicet aut Tartari versarentur, Minoritis Vngaris auctoritate præcipuis pridie kal. iun. mandasse c, vt religiosos viros ad eos fide Christiana erudiendos constituerent; *Attendentes*, inquit, *quod in partibus Cumaniæ ac aliarum plurium nationum infidelium, infra fines regni Vngariæ constitutis, eo qui salutis auctor & lumen de lumine verus Deus est, illustrante lumine ipsius fides elucescere iam cœpit, multis ex infidelibus ipsis ad ipsius agnitionem fidei iam conuersis.*

Religiosi sacerdotes ad Cumanos & Vngaros Asiaticos missi.

c To. 7. ep. secr. 08 & an. 7. l. 4 p. 1. ep. cur.

25 Eodem anno amplissimam legationem ad Clementem VI. decreuit Cantacuzenus d, qua Georgius Spanopolus protouestiarius, Sigerus populi prætor, ac Franciscus Latinus genere perfuncti sunt, vt susceptam ob Turcas excitos in auxilium contra Græcos labem detergeret, ac paratum se ad iungenda cum Latinis in Turcas arma polliceretur. Quæ legationis capita ipse hisce verbis describit: *Legationis capita erant, vt deleret ex animo eius quam de eo opinionem ille conceperat: non enim ignorabat auditum a Romano Pontifice, quomodo belli tempore barbarorum vsus esset auxilio, qui Romanos occidissent & captiuos rapuissent quotidie. Idcirco nimio opere desiderabat Papam causas eorum, quæ gesta erant, edocere; nempe bello premente necessario id fecisse, non quod communionem barbarorum amplecteretur. Deinde rogabat quam ipse Papa & cum ea Italia & occidentis principes contra barbaros crucis hostes expeditionem meditati essent, se nunc Imperatore susciperent; plurimum enim se illorum peste & internecione lætari, seque adiutorem fore maximum non solum transitum expeditum exercitui in Asiam concedendo, sed cum suis quoque copijs proficiscendo, & vna certamen cupide obeundo: alijs enim prærogatiuis antecessoribus suis Imperatoribus libentissime cedere; alacritate autem ad res honestas, & desiderio videndi barbaros eadem pati, quæ Christianis tandiu nefarie intulissent, nulli cedere.*

Cantacuzeni ad Rom. Pont. legatio.

d Cantac. l. 4. c. 9.

Superiora excusat flagitia.

Socias in Turcas vires spō. det.

26 Permouerat Cantacuzenum ad Pontificem in Turcas solicitandum commodorum suorum ratio, ipsum enim mortuo Orchane, quem sibi generum asciuerat, Solimanoum filium acerrimum hostem sensisse, tradit Calchondylas a: cum etiam antea viuo ipso Orchane Turcarum perfidiam esset expertus, qui aduersus Triballos conducti in Cantacuzeni clientes hostilia omnia exercuissent. Excepit vero Pontifex humanissime Cantacuzeni oratores, reque in deliberationem cum Cardinalibus adducta, de Græcis ad Romanæ ecclesiæ sinum reuocandis consilium suscepit: ad quod vrgendum internuntios ad Cantacuzenum mittere statuit, additis subiectis literis. b

Vt Solimannus in eum bellum gesserit.

a Canchō. de reb. Turc. l. 1.

Decreti ad Cantacuzenum legati.

b To. 6 ep. secr. 1346

Ioanni Cantacuzeno Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futurum.

Viros nobiles, prouidos, & discretos Georgium protouestiaritam Spanopolum, & Nicolaum Sigero magnum interpretem imperij tui, ac Franciscum de Pertuxo militem nuncios tuos, per te ad sedem Apostolicam destinatos, & magnitudinis tuæ literas aurea bulla bullatas, nobis pro parte tua exhibitas per eosdem, benigne recepimus, & quæ dicti nuncij pro parte tua nobis prudenter & prouide reserarint, intelleximus diligenter. Super quibus habita cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura proponimus per nuncios nostros, ad te propterea transmittendos præstante Domino, respondere. *Datum Auin. xos s. kal. maij anno v1.*

Conceptæ sunt eadem verborum forma literæ ad Joannem Palæologum Imperatorem Cantacuzeni generum, cumque Græci oratores reditum Constantinopolim adornarent, illos Pontifex Andreæ Dandalo duci Venetorum commendauit c. De legatis in orientem sequenti anno internuncijs apostolicis, deque celebrandæ œcumenicæ synodi pro coniungenda vtraque ecclesia tractatu habito dicetur inferius. Nunc quæ gesta sint in Turcas coniungemus.

c Ibid. ep. 1347.

27 Flagitarant Turcæ a fœderatis fidelibus inducias, ad quas Pontifex ob continua bella in occidente suborta propendebat; atque inter earum leges propositum fuerat, vt Smyrnæ arx, quam Christiani primo belli impetu ceperant, solo æquaretur: qua de re cum Franciscus archiepiscopus Cretensis Apostolicæ sedis legatus in oriente, & Deodatus e Gosono equitum S. Ioannis Ierosolymitani magister Clementem consuluissent, respondit d quamuis vt excinderetur initio conduxisset, cum parum vtilitatis afferret, euerti tum sine Christiani nominis dedecore non posse, ac delphinum & dominum Bellijoci ac Venetos sentire ob Christianorum bella, Siciliam recenter ab Vngariæ Rege occupatam, exhaustumque ærarium inducias ea lege admittendas, vt Smyrna retineatur. De portus dimidia parte barbaris concedenda, habere ratum, cum etiam Christiani in Turcarum portubus ea prærogatiua frue-

Agitatū consilium de Smyrnensi arce euertenda.

d Eod. to. 6. ep. secr. 1091.

Cum Turcis pactiones propositæ.

ſtruerētur: in ſpem ſe adduci Francorum & Anglorum Reges interea ad concordiam reuocatum iri, & vtrumque oratores pro ea tractanda mittere pollicitum: quibus conciliatis inſtaurandum ſit maiore virium apparatu bellum in Turcas. Tum ab ijs, qui Turcarum vectigales fuere, exquirere iuſſit, quæ bellica auxilia in communem hoſtem eſſent collaturi: quibus literis nona februarij dies aſcripta.

Smyrna a Marbaſſano oppugnata.

Dum ita extrahebatur is induciarum tractatus Smyrnæ occaſione, in qua retinenda honorem nominis Chriſtiani agi cenſebat Pontifex, Marbaſsanus Turcarum dux, eius oppugnationem vi aggreſſus, magna clade a Barnaba Parmenſi Smyrnenſis arcis præfecto deletus eſt: quæ victoria ipſius Marbaſſani cæde clarior extitit. De cuius victoriæ partæ gloria Clemens Cretenſi archiepiſcopo A.S.L. ac Barnabæ egregio religionis athletæ eſt gratulatus. a

Cæſus Marbaſſanus in prælio.

a To. 7. ep. ſecr. 195.

Clemens, &c. Archiepiſcopo Smyrnenſi, & Barnaba de Parma domicello Parmenſi capitaneo ciuitatis Smyrnenſis.

Præfecto Smyrnēſi gratulatur Pontifex.

28 Grata nobis occurrit veſtrarum ſeries literarum, quæ nobis habitam per vos aduerſus nefandos Turcos hoſtes crucis & nominis Chriſtiani victoriam, & Marbaſanum Turcorum ipſorum ducem occubuiſſe cum illis inſinuans, gaudium quod exinde conceperamus per literas dilecti filij Deodati de Goſono magiſtri hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani miſſas nobis ſuper hoc, quæ veſtras præuenerant, duplicauit. Itaque Omnipotenti, in conſpectu cuius non eſt differentia in multis liberare vel paucis, laudes & gratias agimus, qui manus veſtras ad bellum, & digitos ad prælium inſtruens, Turcos ipſos in manibus veſtris concluſit, vobiſque de illis virtuoſe triumphare conceſſit. Ad eum itaque leuate mentis veſtræ oculos, in eo ſpem fiduciamque ponatis agentes, ſicut decet, virtuoſos viros potenter & ſtrenue, vt tantis talibus principijs finis, vt cupimus, & de virtute Altiſſimi confidimus & ſperamus, ſuccedat optatus; ſummo ſtudio prouidendo, quod caſtrum & locus Smyrnarum a ruina qualibet præſeruetur, nec prætextu quarumcumque treuguarum aut pacis, demolitionis (quod nullo modo ferremus) perferant detrimenta.

Dat. Auin. xvi. kal. ſeptembris anno vii. Deuictis Turcis, tractatus de inducijs ineundis redintegratus eſt, ac Pontifex Hugoni Regi Cypri ſignificauit b vi. kal. octobris, breui Turcarum ac Rhodiorum equitum magiſtri legatique pontificij oratores ad ſedem Apoſtolicam acceſſuros: illique de pretioſiſſimis muneribus ac pannis aureis phrygia arte elaboratis ſibi miſſis gratias egit c. Cumulari ille Smyrnenſis triumphus clarioribus alijs, euertique tyrannis Turcica facile potuiſſet, ſi occidentales ſtricta in mutuas cædes arma in eos conuertiſſent.

b Ibid. ep. ſecr. 260.

c Ibid. ep. 269.

Aſiaticorum ad Clem. legatio de Syria liberanda.

29. Nec pronæ modo ad exitium Turcarum, verum etiam Babyloniorum res erant: ac tum appetijſſe tempus, non modo Chriſtianorum earum partium, verum etiam infidelium teſtimonio videbatur, quo Syria ex impiorum ſeruitute liberanda, & Chriſtianæ religioni reſtituenda eſſet. Venere ea de cauſa ad ſedem Apoſtolicam ex orientalibus oris Antoninus archiepiſcopus Hierapolitanus & Ioannes Riuer militia clarus, vt Pontificem de ſoldani Babylonici rebus facerent certiorem, atque occidentales ad parandam in Palæſtinam expeditionem incitarent. Ad quorum promouenda pia conſilia Clemens encyclicis literis Chriſti fideles docuit a, egregiam rei in Syria gerendæ occaſionem porrigi vtque ad tam præclarum opus ſe ſtrenue accingerent, eſt cohortatus.

a To. 6. ep. ſecr. 181

Clemens, &c. vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis.

De collapſa Babyl. potentia.

Sicut multorum prælatorum dictæ terræ, nec non dilecti filij conſulis Babyloniæ, & aliorum Chriſtianorum inibi commorantium, qui ſoldani Babyloniæ gentiſque ſuæ ſtatum, conditiones, & mores, modumque viuendi plene norunt, inſinuatione comperimus, ſoldanus idem graui paupertate ac egeſtate laborat, & ætate iuuenis, ac ſenſu & mente iunior atroci & ruſticali gente gubernatur & regitur, ac fraterni cruoris effuſor immanis habetur odio cunctis illarum partium gentibus, ipſæque gentes ad ipſius ſoldani mortem laborant aſſidue, & callida machinatione conſpirant. Nobiles quoque ſeditioſi ſunt, & æmuli inuicem ac diuiſi, & inter ſe, qui poſt eundem ſoldanum ſuccedere debeat, adhuc ipſo viuente contendunt. Vbi præterea apud ſoldanos Babyloniæ, qui fuerunt pro tempore, genteſque ſuas ſubtiliſſimum vigere conſilium, abundare diuitiæ, florere iuuentus, ac legalitas obſeruari ſolebant; ibi nunc ruſticitas, ibi paupertas, ibi hebetudo, ibi proditio, fraus, & deceptio regnant; ibi liuor, inuidia, & odia dominantur, adeo, vt ipſimet publice fateantur & dicant aduenisse iam tempora, in quibus de ipſorum in proximo eripienda ſit manibus dicta terra. Eia ergo, Chriſti pugiles & athletæ, acceptabile tempus, dies ſalutis illius terræ miſerandæ penſate: ad illius recuperationem erigite animum, excitate mentem, dirigite & affectum, vt eadem Chriſti hereditas precioſa, de iugo ſeruitutis & oppreſſionis erepta, & quibuslibet ſpurcitijs & fœditatibus expurgata, nomen in ea collaudetur Altiſſimi, & cultus Chriſtianæ fidei amplietur.

De Saracenorum diſſidijs.

Tempus expeditioni videri accōmodum.

Vt Chriſtiani in Aſia aduerſus ſoldanum arma ceperint.

Cæterum quia, ſicut prælatorum & conſulis, ac Chriſtianorum prædictorum frequens deſcriptio nos inſtruxit, venerabilis frater noſter Antoninus archiepiſcopus Hierapolitanus per viginti quinque annos prædicando Dei euangelium infidelibus ipſis, eorumque plures conuertendo ad fidem catholicam & ſacri regenerando vnda baptiſmatis, reparando & ædificando eccleſias religioſorumq; conuentus, aliaque loca diuinis obſequijs deputata; ac dilectus filius nobilis vir Ioānes de Riuer miles Vvrigorienſis diœceſis (de cuius actibus & operationibus virtuoſis, & quod velut pugil Chriſti ſtrenuus & fidelis armatus militaribus armis ſuis, in loco, vbi prædeceſſor dicti ſoldani captus extitit, contra eum vexillum ſuum intrepide ac conſtanter erexit, prælatorum & conſulis, ac Chriſtianorum prædictorum literis ante ipſius Ioannis de transmarinis partibus reditum fuimus pluries informati) per multa tempora explorando, inueſtigando, & indagando non ſine multis periculis proprij corporis apparatum eiuſdem ſoldani infra & extra palatium ſuum, nec non ipſius ſoldani, gentiſque ſuæ modum armorum & pugnæ; applicationes quoque portuum maris, nec non caſtrorum, ciuitatum, & villarum aliorumque locorum, fortalitia, & alia multa, ad votiuum ingreſſum & recuperationem dictæ terræ, in eiſdem partibus tranſmarinis morati ſunt; ipſeque miles, poſtquam ſacrum ſepulcrum dominicum Ieroſolymitanum, vbi nonnullos nobiles militari cingulo decorauit, & beatæ Catharinæ virginis & martyris, aliaque oratoria

Ioannis Riuerij in promouēda expeditione labores.

& lo-

& loca dictæ terræ ipsius Redemptoris nostri na-
Variæ eius peregrinationes. tiuitate, præsentia, & passione corporalibus consecrata, & ipsius beatæ Catharinæ oratorium denuo visitauit, contra Turcos perfidos crucis hostes, sicut Dei athleta fortissimus per mare ac per terram laudabiliter ac strenue militauit; & proinde præmissa omnia, sicut habetur, nobis exposuerunt fideliter, sic vobis potuerunt explicare; eos ad vos prouidimus destinandos, vt tanquam Dei ministri atque præcones hæc fidelium infundant plenius, & seriosius auribus infigant, fortius mentibus, eosque ad pacem & concordiam habendam mutuo, quo melius & liberius Dei possint vacare negocijs, & ad redemptionem terræ ac populi prædictorum, ac passagium propterea præstante Domino faciendum excitent, & inducant, &c. *Dat. Auin. xvi. kal. aprilis anno vi.* Non archiepiscopi Hierapolitani, non eius socij Ioannis Riueri ducis egregij
Surdis auribus accepta eius legatio a fidelibus. adhortationes occidentales principes ad renouanda sacra vetera bella incitare potuere: atque hactenus Christianorum arma mutuo cruore rubent.

Neque silentio prætereundum est, vetitos toties fideles commercia cum Ægyptijs Syrisque Saracenis habere, caduca lucra animarum damno præferre non perhorruisse: quo facto cum censurarum religione se irretijssent, ita Pontifex absoluendos permisis, vt lucrum iniustum in bellum Turcicum conuerterent. Quo argumento Mi-
a To. 7 ep. secr. 339. 339. chaeli episcopo Barcinonensi a pro Aragonijs, Petro e Gandauo Apostolicæ sedis internuntio b
b Ibid. ep. 390. pro Danis, Suecis, ac Noruvegis in gratiam cum ecclesia restituendis datæ literæ. Permisit autem iustus scelerum vindex Deus, vt vetiti cum Saracenis commercij digna lucra auari Christiani pestem scilicet qua paganos perculerat, ad occiden-
c Io. Vill. l. 12. c. 83. talium plectenda flagitia ex oriente retulerint c.

Pestilentia orbem depascitur. d Cort. hist. l. 9. c. 14.
30 Facta sæpius iam a nobis ex literis pontificijs pestilentiæ, quæ hoc anno occidentis plura regna est depasta, mentione nonnulla memoria digna ex Cortusijs d afferenda visa sunt: *Deus omnipotens, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat; primo minatur, secundo vero percutit ad correctionem humani generis, non interitum, volens affligere humanum genus, plagis maximis inauditis primo in extremis partibus mundi in orientis plaga cœpit suum iudicium horrendum. Cum vero iam percussisset Tartaros, Turcos,*
Terræmotus in Europa aliquot prænuntius. *& genus infidelium vniuersum, in* MCCCXLVIII. *die XXV. ianuarij hora XXIII. fuit maximus terræmotus per horam mediam ad terrorem Christianorum: post quem pestis inaudita transiuit mare, scilicet in partes Venetiarum, Lombardiæ, Marchiæ, Tusciæ, Alemanniæ, Franciæ, & fere per mundum vniuersum. Hanc quidam infecti venientes de partibus orientis detulerunt.* Hi *solo*
Pestilentiæ immanitas. *visu, vel tactu, vel flatu omnes occidebant. Erat hæc infectio incurabilis; non poterat euitari: vxor fugiebat amplexus chari viri, pater filij, frater fratris; & e conuerso talium domus & vestes occidebant. Sepelientes portantes, videntes, vel tangentes subito multoties expirabant: sic cuius infecta inficit totum gentem: sic vnius domus decedentem vnum semper moriendo cæteri sequebantur vsque ad canis. Corpora etiam nobilium manebant insepulta. Multi pretio a vilibus sepeliebantur sine presbyteris & candelis. Veneti vero vbi centum millia perierunt, nauibus redemptis magno pretio corpora ad insulas portabant: ciuitas erat quasi desolata. Vnus solus incognitus venit Paduam, qui ciuitatem infecit in tantum, quod forsan in toto comitatu tertia pars defecit. Ciuitates cupientes euitare talem pestem, omnibus extraneis prohibebant ingressum: sic mercatores de ciuitate ad ciuitatem non poterant ambulare. Hac clade fuerunt destitutæ ciuitates & castra: non audiebantur voces, nisi heu, dolores, & planctus. Tunc cessauit vox sponsi & sponsæ, sonus cytharæ, cantus iuuenum, & lætitia. Pestes vero imminentes tempore Pharaonis, Dauid, Ezechiæ, Gregorij Papæ respectiue possunt nunc pro nihilo reputari, hæc enim pestis circuit totum orbem: Deus enim tempore Noe tantas animas vix consumpsit, cui possibile est humanum genus etiam de lapidibus restaurare.*

Huius pestis erant pessime alij infecti vt supra, Varia percussorum peste symptomata.
quidam euomendo sanguinem expirabant subito, alij morbo cancri vel vermis. In signum vero mortis quasi omnibus nascebantur glandulæ circa genitalia, vel sub brachijs, vel alijs partibus, venenosis febribus sociatæ. Bubones pestiferi.
Hi prima vel secunda die expirabant. Post tertiam, licet raro esset aliqua spes salutis, aliqui somno capti nunquam excitati transibant. Contra hoc medici palam profitebantur, se nescire remedium; quorum hac peste potissima pars defecit. Et infra: *Hæc pestis durabat sex mensibus communiter a sui principio in qualibet regione.* Et infra: *Audi tamen mirabile, quod tempore huius cladis non obijt Rex, princeps, nec dominus ciuitatis. Hoc tempore Christianitas in quinque locis furebat in armis: primo contra Turcos iuxta Smyrnas, & Rex Angliæ contra Franciam, Rex Vngariæ in Apuliam, Rex vero Boemiæ electus Imperator contra Bauariam, tribunus vero Romæ oppressus a patribus fugit in Apuliam. Humanum genus fit afflictum, sciens se non posse addere vel auferre ijs, quæ Deus faciat, vt timeant, sanctorum limina* Territi fideles ad Deũ perfugiunt.
visitabat, orationibus, eleemosynis, & ieiunijs se iuuabat. Hactenus Cortusiorum historia.

Mirũ est quod de huius pestilentiæ strage refert his verbis M. S. Vat. auctor a: *Huius,* scilicet Clementis, *tempore fames validæ fuerunt pene per* a M. S. bibl. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI.
totum vniuersum. Item anno v. suæ coronationis mortalitas terribilis & fortissima incœpit per totum vniuersum mundum, & durauit per tempora ita & taliter, quod de centum personis tam marium quam mulierum, & tam iuuenum quam senum, vix superuixerunt in exitu dictæ mortalitatis siue epidimiæ decem personæ, & in aliqua parte mundi pene quinque de centum. De tempore quo sæuijt hæc habet alius auctor anonymus b: *Hæc pestis durauit vltra annum prædictum; immo & per duos* b Gesta Clem. VI. apud Bosq.
sequentes in diuersis partibus, vbi non fuerat, se dilatando. His consentiunt quæ Petrarcha c lugu- c Petrarc. ep. fam. l. 8. ep. 7.
bri stylo de hac peste, quam plures mortales quam vniuersale diluuium absumpsisse cum alijs d scripsit. d Matth. Villa. l. 1. c. 2. & alij.

31 Iam, inquit, *annus integer, iamque alterius bona pars abijt, ex quo nihil viro dignum, non dicam facere, sed ne loqui quidem contigit; tonante vndique ac fulminante ferociter fortuna. Qua in re, benigno sub iudice forsan excuser, si ad examen venerit. Illud quoque non leue aliquid, sed* MCCCXLVIII. *sextæ ætatis annum esse, quem lugeo, qui non solum nos amicis, sed mundum omnem gentibus spoliauit. Cui si quid defuit, sequens* De sæuitia huius pestis.
ecce annus illius reliquias demetit, & quidquid illi procellæ superfuerat, mortifera falce prosequitur. Quando hoc posteritas credet, fuisse tempus, sine cæli aut telluris incendio, sine bello, aut alia clade visibili, quo non hæc pars, aut illa terrarum,

sed

sed vniuersus fere orbis, sine habitatore remanserit? Quando vnquam tale aliquid visum, aut fando auditum? Quibus hoc vnquam annalibus lectum est, vacuas domos, derelictas vrbes, squalida rura, arua cadaueribus angusta, horrendam vastamque toto orbe solitudinem? Consule historicos: silent. Interroga physicos: obstupescunt. Quære a philosophis: humeros contrahunt, frontem rugant, & digitulo labris impresso silentium iubent. Credet ista posteritas, cum ipsi qui vidimus vix credamus, somnia crederemus, nisi experrecti apertis hæc oculis cerneremus, & lustrata vrbe funeribus suis plena, domum reuersi, exoptatis pignoribus vacuam illam reperientes, sciremus vtique vera esse quæ gemimus? O felicem populum pronepotum, qui has miserias non agnouit, & fortassis testimonium nostrum inter fabulas numerabit. Meremur hæc quidem & grauiora, non inficior: sed & maiores nostri meriti sunt, atque vtinam non & posteri mererentur. Quid est ergo, iudicum iustissime, quid est, quod insigniter adeo in nostrum tempus vltionis tuæ feruor incubuit? Quid est, quod cum culpæ non desint, desunt exempla supplicij? Cum omnibus peccauimus, flagellamur soli: soli, inquam, audeo enim affirmare, quod si omnium seculorum flagella post arcam illam famosissimam, reliquias mortalium informi pelago circumferentem, cum præsentibus æstimentur, delitia fuerint & ludus & requies: neque enim cum his malis conferre decet bella quantalibet, in quibus & remediorum multa sunt genera, & (quod vltimum est) viris saltem mori licet: est autem solamen mortis eximium, bene mori. Hic remedij nihil prorsus, nihilque solatij est: cumuloque cladis additum, mali causas, principiumque nescire nam nec ignorantia, nec ipsa quidem pestis odiosior magis ac fabulis quorundam hominum qui professi omnia, sciunt nihil; quorum tamen ora, licet assuefacta mendacijs, tandem silent, & quæ impudentia primum ex more laxauerat, ad vltimum clausit stupor.

Quæsitæ eius causæ.

Sed ad inquisitionem meam redeo. An vero sicut longum iter agentibus euenit, vt alia via pars fatigationem faciat, alia fateatur; sic nobis accidit, vt lenitas tua Deus, humanis paulatim lassata criminibus, & iugi accessione prægrauata, nunc potissimum victa subsederit, tuque nos, rector optime, tolerare amplius non valens, in terga proieceris, atque a nobis misericordiæ tuæ oculos iratus auerteris? Quod si est, non nostrorum modo, sed paternorum simul criminum pœnas damus: an peiores illis nescio, sed certe miseriores. An illud fortasse verius, quod magna quædam ingenia suspicata sunt, Deum mortalia non curare? Sed absit a mentibus nostris hæc amentia. Si non curares, illa non subsisterent. Nam de his, qui nostri curam non Deo tribuit, sed naturæ, quid sentiendum nobis sit, veritatis tuæ studio deditus, tum Seneca ingratissimos omnium appellet, qui mutato nomine dissimulent Dei munus, & cauillando impie, supernæ debitum abnegent maiestati? Curas profecto nos, & nostra Deus: sed aliquid latitantis & ignota nobis causa est, cur ex omnibus seculis dignissimi visi sumus, qui acerrime plecteremur, non idcirco minore iustitia, quod occulta est: namque iudiciorum tuorum imperscrutabilis, & humanis sensibus inaccessa profunditas. Vel ergo pessimi omnium vere sumus, quod negare velim potius quam ausim: vel ad futura bona præsentibus malis exercitatiores, purgatioresque seruamur: vel omnino aliquid est, quod ne cogitare sufficimus. Ceterum quæcunque sint causæ, quantumlibet abdita, effectus apertissimi sunt, &c.

Ascripta diuinæ in peccatores iræ.

32 Describitur etiam eadem pestilentia a Ioanne Cantacuzeno a: neque alij, qui horum temporum historiam literis consignarunt, silere eam possunt b. Tradunt vero Pontificem, cum illa maxime Auinione sæuiret, aditum sui negasse, atque in thalamo multis ignibus purgandi aeris gratia vsum: qua etiam industria Nicolaum IV. Romæ, feruente etiam media æstate accensis in palatio pluribus ignibus ex epidemia euasisse, vidimus c. Explicuisse vero Clementem in funesta illa tempestate Christianam liberalitatem, vt ægrorum valetudini & morientium corporibus consuleret, vitæ illius scriptor ita consignat historiæ d: *Hac durante tempestate, dictus Papa in Auenione rem fecit maxime charitatis: nam pro pauperibus visitandis certos ordinauit medicos, & alios qui eis in suis necessitatibus subuenirent in vita, & cum decedebant etiam necessaria ad sepulturam ministrabant: ad mortuorum corpora * sepienda emit vnum magnum campum, in quo cœmeterium fecit consecrari, vbi generaliter omnes possent sepeliri: in quo infinitæ personæ extunc sepultæ fuerunt, fuitque ei nomen impositum, quod vsque in diem hodiernum durat, campus floridus.*

a Cantac. l. 4. c. 8.
b Ic. vit. hist. l. 9. c. 14. & alij.
Pontifex plurimo igne aduersus peste vtitur.
c Annal. to. XIV. an. Christ. 1288. n. 1.
d Gesta Clem. apud Bosq.
* sepelienda

Ad erigendos ad Christianam constantiam felicis immortalitatis spe fideles in tanta calamitate Pontifex, cunctis sacerdotibus omnia pœnitentum crimina soluendi, atque indulgentiarum ad omnes abolendas labes beneficium morituris impertiendi auctoritatem contulit e: extatque eo argumento diploma XIV. kal. iunij huius anni exaratum, quo Clemens pietatis sensu in miseros permotus, nonnulla indulgentiarum præmia sacerdotibus quoque qui ecclesiastica sacramenta percussis peste subministrarent, nec non ijs qui pium aliquod officium obsequiumue præstarent vel etiam defunctos sepulturæ mandarent, proposuit f. Proximæ vero mortis imagine omnes consternatos, se pie ad deflenda crimina, ac sacramenta frequentanda comparasse, referunt: & quod mirum est adeo pietatis sensu plerosque delibutos, diuino mulcente Numine mortis acerbitatem leui quodam proximæ æternæ felicitatis prægustu, vt mori gauderent: *Ferunt solatio fuisse huic tanto luctui*, inquit Nauclerus g, *quod pueri innocentes morituri plerique & iubilando & gaudendo laudes Dei dixerint: peccatores priusquam sentirent vim pestilentiæ, totis animis pœnituisse, adeo vt etiam vltro mortem expectarent.*

Indulgentiæ ad pereuntium solatium concessæ.
e Matth. Vill. l. 1. c. 3.
f An. 7. l. 5. p. 2. ep. 1. diuers. for.
g Naucl. gener. 45.
Diuina clementia in tanta calamitate se prodit.

33 Huius calamitatis diuinitus immissæ auctores existimati h sunt Iudæi, sparsumque in vulgus i, eos conuenisse magno numero in Hispania ad componenda exquisitissima veneficia, vt Christianum nomen delerent, sacculosque veneno lethifero plenos in puteos fontesque iniecisse: atque adeo atrociter calumniæ fax illis adhæsit, vt vel a sceleratis, qui exercendi inde latrocinia captarunt occasionem, vel a simplicibus hominibus magno vbique furore iniustissime necati bonisue exuti fuerint; de quibus Clementis vitæ scriptor hæc mandat historiæ l: *Huic malo superadditum est aliud, nam insurrexit quædam vox, quod erant aliqui malefici, & specialiter Iudæi, qui in aquis & fontibus potiones mittebant, cuius occasione pestis prædicta sic grassabatur: propter quod multi tam Christiani quam Iudæi innocentes & inculpabiles fuerunt cremati, trucidati, & alias inprimis male tractati, cum reuera hoc non esset nisi ratione constellationis; aut diuinæ vltionis;*

Calumniæ Iudæis aspersæ.
h Gesta Clem. VI. apud Bosq.
i Alb. Arg. in chron. & alij.
l Gesta Clem. apud Bosq.

Suscepit miserorum patrocinium Pontifex, & edicto apostolico Iudæos iniurijs iniuste violari

ve-

vetuit a vel innitos ad baptiſmum cogi: *Nullus Chriſtianus Iudæos eoſdem inuitos vel nolentes ad baptiſmum per violentiam venire compellat: ſed ſi quis eorum ſponte ad Chriſtianos fidei cauſa confugerit, poſtquam voluntas eius fuerit patefacta, efficiatur abſque aliqua calumnia Chriſtianus: veram quippe Chriſtianitatis fidem habere non creditur, qui ad Chriſtianorum baptiſma non ſpontaneus ſed inuitus cognoſcitur peruenire. Nullus etiam Chriſtianus eorundem Iudæorum perſonas ſine iudicio domini regionis, ciuitatis, ſeu terræ, in qua habitant, vulnerare, aut occidere, vel ſuas illis pecunias auferre præſumat, &c. Dat. Auin. xv. non. iulij anno vii.* Repetita ſunt paucorum menſium flexu eadem imperia, cũ popularis furor calumniæ flabello accenſus in Iudæos inardeſceret.

a To. 7. ep. ſecr. 180. Prohibet Clemens eos cogi ad baptiſmum.

Clemens itaque nouo apoſtolico edicto docuit, nullam immanis adeo ſuſpicionis cauſam ſubeſſe poſſe, cum lues Iudæos etiam abſumeret: atque vbi nonnulla præfatus eſt, non licere Iudæis, etſi incredulis, inferri iniurias, neque iuſtum ſubtrahendum præſidium, cum ex Iudaico genere Chriſtus dominus genus traxerit; ſeque in ea re prædeceſſorum Caliſti, Eugenij, Alexandri, Clementis, Cæleſtini, Innocentij, Gregorij, Nicolai, Honorij, & Nicolai IV. veſtigijs inſiſtere ſubdit: *Nuper ad noſtrum fama publica, ſeu infamia verius, perduxit auditum, quod nonnulli Chriſtiani peſtem, qua Deus populum Chriſtianum ipſius peccatis populi prouocatus affligit, Iudæorum falſo toſſicationibus ſeducente diabolo imputantes, nõnullos ex Iudæis ipſis temeritate propria, non deferentes ætati vel ſexui, impie peremerunt; quoaq; licet ydẽ Iudæi ſuper huiuſmodi impoſtura facinoris parati ſint ſubire iudicium coram iudice competente; ab hoc tamen Chriſtianorum ipſorum impetus non tepeſcit, ſed eo furor ſæuit in maius eorundem: quo videtur error eorum, dum eis non reſiſtitur, approbari. Et quãuis Iudæos eoſdem vbiq; culpabiles aut conſcij forſan eſſent tanti flagitij, cui vix excogitari poſſet pœna ſufficiens, digna & ſeuera vellemus animaduerſione percelli; quia tamẽ per diuerſa mundi climata Iudæos ipſos ac alias nationes plurimas, quæ cohabitationẽ Iudæorum eorundẽ non nouerant, peſtis hæc vbiq; fere communis afflixit occulto Dei iudicio, & affligit; & proinde veriſimilitudo non recipit, quod Iudæi prædicti occaſionem tanto flagitio præſtiterint ſiue cauſam, &c.* addit imperia, vt archiepiſcopi, epiſcopi, & alij eccleſiarum præſules populis ad diuinam rem conuenientibus denuntient, Iudæos non eſſe percutiendos, fauciandos, dandoſue neci; atque ab Apoſtolica ſede anathema ijs, qui ipſos atrociter læſerint, incuti: ſi quę vero cum ijs intercedat controuerſia, ipſos in ius vocent, & coram Iudice litem diſceptent. Quæ literæ *vi. kal. octobris* conſignatæ. Non potuit apoſtolico hoc ſtudio inuſta inique Iudæis ſedari infamia: vbique enim, excepto comitatu Aueniomenſi, tanquam venefici ad necem quæſiti b: ac ſequenti etiam anno in Germania, quam lues depaſcebatur, hæc illis calumnia adeo inhæſit, vt ad duodecim millia in vna vrbe Moguntina morti tradita teſtetur Rebdorfius. Albertus vero Argentinenſis c ſcribit, ipſos ex populi tumultu in furorem verſos, ſe ſuaque, iniectis facibus, incendio concremaſſe.

Vetat Iudæos inſõtes lædi.

Iudæi paſſim cæſi.

b Rebdorf. in annal.

c Arg. Aug. in chron.

De illius vero peſtis, quam portendiſſe duobus ante annis menſe auguſto cometam inſignem ſcribit Ioannes Villanus d, cauſis atque initijs horrenda tradunt auctores e. Memoratus vero Villanus, dum lues Florentiæ graſſabatur, ea correptus obijt, longiore vita dignior ob ſingularem diligentiam fidemque in temporum ſuorum conſcribenda hiſtoria, cui nos plurimum debere in componendis noſtris annalibus fatemur. Cœptum ab illo opus virtutum & diligentiæ heres Matthæus Villanus propinqua illi cognatione coniunctus a eſt proſecutus. Incredibile dictu eſt quot myriades myriadum paganorum peremerit: quo flagello infideles ob ſuperſtitionem veterem ſe percuſſos diuinitus rati ad Chriſtiana ſacra perfugerunt, vt refert Vualſingamus, qui addit b: *Sed comperto, quod in ſecta Chriſtiana eadem peſtis inualeſcit, iterum ad vomitum reuertuntur.* Ita miſeri, cum non perpenderent apud Chriſtianos deeſſe non debere ſupplicia, qui ſuis etiam ſceleribus non carerent: ſed fidelium calamitas cum ipſorum calamitate conferenda non fuit. c

d Io. Vill. l. 12. c. 97.
e Matth. Vill. l. 1. c. 4. & alij.

a Matth. Vill. l. 1. c. 2. Saraceni grauiſſime percuſſi peſte.
b Vualſin. hiſt. Angl. in Eduar. III. Io. Vil. l. 12. c. 83.

34 Graſſante porro inter orientales peſtilẽtia, mercatores Itali ac præſertim Genuenſes ex conſortio infidelium labem traxere: qui cum reditum tardius ornaſſent, maxima ex parte in reditu obiere, & omnia loca, in quibus ægros expoſuere, mox ea peſtis infecit. Siculi primi vim mali ſenſere: experti inde Piſani ac Genuenſes: breuique Italiam, Gallias, Sardiniam, Corſicam depaſci, atque in alia regna ſe diffundere cœpit; de qua iterum ſequentibus annis recurret ſermo. Hic addemus Pontificem viros religioſos ad fundendas Deo preces ſolicitaſſe, vt flagellum a ſuis placatus auerteret. Quo argumento Prædicatoribus d, Minoritis e, Auguſtinianis f datæ literę, quarum exemplum infra ſcriptum eſt.

c Io. Vill. l. 12. c. 83. Matth. Vill. l. 1. c. 2.
Mercatores Genuenſes peſtem ex Aſia deuexere. Qui primi in occid. infecti.

d To. 7. ep. ſecr. 21.
e Ib. ep. 22.
f Ep. 23.

Clemens, &c. dilectis filijs magiſtro & fratribus ordinis Prædicatorum, Lugduni in generali capitulo in proximo congregandis.

Licet ſperemus indubie, quod vos charitatis igne ſucceſſi paternum, quem erga vos gerimus filiali deuotione recompenſantes affectum, veſtrarum nos orationum continua opitulatione iuuetis; anxie tamen & non ſine graui amaritudine animi attendentes, qualiter peccatis exigentibus in vniuerſis fere orbis terræ partibus guerrarum calamitatibus atteritur, & inteſtinis odijs laniatur, proh dolor! populus Chriſtianus, ac ſuper inducta mortalitatis peſte ſenes, iuuenes, magni, & parui ſubito & improuiſe tela vitæ ſucciſa quaſi communiter de medio ſubtrahuntur, huiuſmodi orationum veſtrarum patrocinia inſtantius imploramus; attentius deprecantes, vt hæc & procellas tempeſtatum varias nos circumdantium intuentes, & intumeſcentes fluctus vndique filiali nobiſcum compaſſione penſantes, illum cuius imperio quieſcunt fluctus, & ſtat ſpiritus procellarum, pulſetis precibus, & clamoribus excitetis, vt ipſe, qui cum iratus fuerit nõ obliuiſcitur miſereri, populo ſuo, quem ſui pretioſi ſanguinis aſperſione redemit, miſericordiæ ſuæ ſinum placatus aperiat, & guerris ac odijs quibuſcumque ſedatis, concordiam paret, tribuat pacem, peſtem auferat, conferat ſalutem: ſicque orationum veſtrarum ſuffragijs populum & ipſam eccleſiam in tantis anguſtijs conſtitutos potentiæ ſuæ dextera protegat & defendat, quod temporibus noſtris eidem populo pax & tranquillitas optata proueniat; & tandem, cum Redemptor noſter vniuſcuiuſque merita lance diſcuſſionis extremæ libraturus aduenerit, nos vna cum grege nobis credito cum benedictionis munere ad participium regni cœleſtis inuitans in dilecta ſua tabernacula introducat, &c. *Dat. Auin. ix. kal. iunij*

Expoſitio horum temporũ calamitates.

iunij anno VII. Tantum religiosorum virorum numerum hac epidemia absumptum ferunt a, vt exhaustis monasterijs pristinæ austerioria vitæ relaxandæ sumpta sit occasio, atque admodum disciplina vetus sit dissoluta; cum præcipua sanctitatis & scientiæ lumina in ordinibus ijs sacris extincta essent.

a Aut. 3. p. tit. 21. c. 5. §. 3. et ex eo Vuad. annal. to. 3 hoc ann. n. 2.

B. Bernardi benefici mors.

35 Migrauit tum e viuis inter alios insignes religione viros Bernardus sodalitij montis Oliueti conditor Senis hoc anno, dum tanquam bonus pastor animam pro suis ouibus exponeret, de quo hæc Ferrarius b: *Bernardus, vbi sui ordinis confirmationem ab eodem Pontifice*, nimirum Ioanne XXII. *quam etiam a Clemente VI. obtinuisse testatur diploma amplissimum* c, *Auenionem profectus obtinuisset, annosque viginti septem ei optimis legibus communito præfuisset Senis, dum suis monachis pestilentia, qua tunc grassabatur in ea vrbe infectis proprijs manibus inseruiret & ipse percussus peste spiritum Deo reddidit anno salutis* MCCCXLVIII. XI. *kal. septembris*. His addit idem Ferrarius hanc notam: *Et si eum vti beatum in monte Oliueto, vbi corpus asseruatur, venerantur; haud tam officio ecclesiastico colunt, nondum ab Apostolica sede facultate impetrata*.

b Ferrar. die 22 aug. in M. s. chro. ord. Oliuet.
c Extat bull. in Clem. VI. const. 2.

Auxere conceptum ex pestilentia terrorem crebri terræmotus, ex quibus homines deliquium cordis passos, refert Albertus Argentinensis d. Adeo vero horrendi in alpium nonnullis locis extitere, vt oppida vrbesque conciderint, montes æquarint valles, interrupti sint fluminum cursus: interque cætera Villacum calamitatis exemplum in Istria fuit e, omnibus enim illius vrbis domibus funditus euersis, sola hominis iusti addictique eleemosynis domus stetit. Datum porro est imminentis mali signum incolis, vt fugerent a facie eius: diffissa namque est in medio foro tellus in formam crucis, ac primum sanguine deinde aqua sudauit f.

d Alb. Arg. in chron.
Villacum absorptū.
e Io. Vill. l. 12. c. 122.
Portentū atrox.
f Id. c. 122. & Ant. 3. p. tit. 21. c. 8. §. 4.

36 Interea Clemens Papa mense maio sacro purpuratorum senatui adscripsit Petrum Rogerium ex fratre nepotem, qui postea Vrbano V. datus successor, accepto Gregorij XI. nomine, ob restitutam Vrbi sedem Apostolicam immortalem sibi gloriam peperit: *Anno prædicto quadragesimo octauo*, inquit Clementis vitæ scriptor g, *mense maij intra quatuor tempora dictus Papa assumpsit in diaconum Cardinalem dominum Petrum nepotem suum ex fratre sedis Apostolicæ tunc notarium, qui tunc erat valde iuuenis & teneræ ætatis, cum iudicio communi nondum annum decimum octauum compleuisset: erat tamen totus humilis & benignus, bonaque indolis, aptus, ingeniosus, & subtilis, ac ad studium literarum multum intentus, etiam in iure ciuili secundum tempus, quo circa ipsum versatus fuerat, bene sapiebat*. Plura etiam egregia ipsius elogia continet apostolicum diploma h de collato illi cardinalatu a Clemente exaratum III. kal. iunij pontificatus anno VII.

Petr. Rogeri⁹ creat⁹ Cardinalis.
g Gesta Clem. VI. apud Bosq. & M. S. bibl. Vat. sign. n. 2040.
h To. 6. ep. sec. r. 63.

IESV CHRISTI

Annus 1349.

CLEMENTIS PP. VI. annus 8.	CAROLI IV. ROM. REG. 4. IO. PAL. 9. & IO. CANT. 3. IMPP.

Neapolitanum regnum direptioni expositū.

1 Seruatoris anno quadragesimo nono supra millesimum trecentesimum indictione secunda attritum est grauissimis cladibus regnum Neapolitanum a Ludouico Rege Vngariæ Conradi Lupi ducis opera armis sibi asserere, vicissimque Ludouico Tarentino & Ioanna Regina recuperare annitentibus. Ad quæ propulsanda mala Annibaldus episcopus Tusculanus a in Siciliam, vt concitatos tumultus sopiret, Guido tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis b in Vngariam, vt Ludouicum Regem mulceret, cœptoque abduceret bello, properarunt. Attingebat Guido Cardinalis propinquitate c Vngari Regis vxorem, eandemque Caroli Romanorum Regis filiam. Neque in Vngaria modo quamquam eo præcipue mittebatur, verum in nonnullis etiam Italiæ partibus legationem obeundam suscepit, vt Pontificiæ commendatitiæ literæ d ad Insubriæ principes ostendunt.

a To. 7. ep. secret. ... ad ...
Guido legat⁹ Card. in Vngariam miss⁹.
b Ib. ep. 644. ad 647.
c Ib. ep. 379.
d Ib. ep. sec. 626. ad 613. & 677. ad 683.

Hortatus etiam est Carolum e, vt auctoritatem suam apud socerum ad Siculos principes regio sanguine satos ex Vngarico carcere dimittendos adhiberet: quorum liberandorum gratia Philippus Rex Francorum, Petrus Borbonesij dux, ac Iacobus Borbonicæ familiæ princeps oratores in Vngaricam regiam missos pontificio legato adiunxere f. Puros quidem ab illatæ Andreæ Regi necis scelere eos principes reputabat Vngariæ Rex Ludouicus: sed cum partam iusto, vt contendebat, bello ad fraternam necem vlciscendam suscepto Siciliam (quam hereditario etiam iure, quippe qui ex Caroli II. maiore natu filio suo traxerat originem, Ioanna ex secundo natu, quam etiam ob interfectum virū ad supplicium postulabat, cæteri autem principes ex Ioanne & Philippo ætate minoribus sati essent, debitam cōtendebat) sibi asserere vellet, atq; ideo vrgeret g Clementem, vt Siculam ipsi coronā confirmaret; laxare e custodia Siculos principes sine graui periculo se non posse obtendebat, ne illi tumultus sui absentia in regno a Ioanna & Ludouico Tarentino marito cōcitatos augerent: missisq; oratoribus Nicolao electo Nitriensi, & Garsia comite e Vesuumar ea lege liberandos consensurum se Pontifici significauit h, vt datis fideiussoribus Siciliam citeriorem non ingressuros pollicerentur: promptumque se ac paratum ad omnia regni Siculi nomine officia & obsequia sedi Apostolicæ addicenda, quæ vnquam maiores præstitissent, exhibuit; tum ad sui excusationem plura addidit. Ad quæ omnia Pontifex Hugone tit. S. Laurentij in Damaso presbytero ac Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinalibus assidentibus, respondit diffusa oratione, cuius singula argumenta ad refutanda obiecta, ineundamque concordiæ rationem descripta in literis ad Guidonem Cardinalem legatum afferemus: ac Regem Ludouicum i & Elisabetam l Reginam matrem certiores fecit, Guidonem singulis, quæ Vngarici oratores sedi Apostolicæ exposuerant, ipsis responsurum. Illum vero summo studio dare operam iussit m, vt ad ponendum modum innumeris malis, quibus regnum Neapolitanum obruebatur, Regem permoueret, ad arces quas ibi præsidiario milite instructas obtinebat, fidei sedis Apostolicæ permittendas adduceret: se pariter Ioannam Reginam ad id adacturum, deque regno sedis Apostolicæ beneficiario, vt suaderet æquitas, sententiam laturum.

e Ep. 691.
Decreti oratores a Gallis pro liberandis principib⁹ Neap.
f Ep. 696.
Cur ij retenti sint in carcere.
g Ep. 889.
h Ead. ep.
i To. 7. ep. secr. 904.
l Ibid. ep. 905.
m Ibid. ep. 889.

Guidoni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. A. S. L.

2 Dilecti filij Nicolaus electus Nitriensis, & nobilis vir Georgius comes de Euvesvmar nuncij charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regis Vngariæ illustris, ad sedem Apostolicam venientes, quasdam nobis ex parte ipsius Regis de creden-

den-

dentia literas detulerunt, multa sub huiusmodi credentia proponentes. Et primo, quod Rex idem mirabatur, nos sicut & datum erat intelligi, aduersus ipsum pro eo, quod regnum Siciliæ sine licentia nostra intrauerat, fore turbatos, cum sibi in præfatum regnum non prohibuissemus ingressum, & ipse non in dispendium sanctæ Romanæ matris ecclesiæ, vt eorum verbis vtamur, sed ea ea causa illud intrasset, vt de morte claræ memoriæ Andreæ Regis Siciliæ germani sui sumeret vltionem. Nam licet nos quondam Bertrando de Bauciocomiti Montiscaueosi, tunc in humanis agenti, dedissemus per nostras literas in mandatis, vt ipse de patratoribus & conscijs mortis huiusmodi, & de illa quomodolibet culpabilibus auctoritate nostra inquireret, & iustitiæ faceret complementum; tamen charissimam in Christo filiam nostrã Ioannam Reginam Siciliæ illustrem, quam principalem factricem & caput tanti facinoris asserentes, eam viricidã cõmuniter appellabant, aliosque regales domus Siciliæ duxeramus à iurisdictione ac potestate prædicti comitis specialiter eximendos.

Quæ fuerint ab Vngariæ [illegible] toribus proposita.

Ioanna ad supplicium postulata.

Secundo, quod mirabatur etiam præfatus Rex, quod (sicut audiuerat) nos de morte quondam Caroli ducis Duratij conceperamus causam amaritudinis contra eum, cum ipse Rex Vngariæ iuste motus contra præfatum ducem pro eo, quod (vt dicebant) conscius fuerat huiusmodi mortis dicti Regis Siciliæ, illique consenserat: & pro eo etiam, quod in mortẽ Regis Vngariæ conspirana ipsius, eum in ingressu ciuitatis Neapolitanæ ordinauerat interfici proditorie, mandasset ac fecisset occidi.

Caroli Dyrrachij ducis mors excusatur.

Tertio, quod idem Rex paratus erat, sicut dudum nobis intimauit per dilectum filium Carolum Iorij seruientem nostrum armorum, quem sicut nosti ad eundem Regem hactenus misimus, super liberatione dictorum regalium, recepta tamen prius ab eis, seu pro eis securitate idonea, condescendere votis nostris.

Quarto, quod præfatus Rex mirabatur & conquerebatur, quod nos præfatam Reginam dudum ad sedem venientem eandem sustinueramus Romanam intrare curiam, eamque fueramus sic benigne sicque honorabiliter prosecuti: cum ipsa Regina, contra quam viricidæ verbum sæpius iterabant, rea conuinceretur seu criminaretur de huiusmodi morte præfati Regis Siciliæ viri sui per confessiones omnium, qui causa mortis eiusdẽ vltimo fuerant supplicio, suadente iustitia, deputati.

Querelæ in Clemẽtem.

Quinto & vltimo petierunt, quod nos præfatum regnum, vt verbis vtamur ipsorum, dicto Regi confirmare vellemus, cum ipse paratus semper fuisset & esset pro dicto regno eidem ecclesiæ facere quæcumq; prædecessores sui prædictæ facere consueuerunt ecclesiæ, & etiã vltra illa.

Ad quæ omnia præfatis nuntijs, conferendo tantum (cum in tantis negotijs sine deliberatione matura finale responsum eis exhibere nollemus) præsentibus dilectis filijs nostris Hugone tit. S. Laurentij & Damasi presbytero, & Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinalibus duximus, vt subsequitur, per ordinem respondendum; & primo.

Flagitatũ Neapolitani regni ius beneficiarium.

3 Ad primum, quod præfatus Rex mirari non debuit nec debebas, si ingressus eius in idem regnum nobis displicuerat, ac nos & Romanam ecclesiam, vtpote quibus in eo magna fueras irrogata iniuria, conturbarat: nam præfato Regi, siue zelo sumendæ vltionis, sicut ipsi propo-

Clementis ad Vngarũ responsum.

fuerant nuntij, siue pro iure, si quod idem Rex in eodem regno competere sibi prætenderet consequendo, intrare hostiliter nõ licuerat dictũ regnum, cum ad nos & eandem ecclesiam sicut ad superiorem prædicti regni dominum, non ad præfatum Regem, qui priuata persona, dumtaxat in ea parte censebatur atq; censetur huiusmodi vltio pertineret quodque Rex idem non debuerat admirari, si nos Reginam & regales eosdem eximendo a iurisdictione præfati Bertrandi comitis duxeramus, cum hoc fuisset consulta cautela prouisum, ne videlicet idem comes, qui vtpote ipsius Reginæ subditus & vassallus in terra maxime dictæ Reginæ iustitiam facere de maioribus non audebat, in ea ministranda & exequenda de inferioribus alijs impedimentum vel obstaculum forsitan pateretur. Nec idem Bertrandus comes de huiusmodi maioribus iustitiam facere vllatenus potuisset, quod satis ea eo patuerat, quod ipse comes processum per eum aduersus nonnullos, quos vltimo damnauit auctoritate nostra supplicio, quanquam requisitus & iussus nobis mittere, seu venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Sabinensi, tunc tit. S. Marci presbytero Cardinali A. S. L. quem ad dictum regnum pro iustitia fauorabiliter ministranda dictis Regina & regalibus miseramus; quique tanquam zelator iustitiæ ac abominator huiusmodi sceleris, si processum habuisset huiusmodi, cum aliunde probationes sufficientes habere non posset, ad executionem iustitiæ, sicut a nobis in mandatis habuerat & gerebat in votis, non deferendo generi, dignitati, vel sexui fauorabiliter processisset, timuit assignare.

Cur Ioannæ & principes pœ[illegible] iudicio.

Acta iudiciaria de nece Andreæ suppressa.

Diximus etiam eisdem nuntijs ad id, quod proposuerunt, quod nos præfato Ludouico Regi huiusmodi in prædictum regnum non prohibueramus ingressum: quod si diligenter inspexissent literas nostras multas, quas eidem Regi, vt eum ab ingressu retraheremus huiusmodi misetamus, honestius erat eis super hoc tacere quam loqui; subiungentes ad eorum in hac parte conuincendum errorem, qualiter nos hactenus Ioanni electo Vesprimiensi, tunc nuntio dicti Regis Vngariæ apud sedem constituto præfatam, post multa verba, quibus eundem electum induximus, vt præfatũ Ludouicum Regem ab ingressu in dictum regnũ vijs & modis, quibus posset omnibus reuocaret, etiam processus habitos per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, qui in registris prædecessoris eiusdem, quæ in archiuo ipsius conseruantur ecclesiæ, de verbo ad verbum conscripti sunt (quos idem prædecessor vim perpetuæ cõstitutionis habere voluit, & per quos aduersus inuadentes vel occupantes regnum ipsum, aut aliquam partem eius graues spirituales & temporales pœnæ ac sententiæ sunt prolatæ) monstraueramus, quos ille perlegerat seriose: & qualiter idem etiam Rex processuum prædictorum ignorantiam allegare non poterat, cum fuissent in diuersis partibus, per quas veniendo ad dictum regnum ipse quoque Rex transitum habuit, & in ipsius regni locis pluribus publicati: item quod ipsa quoque rei natura Regi præfato in dictum regnum prohibeat ingressum, cum regnum ipsum pleno iure ac immediate ad nos & eandem ecclesiam, sicut & pertinet, pertineret. Adiecimus insuper, quod non debuit idem Rex iure suo regnum intrare prædictum, quoniam sibi non licuerat, vt præfertur; cum ei, sicut & quibusuis alijs, quod in propria sibi causa ius diceret, nul-

Prohibita regni Neapolitani inuasio.

nullo foret iure permissum: & Regina præfata (quæ tam virtute connentionum inter eandem ecclesiam & inclytæ recordationis Carolum primum Regem Siciliæ, dudum in concessione dicti regni eidem Carolo Regi facta per eandem ecclesiam habitarum, quam vigore testamenti [consentientis nimirum Bonifaciano decreto] bonæ memoriæ Roberti Regis Siciliæ aui dictæ Reginæ hereditario iure in regno succedebat eodem) de huiusmodi crimine mortis dicti Andreæ Regis nec conuicta nec confessa existeret, & per consequens nec competenti sibi in eodem regno iure priuata: & quod etiam eo casu, quo Regina ipsa de huiusmodi crimine confessa existeret & conuicta, & per decisionem definitiuæ sententiæ huiusmodi iure priuata, regnum ipsum non ad eundem Regem Vngariæ, sed vel ad eandem ecclesiam, vel ad proximiorem præfatæ Reginæ debebat sine dubitatione deuolui: quodque si præfatus Rex Vngariæ de declaratione facta per piæ memoriæ Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum super successione dicti regni conqueri forte vellet, debebat ius suum coram nobis, sicut coram superiore domino & competenti iudice, ordine iudiciario prosequi & petere: non illud sibi auctoritate seu temeritate propria per potentiam & violentiam, quas iura detestantur & prohibent arrogare; maxime cum recolendæ memoriæ Carolus Rex Vngariæ pater dicti Ludouici Regis eundem Robertum Regem verum Regem Siciliæ toto vitæ suæ tempore nominasset, ac etiam reputasset.

Ioannæ Regina in illud iura.

4 Ad secundum respondimus, quod de occisione præfati ducis Duratij turbati merito fueramus: & quod nec ipse Ludouicus Rex circa hoc aliquid rationabiliter ad excusationis suæ velamen seu pallium poterat allegare, cum ipse priuata persona eundem ducem, in quem iurisdictionem aut potestatem ordinariam vel delegatam aliquam non habebat; & alias omni iuris ordine omnino non solum postposito, sed corrupto, vt pote non auditum, nec confessum, nec alias conuictum, nec ei causa cognita vel exposita suæ mortis, in magnam nostram & ecclesiæ præfatæ contumeliam ac suæ famæ notam & maculam fecisset occidi: & quod non erat verisimile, quod idem dux præmissi criminis reus aut conscius extitisset, cum ij, qui de huiusmodi crimine suspecti fuerant reputati, eiusdem maxime ducis opere, auxilio, & fauore capti fuissent; & tandem, ab ipsis per tormenta illata eis violenter elicita veritate, vltimum supplicium subijssent: & quod in cor alicuius sanæ mentis nullo modo cadere poterat siue debuerat, nec poterat nec debebat, quod idem dux vir tantarum virtutum, qui pro vindicta sumenda de morte dicti Andreæ Regis non sine multorum odio & maleuolentia, quæ contra se proinde concitauerat, tanta sic patenter sic constanter & intrepide fuerat operatus; quique non armatus, sed inermis Ludouico Regi præfato, in tanto comitatu armatorum procerum ac militum & peditum existenti; cum admodum paucis familiaribus & ipsis quoque fratribus suis inermibus etiam occurrerat, in tantum facinus, mortem scilicet dicti Ludouici Regis vesana mente famæ ac honoris sui prodigus proditorie conspirasset.

De Carolo Dyrrachino duce iniquo cæso.

Ad tertium respondendo instituimus, quod ipsi nobis securitates, quas idem Ludouicus Rex pro liberatione dictorum regalium peteret aperirent; super quo, licet sæpius reiterauissemus instantiam, scire id admodum cupientes; nunquam tamen potuimus excutere aliquid ab eisdem, dicentibus quod idem Ludouicus Rex nunquam cum consilio suo deliberauerat aliquid in hac parte. Idem tamen Nicolaus electus post multa verba dixit, quod nulla præfato Ludouico Regi posset plena esse securitas de prædictis regalibus, si eis foret opportunitas libera vllo vnquam tempore prædictum regnum Siciliæ reintrandi. Tu tamen, fili, hæc intra pectoris tui claustra reuoluens, & vias ac modos, quibus circa liberationem dictorum regalium nostræ ac tuæ intentionis consequamur effectum, diligenter considerans ac solerter exquirens, tam apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Rom. illustrem, quam alios, de quibus in schola experientiæ positus vtilius videris expedire, sic iuxta datam tibi a Domino gratiam des solicite operam, sic labores instanter, & sic efficacis promotionis studia solerter impendas, quod super hoc, sicut de gratia diuina confidimus, & speramus de tuis operationibus virtuosis, fructus ex eisdem laboribus tuis colligas, ac eandem ad nos referas expectatos.

De principibus regio sanguine satis custodie liberandis.

5 Ad quartum quoque respondemus, quod nunquam nobis placuerat, immo displicuerat, quod eadem Regina curiam intraret eandem: & quod nos eidem Reginæ dissuaseramus per nuntios & literas, vt ab ingressu in dictam curiam penitus abstineret: & quod eandem, cum ad ingressum omnino voluntaria videretur, te ac bonæ memoriæ Petrum tit. S. Clementis presbyterum Card. tunc in humanis agentem, miseramus ad ipsam, vt eam ab intrandi proposito retraheretis inductionibus opportunis: quodque cum ipsa, nostris inductionibus & exhortationibus circa hoc obauditis, omnino curiam intrare vellet eandem, sibique prohibere non possemus ingressum, cum Auinionensis ciuitas tunc temporis sua esset; fuerat fratrum nostrorum consilium, quod eadem Regina, quæ de patrato crimine nec conuicta erat, sicut prædicitur, nec confessa, recipi vt Regina debebat: vnde contigit, quod nonnulli ex eisdem fratribus, & quidam ex familiaribus nostris etiam occurrerunt eidem, & nos etiam recepimus in consistorio iuxta consuetudinem, quam in receptione personarum regalium laudabilis ipsius ritus ecclesiæ seruauit & seruat: & quod eam, postquam curiam prædictam intrauerat, nec honoraueramus velut exigebat ipsius clara prosapia, nec prout incumbentium sibi negotiorum qualitas requirebat, fueramus fauorabiliter profecuti: immo sic eam nobis præfati Regis consideratio ab omni auxilio fecerat alienam, quod ipsa per solemnes nuntios seipsam, quam vt vassallam eiusdem ecclesiæ in tot & tantis angustijs constitutam ecclesiæ præfatæ iuuandam esse præsidio & protegendam iuuamine asserebat, & suppliciter postulabat; contra spem suam quereretur abiectam, & ipsius lamentaretur ecclesiæ fauoribus destitutam. Rursus quod nos ipsam ante recessum suum de dicta curia per venerabilem fratrem nostrum Stephanum archiepiscopum Arelatensem camerarium nostrum citari feceramus, vt coram nobis responsura super huiusmodi crimine in certo termino, quem ei per eundem camerarium assignaueramus peremptorie, personaliter compareret. Propter quæ Regina ipsa, de nobis vt verisimiliter credimus, & demonstrauit effectua, male contenta nobis, prout decuerat & debuerat, non

Excusatio Clementis cur Ioannam receperit.

Vt ea in ius vocata aufugerit.

non visitatis seu visis de curia discesserat antefata. Quamobrem præfatus Ludouicus Rex de nobis in hac parte conqueri nec poterat, nec debebat; sed patientiam nostram potius, quod nec spiritualiter nec temporaliter contra eum, qui prædictum regnum, peculiarem videlicet terram, & specialem hereditatem ipsius ecclesiæ, non sine suæ salutis & status ac famæ dispendio, quod sibi ex dictis eiusdẽ prædecessoris Ioannis * imminebat & imminet, ac in nostrum & eiusdem sedis opprobrium & contemptum sic afflixerat & affligebat, mirari potius debuerat & debebat.

* processibus

Negata Vngaro regni Neapolitani donatio.

6 Denique ad quintum & vltimum respondimus, quod nos dictum regnum præfato Ludouico Regi confirmare, aut quouis alio modo concedere nullatenus poteramus: & quod mirabamur admodum, quod ipse Rex, vtpote quem credebamus & credimus circumspectum principem & prudentem, ac prudentum vti consilio, talia peteret, quibus & contrarientur omnino iura, & æquitas penitus dissentiret; cum ipsa Regina, quæ regnum prædictum tanquam præfati Roberti Regis heres legitima tenet & possidet, & per multa tempora tenuit & possedit; quæque pro illo dilecto filio nostro Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinali tunc A. S. L. habenti super hoc per speciales nostras literas potestatem nomine nostro & ipsius ecclesiæ recipienti, ligium fecit homagium & fidelitatis debitæ præstitit iuramentum, seque facturam & præstituram nobis in persona sua propria obtulit, si nos ad id recipere voluissemus; eandem iure sibi in eodem regno competenti, ordine iuris postposito, sic præcipitanter priuanda non foret: & quod, si ipsa quoque Regina velut rea huiusmodi criminis, seruato tamen ordine iudiciario, prout tanti negotij qualitas exigebat, priuanda veniret, expectandus erat calculus diffinitiuæ sententiæ, cui executionem permittere non licebat; quodque, vbi etiam circa hoc iuris solemnitatibus omnibus rite seruatis dicta Regina eodem regno priuata iam esset, non propter hoc pœn. sua in pœnam aliorum innocentium, ad quos regnum prædictum deuolueretur & pertineret, esset quomodolibet retorquenda.

Huiusmodi autem quatuor primis articulis vlterius non deductis, præfati nuntij dicti Ludouici Regis dixerunt nobis circa prædictum articulum quintum & vltimum, se ab eodem Ludouico Rege in mandatis habere, quod vbi huiusmodi sibi confirmationem seu concessionem de dicto regno Siciliæ facere negaremus, tunc nobis & non ante super huiusmodi quinto articulo regiæ intentionis propositum aperirent. Ac tandem inter cætera multa & pulchra verba dixerunt, quod præfatus Ludouicus Rex, sicut fidelis & deuotus noster & ipsius ecclesiæ filius, paratus erat in manibus nostris libere cedere omni iuri, quodcumque sibi in regno competeret antefato, & armigeram gentem, quam in eodem regno ad sua stipendia tenebat & tenet ad se ab inde reuocare; quodque volebat & contentabatur, quod de dicto regno disponeremus libere, siue illud retinendo pro eadem ecclesia, aut alij concedendo iuxta nostræ arbitrium voluntatis; ita tamen quod de præfata Regina super dicto crimine mortis prælati Andreæ Regis viri sui, sicut de rea huiusmodi criminis, faceremus iustitiam, dictumque regnum reciperemus ad manum nostram, & sub ea realiter teneremus. Et hæc verba multis vicibus & diebus continuarunt & reiterarunt, præsentibus interdum dictis Hugone & Guillelmo Cardinale inuicem, & quandoque altero eorundem.

Oblatum Clementi regnum Neap. modo Ioannam de viro cæso plecteret.

Nos autem, quibus hæc, nec mirum, satis a principio placuerunt, eisdem præfati Ludouici Regis nuntijs sinceritatem deuotionis & fidei dicti Ludouici Regis erga nos & eandem ecclesiam commendantes, respondimus & diximus, quod affectionem ac voluntatem dicti Regis gratam admodum habebamus, offerentes nos paratos de prædicta Regina facere super huiusmodi crimine iustitiæ complementum; ac subiungentes, quod si antefatus Ludouicus Rex instruere officium in hac parte, ac huiusmodi processum per eundem Bertrandum comitem habitum, vt præfertur, mittere nobis vellet, id gratum admodum haberemus; quodque apud eandem Reginam, vt assentiret, quod dictum regnum iuxta voluntatem Ludouici Regis & petitionem nuntiorum suorum prædictorum ad manum nostram poneretur, & realiter (vt præmittitur) teneretur instaremus efficaciter, & faceremus realiter posse nostrum; quin id aliter iuste facere non possemus. *Dat. Auin. x. kal. aprilis anno VII.*

Legibus in eam actum iri respondet Pont.

7 Solicitatus ad restituendam citeriori Siciliæ pacem Vngariæ Rex a Guidone Cardinale legato, cum Pontificem hereditaria ex Carolo Martello suo maiore natu Caroli II. filio iura refellere videret, iam Roberto Ioanne auo ab ipsius Ludouici parente Carolo agnito iusto Rege; alias concordiæ leges proposuit, vt nimirum Maria Caroli Dyrrachini vidua Ioannæ soror Stephano duci Transiluaniæ connubio iungenda dotalia regni iura afferret: tum in Ioannam iudiciorum seueritas distringeretur, qua tradita custodiæ, vel contumaciæ damnata, quas præsidiario milite tenebat arces, traditurum se Cardinali legato, exercitumque reuocaturum, spopondit. Ad quæ singula responsurus Pontifex eundem legatum his literis instruxit. a

Propositæ aliæ ab Vngaro concordiæ leges.

a To. 8. ep. secr. 63.

Clemens, &c. Guidoni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. A.S.L.

Ad articulum, in quo præfatus Rex petit, vt dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria ducissa Duratij, aut aliqua filiarum ipsius dilecto filio nobili viro Stephano duci Transyluano cum dote iuris Siciliæ matrimonio copuletur, tibi sub compendio respondentes; scire te volumus, quod de petitione huiusmodi, quantum ad matrimonij copulam, vtpote grata nobis plurimum contentamur: & nos etiam, sicut tibi per alias nostras literas dudum scripsisse recolimus, dilectis filijs Nicolao electo Nitriensi, & nobili viro Georgio comiti Euuesuumar nūcijs dicti Regis, tunc apud sedem Apostolicam constitutis, hanc viam tetigimus, interpositis apostolicæ ac opportunæ dispensationis gratiam offerentes; & nunc maxime apud ducissam eandem instare instantius, & operam efficaciorem pro viribus dare proponimus, vt negotium Deo propitio ad finem perducatur optatum: sed quoad dotem iuris regni ipsius determinate non possumus respondere. [Dicti rationem subiungit, Ioannam Reginam Roberti heredem sceptrum multis annis iure tenuisse: atque Aymerico Cardinali veluti stipendiariam se fidei sacramento deuinxisse, ac Pontifici clientia officia omnia, cum iusserit, exhibituram: & licet mortis Andreæ Regis crimine deuincta feratur, nondum tamen damnatam: quare expectandam iudicis sententiam, ac tunc ijs rite gestis, non leue suboriri dubium, an regnum ad Mariam spectaret,

De Maria duci Transiluano locanda actum.

ret, an ad sedem Apostolicam deuolueret].

Ad articulum de inchoato contra Reginam eandem super crimine ipso continuando processu, sic ducimus respondendum, quod sicut memoria tua tenet, vt credimus, Ludouicum in propria persona citauimus, & Reginam prædictos, tunc apud sedem constitutos eandem, per venerabilem fratrem Stephanum archiepiscopum Arelatensem camerarium nostrum citari mandauimus & fecimus, vt certa die responsuri inquisitioni, faciendæ per nos seu de mandato nostro contra eos de dicto crimine, personaliter comparerent. Sed ipsi, qui de curia Romana nobis, sicut a tua non credimus memoria excidisse; non visitatis abscesserant, in huiusmodi termino, coram nobis & fratribus nostris in consistorio per procuratores vel excusatores comparentes eorum excipiendo proponere curauerunt, quod dicti Regina & Ludouicus notorijs & continuis inuasionibus & impugnationibus præfati Regis Vngariæ, seu gentium suarum, quibus propter imminens eis periculum resistere necessario cogebantur, arctati coram nobis in statuto eis termino comparere personaliter minime potuerunt, præmissis nonnullis allegationibus per solēner aduocatos factis eorum instantius postularunt, & vt Reginā & Ludouicum prædictos a personali comparitione ipsorum excusatos habentes, procuratores seu excusatores ipsorum huiusmodi admittere dignaremur. Nos autem cum eisdem fratribus nostris consultius deliberare volentes, vtrum exceptione huiusmodi, quam excusatores seu procuratores ijdem fulciebant multis iuribus & rationibus, non obstante, Reginā & Ludouicus prædicti reputari potuerint aut debuerint iuste ac rationabiliter contumaces; & hac de causa, & pro eo etiam, quod processum per quondam Bertrandum de Baucio comitē montis Caueosi, dum viueret, auctoritate apostolica habitum contra patratores huiusmodi criminis, quorum aliquos vltimo supplicio deputauit, vt nosti, quem ab eodem Rege, penes quem esse dicitur, frequenter petiuimus, & per te ac alios habere nequiuimus, processus habendus contra Reginam eandem in huiusmodi negotio necessario est dilatus. Verumtamen siue habeatur, siue non habeatur processus per eundem comitem habitus, vt præfertur, faciemus per venerabilem fratrem Bertrandum Ostiensem & Velletrensem episcopum, ac dilectos filios nostros Guillelmum tit. S. Stephani in Cælio monte presbyterum, & Galhardum S. Luciæ in silice diaconum Cardinales, commissarios per nos in huiusmodi negotio, sicut nosti, specialiter deputatos, in negotio ipso diligenter fauorabiliterque procedi: cum nos non minus, immo quodammodo amplius, quam ipse quoque Rex Vngariæ inchoatum processum huiusmodi ad effectum perduci debitum celeriter (quantum iustitia patitur) affectemus, vt si qui rei aut culpabiles tanti flagitij, quod mentem nostram graui continue vulnere fauciat, reperti extiterint, sic prout facinoris qualitas & quantitas exigunt animaduersio digna iustitia dictante percellat, quod eis sit ad pœnam, & cæteris perpetuis temporibus transeat in exemplum. Terminum tamen certum, infra quem processus huiusmodi finiri & compleri debeat, non possumus assignare præcise, cum in progressu causarum, quantumcumque letium atq; ciuilium, multa (sicut te longa experientia docuit) plerumq; contingant, propter quę causarum exitus sæpisque differtur.

Ioannæ Reginæ ad iudiciū intentatū exceptio.

Qui aduersus eā instituti iudices.

8 Ad articulum illum, in quo præfatus Rex Vngariæ obtulit, quod arrestata seu reputata contumace Regina prædicta, idem Rex Vngariæ omnes terras, fortalitia, & loca alia, quæ in regno Siciliæ citra farum præsentialiter detinet, realiter in manibus nostris ponet: rescribimus, quod nos oblationem Regis circa hæc acceptantes ipsius, volumus vt eum ad id sine conditione complendum, vel ea omnia in manibus præfati legati omnino ponendum inducas, iuxta profundæ tuæ circumspectionis industriam, & datam tibi a Domino gratiam & virtutem efficaciter & solerter (nos enim illa faciemus diligenter & tute, auctore Domino, custodiri eidem Regi) nihilominus offerens, quod quamuis Regina ipsa, quam sicut prædicitur, citari fecimus, & quæ illicentiata discessit, facile arrestari non possit, faciemus processum initiatum huiusmodi, sicut prædicitur, contra eam continuari fauorabiliter & accelerari, quantum iustitiæ limites patientur & nisi inquisitioni faciendæ super memorato crimine contra ipsam respondere curauerit, non solum reputabitur contumax, quinimmo prout negotij merita exigent, & iustitiæ debitum suadebit, contra eam vlterius procedetur.

Rogatur Vngarus, vt captas arces ponere fide committat.

Ad oblationem denique factam per memoratum Regem de stipendiarijs suis, de dicto regno Siciliæ absque damno eidem regno & alijs terris eiusdem ecclesiæ quomodolibet irrogando, acceptata huiusmodi treuga per te inter Regem Vngariæ ac Reginam prædictos (vt præfertur) indicta, effectualiter reuocandis: ducimus respondendum; quod nos oblationem huiusmodi gratam nobis admodum acceptantes, eidem Regi proinde ad dignas gratiarum assurgimus actiones: vtinam tamen ijdem stipendiarij, qui non quæ dominorum sunt, sed quæ sua sunt potius semper quærunt, & qui prædæ & quæstui semper prompti venantur propria commoda in stipendijs aliorum, ipsius Regis in hac parte iussionibus pareant & intendant, &c. *Dat. Auin. xvi. kal. sept. anno viii.*

Ad perducenda facilius hæc consilia Pontifex Carolum Romanorum & Boemorum Regem orauit a, vt Guidoni Cardinali pro componenda re Sicula regiam operam porrigeret, & ea quæ ipsi literis aut verbo exponeret, impigre perficeret. Cumque Vngariæ Regis animum ad arcium Sicularum custodiam sedi Apostolicæ committendam inflexisse videretur, si Ioanna quas tenebat arces pariter traderet, vt ab eadem sede velut supremo controuersiæ iudice ferretur sententia, conuertit studia Clemens vt Reginā ipsam ad eandem sententiam adduceret: proposuitq; ob oculos abscissas fere omnes alias spes, nec meliora ad excitandas res suas suscipi posse consilia, quam si apostolicis manibus ad reuocandam in regnum concordiā ab aduersis partibus arces traderentur. Pactæ denique inter Vngaros duces & Neapolitanos induciæ fuerunt b. Et quidem opera Guidonis Cardinalis conciliatas tradit Cortusiorum historia his verbis c: *Guidus comes Bononiæ de supra mare tit. S.* * *Luciæ presbyter. Cardinalis Rom. ecclesiæ legatus, accurrentibus dominis Paduæ & laicis cum toto clero intrauit Paduā, & sedem posuit in palatio dominorum cū trecentis equis expensis dominorū, anno MCCCXLIX. die xx. martij. Postea iuit Venetias, et per Taruisiū iuit in Vngariā, et treguas fecit inter Regem Vngariæ & Ludouicum maritum Apuliæ Reginæ.* Recreata ita est ab acerbissimo bello citerior Sicilia. Quin etiam Trinacriæ sacrorum vsus ad Ioannæ Reginæ preces, quæ cum Arago-

a To. 8 ep. secr. 74.

Solicitata de eode Ioanna.

b Matth. Vill. l. 1. c. 50.

Induciæ in Sicilia citer. induciæ.

c Cortus. hist. l. 10. c. 1.

* Cæcilia.

nijs insulam occupantibus ad firmandas suas partes nõnulla concordiæ fœdera coiuerat, a Clemente fuit restitutus ad aliquod tempus, se prædecessorum Pontificum & internuntiorum sententiæ subiecto temperatæ diplomate, a

De victore Sicilia.

a Ao. 7. l. 5 p. 2. ep. diuers. form. 345.

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

9 Dudum felicis recordationis Ioannes XXII. & Benedictus XII. ac nonnulli alij Romani Pontifices prædecessores nostri, nec non bonæ memoriæ Gocius tit. S. Priscæ presbyter Cardinalis tunc patriarcha Constantinopolitanus, & Raterius episcopus Vasionensis Apostolicæ sedis nuntij auctoritate literarum dicti prædecessoris Benedicti aduersus detentores & habitatores insulæ Siciliæ ac aliarum eidem insulæ cohærentium insularum, ad nos & eandem ecclesiam pleno iure ac immediate spectantium, propter detentiones insularum ipsarum, ac rebelliones & inobedientias per detentores & inhabitatores eosdem contra eosdem prædecessores & ecclesiam commissas, diuersos processus continentes diuersas excommunicationum & alias spirituales & temporales pœnas in singulares personas, ac interdictorum in easdem insulas promulgatas pœnas & sententias successiuis temporibus habuerunt. Cum autem, sicut accepimus, detentores & habitatores ijdem pœnitentis animi ducti consilio ad nostram & ipsius ecclesiæ obedientiam & reuerentiam se disponant; nos more pij patris, volentes agere misericorditer cum eisdem, charissimæ in Christo filiæ nostræ Ioannæ Reginæ Siciliæ illustris, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Mariæ ducissæ Duracij, nobis super hoc humiliter supplicantium, ac dictorum detentorum & habitatorum supplicationibus inclinati, omnes huiusmodi excommunicationum & interdictorum, ac alias pœnas & sententias, per huiusmodi eorundem prædecessorum & nunciorum, ac quosuis alios quorumcumque aliorum processus, quauis auctoritate præmissorum occasione habitos in easdem personas & insulas quomodolibet promulgatos, vsque ad festum assumptionis B. Mariæ Virginis futurum proximo inclusiue auctoritate apostolica præsentium tenore suspendimus de plenitudine apostolicæ potestatis. Volumus autem & auctoritate prædicta decernimus, quod elapso tempore suspensionis huiusmodi, nisi per sedem Apostolicam super his aliud fuerit interim ordinatum, insulæ ac personæ prædictæ in easdem relabantur pœnas & sententias ipso facto: quodque huiusmodi pœnæ ac sententiæ perinde plenum robur & efficaciam habeant, ac si huiusmodi suspensio facta nullatenus extitisset. Nulli ergo, &c. *Datum Auin. kal. martij anno VIII.*

Irrogata illi interdicta ecclesiastica

Solutæ ad tempus censuræ.

10 Ad asserendam præterea Italiæ pacem, cum Ludouicus Bauarus extincti Ludouici senioris filius Tridentum pulso Ioanne episcopo Tridentino occupasset, Pontifex Ioannem & Luchinum Vicecomites Mediolanenses, Vbertum e Carraria Patauinum, Scaligerum Veronensem prefectos, atque Andream Dandalum ducem Venetorum sollicitauit b, vt episcopo ad recuperandam vrbem Tridentinam auxilia submitterent. Confirmandæ præterea pacis non in Italia modo, verum in reliquo orbe Christiano ob imminentem secularis anni ad quinquagesimum redacti celebritatem in gratiam Vrbis sacra loca adeuntium pro Anglis & Gallis conciliandis, vt videbitur inferius, desudauit. In Prouinciam XV. kal. maij misit Philippum c Cauallicensem episcopum Apostolicæ sedis internuntium, vt inducias inter Massilienses & alias Prouinciæ & comitatus Folkarquetij vrbes aduersus ipsos fœderatas, inducias promulgaret. Memoratum etiam eandem ob causam Ioannem archiepiscopum Mediolanensem Mastinum Scaligerum a Mantuanos, Opizonem Atestinum marchionem b, Iacobum, & Ioannem e Pepulis Bononienses præfectos, vt inducias inirent, hortatus c est: Ioannem etiam archiepiscopum, de quo paulo ante memoraui, ne cœptum a fratre Luchino in Genuenses bellum promoueret, missoque Alioto Lucij vt pontificijs voluntatibus accõmodaret animum adducere studuit: legauit d eundem internuntium ad Ioannem Murtam Genuensium ducem, eosque ad pacis consilia flexit. Sentiebat ea respublica hostes acerrimos nonnullos exules, qui ob contraria studia, suspectamque potentiam patriæ conspectu bonisque priuati erant; ad quos Ioanni Murtæ conciliandos Clemens Stephanum archipresbyterum Serauallis apostolicum internuntium misit precesque graues addidit e, vt illius monitis obtemperarent.

b Ib. ep. 572. ad 575.

c Ep. 968.

a Ep. 867.
b Ep. 689. 870.

c Ep. 794.

d Ep. 845.
Pax inter Vicecomites & Genuenses inita.

e Ep. 795.

Recrudescentibus præterea Venetos inter ac Genuenses veteribus dissensionibus occasione nauium ac triremium, quæ onustę mercibus orientalia maria sulcabant, incendente iras & odia mercatorum auaritia, iam ante exortis; Clemens, cum præuideret ea dissidia vtramque rempublicam, quæ aduersus infideles instar propugnaculorum erant, debilitatura atque orienti allatura exitium, studia apostolica ad redintegrandam inter eos concordiam conuertit: tum etiam cumulauit preces, vt ob imminentis anni iubilei sacrum tempus bello parcerent. Conceptæ sunt hac forma literæ Venetis missæ f.

Veneti & Ligures mutuo dissident.

f To. 8. ep. secr. 104.

Clemens, &c. Andreæ Dandulo duci Venetiarum.

Perduxit nuper ad audientiam nostram quædam molesta nobis, sed fide digna relatio, quod inter te & dilectos filios Venetos ex parte vna, & ciues Ianuenses ex altera ex causis aliquibus, procurante patre zizaniæ, qui primum schisma suscitauit in cælo, suborta dissensio non solum vtrique parti, sed toti Christianitati, præcipue fidelibus orientalium partium, grauia dispendia comminatur. Quibus nos ex affectu paternæ charitatis, quo vtrosque vestrum velut dilectos filios attente prosequimur, ante tempus occurrere cupientes, nobilitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur, attentius deprecantes, quatenus huiusmodi nociua dispendia, & quot & quanta corporum animarumque pericula dissensio huiusmodi, si progressum haberet, quod auertat Dominus, proculdubio parturiret, prudenter attendens; & considerans etiam diligenter quatenus in hoc futuro proximo, acceptabili, & salutifero tempore, anni scilicet quinquagesimi iubileo, in quo pro vniuersali salute fidelium omnibus venerabiles beatorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas ac Lateranensem ecclesiam de Vrbe visitantibus certo modo indulgentiam plenam omnium suorum concessimus peccatorum, in consecutione tantæ indulgentiæ impediret; ab omni noxia nouitate contra memoratos ciues Ianuenses quomodolibet facienda prorsus abstineas, &c. *Dat. Auin. VIII. kal. decembris anno VIII.* Præterea eundem ducem ac Ioannem Murtam ducem Genuensium excitauit g, vt excurrente ad festum purificatæ Virginis temporis spatio oratores pro tractanda pace mitterent.

Pontificia pro ijs cõciliandis studia.

g Ib. & post vand. ep.

Ce-

a To. 8. ep. secr. 70.

Indictio iubilei anno quinquagesimo.

b M.S. bib Vat. de Rom. Pon. sign. n. 3765.

11 Dedit quoque omni contentione operam Pontifex a, vt ob iubilei, quod ad Romanorum gratiam quinquagesimo quoque anno recurrente indictum erat, celebritatem limina Apostolorum adeuntium saluti ac itinerum libertati prospiceretur. De redacto in quinquagesimum annũ iubileo meminit anonymus auctor Germanus b his verbis: *Eodem anno de mense ianuarij prædictus dominus Papa, præsentibus ambaxiatoribus Romanorum in anno quinquagesimo futuro omnibus visitantibus Vrbem concessit indulgentiam plenariam, & annum illum statuit iubileum in perpetuum; quem olim Bonifacius VIII. statuerat de centesimo in centesimum, iste de quinquagesimo in quinquagesimum commutauit*. Extat de eo subiectum Clementis diploma c, quod Anibaldus legatus Cardinalis Romanis attulit d, transmissumque est ad præsules e totius orbis Christiani, vt illud promulgandum curarent.

c An. S. l. 8 par. 1. ep. cur. 1. & extrau Vnigenit' de pæn. & remiss.

d To. 7. ep. secr. pag. 399.

e An. S. l. 2 p. 1. ep. cur 1. & reg. post eand. ep.

Clemens &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Burdegalensi, eiusque suffraganeis.

Dudum de fratrum nostrorum consilio & plenitudine apostolicæ potestatis indulgentiam, quam felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui beatorum Petri & Pauli Apostolorum basilicis de Vrbe in anno a natiuitate Domini MCCC. & ex tunc quolibet anno centesimo secuturo certo modo visitarent concessit, ad annum quinquagesimum duximus reducendam; statuentes, quod quicumque voluerit indulgentiam huiusmodi assequi, basilicas prędictas ac Lateranensem ecclesiam in anno a natiuitate eiusdem Domini MCCCL. proxime secuturo, & ex tunc de quinquaginta in quinquaginta annis certo modo visitare deberent, prout continetur plenius in confectis super hac literis nostris, quarum tenor talis est.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Clementis de eo diploma.

Vnigenitus Dei Filius de sinu Patris in vterum dignatus est descendere matris, in qua & ex qua nostræ mortalitatis substantiam diuinitati suæ in suppositi vnitate ineffabili vnione coniunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat assumens, vt haberet vnde hominem lapsum redimeret & pro eo satisfaceret Deo Patri. Vbi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem reciperent filiorum: ipse namque factus nobis a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta: non enim corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis pro nobis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset; sed copiose velut quoddam profluuium noscitur effudisse, ita vt a planta pedis vsque ad verticem nulla sanitas inueniretur in ipso. Quantum ergo exinde, vt nec superuacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filijs pius pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti! Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum,

De meritorũ Christi affluentia & dignitate.

sed per B. Petrum cæli clauigerum eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & pro pijs & rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum beatæ Dei genitricis & omnium electorum a primo iusto vsque ad vltimum merita adminiculum præstare noscuntur, de cuius consumptione seu diminutione non est aliquatenus formidandum tam propter infinita Christi (vt prædictum est) merita, quã pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Vt Bonifacius centesimo quoque seculo iubileum instituerit.

Quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster pie, sicut indubie credimus, considerans; & attenta meditatione reuoluens, quanta apud homines gloriosi principes terræ Petrus & Paulus (per quos euangelium Christi Romæ resplenduit, & per quos ecclesia religionis sumpsit exordium, qui facti Christiani populi per euangelium genitores, gregisque dominici pastores, fidei lucernæ, ecclesiarum columnæ, præ cæteris peculiari quadam prærogatiua in ipso Saluatore fidei virtute præcellunt; quorum vni, scilicet Apostolorum principi, sicut bono dispensatori claues regni cælorum commisit, alteri tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ eruditionis iniunxit) in speciali veneratione haberi debeant & debita honorificentia venerari, pro ipsorum memoria recolenda crebrius & reuerentia a cunctis Christi fidelibus eis deuotius exhibenda, ipsorumque patrocinio fauorabilius assequendo inconsumptibilem thesaurum huiusmodi; pro excitanda & remuneranda deuotione fidelium voluit aperire; decernens de fratrum suorum consilio, vt omnes, qui in anno a natiuitate Domini MCCC. & quolibet anno centesimo ex tunc secuturo ad dictorum Apostolorum basilicas de Vrbe accederent reuerenter, ipsasque si Romani ad minus triginta, si vero peregrini aut forenses quindecim diebus continuis vel interpolatis saltem semel in die, dum tamen vere pœnitentes & confessi existerent, personaliter visitarent, suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum.

Quinquagenarius numerus in sacris literis sacer.

Nos autem attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaica, quam non venit Dominus soluere, sed spiritualiter adimplere, iubileus remissionis & gaudij, sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur; quodque ipse quinquagenarius numerus in testamentis veteri quidem ex legis datione, in nouo ex visibili sancti Spiritus in discipulos missione, per quem datur peccatorũ remissio, singulariter honoratur; quodque huic numero plura & grandia diuinarum adaptantur mysteria scripturarum; & clamorem peculiaris populi nostri, Romani videlicet, hoc humiliter supplicantis, ac nos ad instar Moysi & Aaron per proprios & solemnes nuntios ad hoc specialiter destinatos orantis pro toto Christiano populo & dicentis: *Domine aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*; desiderantes benignius exaudire, non quidem vt sicut illius populi Israelitici indurati cesset murmuratio, sed vt istius prædilecti populi & cunctorum fidelium augeatur deuotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat; volentesque quam-

plurimos huiusmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum respectu propter vitæ hominum breuitatem valeant ad annum centesimum peruenire; de fratrum nostrorum consilio prædictam concessionem eiusdem indulgentiæ ex suprascriptis & alijs iustis causis ad annum quinquagesimum ducimus reducendam, statuentes de fratrum consilio prædictorum, & apostolicæ plenitudine potestatis, vt vniuersi Christifideles, qui vere pœnitentes & confessi in anno a natiuitate eiusdem Domini MCCCL. proxime futuro & deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in quinquaginta annis prædictas eorundem Apostolorum Petri & Pauli basilicas ac Lateranensem ecclesiam (quam inclytæ recordationis Constantinus, postquam per B. Siluestrum sicut per eosdem Apostolos Deo reuelante cognouit, renatus fonte baptismatis fuerat, & a contagio lepræ mundatus, in honorem Saluatoris construxisse; quamque idem B. Siluester nouo sanctificationis & chrismationis genere dedicasse leguntur, & in cuius ecclesiæ parietibus præfati Saluatoris imago depicta primum toti populo Romano visibiliter apparuit deuotius veneranda, quam ex his & alijs certis & rationabilibus causis, vt ipsa ecclesia pariter indulgentiæ prædictæ priuilegio decoretur, & deuotus populus ab eodem Saluatore, qui in præfatis Apostolis mirabilis prædicatur, eorum meritis & precibus indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hac censuimus honorandam) causa deuotionis modo præmisso visitauerint; plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur; ita videlicet, vt quicumque voluerint huiusmodi indulgentiam assequi, si Romani ad minus triginta continuis vel interpolatis saltem semel in die; si vero peregrini, aut forenses modo simili quindecim diebus ad prædictas basilicas, & ecclesiam accedere teneantur: ac adijcientes, vt illi etiam, qui pro ea consequenda ad easdem basilicas & ecclesiam accedentes post iter arreptum impediti legitime quo minus ad Vrbem illo anno valeant peruenire, aut in via vel dierum prætaxato numero non completo in dicta Vrbe decesserint vere pœnitentes, vt præmittitur, & confessi, eandem indulgentiam consequantur: omnes nihilominus & singulas indulgentias, per nos vel prædecessores nostros Romanos Pontifices tam prænominatis quam alijs basilicis & ecclesijs de dicta Vrbe concessas ratas & gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica confirmamus & approbamus, & etiam innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. VI. kal. februarij pontificatus nostri anno I.* Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris ciuitatibus, & diœcesibus prædictas literas nostras subditis vobis clero & populo publicetis & intelligibiliter exponatis, vt annuente Domino ad promerendam huiusmodi indulgentiam se disponant. Cæterum quia præsentes literæ nequirent forsitan propter viarum discrimina vel alia impedimenta legitima singulis vestrum commode præsentari, volumus quod per te frater archiepiscope dictarum literarum transumptum manu publica scriptum tuoque munitum sigillo vobis fratres suffraganei transmittatur, cui velut originalibus literis adhiberi volumus plenam fidem. *Dat. Auin. XV. kal. septembris anno VIII.* Excitati etiam a vrbani magistratus, viri prænobiles, ac populus, vt mutuas discordias ad præstanda libera itinera

Ad annũ quinquagesimum redigitur iubilæum

Imperat' dierum numerus Romanis exteris[q].

Iussi præsules promulgare diploma pontificiũ

a To. 9. ep. secr. 900. & 901.

ponerent. Neque hoc loco silentio prætereundum videtur, flagitasse plures Reges a, Castellæ nimirum, Aragoniæ, Lusitaniæ, & Cypri, aliosque principes, inter quos Albertus dux Austriæ fuit, vt cum Romam adire pro lucrandis indulgentijs non possent, ipsis ac nonnullis regiæ familiæ sibi addictissimis pontificia liberalitate concederetur; vt eadem præmia sacra consequi alia ratione liceret: quorum pijs postulatis annuere Clemens distulit, rescripsitque Austriæ duci, rem se in consilium cum Cardinalibus adducturum.

a Ib. pag. 95.

Flagitant principes iubilæi donopotius.

12 Recruduere hoc anno graues in Germania dissensiones, cum Bauari principes & alij, qui Ludouici extincti partes erant secuti, præcipuo auctore Henrico Moguntina sede depulso, quamuis anno superiori Eduardo Regi Angliæ, deinde Friderico marchioni Misniæ tyrannidem frustra detulissent, respuentibus ijs plenum periculis atque iniustum honorem; iterum audacem virum, tumidum ambitione, ac manu promptum, nimirum Guncherum comitem Sebuuartzburgensem in Thuringia mense februario ad solium extulere b, vt Carolum Regem euerterent. Impendebat inde graue periculum, ne schisma vetus confirmaretur; insolescebatque adeo fastu Guncherus ob adeptam tyrannidem, vt se Carolum Romanorum Regem deiecturum solio præsideret, atque eum locum, in quo Carolus congregatum iri copias suis edixerat, ad hastiludia exercenda suis designarit c. Sed breui Regis theatralis instar exutus purpura est, ipsiusque ad fundendum humanum sanguinem promptissimæ manus, quæ iniuste sceptrum Romanum attrectarant, non sine iusto Dei iudicio sunt contractæ, de quo hæc Rebdorfius d: *Cum vtraque pars se prepararet ad bellum, subito infirmitas inuasit illum de Schuuartzburg, & contractus est manibus: quod factum sibi plures asserebant ex veneno.* Et infra: *Multi autem dicebant vindicta diuina illum de Schuuartzburg tam subito decumbere.* Et quidem iustissime, cum hoc anno VI. id. martij Marsilij hæresiarchæ ac Ludouici Bauari hæresim sectatus sanxisset e Rom. Pontificem secundum omnia iura diuina & humana debere subesse imperio, & contrarium sentientes læsæ maiestatis crimine damnasset vna cũ præcipuis illius signiferis Henrico Moguntino exauctorato, Ludouico maiore natu filio Ludouici Bauari defuncti, ac Ruperto duce in Caroli Regis potestatem est redactus. Cuius felicis victoriæ, quam nullæ strages funestarunt, laureatis Caroli Regis literis accepto nuntio Pontifex, ingenti gaudio delibutus, victori gratulatus est f, atque ad cultum diuini Numinis ac regias sectandas virtutes eundem adhortatus.

Graues German. turbæ.

Guncherus creat' Cæsar a perduellibus.

b Rebdorf. in annal. Alb. Arg. in chron. Gesta Clem. VI. apud Bosq. Nau volor. gen. 45. Nar. in not. M. S. Auenton. in annal. Boior. l. 7. & alij.

c Alb. Arg. ibid.

Misere perit.

d Rebdorf. vbi supra M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

e Extat illud edictum apud Goldast. to. 3. pag. 414.

Clemens, &c. Carolo Romanorum & Boemiæ Regi illustri.

13 Excelsus super omnes gentes Dominus, qui humilia respicit & alta de longe cognoscit, sicut humilibus gratiam suam benignus impendit, sic profecto superbis cogitantibus alta resistit, & praua studia eorum annihilat, ac aduersos peruersosque conatus elidit. Probauit hoc in humilitate tua, charissime fili, potentiæ suæ mira dignatio his diebus, dum Guncherum comitem Vvartzbourt, qui ad instar luciferi superbia nimia intumescens, sedem ad ruinam potius, quam ascensum ab aquilone ponere, solium tuum euertere satagens, temeritate damnabili præsumebat; & Henricum olim archiepiscopum Maguntinum,

Victori Carolo gratulatur Pont.

f To. 8. ep. secr. pag. 6

Qui fuerint Guncheri fautores.

num, qui non attendens ad petram, de qua scissus fuerat, sed in superbiam leuiter eleuatus, immemor beneficiorum a Romana ecclesia perceptorum, tergum ei vertit non faciem, ne superbus humili Deo sacerdotio fungeretur, merito reprobatus, & dum eleuaretur abiectus est; nec non filium & nepotem damnatæ memoriæ Ludouici de Bauaria, Dei & ipsius ecclesiæ persecutoris & hostis, qui tanquam squammæ, per quas non transit vitæ spes, se inuicem colligarant, & se tibi, vt erigerent idolum, quem conflarant, superbe nimis opponere tuisque obuiare processibus conabantur; sicut nobis per celsitudinis tuæ litteras, quas cum ingenti lætitia & exultatione magna recepimus, intimasti, in manu tua mita omnipotenti sua virtute sine humani sanguinis effusione conclusit. De quo ei, per quem datur regnare principibus, & a quo est omnis victoria, laudes & gratias referentes, & immolantes pro triumpho tantæ victoriæ vitulum labiorum; serenitatem tuam monemus, requirimus & hortamur in Domino, attentius deprecantes, quatenus tantæ tibi gratiæ collatæ a Domino in victoria huiusmodi, quæ non viribus tuis, sed ipsius potius ascribatur potentiæ, gratus & deuotus acceptor, sic te ante ipsum creatorem tuum semper humilies, & tua deuoueas vota sibi, sicque tuos gressus in semitam suorum dirigas mandatorum, quod ipse, qui fidelibus suis potenter assistit, & eos fauore prosequitur opportuno, sic actua tuos & opera dirigat, sicque tuis propitius processibus faueat, quod ad eius & ipsius ecclesiæ suæ sanctæ honorem & gloriam & collapsi status reparationem imperij, ac pacem & tranquillitatem populi Christiani constringas in virtute sua elata cornua superborum, eisque sub potentiæ suæ dextera humiliatis & domitis, de bono semper in melius prosperceris.

Monitus Carolus, vt gratū se Deo exhibeat.

Cæterum super eo, quod de adducendo, vt literarum tuarum verbis vtamur, eodem filio dicti Ludouici pro honore ipsius ecclesiæ ad nostram præsentiam prædictæ literæ continebant; tuæ erga nos & eandem ecclesiam sinceræ ac solitæ deuotionis affectum dignis prosequimur actionibus gratiarum: tu tamen, fili, qualitate negotiorum grandium incumbentium tibi, quorum prosecutioni fauit & fauet diuina potentia, & præsentium temporum conditione pensatis, attente prospicias & prouideas diligenter, qualiter Alamanniæ partes (quæ vtpote præteritorum fluctuum conquassatione lassatæ, sed ægrotantium instar in recidiuum, quod Deus auertat, possent relabi) facile sis hoc tempore sine periculo, quod ex absentia tua posset eisdem forsitan imminere negotijs, quæ felicibus cupimus successibus prouehi, dimissurus. *Dat. Auin. XIV. kal. iunij anno VIII.*

Pacandæ Germaniæ det operam.

14 Parta est hoc triumpho Germaniæ pax, cum tentata scelere aduersus iustum Regem ab Apostolica sede confirmatum tyrannorum trina electio abortum fecisset; atque vniuersi in Caroli Regis obsequiū procubuere; & Guncherus comes, tyrannide vanisque iuribus cedere coactus a, fremens licet a suis fuit desertus. Viginti tamen duo millia marcharum, ac duo oppida imperialia in Thuringia ad vitam accepisse ferunt quibus non diu potitum, cum duobus circiter post mensibus extinctus sit. Cæterum Carolus Aquisgrani iterum die B. Iacobo Apostolo sacra redimiri voluit argentea corona, non quod rite Bunnæ regijs ornamentis non fuisset insignitus, cum

a Alb. Arg. Rebdorf. Naue. vbi sup.

Corona iterum redimitur Aquisgrani.

Aquisgrani peragenda pompa decreto pontificio Bunnā translata esset; sed vt discordiarum causas aucupaturis, calumniæq. ora obstrueret; vnde non ab hac secunda, sed a prima iussu pontificio perfecta regni annos est auspicatus. De exorta vero inter Iuliacensem comitem & marchionem Brandeburgensem in ea celebritate de sceptro tenendo dissensione hæc scribit Rebdorfius a: *Rex Carolus, communiter recognitus ab omnibus principibus & ciuitatibus in Alemannia Rex Romanorum, cum Regina vxore sua nuper ducta transit Aquisgranum: vbi secundo coronatur & Regina secum in festo B. Iacobi per dominum archiepiscopum Coloniensem. In quo coronatione, cum marchio Iuliacensis sceptrum teneret regale, Ludouicus marchio Brandeburgensis recipere voluit sibi de manu, dicens ad officium suum hoc spectare; propter quod rumor est inter easdem dominas suscitatus: quem Rex intercepit, & per principes extitit definitum, quod quando Rex Romanorum coronatur, tunc ad officium marchionis Brandeburgensis spectat sceptrum regale tenere: sin autem feuda regalia concedit, tunc ad officium alterius marchionis hoc spectat. Rex autem non ab hac coronatione, sed a prima annos regni sui scribit.*

a Rebdorf. in annal.

Brandeburgen. marchionis mun' dum coronatur Cæsar.

Porro Ludouicum maiorem natu filium alterius Ludouici extincti, de quo toties sermo fuit marchionatu Brandeburgensi, quem non iusto titulo antea post Vualdemari obitum comparasse ex edictis pontificijs vidimus, a Carolo Rege Romanorum vt imperij beneficium accepisse, interprete concordiæ Rudolpho duce Bauariæ & Palatino Rheni, ac sacra imperij insignia, quæ pater obtinuerat, restituisse refert Dubrauius his verbis b: *Consueuerant Cæsares insignia Cæsorum cum sanctis quibusdam reliquijs apud successores deponere, quæ tunc omnia Ludouicus post obitum patris in sua potestate habuit: gladius magni Caroli erat, lancea Christi, dextro portio S. Crucis cum vno claua, & mappa quo vltima mensa Domini strata fuit, non magni cuncto pretij apud talium rerum contemptores, at apud Christianissimum Carolum in tanta pretio posita, quanto nulla res profana vel pretiosissima. Proin consilium Palatini fuit, vt Ludouicus nactus reliquiarum tantum æstimatorem, illas pro redimenda pace quietaque marchionatus Brandeburgensis possessione permutaret: quod vbi ille fecit, Carolus sine vlla cunctatione illum vestibus marchionis & ornamentis solemniter inuestiuit.* In reuocando illo ad ecclesiæ gratiam, abolendisque edictis apostolicis in ipsum latis non leues difficultates intercessere; quæ demum, frangente diuino Numine duritiem animi, ad Christianam pœnitentiam, ac paterno schismate rite damnato, victæ c fuere; de quibus suo loco.

b Dub. lib. 22. Boem.

c Inn. an. 8 ep. secr. pag. 24.

15 Flagitantibus iam ante a sede Apostolica veniam clero populoque Vuormatiensi, ob secutas Ludouici Bauari partes, habitum cum illo commercium, contractas censuras ecclesiasticas, violatum interdictum, profanata diuina, accepta ab eo publica munera, gestasque dignitates; Pontifex paternum redeuntibus sinum explicuit, ac Balduino Treuirensi & Gerlaco Moguntino archiepiscopis partes dedit d, vt ipsos e præscripta subiecta formula absoluerent.

Bauarici schismatis sequaces ad ecclesiæ obsequium redeunt.

d To. 7. ep. secr. 880.

Clemens, &c. Balduino Treuerensi & Gerlaco Moguntino archiepiscopis.

Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum eos, qui ab eodem Ludouico honores & officia, sicut præ-

Exactum ab ijs sacramentū.

præmittitur, receperunt; postquam huiusmodi honores & officia dimiserunt, ac tam ipsos quam alios clericos seculares & regulares, postquam publice confessi fuerint coram vobis, se tenuisse & tenere fidem catholicam, & credere ac tenere quod credit, tenet, & docet sancta Romana ecclesia; nec non credidisse & credere, quod non spectat ad Imperatorem Papam seu Romanum Pontificem deponere & alium eligere vel creare, quinimmo hoc reputant hæreticum & hæresim damnatam per ecclesiam memoratam; ac in manibus * nostris iurauerint, quod super iniurijs illatis & commissis per eos, contumacijs, rebellionibus, adhæsionibus, fautorijs, & alijs implicite vel explicite confessatis & non confessatis per ipsos, ac cæteris pœnis & sententijs spiritualibus & temporalibus, quas propter præmissa vel eorum occasione vt prædicitur incurrerunt, nostris & eiusdem ecclesiæ mandatis parebunt; & quod nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus fideles erunt, & nobis & illis debitam & deuotam reuerentiam & obedientiam exhibebunt; & quod cum fautoribus & sequacibus dicti Ludouici, quandiu erunt in rebellione ipsius ecclesiæ, aut alijs hæreticis & schismaticis, vel cum sequacibus eorundem per dictam ecclesiam denotatis de cetero non erunt, nec eis aut quibuscumque alijs contra eandem ecclesiam dabunt auxilium, consilium, vel fauorem; quodque nulli Imperatori seu Regi Romanorum, aut administratori imperij seu regni Romanorum obedient vel adhærebunt, nisi ille fuerit primitus per eandem ecclesiam approbatus, & cum aliquo vel aliquibus in rebellione eiusdem ecclesiæ existentibus, contra ipsam ecclesiam colligationem, coniurationem, conspirationem, confœderationem non facient neque ligam; ab huiusmodi pœnis & sententijs, si hoc humiliter petierint, iuxta formam ecclesiæ absoluatis, ac pœnas & interdictum huiusmodi relaxetis, iniunctis clericis & personis laicis eisdem pœnitentia salutari & alijs, quæ de iure fuerunt iniungenda: nec non cum eisdem clericis & personis ecclesiasticis super irregularitate, per eos contracta, sicut prædicitur, dispensetis. *Datum Auinionen. xv. kalendas aprilis anno VII.*

Non spectare ad Cæsarem instituere vel destituere Papam. *vestris

De colendo Pontifice.

Non agnoscendo Cæsare nisi a Pontifice confirmatus sit.

Acerba hæc pœnitentiæ formula visa est Moguntinis a ad ecclesiæ gratiam redituris, quā ante Basiliensibus, Argentinensibus, & alijs ex Alberto Argentinensi b asperiorē visam diximus; ac plures pudebat se male de fide sensisse confiteri: quare Carolus Rex apud Clementem interpretem egit c, vt molliorem formam pro restituendis præsulibus, magnatibus, ac populis pristinæ ecclesiæ gratiæ componeret. Cui Pontifex VIII. id. iunij respondit, videri admodum difficile eam formam, absoluendorum schismaticorum Germanorum Ioannis XXII. tempore compositam & etiam sum seruatam, immutare; ad Friderici tamen marchionis, quem tyrannidem oblatam detrectasse vidimus, Langrauij Hassiæ, & aliorum procerum & insignium populorum gratiam cum Cardinalibus se deliberaturum.

a To. 8. ep. secr. pag. 8

b Alb. Arg. in chron. Puduit aliquos proceres fateri fuisse hæreticos

b To. 8. ep. secr. pag. 8.

16 Destituti Germanorum principum clientela Guillelmus Ochamus & impietatis socij pseudominoritæ censuris solui demisse flagitarunt, quos ad Franciscanæ familiæ preces piorum cœtui restitui præscripta eiurandæ hæreseos formula Clemens iussit, dato hoc diplomate. d

Ocham⁹ & socij veniam poscunt. d An. 1. 2, a ep. com. 1343.

Clemens, &c. Dilecto filio ministro generali ordinis fratrum Minorum.

Petitio pro parte tua & dilectorum filiorum capituli generalis tui ordinis nobis exhibita continebat, quod aliqui fratres vestri ordinis, quamuis paucissimi, qui quondam Michaeli de Cæsena & Ludouico de Bauaria obediuerunt, & specialiter Vvillelmus de Anglia dicti ordinis professor in Monacho remansisse noscuntur, idemque Vvillelmus sigillum antiquum dicti ordinis, quod diu habuit, tibi remisit; & tam ipse quam alij dicti fratres residui ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententijs atque pœnis in tales per processus apostolicos promulgatis, quas ijdem Vvillelmus & alij fratres, adhærendo seu obediendo Michaeli & Ludouico prædictis, incurrerunt, desiderant se absolui, suntque parati nostris & eiusdem ecclesiæ mandatis obedire; quocirca pro parte tua & ipsorum capituli nobis extitit humiliter supplicatum, vt eisdem fratribus, qui ad Romanam curiam, sicut asserunt, commode venire non possunt, ipsorumque statui super hoc prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque votis eorum volentes annuere in hac parte, vestris supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, Vvillelmum & alios fratres prædictos eidem ecclesiæ reconciliandi, eosque a dictis sententijs atque pœnis iuxta formam per nos super hoc ordinatam, ac de verbo ad verbum præsentibus annotatam, infra annum a data præsentium, si hoc humiliter petierint, absoluendi plenam & liberam concedimus auctoritate apostolica tenore præsentium facultatem. Forma autem absolutionis talis est.

Ego N. ordinis fratrum Minorum professor confiteor, me tenuisse & tenere fidem catholicam, credere & tenere quod credit, tenet, & docet sancta mater ecclesia Romana: ac credidisse & adhuc credere, quod non spectat ad Imperatorem Papam seu summum Pontificem deponere, & alium eligere vel creare: sed hoc hæreticum reputo, & hæresim damnatam per ecclesiam supradictam. Insuper ad sancta Dei euangelia iuro, quod stabo & parebo mandatis ecclesiæ & domini nostri Papæ super illatis iniurijs & contumacijs, fautorijs & alijs implicite vel explicite per me confessatis & non confessatis, ac cæteris pœnis & sententijs, quas incurri ab homine vel a iure propter præmissa & ea tangentia: & quod domino Papæ, qui nunc est, & eius successoribus canonice intrantibus fidelis ero de cætero, eisque debitam obedientiam & reuerentiam exhibebo; nec hæresibus, erroribus, opinionibus, seu rebellionibus contra dictam ecclesiam Ludouici quondam de Bauaria & Michaelis de Cæsena, vel fautoribus suis, siue ei adhærentibus, aut eius sequacibus in rebellione dictæ ecclesiæ, seu alijs hæreticis ac schismaticis adhærebo, aut cum eorum sequacibus per dictam ecclesiam denotatis deinceps ero: nec eis seu alijs quibuscumque dabo contra Romanam ecclesiam consilium, auxilium, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte, nec cum quocumque in præfata ecclesiæ rebellione existenti faciem alligationem conspirationem, siue ligam. Datum Auin. VI. id iunij anno VIII.

Eiurandi erroris descripta formula.

17 Fuisse Ochamū in extremo vitæ actu conciliarū ecclesiæ ferunt a, contenduntq; nonnulli, qui eius apologiam texunt, in se hæreseos maculā nunquam suscepisse, quamuis proterue & imprudenter se gesserit. At non videtur ab homine huiusmodi hæreseos labem posse detergi: constat enim

An fuerit hæreticus. a Trithe. de script. eccl. Vvad annal. to. 3 an. Chr. 1347 n. 28

enim quod Guillelmus Ochamus contra decretum fidei, *Cum inter nonnullos*, pertinacissime contrarium errorem tenuit, iudicio postulatus non paruit a ecclesiæ, defixua hæreseos sententia eandem scriptia propugnauit, & Michaelis hæresiarchæ impijs commentarijs se subscripsit b: Christi vicarium in edendo fidei decreto se hæresi maculasse effutijt c: iunxit d se fœdere hæresiarchis Michaeli & Marsilio, & antipapæ Petro e Corbaria impostori, qui Nicolai V. nomen inuaserat. Nec modo aduersus Ioannem ex liuore & rabie, sed etiam aduersus Benedictum XII. fidem catholicam propugnantem, impias prouocationes ad synodos futuras edidit e. Quomodo autem tot tantaque facinora ab hæresi excusari possint, non apparet. Debent itaque prius illius encomiastæ iudiciarias sententias tum a Ioanne Papa, a quo non solum hæreticus, sed hæresiarcha appellatur Ochamus f, tum a Minoritarum familia in publicis comitijs editas g infringere. Neque contendere quis poterit sanam fuisse & catholicam Ochami doctrinam, cum lata sit ab ecclesia sententia h, illam circa paupertatem Christi & Apostolorum fuisse hæreticam, & constet i censores fidei in imbutos eiusmodi pestifera doctrina legum seueritatem distringere iussus. Neque ille modo pernicacissime hæresim, qua Christum & Apostolos sine iure aliquo simplicem vsum facti in rebus habuisse disceptabat, propugnauit; verū & a sacro Minoritarum ordine damnatus fuit ob alias hæreses ad gratiam Ludouici Bauari propugnatas. Has autem fuisse, referunt iudiciaria eorundem Minoritarum acta. l

a To.6.ep. secr. pag. 197. b M.S.bibl. Vat. sign. n.4008. pag.28. M.S.sign. n.4009 pag.32.& M.S.sign. n.4010. pag.47. Quæ fuerunt illius hæreses. e Ibid. d Ib. pag 108. & acta Minoritar. indeinferius annal. to.xv. an. Chr.1330 n.15. e M.S.bibl Vat.sign. n.4008. pag 187. f Io.xxii. an.14. ep. 4 g Ext sup. annal to. xv. ann. Chr.1331 sup.n 15. &c. h Extrau. Quia quorundam de verb. signif. i Annal. to.xv. an Chr.1332 n.1. l Ext. in M.S. bibl. Vat. sign. n.4008.

Primus, nimirum error, *quod Imperator potest Papam deponere & depositum declarare. Secundus est, quod clerus & populus Vrbis Romæ potest Papam deponere & depositum declarare. Tertius est, quod illud alias inauditum facinus, quod aduersus sanctissimum patrem & dominum dominum Ioannem Papam XXII. in Vrbe prædicta per aliquos perditionis & diffidentiæ filios de facto attentatum extitit, de iure ac legitime actum fuit. Quartus est, quod constitutiones per Romanum Pontificem canonice intrantem edita de consilio sacri ac fidelis collegij dominorum Cardinalium sunt hæreticæ. Quintus est quod obedire illi, cui vniuersalis ecclesia obedit, est animam damnare & se hæreticū confiteri.*

Male sensit de sede Apost.

Ad hos errores referendus ille est, quo Ochamus vna cum Michaele contendit m, Christi vicarium in dirimenda fidei controuersia errare posse; neque ab eo, sed a concilio, ad quod prouocabat, decretoriam fidei ferri posse sententiā. Neque ille solum Ioanni, verum & Benedicto XII. hæreseos calumniam cum socijs impijs impegit n: in quo non fidem Ioannis odio, sed Ioannem odio fidei orthodoxæ, cui sua delira figmenta præferebat, oppugnasse visus est: vanaque penitus sunt illius aduersus pontificiam auctoritatem scripta, cuius hostem se professus est. Hæc & alia ignorasse videtur Nitelæ Franciscanæ auctor, qui illius existimationem, conquisitis varijs fucis, tuetur o eundemq; pium prædicat, ob quem in consortium admissum Ludouicus Bauarus inter alia imperio indignus indicatus est: *Tenet in suo consortio*, inquit Ioannes in datis ad principes electores literis p: *Guillelmum Ocham Anglicum ordinis fratrum Minorum hæresiarcham, qui hæreses varias dogmatizabat publice, & scripta fecerat hæresibus & erroribus plena: propter quæ fuerat vocatus ad curiam, eiusque scripta fuerant pluribus doctoribus assignata, vt ea deberent examinare cum diligentia, & quæ inuenirent hæretica seu erronea declarare; qui iam multos articulos declarauerunt hæreticales. Qui quidem male sibi conscius fuga præsidio vitare voluit canonicam vltionem.* Cumulatos postea eos errores alijs, vt dictum est. Ex quibus Ochamum lapsum in hæresim ab ecclesia & ordine Franciscano defecisse, & Michaelis hæresiarchæ collegam & defensorem acerrimum fuisse, ex eius scriptis a perspicuum est. Suspicienda vero diuina misericordia, quæ illum a grauissimo lapsu excitatum ad salutis tramitem & ecclesiæ gremium reuocauit. De tempore vero eius obitus haud plane constat. b

m M.S.bib. Vat. sign. n.4010. pag. 107. n M.S.bib. Vat. sign. n 4008. pag.187. o Nitela Francisc. auct.q.17. pag.434. p An. 14. ep.4. Ochamus seductor Ludouici Bauar.

a Ext. in M.S. sup. Vat. sign. n.4010. pag.108. b Vuad. hoc ann. n.19.

18 Hoc anno transgressa Alpes ac Rhenū pestis, Germaniam aliaque regna septentrionalia depasci cœpit. Quo tristi audito nuntio Pontifex, vt Germanos ad spem melioris vitæ erigeret, Guidoni tit. S. Cæciliæ presbytero, Cardinali Apostolicæ sedis legato auctoritatem concessit c v. kal. octobris, vt cum pestilentia, quæ plures orbis partes vastarat, Salisburgensem prouinciam popularetur, morituris in fide orthodoxa tribueret, vt sacerdotes criminum plenam condonationem in extremo vitæ discrimine conscientiam sacra confessione expiaturis conferrent. Absumpsisse eodem anno epidemiæ sæuitiam sexdecim millia hominum Argentinæ, refert Albertus Argentinensis d: quo tempore plerique merito mortales arbitrati grauissimo illo flagello a Deo ob crimina corripi, ad pœnitentiæ arma confugere, seque flagris cædere cœperunt, vt voluntaria corporis maceratione cœlestes iras placarent. Neque contenti pœnitentiæ opera priuatim exercere, ad excitandos ad simile pietatis genus alios prodiere in publicum, & instructis religiosis agminibus, præeuntibus vexillis sacris, vrbes ac prouincias obiere: a quibus seruatos ritus accurate his verbis describit idem Albertus Argentinensis.

Septentrionem lues depascit. c To.8.ep. secr.91. Indulgentiæ ad solatiū peste laborantibus data. d Alb. Arg. in chron. M.S. bibl. Vat. sign. n.3765 in Clem.VI. Flagellantium pia initia.

Incipiente paulatim pestilentia in Alemannia, cœperunt se populi flagellare, transeuntes per terram: & venerunt ducenti de Sueuia Spiram anno prædicto quadragesimo nono in medio iunij, habentes inter se vnum principalem, & duos alios magistros, quorum mandatis omnino parebant. Et cum hora prima Rhenum transissent, accurrente populo fecerunt circulum in ciuitate Spira ante monasterium, latum valde, in cuius medio se exuentes, depositis vestibus & calceamentis, habentes in modum braccæ camisias a femore ad talos prætensas, circumiuerunt vnusque post alium in circulo se in modum crucifixi prostrauit, quilibetque eorum super quoslibet transeuntes passibus, & leniter prostratos flagellis tangentes. Vltimi, qui se primo strauerunt, primo surgentes se flagellauerunt flagellis habentibus nodos cum quatuor aculeis ferreis transeuntes cantu vulgari inuocationis dominicæ, habente multas inuocationes: & steterunt tres in medio circuli sonori valde præcinentes flagellando se: post quos alij canebant. In quo diu immorantes, ad vnum præcentum omnes genuflexi in modum crucifixi in facies suas corruerunt, cum singultu orantes; & transierunt iuxta circulum magistri monentes eos, vt orarent ad Dominum pro clementia super populum, item super omnes eorum benefactores & malefactores, & omnes peccatores & in purgatorio existentes, & pluribus alijs. Post hæc se leuantes extensis manibus in cælum genuflexi canebant, & iterum surgentes diu se flagellabant, euntes vt prius: quibus se induentibus, alia pars eorum, quæ indumenta & substantiam suam custodierat, se exuens idem fecit. Hæc licet pietatis speciem redolerent, superstitione tamen non

Eorum ritus. Immixta pietati superstitio.

non caruerunt: quidam enim impostor sectæ auctor finxcrat delatam ab angelo in templũ Ierosolymitanũ epistolã, qua ferebatur, Christum a B. Virgine flexum veniam ijs pollicitum, qui triginta quatuor diebus ex instituto flagellantium ritu peregrinarentur; & quasi ingens crimen obiecisse, feriæ sextę ieiunium non seruari. Porro impostura simili præterito elapso seculo credulos nimium, & faciles animos fascinatos fuisse iam ante vidimus a, ostendimusque diuinum Numen huiusmodi epistolam cælo in Ierosolymitani templi altare non demisisse. Pergit Albertus.

a Annal. to. XIII. ann. Chr. 1301. n. 34

Conficta a nugatore fabula.

Post hæc surrexit vnus sonorus legens literam: quia aliqui fuerant inter eos sacerdotes & literati, nobiles & ignobiles, mulieres & pueri. Cuius literæ tenor similis in sententia esse dicebatur, in ecclesia S. Petri in Ierusalem per angelum præsentata, in qua narrat angelus, Christum offensum contra mundi prauitates, plurima exprimens crimina violationum diei dominicæ, & quod non ieiunetur feria sexta, blasphemias, vsuras, adulteria: Christumque rogatum per B. Virginem & angelos pro misericordia, respondisse quemlibet per triginta quatuor dies se debere exulando flagellare, vt misericordiam Dei consequantur. Hæc impostura simplices quosque ad sectam attraxerat, vt alacrius corpus macerarent; subdit enim auctor: *Hoc faciebant bis in die aut in ciuitate, vel in campis: & quilibet clam semel in nocte. Non loquebantur mulieribus, nec super plumis iacebant. Omnes gestabant cruces ante & retro in veste & pileo, habentes flagella vestibus appensa, nec in vna parochia vltra vnam noctem manserunt. Ingressi sunt fraternitatem eorum humillime centum & plures de ciuitate Spirensi, circa mille Argentinensium, promittentes per prædictum tempus obedientiam prædictis magistris. Nullus recipiebatur, nisi promitteret seruare prædicta per prædictas dies; & nisi haberet expendere in die ad minus quatuor denarios, ne mendicet; & nisi promitteret se esse confessum & contritum, & remisisse omnem iniuriam inimicis, & habere vxoris suæ assensum.* Hæc aliquo pietatis colore fucata mox in manifestam impietatem defecere; scribit enim Rebdorfius b laicos absoluere socios a peccatis præsumpsisse.

Qua lege ad sectam adscriptio fieret.

In hæresim desciscit ea factio.

b Rebdorf. in annal.

19 *Isti,* inquit, *Flagellatores tum multas superstitiones attentare præsumerent, inuicem se absoluere a peccatis prædicantes apocrypha & similia; propter quod laici sunt clero grauiter indignati.* Iactasse etiam, cælestes virtutes ab ipsis edi, ac pelli dæmones, fœminasque rei testes circumduxisse, refert M.S. Vaticanum c: *Ad tantam,* inquit, *insaniam hæc secta excreuit, vt se signa facere crederent, & dæmonibus expulsis, vt dicebant, fœminas circumducebant, quæ in eis actum esse testabantur habebant autem cantum specialem, quem flagellando cantabant sæpius cadendo in faciem contra terram & surgendo: videntes ad lacrymas prouocabant. Hæc secta cœpit in superiori Alemannia, & ad inferiorem descendit: & ad partes Gallicanas vicinas: translata cantu, & modo gestuque seruatis, peruenit: & si prohibiti fuissent a clero, mirabantur violentiam se facturos.* Tradit etiam memoratus Rebdorfius, fœminas ad huiusmodi vitæ genus pellectas nudato pectore turmatim incessisse, seque flagris diuerberasse: immo etiam immixtas hominibus austerioris pœnitentiæ specie ad turpia lenocinia delapsas, indicare videtur Clemẽtis vitæ scriptor e: *Insurrexit,* inquit, *quædã secta pessima cruceflagellatorum, qui sub specie pœnitentiæ & boni multa mala occulte perpetrabant.* De flagellantium secta, quæ pietatis olim specie grassata breui extincta fuit, deque eorum erroribus alias dictum a est, a quibus in nonnullis hi discreparunt. Neque enim occulte modo impura flagitia commisere, sed palam crudelitatem ac latrocinia exercere sunt aggressi: non enim solum ob supradictam causam Iudæorum sanguinem immaniter effudere, neque eorum modo spolia diripuere; sed Christianorum etiam tum laicorum tum ecclesiasticorum opes inuadere non erubuere b. Ita quæ a superstitiosa pietate duxere initium, in manifestam impietatem degenerarunt. Quare cum ea secta nefaria Germaniam peruagata esset, peruaderetque alia regna (ex Vngaria in Poloniam, præeuntibus vexillis, ac misericordiam diuinam tristibus vlulatibus implorantes, penetrasse seminudos, scribunt Polonici historici c) Pontifex, ad quem rerum sacrarum cura spectat, vt malis ingentibus, quæ enasci ex ea superstitione cœperant, occurreret, Flagellantium sodalitia damnauit; sanxitque vt si quos pœnitentiæ ardor ad voluntariam corporis macerationem accenderet, pio illi exercitio in priuato loco vacarent: fictitiam epistolam illam, quam ab angelo delatam hebetes illi Flagellatores ementiebantur, imposturæ arguit: grauiter de religiosis viris, qui vel circumuenissent simplices, vel auctoritatem stultæ sectæ conciliarent, est questus; ac manifestam horum hominum, qui a dæmone in angelum lucis transformato deludi se passi erant, impietatem in profanando pœnitentiæ sacramento, crudelitatem in fundendo Iudæorum insontium sanguine, auaritiam in rapinis exercendis in oculis omnium defixit. Tum patriarchis, archiepiscopis, & episcopis munus iniunxit d, vt zelum in dissipanda hac secta, & hypocritis nouo illo ac vetito cultu incedentibus, iudiciorum seueritate comprimendis explicarent.

Flagitia impura patrata a sectarijs.

e Gesta Clem. VI. pag. 259.

a Annal. to. XIV. ann. Chr. 1260. n. 10

Et cædes & latrocinia.

b To. 8. ep. secr. pag. 94.

c Crom. l. 11. in Casimir. & alij.

Flagellantes damnati a Pont.

d To. 8. ep. secr. pag. 94.

Clemens, &c. venerabilibus .. archiepiscopo Magdeburgensi, eiusque suffraganeis.

Molesta nobis, licet fidedigna, magnorum relatio, & multorum assertio nostrum & fratrum nostrorum non mediocriter turbauit auditum, quod in partibus Alamanniæ, & ei conuicinis quædam sub prætextu deuotionis, & agendæ pœnitentiæ vana religio, & superstitiosa adinuentio procurante satore malorum operum insurrexit, per quam profana multitudo simplicium hominum, qui se Flagellatores appellant, decepta verbis fictis & mendacibus malignorum, asserentium Saluatorem nostrum Ierosolymis patriarchę Ierosolymitano apparuisse (cum tamen a longis citra temporibus nullus ibidem præsentialiter fuerit patriarcha) & sibi aliqua dixisse, quæ colorem non habentia nec saporem, in quibusdam scripturæ sacræ obuiare noscuntur; in illam cordis vesaniam, & inane damnationis præcipitium est deducta, & de die in diem suggestione hostis antiqui se, vt dominicum gregem deuoret, transferentis in lucis angelum, nimium succrescendo deduci, cortina trahente cortinam, periculosius formidatur, quod se per societates & conuenticula, licet caudas inuicem colligatas habeat, diuidens diuersas circuiuit patrias, cæterorum vitam & statum contemnendo: se iustificant, & claues ecclesiæ vilipendunt; ac in contemptum disciplinæ ecclesiasticæ, crucem Domini ante se, & habitum certum, nigrum videlicet ante & retro ipsius viuificæ crucis appausum habentem signaculum, sine superioris licentia deferentes,

Pontificia de re diploma.

Vt sacramentum pœnitentiæ profanarint.

sub

sub nomine pœnitentiæ, vitam gerunt insolitam: congregationes conuentuales, & coadunationes, quæ a iure sunt prohibitæ, faciunt; & ad alios actus prosiliunt, a vita & moribus communibus & obseruantia fidelium alienos: ordinationes & etiam statuta, quibus vtuntur, seu verius abutuntur, propria temeritate fecerunt, erroris suspicione non vacua, & iudicio carentia rationis, sed, tam Deo quam & hominibus amplius odiosa. Turbamur acerbius, & durius anxiamur, quod quidam religiosi, præsertim de ordinibus mendicantium, qui alios ab inuio reuocare debuerant, & ad viam reducere veritatis, ab vtero matris ecclesiæ velut maledictionis filij nequiter aberrantes, linguas suas, vt alios pertrahant in errorem, acuunt; quibus corda debilia vulnerant infirmorum, & ignorantes Dei iustitiam, & suæ prudentiæ innitentes, dum legi Dei nolunt esse subiecti, alios in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis prædicando, & dogmatizando contra ecclesiasticam libertatem & fidei catholicæ puritatem, ab ipsa fidei veritate subducere moliuntur. Et vt efficacius officiant, & conceptum virus latentet effundant, blandis prius sermonibus auditores, quasi bonum vinum primum ponendo, satagunt irretire, vt cum inebriati fuerint, illud quod est deterius ingerentes, cum ipsis in perditionis laqueum incidant, ac in profundum malorum pariter demergantur.

Nonnulli religiosi mendicantes ijs se immiscēt.

Pietatis specie virus afflant simplicibus.

21 Nos igitur tam pernitioso, & periculoso principio, per quod vltra diuinæ maiestatis offensam, magnum reipublicæ paratur periculum, & apud fideles scandalum generatur, ne deteriores processus pariat & successus, obstare volentes; & considerantes, quod cum plerique ex ipsis seu adhérentes eisdem sub pietatis colore ad impietatis opera laxantes crudeliter manus suas, Iudæorum (quos pietas Christiana recipit & sustinet, offendi eos aliquatenus non permittens) & frequenter Christianorum sanguinem effundere, & opportunitate captata, bona clericorum & laicorum diripere, & suis iuribus applicare, ac superiorum iurisdictionem vsurpare, & ad multa alia illicita prorumpere minime vereantur, timendum est, quod tam præsumpta temeritas, & temeraria præsumptio, nisi ei per salubre antidotum occurratur, paritura sint non leuem perniciem, & aliquorum morbi lethalis contagio serpens in plurimos, sero recipiat medicinam; attendentes insuper, quod error, cui non resistitur, quodammodo approbari videtur, & quod ex officio nobis iniuncto compellimur, vt quos per iter deuium errando cernere, & plures in præcipitium secum trahere prospicimus, ac in dispersione multarum gentium ambulare, reuocemus a deuio, & vt in viam veritatis, & iustitiæ gressus suos dirigāt prouidere per opportuna remedia studeamus; fraternitati vestræ per apostolica * committimus, & districte præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris ciuitatibus & diœcesibus, per vos, vel alium, seu alios adinuentiones huiusmodi, & ritus profanos, (quos vna cum societatibus, conuenticulis, & congregationibus, ac statutis & ordinationibus per supradictos, qui se, vt præmittitur, Flagellatores appellant, temerarie attentatis, de fratrum nostrorum consilio perpetuæ prohibitioni subiecimus, & tanquam illicita reprobauimus) auctoritate nostra reprobos & illicitos publice nuncietis: ac omnes tam clericos, seculares, & regulares, quam laicos de prædicta superstitiosa secta seu societate, quocumque appellentur nomine, existentes vel eam sectantes, auctoritate prædicta monere & inducere studeatis, vt ab huiusmodi obseruantia, secta, & vana gloria, taliter desistere & resilire procurent, quod nullus deinceps prædictam sectam seu conuenticulum præsumat intrare, aut ritus & statuta societatum huiusmodi obseruare; contrarium facientes per censuram ecclesiasticam coercendo: nec non & eos in quos temporalem iurisdictionem habetis, per pœnas temporales, de quibus expedire videritis, appellatione postposita compellatis.

Ad eadem sæpius, & præuaricationes impellunt.

* scripta

Dissolui iussa Flagellantiū conuenticula.

Obiecta sectarijs censura.

22 Sane, vt religiosi, & alij errorum magistri, qui prædicando et dogmatizando simplices decipiunt, et cæci ducatum cæcis præbentes, ipsos in foueam secum trahunt; et, si non diuino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito reuocentur: omnes et singulos cuiuscumque sint ordinis, religionis, dignitatis, præeminentiæ, siue status, quos in prædictis vobis constiterit deliquisse, capi (non obstante quocumque priuilegio vel indulto, quod in hoc eis suffragari nolumus) faciatis, et tam diu captos detineatis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christifideles impositam sibi canonice pœnitentiam, vel etiam non impositam (dummodo recta intentione et pura deuotione ad illam peragendam procedant) in suis hospitijs, vel alias absque superstitionibus, congregationibus, societatibus, et conuenticulis supradictis possint facere, et se in bonis operibus exercendo, virtutum Domino, prout ipse inspirauerit, in humilitatis spiritu deseruire. Cæterum, quia præsentes literæ nequirent singulis vestrum propter viarum discrimina commode præsentari, volumus quod * te, frater archiepiscope, earum transumptum publica manu scriptum, et tuo communitum sigillo, vobis suffraganeis transmittatur, cui adhiberi volumus plenam fidem. *Dat. Auen. XIII. kal. nouembris anno VIII.* Est in pontificio regesto prolixior catalogus a archiepiscoporum et episcoporum Germaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Angliæ, et Galliæ, quibus de extinguenda Flagellatorum secta data imperia.

Eorum doctores vinculis mancipari iussi.

* per

a Reg. post cand ep. & an. 8 l. 1. p. 1. ep. cur. 56. ad 77.

Excitati etiam Reges ad præsules regia potentia pro ea abolenda fulciendos: quo argumento ad Eduardum Angliæ Regem extant literæ b, in quibus hæc scribit de Flagellatorum exordijs: *Nuper in Alamanniæ partibus sub prætextu pietatis & agendæ pœnitentiæ superstitiosa & vana societas insurrexit*; atque vbi pluribus exposuit eam apostolico edicto damnatam esse, iussosque patriarchas et archiepiscopos venenatam plantam, c quam cœlestis agricola non plantarat, euellere, has preces adijcit: *Tu ergo, fili charissime, eosdem nequam homines, si forsan ad regnum tuum se conferre præsumerent, non solum arceas a finibus dicti regni, verum etiam ipsos, vt ab eorum fatuitatibus & erroribus resipiscant, modestia seruata compescas: vt fides catholicæ puritas vtique semper eniteat, ac fermentum malitiæ hominum eorundem per tua prouidentiæ studium ab omnibus tuis subditis confutetur. Dat. Auen. III. non. decembris anno VIII.* Conceptæ sunt eadem verborum forma ad Philippum Francorum Regem literæ c, quæ alijs etiam Regibus ac principibus missæ, videntur: perfectumque est d apostolico studio, vt hæc secta in ipso ortu mox interierit: puduit enim

Monuit principes, vt Flagellātes coercerent.

b To. 8. ep. secr. pag. 204.

c Ib. pag. 516.

d Gesta Clem. VI. apud Bosq. & alij.

Dissipata ea secta.

enim quemq; vel suæ simplicitatis vel impietatis, cum se pontificia censura notatum audisset: nec laici amplius criminum nexus soluendi præsumptam impie auctoritatem sibi arrogarunt, de quo hęc habet M.S. Vaticanum a: *Finaliter, nisi quod dominus Papa sub sententia anathematis id probibuit, mala plurima per eos attentata fuissent*.

a M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

23 Quo studio ad inanem superstitionem excindendam, eo ad veram pietatem propagandam, collustrandosque luce euangelica infideles Clemens incubuit: qui cum Lithuanos ad diuinos satus excipiendos egregie comparatos accepisset, Gnesnensi archiepiscopo partes imposuit b, vt sacerdotes sacris literis ac probitate excultos in Lithuaniam mitteret: *Fraternitati*, inquit, *tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus aliquos presbyteros, viros probos, Deum timentes, & in lege Domini eruditos, seculares vel regulares, cuiuscumque sint religionis vel ordinis, de quacumque ciuitate siue diœcesi, qui auctoritate nostra dictos duces & alios Lithuanos in eadem fide fideliter instruant, salubriter dirigant, recteque informent, & baptismatis renouent sacramento; ad partes illas eadem auctoritate transmittas. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* XVI. *kal. octobris anno* VIII. Christianorum armorũ terrore ad duci potuerant ad fidem Lithuani, cum referãt historici c, Ventichum cruciferorum equitum magistrũ quadraginta millibus armatorum, in quibus Galli et Angli erant, qui ob inducias inter Philippum et Eduardum Reges initas iam ante ad feliciores triumphos de Christi hostibus referendos confluxerant, succinctum in Lithuaniam excurrisse, late populatis agris: dumque spolijs onustus redibat, Keystutum ducem Lithuaniæ contractis copijs Christianos insecutum, collatisque signis vigesima quarta ianuarij die amissis octodecim suorum millibus profligatum a cruciferis ex his vero Gerardum e Stegin Gedanensem, et Gobiensem præceptores in pugna cum aliquot alijs eius ordinis insignibus viris desideratos.

b To. 8. ep. secr. pag. 80.

Ex Polonia in Lithuaniam concionatores mitti iussi.

c Michon. l. 4. c. 25. & alij.

Cruciferi Lithuanos magna clade fundunt.

Meminit de parta eadem victoria Albertus Argentinensis d, remque dignam memoria obseruat, nimirum Keystutum barbarorum ducem expectasse, vt fideles concretum glacie flumen traijcerent, ac tum magno impetu adoriri meditatum vs in aquas nostros impelleret: Christianos vero visis hostibus, conuersis signis e vincto gelu fluuio in apertum campum redijsse, instructisq; agminibus congressos cum aduersarijs, arteque militari vsos trusisse in glaciem Lithuanos, atque ex ipsis ad sex millia aquis mersisse, alia duodecim circiter millia concidisse ferro, reliquos in siluas aufugisse, insequentibus Christianis: duos vero Lithuani principis fratres, vt nostrorũ manus fallerent, in arbores ascensu celeri euasisse: quas cum nostri ferro pararent succidere, in rabiem actos, correptis cingulis pro laqueo vsos, ex arborum ramis se suspendisse, ne in nostrorum potestatem venirent.

d Alb. Arg. in chron.

24 Cruenta ea clade debilitatos Lithuanos inuasit Casimirus Rex Poloniæ, vt partem Russiæ, quam Keystutus et Lubartus Lithuani principes occupabant, sibi subijceret. Consensis felix exitus votis: Luscum, Vvladimiria, Breste, et Chelmum subacta, reliqua in victoris potestatem concessere e. Atque ita Casimirus, Valyniam, ac Belzensem et Brestensem tractum Polonico imperio adiecit, et cum Rege Vngariæ, qui nonnulla obtendebat in prouinciam debellatam iura transegit: tum etiam cum cruciferis, Vngariæ Rege controuersiæ arbitro ac iudice constituto. Cumulare eam gloriam alio illustriori triumpho nisus est Polonus, fungiq; in conuertẽdis ad fidem Lithuanis apostolico munere: visusque Lithuanus illius monitis morem gerere, baptismi sacra vnda ablui, & Christiana religione imbui flagitauit. Qua de re certior factus Clemens, vt supremus religionis antistes Keystuto ac fratribus Lithuaniæ principibus redire ad fidem præ se ferentibus euangelicos concionatores misit, clientelamque apostolicam est pollicitus: tum grauissimis sententijs, vt discussis gẽtilitiæ superstitionis erroribus Christiana sacra vna cum populis amplecterentur, est adhortatus a.

Casimiri in Russiã prospera expeditio.

e Crom. l. 12. in Casimiro II. Michou. l. 4. c. 25.

Lithuani principes præ se ferunt velle Christiana sacra amplecti.

a To. 8 ep. sec. pag. 81 ous etiã in M.S. arch. Vat. de reb. Tart. Arm. Græc. & infid. pag. 89.

Nobilibus viris Keystuto eiusque germanis ducibus Lithuanorum veram fidem agnoscere, & agnitam custodire.

Gaudemus & exultamus in Domino, quod ipse, qui est vera lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, cordibus vestris lumen veræ lucis infundens, sic illa veritatis radio illustrauit, quod, sicut charissimo in Christo filio nostro Casimiro Rege Poloniæ illustri nobis intimante percepimus, vos cœcæ paganitatis expurgatis erroribus, & tenebris effugatis, ad catholicæ fidei veritatem vna cum subditis vobis populis concitis gressibus properatis. De quo ei, qui ad liberandum suscepturus hominem non horruit ergastula vteri virginalis, quique deuicto mortis aculeo aperuit credentibus regna cælorum laudes & gratias referentes, ipsum in humilitate spiritus suppliciter exoramus & petimus, vt vos in hac zeli rectitudine, in hoc feruore spiritus, in hac veritatis puritate confortans, det vobis sic veræ fidei lumen vere agnoscere, vt renati fonte baptismatis vna cum eisdem populis cœlestis regni gaudia possitis in Domino promereri.

Pontificię ad eos literæ.

Agite itaque viri fortes quod de vobis eodem Rege significante percepimus. Agite id, ad quod gratia diuina præambula dicimini vos præparare. Festinate ad sempiternæ saluris præmia: ad gaudia felicitatis æternæ concite properare, vt ille, a quo omnis vbique potestas est, & in hoc mundo vos potentiores efficiat, & post huius incertæ ac labilis vitæ cursum inter sanctos & electos suos in tabernacula suæ indeficientis gloriæ pius & misericors introducat; tenentes indubie, quod vos dictosque populos, postquam purificati vnda baptismatis nostræ fidei receperitis documenta, intendimus præstante Deo apostolicis communire præsidijs, fauoribus prosequi, & auxilijs confouere, vosque ac successores vestros titulo regio insignire, & regalibus insignijs decorare, ac in vestris manutenere & conseruare iuribus, & tueri. Vt autem ad agnitionem eiusdem fidei citius & rectius peruenire possitis, venerabili fratri nostro archiepiscopo Gnesnensi per alias nostras literas damus expressius in mandatis, quod ipse sacerdotes Dei eruditos in lege Domini ad vos cito mittere studeat, qui vos baptismatis vnda regenerent, in eadem fide instruant, dirigant, & informent; vt, iactis per eos in vobis eiusdem fidei solidis fundamentis sanctum Domini crescatis in templum, & qui dudum eratis filij tenebrarum, nunc per vestræ regenerationis lauacrum, sitis lucis filij, & hereditatis Domini coheredes. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* XIIII. *kal. octobris anno* VIII.

Solicitantur ad pia consilia perducenda.

Promissa ijs studia apostolica.

25 Gratulatus etiam est Pontifex Casimiro Regi Poloniæ, qui ad traducendos ad fidem Christi

Polonus interpretem pro adducendis ad Christum Lithuanis agit.

sti Lithuanos studium, vt dixi, collocarat: atque ad vrgendum gloriosissimum cœptum opus, ex quo immortales sibi coronas compararet, permouere studuit a.

a Cod. to. 8 ep. sec. pag. 80. & vol. M. S. arch. Vat. pag. 88.

Clemens, &c. Cazimiro Regi Poloniæ illustri.

Magnificat anima nostra Dominum, & in Deo salutari nostro iubilat & exultat, quod ipse, qui est vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, corda nobilium virorum Kerstuti & germanorum suorum ducum Lithuanorum, tuo cooperante studio, lumen veræ lucis infundens, sic illa veritatis suæ radio illustrauit, quod ipsi, prout te insinuante percepimus, cœcæ paganitatis expurgatis erroribus, & tenebris effugatis, ad catholicæ fidei veritatem vna cum subditis populis concitis gressibus venire festinant. *Et infra*: Serenitatem tuam requirimus & hortamur, attente rogantes, tibi tuæque salutis obtentu nihilominus iniungentes, quatenus dictos duces in his confortare, animare, ac accendere studeas; & considerans prouide quantæ tibi gloriæ titulos in hoc mundo, & quam magnum meritum in cœlesti patria comparabis, quantumque gaudium erit Dei angelis (quibus, euangelica veritate testante, maius gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia) in conuersione tot millium personarum, quas tu promotor fidelis & operator sedulus ad salutem dirigens perduces ad gaudia paradisi, persta, labora solicite, & annitere fortiter, vt opus Deo propitio inchoatum, ipso præstante, studio tuo, virtute, fine laudabili, & felici exitu consummetur. Vt autem opus huiusmodi iactis solidis fidei fundamentis in structuram crescat auctore Domino firmiorem, venerabili fratri nostro archiepiscopo Gnesnensi alijs nostris literis damus in mandatis expressius, vt ipse sacerdotes Dei, viros vtique timoratos & in lege Domini eruditos, ad eosdem ducem & populos celeriter mittere studeat, &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* XVI. *kal. octobris anno* VIII.

Vrgetur ad gloriosum opus complendum.

A cœptis deficit.

Tanta tamque præclara conuersionis Lithuanorum spes euanuit, & Casimirus Rex egregia cœpta tristi exitu confudit: partis enim in Russiæ ea parte, quam eripuerat Lithuanis, victorijs inflatus gentilium vitia, libidines nimirum effusas sectatus est, ac spreta coniuge Adleyde scortorum gregem alere & colere cœpit, atque a Pontifice ad coniugalem continentiam redire iussus spreuit monita; versusque in tyrannum ecclesias diuexare cœpit: immo Cracouiensis ecclesiæ vicarium censuras intentantem Vistula mergi præcepit. Diuinum itaque numen eius flagitijs prouocatum suam ab illo clientelam subduxit, et a Lithuanis, quos prius magnis cladibus affecerat, priuarat ditione amplissima, atque ad fidem Christianam amplexandam pene coegerat, iam impius diuexari cœpit. Quem tristem rei successum his verbis narrat Michouius b: *Anno Domini* MCCCXLIX. *comparato numeroso exercitu, Rex Casimirus terras Russiæ, castra, & ciuitates, quæ nondum suo imperio parebant, expugnauit & subiugauit Luczko, Brzescie, Chelm, & eorum vicinia in suam ditionem redegit: hisque secundis successibus elatus ad incontinentiæ impatientiæque pestes diuertit, & Regina Adleyda consorte sua moribus honesta spreta, concubinarum amplexibus publice vtebatur, quarum greges in Opoczno, in*

Habenas impudicitiæ laxat.

b Michou. l. 4. c. 19.

Czechouie, in Crzeczouie, & alijs locis quasi quasdam turpitudinis officinas locauerat, pontificumque & baronum suorum monita negligebat.

Summi ergo Pontificis Clementis VI. Papæ se vero processu suggestione ecclesiæ Polonicæ præsulum monitus est, vt omnibus concubinis relictis, in thoro continentiaque coniugali permaneret: sed & villas episcopales Zloten. potestatis prope Sandomiriam, violando libertates ecclesiasticas per Othonem de Pilcza palatinum & capitaneum Sandomiriensem de domo Bipenniam, tributis & laboribus seruire cogebat. Quam iniuriam Bodzantha episcopus Cracouiensis rescindens primum Othonem de Pilcza, deinde Regem Casimirum censuris ecclesiasticis percellit: ad quas exequendas Martinus Baricka vicarius ecclesiæ Cracouiensis per Bodzantham episcopum Cracouiensem missus erat. Tametsi Rex Casimirus iratus manus tunc a Baricka contineret, eo post tamen satellitum suorum suggestione inflammatus præfatum Martinum Baricka in die S. Luciæ comprehendi, & sequenti nocte in flumine Vistula per Cechanum familiarem suum suffocari mandauit. Post hoc Deo puniente omnis prosperitas a Rege Casimiro & populo suo abscessit, & stirpem eius vindex iustus de regno Poloniæ euertit: Lithuani etenim in terram Lukouiensem & Radomiensem, postea quoque in Sandomiriensem impetum fecerunt, & eas affligentes, raptam prædam hominum & pecorum abduxerunt. Meminit de Martino Baricka Vistula flumine iussu Regis Casimiri, indignantis fuisse monitum, vt libidines effrænatas coerceret, ac lenonum impudicissimorum suasu merso Cromerus a; additque mox Poloniam percussam peste, ex qua febre cum sputo sanguineo homines emoriebantur: diuinæque vindictæ id flagellum versum.

Monitus a Pont. non resipiscit.

Sacras inuadit opes.

Pium sacerdotem mergit flumine. A Deo plectitur.

a Crom. l. 12. in Casim. 12

26 Excusserat superiori anno pestis ex furentium Anglorum Gallorumque manibus arma, deque concordia cogitare coegerat: cumque Gallici & Anglici oratores Calesij de pacis legibus colloquium essent habituri, Clemens ad rem promouendum læuigandasque difficultates Pastorem archiepiscopum Ebredunensem & Bernardum episcopum Seneriensem misit b: tum Regibus Philippo c & Eduardo d grauissimis literis proposuit ob oculos quantum humanum cruorem suis discordijs fudissent: percussa diuinæ vindictæ flagellis eorum regna lugere ac suorum misereri monuit.

Missi a Clem. pro conciliada pace internuntij.

b Tom. 7. ep. secr. 797. c Ib. ep. 801. d Ibid. ep. 812.

At asperiora in dies omnia ad pacem ac prona ad bellum fiebant, Anglo aliena affectante, sua retinere Gallo annitente; ac dum vtriusque regni populi ad mutuas cædes ferrum parabant, vtrosque Deus vindex peste conficiebat. Cum Pontifex frequentissimis adhortationibus vrgere non destitit Philippum e & Eduardum f, vt tristissimo mortis depascentis omnes spectaculo flexi bello parcerent, & Eduardum iterum iterumque vt oratores Auenionem mitteret, est deprecatus g: *Habentes*, inquit, *fiduciam nostram in sinu eius repositam, in cuius manu sunt corda Regum, nequaquam ab inchoati tractatus desistere prosecutione proponimus; sed tanto intendimus eum efficacius & solertius promouere, quanto status miserabilis orbis terræ, quem vniuersaliter inaudita pestilentiæ clade peccatorum multitudine (quam non operit charitas, sed auget odium) prouocatus Deus zelotes, & dominus vltionum in furore consumit, tuam & præfati Regis concordiam potissime exigit, & ea quammaxime noscitur indigere: ne, quod absit, pusillus grex, quem quasi scrinius tuus*

e Ib. ep. 72. f Ep. 73. g Ib. ep. 102.

Repetitæ eædem preces.

Saluator omnium, qui vulnerat & medetur, ab huiusmodi voragine pestilentiæ præseruauit, commotionum mergatur in fluctibus, & absorbeatur miserabili tempestate, &c. Dat. Auin. xv. kal. decembris anno VIII.

27 In Castella Alfonsus Rex acerrimus religionis Christianæ defensor propagatorque, Maurorum fæcem ex Hispanijs eijcere meditatus repetitis oratoribus Clementi stimulos addidit, vt extremos conatus ad sopienda rabida Anglorum & Francorum odia adhiberet: de Aluaro enim Garsia a de Ilhas ineunte vere, & Garsia Gomesio b media æstate exceptis beneuole, a quibus de expeditione Granatēsi certior estfactus ad Castellanum ac Mariam c Reginam datę sunt pontificiæ literæ. Incitarat ad ea pia & generosa consilia Alfonsum Maurorum discordia, Abohasnenus enim patri Albohaceno, cum quo Castellanus decennales inducias fecerat, Phutense regnum eripuerat, atque Heracleam in Hispania, Arundam, & reliqua in eo tractu occuparat d, creata patri inuidia, obiectaque ob rem male gestam ignauia: tum iniecta de affligenda a se re Christiana spe, Maurorum animos allexerat. Ad eius prohibendos conatus, bellum ab Hispanis sub Alfonso Rege communi sententia decretum: conflatoque piorum exercitu religionis proferendæ causa in Bœticam itum est, & Heraclea obsessa. Fœdere inter Castellæ atque Aragonum Reges sancito, accersenda erant externa auxilia, cum hostis munitione loci fretus nostrorum impetus eluderet: rogatusque Pontifex, vt apostolicum studium ad trahendos in laboris & gloriæ societatem fideles collocaret, non defuit, ac Ioannem Murtam e Genuensium ducem, vt subsidiariam classem Alfonso submittendam instrueret, tum Ioannem archiepiscopum Mediolanensem f, Antonium & Carolum Grimaldos g, qui Monachum ac nonnullas Liguriæ arces tenebant, florebantq; rei maritimæ gloria, vt maritimas vires coniungerent, tum vt arma Saracenis deferri vetarent, excitauit. Vicisset barbarum Alfonsus, ni pestis illius inuasisset exercitum, quem dum victoriæ spe remouere ab Heracleæ obsidione negaret, lue infectus in ipso vincendi conatu gloriose cecidit h; de quo sequenti anno.

Redintegratum in Mauros sacrum bellum.
a To.7. ep. secr. 909. 910.
b To.8. ep. secr. pag. 30.
c To.7. ep. secr. 910.
d Marian. l.16. c.15. Sur. l.8. c.35.
Solicitari Genuenses, vt in Mauros classem instruant.
e To.8. ep. secr. pag. 26.
f Ib. pag. 2
g Ibid. pag. 25.
Alfons. Rex peste sancius obit.
h Marian. l.16. c.15.

28 Debilitauit vero admodum Christiani exercitus impetus Aragoniæ intestina discordia, cum Petrus Rex parum Alfonsum iuuaret, decem enim tantum triremes & quadringentos sagittarios subsidio misit. Implicitus vero is fuerat & Balearico & Valentinorum, quos ad tutanda patriæ iura consurrexisse in arma vidimus, bello: quorum fœdera cum dissoluisset, sibique parere coegisset, nimia feneritate vsus, grauioribus vectigalium & mulctarum imperijs ipsos oppressit: qua ex re cū is subditos, qui potius mulcendi videbantur, magis exasperaret, efficeretq; ad rebellionem proniores, Pontifex illum ad clementiam, qua potissimū firmantur imperia est adhortatus. Pręterea exercebat Petrus Rex inimicitias tacitas cū fratre ob subortam de regni successione, quod in filiam, cum mascula prole careret, nouis legibus transfundere affectasset. Sublatus vero breui est odiorum fomes, Petrus enim accepta i hoc anno Eleonora Ludouici Trinacrij sorore natu maxima in coniugem, sequenti anno filium suscepit.

Aragoni subditos vectigalibus atterit. Monitus firmare solio clementia.
i Sur. l.8. c.36. Marian. l.16. c.14.

Præterea confirmauit potentiam cæso in acie Baleari Rege: is enim ad recuperandum regnum facta in Balearem maximā insulam excensione, post atrox prælium est oppressus a; de quo Clementis vitæ scriptor hæc mandat historiæ b: *Iacobus Rex Maioricarum per Petrum Regem Aragonum nominatum tam a regno suo, quam comitatu Rossilionis prius totaliter expulsus, Auenione existens, & per dictum Papam aliquandiu sola humanitate sustentatus, vendidit locum & baroniam Montispessullani Regi Franciæ, a quo etiam per ipsum in feudum tenebatur, & de pretio inde habito aggregauit gentes armigeras in numero satis magno, cum quibus intrauit terras, a quibus fuerat expulsus, eas vi recuperare intendens.* Et infra: *Dictus Iacobus victus extitit & interemptus, suusque filius captus & demum diu in carceribus detentus. Et sic qui iniuriam, quam sibi prætendebat illatam, vendicare tentauit, eā supra & contra se duplicauit, dum post terras & bona perdidit & personam.* Ipsius et Ferdinandi fratris filij vagi, extorres, fortunisque omnibus spoliati fuere: demum ex ijs Iacobus a Siciliæ citerioris Regina Ioanna in coniugem acceptus fuit; de quo suo loco dicetur. Nunc res orientales aggrediamur.

a M.S. bibl. Vat. sing. n.1240. in Clem. VI.
b Gesta Clem. VI. apud Bosq.

29 Babyloniæ, Syriæ, Ægyptique soldanus, ferino in Christianos principes imbutus odio, sicarios ad omnes Christianos Reges necandos subornauit. Quod immane consilium Hugo Rex Cypri Pontifici regijs literis, quas Perciuallus orator reddidit, patefecit. Cui Pontifex de singulari eius rei Christianæ cura ac studio gratias egit. c

Soldanus Sicarios ad Reges Christianos necādos submittit.

Clemens, &c. Hugoni Regi Cypri illustri.

Serenitatis tuæ literis, per quas nobis conceptum prauum soldani Babyloniæ, quem ad perdendos catholicos principes orbis, ordinatis & destinatis ad executionem tam execrabilis atque damnabilis ministetij assasinis, in partum producere satagebat, filiali solicitudine intimasti, benigne recepimus, & inde tibi debitas gratiarum referimus actiones, sperantes in virtute omnipotentis Altissimi, qui conceptus præfocat, & conatus allidit aduersos, quod ipse huiusmodi præfati soldani conceptum ad nihilum rediget, & fideles suos ab omni periculo præseruabit illæsos. Itaque vota regis, quæ quantum cum Deo possumus intendimus fauorabiliter prosequi, secura nobis fiducia innotescas. *Dat. Auin. xvII. kal. iulij anno* VIII.

c To.8. ep. secr. pag. 25. & 30.
Pontifex ea de re a Cyprio fit certior

Non permisit Deus tam atrox & impium consilium ad opus perduci, dissipatæque sunt soldani insidiæ. Cæterum impelli in eum furorem soldanus potuit, cum suis viribus ob incredibilem pene infideliū multitudinem lue consumptā diffideret; atq; etiam superiori anno encyclicis pontificijs literis fideles ad atterendā ipsius potentiam excitatos viderimus: pertimuerat q; Reges occidētales tam idoneæ recuperandæ Asiæ occasioni non defuturos. Quam etiam ob causam Constantinus d Armeniæ Rex Constantinum oratorē ad Dei vicarium legauit, quo principes occidentales in soldanum commoueret. Flagitanti vero vt apostolici internūtij in Armeniam mitterentur, Clemens pollicitus est, quos iam ante decreuerat, breui aggressuros iter.

Armenus Pontificis opem implorat.
d Ibid. pag. 521.

30 Infestabant a ea tempestate Europam magno rei Christianæ discrimine sæuissimi Turcæ: aduersus quos Pontifex iam ante, vt vidimus, fideles concitarat, atque ad sustinendos bellicos sumptus triennales primum, biennales dein decumas in omnibus regnis imperarat. Hoc vero anno VI. kal. feb. Andreæ Tudertino priori Augustiniano prouinciā dedit, vt collectas in Liguria & Etruria decimas ad sedem Apostolicam in Turcico bello col-

a To.7. ep. secr. 710. & l.8. pag. 83.

Induciæ a Turcis postulatæ.

collocandas transmitteret Patiensique episcopo iniunxit, vt eas in Cypro colligeret. Nondum firmatæ cum Turcis erant induciæ, quamuis de ijs, vt supra diximus constituendis agitatum fuisset cũ non ita multu post Chalabi Turcarum princeps dominus Altiloci oratores ad Clementem misit [a], qui earum leges inter ipsum & Franciscum archiepiscopum Cretensem Apostolicæ sedis in oriente legatum atque Deodatum Gosonium Rhodiorum equitum magistrum initas attulere a Pontifice confirmandas. Quibus Clemens respondit, nondum a se corroborari posse, ni prius principes fœderatos an eas vellent admittere certiores fecisset: conuenitque cum Turcicis oratoribus stato tempore vtrinque ab armis discessum iri, dum ipsos de re tota consuleret: quo argumento hæc Chalabi Turcæ scripsit [b].

a Eod.to.8 ep. secr. pag.36.

b Ibid.ep. secr. pag. 36.

Clement, &c. nobili viro Chalabi domino Altiloci veram fidem agnoscere, & agnitam custodire.

Responsũ Pontificis

Cum fratribus nostris S. R.E. Cardinalibus habita deliberatione matura, visum fuit nobis & illis decens & congruum, quod anteqnã ad confirmationem tractatuum procederetur ipsorum, pro eo, quod habiti fuerant sine conscientia charissimi in Christo filij nostri Hugonis Regis Cypri illustris, & dilecti filij nobilis viri ducis Venetorum, qui ratione vnionis habitæ inuicem tanguntur principaliter in hac parte, Regi & duci prædictis hæc omnia fierent nota prius, & cum ipsorum conscientia ad confirmationem procederetur tractatuum prædictorum. Quamobrem deliberauimus dictos Regem & ducem requirere, vt eorum nuncios infra mensem maij futurum proximo ad nos mittant, vt cum eo super ijs consultius deliberare possimus: quibus conuenientibus coram nobis, & super præmissis deliberatione habita cum eisdem, nobilitati tuæ quidquid super hoc deliberabimus rescribemus.

Pactæ ad annum induciæ.

Interim tamen ordinauimus volentibus & consentientibus tuis nuncijs antedictis, quod ex nunc vsque ad festum natiuitatis Domini proximo secuturum, & ex tunc vsque ad vnum annum fiant sufferentiæ hinc et inde; ita videlicet, quod durantibus sufferentijs huiusmodi, ab vtraque partium penitus abstineatur a guerra, et nihil attentetur per alterum contra alterum noxiæ nouitatis. Quocirca nobilitatem tuam monemus, requirimus, et hortamur, quatenus per te ac subditos, tuos durante tempore sufferentiarum, ab omni guerra et qualibet noxia nouitate contra Christianos quomodolibet facienda prorinus abstinere procures, etc. *Dat. Auin. kal. iulij anno VIII.*

31 Monuit Clemens Hugonem [c] Regem Cypri, Andream [d] Daudalum ducem Venetorum, ac Deodatum [e] Gosonium Rhodiorum equitum magistrum de re tota cum Chalabi Turcarum principis oratoribus gesta, vtque absisterent a lacessendis Turcis rogauit. Agit de his Bosius [f] ac fluctuasse ancipitem Romanum Pontificem ait, neque certa explicuisse consilia an bellum cum Turcis gerere pergeret: an fœdus pacisceretur: cum enim magno fidei amplificandæ arderet studio, ob funesta Anglorum et Francorum bella ad inducias propendebat; fixumque erat animo, vt si eos Reges conciliare potuisset, ad edomandos Turcas omni contentione incombere, atque adeo extrahere leues inducias constituit. De redintegrato vero in Turcas fœdere sequenti anno agemus.

c Ib.pag. 58. et 87.
d Ead.pag 87.
e Ibid.pag. 85.
f Bosius t. par. 2. l. 2. hist. Hosp. eq.

Anglor.& Gallor. bella rei Christianæ exitiũ in oriente afferunt.

Incendebant porro Pontificem ad bellum illud sacrum Cantacuzenus & Ioannes Palæologus Imperatores, qui repetitis literis flagitarunt a Clemente, vt nuntios apostolicos quos erat pollicitus, legaret quo de fœdere in Turcas sanciendo agitaretur. Ita susceptam ob Turcas in Græciam aduectos incitatosque contra fideles maculam contrarijs facinoribus eluere velle videbatur Cantacuzenus. Cui Pontifex, gratiam in præsenti seculo, quæ ad gloriam futuram perduceret precatus, rescripsit pridie kal. iunij nullos adhuc missos tum ob grauissimam incumbentium rerum molem, tum ob intempestiuam celeberrimorum virorum, quos primum legarat, mortem: tantæ vero rei daturum se operam; atque ad coniunctionem ecclesiæ orientalis cum Romana redintegrãdam est iliũ adhortatus. Hic addemus Regis Cyprij filios e paterno regno discedentes magno mœrore Hugonem affecisse, quem ea ratione delinire studet id. septemb. Pontifex [a] ipsos lustrandi orbis cupiditate aufugisse, ac si ad sedem Apostolicam diuerterint, pontificia solitudine ad Cyprum reuocatum iri.

Græci de fœdere in Turcas cũ Pont. agitant.

a To 8. ep. secr. pag. 61.

IESV CHRISTI
annus 1350.

CLEM. PP.VI. 9. CAROLI IV. ROM. REGIS 5. IO.PAL. 10. & IO.CAN.4. IMPP.OR.

1 AFfulsit lętus pijs annus a virgineo partu quinquagesimus supra millesimum trecentesimõ indictione tertia ex apostolica Clementis VI. Papæ constitutione iubileus, quo maximi ex omni Christiani orbis parte concursus hominum vtriusque sexus facti: de quibus accuratissime præ cæteris auctoribus, quos recensere omisimus, Matthæus Villanus, qui tum temporis scribebat, refert [b], Christi fideles amplissimæ peccatorum veniæ, quam summus Dei vicarius dabat, consequendæ cupiditate permotos incredibili alacritate sacrum iter, periculis omnibus et incommodis posthabitis, aggressos tanto numero confluxisse Romam, vt communi consensu existimatum sit, festo Domini natalitio superioris anni, et quadragesima ac sacro dominicæ resurrectioni die decies circiter ad duodecies centena peregrinorum millia continuo euntium ac redeuntium in Vrbe esse versata: sacro ascensionis dominicæ et pentecostes tempore vltra octies centena millia: adulta æstate numerum imminutum, haud tamen adeo, vt ad ducenta millia quotidie conspecta non sint. De pietatis sensu, quo fideles erant inlustrandis sacris Vrbis locis delibuti, hæc habet Petrarcha [c]: *Quam dulce est Christiano animo Vrbem cernere cæli instar in terris sacrosanctis martyrum neruis atque ossibus confertam, & veri testium pretiosa cæde respersam. Videre venerandam populis Saluatoris imaginem, & in saxo durissimo æternum gentibus adoranda vestigia, vbi ad literam luce clarius impletum cernitur illud Esaiæ [d]: Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Circumire sanctorum tumulos, vagari per Apostolorum atria melioribus iam curis comitibus.*

b Matth. Vill.l.1.c. 58.

Populorũ ad limina Apost cõcurrentiũ incredibilis numerus.

c Petr.l.2. ep fam 9.

Quo pietatis sensu fideles in lustrãda Vrbe celibuti.

d Isa. 60.

Sudariũ Domini dominicis ac diebus festis solẽnibus populo ostendi consueuisse in basilica Vat. subdit Mattheus Villanus: confertam antẽ adeo visendi studio fuisse multitudinẽ, vt nonnulli elisi pre turba extinctiq; reperti sit. Quæ res etiã ab Henri-

Veronica illis fiegi. lis feltis ostensa.

eo Rebdorfio, qui aderat, confirmatur a: *In dominica*, inquit, *passionis Domini, qua canitur, Iudica me, primo ostensum fuit sudarium Domini sine imago delata per Veronicam: & tunc ex nimia pressura in ecclesia S. Petri, me prasente, multi sunt suffocati.* Plures sunt pontificiæ literæ b de Veronica nonnullis viris insignibus ostendenda: ad quam ornandam insigne munus nonnullos patritios Venetos obtulisse, refert Card. Baronius his verbis c: *Tres nobiles Veneti accedentes ad limina Apostolorum attulerunt pro ornatu sancti sudarij vultus tabulam crystallinam auro argentoque ornatam, locandam ante ipsum, prout habetur in appendice ad librum martyrology S. Petri basilica sub septimo idus maij.*

a Rebdorf. in annal.
Aliqui pre turba elisi
b Te. 9 ep. secr. pag. 97. 113. 118. 131.
c Baron. in not. M. S. ad hunc ann.
Nobilium Venetorũ sacrum munus.
d Matth. Vill. super c. 56.

2 His addit Villanus d, remisso æstu auctum peregrinorum numerum: ac tum præcipue transalpinos plures nobilitate generis conspicuos vtriusque sexus concurrisse, inter quos Mariam e Flandria matrem Guidonis Cardinalis Boloniæ comitissam, tum Insularum Fuxique comitissas, marchionissam Montisferrati, vicecomitem Catamagni, Elnensem episcopum, ac plures alios spectatæ dignitatis, pontificiæ testantur literæ e. Eodem anno adulto Ludouicum Vngariæ Regem Vrbis basilicas lustrasse, refert Bonfinius f multiq; Reges alij & principes sacra Romana loca adituros professi sunt, ni rerum publicarum mole distinerentur, ijdemque a Pontifice flagitarunt, vt ipsos eius beneficij participes remisso peregrinationis imperio, efficeret. E quibus Hugo Cypri Rex, cum Perciualli e Rhegio oratoris opera id eblandiri niteretur, hoc responsum accepit. g

e Te. 8. ep. secr. pag. 298. & to. 9. ep. secr. pag. 113. 158. 331.
f Bonfin. dec. 2. l. 10
g To. 9. ep. secr. pag. 78.

Clemens, &c. Hugoni Regi Cypri illustri.

Scire te volumus, charissime fili, quod licet te inter cæteros catholicos principes orbis terræ geramus in visceribus charitatis, & vota tua fauoribus apostolicis prosequamur; in indulgentia tamen præsenti anno quinquagesimo iubileo, principis Apostolorum & beati Pauli basilicas, & Lateranensem ecclesiam de Vrbe visitantibus concessam per nos pro salute fidelium animarum; pro qua concedenda tibi remanenti in regno tuo Perciuallus idem deuote ac simpliciter cum omni diligentia & solicitudine institit, multas rationes & causas, quare id fieri deberet, adducens; tuæ non possumus annuere voluntati. Licet enim plures alij principes, sicut tu etiam, id deuote petierint, venerabiles fratres nostri, attendentes quod indulgentia ipsa, sicut pro ipsarum animarum salute, sic pro honore * ac veneratione concessa est, consentire quod daretur alicui, nisi easdem basilicas & ecclesiam visitarent, nullatenus voluerunt. Sed credimus, quod cito inuenietur via, per quam tu & consideratione tui tui subditi poteritis eandem indulgentiam consequi, duce Deo. *Dat. Auin. xix. kal. septembris anno* 11. Potitum proximo anno Hugonem eo beneficio putamus, quo plures principes, interque alios Eduardum Angliæ Regem eiusque filium Henricum ducem Lancastriæ, tum Isabellam & Philippam Angliæ Elisabethamque Vngariæ Reginas, pluresque alios affectos reperimus h: quin etiam Ioanni archiepiscopo Brundusino internuntio apostolico in Sicilia eam datam auctoritatem, vt triginta fideles iubilei munere donaret hac lege i addita, si adeundæ vrbis ad veneranda sacra loca desiderium concepissent, nec iustis districti impedimentis implere potuissent, tum auri vim in itineris vniuersi sumptibus collocandam numerarent, quæ in pios vsus amplificationemque fidei ex pontificia voluntate vertenda esset. At consecutis temporibus abolita est omnis ex ea re quæstus suspicio, nec recurrente iubilei celebritate Pontifices aliena corradere, sed sua profundere consueuerunt.

Expetita a principibus iubilei gratia.
* sanctorum
h To. 9. ep. secr. 197. 249. 273.
i Ib. ep. 249.

3 Eluxit piorum liberalitas in sacra stipe ecclesijs conferenda a, quæ ad earum ornatum deriuata est; atque etiam sacris munusculis altari B. Petri imponendis, de quibus cũ postea lis oborta esset inter aræ ornandę prælectum & canonicos eiusdem basilicę, ea ab Innocentio VI. hoc decreto dirempta est b: *Volumus & etiam ordinamus, quod dicti archiepresbyter & capitulum ad restituendum vlterius aliquid dicta camera de perceptis per eos in anno iubileo pradicta minime teneantur. Praterea si qua vasa, si qua ornamenta vel indumenta ecclesiastica super ipsum sacrum ac venerabile principis Apostolorum maius altare de catero offerri contigerit ad cultum Dei diuinis officijs & ministerijs necessaria, ad instar B. Leonis Papa IX. pradecessoris nostri ea omnia eidem basilica volumus ibi perpetuum permansura in vsum & salarium ibi Deo & dicto Apostolorum principi seruientium & seruiturorum; reliqua vero vasa, ornamenta, ac indumenta, dictis officijs & ministerijs non necessaria, nec non & totum aurum & argentum non monetata nec laborata & in massa existentia, qua super pradicto maiori altari fuerint oblata, altararius eiusdem basilica, qui pro tempore fuerit, nostro & camera nostra nomine recipiat & conseruet: reliqua vero oblationes, qua in eodem maiori altari in pecunia & rebus alijs, praterquam in superius expressis, fieret pro tempore, per ipsum altararium & quatuor annales dictorum capituli camerarios, per ipsos capitulum secundum formam statutorum ipsius basilica ordinatos, in loco tuto more solito communiter reponantur, certis modo & temporibus, prout sequitur, diuidenda: videlicet, quod de ipsis reliquis oblationibus, qua in dicto maiori altari pro tempore fuerint, quinque dumtaxat vicibus partitiones seu diuisiones & monetarum electiones singulis annis fiant, nisi necessitas immineret, quarum prima in dominica prima post octauam epiphania, secunda in sabbato ante dominicam de passione, tertia vero feria secunda vel tertia post pascha, quarta in crastino ascensionis Domini, & quinta in crastino dedicationis basilicarum beatorum Petri & Pauli, fiant.* Et infra.

a To. 8. ep. secr. pag. 210. 212.
De sacra stipe a fidelibus collata.
b Innoc. VI. apud Vat. VI. l. 2. papyrac. pag. 266.
Et muneribus altari S. Petri impositis.
Vt ea sint diuidenda.

Ad hac volumus & etiam ordinamus, quod decimam partem ipsarum omnium reliquarum oblationum, qua in pecunia & rebus alijs, praterquam in vasis, indumentis, ornamentis, auro & argento non monetatis, non laboratis, & in massa consistentibus, vt pramittitur, fieret de catero in maiori altari pradicto; qua quidem decima ipsis archiepresbytero & capitulo ex priuilegio deberi pro luminaribus & fabrica dicta basilica dicebatur, deinceps pro iuribus canonicalibus per se vel dictos eorum camerarios temporibus, quibus diuisiones ipsa fieri debent de toto ipsarum oblationum sic diuidendarum cumulo vel aceruo, archipresbyter & capitulum recipiant antedicti. Ac etiam volumus, quod tempore partitionis seu diuisionis huiusmodi, secunda vel tertia feria post pascha vt pramittitur facienda, prius quam ad diuisionem deueniatur eandem, prouisio seu pecuniaria onerum refusio, qua in duodecim integris & in totidem medijs stationibus, ac in fontium & palliorum benedictione, nec non in cathedra B. Petri portione, & quibusdam alijs ad diuinum cultum pertinentibus, in ipsa basilica fieri consuetis, archipresbyter & capitulum pradicti de

Decima auri argentique facti factæ certo addicenda.

de præfato maiori altari recipere consueuerunt, recipiatur per supradictos capituli camerarios, de toto ipso cumulo vel aceruo eisdem archipresbytero & capitulo assignanda, &c. Dat. Auin. 11. id. ianuarij pontificatus nostri anno iv. Ex his constat quanto antiquitus populi Christiani erga principem Apostolorum studio pietatis essent delibuti. Ex eadem vero sacra stipe conduci milites etiam iusserat Clemens a, vt peregrinorum incolumitati & commodis prospiceret. Cæterum præfecerat idem Pontifex Vrbi Anibaldum Cardinalem legatum, vt publicæ quieti, & peregrinorum commodis consuleret: verum cum is numerum dierum ad lustrandas basilicas antea præscriptum ex pontificio diplomate imminueret, quod nõ modo ob plurium difficultatea, sed etiã quod Vrbs peregrinis continendis impar esset, necessitas posceret, vt Nicolai Laurentij vitæ auctor refert b, ipsum nonnulli auari Romani probris, ac familiam verberibus vulneribusque affecerunt.

a To. 8. ep. secr. pag. 166.

Anibald⁹ Card. in Vrbe legatus.

b Vit. Nic. Laur. c. 37

4 Adijt etiam idem Cardinalis graue discrimen, dum e Vaticana basilica ad sacrum S. Pauli templum pergebat, immissis in eum ex insidijs duabus sagittis, quarum altera eius pileum transfixit. Cuius sceleris auctores comperiri nunquam potuere: inuidia tamen Nicolao Laurentio adhæsit, ipsum eiusmodi comparasse insidias, vt sublato e medio legato, tyrannidem Vrbis tribunitiæ dignitatis specie inuaderet, adeo vt Anibaldus aduersus ipsum censurarum ecclesiasticarum gladiũ distrinxerit: de quibus pluribus Vaticanus codex c veteri sermone Italico, ac recenti charactere exscriptus, quem præ manibus habui. Et quidem nefarium ac turbulentum hominem Romanos sui studiosos trahere ad defectionem meditatum, pluresque peruertisse, ostendunt Clementis Papæ ad Anibaldum literæ d, quibus illorum conatus infringi iubet: adeo enim ad rebellionem erant Romani comparati, vt amplissimi lucri tantum causa, quod annus iubileus afferebat, scelere abstinerent.

Petitus insidijs.

c M.S. bibl. Vat. sign. n. 5521.

Romani a Nicolao Laurẽtio corrupti.

d To. 9. ep. secr. pag. 26.

Anibaldo episcopo Tusculano A. S. L.

Vidimus quæ super facto illius pestilentis hominis Nicolai Laurentij ciuis Romani missę nobis tuæ literæ continebant: & iam ante relatum nobis a fidedignis extiterat, quod dilecti filij populus Romanus adherere ei denuo dicuntur quadam cœca nimis & præcipiti voluntate, quodque iam reassumpsissent eundem, nisi anni huius salutari tempori non pro salutis obtentu, sed captandi lucri gratia detulissent. Et ideo studij tui sit, propositum dictorum populi circa hoc modis omnibus impedire, ne fiant nouissima hominis illius, per quem venerunt non solum scandalum, sed scandala plurima, peiora prioribus, si (quod auertat Dominus) reascendat: scimus enim, argumentum ex præteritis suis actibus colligentes, quod quamquam ipse ad redintegrationem eius multa promitteret, tandem sibi arridente fortuna pauca vel nulla seruaret, sicut est homo raræ fidei, & constantiæ rarioris. *Dat. Auin. iv. id. iunij anno ix.* Anibaldus porro nefarium hominem legibus & iure iudiciario, vt testantur pontificiæ literæ e, insectatus, ipsum vertere solum coegit: Nicolaus enim ad explorandas nouas artes simulato cultu mense iulio in Germaniam contendit, sed mox astutus vir in astutia sua comprehensus; de quo Clementis vitæ scriptor f: *Tandem, inquit, post multa fatua, quæ gessit, alienum habitum induens dictis*, Caroli nimirum, *Romanorum Regis, curiam adijt, ipsius statum & animum scrutaturus. Sed cognitus, captus, atque eidem Regi præsentatus.* A quibus non discrepant, quæ in Nicolai gestis a leguntur, clam in Boemiam ad Carolum se contulisse, versatumque Pragæ aliquandiu, & honorificæ datum custodiæ.

Plures ex ijs quæstui magis, quã officio addicti.

Nicolaus Laurent. in Germaniam abit.

e To. 8. ep. secr. pag. 21.

f Gesta Clem. VI. apud Bosq.

Conijcitur in vincula a Carolo Rege

a Vit. Nic. Laur. c. 16 & c. 19.

5 Mancipatum vinculis deterrimum impostorem, iactantemque se Henrici Imperatoris ex spurio nepotem, Carolus Ernesto archiepiscopo Pragensi tradidit: licet enim ob dictam ipsi de gesto imperio diem læsæ maiestatis lege postulari posset; ob impactam tamen reo hæresim Bertrandi & Anibaldi Cardinalium Apostolicę sedis legatorum edictis illum ecclesiastico iudicio reseruandum censuit. Qua accepta re, Pontifex Carolo Regi de victo ecclesiæ hoste actis gratijs, de legibus iudiciario ordine in eum exercendis, conuincendoque hæreseos vel adducendo ad sedem Apostolicam, hæc scripsit b.

b To. 9. ep. secr. pag. 22.

Clemens, &c. Carolo Regi Romanorum illustri.

Omnipotenti Deo gratias agimus, quod ipse intumescentes fluctus aduersus ecclesiam suam sanctam, quam solus ipse fundauit & rexit, comprimens tempestiue, illum filium belial nequitię patrem Nicolaum Laurentij ciuem Romanum, perniciosum vtique ac nociuum (qui contra eandem ecclesiam & fidem catholicam, sed contra se potius erronea multa procaci lingua imprudenter euomens, per venerabilis fratris nostri Bertrandi Sabinensis, tunc tit. S. Marci presbyteri Cardinalis & bonæ memoriæ Anibaldi Tusculanensis episcoporum, tunc sedis Apostolicæ legatorum sententias, quæ nulla prorsus appellatione suspensæ in iudicatam rem transiuerunt, de hæresi meruit condemnari) in manibus tuis miraculose conclusit. Sed & serenitatem tuam, quæ illum detineri, ac tandem venerabili fratri nostro Ernesto archiepiscopo Pragensi assignari mandauit & fecit, eo vberioribus prosequimur actionibus gratiarum, eoque attollimus laudis præconio potiori, quo deuotio, qua nos & eandem reuereris ecclesiam, in hoc sincerior puriorque resplenduit, quoue Creatori tuo, per quem viuis & regnas, ac nobis & eidem ecclesiæ maius & gratius acceptiusque obsequium præstitisti. Cum autem præfato archiepiscopo per alias nostras literas iniungamus, vt eundem Nicolaum ad nos sub fida & tuta custodia mittere, vel ipsum caute custodire procuret, nobisque indilate rescribat quidquid egerit in præmissis, vt vel pro illo huc perducendo secure mittamus aliquos, vel eidem archiepiscopo destinemus articulos, super quibus contra Nicolaum inquisitionem formet & faciat antefatum, serenitatem tuam attente ac affectuose precamur, quatenus eidem archiepiscopo super præmissis sic tuum impartiaris auxilium & fauorem, quod idem filius belial nullius fraudis astutia, vel alia via qualibet libertatis beneficium consequatur. *Dat. Auin. xvi. kal. sept. anno ix.* Carolum vero morem gessisse Pontifici, ex historicis colligitur, e quibus Clementis vitæ scriptor hæc monumentis mandauit c: *Demum ad Auinionem eum Papa transmisit, vbi diutius incarceratus permansit.* Vt vero Nicolaus postulatus crimine hæreseos, quamuis a duobus Cardinalibus legatis damnatus, illud deterserit, euaseritque e carcere, ac demum necatus exustusque fuerit, suis locis dicetur. Nunc de alijs tyrannis, qui pontificiam ditionem laniarunt ob intempestiuas Clementis in Auenionensi secessu moras, illiusque euras admodum exercuerunt, dicamus.

Actæ illi a Clemente gratiæ.

Postulatũ, vt ad sedẽ Apost. vinctus mittatur.

Paritum Pontifici.

c Gesta Clem. VI. apud Bosq.

Ditio ecclesiastica discissa.

6 Extulisse hoc anno in Pontificem perduellionis signa plures ditionis ecclesiasticæ proceres, & iniustos principatus condidisse, describit inter plures alios M. S. Vaticani auctor his verbis a: *Huius tempore fere omnes ciuitates, terræ, & castra patrimonij S. Petri, marchia Anconitana, & Romandiola se rebellauerunt sedi Apostolicæ, & ipsius in illis partibus rectoribus & officialibus. Omnes deuenerunt in manibus tyrannorum: videlicet patrimonium in manus Ioannis de Vico præfecti Viterbij: marchia in manibus dominorum de Malatesta & Galiotti de Arimino, Nolfij, atque Gallasij, atque suorum fratrum; nepotis comitis Conradi de Montefeltro, domini Alogiti de Fabriano, nepotum Burgarutij de Matelica, Ysmidacij de S. Seuerino, nepotum domini Gentilis de Varano: nepotum Mapelli de Montemilleno, nepotum domini Pagitis de Cingulo: Nicolai de Boseareto, filiorum domini Raimundi de Esio, Peloni de Ayofredi de Macerata, Gentilis de Molsano, & quamplurium aliorum tyrannunculorum. Romandiola vero in manibus prædictorum Malatesta, Francisci* Sinibaldi capitanei Forolinij, domini Ioannis de Manfredis de Fauentia, Bernardini de Polenta: quas prouincias prædicti tyranni cum alijs ipsorum sequacibus occupatas tenuerunt per tempora, ipso Papa viuente.*

a M. S. bib. Vat. sign. n. 2040. pag. 51.

Præcipuorum tyrannorum nomina.

* Ordelaffi

Emicuere inter alios flagitio Ioannes & Guillelmus Ricciardi Manfredianæ familiæ spurij, qui ad defectionem Fauentinos traxere, de quibus queritur Clemens in literis ad Italiæ principes ac populos de ijs comprimendis deprecatorijs b: *Ad vestram*, inquit, *iam credimus peruenisse notitiam, qualiter Ioannes & Guillelmus Ricciardi de Manfredis milites Fauentinenses, debita fidelitatis obliti ac immemores beneficiorum a Romana ecclesia perceptorum, ciuitatem nostram Fauentinam, officialibus & gentibus nostris abinde ignominiose deiectis, proditione occuparunt & detinent occupatam, ut quibus ex naturæ vitio & pudore originis purificari non poterant, possent per tyrannidem dominari. Dat. Auin. IV. non. martij anno VIII.* Captarant illi rebellandi occasionem c ex Astorgij Durofortij præsidis Flaminiæ absentia: quos cum reuersus e Gallijs, contracto exercitu, redigere ad officium anniteretur, Ioannes & Iacobus Pepuli Bononiensis fisci præfecti ad constabiliendam tyrannidem Ioanni & Guillelmo Manfredianis se adiunxere. Quorum detectas fraudes, ac Ioannem Pepulum (dum exercitus pontificij, qui apud Salarolum castra erat metatus, milites auro promissisq; subornare studebat) comprehensum, describit Clemens in literis ad Perusinos datis, quos ad tutandas ecclesiæ partes hortabatur d. Mancipato custodiæ Pepulo, Astorgius omissa Fauentia, quæ tuta munitionibus, præsidioque firmata erat valido, Bononiam versus signa extulit, vt trepidantem Iacobum Pepulum tyrannide depelleret. Cum Ioannes archiepiscopus Mediolanensis, proferendæ tyrannidis ambitione incensus, subijciendæ sibi Bononiæ spe rebellionem in Apostolicam sedem est meditatus, quamuis rogatus a Clemente e, ne copias e castris pontificijs reuocaret, neue vllas cum Pepulis coitiones iungeret; ad obterendos enim rebelles a se Caroli Romanorum & Boemorum Regis auxilia imploratum iri f; de quo etiam Opizo Atestinus marchio monitus est, g

b To. 8. ep. secr. pag. 169.

Fauentia a Manfredianis occupata.

c Matth. Vill. l. 1. c. 51. & 55.

Pepuli Bononienses illis fœdere coniuncti.

d To. 9. ep. secr. pag. 61.

Mediolan. archiep. Bononiā affectat.

e To. 9. ep. secr. pag. 150.

f Ib. pag. 60.

g Ib. pag. 57.

Pontificia imperia, ac Romanorum Regis potentiam spreuit Ioannes archiepiscopus, vtque facinus coloraret, Astorgio Durofortio proditionis crimen ob vinctum Ioannem Pepulum impegit a, bellumque ni restitueret libertati, illi denuntiauit. Potuisset Astorgius Bononiam ad ecclesiæ ditionem reuocare, si castra ad vrbem promouisset: sed dum cunctatur, Ioannes illius conatus anteuertit, submissis trecentis equitibus b: neque ita multo post Malatesta Ariminensis, & Vvarnerus Sueuus cum quingentis militibus fluctuantem vrbem, an rediret ad obsequium, in rebellione confirmarunt.

a Matth. Vill. l. 1. c. 63.

Eam in rebellione confirmat.

b Ib. c. 64.

7 Audita archiepiscopi inuasione, Pontifex legibus & armis in eum agere constituit c: vtque iudiciario iure reprimeret, grauissima in ipsum edicta tulit d, in quibus vniuersa eiusdem scelera percensuit e, vt nimirum olim hæresi ac schismate infectus fuerit adeo, vt etiam anticardinalem Petri e Corbaria pseudopontificis se gesserit, ac tanto flagitio venia deleto a Ioanne XXII. admissus in gratiam creatusque episcopus Nouariensis, ac deinde ab Clemente ipso ad archiepiscopatum Mediolanensem traductus iniurias pro beneficijs rependerit, & Bononiam iniustæ venditionis specie occuparit: in Galeatium, Bernabonem, & Maffeolum Stephani Vicecomitis filios vetera Ioannis Papæ edicta renouata: quin etiam vna cum ijs Ioannem & Iacobum Pepulos, qui fisci pontificij præfectorum nomine apostolica indulgentia rem Bononiensem administrarant, atque insigni scelere eandem vrbem vendiderant, censuris defixit f. Quæ edicta archiepiscopis & episcopis XII. kal. decembris diuulganda misit. Consentiunt his quæ Baronius in M. S. notis ad hunc annum apposuit g: *Hoc*, inquit, *anno nono pontificatus Clemens VI. monuit per publicas bullas Ioannem archiepiscopum Mediolanensem & Galeatium nepotem suum ad dimittendam ciuitatem Bononiæ, quam occuparāt, arguens eosdem de maxima ingratitudine aduersus ecclesiam: iussitque illas bullas affigi in valuis ecclesiæ Auinionensis. Hæc in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Delibauimus nos ex eodem priuilegiorum libro h potiorem eorum publicorum monumentorum partem, quam afferendam duximus.

c To. 9. ep. secr. 161.

d Matth. Vill. l. 1. c. 76.

e Ibid.

Distringere in eum iudiciorū seueritatē parat Pōt.

f To. 9. ep. secr. pag. 161.

g Baron. in not. M. S.

Clemens, &c. ad futuram rei memoriam.

Ioannes archiepiscopus Mediolanensis, quem venerabilem fratrem non decet nos propter eius demerita nominare, Deum non timens, nec homines reuerens, pœnas & sententias [nimirum Ioannis XXII. aduersus pontificiarum vrbium inuasores latas] in huiusmodi contentas processibus, vt declarant sequentia, non est veritus incurrere, & plures in præcipitium secum trahens, diuersis aliarum pœnarum laqueis se periculose nimium irretire. Cum enim propter extorsiones & tyrannides, & multa alia enormia, quæ Iacobus & Ioannes de Pepulis ciues Bononienses (quibus administrationem Iurium Fiscalium in ciuitate, comitatu, & districtu Bononiensibus, ad nos & ecclesiam eandem spectantibus, ad tempus modicum duxeramus sub certis pactis & conuentionibus committendam) contra pacta & conuentiones huiusmodi temere venientes, in eisdem ciuitate, comitatu, & districtu in ecclesiæ prædictæ & subditorum nostrorum intolerabile præiudicium exercebant nos administrationem eorum reprobam, & perniciosum abusum, per quos ciuitatem præfatam cum suo districtu ad exterminium quodāmodo deducebant, tolerare salua conscientia vlterius non valentes, cū ciuitatem ipsam pro bono subditorum ipsorum statu vellemus ad manum nostram reducere, & per alios officiales nostros in statu pacifico, & cultu iustitiæ sub-

Pronuntiatum in eum edictum.

h Lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 393. extat etiam in arc. S. Ang. & inter coll. Plat. to. 3. pag. 48. Plat.

Vt Pepulos contra fas defendendos susceperit.

Obstiterit ne Bononia pontificio imperio restitueretur.

ſublata omni tyrannide gubernare; præſati Iacobus & Ioannes, aſſumpto rebellionis ſpiritu, conati ſunt poſſeſſionem eiuſdem ciuitatis nobis interuertere, & ipſam contra voluntatem noſtram ſibi cum armorum potentia retinere.

8 Quorum iniquas operationes dilectus filius Aſtorgius de Duroforti miles, Romandiolæ rector adnertens, ad recuperationem ciuitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum, & ad reducendum ipſos ad manus noſtras, ſolicite laborauit. Et cum labor huiuſmodi optatum (dictis Iacobo & Ioanne reſiſtere non valentibus) iam ſortiretur effectum, & ciuitas ipſa ad manus reduci eccleſiæ veriſimiliter ſperaretur, præfatus archiepiſcopus per Romanam eccleſiam diuerſis honoribus & magnis dignitatibus exaltatus, conuertens in ingratitudinis vitium grandia beneficia quæ receperat ab eadem (quem præſtiti per eum eidem eccleſiæ fidelitatis iuramenti violatio proculdubio arguit infidelem) lac, quod ex matris ſuxerat vberibus, in maternam ſic opprobrioſe euomuit offenſam, quod vbi eccleſiam prædictam ad recuperationem ciuitatis eiuſdem iuuare debuerat, & eidem rectori pro eccleſia circa hoc aſſiſtere auxilijs opportunis; aduerſarijs rebellibus ipſius potenter & patenter adhæſit: &, miſſa per eum dictis Iacobo & Ioanni ad eorum defendendam & ſuſtinendam rebellionem & eccleſiæ prædictæ offenſionem magna multitudine armatorum, recuperationem, reductionem, & aſſecutionem ciuitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum ex huiuſmodi auxilio & fraudulento conſilio impediuit. Cumque prædictis ad notitiam noſtram deductis, frequenter archiepiſcopo ſcripſiſſemus eidem, ipſum ſalutaribus monitis & paternis exhortationibus inducendo, quod memor gratiarum & bonorum, quibus ſedes Apoſtolica ipſum fuerat proſecuta, & fidelitatis, qua eidem erat aſtrictus, gentem armigeram, quam Bononiam in dictorum Iacobi & Ioannis ſubſidium miſerat, reuocaret, nec ipſis in eccleſiæ prædictæ tam grande præiudicium daret conſilium, auxilium, vel fauorem; ipſe, velut aſpis ſurda, monita huiuſmodi auribus obturatis obaudiens, & pertinacia confirmata contemnens, non ſolum continuauit temerarie, & impudenter incœpta, ſed etiam ad deteriora ſuæ malitiæ telam, & profanos conatus extendere non expauens ipſe qui prius fautor & adiutor fuerat rebellium eccleſiæ ſæpeſatæ, poſtquam eidem ſcripſimus, patenter ipſius hoſtem ſe conſtituit principalem, ciuitatem prædictam cum eius diſtrictu, habitis cum dictis Iacobo & Ioanne illicitis commercijs, quaſi diuiſis ſibi eccleſiæ veſtimentis, per Galeacium de Vicecomitibus de Mediolano nepotem ſuum grandi ſtipatum exercitu tyrannidem occupando, quam adhuc retinere dignoſcitur occupatam.

Perduellibus ſubmiſerat auxilia.

Monitus officij in contumacia obduruerit.

9 Nec ſilentio præterimus, quod præfatus archiepiſcopus, vt cautius & opportunius virus intrinſecum euomeret, & iniquitatem quam prius conceperat parturiret, in curia Romana ambaxiatores tempore occupationis prædictæ ciuitatis habebat, qui cum aliquibus Cardinalibus, per nos ad eorum importunam inſtantiam deputatis, ſuper recuperatione & ſtatu ciuitatis noſtræ prædictæ nomine & de mandato præfati archiepiſcopi, vt miſſę nobis per eum literę credentię innuebant, tractatum habebant. Quo pendente, non ſine aliquali apud graues perſonas proditionis nota, non erubuit nequiter ad occupationem prorumpere ſupradictam, ſe per hęc & alia illicita in huiuſmodi occupatione pernicioſe commiſſa, & omnes & ſingulos, qui in pręddictis per ſe vel alium ſeu alios eidem archiepiſcopo pręſtiterunt conſilium, auxilium, vel fauorem publice vel occulte, pœnis & ſententijs per eundem prędeceſſorem aduerſus talia pręſumentes, vt pręmittitur, promulgatis damnabiliter inuoluendo.

Proditionis labem ſuſceperit.

Contraxerit cenſuras.

10 Et quamuis propter huiuſmodi occupationem dictę ciuitatis Bononienſis, & multa illicita ipſius ocupationis occaſione commiſſa (quę in diuinę maieſtatis offenſam, noſtrum & ipſius eccleſię graue damnum, & enorme pręiudicium, & contemptum, circumpoſitarum regionum periculum, exempli perniciē, & multorum ſcandalum cedere dignoſcuntur, cum ſic euidenter ſe exhibeant, & exiſtant notoria, quod nulla poſſunt tergiuerſatione celari, quam etiā occupationem nomine & de mādato ipſius archiepiſcopi factam fuiſſe, ipſe nobis per ſuas literas intimauit) nos ad declarationem & publicationem pœnarum & ſententiarum ſpiritualium & temporalium pręſcriptarum contra pręfatos archiepiſcopum & Galeacium, ac complices, auxiliatores, conſiliatores, & fautores eoſdem poſſemus procedere iuſtitia mediante; tamen de benignitate ſolita dictę ſedis expectare volentes, an dicti archiepiſcopus et Galeacius ad cor redeuntes ab huiuſmodi ſuis iniquitatibus reſipiſcant, et proinde agere mitius cum eiſdem; de fratrum noſtrorum conſilio archiepiſcopum et Galeacium et quoſcunque alios, ciuitatem noſtram pręddictam occupatam ſuo vel alieno nomine detinentes, ac eorum in hac parte complices, auxiliatores, conſiliatores, et fautores eoſdem, pręſente hac multitudine fidelium copioſa, requirimus et monemus, eis diſtrictius iniungentes, vt dicti archiepiſcopus et Galeacius, et quiuis alij occupatores ciuitatem pręddictam Bononienſem ac caſtra, villas et loca, comitatus et diſtrictus ciuitatis pręddictę occupata per ipſos, infra quadraginta dies a data pręſentium computandos, pure, libere, et ſimpliciter nobis, aut dicto rectori Romandiolę, ſeu alij vel alijs ab eo ſpecialiter deputato ſeu deputatis, noſtro et ipſius nomine plene, realiter, et integre, omni dolo et fraude ceſſante, cum effectu reddant, etc. [Addit imperia, vt liberam poſſeſſionem Bononię tradant, vt fœderati archiepiſcopi et Galeacij ab eorum ſocietate ſe ſubducant: ac ſi archiepiſcopus et Galeacius in pertinacia perſtiterint obfirmati, nec labente quadraginta dierum ſpatio Bononiam reſtituerint, ipſos ac flagitij participes anathemate, ditionem vero ipſorum interdicto eccleſiaſtico percellit. Pergit Clemens].

Tarda de eo expectata vindicta.

Illi ſocijſque intētata pœna, ni Bononiam reſtituat.

11 Et nihilominus pręddictos archiepiſcopum et Galeacium, ac omnes et ſingulos cuiuſcunque ſtatus, gradus, et conditionis exiſtant, qui vt pręddicitur, in occupatione pręddicta eiſdem archiepiſcopo et Galeacio dederunt auxilium, conſilium, vel fauorem, per hoc publicę citationis edictum, quem citandi modum ex certis et rationabilibus cauſis eligimus, peremptorie citamus, vt die vigeſima mēſis ianuarij proxime ſecuturi, quā eis pro peremptorio termino aſſignamus coram nobis perſonaliter comparere procurent, viſuri et audituri pręddictarum pœnarum et ſententiarum declarationem, in eiuſdem pręddeceſſoris proceſſibus, vt pręmittitur, contentarum, ac inflictionem et impoſitionem aliarum pœnarum, quas eis iuxta ipſorum demerita duxerimus

Indicta iudicij dies.

in-

imponendas, ac nobis et eidem ecclesię pro iniuriijs, offensis, et damnis illatis emendam et satisfactionem debitam pręstituri, & alias facturi et recepturi quod suadebit iustitia, & nobis videbitur expedire; aperte prędicentes eisdem, quod siue in prędicto termino venerint, siue non, nos ad declarationem & inflictionem sententiarum & pœnarum huiusmodi, & alias contra eos, non obstante eorum absentia, exigente iustitia procedemus, &c. [Monet Mediolanenses, Reginenses, Parmenses, Mantuanos, Nouarienses, Bergomenses, Placentinos, Astenses, Albenses, Terdonenses, Cremonenses, earumque vrbium magistratus, proceres & populos, ac pagorum oppidorumque circumiacentium, ne vllum auxilium Ioanni & Galeatio in retinenda Bononia conferant; atque anathema & interdictum non parituris intentat, contrariaue fœdera dissoluit; denique Pepulos his verbis in iudicium vocat].

Vetiti Insubres Vicecomitibus studere.

12 Quia præfati Iacobus & Ioannes de Pepulis, qui contra fidelitatem debitam & iuramenta per eos pręstita, dum eis huiusmodi administrationem commisimus, vt pręfertur, contra nos rebellionis spiritum assumpserunt, & (vt de perniciosis tractatibus & proditorijs actibus, quos cum inimicis eiusdem ecclesię contra nos & officiales nostros ipsos in Romandiola habuisse & exercuisse fidedigna habet relatio taceamus) occupationi prędictę causam principaliter pręstiterunt, ac castra aliqua comitatus & districtus prędictorum asseruntur iuxta conuentiones, illicite inter ipsos & pręfatum archiepiscopum habitas, in vsus proprios retinere, & per hoc in pœnas & sententias in prędictis contentas processibus & diuersas alias inciderunt, ad quarum declarationem & publicationem per eo, quod prędicta sunt notoria, quod nulla possent simulatione vel tergiuersatione celari, procedere possemus; attamen ad dictę sedis mansuetudinem solitam ostendendam, ac ipsorum malitiam conuincendam, per hoc publicum citationis edictum eosdem Iacobum & Ioannem peremptorie citamus, vt die vigesima mensis ianuarij proximo secuturi, quem eisdem pro termino peremptorio assignamus, coram nobis personaliter comparere procurent, visuri & audituri declarationem & publicationem pœnarum & sententiarum, in prędicti prędecessoris processibus cõtentarum.] Adiectis nonnullis, quibus iudicio ruiti intentatur seueritas, ac edictum pontificium publice affigendum decernitur, hæc temporis nota apposita est: *Actum & datum Auin. in palatio nostro apostolico XIII. kal. decembris pontificatus nostri anno IX.* Contempturus erat vir iniquus pontificia edicta, atque vis illius nisi vi frangi posse videbatur, quocirca Pontifex Ildebrandinum episcopum Patauinum Apostolicæ sedis legatum creauit, munusque ei iniunxit a, vt cum principibus Italis in Ioannem archiepiscopum Bononiæ inuasorem coitiones iniret, tum quos posset Insubres ad ecclesiæ partes traduceret: atque Andream Dandalum ducem Venetorum & alios principes Italos b, interque alios Opizonem Atestinum (cui Ferratiensis præfectura ad aliud decennium extracta, imposito decem millium aureorum vectigali annuo) ad patrocinium ecclesiæ suscipiendum concitare studuit. c

Pepuli etiam iudicio postulati.

Decretus in Italia pontificius internuntius.

a To. 9. ep. secr. pag. 180.
b Ib. pag. 181. 182. 183.
c Cle. VI. an. 9. ep. secr. 236.

13 Redijt hoc anno Ludouici Gonzagæ auspicijs Mantua ad ecclesiæ obsequium, a quo iam ante Ludouici Bauari partes secuta, pressaque Raynaldi Passarini tyrannide desciuerat: coacto enim in vrbis prætorio ordinum cœtu celeberrimo, ciues decreuere oratores ad Clementem, quos amplissimis mandatis ad petendam superioris ab ecclesia defectionis veniam, & censurarum, quibus erant impliciti, abrogationem; nec non ad apostolicam sententiam in controuersijs pontificij cæsareique iuris, quas Gibellina factio mouerat, excipiendam instruxere. Extant ea de re prolixiora acta Mantuæ edita a, quæ nos, prætermissis leuandi tædij gratia pluribus vocum repetitionibus & formulis, quas tabelliones solent inserere, delibauimus: quæ consentiunt pluribus documentis alias memoratis, ab alijs Italiæ populis nomen Cæsareum colentibus editis, reconditisque in molis Adrianæ tabulario & passim in tomo II. monumentorum, quæ Platina iussu Sixti IV. collegit, & in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ reperiuntur.

Mantuani ad ecclesiæ obsequium reuersi.

a Extant apud Innoc. 6. an. 1. l. 2. ep. diuers. fol. 421.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Generale consilium communis & populi ciuitatis Mantuanæ, & infra, *ordinauerunt sindicos & procuratores & nuntios speciales Azonem de Manzis de Regio legum doctorem, & Ioannem quondam Agbinolfi de Aretio ciuem Mantuanum ad se præsentandum coram sanctissimo in Christo patre & domino domino Clemente Papa VI. diuina prouidentia sacrosanctæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifice, & reuerendissimorum patrum dominorum Cardinalium sacro collegio ad petendum,* & infra, *reuocationem a quibuscumque sententijs, pœnis, & processibus tam a iure quam ab homine latis, positis, seu inflictis, quos vel quas ipsi constituentes incurrerunt pro eo & ex eo, quod cum quondam Passarenus de Benacolsis ab ecclesia de hæresi damnatus sua tyrannide subiugaret homines, populum, & ciuitatem prædictam & districtum, ipsi populus obediuerunt eidem ante damnationem prædictam & post; videlicet eius personæ, sed non eius hæresi, cum ante damnationem per viginti annos in dicta ciuitate tyrannizaret. Item pro eo & ex eo, quod dictus Passarenus gentes quondam damnati Ludouici de Bauaria receptauit, maxime dicto populo non valente resistere commode. Item pro eo & ex eo, quod dictus populus & vniuersitas eidem quondam Ludouico damnato paruerunt, auxilium eius personæ, sed non eius hæresi præstando, dum prope ciuitatem Mantuæ per quindecim milliaria Lombarda existeret cum eius exercitu copioso; maxime non valentes ei resistere commode.* Nonnullisque interiectis de excipiendis apostolicis imperijs, subditur.

Publica eorũ acta.

De Passarini partibus defensis veniã poscunt.

Et Ludouici Bauari receptis imperijs.

Item ad iurandum nomine & in animas prædictorum, quod ipsi constituentes & eorum quilibet credunt, quod ad Imperatorem non spectat Papam deponere & alium facere; sed hoc reputant erroneum & hæresim damnatam per ecclesiam, quam & ipsi constituentes & eorum quilibet, quantum in eis est, damnatam reputant omni iure diuino & humano. Item ad confitendum, quod vacante imperio dominus Papa habet administrationem, iurisdictionem, & regimen ipsius imperij vbique terrarum. Item ad iurandum nomine & in animas prædictorum, quod ipsi constituentes non erunt cum sequacibus olim Ludouici de Bauaria damnati, nec cum alijs hæreticis & schismaticis, nec cum sequacibus olim Petri de Corbaria, nec cum alijs quibuscumque per ecclesiam damnatis vel condemnandis; nec eis auxilium vel fauorem dabunt in futurum directe vel indirecte, publice vel occulte, donec reconciliati fuerint cum ecclesia: sed ecclesiæ ac eidem domino summo Pontifici et successoribus eius canonice intrantibus fideles erunt. Item ad promittendum nomi-

Marsilianam hæresim execrantur.

Vacantis imperij administrationem spectare ad Pont. agnoscũt.

mine et in animas prædictorum, quod ipsi non receptabunt in ciuitate Mantuæ, nec in eius comitatu vel districtu sequaces olim dicti Ludouici de Bauaria, vel aliquos alios, qui venient sub nomine Regis vel Imperatoris Roman. *vel alterius tituli, vel eorum altero sine mandato dicti domini summi* Pontificis *vel successorum eius canonice intrantium; vel nisi essent per sedem Apostolicam approbati et confirmati: nec pro eis vel eorum aliquo mittent, nec per se vel alios publice vel occulte eis vel eorum alicui præstabunt vel dabunt auxilium, consilium, vel fauorem: sed erunt, stabunt, & perseuerabunt in rebellione dictorum olim sequacium Ludouici prædicti & aliorum, qui venirent sub nomine Imperatoris vel* Regis *Romanorum, vel alterius tituli, vel eorum alteco, nisi ad mandatum sanctæ matris ecclesiæ & dicti domini summi Pontificis et successorum eius canonice intrantium, donec ad mandata sanctæ matris ecclesiæ venerint, vel per sedem Apostolicam approbati fuerint & confirmati. Item ad promittendum & iurandum nomine & in animas prædictorum, quod ipsi de terris, quæ eorum administrationi subijciuntur & in posterum subijcientur, vniuersos hæreticos ab ecclesia condemnatos & condemnandos pro viribus expellere & exterminare curabunt, &c.* Adduntur alia de pellendis ijs qui Petri Corbariæ vitio ad sacerdotia irrepserunt, colendis internuntijs apostolicis, pendendis mulctæ nomine duobus aureorum millibus, facienda bonorum iactura, si a promissis desciuerint. Quæ acta hac loci & temporis formula consignata sunt: *Actum in curtino ancianorum prædicti communis Mantuæ die veneris v. mensis octobris* MCCCL. *quinta indictione.*

Spondent Cæsarem nõnisi cõfirmatum a sede Ap. agnituros.

Eiecturos suis finibus hæreticos.

Fretus his mandatis Mantuanorum ac Ludouici Gonzagæ principis orator Ioannes Aghinolfus coram Clemente & Cardinalium cœtu superiora omnia sacramento professus est a, & Clemens XVII. kal. decembris pontificatus anno vndecimo Mantuanos censuris omnibus liberauit ea lege, vt ad crimina expianda sacellum conderent, quod triginta aureorum annuo vectigali & necessario sacro ornatu locupletarent, vt in eo sacerdos sacris operaturus Deum placaret: de quibus cum ob præcipitem Clementis obitum diploma confectum non fuisset, Innocentius a prædecessore gesta confirmauit, & Mantuanos sedis Apostolicæ gratiæ restitutos promulgauit edito diplomate his verbis consignato. *Datum Auin. kal. martij pontificatus nostri anno* 1. Quæ licet discreta sint temporibus, in hunc annum, quo geri cœpta congerenda visa sunt, ne eadem repetere cogeremur.

a In. super 421.

Imposita Mantuanis pœna.

13 Hoc anno verno tempore celebratum est Patauij a Guidone tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinale A. S. L. concilium; de quo Ioannes archiepiscopus Mediolanensis graues suspiciones suscepit b, ne ille Carolo Romanorũ Regi in Italiam munire viã pararet, cum Carolus in Italiam ad recuperanda Imperij iura ingressum adornare, vt pluribus sparserat literis, videretur: metuebat vero Ioannes, ne a Carolo principatu Mediolanensi, quem ipsius pater ac fratres dissensionis ecclesiam inter ac Ludouicum Bauarum occasione inuaserant, depelleretur: seque ad tuendum illum munire armis constituit. Non leues etiam de eodem Carolo Rege suspiciones aduersas Pontifex concepit, cum nonnullos ecclesiæ subditos clientes imperij appellasset: præterea ingratum illi extiterat, Carolum Ludouico duci Bauariæ eidemque marchioni Brandeburgensi, antequam censuris apostolicis solueretur, beneficiario iure terras, quas vi obtinebat, contulisse: ad id vero politica ars Carolum adegerat, vt se e grauissimo bello explicaret, de quo superiori anno egimus. Denique cum Carolus sedem Apostolicam de sua in Italiam expeditione certiorem non fecisset, Clemens Guidonem Cardinalem quidquam in synodo Patauina decernere vetuit, præter illa, quæ ad diuina spectarent.

Concilium a Guid. Card. Patauij celebratum.

b To. 8. ep. secr. pag. 208.

14 De celebrata a Guidone Cardinale synodo meminit Cortusiorum a historia his verbis: *Mense madij reuersus Paduam*, ex Romana nimirum peregrinatione, *de prælatis suæ legationis celebrauit concilium generale*. Quæ vero in eo statuta sint prætermittit: sed illa ad perpoliendos cleri populique mores, ac splendorem religionis tuendum spectasse, colligitur e pontificijs literis. Ante hos episcoporum cœtus alios etiam coactos ad sacra B. Antonij Vlyssipponensis lipsana in locum honorificentiorem solemni pompa transferenda, meminit eadem historia hisce verbis b: *Corpus B. Antonij confessoris translatum fuit die* XIV. *februarij. Tunc supra arcam eius dominus legatus missam celebrauit, præsentibus domino patriarcha Aquileiensi, archiepiscopo Iadræ, Aldrouandino episcopo Paduæ, episcopo Veronæ, & multis alijs episcopis & prælatis*. Editas ad sepulchrum eiusdem viri sancti plures cælestes virtutes, meminit eadem historia, & ante annos quatuor narratum hoc miraculum refert c: *Quidam*, inquit, *nobilis Vicentinus, qui propter fracturã cruris claudicabat, & dolores sæpissime sustinebat, nec poterat liberari, in somnio admonitus corpus B. Antonij Paduæ solemniter visitauit; qui pristinam obtinuit sanitatem*. Paucisque interiectis subdit: *Per B. Antonium Paduæ fiunt multa miracula, quibus visis, multæ peccatrices ad pœnitentiam sunt conuersæ.*

a Cortus. hist. l. 10. c. 1.

b Eod. cap. Translatio reliquiarum B. Antonij.

c Lib. 9. c. 8. ad ann. 1346.

Cælestes virtutes editæ ad eius sepulchrũ.

15 Hoc autem ipso anno post memoratæ translationis celebritatem, in quodam Poloni principis, qui Romam pietatis ergo profecturus Patauium accesserat, familiari insigne miraculum editum est: cum enim is scommate B. Antonium perstrinxisset, mox diuina vltione percussus est, ac resipiscens pristinæ valetudini restitutus d: *Cum*, inquit, *dux Poloniæ esset Paduæ* Romam *iturus, ante voluit beatorum Prosdocimi & Iustinæ limina visitare. Hic miratus pulchritudinem templi B. Antonij confessoris, postulans didicit esse templum patris vrbis. Quidam vero socius ducis deridendo sanctum: Est ne ille Antonius, cuius nomine porci portant campanella? Qui statim* Dei *iudicio iudicatur: nam manus cum brachio debilitatur in tantum, quam in prolatione verbi ostendit contra templum, cuius os extenditur vsque ad aurem. Dux miratur tunc prodigij: quærit causam. Filius ducis refert facti seriem. Dum dux mente agitat quid agat, cælestis lumine illustratus ait: Ille eius precibus imploretur, qui percussit. Qui statim peccatorem coram sepulchro B. Antonij confessoris personaliter præsentauit: qui effusis lachrymis orauit deuotissime; & in tantum, quod oratio B. Antonij transiuit in cælum, cuius precibus & amore prædictus nobilis a Deo pristinam rehabuit sanitatem. Dux miratur, & gaudet: cum eo tota ciuitas exultauit. Fit concursus ciuium, sanctus in orationibus & oblationibus collaudatur: cui honor in secula seculorum. Fuit hoc eodem anno*, nimirum MCCCL. *die* X. *aprilis.*

d Cortus. hist. l. 10. c. 2.

Diuina vltio in B. Antonium illudentem.

Vt eiusdẽ sancti precibus pristinæ fuerit valetudini redditus.

16 Agitatum etiam Patauij de ineunda inter Bertrandum patriarcham Aquileiensem & ducem

Go-

Goritiæ concordia sermonum interprete litisque arbitro Guidone Cardinale legato colloquium, referunt præter Cortusios a Villanus b, Rebdorfius c, & alijs; sed irrito exitu dissolutum, patriarcha nimirum ad iura ecclesiæ suo sanguine firmanda parato, comite vero ad augendum principatum anhelante. In quo conuentu singularis modestiæ & obseruantiæ in legatum apostolicum exemplo fulsisse Bertrandum, obseruat eius vitæ auctor d: *Quanta*, inquit, *humilitate ac mansuetudine venerandus princeps irradiauerit, loquantur legati de latere concilium Padua celebraturi: qui cum multis & varys lacesseretur iniurys, opprobrysque diuersis tanquam mitis siebat humiliter.* Commendat eundem vt virum probum & sapientem Cortusiorum historia e, additque cæsum ex insidijs: *Dominus patriarcha*, inquiunt, *equitauit Sacilum, iturus Vtinum, cum ducentis galeatis. Contra eum pugnauerunt eius rebelles cum gentibus de Goritia, & debellatus fuit dominus patriarcha. Capti fuerunt multi diuites & nobiles castellani, in quorum numero fuerunt Gerardus de Cucagna & Federicus de Sauorgnano. Ipse vero patriarcha captus fossus gladio a quadam de Villalta obyt statim. Fuit hoc* MCCCL. *die* VII. *mensis iuny.* Mirum est quod referunt f terram, quæ cruorem viri sancti hausit, nullius generis herbam posthac protulisse. Scripsit post eius mortem dum fulgebat miraculis, illius gesta g familiaris eiusdem patriarchæ capellanus, e quo nonnulla delibanda visa sunt, cum in eo integerrimi præsulis exemplar expressum sit: *Bertrandus*, inquit, *ex nobili genere ortundus de S. Genesio diœcesis Caturcensis, vtriusque iuris doctor, sacri palaty decem septem annis causarum auditor, continentissimæ vitæ, & sobrietatis eximiæ, magna solicitudinis & vigiliæ pro subditorum commodis noctes transibat insomnes: circa diuinum officium deuotus, ac fidelis minister erga sacra mysteria nullo labore poterat fatigari, potissime in ecclesiarum consecrationibus & ecclesiasticarum personarum ordinationibus; nefanda scelera Simonis & Iscariotis Iudæ nomine nuncupata semper abominando in consecrationibus & beneficiorum collationibus.* Et infra: *Ordinauit tempore suo circa septingentos sacerdotes, ad reliquos vero sacros & inferiores ordines duo millia & vltra: cultui diuino intentus, in ecclesiarum augmentationibus seriosus.* Interiectis nonnullis de ecclesijs sacris ornamentis locupletatis, aucto diuino cultu, instructis rebus necessarijs monasterijs, & muneribus in aras congestis, subdit de bellis ab eo pie gestis.

a Bod. cap. b Matth. Vill. l. 1. c. 87. c Rebdorf. in annal. d M. S. bib. Vallic.

Discussū irrito exitu colloquium.

e Gull. & Albrigot. Cort. hist. l. 10. c. 10.

Aquileien. patriarcha cæsus.

f Bonif. hist. Taruisi l. 10. g Extant M. S. in bibl. Vallic.

Illius patria virtutesque.

17 *Compellebatur frequenter pastor bonus pro ecclesiæ suæ iuribus recuperandis aut etiam conseruandis expeditiones bellicas instruere contra hostes, in quibus interdum in hebdomada sancta quadragesima constitutus, & ab ecclesia sua modicum elongatus per totam noctem velociter equitauit sub armis, nulla eum hostium formidine aut aeris intemperie retrahente, vt feria quinta in cœna Domini posset in sede sua conficere sanctum chrisma. Considerabat enim, quod spiritualia tanquam digniora & præcipua erant magis acceptabilia apud Deum; vnde quoscumque alios spirituales actus in illis sacratis diebus eum facere oportebat, eum mira deuotione & ædificatione atque consolatione populi exercebat. In illis quoque diebus, signanter circa pœnitentium reconciliationem curam solicitam cum omni diligentia impendebat: nam cum de sua diœcesi non solum Sclaui, sed etiam Theutonici & Latini de diuersis partibus illo sancto tempore Aquileiam properarent ad recipiendum pœnitentiæ remedium opportunum pro remouendis suorum grauaminibus peccatorum, prouidebat pastor solicitus, qui super gregem suum oculos non claudebat, de quodam fratre Prædicatore literato ac conscientiato viro trium supradictarum linguarum plenarie erudito, qui auctoritate ipsius audiebat huiusmodi pœnitentes, ac eis imponebat pœnitentias salutares: vnde illud quod per seipsum facere non valebat; per idoneos ministros exequi satagebat.*

Vt pro ecclesiæ iuribus bella susceperit.

Sacra summo studio administrarit.

18 Addit illum Cœlestinis monasterium, & sanctimonialibus ædes condidisse ac locupletasse: concilium prouinciale Aquileiæ celebrasse, atque in eo contra fœneratores, bonorum ecclesiasticorum inuasores, tum ad mores excolendos leges tulisse: annis pene singulis synodos coegisse: maximum pietatis ardorem in habendis sacris concionibus, pascendo grege, diuina re festis diebus peragenda, fundendis noctu precibus, macerando senili corpore, ducendis in templo concubia parasceues nocte vigilijs, explicuisse. De eleemosynis vero hæc addit: *Hic pater pauperum agnatos non ditauit, nec thesaurum ecclesiæ ad alienas partes transmisit: sed inter Christi pauperes suæ diœcesis, vt Laurentius diuisit, vt proprys oculis vidi, meisque manibus contrectaui. Quondam famis & penuriæ tempore duo millia pauperum singulis diebus alimonia refectione sustentabat: continuo autem tempore quotidianis diebus suis proprys manibus duodecim mendicantes ob honorem duodecim Apostolorum cibarys, quibus illa die vescebatur reficiebat; demum benedictione facta cum deuota comitiua potissime literatorum virorum discumbebat. Virgines complures Deo dedicauit, aliasque non paucas iugali matrimonio proprys & ecclesiæ suæ facultatibus copulauit, vt a quodam eius pœnitentiario post ipsius mortem percepi. In his dispensauit vltra duodecim millia florenorū, quod tempore vitæ suæ sciri vetuit sicut homo qui, humanæ laudis fauore contempto, ad diuinam gloriam suas eleemosynas referebat.*

Liberalitatem in religiosos ordines explicuerit.

Opes ecclesiasticas non cōsanguineis, sed inopibus tradiderit.

19 De illius aduersus iuris ecclesiastici inuasores constantia, partisque insignibus victorijs, dum in media acie, suis pugnantibus, supplices ad cælum manus expandebat, hæc refert: *Imperialis princeps patriarchali dignitate insignitus in festo Apostolorum Simonis & Iudæ peruenit Aquileiam, currentibus dominicis annis mille trecentis quatuor & triceni, contra gentes Venetorum in Istria, contra Rizardum comitem de Camino iuxta Sacilum, contra comitem Goritiæ iuxta Bragulinum pro defendendis ecclesiæ suæ iuribus pugnare coactus, Dei dextera mediante, ac eius precibus & orationibus suffragantibus, adeo viriliter egit, vt principis militia suæ industria cooperante, gloriosum triumphum de inimicis mirifice reportauerit aquarum certationum descriptiones singulares Regum, Machabæorum, et Paralipomenon librorum narrationibus fere adæquari mererentur:* Moysis *enim vestigia sequebatur, dum bellum per milites indiceretur, signoque ad pugnam dato, nudis genibus in terramque deflexis, nudato capite, manibus ad cælum leuatis, orationibus insistebat continuis, donec ad eum finis belli perueniret optatus. Ex his triumphis temporibus diuersis Venzonum ecclesiæ suæ Aquileiensi diu occupatum, Cadubrium, & Cauolanum sub suo pacifico merito possedit dominio.* Formauit mores ad antistitis tanti exemplum clerus, & piorum doctorumque virorum numero effloruit. Pendendis vero diuino Numini precibus adeo impigre vacauit, vt media nocte eas pie funderet; illuce-

De insignibus cōtra hostes ecclesiæ suæ victorijs.

In prælij ardore fundebat Deo preces.

Eius pietas illustris.

lucescente vero die sacris operaretur, ac deinde diuinæ rei ab alijs sacerdotibus peragendæ magno pietatis studio interesset. Foroiulienses illius famæ detrahentes vicit clementia: apostolicos internuntios maximis prosequebatur honoribus: in subditos perhumanus, in vestium cultu modestus aberat a pompatico luxu, vt inopes tegeret: nec minus a delitijs abhorrebat; quin potius corpus suum ieiunijs statis temporibus atterebat. Denique vt a tyrannis & deprædatoribus ecclesiasticarum opum, cum a prædicta Patauina synodo, a Guidone A. S. L. Cardinale celebrata, rediret, trucidatus sit, describit memoratus auctor.

Dum a synodo redit cæsus ob defensa ecclesiæ iura.

20 *Rediens pater inclytus a concilio Paduæ celebrato annis dominicis decies centenis trecentis quinquaginta fluentibus, requiei Patris diuini die iunij sexta sui spiritus vaticinio moram illo mane contrahens in Sacila, per insuetatam viam nitebatur ad patriam: tandem militum suorum, timoris periculum exuere conantium, deuictus instantia alta voce verbum emisit: Vado immolari pro vobis. Quam veritatem hæc habuerit prophetia, testetur sui martyrij triumphalis victoria; licet enim dum in humanis ageret, sæpissime assereret: Deum oro, & dissolui opto pro ecclesiæ meæ iuribus conseruandis tropheo, quo gloriosus Thomas pro sua ecclesiæ iuribus militauit Altissimo, quem magnis venerabatur obsequijs, singulis autem matutinarum vesperarumque horis completis, ipsius gloriosi Thomæ commemorationem agebat deuotam: tamen cernens in spiritu suæ proximæ resolutionis euentum, ex humanitatis fragilitate agonizabat in mente. Demum gratia confortatus diuina, iam completis suis canonicis horis, missam celebrari iussit, eamque deuotissime audiuit: personaliter etiam ob gloriosæ virginis Mariæ reuerentiam, humili confessione præcedente, missam celebrauit. Elapso sabbato proximo die, præmisso sanctæ Crucis signaculo, equum ascendit, Christi nomine inuocato, pergens vsque ad nonam ad planitiem quandam a Sperninbergo per quatuor milliaria distantem.* Et infra: *Inimici autem irruerunt in eos in fugam conuersos, aliquibus captiuatis, alijs ab eorum manibus liberis factis. Ipse vero captus ad victimam ductus fuit, quinque vulneribus lethiferis sauciatus non oleo & vino fotis, sed pluuia maxima madidatis. Quamdiu caro tenuit spiritum, deuotissimis orationibus animum habebat intentum suisque carnificibus indulgendo pro eis Deum suppliciter exorauit. Tandem dicto: In manus tuas Domine spiritum meum commendo; ductore Deo migrauit ad Christum hora quasi vespertina completorij verisimiliter suo rutilanti sanguine pro suis defendendis ecclesiæ iuribus Thomæ beato sociatus, cuius semper flagitabat martyrium imitari.*

B. Thomæ Cantuar. martyriũ imitatus est.

Elatum est illius cruentum corpus, ablutumque piorum lacrymis, ac solemni pompa funebri in templo Vtinensi sepulchro traditum: & quamuis nullis aromatibus conditum fuerit, flectente anno, cælesti monitu aperto sepulcro a successore Nicolao, repertum est a corruptionis labe immune: cumque multis miraculis ad eius nomen imploratum editis fulgeret illius gloria, iterum refossum est sacrum corpus, ac post diuinam rem peractam maximo Italorum, Sclanorum, Vngarorum, Germanorumque concursu in ara collocatum integrum adeo, vt viuus stare magna omnium admiratione videretur, omnibus ostensum est. Adiecit eiusdem patriarchæ vitæ auctor libellum, in quo cælestes virtutes Bertrandi ope editæ narrantur publicis exceptæ tabulis, grauissimorum virorum testimonijs, omnibusque loci, temporis, personarum circumstantijs confirmatæ: vbi narrantur varia morborum genera, quæ humanam opem respuebant, Bertrandi apud Deum suffragijs fuisse depulsa: atque inter alia cæcis oculorum vsum fuisse restitutum. Quibus tabulis alia publica documenta addita sunt recentioribus temporibus conscripta, quæ Francisci Barbari patriarchæ Aquileiensis sigillo exeunte decimosexto seculo corroborata sunt.

Eius corpus corruptionis expers manet.

Imploratio eiusdẽ nomine editæ cælestes virtutes.

Audita Bertrandi cædis fama Albertus dux Austriæ, contracto raptim exercitu, Foroiulium subegit a; de quo meminit Cortusiorum historia b, atque Aquileiam Vtinumque Austriaco se subdidisse refert: ducalis enim scrinij præfectus ad patriarchatum annitebatur c, spe tamen irrita, cum Nicolaus Caroli Cæsaris frater ad illius ecclesiæ solium a Pontifice euectus d fuerit, a quo ditio patriarchalis maxima ex parte recuperata, pœnæque de prædecessoris interfectoribus repetitæ. e

a Matth. Vill. l. 8. c. 87.
b Cortus. hist. l. 10. c. 3.
c To. 9. ep. secr. pag. 271.
d Ibid.
e Matth. Vill. super. c. 27.

21 Extremo anno Iacobus Carraria Pataui, princeps inter medias epulas a Guillelmo Carraria cæsus est, cuius necem Petrarcha eleganti oratione deplorat f, atque e subito & insperato casu se ad humanæ felicitatis contemptum adduci testatur g: *Quoties*, inquit, *rationis passibus ad altissimam illam arcem ætheream mentis ascendo, vnde non minus quam e summis Olympi iugis nubes sub pedibus cernuntur, video quæ hinc rerum caligine, quæ errorum nube circumducti quantis in tenebris ambulemus. Video nihil esse, quo passim gaudemus, aut dolemus in hac vita nihil quod tantopere cupimus vel horremus: nugas meras, quibus angimur, laruas quas pueri senes expauescimus, auramque leuissimam, qua deijcimur aut leuamur, prorsus arundineæ leuitatis video eam ipsam, quæ mortalium felicitas dicitur: præter virtutem solidi nihil esse, eam solam beatos facere, quos amplectitur, miserosque quos deserit, &c.*

f Petrarc. variar. l. X. 21. Cort. hist. l. 10. c. 4 Bonif. hist. Taru. l. 10.
g Ead. ep. 21.
Vt humana contẽnẽda sint.

22 In Neapolitano regno Ludouici Regis Vngariæ improuiso aduentu, domesticis dissensionibus Ioannam Reginam eiusque virum Ludouicum Tarentinum, ac fœda Hugonis e Bancio proditione in grauissimum publica res adducta discrimen pontificia solicitudine demum, redintegratis inducijs, paulatim fuit restituta. Demandata primum est Guidoni tit. S. Ceciliæ presbytero Cardinali ad Ludouicum Regem Vngariæ, qui e Dalmatia in Aprutium traiecerat, legatio: sed excussit ea vice impositum onus arduum Guido, quod Pontifex Anibaldo episcopo Tusculano A. S. L. imponere est meditatus h: a quo etiam de Beneuentani agri spectantis ad ditionem ecclesiasticam limitibus edoctus, eos designatis vicorum oppidorumque nominibus apostolica auctoritate, vt Clemens IV. antea cum Carolo primo erat pactus, circumscripsit edito subiecto diplomate i.

Anibald. in Neap. regn. legatus mittitur.
h To. 9. ep. secr. pag. 4
Beneuentani agri fines a Clem circũscripti.
i Ibid. ep. secr. pag. 8. & in lib. papyraceo pag. 8.

Clemens &c. ad perpetuam rei memoriam.

Charissimam in Christo filiam nostram Ioannam Reginam Siciliæ illustrem latere non potest, quod in præstatione iuramenti fidelitatis & homagij, nostro & ecclesiæ prædictæ nomine receptorum, ratione regni Siciliæ per eam præstitorum, ipsa confessa est (prout prædecessores sui fecerant) recognouerat, & in illis partibus tanquam in publicam deductum notitiam notorium existit, quod felicis recordationis Clemens IV. prædecessor noster in concessione per ipsum facta sub certis pactis, modis, & conditionibus claræ

Pontificiũ de ea re diploma

me-

memoriæ Carolo comiti Prouinciæ & Andegauiæ de regno Siciliæ & terris citra pharum vsque ad confinis terrarum Romanæ ecclesiæ supradictæ expresse & nominatim excepit, & a prædicta concessione exclusit ciuitatem Beneuentanam, quam in signum directi & maioris dominij regni & terrarum prædictarum sibi & præfatæ Rom. ecclesiæ retinebat cum toto eius tenimento, districtibus, & pertinentijs suis, distinguendis & limitandis per Romanum Pontificem pro eius beneplacito voluntatis; cui distinctioni & limitationi, semel bona fide faciendis, ipse Carolus & successores sui stare deberent absque contradictione & refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per apostolicas literas appareret; quam ciuitatem Beneuentanam cum toto tenimento & districtu, vt præmittitur, distinguendo volnis solum & in solidum ad ius & proprietatem, & in dominio ac demanio Romanæ ecclesiæ remanere, vt nec Reges Siciliæ, nec quicumque alij in dicta ciuitate & ipsius territorio & pertinentijs possent sibi ius aliquod quomodolibet vendicare, acquirere, recipere, vel habere seu etiam retinere, prout in litteris apostolicis dictæ concessionis super hoc confectis ac registratis, aurea bulla impressa typario communitis dicti Caroli & omniũ successorum suorum super receptione homagij & præstatione iuramẽti fidelitatis, & vassallagij, in quibus tenor concessionis prædictæ cũ suis pactis, modis, & conditionibus inseritur, latius continetur.

Vt pactus sit Carol. I. pontificio decreto si adhæsurum.

23 Licet autem ecclesia Romana prædictam ciuitatem Beneuentanam pleno iure ex tunc inconcusse possederit pacifice & quiete; attamen propter diuersas occupationes, quæ vndique Romanis Pontificibus occurrentes non sinunt accommodæ prouisionis remedium adhiberi, & conditionem regni & terrarum prædictorum, quæ diuersis turbationibus sæpius fluctuarunt, territorium, seu tenimentum, aut districtus huiusmodi per prædecessores nostros limitata non fuerunt, neq; distincta (quamuis ipsorum aliqui ad distinctionem & limitationem territorij seu tenimenti & districtus eorundem procedere intendentes, informatione super limitibus huiusmodi rite recepta, morte præuenti non potuerunt cœptum negotium terminare) nosque olim attendentes, quod ex omissione limitationis ac distinctionis districtus & tenimenti seu territorij prædictorum multa ecclesiæ præfatæ ac ciuibus seu incolis ciuitatis subditis nostris incommoda euenerunt, & dubitantur verisimiliter ampliora in posterum euenire, si limitatio seu distinctio huiusmodi vlterius differretur; ac volentes, prout tenemur, periculis futuris occurrere, & ecclesiæ prædictæ sponsę indemnitatibus prouidere; venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Sabinensi, tunc tit. S. Marci presbytero Card. A. S. L. commisimus, vt de tenimento, territorio, & districtu prædictis & eorum finibus se diligentius informaret, & informatione recepta, fines territorij, tenimenti, & districtus prædictorum nomine & vice nostris distingueret, terminis euidentibus appositis in eisdem. Et licet dictus episcopus se per testes idoneos omni exceptione maiores de tenimento, territorijs, districtibus, & finibus prædictis diligenter informauerit, vocata ad hon prædicta Regina legitime, & comparere per se vel idoneum non curante; tamen ipse legatus, infirmitate & alias legitime impeditus, fines prædictos distinguere non potuit, nec huiusmodi territorium terminare. Propter quod postmodum venerabili fratri nostro Anibaldo episcopo Tusculano A. S. L. commisimus, vt super prædictis informatione recepta, auctoritate apostolica, & vice nostra fines, territorium, & districtus prædicta distinguere procuraret. Qui licet se diligenter informauerit, ad distinctionem & limitationes tamen huiusmodi procedere noluit nobis super hoc inconsultis: sed informationes per eum super ijs receptas nobis destinare curauit: ac nos, nolentes quod negotium prædictum tanto tempore periculose dilatum vlterius retardetur, informationes præcedentes per aliquos ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus videri & examinari fecimus diligenter; nihilominus nuntiantes eisdem, quod ex superabundanti se per testes idoneos, finium prædictorum habentes notitiam, de prædictis amplius informarent.

Extracta sit ea limitum definitio.

Commissa sit ea Bertrando Card. prouincia

Et Anibaldo episcopo Tusculano.

Auditi sint testes instrumentaque acta publica.

24 Facta itaque nobis per eos de prædictis informationibus relatione fideli, de fratrum nostrorum consilio ordinamus & declaramus, fines & limites, tenimentum & districtum seu territorium ciuitatis nostrę prædictæ Beneuentanæ existere & esse debere ex certa sciẽtia limitata per modum & terminos infrascriptos. In primis castrum pontis inhabitatum, & inde ascendendo castrũ Casalbani, castrum campi Lactarij, castrum Frangeti Monfortis, castrum Frangeti abbatis, castrũ Montisleonis castrũ S. Seuerij, castrũ S. Georgij molinarij, castrum S. Andreæ de Molinaria, castrum Petræmaioris, castrũ Padulę cum suo suburgio siue casali S. Archangeli, castrum Montismari, casale Timplani, castrum Apicij cum casalibus, castrum Merroni, castrum Venticani, castrum Montismilitum, castrum Montisaperti, castrum Montisfusculi cum casalibus, castrum Rufi, castrum Altauille, castrum Capellan, castrum Petrœturmini, castrum S. Martini, castrum Ceminarie castrum Montisfarculi, castrum Torij cum casalibus, castrum Terlicosi cum casali Papisij & alijs casalibus & locis ac alijs supradictis, ad ius & proprietatem Romanæ ecclesiæ pertineant pleno iure, hoc saluo, quod si aliqui nobiles vel alij in castris, casalibus, locis, & alijs prædictis, vel intra ea & ciuitatem prædictam aliquas proprietates habeant acquisitas legitime, per hoc eis non intendimus derogare. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. VII. kal. iunij pontificatus nostri anno* IX. Data est archiepiscopo Beneuentano prouincia, vt hoc decretum mandaret operi, aduersantesque nullo dignitatis discrimine habito censuris percelleret. Verum recruduit postea iterum lis hæc de limitibus Beneuentani agri.

Descriptio decretoria Beneuentanorum finium.

Instaurata postea eadem lis

25 Quod vero ad Anibaldum Cardinalem attinet; cum iussus esset proficisci ad Ludouicum Regem Vngariæ, vt eum ab expeditione Neapolitana abduceret, accinxissetque se itineri, in eo morte oppressus est, vt pontificiæ testantur literæ a pridie idus augusti exaratæ. De quo Clementis vitæ auctor hæc narrat b: *Eodem anno obijt dominus Anibaldus de Cecano episcopus Tusculanus Cardinalis, qui Romam per prius missus fuerat per dictum Papam legatus & vicarius, vt ibi loco & vice sue pro illo tempore præsideret, & vbi expediret peregrini ad ipsum pro suis necessitatibus recursum haberent. Dicitur autem, quod toxico interemptus est.* Sublatum veneno vino infuso, consentiunt Matthæus Villanus c et Nicolai Laurentij vitę scriptor, ex quo qui haustum sumpsere interierint. Addit d gestorum Clementis auctor de pijs Anibaldi operibus: *Ipse dominus ædificauerat locum de Gentiliaco iuxta*

a To. 9. ep. secr. pag. 26.

Anibaldi Card. mors.

b Gesta Clem. VI. apud Bosq.

Creditus veneno sublatus.

c Matth. Villa. l. 1. c. 98.

d Gesta Clem. VI. apud Bosq.

pon-

pontem Sorgiæ et prope Auenionem, in quo constituerat et fundauerat cœnobium fratrum Cælestinorum, pro quorum sustentatione condecenti tam in vineis, pratis, molendinis, domibus, & censibus circumquaque, & etiam Auenioni existentibus multa acquisiuerat, & ipsorum vsui perpetuo deputauerat de bonis a Deo datis sibi pro suorum remissione peccatorum.

De pijs eius operibus.

Auersa capta ab Vngaro.

26 Interea, Auersa deditione capta, Ludouicus Vngariæ Rex Neapolim castra promouit: cumque Neapolitanos deditionem paeisci meditatos durioribus verbis corripuisset imprudenter, ea res Neapolitano populo significata, magnos in ipsis iterum motus concitauit a adeo, vt bello prius decernere ac focos defendere armis constituerint. Augebat Neapolitanorum animos, conspectum esse Vngaricum exercitum admodum fame, morbis, ac squalore deformatum, vt vix equites hærere in equis possent: in Auersana quippe obsidione, cum illa extraheretur, dira fame attritus fuerat exercitus. Cumq; in his angustijs res essent, Ludouicum ac Ioannam contendisse a Clemente, vt legatos mitteret, qui Vngari Regis impetus atque iras sua prudentia frangerent, ad eosdem datæ literæ ostendunt b. Neque ipsos sua fefellit expectatio: Guido enim episcopus Tusculanus, Anibaldi defuncti in ea dignitate successor, & Guillelmus tit. S. Mariæ in Cosmedin diaconus S. R. E. Cardinales cum oratoribus Regis Vngariæ conuentus habuere c, in quibus de cōcordia agitatum est, ac nonnullæ propositæ leges, partim a Pontifice, partim a Rege Vngariæ, partim á Ludouico Tarentino & Ioanna Siciliæ Regibus implendæ: quæ admodum gratæ & acceptæ Clementi cecidere: quæ enim suarum erant partium in opus perducturum Vngaro ast pollicitus, ac suo exemplo ad seruanda conuenta illum prouocauit d: *Cum nos*, inquit, *prout pertinet ad nos, articulos ipsos obseruare, ac obseruari facere inuiolabiliter intendamus; serenitatem tuam instanter & attente rogamus, quatenus quod in hac parte honesti conueniat, quidue honoris tui debitum exigat, in debitam considerationem adducens, fic ea quæ ordinata sunt obserues & impleas, quod progenitorum tuorum imitando vestigia prosequaris, &c. Dat. Auin. 11. kal. ianuary anno 1.*

a Summon l. 3. hist. Neap. Illius imprudentia in abalienandis a se Neapolitanis.

b To. 9. ep. secr. pag. 76. 77. Habitum de pace colloquiū. c Ibid. ep. secr pag. 199.

d Ead. pag.

27 Quæ vero leges ad restituendam Siciliæ citerioris pacem initæ, narrat Matthæus Villanus e, & cum ijs consentiunt, quas ineunte hoc anno agitatas vidimus: sancitæ nimirum induciæ ad kal. aprilis anni insequentis, quo regnum diuturno enecatum bello, leni hoc solatio recrearetur, constitutumque et vocaretur in ius Regina Ioanna de viri Andreæ Regis nece, ac si apostolica sententia damnaretur, regnum Siculum Vngaro Regi de manu Pontificis traderetur (censendum quippe tum erat ad sedem Apostolicam deuolutum; nec successione ad Ioannæ consanguineos sanguine spectare) si autem a crimine absoluta pronuntiaretur, omnes regni arces & vrbes, quas Vngarus in suam potestatem redegerat, vna cum alijs Reginæ restituerentur, refusis ab ipsa Vngaro ob bellicos sumptus trecentis aureorum millibus f: denique vt Ludouicus Vngarus & Ludouicus Tarentinus ac Ioanna a citeriore Sicilia digrederentur. His constitutis Vngarum Apuliæ abscessisse, ac primum Romam ad Apostolorum limina & alia sacra Vrbis loca lustranda, promerendamque criminum expiationem, deinde in Vngariam se contulisse, testantur

Sanciti induciæ. e Matth. Vill. l. 1. c. 94.

Fœderis leges.

f To. 9. ep. secr. pag. 229. Ludouic. in Vngariam se recipit.

historici a. Restituti postea sunt libertati Siculæ regiæ principes. Attulit vero Roberto Imperatori diuturnitas carceris grauiora damna, Achaiam enim ac nōnullas Græciæ terras veteris imperij tenues reliquias, quas obtinebat in oriente, ac Tarentinum principatum nonnulli armis & proditione affectarunt: ad quorum reprimendas molitiones Pontifex Roberti ditionem in clientelam apostolicam asciuit b. Cæterum Peloponnesum a Manuele filio despota occupatam his temporibus, testatur Cantacuzenus c, dum ciuilibus dissensionibus ardebat, Turcæque eam barbaricis populationibus fœdabant.

a Matth. Vill. l. 1. c. 94. 800. & in dec. 2. l. 10. Baron. in notis ad hunc ann. b To. 8. ep. secr. pag. 157. Peloponesus a Manuele despota occupata. c Cantac. l. 4. c. 13.

28 Neque in Peloponnesum modo excursiones hostiles agebant Turcæ, verum in Thraciam quoque & alias Constantinopolitani imperij terras. Ad quos propulsandos cum pro ineundo sociali bello oratores Ioannis Cantacuzeni Græcorum Imperatoris ad Apostolicam sedem superiori anno, vt vidimus, venissent, eosque honorifice exceptos habitosque Clemens in orientem dimisisset, pollicitus pontificios legatos breui eorum vestigia secuturos, hoc anno promissa perfecit, missis Guillelmo Chissimensi & Gasperto Cenetensi episcopis: quibus præcipuam iniunxit d prouinciam, vt Græcos ad Romanæ ecclesiæ obsequium reuocare studerent.

d To. 8. ep. secr. pag. 148.

Venerabilibus fratribus Guillelmo Chissimensi, & Gasperto Cenetensi episcopis Apostolicæ sedis nuntijs.

Cum vos ad partes Romaniæ pro negotijs vnionis Latinæ Græcæque ecclesiarum, auctore Domino, promouendis principaliter transmittamus; nos cupientes attentius negotium ipsum, submotis impedimentis quibuslibet, feliciter prosperari, in omnes & singulos eiusdem negotij turbatores & impeditores censuram ecclesiasticā (non obstante si eis aut eorum aliquibus communiter vel diuisim a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem) exercendi vobis & vtrique vestrum plenam concedimus tenore præsentium potestatem. *Dat. Auin. idib. feb. anno* 9. Apostolicas quoque de his literas e dedit ad Græcorum patriarcham, hortatusque est vt studia sua pro redintegranda ecclesiarum coniunctione colloquaret. Franciscum etiam e Pertuxo Gallum genere diœcesis S. Flori, plurima in aula Constantinopolitana pollentem gratia, quem oratoris munera apud Pontificem perfunctum vidimus, rogauit f vt suam pariter tantæ rei operam addiceret; atque Assanem Constantinopolitanarum copiarum præfectum ad promouendum optatissimum ecclesiarum fœdus excitauit g: proposita immortali gloria, quam apud Deum & homines colligeret.

Missi a Clem Cōstantinopolim legati.

e Ead. l. 8. ep. secr. pag. 149.

f Ib. pag. 50. Constantinopol. proceres ad coniunctionem Rom. ecclesiæ incitati. g Ead. pag.

Nobili viro Calaraimo Assani capitaneo ciuitatis Constantinopolitanæ gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

29 Si consideres, fili, quantum tibi in præsenti accresceres ad famæ præconium, & in futuro adijcies ad meritum & salutem, si negotium vnionis Latinæ & Græcæ ecclesiarum (quas antiquo schismate introducto diuisionis caput & auctor scandali, qui primum schisma suscitauit in cælo, non sine damnatione innumerabilium animarum ab hactenus separauit) illo summo lapide angulari Christo Iesu, qui parietem vtrumque connexuit, operationibus tuis infundente gratiam

& promotioni præstante virtutem, per tuæ directionis studium finem perfectionis attigerit, vt speramus; profecto ad felicem tam salutaris operis consummationem nullis excitatus precibus, nullis exhortationibus prouocatus, nullis præueniens monitis, sponte curres, operarias manus appones, solicitus conuertes studia, impendes etiam & labores. Siquidem cum, euangelica veritate testante, maius gaudium sit Dei angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, quibus pœnitentis non est opus, quantis illa cœlestis aula perfundetur gaudijs, iucundabitur quanta lætitia, & quantis tripudijs exultabit, eisdem Græcis ad Romanæ ac vniuersalis & vnicæ sanctæ Dei ecclesiæ redeuntibus vnitatem, super conuersione tantæ multitudinis peccatorum? Cum autem, fili, pro ipsius promotione Deo grati negotij venerabiles fratres nostros Guillelmum Chrissimensem & Gaspertum Cenetensem episcopos Apostolicæ sedis nuntios exhibitores præsentium, viros vtique probatæ virtutis, eminentis scientiæ, & in quibus timor Domini sanctus permanet, ad Ioannem Cantacuzenum & Ioannem Palæologum Imperatores illustres & patriarcham Græcorum ipsorum sub spe diuini fauoris duxerimus destinandos; nobilitatem tuam monemus & hortamur in Domino, attentius deprecantes, tibique in remissionem peccaminum expressius iniungentes, quatenus dictos nuntios vel eorum alterum pro nostra & dictæ sedis reuerentia benigne recipias, & eos circa huiusmodi eis commissum negotium promouendū feliciter consilijs dirigas, auxilijs foueas, sibique assistas fauoribus opportunis: ita quod præstante Deo negotium ipsum votiuum perducatur ad exitum, tuque tanti princeps operis famæ gloriam, & salutis præmia consequaris. *Dat. Auenioni idib. februarij anno VIII.*

Proposita totius ecclesiæ ex eo effusa exultatio.

Commēdat internuntios.

30 Prouocati simillimis literis ad conatus omnes pro abrumpendis infelicibus schismatis vinculis contendendos plures viri imperatoriæ aulæ proceres a, tum Ioannes Palæologus b ac Ioannes Cantacuzenus c. Imperatores certiores facti, Guillelmum ac Gaspertum episcopos ad ipsos & patriarcham mitti, quos hisce literis, inscriptis subiecta forma, Cantacuzeno commendauit. d

a Ad pag. b Ib. pag. 149. c Pag. 148. d Ibid.

Ioanni Cantacuzeno Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ad literas plures, quas nobis sublimitas tua misit, quas benigne recepimus, tibi paruenerabiles fratres nostros Guillelmum Chrissimensem & Gaspertum Cenetensem episcopos Apostolicæ sedis nuntios exhibitores præsentium, viros vtique probatæ virtutis, eminentis scientiæ, & in quibus timor Domini sanctus manet, prouidimus respondendum; serenitatem tuam attente rogantes, tibique sinceris affectibus suadentes, quatenus quæ dicti nuncij vel alter eorum tibi super contentis in huiusmodi literis & ambassiatis per tuos nuncios nobis factis, & illa tangentibus, pro parte nostra retulerint, credas indubie, illaque sic, prout speramus & credimus, ad effectum debitæ prosecutionis adducas, quo tuæ subditorumque tuorum saluti consulas, prouideas & quieti. *Dat. Auenion. idib. feb. anno VIII.* Habitos a se honorificentissime cultosque internuntios, refert Cantacuzenus e, atque horum alterum Guillelmum nomine ex ordine Minoritarum, Hugonem vero de Spero ex Prædicatorum familia fuisse, viros quos virtuti deditissimos fatetur. Dum vero in profanis literis apprime versatos ait; sacris vero excultos prætermittit, id schismatici hominis inuidiæ tribuendum est: theologicæ enim doctrinæ laude florentissimos ipsos extitisse necesse est, qui ad tantum opus designati: cum tunc maxime sacrarum literarum studium apud Latinos floreret, obsoleuissetque apud Græcos, vt ipsorum de Thaborio lumine impia ac imperita decreta ostendunt. Quæ vero apostolicorum internuntiorum ad Græcos de bello sacro Turcis inferendos, deque Græcis ad ecclesiæ catholicæ gremium reuocandis ad Imperatores, patriarcham, & Græcos habita fuerit oratio, ex Cantacuzeno accipiamus. a

De eod. ad Cantacuzenum literæ.

e Cantac. l.4.c.9. Vt legati excepti fuerint.

a Cantac. l.4.c.9.

31 *Quod de bello barbaris inferendo animum suum significarit*, nimirum Cantacuzenus, *& alij quidem ante ipsum Romanis episcopis fuisse id aptatissimum: sibi tamen*, Clementi scilicet, *longe mages, crebroque ac multum super eo cum Italia dynastis egisse, omnesque hortatum communiter ad opus unde Christianorum libertas a barbaris asseratur; & quod ad se attineat ad pecuniam & copias quantas maximas possit, omninoque ad sumptus non modicos pro sua parte conferendos paratum esse: nunc etiam amplius sinit*, nempe Cantacuzeni, *legatorumque verbis enarrasse & gratias agere, cum se ad barbaros pro Christi fidelibus expeditione lacessendos adeo propensum demonstret. Quod si præter alia bona, quæ Romanis*, ita Græcos vocat, *conciliare conatur, etiam ecclesias concordia deuincire conetur, ut auulsa Christi membra per eum conglutinentur, non hominibus dumtaxat vniuersis, sed cœlestibus etiam potestatibus, ipsique Deo id magnæ voluptati futurum. Hactenus Papa per legatos episcopos*. Ad hæc plura cumulat Ioannes Cantacuzenus, vt orientalis ecclesiæ a Romana disiunctionis crimen extenuet: respondetque apostolicis internuncijs non cohæsisse tentatam a Ioanne Palæologo Imperatore coniunctionem ecclesiarum, cum id imperiali tantum auctoritate enisus esset, nec Lugdunensi concilio orientalis ecclesiæ præsules, sed pauciores oratores interfuissent: celebrandam œcumenicam ex vtriusque ecclesiæ præsulibus synodum in Latini Græcique imperij confinibus videri, & quæ in ea fuerint de dogmatibus constituta, sancta ab vtrisque habitum iri; neque alia ratione populos de veteri sententia dimouendos. *Nec, mihi*, subdit Cantacuzenus, *aliquando persuaderi patiar, ut antequam congregata synodus œcumenica, quæ fidem credenda sint determinat, etiam ipse nouitates confitear, & alios ad id cogam, atque non propter ecclesiam & vniuersitatem Christianorum modo, sed & propter me ipsum etenim sic sum comparatus, ut credere velim omnia, quæ commune episcoporum iudicium & sententia de fide constituerit. Extra hoc nulli me nouitati addictum, & cum episcopos omnes, tum alios ecclesiasticorum dogmatum defensores ac patronos hoc propensissime facturos spero; sin auctoritate imperiali compellantur, aures obturaturos, ut nec primam vocem excipiant. Quamquam nec apud vos mihi fidem habitum iri puto; si ita leuiter nulloque examine dogmati vestro subscripsero: qui enim parum constanter inhæret, & paratus est deserere quæ maiores illi tradiderunt, & in quibus est educatus; quam quæso teneat de recentibus fidem? Quocirca necessarium arbitror, si idem vobis probabitur, super rebus adeo magni momenti orientalium occidentaliumque episcoporum conuentum œcumenicum celebrari.*

Eorum ad Græcos oratio.

De bello sacro in Turcas.

Insurgendo ecclesiarū fœdere.

Petita synodus œcumenica a Cantacuzeno.

32 Subijcit Cantacuzenus de loco celebrandi concilij nullum videri opportuniorem quam ma-

maritimum in vtriusque imperij finibus, quo Pontifex cum occidentalibus præsulibus, patriarcha Græcorum cum orientalibus accederent, Expetita iam ante huiusmodi synodus fuerat a Benedicto XII. vrgente Andronico Imperatore, vt vidimus [a]: neque eam laudarat Pontifex, cum plura incommoda oriri viderentur si Græci infecti hæresi & schismate in decidendo dogmate calculum ferrent; atque etiam decisa iam ab alijs concilijs fidei capita reuocati in dubium viderentur: admissa autem est a Clemente cupidissimo abolendi veteris schismatis conditio, cum veritas orthodoxa non reuocanda in dubium esset a catholicis, sed exponenda schismaticis, argumentisque theologicis confirmanda. Non potuit huiusmodi synodus celebrari a Clemente, cum primum ob bella Italica extrahenda in aliud tempus fuerit [b]: deinde pium huiusmodi desiderium mors oppresserit. Post longa demum annorum curricula ab Eugenio IV. habita est; ac tamen Græci paulo post ad vomitum redicre, de qua suo loco fuse agemus. Ad significanda Pontifici quæ apud Constantinopolim inter Imperatores, patriarcham, & internuncios apostolicos de cogenda synodo atque alijs agitata, Cantacuzenus Bartholomeum Anconitanum oratorem ad Clementem legauit: cui rescripsit Pontifex, iam eam ob causam Ioannem Coronensem & Antonium Gaietanum episcopos missos, quibus arcana animi pandi posse significauit [c].

a Anno Chr. 1339 n. 18. *Cur ante a Benedicto repulsa sit postulatio data. Nunc admissa sint a Clemente.*

b Cantac. l. 4. c. super. *Mandata postea operi ab Eugenio gesta.*

c To. 9. ep. secr. pag. 39.

Ioanni Cantacuzeno Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Venientem ad nos dilectum filium Leonardum Bartholomæi de Ancona ciuem Constantinopolitanum nuntium tuum, familiarem nostrum, exhibitorem præsentium, & literas tuas nobis exhibitas per eundem contemplatione tua benigne recepimus, & quæ ipse pro parte magnitudinis tuæ nobis exposuit viua voce, audiuimus & intelleximus diligenter. Super quibus eidem magnitudini respondemus, quod nos iamdudum venerabiles fratres nostros Ioannem Coronanensem & Antonium Gaietanum episcopos Apostolicæ sedis nuntios & Leonardum prædictos, sicut præmittitur, ad te duximus destinandos; quibus tuum secure aperire animum, & per quos tuam nobis significare fiducialiter poteris voluntatem. *Dat. Auinion. iv. kalend. iulij anno* IX. Conseptæ sunt eadem verborum forma aliæ literæ ad Matthæum Cantacuzeni maiorem natu filium, Andronicum Assanem, Ioannem ec Manuelem huius filios auctoritate in Græcorum imperio florentissimos, datæ [d].

Cantacuzeni ad Clementem legatio ex ceptu honorifice.

d Ead. pag.

33 Inter hæc autem ad retundendos Turcarum impetus, ne in Europam copias traijcerent, ac Smyrnam in ora Asiæ defendendam, dum ad eosdem barbaros maiori virium mole inuadendos cum Græcis fœdus tractabatur, nouam armorum societatem pro sustentãda in Ægeo mari atque Hellesponto classe redintegrandam censuit Clemens ad decannium cum Andrea Dandalo duce Venetorum, Hugone Rege Cypri, ac Rhodijs equitibus: constituitumque est, vt Veneti triremes tres, Rhodij totidem, Cyprius duas instructas egregie tenerent: quem numerum nonnullis alijs Pontificem ve sacri auctorem belli auctum fuisse, haud dubium videri debet: de quibus hæc ad Hugonem Cyprium Clemens scripsit [e].

Armorum fœdus contra Turcas redintegratũ.

De eo ad Cyprium Regem iam literæ.

e To. 9. ep. secr. pag. 24.

Clemens, &c. Hugoni Regi Cypri illustri.

Conuenientibus tuis, fili charissime, & dilecti filij magistri & conuentus hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, ac nobilis viri ducis Venetorum nuntijs & ambassatoribus pro negotio vnionis inter te ac illos faciendæ inuicem coram nobis; & tandem post tractatus varios, super hoc habitos, ais volentibus & consentientibus, sub infrascripta forma per nos vnione facta, quod tu duas & magister & conuentus tres, ac dux prædictus alias tres galeas gentibus & armis bene munitas, quæ infra kal. ianuarij proximo futuri apud insulam Nigripontis conueniant inuicem per decennium continuum, ex tunc in antea computandum, pro custodia & defensione fidelium orientalium partium & repressione Turcorum infidelium tenere debetis; nos desiderantes attentius, quod negotium vnionis huiusmodi felicem habeat, Deo iuuante, progressum venerabilem fratrem nostrum Raimundum episcopum Morinensem Apostolicæ S. L. ad partes illas commisso sibi plenæ legationis officio duximus destinandum, indulgentias & remissiones, alias transfretantibus in terræ sanctæ subsidium concedi solitas, pro felici eiusdem prosecutione negotij concedere disponentes, &c. *Datum Auin. xiv. kal. septembris anno* IX. Rogauit [a] eundem Regem, vt ad Smyrnæ præsidia milites sustentandos quartam sumptuum partem conferret: cumque fama dissensionis inter ipsum ac Petrum filium, comitem Tripolitanum exortæ ad Pontificem peruenisset, ad illam diligentissime sopiendam eũ hortatus est [b]: tum flagitanti, vt regio nomine triremes adductas infideles conduceret, nauaturum se operam est pollicitus [c]: *In conductione*, inquit, *galearum tuo nomine ad partes infidelium faciendas, petitioni tuæ duximus annuendum; parati, quantum cum Deo possumus, ad alia qualibet conuenientia votis tuis. Ceterum munera tua per eundem Percinallum benigne recepimus, & proinde serenitati tuæ tanto vberiores gratias agimus, quanto per illa deuotionis, quam ad nos & Romanam geris ecclesiam, affectionem cognouimus ampliorem, &c. Dat. Auin. XVIII. kal. septembris anno IX.*

Comparãdæ classis designata ratio.

a Ead. to. 9. ep. secr. pag. 217.

b Ib. pag. 76.

c Ib. pag. 78.

Missa à Cyprio Pontifici munera.

34 Deriuatas in sacri illius belli sumptus mulctas pecuniarias, quæ ob iniustis artibus partas opes pœnitentibus infligebantur, ostendunt literæ ad Andream priorem S. Pauli A. S. N. scriptæ [d], cui data prouincia est, vt Etruscos ac Ligures, qui in vetito taxillorum ludo lucra quæsierant, aliqua pecuniæ vi in bello Turcico collocanda mulctatos absolueret: & Andreas Dandalus Venetorum dux vim auri ingentem, quam Bertrando olim patriarchæ Aquileiensi soluere obstrictus erat, in sacri belli sumptus iussus [e] conuertere. De triremibus vero instruendis in Turcas, Smyrnensi præsidio suppeditanda quarta stipendiorum parte, designato in orientem legato, ad eundem Venetorum ducem ac Rhodiorum equitum magistrum extant literæ [f]. Demandata itaque est orientalis legationis prouincia Raimundo Morinorum episcopo [g]. In diplomate vero apostolico de legatione in oriente obeunda ingentem sacri in Turcas belli necessitatem exponit, cum Turcæ calamitates suis excursionibus Christianis intulerint, atque ita repressi sint barbarorum conatus, vt nisi in cœptas egregia incumbant fideles, maiorum malorum terror ab illorum futore impendeat. In quibus vero regnis legati munus sit Raimundo impositum, his verbis Clemens designat [h]: *Tibi in toto regno Cypri, & in Cretensi, Patracensi, Athenensi, Thebano, Corinthiensi, Colos-*

Mulctæ pecuniariæ in sacrum bellum deriuatæ.

d To. 8. ep. secr. pag. 215.

e To. 9. ep. secr. pag. 141.

f Ib. pag. 117.

Raimũd. Morinor. episc. creatus orientalis legatus.

g Ib. pag. 76.

h Ib. pag. 38.

censi, Nixiensi, Corphiensi, Duracensi, Neopatensi, & Neopatria archiepiscopatibus, & eorum prouinciis antedictis, & alias in toto patriarchatu Constantinopolitano pradicto pro subsidio fidelium & partium earundem plena legationis officium auctoritate apostolica committimus per prasentes: vt ibidem, auctore Domino, recto regens, & dirigens indirecta, & aspera conuertens in plana, sicut diligens cultor adifices & plantes, euelles & destruas, dissipes & disperdas qua pro promotione dicti negotij, morum, & ecclesiarum, ac ecclesiasticarum personarum regni & prouinciarum pradictarum reformatione ac statu, et alias ad legati officium pertinent, & sicut tibi Dominus ministrabit. Dat. Auin. vi. kal iulij anno ix.

Fidelibus contra impios opem ferre iussus.

Commendatitiæ sunt de eodem legato ad eorum regnorũ ac prouinciarum præsules scriptæ literæ a, quibus stipendij nomine, vt decem aureos in dies singulos suppeditarent, data imperia. Allicere ad sacrum memoratum fœdus in Turcas conatus est Pontifex Genuenses, ac Ioannem Valentem eorum ducem excitauit b, vt quem fidei amplificandæ pium ardorem conceperat, explicaret; paratos enim Andreæ Dandali oratores ad societatem armorum cum ipsis ineundam: *Nouimus*, inquit, *fili testimonio fidedigno multorum, quam magnam ad exaltationem catholica fidei, & repressionem ac exterminium infidelium, & specialiter Turcorum, qui aduersus eandem fidem & fideles Christicolas conatus suos indesinenter exercent, habeas voluntatem: propter quod te ad hac promptiorem inuenire confidimus & speramus. Cum itaque ambassiatores dilecti filij ducis Venetorum, qui apud sedem Apostolicam morantur ad prasens, de vnione facienda vel instauranda contra Turcos eosdem potestatem inter catera se habere dicant; nos desiderantes attente, quod huiusmodi vnio instauretur; & sperantes, quod tu, prout tua quoque interest, cum nostra circa hoc voluntate concurras, nobilitatem tuam attente rogamus, quatenus velit aliquos nuntios sufficienti potestate suffultos ad vnionem tractandam & instaurandam huiusmodi huc transmittere, vel nuntijs tuis apud sedem Apostolicam constitutis eandem illam tractandi & faciendi plenam tribuas potestatem, &c. Dat. Auin. non. maij anno viii.*

a To. 9. ep. secr. pag. 89.

b Ib. pag. 198.

Solicitati Genuenses ad sociandas cum Venetis vires in Turcas.

35 Lugeant ac discant Christiani, quanta ipsis exitia mutuæ afferant discordiæ; intercedebant Genuensibus odia cum Tartaris Ponti Euxini accolis, Venetis vero cum Turcis Asiaticis, neque ambo aduersus hos infideles auxilia sibi inuicem, vt par erat, communicarunt; sed Turcæ Tartarique ad vtrosque ea oriente depellendos fœdera firmissima inter se coierunt; vt Christi oraculum c verissimum eniteat: *Filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*. Immo ij, vt se mutuo impellerent in exitium, barbaros in furoris, & Christianorum carnificinæ societatem exciuerunt, vt suis locis deflebimus. Horret vero animus cruenti belli, quo vterque attritus populus, pessumdata religio, & cœptum in Turcas a Pontifice bellum dissolutum est (quod quidem a Christi vicario non sine diuino impulsu agitatum, ob ipsum intermissum tot amplissima Christiana regna a barbaris subacta ostendunt) meminisse funesta initia, quæ hoc anno, insectantibus aperto bello Genuenses Venetis, eruperunt iussu Andreæ Dandali ducis, de quo Petrarcha arctissimo necessitudinis vinculo coniunctus, ac belli dissuasor vehementissimus, enumeratis virtutibus addit d: *V no tantum offendebat, quod belli studio, in Genuenses nimirum æmulos, ardentior erat, quam natura & suis moribus conueniret*. Sed nec minus Ioannes Valentius Genuensium præfectus censura dignus, qui cum potuisset belli causas præcidere, pontificia sequi monita neglexit; vnde sua dignitate arcano Dei iudicio ob rem male gestam deturbatum reperimus: rogatus enim ineunte vere, vt oratores ad sedem Apostolicam legaret ad componendas cum Venetis controuersias, ineundumque in Turcas fœdus, cum ad id Veneti parati essent, contempsit; quare iterum kal. aug. Clemens Valentium ipsum, ac senatum & populum Genuensem, propositis ob oculos rei Christianæ excidijs, his precibus pulsauit a, vt oratores mitterent: *Attendentes*, inquit, *quatenus ex vestra & ipsorum ducis & communis Venetorum periculosa discordia dispendia mala & pericula, qua auertat Dominus, nascentur & prasertim Christianis fidelibus transmarinis; & prouide ac ex speciali charitatis zelo, quo ad vos & illos afficimur, summopere cupientes, quod inter vos & illos, sublata qualibet occasione discordia, pax & vnitas perseuerent; ac sperantes, quod vos in his pro vtilitate communi debeatis promptioribus studijs consentire; vniuersitatem vestram requirimus & hortamur, attente deprecantes, quatenus aliquos nuntios & ambassiatores vestros ad hac, auctore Deo, complenda feliciter habentes plenariam potestatem ad nos sine dilationis studio destinetis. Dat. Auin. kal. augusti anno ix.*

Horridus Christianorum se mutuo lanïantium furor.

c Luc. 16.

Belli inter Venetos & Genuenses exordia.

d Petrarc. lib. var. ep. 18.

Dux Venetus ad iras promptior.

Genuensis prætor culpa non vacuus.

Spreuit inire fœd. cum Venetis aduersus Turcas.

a To. 9. ep. secr. pag. 66.

Rogati a Pont. Genuenses, vt dissidij causas præcidant.

36 Interea in orientali mari Venetæ triremes in alias Genuenses onustas mercibus incurrere. Idque funestum aperti belli fuit initium, cum antea tacitum esset, atque a priuatis potius, quam a senatu populoque gereretur, ac Pontifex ne erumperet hactenus obstitisset. Cur vero Veneti bellum Genuensibus, quos oratores ad sedem Apostolicam pro controuersia sedanda mittere distulisse vidimus, intulerint enarrat Cantacuzenus Imperator b repetitis primis illius exordijs, litis causam eam fuisse, cum Genuenses arcerent Venetos Tanæ emporio commercioque cum Scythis, a quibus grauem acceperant iniuriam apud Tanam ex rixa cum Saracenis oborta, ac dein grauissimo bello, quo Caffam oppugnatam vidimus, petiti fuerant; de quo hæc habet Cortusiorum historia c: *Inter eos cœpit discordia MCCCL. negantibus Ianuensibus Venetos debere nauigare per mare magnum rationibus & causis, de quibus coram Papa fuit disputatum: sed propter eorum superbiam nihil potuit expediri*. Tribuit etiam eius belli causam superbiæ Bizarrus d. Vt vero accensæ primæ belli faces fuerint, describunt Cortusij: *Mense septembris quadraginta galea Venetorum contra quatuordecim Ianuensium pugnauerunt; decem capiuntur, quatuor fugiunt, multi nobiles & plebei carcerantur in ponte nigro. Post hoc exercitus Venetorum ducitur contra Peram Ianuensium. Post hanc victoriam Ianuenses armauerunt quatuor galeas cum probis vasis. Hi cum signis Venetorum incogniti Nigropontem intrauerunt furtiue, qui fractis carceribus liberarunt suos captiuos, & post magnam pradam omnia combusserunt mense nouembris.*

Naumachia Genuen. & Venetor. in oriente

b Cantac. l. 4. c. 26. Matth. Vill. l. 1. c. 83.

Causæ discordiæ.

c Cortus. hist. l. 10. c. 7.

Superbia vtriusque populi fons vniuersi mali

d Bizarr. de bello Veneto l. 2.

Genuen. triremes captæ a Venetis.

Genuenses diripiũt Chalcidem & suos liberant.

37 Ex secutis inde cladibus, non modo Græcia Turcico furori prostituta, sed Armenia exposita Babylonijs: a quibus oppressus Constantinus Rex crebris eiulatibus occidentalium opem implorabat. Neque vero Armeni diuinæ iustitiæ in ipsos exercendæ vltionis leuem occasionem dederant, cum religionis acceptæ a maioribus puritatem nouis erroribus infecissent. Ad quos expur-

Varij errores apud Armenos sparsi.

purgandos Pontifex, vt cœlesti gratia conciliata barbarorum impetus fortius retunderent, internuncios apostolicos miserat: qui licet strenuam nauarint operam, haud tamen penitus pristinum religionis splendorem restituere potuerunt, nonnullis erroribus nondum euulsis, quos Pontifex a Constantino Rege atque Armenis damnari iussit; opemque exposcentibus nonnulla pecuniaria subsidia ex ærario apostolico ab Odone episcopo Paphensi suppeditari iussit: Nicosiensique archiepiscopo iniuncta prouincia est a, vt eos errores eiurandos ab Armenis, hosque stipendijs in Babylonios militaribus leuandos curaret.

Exc adductos mitt Pontifex. a To. 9. ep. secr. pag. 131.

Clemens, &c. venerabili fratri Philippo archiepiscopo Nicosiensi.

Constantinus Rex illustris & catholicos Armenorum, iamdudum nobis per suas literas supplicarunt, vt aduersus insultus & persecutiones paganicæ feritatis, quibus se ac populum suum indesinenter opprimi asserebant, prouidere sibi de alicuius subuentionis auxilio dignaremur. Nos autem memoratis Regi & catholicon ac populo, quos inuolutos multis erroribus aliqui asserebant, spiritualiter primo subuenire volentes; venerabilem fratrem nostrum Ioannem archiepiscopum Pisanum, tunc electum Mothoniensem & bonæ memoriæ Antonium episcopum Caietanum Apostolicæ sedis legatos, viros sicut experientia didicisti profundæ scientiæ, commisso eis plenæ legationis officio, ad eosdem Regem & catholicon & populum duximus destinandos, vt ipsi Rex & catholicos salutaribus eorumdem legatorum monitis ab erroribus ad viam rectitudinis reuocati, & adiuncti catholicæ vnitati potentijs eisdem paganis resisterent, & nos eis opem salutaris auxilij fauorabilius præberemus. Cumque dicti legati se ad partes illas personaliter contulissent, & præfatus archiepiscopus eodem Antonio interim, sicut Domino placuit, sublato de medio, ad nos successu temporis redijsset, relatione sua comperimus, quod dicti Rex, catholicos, & populus adhuc in multis a veritate catholicæ fidei aberrabant. Sed quamuis ex tunc ab eorum erroribus ijdem Rex, catholicos, & populus minime resipuisse dicantur, sicut per quasdam literas missas & scripturam exhibitam nobis luculenter apparet; Ipsis tamen adijcientibus prioribus supplicationibus iteratæ supplicationis instantiam; nos pie compatientes eisdem, & sperantes quod ille Pater luminum, qui via, veritas est, & vita, ipsis spiraculum inspirabit, vt diabolicæ fraudis confutatis erroribus, ad viam perueniant veritatis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Regi populoque, cum ipse ac dicti catholicos & populus aliquas recognitiones super aliquibus, quibus ab eiusdem fidei discrepant veritate, fecerint iuxta formam, quam tibi per proprios nuncios seu nuncium, auctore Domino, transmittemus, per venerabilem fratrem nostrum Odonem episcopum Paphensem Apostolicæ sedis nuntium, sex millia florenorum auri de pecunijs cameræ nostræ tradi & assignari facere non omittas: nos enim dicto episcopo damus per alias nostras literas in mandatis, vt ad requisitionem tuam dicta sex millia florenorum eidem Regi tradere & assignare procures. *Dat. xvi. kal. octobris anno ix.*

De legatis ad eos transmissis.

Subsidiarium aurum Armenis erogatum.

38 Leuia erant hæc contra immanem Babyloniæ, Ægypti, Syriæque soldani potentiam auxilia; atque ideo maiora Armenis comparare omni studio annitebatur Pontifex, Anglorum nimirum & Francorum arma conuertere in barbaros. Cum itaque anno superiori Constantinus Rex Constantium ad sedem Apostolicam ac Reges misisset, Clemens hoc ineunte Eduardum Anglorum Regem, quem Gallos ab expeditione Asiatica coniungendisque cum Armenis, Cypriis, ac Rhodijs in Babylonios retardasse vidimus, hortatus est a, vt Armeni oratoris postulatis facilem se impertiret: *Dilectus*, inquit, *filius nobilis vir Constantius miles & nuncius charissimi in Christo filij nostri Constantini Regis Armeniæ illustris, lator præsentium, super calamitatibus & angustijs plurimis, quibus in illis partibus pressus est & premitur grauiter sub iugo Babylonia tyrannidis residuus & pusillus populus Christianus, quas seriose nobis explicuit, ad præsentiam tuam venit. Quocirca serenitatem tuam rogamus & hortamur in Domino, quatenus eundem nuncium pro diuinæ maiestatis reuerentia & nostræ interuentionis obtentu, ac tua quoque consideratione salutis benigne recipias, & de innata culmini regio pietate honestis petitionibus eius circa hæc fauorabilem, quantum cum Deo poteris, impartiaris assensum.* Dat. Auin. iv. *id ianuarij anno viii.* Non Anglum modo adibat Constantius, sed Philippum etiam Francorum Regem; cui pariter eædem preces a Clemente porrectæ b. Cumque ex Anglica & Gallica aula rediret in Armeniam orator, Pontifex ad Constantinum Regem scripsit c, ipsum a Constantio accepturum quæ studia a se essent posita, vt ille votorum compos fieret, auxiliaque in Armeniam compararentur. Desudatum ob id summa contentione fuit a Clemente, vt Eduardum ac Philippum conciliaret; dataque xvi. kal. aprilis Guillelmo Bracharensi & Ioanni Brundusino archiepiscopis prouincia d, vt pacis fœdera inter Reges tractarent. Visus est Eduardus ad concordiam propendere, vt ex eius literis colligebat Pontifex; qua ex re perfusus gaudio ijsdem archiepiscopis significauit e, vt magnis animis ad tractandum fœdus incumberent, de quo suis etiam Eduardus imperia daret. Graues porro Philippi & Eduardi Regũ controuersiæ hoc colloquio dirimi non potuere: sed biennales induciæ pactę f, constitutumq; est, vt excurrentibus inducijs Reges ad sedem Apostolicam pro fœdere coeundo oratores mitterent.

Missus a Constantino Rege ad occidentales orator.

a To. 8. ep. secr. pag. 125.

Rogatus Eduardus vt tuendæ fidei sacra ret arma.

b Ead. pag.

Promissa a Pont. Armenis auxilia.

c To. 9. ep. secr. pag. 138.

d To. 8. ep. secr. pag. 184.

e To. 9. ep. secr. pag. 25.

f Paul. Aemil. in Io. Reg. Franc.

Induciæ Gallos inter & Anglos initæ.

Regis Franc. mors.

39 Verum inter hæc Philippus e viuis est ereptus g, de quo hæc Clementis vitæ scriptor h: *Philippus recepit in vxorem Blancam filiam Regis Nauarræ*, Philippi nimirum defuncti, *cum qua modico tempore mansit: nam infra annum a tempore contractus videlicet anno MCCCL. mortuus est, dicta Blanca grauida remanente. Cui successit in regno Ioannes dux Normanniæ suus filius primogenitus.* Delinire illius de morte patris conceptum dolorem nisus est Pontifex consolatorijs hisce literis i, atque ad regias virtutes amplectendas prouocauit.

g To. 9. ep. sec. pag. 97 M. S. bibl. Vat. sign. n. 2040. Matth. Vill. l. 1. c. 75.

Succedit Io. filius.

h Gest. Clem. VI. apud Bosq. Froissard. hist. l. 1. Paul. Aemil. in Phil. VI.

i To. 9. ep. secr. pag. 100.

Charissimo in Christo filio Ioanni Regi Franciæ illustri.

Amaricauit nos, fili charissime, ac turbauit in intimis, claræ memoriæ Philippi Regis Franciæ patris tui de hac luce transitus, quem tuæ nobis litteræ reserarunt: memores enim quanto nos ille in minoribus constitutos charitatis affectione dilexit, & quanta, postquam diuina gratia ad gerendum officium apostolicæ seruitutis euexit, deuotionis fuit sinceritate reueritus, dolemus nec immerito vehementer. Sed & tibi quoque, fili charissime, quem in tanti tamque tenerrime te amantis patris occubitu immensi doloris

Consolatoria ad eum Pont. litera.

ſcimus acerbitate conſperſum, ex paternæ charitatis officio condolemus. Verumtamen quoniam amaræ mortis immiti ſententiæ iuuenes parere compelluntur & ſenes, non attendentes, quod ex reciſa vite fructuoſi palmites Domino concedente ſuperſunt; quodque idem Rex velut princeps catholicus anteceſſorum more ſuorum in timore Domini laudabiliter viuens, laudabiliter in illius etiam timore deceſſit, poſtquam dolori, quantum licuit, ex humanitate indulſimus, in eo, qui dedit & abſtulit, conſolamur ſperantes, quod ipſe poſt curas & ſolicitudines, poſt tædia & labores, quæ in vitæ huius militia, velut in agone quodam, expertus eſt, ſuſceptus inter choros & agmina angelorum, & in Abrahæ ſinum deductus, æternæ felicitatis gaudijs fruitur, & quietis perpetuæ munere gloriatur. Quapropter ſerenitatem tuam hortamur in Domino, attentius deprecantes, quatenus hæc & alia, quæ conſideratio tua indiſcuſſa non præterit, intuens; & conſiderans etiam, quod faſtigium regium, ad quod te ſucceſſio paternæ hereditatis admiſit, ſicut multorum bonorum faſcibus illuſtratur, ſic laborum plurium pondera ſuſtinet, & curarum mœrorem abijcias, dolorem pellas, & mœſtitiam quamlibet omnino deponas, ac virilem animum, vt principem decet, aſſumens, regni tui primordia in iuſtitia & æquitate ſtabilias, thronum tuum clementia robores & pietate confirmes, eccleſias & perſonas eccleſiaſticas honores, earum iura cuſtodias, immunitates ſerues, & augeas libertates: ſubditorum tuorum, & præcipue pauperum, grauamina horreas, iniurias deteſteris: & ſic in omnibus ſtrenue ac virtuoſe te Regem exhibeas, quod omnia ſalubriter & prouide regens & dirigens, operibus impleas nomen Regis, quatenus & in præſenti proſperis ſucceſſibus affluas, & in futuro perpetuæ beatitudinis gaudijs, præſtâte Domino, cum ſanctis & electis ſuis perfrui merearis. *Dat. Auin. xv. non. ſept. anno* ix. Fuiſſe Philippum in cogendis pecunijs verſutiſſimū, refert Matthæus Villanus a: monetas ſæpius immutaſſe, decumas quinquēnales expeditionis Aſiaticę ſpecie inuaſiſſe, nobiles Gallos redegiſſe ad inopiam, atque in tantis bellicis ſumptibus abundaſſe auro, vt dum parte alia Anglus ipſi plura eriperet, plura ipſe regno adijceret: Montem enim Peſſulanum coemiſſe vidimus, ac delphinatum Viennenſem Vmberti principis dono comparaſſe; quem quidem principatum vt ſibi aſſereret Ioannes ſucceſſor, antea Normannię dux, perfecit vt delphinus, qui inter Prædicatores vitæ religioſę poſt reditum ab expeditione Turcica inglorius reuerſus ſe addixerat, ſacris ordinibus hoc extremo anno a Pontifice initiaretur, Rhemenſique eccleſiæ præficeretur, vt narrat Clementis vitæ ſcriptor anonymus. b

Adhortatio ad gerendum probe regnum.

a Matth. Vill. ſuper c. 75.

Philip. in cogendis populi opibus verſutiſſimus.

Monte m. peſſul. & Delphinatū regno adiunxit.

b Geſta Clem. VI. apud Boſq.

40 *Deo ſic permittente nihil proficere potuit, ſed vacuus redeens deliberauit mundum relinquere & ſtatum mutare, elegitque in habitu regulari Domino deſeruire: prius tamen diſpoſuit & ordinauit de ſuo delphinatu modo ſubſequenti: videlicet, quod eo ipſum relinquente ſibi in eo ſuccederet Rex Franciæ et ſui perpetuo in regno ſucceſſores, hac adiecta etiam conditione, quod ſemper remaneret in manibus & regimine Regis vel filij ſui primogeniti, qui erit vel ſperabitur eſſe in regno ſucceſſurus. Facta autem huiuſmodi ordinatione, religioſus effectus eſt, & habitum Prædicatorum aſſumpſit. Dictus vero Papa demum ipſo inſtante & procurante Ioanne Rege Franciæ memorato iam ſuo ſucceſſore effecto, fecit patriarcham Alexandrinum & eccleſiam Rhemenſem ſibi perpetuo commendauit: & conſo ipſum magis honorandi, ne forte a præmiſſis in poſterum poſſit reſilire, in propria nocte natalis Domini ipſum ad omnes ſacros ordines vno contextu ordinauit.* His conſentanea referuntur in M.S Vaticano. a Diſcrepat ab ijs Henricus Rebdorfius b, dum patriarcham Antiochenum ait creatum. Seruatum vero in eo ſacris initiando ordinem ita diſtinguit: *Papa ipſum fecit patriarcham Antiochenum, & in prædicto feſto natiuitatis Domini, quod fuit in ſabbato, ipſum promouit ad tres ſacros ordines: in primo miſſæ galli cantus ordinat ipſum in ſubdiaconum, in ſecunda miſſa ortus diei ordinat ipſum in diaconum, in ſumma miſſa in ſacerdotem, & eodem die ipſe delphinus miſſam celebrauit, & poſt octo dies Papa ipſum epiſcopum conſecrauit.* Agunt de eodem delphino Matthæus Villanus c, Albertus Argentiuenſis d, & alij: quem iniuria vilis ingenij nota ob principatum abiectum aſpergunt, quaſi vero ingenuibus potius animis ad tantas opes contemnendas opus non fuit, ac non ſit admiratione dignius, acceptum principatum virtutis amore reliquiſſe, quam ſi virtute bellica ſibi peperiſſet. Illo vero ſacrato patriarcha Rex delphinatus Gallico regno ſine vllo mutationis metu cohæſit. Delibutum Rhemis balſamo regio Ioannem mox a patris obitu refert Clementis vitæ auctor, ne ſcilicet Eduardus ex intempeſtiua mora regnum turbaret: multum profuit ad conſtabiliendum ſolium numeroſa proles e, quatuor enim filios ac tres filias ſuſceperat. Arreptis ita Gallicæ rei gubernaculis a Ioanne Rege, Pontifex tuendarum inter Francos & Anglos induciarum cupidus, ne ob nouam rerum conuerſionem vetus bellum ferueſceret, internuntios apoſtolicos ad vtrumque Regem legauit f: qui pontificijs votis aſſenſere g: induciæque inter ipſos ſunt confirmatæ & extractæ, Eduardus tamen, quamquam rogatus a Pontifice h, vt ad ſedem Apoſtolicam pro ineundo fœdere cum Ioanne oratores inſignis auctoritate mitteret, excuſauit i liberi commeatus ſyngrapha Regis Francorum fidendum non videri, cum iam ante Anglicus fecialis obtruncatus eſſet: ſed inter Bononiam atque Itium locum colloquij deſignandum.

Interea celebratam ingenti pompa in Anglia S. Thomæ Herefordenſis epiſcopi tranſlationem, refert Vualſinghamus his verbis k: *Eodem anno cum magna veneratione facta eſt tranſlatio S. Thomæ Herefordenſis epiſcopi, Rege præſente cum nonnullis eccleſiæ Anglicanæ prælatis regnique nobilibus, & alijs plebeis in multitudine copioſa.* Tradit idem auctor initum hoc anno ab Eduardo maritimum prælium dubia diu & ancipiti victoria cum Hiſpania Cantabris. Cauſa belli fuit, Hiſpanos infeſtaſſe Anglicas naues in mari Aquitanico, damnaque grauiſſima intuliſſe. Quam vlturus iniuriam Eduardus in Hiſpaniæ oram cum inſtructa claſſe cōtendit: cuius aduentu cognito Hiſpani ad bellum ſe impigre compararunt. Atrox fuit & diuturnum prælium, ac demum Eduardus cruentam victoriam retulit quarto kal. ſeptembris. Confirmantur hæc a Matthæo Villano m eius temporis auctore: quanquam Meyerus, victoriam Hiſpanis tribuit. Quæ quidem clades ſub Petri noui Regis initijs contigit.

41 Reliquerat magnum ſui deſiderium & luctum Alfonſus Caſtellæ & Legionis Rex menſe martio n, cui ſi vita longior ſuperfuiſſet, Mahu-

Qua lege traditus Gallo ſit principatus.

Vt delphinus Prædicatorum ordini ſe addixerit.

Creatus patriarch. & archiepiſcopus.

a M.S. bib. Vat. ſign. n. 3765 in Clem. VI.

b Rebdor. in annal.

Tres ordines eodē die ſuſcepit.

c Matth. Vill. l. 1. c. 26.

d Alber. Arg. in chron.

Ioannes Rhemis inunctus.

e Matth. Vill. l. 1. c. 75. Geſta Clem. VI. apud Boſq. Alb. Arg. in chron. Paul. Aemil. in Io. Reg.

f To. 9. ep. ſecr. pag. 105.

Miſſi a Pont. internuntij pro conciliāda pace.

Tranſlatio S. Thomæ Hereford.

g Ibid. ep. ſecr. pag. 175. & 178.

h Eod. to. pag. 97.

i Ib. pag. 178.

k Vualſin. in Eduar. III.

Angles inter & Hiſpan. inita naumachia.

m Matth. Vill. l. 1. c. 99.

n Matth. Vill. l. 1. c. 41. Io. Marian. l. 16. c. 15.

Heraclea pressa obsidione ab Alfonso Rege. Correpit lue Christianos exercitus.

humeticam superstitionem e Granatensi regno eius virtute excisum iri, spem ingens pios omnes manebat. Premebat tum obsidione Heracleam arcem munitissimam, illiusque potiundæ expectatione bellum vrgebat; cum lues castra inuasit erexitque obsessos Saracenos. Suadebant Ioannes Lara, ac Ferdinandus Emanuel cedendum inopinatæ calamitati ac dissoluendum exercitum: at recuperandæ arcis quam ipso Rege amissam vidimus, fideique propagandæ studium Alfonsum incendebat, ac præteritæ felicitatis memoria nitendum contra aduersa, strenuis viris respondit: nullibi honestius, quam in castris pro fide pugnanti moriendum occurrere. Correptus igitur lue paulo post maxima rei Christianæ iactura, e viuis subtractus est: de quo hæc Mariana a.

a Mariana ibid. Alphonsus a a extinctus.

Hunc ergo vitæ finem Alfonsus Castellæ Rex eo nomine XI. octauo & trigesimo ætatis anno habuit, si vita longior contigisset, Maurorum reliquias excisurus in Hispania, magnisque principibus comparandus rerum gestarum magnitudine, scientia militari, ciuili prudentia. Vna domestica incontinentia ad reliquarum virtutum iniuriam non leuem accessit. Vindicis nomen iustitiæ amor ad populum conciliauit, aliquando fortasse nimius. Extincti Regis corpus, obsidione soluta, Hispalim relatum, & in Regum sacello conditum; inde Corduba, vti moriens testamento cauerat. Eodem etiam cauisse, vt vetera Templariorum bona, quæ Hospitalarijs equitibus addicta ab ipso partim regiæ gazæ partim charissimis aulicis ascripta fuerant, restituerentur religiosis equitibus, quo animum eo onere leuaret, narrat Bosius b: verum successores eorum bonorũ dulcedine delinitos, prædam e manibus nõ dimisisse: quamquã ipsis ira diuini Numinis intentata fuerit. Defuncto tanto Rege, Christiano exercitui animus concidit, solutaq; est Heracleæ obsidio. Sparsa vero Alfonsi obitus fama, nõ illum Hispani modo, sed vniuersi fideles luxere, ac præ ceteris iure merito Christi vicarius immaturam mortem defleuit, vt subiectæ literæ consolatoriæ ad Mariam Reginã viduã datæ testantur. c

Alfonsi elogium.

Templariorum bona hereditaria restitui hospitalarijs iussit. b Bosius l. a hist. Hosp. Ierosol.

Defletus ab omnibus Christianis eius mors. c To. 9. ep. secr. pag. 5

Clementi, &c. charissima in Christo filia Mariæ Reginæ Castellæ ac Legionis illustri.

Consolatoriæ ad Reginam viduam literæ.

42 Non miramur, charissima filia, si claræ memoriæ Alfonsi Regis Castellæ ac Legionis viri tui de hac luce transitus præmaturus tuum consternauit animum, turbauit mentem, & viscera quæque mœrore conspersit: cum & nos etiam in subtractione tanti & tam clari filij, tamq; vtilis athletæ fidei Christianæ, quantum licuit, supernæ maiestatis voluntate seruata, doluerimus vehementer. Quis enim fidei zelator ipsius in eiusdem principis casu non doleat? quis in illius occubitu non tristetur? quis oculos compescet a lacrymis? quis a mœrore poterit continere? Ipse namque infatigabilis pugil fidei, memoratæ pro illius exaltatione ab annis teneris aduersus hostes eius & æmulos tam strenue, quam vtiliter dimicauit: ipse, de inimicis eius conculcatis & domitis triumphum nobilem in Dei virtute reportans, dum ad eorum exterminium accinctus robore virtutis & animi solicite laboraret, & laboribus suis spes quasi certa fructum polliceretur optatum, succisa tela vitæ, quam nondum annosa ætas longiorem verisimiliter promittebat, auaræ mortis seuero iudicio, quod nulla prorsus appellatione suspenditur, parere compulsus est. In cuius obitu etsi doleamus, immensius dolenti tibi, quasi ex subtracta tibi altera tui parte, totique populo Christiano condolere charitas nos compellat; attendentes tamen, quod ille misericordiarum pater & totius consolationis Deus, ex abducto patre tibi ex vtero tuo filium, qui sub eodem viro tuo composuit virtutes & mores, quibus credita sibi regna & populos regat & dirigat ad salutem, in eo qui dedit & abstulit consolamur.

De insignibus illius triũphis.

Quapropter serenitatem tuam rogamus & obsecramus in Domino, quatenus præmissa in examen debitæ considerationis adducens, & ad finem vniuersæ carnis & mortalitatis legem, indictam generi humano communiter, retorquens aciem tuæ mentis, abijce lacrymas, compesce suspiria, mœrorem prorsus omitte, sperans quod retributor bonorum omnium, cui nunquam sine remuneratione seruitur, eidem viro tuo pro seruitiorum impendijs stipendia digna rependens ipsum post labores & angustias, quos in eius obsequijs prompta voluntate ac sincera deuotione subiuit, ad æternæ quietis & felicitatis gaudia introduxit, ac inter sanctos & electos suos in sinu patriarchæ sui Abrahæ collocauit. Vt autem idem natus tuus, sicut in regio solio, sic in virtutum exercitio dicti viri tui successor laudabilis prædicetur; & ille Rex Regum, per quem datur regnare principibus, thronum tuum roboret & confirmet, ipsum maternis & salutaribus monitis exhorteris, quod ipse regni sui primordia in iustitia & æquitate stabiliat, ecclesias & personas ecclesiasticas honoribus ampliet, fauoribus prosequatur, & earum custodiat libertates: subditorum grauamina releuet, bonos promoueat, malos exterminet, pietatem & clementiam amplectatur. Nos enim, ad honoris eiusdem nati tui incrementa ex paternæ charitatis debito habentes affectionem & animum promptiora, in his & tuis, ac eius quibuscumque beneplacitis, quæ apostolico fauore prosequi Deo iuuante proponimus, per dilectum filium nobilem virum Raimundum de sancto Michaele scutiferum armorum nostrum exhibitorem præsentium, & quoties opportunitas exiget, requirere poteris fiducia filiali. *Dat. Auin. vi kal. iunij anno IX.*

Succedit illi in regno Petrus filius.

43 Solatus etiam est alijs literis a Clemens patrum a superioribus verbis sententijsque discrepantibus nouum Regem Petrum, & ad virtutes regias sectandas est adhortatus. Verum ipse prima regni sui auspicia a crudelitate duxit, sæuireque cœpit in fratres spurios b. Odiorum causa fuit nimia illorum opes ac potentia, quæ suspicionem afferebant. Et quidem susceptum olim a Lusitaniæ Rege in Alfonsum Regem Castellæ bellum vidimus, cum de his spurijs ad regnum euehendis esset agitatum. Gusmania pellex, eorum malorum causa, vt nunquam diuturna est praua felicitas, in carcere cæsa c. Adhæsit facinoris inuidia Mariæ Reginæ viduæ, dolorem zelotypiæ ex impuro diuturnoque viri contubernio vlciscenti: inde orta bella ciuilia; omissaque Granatensi expeditione, Hispani in mutuas cædes ferrum exacuerunt.

a Eod. to. pag. 6.

b Mariana l. 15. c. 17. A crudelitate regnum auspicatur.

c Bed. lib. c. 16.

44 In Lusitania ius ecclesiasticum non parum violatum est Regis regiorumque administrorum iniusta vi: contempta enim ab ijs est anathematis sententia incussa ad asserenda ecclesiarum iura, atque in eos, qui edicta pontificia afferebant, carcere vel exilio sæuitum. De quibus grauissime Pontifex questus est apud Alfonsum d, ac monuit, ne acceptam a maioribus defensoris ecclesiastici gloriam labefactaret.

Ius ecclesiasticum in Lusitania labefactatum. d To. 9 ep. secr. pag. 81.

Clemens, &c. Alfonso Regi Portugalliæ illustri.

Quanto deuotionis affectu erga Deum &

Ro-

Romanam ecclesiam matrem tuam progenitores tui recordationis inclytæ Reges Portugalliæ claruerunt grata memoria recensentes, & attendentes quanta tu, fili charissime, illis sicut in regni solio, sic in virtutum operatione succedens, nos & eandem ecclesiam es puritate fidei & deuotionis sinceritate reueritus & continue reuereris, speramus indubie, & probabiliter certi sumus, quod in regno tuo libertatem ecclesiasticam, quam sicut princeps catholicus defensare teneris, opprimi sub tuo præsertim nomine fine titulo non permittes; & quod, si quid aduersus eam in eodem regno aliqui minus prouide fieri tentauerunt, prouisionis tuæ remedio celeriter & fauorabiliter corrigetur. Habet siquidem insinuatio fide digna multorum, quod dum in aliquos subditos tuos pro eiusdem ecclesiæ recuperatione iurium excommunicationis sententia rite quantumcumque profertur, statim cum in vocem licet friuolæ appellationis erumpitur, per literas regias expresse mandatur, quod nullus sic excommunicatos pro excommunicatis habeat, aut tanquam excommunicatos euitet; & quod clerici, qui nunciorum nostrorum literas super hoc exequuntur, aut ab eodem regno exulent, aut experiantur angustias carcerales: & alia multa fiunt, quæ relinquimus ad præsens silentio; ex quibus libertati ecclesiæ non modicum derogatur: Et quamuis hæc* verisimiliter credimus præter conscientiam tuam fiant; quia tamen nomine tuo fieri asseruntur, decet magnitudinem tuam tanto corrigere illa celeriter, quanto (si vera sunt) honori tuo derogant potius & saluti, &c. *Dat. Auin. XVI. kal. septembris anno IX.* Repetitæ [a] sunt eædem querelæ III. non. septembris, atque Alfonsus tantò mederi malo iussus.

Monitus Alfons. Rex, vt illud suo restituat splendori.

Insignis regiorum administrorum corruptela.

*, vt

a Ibid. pag. 105.

45 In Aragonia etiam Cæsaraugustæ atroci facto ecclesiastica dignitas est labefactata: cum enim internuntius pontificius regios administros sacras opes inique extorquentes defixisset anathemate, ac vocatus a Petro Rege constanti animo gesta rescindere detrectasset, contumelijs proscissus a Rege ac grauissimis pœnis iniquissime affectus est. Ob quam impietatem Pontifex Petrum, intentata cœlesti ira, admonuit [b] vt administrorum grassationes coerceret.

Rex Aragonū grauiter ius ecclesiasticum lædit.

b Eod. to. 9. ep. sec. pag. 169.

Clemens, &c. Petro Regi Aragonum illustri spiritum consilij sanioris.

In regnis & terris tuis, Dei timore postposito & canonum reuerentia vilipensa, opprimuntur ecclesiæ ecclesiasticæque personæ, iura vsurpantur earum, & libertas ecclesiastica conculcatur; etenim cum aliqui rescripta sedis Apostolicæ contra quosuis tibi subditos laicos ad ecclesiasticos iudices in dictis regnis & terris impetrent (sicut eis licet in multis casibus de iure communi & consuetudine approbata) officiales tui iuris ordinem subuertentes, impetrantes rescriptis vti huiusmodi, & iudices impetratos eosdem ipsorum rescriptorum vigore procedere non permittunt: & dum pridem dilectus filius Bernardus Alanhani canonicus Valentinus A. S. N. contra quosdam laicos subditos tuos pro eo, quod sibi nomine cameræ per eosdem soluere contumaciter contemnebant, excommunicationis sententiam protulerat, & quosdam processus alios fecerat, prout in forma dictarum litterarum poterat contra eos; tu præfatum Bernardum, missis ad eum nuntio & literis regijs, ad tuam præsentiam accersitum, & in conspectu regio constitutum post iniurias, contumelias, & opprobria, quibus transgressus limites modestiæ regiæ ipsum, sed nos potius, ad quem respectum habere debueras (cum honorem & iniuriam, qui deferuntur missis, certum sit mittentibus irrogari, sicut ipsa Veritas, quæ Apostolos, id est nuntios suos euangelium omni creaturæ prædicare transmittens: *Omnis*, Inquit, *qui vos recipit, me recipit*, attestatur) lapsa nimis licentia lacessisti, ad reuocationem huiusmodi processuum grauium incussione minarum & terrorum atrocium induxisti [subditque] dum ipse minarum & terrorum illatione huiusmodi ad eorundem processuum reuocationem flecti nequiret, sicut non debebat; tu lenitatem regiæ grauitatis rigore leuitatis exasperans, & mansuetudinem conuertens in iram, gladium quem tibi ad vindictam malorum, laudem vero bonorum diuina potentia portare concessit, vt eundem Bernardum perimeres, non metuens tremendam illam sententiam, quam per euangelicam vocem Dominus comminatur: *Omnis qui ferit gladio, peribit gladio*; exemisti: cumque iracundiam tuam expleri, & circumstantes aut (quod verisimiliter credimus) ipsa modestia prohiberent, tu adhuc tui contra Deum & iustitiam arbitrij prosecutor præfatum Bernardum, pœnas eorundem canonum sententiasque non veritus, mandasti teterrimo carceri mancipari, vbi velut multorum criminum reus ignominiose detentus, tandem de illius ergastulo non concedenda sibi libertatis gratia, sed vt parata sibi grauia inhumaniter tormenta sentiret vel subiret, mortis supplicium, nisi in huiusmodi reuocatione deferens homini contra Deum tuis iussionibus pareret, eductus; cum ille virtutis constantiæ robore communitus, post sumenda de patre suo & ipso quoque opprobriosę ac diræ mortis supplicia, quæ ministrorum tuorum immanis furor comminabatur, eidem inflexibilem ad id inclinari animũ nullatenus pateretur, ministri ijdem, affectionem tuam super hoc sentientes, illum ad cuiusdam eminentioris turris præcipitium adduxerunt (ad cuius etiam turris pedem stare compulsus idem miserabilis pater infelicem filij sui casum, quem anxius & consternatus animo expectabat) vestimentis post hæc Bernardus idem clericalibus denudatus est, & grauioribus terroribus vtpote vicinæ mortis exactus, vt processus habitos reuocaret; ac illo firmo adhuc proposito assensum præbere importunis & tremendis iussionibus recusante, præfati ministri tui, sed crudelitatis detestandæ potius, eum deflexo capite pedibus retinentes, extra turrim eandem impie demiserunt; vbi aliquandiu pendens immaniter post viscerum euacuationem & intolerabilem vomitum quodammodo factus exanimis, metu, qui in constantem vtique cecidit de facto, cum de iure non posset, processus huiusmodi reuocauit, sicque ministri ipsi eum vitæ superstitem seruauerunt: sed libertatis beneficium nec pater nec filius ijdem potuerunt consequi, nisi prius ab eodem patre (qui licet innoxius contra Dei præceptum dicentis: *Pater iniquitatem filij non portabit*; propter filium, iubente te, tenebantur in vinculis) quoad præfatus Bernardus omnes processus, quos auctoritate apostolica fecerat, reuocaret; & nihilominus illos tibi traderet infra mensem tunc proxime secuturum.

Eiusdem in pontificium internuntiū atrox latinus.

Crudelitas in eiusdem parētem insontem.

[Exprobrare pergit alia impie ab ipso contra libertatem ecclesiasticam patrata; incussas atroces minas episcopo Valentino, ne apostolica

im-

imperia capesseret, viros ecclesiasticos ad secularia tribunalia rapi iussos, duos clericos ab ipsius administris Cæsaraugustæ extremo supplicio affectos, atque alia, quæ ipse dissimulatione prætereo. Denique inuehitur acerrime ob spretas censuras ecclesiasticas, quibus ob non solutum Sardiniæ & Corsicæ vectigal se irretierat.]

Intermissa ab Aragonio census solutio.

Tu insuper, vt assertio monstrauit eadem, claues ecclesiæ, quibus salutis via infidelibus clauditur & fidelibus aperitur, perperam vilipendens (quamquam propter neglectam aut, quod absit, contemptam solutionem annui census, in quo nobis & ecclesiæ Romanæ præfatæ pro regno Sardiniæ & Corsicæ, quæ a nobis & ecclesia ipsa tenes in feudum, & pro quibus nobis & illi subditus & ligius vassallus existis teneris, vt nosti, ac propter commissionem & assensum tam grauium excessuum prædictorum, si, vt præmittitur, excessus huiusmodi veri sint, sis diuersis excommunicationum sententijs innodatus) coram te facis diuina solemniter, non sine iniuria catholicæ fidei, officia profanari; cum tamen tanto quisque debeat abstinere a licitis, quanto se meminit illicita perpetrasse, donec reconciliatus Deo, dignos pœnitentiæ fructus afferens, capax gratiæ sis effectus. [Ex his colligitur, Petrum Regem, qui diu ob intermissum tributa annis præteritis Sardiniæ & Corsicæ censum duorum millium marcharum pendi Romanæ ecclesiæ solitum, censuris deuinctus fuerat, & IV. kal. februarij solutus a nexibus anathematis ea lege, vt recurrentibus singulis annis sex proximis mille marcas vna cum alijs duobus ex fiduciarijs tabulis constitutis persolueret; promissorum fidem hoc ipso anno violasse. Pergit Clemens.]

a To. 8. ep. secr. pag. 147.

46 Nullus te blandis sermonibus in tuorum successuum prosperitate sustollat: quinimmo in conspectu Dei tui, tanto humilior semper appareas, quanto ille te benigniori prospexit intuitu, quantoque processus tuos felicioribus successibus fœcundauit: memor, quod ille Nabuchodonosor princeps magnus sit commutatus in belluam, quia nimia felicitate successuum in superbiam eleuatus nullum suæ potentiæ posse resistere inaniter cogitauit. Deus enim humillimus superborum, quibus resistit, corda non incolit: sed apud humiles, quibus suam largitur gratiam, suam elegit mansionem: & quamuis misericors legatur & patiens, describitur tamen Deus zelotes, & dominus vltionum. Noli ergo, noli aduersariorum ecclesiæ contra illam prauis assentire consilijs: noli sub conseruandorum tuorum iurium conficto prætextu pati ecclesiarum iura discerpi, & libertatem ecclesiasticam conculcari: noli in membris suis sustinere ipsius persecutionem ecclesiæ, quoniam omnipotens Dominus, qui cuncta largitur, ex alto prospiciens, facit vt plerumque proprijs careat, qui concupiscit indebite aliena; & Pharaonem illum, persequentem diebus illis ecclesiam, id est congregationem tunc fidelium Iudæorum, cum exercitu suo excussit in mare. Redemptor etiam noster aduersus eandem ecclesiam, quam solus ipse fundauit & consecrauit cruore proprio, quique regit, gubernat, & protegit, portas inferi, id est abusum secularium potestatum, præualere non sinit, Quinimmo, virgam suæ virtutis emittens, scabellum pedum suorum ipsius posuit inimicos: tam in fundamento solido angularis lapidis, qui missus est Christus, eadem ecclesia firma consistens, & si quatitur, non conteritur turbinibus potestatum: quinimmo, conquassatis in terra multorum capitibus superborum ceruicem erigentium contra eam, consurgit, quotidie fortior, velut acies inuicta castrorum. Quapropter serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino attentius obsecrantes, tibique tuæ salutis intuitu iniungentes, quatenus præmissa omnia si, vt præmittitur, vera sunt, pro diuinæ maiestatis reuerentia, nostræ interuentionis obtentu, & ipsius tuæ consideratione salutis emendans prudenter, & corrigens studiose, ab his & eis similibus abstinens; & officiales ac ministros ipsos aliosque subditos tuos omnino compescens, ecclesijs & personis eisdem pro iniurijs & offensis huiusmodi eis, sed & nobis etiam (vt præfertur) illatis, emendam & satisfactionem debitas exhibeas, & facias exhiberi, &c. *Dat. Auin. VI. kal. decembris anno IX.* Correptus apostolica censura Petrus Rex Aragonum oratores ad poscendam veniam proximo anno ad sedem Apostolicam decreuit a.

Pontificia ad illum monita, vt tumorem premat.

Iracundiæ diuinæ irq

a Lib. prim. Rom. eccl. to. 3. pag. 122.

47 Auctum b est hoc anno a Clemente Cardinalium collegium, de quo vitæ illius scriptor c: *Dicto, inquit, anno, scilicet quinquagesimo, præfatus Papa fecit creationem duodecim Cardinalium, videlicet decem presbyterorum & duorum diaconorum, & hoc die decima septima mensis decembris, qua fuit feria sexta quatuor temporum. Presbyteri autem fuerunt isti: dominus Ægidius Aluari Hispanus, tunc archiepiscopus Toletanus: dominus frater Pastor de Saretinaco diœcesis Vsuarensis ordinis Minorum, tunc archiepiscopus Ebredunensis: dominus Raimundus de Cambiace diœcesis Mimetensis canonicus regularis ordinis sancti Augustini, tunc archiepiscopus Telesanus: dominus * Pictauinus de Montesquiuo Vasco, tunc episcopus Albiensis: dominus Nicolaus de Caporia Romanus, tunc episcopus Vercellensis: dominus Petrus de Cresso diœcesis Lemouicensis, tunc episcopus Antissiodorensis: dominus * Pontius de Villemuro Vasco canonicus ordinis S. Augustini, tunc episcopus Appamiarum: dominus Guillelmus de Agrifolio monachus S. Benedicti, tunc electus Cæsaraugustanus, consanguineus & cubicularius ipsius Papæ: dominus Ægidius Rigaudi, tunc abbas S. Dionysij prope Parisios ordinis S. Benedicti, & dominus frater Ioannes de Malendina diœcesis Lemouicensis, tunc generalis magister ordinis Prædicatorum. Diaconi vero fuerunt, dominus Raynaldus de Vrsinis Romanus, tunc sedis Apostolicæ notarius, & dominus Ioannes filius vicecomitis de Caramanno nepos Ioannis Papæ vigesimi secundi, tunc sedis Apostolicæ notarius.* Sunt in regesto pontificio literæ, extremo anno datæ ad Amalninum, quem Pictauinum ab auctore, Portaninum in codice regio appellatum vidimus, Albiensem episcopum, quibus ipsum de adepta vna cum alijs Cardinalitia dignitate certiorem factum, ad aulam pontificiam iubet accedere c: *Inter quos, inquit, nimirum viros electos ex millibus assumptos ad adiuuandum Pontificem in gubernatione nauis, quæ est ecclesia, te, quem tuarum monile virtutum idoneum tanto ministerio nostris præsentat obtutibus numerantes, ad Cardinalatus honorem duximus promouendum. Festina itaque fili, festina, & suaui iugo, leuique oneri Domini colla submissurus accede, vt sicut honoris factus es particeps, sic oneris & mercedis participium merearis. Dat. Auin. XIV. kal. ianuarij anno IX.*

b MS. bibl. Vat. sign. n. 2040. in Clem. VI. & gesta Clem. VI. apud B. sq. Cardinales hoc anno creati a Clem.

*C R Pontianus de Montesquiuo

* apud Contelorium legitur Arnaldus

c To. 9. ep. secr. pag. 187.

48 Conceptæ sunt eadem verborum forma literæ d ad Petrum episcopum Antissiodorensem,

d Reg. post rand. ep.

Ar-

Arnaldum episcopum Appamiarum, Ioannem supremum ordinis Prædicatorij magistrum, atque Ægidium monasterij S. Dionysij Parisiensis diœcesis abbatem. Cum vero huius postremi opera Francorum Rex egeret, Clemens singulari beneficio pileum rubeum illi tradendum Parisiensi, Laudunensi, & Carnotensi episcopis transmisit quo argumento sequenti anno tum ad hos episcopos a, tum ad Ægidium ipsum scriptę b sunt literæ: *Licet, inquit, imitanda seruarit antiquitas, vt ad honorem cardinalatus euectus non prius capello rubeo vteretur, quam illum de manu Romani Pontificis suscepisset: attendentes tamen, quod tu, quem ad honorem huiusmodi duximus assumendum, quique assumptionis tempore de Romana curia absens eras, habes pro certis negotijs arduis charissimi in Christo filij nostri Ioannis Regis Francorum illustris, in quibus idem Rex præsentia tua indigere se dixit, diebus aliquibus in partibus ipsis de nostra licentia remanere; eiusdem Regis supplicationibus inclinati, capellum huiusmodi per dilectum filium nobilem virum Nicolaum Iudicis domicellum dominum de Lanneria sancti Pontij Thomeriarum diœcesis, nepotem nostrum, venerabilibus fratribus nostris Parisiensi & Laudunensi & Carnotensi episcopis, exhibendum tibi per eos vel alium eorundem, prouidimus destinandum. Dat. apud Villamnouam Auin. diae. xviii. kal. aprilis anno ix.*

Ægidio pileus rubeus trãsmissus.

a Rod. to. 9 ep. secr. pag. 260. b Ibid. pag. 261.

IESV CHRISTI

Annus 1351.

CLEMENTIS PP. VI. annus 10. CAROLI IV. ROM. REG. 6. IO. PAL. 11. & IO. CAN. 5. IMPP.

1 SVsceptas superioribus annis in reuocanda ad fidei puritatem Armenorum ecclesia, discutiendisque erroribus, quos offuderant Dioscorus, Eriscareus, Iacobus, Rassus, ac Vattan insignis impietate hæresiarcha, qui ad euertendam Romanæ ecclesiæ doctrinam plures sacrilegos commentarios scripserat, curas apostolicas vrgere Clemens VI. perstitit anno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo primo indictione quarta. Sensisse quidem male Armenos de processione Spiritus sancti ex Patre Filioque, de peccato originali ex primis parentibus contracto, de essentiæ diuinæ intuitiua visione, qua animæ ab omni labe liberæ segregatæq; a corporibus potiuntur, de animarum in peccato lethali pereuntiũ in inferno supplicijs, de virtute baptismi delentis origine & actu suscepta peccata, de non destructo a Christo infimo inferno; grauem suspicionem iniecerant, cum ea fidei capita ex transmissa a Pontifice formula vna cum alijs nonnullis expunxisset patriarcha, ac profiteri etiam subterfugisset, malignos spiritus non natura sed prauo liberi arbitrij vsu ab ea dignitate, in qua boni erant creati, desciuisse: criminum maculas fuso animalium cruore non deleri: ieiunia esu piscium & olei non violari: baptismum non repetendum: infantes ante octauum diem baptismo posse ablui, neque illum alio liquore quam aqua elementari conferendum: in eucharistia Christi corpus idem numero, quod e Virgine natum affixumque in cruce existere: neminem nisi sacerdotio initiatum, quantouis sanctitatis fastigio conspicuum, Christi corpus conficere posse: sacram exhomologesim omnium peccatorum lethalium ad salutem adipiscendam necessariam. Ad plura etiam alia a Pontifice proposita fidei orthodoxa capita, nimirum B. Petri erga alios Apostolos auctoritatem, eiusque successorum in omnes ecclesias primatum ex processionem Spiritus sancti a Patre Filioque: duas in Christo voluntates ac naturas, personæque vnitatem; atque alia ad superiora spectantia, obscuris sententijs responderat patriarcha siue suo siue interpretum vitio. Vt itaq; missis ambagibus, fidei veritatem puram in luce collocaret, multis interrogationibus apud illum instandum circa singula putauit a, vt mentem clare exprimeret, tum illa fidei capita, quæ ex transmissa formula omiserat, profiteri iussit Pontifex.

Hæresiarchæ extiti apud Armenos.

Præcipui eorum errores.

a To. 10. ep. secr. pag. 72. & M.S. arch. Vat. de reb. Tart. Armen. Græc. & alior. infidel. & schis. pag. 89.

Venerabili fratri Consolatori dicto catholicon Armenorum.

2 Super quibusdam capitulis, quæ pro pleniori eruditione tua & ecclesiæ Armenorum in fide recta & vera sanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ, quę fauente Domino (qui eam fundauit, rexit, & regit, quique vt fides eius non deficeret exorauit) per veritatis viam impolluto calle incessit & graditur, dudum per venerabilem fratrem nostrum Ioannem archiepiscopum Pisanum, tunc electum Coronensem, & bonæ memoriæ Antonium episcopum Gaietanum (quos ad partes ipsas, commisso eis in illis plenæ legationis officio, signanter propterea misimus) responsiones tuas & ecclesiæ minoris Armeniæ, per eundem Ioannem archiepiscopum, præfato Antonio episcopo in sui prosecutione itineris, iubente Deo, naturæ debitum exoluente, sub certis capitulis comprehensas benigne recepimus, & super eis, cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, & nonnullis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, alijsque prælatis ecclesiasticis, ac sacræ theologiæ magistris & decretorum doctoribus habita deliberatione matura, non potuimus nec possumus ex responsionibus huiusmodi quo ad plura elicere, quid tu & eadem ecclesia minoris Armeniæ sincerè & pure credatis, ac etiam teneatis. Et ideo, quia confessio sanctæ & catholicæ fidei simplex esse debet & clara, sicut Saluator & redemptor noster nos edocens: *Qui facit*, inquit, *veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt*. Et e contra: *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt fiant eius opera manifesta*; nos de tua cæterorumque Armenorum, sicut aliorum quoque fidelium, quorum curam prouidentia nobis diuina commisit, ex paternæ charitatis affectu attente soliciti, vt nostrum in hac parte debitum impleamus, quibusdam ex ipsis tuis & eiusdem ecclesiæ minoris Armeniæ responsionibus, ex quarum aliquibus conditionata, ex quibusdam vero diminuta vel imperfecta, & ex nonnullis, forsitan scriptoris vel interpretis vitio, minus vera confessio manifeste colligitur, interrogationes prouidimus salubriter subnectendas, vt tu & eadem Armeniæ ecclesia non in tenebris, sed in luce, ad illas pure & simpliciter respondentes, effecti lucis filij, illius luminis veri de lumine, quod indeficiens perseuerans, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in æternæ beatitudinis patria felici visione perfrui valeatis.

Monetur patriarcha, vt nitide confessionem fidei edat.

3 In primo igitur capitulo responsionis tuæ, in quo pro fundamento ipsius catholicæ fidei præmittis, quod tu & ecclesia Armenorum, quæ tibi obedit, creditis & tenetis, promittitis tenere, & diciris tu & tota ecclesia Armenorum tibi obedientium, quod eadem ecclesia Romana, cuius summus Pontifex est Papa Romanus, est sola catho-

De primatu Rom. ecclesiæ agnito ab Armenis.

tholica, & in ea sola est vera salus, & vna vera fides, & vnum verum baptisma, & vera remissio peccatorum; quærimus. Primo, si creditis tu & ecclesia Armenorum, quæ tibi obedit, omnes illos, qui in baptismo eandem fidem catholicam receperunt, & postmodum a communione fidei eiusdem ecclesiæ Romanæ, quæ vna sola catholica est, recesserunt vel recedent in futurum, esse schismaticos & hereticos, si pertinaciter diuisi a fide ipsius Romanæ ecclesiæ perseuerent. Secundo petimus, si creditis tu & Armeni tibi obedientes, quod nullus homo viatorum extra fidem ipsius ecclesiæ, & obedientiam Pontificum Romanorum, poterit finaliter saluus esse.

Propositæ circa hūc quæstiunculæ.

Nullus sine fide, quā Rom. ecclesia tenet saluus esse potest.

In secundo vero capitulo dicis te credere & tenere, quod solus Pontifex Romanus habet plenitudinem potestatis, quam beatus Petrus Apostolus habebat, & quod ipse Pontifex Romanus solus est vniuersalis Christi vicarius; & quod tu catholicon Armenorum es & esse debes obediens Pontifici Romano, propter hanc tamen obedientiam non vis te vel tuam ecclesiam in aliquo minorare vel perdere, nec diminuere gratias, libertates, curas, diœcæses, iura, & potestatem iubendi omnibus Armenis, quæ tui prædecessores & ecclesia Armenorum receperunt & tenuerunt ab ipsa Romana ecclesia; immo deprecaris, quod tibi & ecclesiæ tuæ prædictis remanentibus, nos qui sumus Romanus Pontifex accrescere faciamus libertates & iura tua & tuæ ecclesiæ, quantum secundum Deum fieri potest, ad nostri memoriam sempiternam. Iterum dicis, te credere & tenere, quod antistites de catholica, & apostolica ecclesia debent esse obedientes Romano Pontifici, quia Christus plenitudinem potestatis dedit beato Petro pro se & pro locumtenentibus eius. Item dicis, te credere, quod quilibet Pontifex Romanus, qui summus est, præteritus, præsens, & futurus, erat, est, & erit locumtenens beati Petri; quia fuit & est & erit immediate vniuersalis Christi vicarius. Item promittis quod, quantum in te erit, facere curabis omnes subditos tuos ecclesiasticos & seculares prædicta omnia & singula firmiter credere & tenere: super his ergo quærimus. Primo, si credidisti, credis, vel credere es paratus cum ecclesia Armenorum, quæ tibi obedit, quod beatus Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super omnes fideles Christianos a domino Iesu Christo: & quod omnis potestas iurisdictionis, quam in certis terris & prouincijs, & diuersis partibus orbis specialiter & particulariter habuerunt Iudas Thadæus & cæteri Apostoli, subiecta fuerit plenissimæ auctoritati & potestati, quam super quoscunque in Christum credentes in omnibus partibus orbis beatus Petrus ab ipso domino Iesu Christo accepit; & quod nullus Apostolus, vel quicunque alius super omnes Christianos, nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit. Secundo si credidisti, tenuisti, vel credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi subiectis, quod omnes Romani Pontifices, qui beato Petro succedentes canonice intrauerunt & canonice intrabunt, ipsi beato Petro Romano Pontifici successerint & succedunt in eadem plenitudine, iurisdictione, potestatis, quam ipse beatus Petrus accepit a domino Iesu Christo super totum & vniuersum corpus ecclesiæ militantis. Tertio si credidistis & creditis tu & Armeni tibi subiecti, Romanos Pontifices, qui fuerunt, & nos qui sumus Pontifex Romanus, ac illos qui in posterum successiue erunt, tanquam legitimos & potestate plenissimos Christi vicarios, omnem potestatiuam iurisdictionem, quam Christus vt caput conforme in humana vita habuit, immediate ab ipso Christo super totum ac vniuersum corpus militantis ecclesiæ accepisse. Quarto si credidisti & credis, quod omnes Romani Pontifices qui fuerunt, nos qui sumus, & alij qui erunt in posterum, ex plenitudine potestatis & auctoritatis præmissæ potuerunt, possumus, & poterunt immediate per nos & eos de omnibus tanquam de iurisdictioni nostræ ac eorum subditis iudicare, & ad iudicandum quoscumque voluerimus ecclesiasticos iudices constituere & delegare. Quinto si credidisti & credis, quod in tantum fuerit, sit, & erit suprema & præeminens auctoritas & iuridica potestas Romanorum Pontificum qui fuerunt, nostri qui sumus, & illorum qui in posterum erunt, vt a nemine iudicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt; sed soli Deo iudicandi seruati fuerint, seruemur, & seruabuntur: & quod a sententijs & iudicijs nostris non potuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem iudicem alium appellari. Sexto si credidisti & adhuc credis, plenitudinem potestatis Romani Pontificis se extendere in tantum, quod patriarchas, catholicon, archiepiscopos, episcopos, abbates, & quoscumque prælatos alios de dignitatibus, in quibus fuerint constituti, possit ad alias dignitates maioris vel minoris iurisdictionis transferre, vel exigentibus eorum criminibus, ipsos degradare & deponere, excommunicare & sathanæ tradere. Septimo, si credidisti & adhuc credis, pontificalem auctoritatem non posse nec debere subijci cuicumque imperiali & regali, aut alteri seculari potestati, quantum ad institutionem iudicialem, correctionem, vel destitutionem. Octauo si credidisti & credis, Romanum Pontificem solum posse sacros generales canones condere, plenissimam indulgentiam dare visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, vel ad terram sanctam accedentibus, aut quibuscumque fidelibus vere & plene pœnitentibus & confessis. Nono si credidisti & credis, omnes qui se contra fidem Romanæ ecclesiæ erexerunt & in finali impœnitentia mortui fuerunt, damnatos fuisse, & ad perpetua infernorum supplicia descendisse. Decimo si credidisti & adhuc credis, Romanum Pontificem circa administrationem sacramentorum ecclesiæ, saluis semper illis, quæ sunt de integritate & necessitate sacramentorum, posse diuersos ritus ecclesiarum Christi tolerare, & etiam concedere, vt seruentur. Vndecimo si credidisti & credis, Armenos, qui Romano Pontifici in diuersis partibus orbis obediunt, & formas & ritus Romanæ ecclesiæ in administratione sacramentorum, & in ecclesiasticis officijs, ieiunijs, & alijs ceremonijs studiose & cum deuotione obseruant, bene agere, & illa agendo vitam æternam mereri. Duodecimo, si credidisti & credis, neminem de dignitate episcopali ad archiepiscopalem, patriarchalem, vel catholicon posse transferri auctoritate propria, nec etiam auctoritate cuiuscumque principis secularis, siue Rex fuerit, siue Imperator, vel quicumque alius fultus qualicumque potestate & dignitate terrena. Tertiodecimo si credidisti & adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubijs emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem autenticam, cui sit inuiolabiliter adhærendum,

finem

De plenitudine potestatis in Rom. Pontifice.

Proposita circa hūc articulū.

Iudas Thadæus & alij Apostoli fuere subiecti B. Petro.

Eandem habet Pōtifex quā B. Petrus habuit auctoritatem.

De omnibus Christianis iudicare potest.

A nemine potest iudicari.

Patriarchas & prę sules alios transferre & exauctorare potest.

Canones condere & plenarias indulgentias dare.

Damnati sunt omnes, qui in oppugnatæ fidei crimine moriuntur.

Potest Papa, saluis essentialibus, varios ritus in sacramētis permittere.

Possunt Armeni alijque ritus ecclesiæ Rom. amplecti.

Solus Pōtifex dubia in fide dirimere potest.

finem imponere, & esse verum & catholicum quicquid ipse auctoritate clauium sibi traditarum a Christo determinat esse verum: & quod determinat esse falsum & hæreticum, sit censendum. Quartodecimo si credidisti & credis nouum & vetus testamentum in omnibus libris, quos Romanæ ecclesiæ nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere.

Respondendo vero ad articulos etiam minoris Armeniæ ecclesiæ, per nos missos, præmittis quod quæ dicturus es, sunt de doctrina veteris & noui testamenti, Thadæi & Bartholomæi Apostolorum, & vniuersalis consilij sanctæ catholicæ & apostolicę ecclesię tradita, vt credenda & tenenda ecclesię Armenorum, &c. Super quo a te quęrimus, quę sequuntur. Primo si credidisti, quod doctrina noui & veteris testamenti a beatis Apostolis Thadęo & Bartholomęo fuerit edita, vel solis illis prędicantibus ecclesię catholicę per eos manifestata. Secundo, si credidisti & credis Thadęum Iudam, & Bartholomęum Andreę, Iacobo maiori & minori, Ioanni Euangelistę, ac cæteris a Petro Apostolis pręfuisse, vel maioris auctoritatis fuisse.

Quæstiones circa Apostolos Thadæu & Bartholomæum.

Secundo capitulo scribis, te & Armenos tibi obedientes credere, quod Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, & quod vsque nunc particulariter tu & Armeni tibi obedientes dixistis, sed deinceps quantum poteris, facies hoc generaliter dici. Circa quod capitulum per te ad sequētia volumus responderi. Primo si credidisti & tenuisti, esse de necessitate salutis credere, quod Spiritus sanctus non a solo Patre, sed etiam a Filio ab æterno procedit. Secundo si illos, qui expresse negabant Spiritum sanctum a Filio procedere, pro schismaticis & hęreticis habuisti, habes, & es semper in posterum habiturus. Tertio si in officio missæ diebus, quibus secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ cantatur primum symbolum es paratus & promptus cantare, & coram populo profiteri, quod Spiritus sanctus a Patre Filioque procedit, prout in dicto symbolo continętur. Quarto si credidisti & credis, Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio tanquam ab vno principio per vnam spirationem, communem Patri & Filio existentem, prout docent Romana ecclesia, concilium generale, & doctores catholici, quos eadem ecclesia veneratur vt sanctos. Quinto si credidisti & credis, Spiritum sanctum cum Patre & Filio esse vnum Deum, & eis per omnia esse æqualem potestate, voluntate, immensitate, & in omni perfectione; non inferiorem gradu, nec tempore posteriorem; sed eadem æternitate ęternum. Sexto, quia scribis, quod vsque nunc particulariter dixisti, Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio, sed deinceps, quantum poteris, facies generaliter dici; quærimus a te, si per particulariter intelligis, quod ad partem & non in publico dicebas; vel, quod aliqui ex Armenis, licet particulares & pauci, credebant & dicebant Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio; generaliter tamen Armeniæ minoris communitas, quod a Filio Spiritus sanctus procederet, non credebat, nec dicebat, neque videtur ad dicendum parata faciliter; quia tu scribis, quod quantum poteris, facies generaliter dici.

Est de necessitate salutis credere, Spiritum sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere.

Esse vnū Deum cū Patre & Filio.

4. Secundo capitulo scribis, te credere & tenere, quod in vna sola persona Christi sunt duæ naturæ, humana scilicet & diuina vnitæ. Super quo scire volumus si credis, vel credere es paratus tu & Armeni, qui tibi obediunt, in Christo solam personam æternam esse Dei filij, in duabus perfectis & integris naturis; diuina siquidem quam æternaliter habuit, & humana quam ex tempore de virginali vtero beatæ Mariæ matris suæ assumpsit. Secundo si reputas omnes illos hæreticos, qui credunt & credent in futurum, quod in Christo non manet nisi vna natura, quemadmodum in eo non est nisi vna sola persona: & si tu & Armeni, qui tibi obediunt, detestamini Eutychen & Dioscorum, ac cæteros eorum complices hæreticos, Christi carnem & diuinam essentiam in vnam confundentes naturam; vel dicentes, Christum nihil maternæ substantiæ suscepisse, sed tantum Dei naturam sub habitu latere humano, quemadmodum latet homo sub indumento, & beatum Leonem, sub quo celebratum est Chalcedonense concilium, & prædictam hæresim & dictos hæreticos condemnauit, firmiter creditis, diuinam essentiam inter sanctos alios clare videre, & beatifice ea frui. Tertio si credidisti vel credere es paratus, Macarium Antiochenum episcopum & eius complices socios, qui vnam voluntatem & operationem astruebant in Christo, per Romanum Pontificem Agathonem in sexta Constantinopolitana synodo cum eorum hæresi iuste & catholice condemnatos, & anathematizatos fuisse. Quarto si credidistis & creditis tu & Armeni, qui tibi obediunt, Varten, quem (prout nobis a pluribus est relatum & assertum) Armeni pro speciali doctore habuerunt, & qui multos de Armenia minori labe hæresis infecit, docens & scribens, quod Spiritus sanctus non procedit a Filio sed a solo Patre, & quod Christus non habet nisi vnam solam naturam, & quod non dedit ipse Christus maiorem potestatem Petro quam alijs Apostolis, & quod Romana ecclesia non habet iurisdictionem nec aliquam potestatem super ecclesiam Armenorum, & quod spiritus omnium hominum fuerint insimul a Deo creati, & quod animæ saluandæ & damnandæ vsque ad diem iudicij manent extra paradisum & extra infernum, nec sanctæ animæ Deum per essentiam beatifice videbunt, neque fruentur eo vsque ad diem iudicij; nec illæ, quæ cum peccato mortali a suis corporibus recesserunt, vsque ad prædictam diem finalis iudicij cruciabuntur in inferno: & quod pro animabus beatæ Virginis, beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & omnium sanctorum martyrum, & illorum, qui decesserunt sine culpa quacunque, & absque omni obligatione ad purgatorij pœnas, ab ecclesia catholica est orandum; & quod Christus secundum humanitatem est æqualis Deo Patri; & sic de multis alijs erroribus, quibus est vnus magnus liber, quem dictus Vartan composuisse aduersus fidem sanctæ Romanæ ecclesiæ dicitur, per totum respersus, fuisse hæreticum & hęresiarcham pessimum, ac ipsum, cum dictis hæresibus & alijs quibuscunque in libro illo, vel in alijs scripturis, aut doctrinis eiusdem contentis, in quantum scripturæ illæ, aut quæcunque eius doctrinæ, vel dicta contraria sunt scripturæ & doctrinæ fidei Iesu Christi, quam Romana docet & tenet ecclesia; & omnia Armenorum concilia, vbicunque & per quoscunque fuerint congregata contra fidem Romanæ ecclesiæ & articulos fidei Christianæ, quos docet & tenet Romana ecclesia, reputatis, creditis, & tenetis fuisse congregationes hæreticorum, & aduersariorum fidei domini nostri Iesu Christi: & si eos, qui talia docuerunt, hære-

In vna sola persona Christi sunt duæ naturæ.

Hæretici sunt qui vnam solam naturam manere dicunt.

Macarius hæresiarcha vnā voluntatē & operationem astruebat in Christo.

Vartani hæresiarchę errores.

Tenuit inter alia orandum esse pro sanctis.

Et Christum secūdum humanitatē esse æqualem Deo Patri.

hereticos & eorum doctrinam vt hereticam anathematizatis; & detestamini vt fidei Iesu Christi venenum.

5 In tertio capitulo dicitis, vos credere, quod nati & nascituri ex viro & muliere contrahunt originale peccatum, præter peccata personalia, quæ primi parentes, comedendo de fructu ligni vetito contra præceptum eis datum a Domino, contraxerunt. Circa quod capitulum a te & ab Armenis, qui tibi obediunt, scire volumus. Primo si creditis, quod actualia primorum parentum peccata nati & nascituri ex eis contraxerunt, & contrahent in futurum, quemadmodum ab ipsis contrahunt originale peccatum. Secundo si creditis, quod propter omnia actualia peccata primorum parentum contrahatur originale peccatum. Tertio si creditis, quod circa apertionem regni cælorum tantum operaretur circumcisio ante institutionem baptismi, & omnium hominum per propagationem a primis parentibus descendentium in vtroque sexu obligationem, ad ipsam, quantum ex tunc operatur baptismus.

De originali peccato.

Peccatū actuale primorū parentū non contrahitur.

6 Sexto capitulo dicis, te cum Armenis tibi obedientibus credere, quod omnes animæ defunctorum ex toto purgatæ a peccatis post passionem Christi statim vadunt ad regnum cælorum, vbi Deum manifeste vident: & animæ decedentium in peccato mortali vadunt in infernum damnationis, vbi nunquam Deum videbunt; sed sensuali purgatione ibidem puniuntur. Circa quod scire volumus a te. Primo si credis, vel credere es paratus, quod post passionem & ascensionem domini Iesu Christi animæ eorum, qui decesserunt in Christi gratia, & in quibus nihil fuit purgabile quando decesserunt, ascendant in cælorum regnum & paradisum cælestem, & cum Christo & sanctorum angelorum consortio congregatæ, diuinam essentiam videant visione faciali, sicut est ipsa diuina essentia, sc immediate nude, clare, & aperte eis ostendente. Secundo si credidisti vel credere es paratus, quod eadem fruantur essentia animæ nihil habentes purgabile a suis corporibus separatæ: & quod ex visione & fruitione diuinæ essentiæ sint vere beatæ: & quod huiusmodi intuitiua & facialis, clara, & aperta visio & fruitio in eisdem animabus sine aliqua intercisione seu euacuatione continuata existit, & continuabitur vsque ad finale iudicium, & ex tunc vsque in sempiternum. Tertio si credis vel credere es paratus, quod animæ decedentium in actuali mortali peccato mox post mortem suam ad inferna descendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur sine remedio & sine extinctione ignis cum perpetua pœna carentiæ visionis & fruitionis beatæ.

Animæ sanctorū diuinam essentiam intuētur.

Nulla est illius felicitatis interruptio.

Animæ in lethali noxa decedētium æterernis sunt cruciatib⁹ mancipatæ.

7 Septimo capitulo dicis, te cum Armenis tibi obedientibus credere, quod vera felicitas stat in visione Dei; & non in visione alicuius alterius rei. Circa quod volumus a te scire. Primo si credidisti & credis, quod vera felicitas non consistit in visione Dei per speculum in ænigmate; sed in visione, qua facie ad faciem Deus sicuti est videtur. Secundo si credidisti & credis, quod vera felicitas sine dilatione * correspondente faciali Dei visioni * non habetur.

Vera felicitas sita in visione Dei.

** correspondente*
** mox*

8 Circa octauum capitulum quærimus. Primo si credidisti & credis, quod Christus secundum humanitatem non excedit infinita perfectione omnem creaturam, nec beatitudo creata, qua eius anima est beata, infinita perfectione excedit beatitudinem angelorum, vel beatarum animarum. Secundo, si credidisti & credis, Christum secundum humanitatem, qua minor est Patre, excedi in infinitum & sine termino a perfectione, quam habet secundum diuinitatem, in qua Patri & sancto Spiritui est æqualis.

Christus secundū humanitatem infinite abest a perfectione, quam habet secundum diuinitatem.

Circa decimum capitulum quærimus, si credidisti, & credis, purgatorium esse, ad quod descendunt animæ decedentium in gratia, quæ nondum per completam pœnitentiam de suis satisfecerunt peccatis. Item si credidisti & credis, quod igne crucientur ad tempus, & quod mox purgatæ etiam citra diem iudicij ad veram & æternam beatitudinem perueniant, quæ in faciali Dei visione & dilectione consistit.

De purgatorio igne.

In XII. capitulo, dicis, quod baptismus secundum formam ecclesiæ receptus sine simulatione delet omnia peccata illorum, qui semel baptizantur, siue originalia sint, siue actualia: sed cum aliqui baptizantur bis in eodem baptismo, non delentur peccata illorum; immo potius adduntur, & committuntur per secundum baptismū. Circa quod primo volumus a te scire, si credis, quod baptismus susceptus secund' m formam Romanæ ecclesiæ, quæ est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; it. illis, qui non simulate nec ficte suscipiunt, deleat omnia originalia, & actualia, si insunt illis, peccata. Secundo si credis, prædictam formam, qua Romana ecclesia vtitur, Christum instituisse & tradidisse Apostolis, & ipsam a Christo & per Apostolos fuisse impositam catholicæ ecclesiæ, quæ Romana est, ad seruandum. Tertio si credis, quod a quocunque mortali homine, habente fidem sacramenti, etiam non sacerdote vel clerico, sed laico vel muliere baptismus conferatur in forma, qua vtitur Romana ecclesia, verum baptisma esse, nec posse scienter iterari ab aliquo ministro, nec suscipi ab illo, qui in dicta forma Romanæ ecclesiæ semel fuerit baptizatus, sine mortali peccato. Quarto si credis, posito quod licitum esset inter prolationem verborum formæ baptismi & lotionem cum aqua baptismali euangelium vel aliquas orationes interponere, quod multo melius, & magis ordinate fiat si, quando proferuntur verba baptismi, lotio simul fiat cum aqua baptismali illius, qui baptizatur. Quinto si credis vlla auctoritate, cui a catholico sit adhærendum, aut efficaci ratione posse probari, quod forma, qua vtitur Romana ecclesia baptizādo, sit dubia & incerta; & quod Apostoli ea vsi non fuerint baptizantes. Quod pro tanto a te scire volumus, quia misisti quasdam rationes debiliter concludentes pro eo quam maxime, quod supponis in omnibus illis rationibus, quæ deberes probare.

De Baptismo.

Iterari nō debet.

Forma eius non est dubia.

9 Circa XVII. capitulum in quo dicis, te credere, quod matrimonium est sacramentum ecclesiæ, & quod actus matrimonialis, si congruo modo fiat, est meritorius; volumus a te scire, si credis, matrimonij sacramentum perfectum & per carnalem copulam consummatum, nunquam posse dissolui quantum ad vinculum, aliter, quam per mortem alterius coniugis vel amborum, dicente Domino: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*. Secundo si credis, quod vxore mortua, qui fuit vir eius, possit nubere cum secunda, & illa mortua cum tertia, & sic deinceps quamdiu placuerit sibi, & fuerit coniugio aptus: & quod simili modo vxor, suo primo viro mortuo, possit secundo nubere, & tertio mortuo simi-

De matrimonio.

Indissolubile est.

similiter, & sic de alijs mortuis viris primis.

De natura a Verbo assumpta.

Circa xxiii. capitulum, in quo dicis te credere, quod natura humana assumpta a Verbo, est substantialiter vnita Verbo in vnitate personæ; quęrimus a te, si credis vnitatem naturæ humanæ & diuinæ in Verbo non esse substantialem, sed personalem: nec naturas diuinam & humanam vnitas esse substantialiter, sed suppositaliter in vnitate personæ.

Subditi quibuslibet patriarchis a Papa ordines possunt suscipere. Potius Papæ quam patriarchis obedire tenentur.

Circa xxiiii. capitulum, in quo dicis & promittis, quod curabis facere, vt subditi tui non recipiant manuum impositionem nisi ab ijs, qui obediunt tibi, sicut & tu ecclesiæ Romanæ; quęrimus primo a te, si credis, quod illi, qui Romanæ ecclesiæ & tibi obediunt, a Romano Pontifice vel ab alijs episcopis auctoritate Romani Pontificis possunt recipere manuum impositionem. Secundo si credis, quod omnes, qui tibi obediunt, teneantur immediatius & principalius, quam tibi, Romano Pontifici obedire,

10 Circa xxx. & xxxi. capitula, in quibus dicis primo, quod carnes animalium, quæ occiduntur pro sepulturis defunctorum, vt adiuuentur per eleemosynas, & quod distinctio de mundis, & immundis animalibus quantum ad esum, quæ præcipiebantur in lege veteri, cessauit & euacuata est per aduentum Christi; quærimus a te, si credis, quod huiusmodi eleemosynæ, quæ fiunt de carnibus prohibitis in lege, prosint animabus defunctorum plusquam si fierent de non prohibitis; & quam proficerent eis, si de pane, vino, vel panno, seu rebus alijs, quibus sacerdotes & alij pauperes tantum, vel amplius indigerent.

Armeni pisces & oleū diebus ieiunij nō comedūt.

Circa xxxii. capitulum, in quo scribis, non esse de consuetudine Armenorum, pisces & oleum comedere in diebus ieiuniorum, immo per mandatum ecclesiæ Armenorum prohibitum est comedere pisces & oleum, & quod laudatis illos, qui vna comestione contenti sunt in diebus ieiuniorum; quęrimus primo a te, si credis, non esse mandatum ecclesiæ catholicæ, quod in diebus ieiuniorum, omnes ieiunantes abstineant a piscibus & oleo, nec quod talis abstinentia sit de necessitate ieiunij a sanctis patribus institui. Secūdo si credis, quod qui pluribus vicibus in die quam vna comedunt, violant ieiunium a Romana ecclesia & sanctis patribus institutum.

De vnitate ecclesiæ.

In capitulo xxxix. dicis quod rite baptizati in ecclesia catholica & apostolica nullo modo sunt iterum baptizandi. Circa quod quærimus a te, si per ecclesiam catholicam & apostolicam intelligis ecclesiam Romanam. Secundo, si in symbolo, vbi nos habemus: ***In vnam sanctam catholicam***; tu & Armeni qui tibi obediunt habetis: ***Et in hanc sanctam catholicam***; & si estis parati dicere: ***Et in vnam***, vt Romana ecclesia dicit.

De Eucharistia.

11 In xlii. capitulo dicis te credere & tenere, quod corpus Christi natū de Virgine, & mortuum in cruce, quod nunc est in cælo viuum, post verba consecrationis panis, quæ sunt: ***Hoc est corpus meum***; est in sacramento altaris sub specie & similitudine panis: ex quo quærimus a te.

In ea fit transubstantiatio.

Primo si credis, quod panis transsubstantietur in corpus Christi. Secundo si post illa verba, ***Hoc est corpus meum***, sacerdotes in ecclesia Armenorum vtuntur orationibus, per quas videantur orare, quod panis conuertatur, & transeat in corpus Christi, vel quod fiat in corpus Christi: & si huiusmodi orationes es tu, & Armeni qui tibi obediunt, paratus omnino & ex toto dimittere vel saltem corrigere quantum ad hoc, quod optando oratur, vt corpus Christi fiat in altari, postquam per verba consecrationis, vere et realiter in ipso sacramento est corpus Christi. Tertio quærimus a te, quibus verbis vtuntur sacerdotes Armenorum in consecratione sanguinis Iesu Christi. Et pro conclusione eorum, quæ scripsisti in capitulis liii. volumus a te scire, si omnia scripta per te submittis correctioni nostræ, tanquam veri vicarij Iesu Christi, et successoris beati Petri principis Apostolorum in plenissima potestate super omnes, qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi; et correctioni etiam successorum nostrorum, ac Romanæ ecclesię, quę nunquam potest deficere in credendis.

12 Rursus circa responsiones tuas ad instructiones datas tibi, et Armenis qui tibi obediunt, per sæpedictos Ioannem archiepiscopum et Antonium episcopum, responsiones dedisti, quæ nos inducunt, vt a te sequentia requiramus. Primo de consecratione chrismatis, si credis, quod per nullum sacerdotē, qui non est episcopus, chrisma potest rite, et debite consecrari. Secundo si credis, quod sacramentum confirmationis per alium, quam per episcopum, non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi, committi. Quarto si credis, quod chrismati per quoscunque sacerdotes, qui nō sunt episcopi, neq; a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint chrismandi.

Chrisma nō potest per simplicem sacerdotem rite & debite consecrari.

Confirmatio solum per Rom. Pontificē presbyteris committi potest.

Circa instructionem secundam, quod paruulis, quando baptizantur, non debet dari corpus Christi, nec poni in ore eorum; respondes, quod dabitur solummodo illis, qui in ætate adulta baptizantur. Circa quam responsionem quærimus, si credis, quod ante vsum rationis, nulli ministranda sit hostia consecrata. Secundo si ætatem adultam, in qua nullus sit idoneus recipere corpus et sanguinem Iesu Christi, non credis vsquequo saltem compleuerit septimum annum.

Circa quartam instructionem, in qua agitur de sacramento extremæ vnctionis; si credis, quod omnis homo mortalis adultus in eo solo casu, quo grauiter est infirmus, et in mortali periculo constitutus, debet deuote et fideliter semel dumtaxat in eadem infirmitate sacramentum extremæ vnctionis requirere, et suscipere: quod si non habens fidem huiusmodi sacramenti omitteret, vel sacerdos ex eadem causa administrare nollet, peccarent ambo grauiter, & errarent in fide.

Extrema vnctio semel in eadem infirmitate conferenda.

Circa instructionem nonam, quę erat, quod Armenis, qui rationabiliter dubitabunt, vtrum veraciter in forma, qua Armeni baptizant, fuerint baptizati, non prohibeantur baptizari secundum formam ecclesię Romanę conditionaliter; respondisti, quod rite baptizati in ecclesia Armenorum, a quocumque baptizantur, nullo modo iterato baptizandi sunt: sed qui dubitabunt rationabiliter, debent dubitationem suam deferre ad sapientes prælatos ecclesiæ Armenorum, qui si opus fuerit, baptizabunt eos secundum formam Armenorum: circa quam responsionem primo quærimus a te, in casu, quo baptizati in forma Armenorum dubitarent, an essent baptizati vel non, & pro dubitatione amputanda de cordibus eorum ad Romanam ecclesiam re-

Forma baptismi Armen. in dubium adducta.

cur-

carrerent, si paratus es credere verum esse, quod Romana determinaret ecclesia. Secundo si Armeni, dubitantes de forma baptismi, in qua baptizat ecclesia Armenorum, ad sapientes prælatos ecclesiæ Armenorum suam dubitationem deferrent: volumus a te scire, vtrum tales benigne & charitatiue susciperent, & dubitationi eorum, per sacræ scripturæ instructionem satisfacerent; vel potius dubios flagellarent, incarcerarent, & occiderent, sicut nobis relatum est, quod fecerunt de illis Armenis, qui secundum formam Romanæ ecclesiæ per dictos nostros nuncios sub conditione baptizati fuerunt.

De festiuitatibus sanctor. 13 Circa instructionem xi. quæ est, vt Armeni festiuitates celebrent in diebus per Romanam ecclesiam institutis; respondes, quod capitales festiuitates ita celebratis, sicut Romana ecclesia; alias autem festiuitates celebratis secundum Kalendarium Armenorum. Circa quam responsionem quærimus, si es paratus tu & Armeni tibi subditi celebrare festiuitates sanctorum, quos honorat & veneratur vbique Romana ecclesia: & si kalendarium, quo vtitur Romana ecclesia, estis parati recipere, vt vtamini eo in venerando & honorando sanctos, quos veneratur & honorat Romana ecclesia diebus ad hoc per Romanam ecclesiam institutis.

In sextadecima instructione respondes, quod illos sanctos, quos catholica & apostolica ecclesia iam acceptauit & honorauit, tu & Armeni acceptatis & honoratis similiter; & sanctos, quos acceptat & honorat ecclesia Romana, acceptatis & honoratis, & de cætero, cũ acceptabitis & honorabitis sicut sanctum, facieris de voluntate, et scitu ecclesiæ Romanæ. Circa quam responsionem primo quærimus a te, si credis catholicam et apostolicam ecclesiam esse eandem vel aliam, quam Romanam ecclesiam: quod pro tanto cogimur quærere, quia in responsione immediate præmissa, sanctam catholicam ecclesiam videris distinguere a Romana, ac si crederes ecclesiam Rom. non esse catholicam. Secundo si credis, hæreticos et hæresiarchas; sicut dicuntur fuisse Dioscorus, Eriscartus, Iacobus, et Raffus, et plures alij, non esse per ecclesiam catholicam honorandos et venerandos vt sanctos; sed potius anathematizandos et detestandos.

Præcipui Armenorum hæresiarchæ.

14 Circa instructionem xix. de illegitime natis, quod non promoueantur ad sacros ordines sine dispensatione Romani Pontificis; respondes quod catholicon Armenorum vsque nunc dispensauit, et via, quod de cætero ita fiat, quamuis raro cum talibus dispensetur. Circa quam responsionem volumus a te scire, cum dispensatio cum illegitime natis, vt ad sacros ordines valeant promoueri, sit casus inter alios specialiter Romano Pontifici reseruatus, si tu vis, vt cæteri episcopi obedientes Romano Pontifici in prædicto casu non possint dispensare sine speciali priuilegio et concessione Pontificis Romani.

Circa instructionem xx. quæ est de libris, quibus vtitur ecclesia Armenorum; respondes, quod in illis non sunt errores, sed laudes et gloria Dei, et in quibus necesse esset eos corrigere, corrigerentur. Circa quam responsionem quærimus a te, quare libros, quibus in officijs missarum et horarum, et ordinationum et consecrationum episcoporũ vtitur ecclesia Armenorum, non exhibuisti, nec etiam ad legendum exhibere voluisti interpreti archiepiscopi et episcopi prædictorum. Secundo volumus a te scire, si fideliter et integre ea paratus eos exhibere nostris nuncijs, cum per eos fueris requisitus. Tertio tu non respondes de libris illorum, quos apud Armenos reputas doctores, in quibus, vt nobis delatum est, sunt multi errores et hæreses contra eandem fidem catholicam, quam tenet et docet sancta mater ecclesia. Volumus igitur a te scire, si es paratus ad mandatum nostrum, quando ad te peruenerit, libros huiusmodi exhibere.

Libri Armenorũ suspecti.

15 Post prædicta omnia, mirari cogimur vehementer, quod in quadam epistola, quæ incipit, *Honorabilibus in Christo patribus*, subtrahis de LIII. ptim is capitulis capitula, xvi. Primũ, quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Tertium, quod paruuli ex primis parentibus contrahunt originale peccatum. Sextum, quod animæ ex toto purgatæ separatæ a suis corporibus manifeste Deum vident. Nonum, quod animæ decedentium in mortali peccato in infernum descendant. Duodecimum, quod baptismus deleat originale et actuale peccatum. XIII. quod Christus non destruxit, descendendo ad inferos, inferiorem infernum. XV. quod angeli a Deo fuerunt creati boni. XXX. quod effusio sanguinis animalium nullam operatur remissionem peccatorum. XXXIT. quod non iudicent comestores piscium et olei in diebus ieiuniorum. XXXIX. quod in ecclesia catholica baptizati, si efficiantur infideles et postmodum conuertantur, non sunt iterum baptizandi. XL. quod paruuli ante octauum diem possunt baptizari, et quod baptismus non potest esse in liquore alio, quam in vera aqua. XLII. quod corpus Christi post verba consecrationis sit idem numero, quod corpus natum de Virgine et immolatum in cruce. XLV. quod nullus, etiam sanctus, corpus Christi potest conficere, nisi sit sacerdos. XLVI. quod est de necessitate salutis, confiteri proprio sacerdoti, vel de licentia eius, omnia peccata mortalia perfecte et distincte [Quis autem proprius sacerdos intelligendus sit, iam in superiori tomo contra errorem Ioannis e Poliaco demonstratum est a, nimirum non parochum modo, sed episcopum et summum Pontificem et eos, qui vel ab episcopo et maxime qui a sede Apostolica fuerint ea auctoritate instructi, censendos proprios sacerdotes idest, iurisdictionem habentes; et non alienos, scilicet nullo noxarum pœnitentis sohiendarum iure præditos] Quia igitur verba illius epistolæ, in qua scribis, quod diminuisti XVI. capitula de LIII. capitulis per dictos archiepiscopum et episcopum tibi exhibitis, et ad singula per te illis in scriptis responsionibus datis, intricata sunt et obscura; ideo volumus clare & fine velamine a te scire, si prædicta XVI. capitula diminuisti de LIII. pro eo, quod non credis ea esse vera, neque catholica; vel ex qua causa ipsa capitula diminuisti.

Capitula ad quæ non respõsum est a patriarcha Armenorũ.

a Ann. Chr. 1322 n. 20.

16 Item in scriptis rogasti archiepiscopum & episcopum antefatos, vt esset inter eos & te verborum finis: & quod amplius non laboraretis in verbis instructionis, ad quem laborem ijdem archiepiscopus & episcopus per Romanam sedem fuerant ad te missi. Et cum tuæ responsiones in pluribus sint dubiæ, cauillosæ, obscuræ, & suspectæ, scias quod non possemus nos, qui salutem tuam & Armenorum ipsorum, sicut tenemur, ardenti desiderio sitimus, finem imponere, nec a labore & fatigatione cessare, nisi prius pure, clare, perfecte, & integre tu & Armeni de tua obedientia fidem illam receperitis, quam ipsa Romana tenet & docet ecclesia, quæ cunctorum

Alia respõsa obscura & ambigua.

fidelium marer est & magistra. Adhuc cum canonizationes sanctorum, & promotiones illegitimorum ad sacros ordines sint casua, qui inter alios tantummodo Romano Pontifici reseruantur & ad nullum alium prælatum ecclesiæ pertinentes, nisi ipse Romanus Pontifex specialiter aliquibus duxerit committendos; miramur, quod te dicis prædictos duos casus, auctoritate propria velle penes te retincre: quod nullum signum est obedientiæ & reuerentiæ, quas ad Romanum Pontificem in præmissis capitulis te prætendis habere. Quapropter ad hoc cogimur te requirere, vt nobis in scriptis respondeas, si vis traditiones orthodoxorum Patrum, ac decretales seu constitutiones sanctæ & apostolicæ ac Romanæ sedis reuerenter suscipere, docere, atque seruare.

Ad solum Pont. spectat cuiquam sanctor. cultum decernere.

17 Cæterum, quia fidedignorum plurium, & quorundam etiam Armenorum relatio frequenter nostris auribus instillauit, quod tu & antecessores tui catholicon Armenorum, ac tibi & eis obedientes Armeni ea, quæ circa ipsius fidei nostræ cultum nobis & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibue tuis & eorum literis descripsistis, & promisistis etiam vos facturos, in nullo penitus obseruatis: immo (quod est detestabilius, & nos amplius deploramus) nunciorum & legatorum dictæ sedis, quos ad te ac illos sedes ipsa de tua & illorum salute anxia curiositate solicita destinauit, salubria monita, & sanam catholicamque doctrinam per eosdem legatos & nuncios tibi & tuis antecessoribus, ac obedientibus tibi & eis Armenis eisdem communicata & tradita contempsistis, & abiecistis omnino, ac fidem ipsius ecclesiæ Romanæ, extra quam nulli est gratia, nulli salus, habuistis damnabiliter in derisum.

Promissa a patriarchis Armenis nõ seruata.

Et ideo fraternitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur attente, tibi tuæ salutis intuitu sanis consilijs suadentes, quatenus responsiones per te ad interrogationes nostras faciendas & omnia, quæ tu & ijdem obedientes tibi, vt præfertur, Armeni circa ipsius fidei nostræ negocium promitteris & diceris, vos credere ac tenere (quãquam speremus indubie quod simplicia verba tua & Armenorum ipsorum pura & vera tua & eorum conscientia quicquid illi vel illi conentur asserere comitetur) tactis sacrosanctis euangelijs, iuramentis solemnibus roboretis: & nihilominus sub iuramentis similibue promittatis, quod nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, & eidem ecclesiæ Romanæ, et nostris & eorum præceptis & iussionibus, sicut vere obedientes, parebitis cum effectu, vt ora de te et Armenis eisdem sic grauiter sicque notabiliter obloquentium obstruas; et Armeniæ cleri et populi pastor bonus sic eis salutis ducatum et pascua præpares, quod dum tempus resolutionis aduenerit, ad sancta sanctorum purificatis cum ipsis introire mentibus merearis nosq; laborum nostrorum, quos cum tanta cordis affectione ac sinceritate subiuimus et subimus, fructus vtiles et diu ac anxie concupitos, præstante domino nostro Iesu Christo, qui est caput ecclesiæ, colligamus: sciturus pro certo, quod præter salutis æternæ præmia, et famæ titulos, quæ prouide consequeris, dabit tibi Deus, ille omnium opulentissimus retributor vnde in præsenti quoque seculo gratijs et beneficijs affluas: et nos, licet insufficientibus meritis, dignatione sua eius in terris vicarius, qui honori et statui ecclesiæ sedisque tuę non detrahere, quinimmo adijcere tuis, vt speramus, exigentibus meritis, Deo fauente proponimus, magnis et amplioribus priuilegijs, gratijs, et libertatibus te ac ipsam tuam ecclesiam honorare. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœces. 11. kal. octobris anno 2.*

Exactum, vt dicta sacramẽto confirmẽt.

18 Ex his animaduerti potest in quantos, quamque fœdos errores prolabantur facile, qui se a Romanę ecclesię coniunctione segregarunt. Nec possunt nouatores iure gloriari de suarum hæresum antiquitate, iactareque ad imperitos subornandos, Armenos aliosque orientales cum ipsis sentire: licet enim aliquos ex his erroribus tueantur, non tamen omnes admittunt, atque in grauissimis capitibus discrepant. Diuina vero potius iustitie suspicienda, quę his erroribus infectos Armenos redigi passa sit in barbarorum seruitutem. Quam vt auerteret calamitatem Clemens, omne studium pro instaurenda illis in regnis religione contulit, Constantinumque Regem occidentalium auxilia implorantem excitauit a, vt patriarcham ac pręsulca Armenos ad orthodoxam fidem, quam Romana ecclesia colit, et omnes ambages, quas error dum videri erubescit aucupatur, amputandas adduceret.

Falso iactant nouatores cum ipsis sentire Armenos.

a To. 10. sp secr. pag. 81. & cod. M.S. arch. Vat. de reb. pag. 95.

Clemens, &c. Constantino Regi Armeniæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Dei, cuius perfecta sunt opera, fiducia roborati et freti auxilio, nolentes imperfectum deseri, quod pro tot tantorumque salute dedit diuina bonitas inchoari, ad huiusmodi responsiones ipsius catholicon quasdam interrogationes salubriter et cum magna deliberatione formari fecimus, et eidem catholicon per alias nostras literas destinauimus, ad quas singulis singulas, cum sint in ipsius fidei veritate firmatæ, per eundem catholicõ nõ subobscuritatis nube aut duplicitatis pellio, vel subincertitudinis vel imperfectionis cuiuspiam detrimento; sed nude, clare, pure, et aperte volumus responderi, vt zelus suus ad eandem fidem non obliquus sed rectus appareat: et sic ipse, inoffenso vestigio et recto calle similiter gradiens, æternæ lucis, quæ Christus est, splendore lustrarus erroris cuiuslibet se gaudeat amisisse caliginem; ac tandem, Armenorum populo parans salutis pabulum et ducatum, vna cum eis ad sancta sanctorum mentibus purificatis introeat, æternę beatitudinis indeficientibus gaudijs perenniter potiturus.

Quapropter serenitatem tuam monemus, requirimus, et hortamur in Domino, tuæ salutis obtentu attentius obsecrantes, quatenus prudenter attendens, quod catholicorum principum opus est, pro augmento Christianæ religionis et fidei labores amplecti, curas suscipere, solicitudines non vitare; apud eundem catholicon, quod salutaribus monitis et exhortationibus nostris obtemperans, non in corde et corde, sed pure et simpliciter et secũdum exigentiam catholicæ veritatis eisdem interrogationibus respondeat, et responsiones suas iurisiurandi adiectione confirmet, pro diuinæ maiestatis reuerentia, nostræ interuentionis obtentu, et tuæ insuper consideratione salutis efficaciter et solerter insistas: vt eo cum vniuerso Armenorum clero et populo tuo felici tempore huiusmodi reaggregatis vnitati ecclesiæ memoratæ, obstruantur ora obloquentium plurium catholicorum etiam Armenorum, qui catholicon ipsum et Armenos alios non in veritatis simplicitate, sed fictione qua-

Constantinus Rex solicitat, vt catholicon ad fidem nitide exponendam adigat.

Curet vt pristina coniunctio ecclesiarum instauretur.

quadam ipsius fidei negotiū prosequi; immo (quod detestabilius est et amplius deploramus) cōmunicatā eis per legatos eiusdem sedis salutarē doctrinam ipsius fidei in contemptum et derisum habuisse, firmiter asseuerant: tuque tanti boni procurator & auctor clariis attollaris vbique præconijs, & solium regni tui in terris stabilius robores, & cum tempus resolutionis aduenerit, ad participium æternæ gloriæ in regno cælesti cum sanctis & electis Dei ab eo, per quem regni sceptra suscepisse ac gerere nosceris, admittaris; pro certo sciturus, quod nos qui salutem tuam & tui subditi populi in hac parte prosequimur & simpliciter quærimus, te regnumque tuum non solum spiritualibus gratijs, sed etiam temporalibus fauoribus atque subsidijs disponimus, præstante Domino, multipliciter confouere. Quod vt ex nunc aliqualiter sentias, de pecunijs apostolicæ cameræ sex millia florenorum in regno Cypri tibi seu procuratori tuo mandauimus exhiberi. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis xv1111. kal. octobris anno x.*

Promissa auxilia.

29 Ad hæc perducenda ad optatum finem Guillelmo patriarchæ Ierosolymitano, Philippo archiepiscopo Nicosiensi, Odoni Paphensi & Leodegario Nimotiensi episcopis apostolico pro imperio iniunxit, vt sapientem virum catholicæ fidei studio inflammatum ad Armenorum catholicum, abiecta omni mora, transmitterent e Cypro: *Qui*, inquit, *ab illo eli ea, qua decet, grauitate prudenter & prouide responsiones exigat ad huiusmodi articulos non circumfusas velamine; sed lucidas & apertas, vt qualis sit eius ad catholicam fidem zelus, an scilicet obliquus an rectus, documentis manifestioribus cognoscamus: et vbi, sicut de dignatione diuina confidimus, ille pater luminum Christus Iesus, lucernam ponens dicti catholicon pedibus verbum suum, sic eum gratia sua dono repleuerit, quod ipse catholicon nostris salutaribus monitis excitatus, errorum tenebras respuens & videns clare, mentis intuitu lumen vitæ ad articulos ipsos responderit clare, aperte, & lucide, prout expedit & speramus. Quia non spiritualibus modo, sed & temporalibus quoque auxilijs catholicon ipsum et Armenos alios ipsius fidei nostræ robore confirmatos intendimus, Deo propitio, confouere &c. Dat apud Villamnouam Auinionensis diœcesis x. kal. octob. anno x.*

Cypro ad catholicō proalicićdo respō. so transmitti vir prudens iussus.

Affulsisse hoc tempore egregias spes reuocandæ ad fidem catholicam vniuersæ Armenorum ecclesiæ, scribit Bosius a: atque Deodarum Golonium supremum equestris Hospitalariorum ordinis magistrum a Pontifice excitatum, vt eos magnis auxilijs aduersus Saracenos instrueret, quo maioribus officijs Romanæ ecclesiæ deuinciret. Extant eæ in regesto pontificio ad Golonium literæ b, quibus se optime de Armenorum conuersione sperare, Pontifex indicat. Ac non Rhodij modo, verum Smyrnensis quoque præfectus & Hugo Cypri Rex c solicitati, vt opem Armeniæ laboranti ferrent. Vt vero intestinum a Cypro bellum auerteret, cuius metus grauis ob Petri regni heredis cum patre Hugone dissensiones imminebat, omne studium ad eos conciliandos addidit, ac Regi egit gratias d, filium e vinculis liberasse, summisque contendit precibus, vt mutuum cum filio amorem aleret; tum de muneribus ad sedem Apostolicam Nicosiensis ecclesiæ quæstoris opera transmissis e: rogauitq; vt Nicosiensem archiepiscopum ad aulam pontificiam accedere permitteret. f

a Bos. hist. Hospital. Ierosol. p. 2. l. 2.
Rhodiorum magister Armeniç succurrere iussus.
b To. 10. ep secr. pag. 83.
c Ead pag.
Cyprius Rex filio conciliatus.
d Ib. pag. 65.
e Ib. pag. 66.
f Pag. 65.

30 Cæterum non modo exscindendis Armenorum erroribus nauata a Clemente apostolica opera, sed etiam ad Græcorum schismaticorum hæreses, quæ in Seruia, Macedonia, & Dalmatia grassabantur, comprimendas studium conuersum est: nonnulli enim veterem de processione Spiritus sancti ex solo Patre errorem tuebantur. Tum liuore in Latinum nomen efferati effutiebant, sacram Eucharistiam in azymo non confici, baptismi & confirmationis sacramenta Latino ritu collata non valere; atque anabaptistarum deliria sectabantur. Nonnulli etiam præsules in conferendis ordinibus soluendaque lege de coniugijs disciplinam ecclesiasticam labefactabant: nec deerant pseudomonachi emungendarum pecuniarum artifices, qui legationis apostolicæ splendorem sibi arrogarent, ac simplices circumuenirent. Quos sectarios Clemens a Dyrrachino ac Ragusino archiepiscopis, & ab episcopo Tragurlensi coerceri, fidemque orthodoxam de processione Spiritus sancti, illum nimirum ex Patre Filioque tanquam vnico principio & spiratore vnica inspiratione procedere; nec non alia sacra dogmata promulgari, discutique errorum tenebras iussit, dato subiecto diplomate. a

Data extinguēdis Græcorū hæresibus opera.

Missi ad Rascios Albanos Sclauos internuntij.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Antonio Duracensi & Elia Ragusino archiepiscopis, ac Bartholomæo episcopo Tragurienfi.

a An. 2. l. 2. p. 149 cur 2. & M.S. arch. Vat. de rebus Tartaror. Armenor. & Schism. pag. 97.

Inter cætera, quæ apostolatus officio, cui quamquam immeriti disponēte Domino præsidemus, imminent peragenda, illud potissime humeris nostris incumbit, vt contra schismaticorum & hæreticorum venena pestifera, quibus catholicæ fidei puritatem conantur inficere, per nos & alios, prout locorum & temporum qualitas exigit, partes apostolicæ solicitudinis apponamus. Nuper siquidem tumor infestus ad nostram non sine graui mentis turbatione perduxit auditum, quod nonnulli iniquitatis filij, se Christianos solo nomine profitentes, fidei Christianæ prorsus aduersi, in nonnullis regni Rassiæ, Albaniæ, & Sclauoniæ, & alijs circumadiacentibus partibus inconsutilem tunicam Domini nostri diuidere & lacerare conantes, ac perniciosa schismata suscitantes, nouas inducunt sectas, variosque seminare moliuntur errores: ex quibus, vt aliquos recitemus, falso pertinaciter asserunt, Spiritum sanctum non a Filio, sed a solo Patre procedere; non attendentes, quod sicut sacrosancta Romana ecclesia mater fidelium omnium & magistra tenet & docet, ac orthodoxorum patrum atque doctorum Latinorum pariter & Græcorum habes incommutabilis & vera sententia, sacriq; concilij declarat auctoritas, idem Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio tanquam ex vno principio vnica inspiratione procedit. Item mendaciter asserunt cōtra ea, quæ præfata Romana tenet & docet ecclesia, corpus Christi nō in azymo, sed in fermentato pane confici debere, & quod in azymo confectū est, esse denegant corpus Christi: illudq; in suæ damnationis cumulum blasphemijs inclamare, deturpare manibus, & (quod scelerarius est) conculcare pedibus non verentur. Dicunt etiam formam baptismatis & confirmationis iuxta ritum, quem præfata Romana seruat ecclesia, flamen fore; ac ipsos vero baptismate baptizatos baptismati & confirmationi, secundum ritum præfatum susceptis, damnabiliter renuntiare & rebaptizari compellunt. Præterea damnabili detestatione dicuntur asserere, eandem Romanam ecclesiam, cui vniuersæ Christianæ fidei professores subesse noscuntur, eiusque tenentur instituta seruare,

Hæresis aduersus processionem Spiritus S. damnata.

Ex vno principio & vnica spiratione procedit.

Eucharistia, confecta in azymo conculcata a schismaticis.

Iteratus baptism.

Aspersæ Rom. ecclesiæ calumniæ.

in pletisque alijs, quæ præsentibus exprimere non euramus, a veræ fidei tramite deuiare.

Sacri ordines indigne collati.

Intelleximus etiam, quod nonnulli archiepiscopi & episcopi partium earundem sacros ordines indecenter & contra sanctorum canonum institnta conferunt, & super matrimonijs contrahendis in gradibus prohibitis dispensare contra instituta præfara propria temeritate præsumunt; quodque religiosi quamplures mendicantium ordinum, commissum sibi fore ab Apostolica sede in eisdem partibus legationis officium minus veraciter asserunt, eoque prætextu nonnulla illicita temere attentare præsumunt in suorum & aliorum animarum periculum & scandalum plurimorum.

Leges de gradibus consanguin. perperam solutæ.

21 Cupientes igitur huiusmodi eiusdem orthodoxæ fidei & animarum periculis, prout ex debito præmissi tenemur officij, opportunis & efficacibus studijs obuiare, ac de vestræ circumspectionis industria gerentes in his & alijs fiduciam in Domino specialem; fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus vestrum ad loca dictarum partium, de quibus vobis magis expedire videbitur, vos personaliter conferentes, & contra euntes, præsumptores & attentatores huiusmodi pro ecclesia sancta Dei vos defensionis murum viriliter opponentes, præmissa schismata dissipare, sectas dissoluere, errores euellere, excessus corrigere, deformata informare, & errantes ipsos ad veram ipsius catholicæ fidei vnitatem, dictæque Romanæ ecclesiæ ritus & mores reducere, quantum vobis inspirabit Altissimus, auctoritate nostra fideliter studeatis, innocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis; contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscumque præeminentiæ, status, ordinis, vel conditionis existant, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quacumque vero in præmissis duxeritis facienda, & quæ nobis alias circa ea videantur agenda, nobis fideliter & solerter intimare curetis, vt super ipsis prouidere salubriter, auctore Domino, valeamus. *Dat. Auin. kal septembris anno x.* Infectos ijs erroribus nō Seruios modo & Macedones, sed alios etiam Græcos confirmat Aluarus [a] Pelagius, qui eodem errores in Græcaniearum hæresum catalogo recenset.

Ad hos emendandos internuntij mittuntur.

a Aluar. Pelag. in collyr. aduersus hæres. M.S. bibl. Vat. sign. n. 1139.

Ardebat pio studio Clemens Græcos, detersa veteri caligine, orthodoxæ veritatis luce collustrandi reuocandique ad sinum ecclesiæ: sed illud cum Cantacuzeno Imperatore cœptum colloquium ob secutas discordias consenuit, vergereque in exitium res Christiana cœpit.

Oppugnata ab infidelibus Smyrna.

b To. 9. ep. secr. pag. 198.

c Ead. ep.

Adducta est per hoc tempus in graue periculum Smyrna [b], ne a fidei hostibus, quibus plurimo Christiano eruore erepta fuerat, expugnaretur, archiepiscopi Smyrnensis maximo vitio, in quem Pontifex exercendæ quæstionis prouinciā Raimundo episcopo Morinorum A.S.L. dedit [c]: *Licet, inquit, aduersus pontificali dignitate præditas grauitas & reuerentia canonum accusationes facile non admittant; quia tamen loci & temporum conditio exigit, vt cautius hæc negotia dispenantur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios Deum timentes descendas ad locum: & si ea, quæ clamor, qui de archiepiscopo ipso ad nos vsque peruenit insinuauitque, te in vicina positum latere non possunt, vera comperceris, tanto studeas super hoc celerius prouidere, aliquem virum probum, fidelem & strenuum, prout necessitas exigit, capitaneum deputando ad eiusdem custodiam ciuitatis, quanto perniciosi viri, si (vt præmittitur) veritas sit comes relatibus, actus & opera grauiora pericula Christi fidelibus illarum partium comminantur. Dat. Auin. id. ianuarij anno 10.*

Postulatur iudicio Smyrnensis archiepiscopus.

22 Contenderat Raimundus legatus in orientem, vt classi sociali pro defendenda Smyrna Turcisque reprimendis præesset, sed pontificia consilia turbauit lugenda Genuensium ac Venetorum dissensio: Andreas enim Dandalus Venetiarum dux, qui ad triremes numero tres egregie ad pugnam instructas mittendas se obstrinxerat, metuens ne a Genuensibus inuaderentur, se de seruandis promissis excusauit apud Pōtificem. Qui repetitis literis ipsum vrsit [a], ne præclare cœptis desisteret: se paci cum Genuensibus redintegrandæ operam daturum: tum quartam stipendiorum partem pro alendo Smyrnensi præsidio suppeditaret. Qua etiam de re ad Hugonem Cypri Regem initi in Turcas fœderis socium scripsit [b] ineunte anno, rogauitq; vt vna cum Rhodijs equitibus triremes, de quibus constitutum erat, mitteret. Andreas porro Dandalus adduci non potuit ad triremes ex fœderis legibus submittendas, quod Genuense bellum arderet, atque hostes maximas vires contraherent. Dissolutum itaque est [c] sacrum in Turcas fœdus, quo Pontifex, Hugo Rex, Andreas Dandalus, & equites Rhodij illorum victorias repressérant: de quo grauissime conquestus Pontifex infelicem casum Christianorum peccatis ascripsit. Cum itaque iurata societas, implicitis nouo bello Venetis, exitu careret, equites Rhodij a triremibus instruendis in bello liberi vi. id. septembris pronuntiati [d] sunt: tum antea idibus maij admoniti, ne ad Venetorum Genuensiumue partes inclinarent [e]. Concepisse de Rhodijs Venetos aduersas suspiciones, ne Genuensibus studerent, refert Bosius [f]; ac Deodatum Gosonium respondisse, in neutram partem se propendere: sed cum equester ordo ex pluribus nationibus conflatus esset, Ligures suorum partes tueri; neque id mirum, cum Veneti generis equites suos etiam defenderent.

Venetorū ac Genuēsium dissensio exitialis.

a To. 9. ep. secr. pag. 199.

b Ead. to. 9 ep. secr. pag. 198.

Dissolutū armorum fœdus in Turcas.

c To. 10. ep. secr. pag. 55.

d Ead. pag

e To. 9. ep. secr. pag. 276.

f Bos. hist. Hospital. l. 2.

Quod attinet ad exitiale Venetos inter ac Genuenses humani generis hostis afflatu anno superiori accensum bellum, quo res Christiana conflagrauit, atque innumera mala ad secuturas ætates emanarunt; execrabantur illud boni omnes ac prudentes viri, e quibus Petrarcha doctrinæ laude florentissimus in literis ad Andream Dandalum ducem Venetorum datis vtrumque populum ad mutuam concordiam irasque vertendas aduersus infideles ita hortabatur [g].

g Petrarc. variar. l. 3. ep. 1.

Franciscus Petrarcha Andreæ Dandulo Venetorum duci S.

Petrarchę hortatoriæ literæ ad mutuā pacem.

Moueor, vir illustris, & valde permoueor; &, si proprium affectus mei nomen exigis, pernetuo frementes in circuitu procellas, & quos vndique cernimus rerum motus. Sed vt totius humani generis lamenta prætercam, Italicus homo ad italicam querelam venio. Surgitis nunc ad arma duo potentissimi populi, duæ florentissimæ vrbes (duo vt dicam breuiter) Italiæ lumina, quæ, vt mihi quidem videtur, peropportune adeo hinc illinc circum Ausonij orbis claustra distribuit natura parens, vt vobis ad arcton & ad ortum solis, illis ad meridiem & ad occasum versis vobis superum, illis inferum mare frænantibus post debilitatum inclinatumque iam, ne dicam prostratum prorsus & extinctum, Romanum imperium

rium

rlum adhuc Reginam Italiam quadripartitua orbis agnosceret. De quare, etsi quarundam forte gentium superbia in terris litem iactura videatur, in alto certe nullius vnquam impudentiæ controuersiam monebit. Cæterum si in vosmetipsos, quod nedum spectare sed ominari horreo, victricia nunc arma conuertitis, haud dubie vestris proprijs manibus saucij perimus, vestris proprijs manibus spoliati & nomen & multia quæsitum laboribus imperium maris amittimus: ita tamen, vt quod sæpe alias malorum solamen habuimus, non perdamus: calamitatibus enim nostris gaudere poterunt hostes, sed minime gloriari. Inter cuncta nimirum, quibus angor aut terreor, nil magis quam intractabiles, & consilia iuuenum paueo, *Et infra*: Nemo, quæso, vos fallat, cum asperrima atque inuictissima, & quod tristius dico, cum Italica gente bellum geritis. Vtinam inimicæ vrbes vobis essent Damascus aut Susis: vtinam Memphis potius aut Smyrna, quam Ianua: vtinam aduersus Persas aut Arabes: vtinam aduersus Thracas aut Illyricos pugnaretis. Nunc vero quid agitis? Si qua Latini nominis reuerentia est, quos delere molimini, fratres sunt. Et, heu, non tantum apud Thebas fraternæ acies, sed per Italiam instruuntur, amicis flebile, lætum hostibus spectaculum. Quis autem belli finis? Vbi seu victores fueritis, seu victi? anceps est enim alea fortunæ; necesse est vt alterum e duobus Italiæ luminibus extinguatur, obscuretur alterum. De tanto enim hoste incruentam sperare victoriam, vide ne non tam generosæ fiduciæ, quam incuriosæ dementiæ signum sit.

De vertẽdis in barbaros cõmunibus armis.

Sane vos videritis, viri magnanimi & præpotentes populi (quod enim vni dico, dictum ambobus intelligo, nisi quia, vt ad te potissimum hæc scripta perueniant, & deuota familiaritas, quæ mihi cum virtutibus tuis est, & ipsa locorum vicinitas causam præbuere); vos (inquam) videritis, quorsum pergatis animo, quis sit irarum modus, quis terminus odiorum, quid de salute propria, quid denique, cuius non parua portio pendet ex vobis, de statu publico cogitatis. Modo ne illud excidat, quod nisi gliscentis belli ardor fonte aliquo pietatis extinguitur, de vulneribus, quæ parantur, non Numantinus aut Pœnus, sed Italicus sanguis fluet, & eorum, qui si qua repentina vis ingruat, aut si qua barbaries, quod interdum, sed nunquam gratis ausa est, fines nostros irrumpat, primi vobiscum arma pro communium fortunarum defensione suscipient, qui simul pectora sua morti atque hostilibus telis obijcient, qui & vestris tegentur, & vos clypeis & corporibus suis tegent, qui profugos hostes classibus prosequentur, pariter viuent, pariter morientur, pariter pugnabunt, pariter triumphabunt. *Et infra*: Quanto autem cum dolore (ne quid omnino tibi subtraham) audisse me putas, recens vobis cum Aragonum Rege fœdus initum? Ergo ne ab Italis ad Italos euertendos barbarorum Regum poscuntur auxilia? Vnde infelix opem speret Italia, si parum est, quod certatim a filijs mater colenda discerpitur, nisi ad publicum parricidium alienigenæ concitentur?

Triste eũ ijs bellum geritur, qui læsis opem ferrent.

Aragonij a Venetis in belli societatẽ tractus.

Dicet aliquis, idem mali genus prius ab hoste tentatum. Iam dixi, & si vnum alloquor, vtrunque redarguo. Quanto dignius fuerat, irarum detersa rubigine, a qua non vllius amicitiæ sinceritas, non fraternus amor, non suprema demum parentis ac natorum pietas prorsus immunis est, Venetos cum Ianuensibus vnum fieri, quam formosum corpus Italiæ lacerari; vobis occidentalium, illis vt audio dexteras orientalium tyrannorum in partem furoris implorantibus? O ferales & superuacuas cautelas! O maleuolentiæ genus vltimum, quod manu propria non possis, ad id circumspicere quod irrites, & argumentum odij præbante vicinia, vicinos scelerum subrogare! Atqui multarum hinc iniuriarum fluxere primordia, dum indigno, & nescio vnde prodeunte fastidio nostrarum rerum, in admirationes rapimur externarum, & iam pridem consuetudine pestifera Italicam fidem barbaricæ perfidiæ posthabemus. Insani, qui in venalibus animis fidem quærimus, quam in proprijs fratribus desperamus. Quo effectum est, vt iure optimo in has calamitates inciderimus, quas sero iam & inefficaciter lamentamur, postquam alpes & maria, quibus nos mœnibus natura vallauerat, & interiectas obseratasque diuino munere claustrorum valuas liuoris auaritiæ superbiæque clauibus aperiendas duximus Cymbris, Hunnis, Pannonijs, Gallis, Teutonis, Hispanis. *Et infra*.

Orientales a Genuensib. in fœdus allecti.

Hoc vnum in finem coram duorum populorum ducibus affusus & lachrymosus obsecro. Infesta manibus arma proijcite, date dextras, miscere oscula, animos animis, signis signa coniungite. Sic nauigantibus oceanus, & Euxini maris ostia patebunt, nullusque Regum aut populorum, nisi venerabundus, occurret. Sic vos Indus, sic Britannus, Aethiopsque pertimescet. Sic Taprobanem, sic Fortunatas insulas, famosamque sed incognitam Thylem, & omnem australem atque hyperboream plagam securus vester nauta transiliet: modo inuicem tuti sitis, nil aliunde trepidandum est. Vale ducum ac virorum optime. *Patauij* xv. *kal. aprilis* M. CCC. LI. Rescripsit a Petrarchæ dux multisque verbis suscepti a se belli culpam amouere studuit, additis in literarum calce his sententijs: *Bellum ita suscepimus, vt nihil aliud, quam pacem honorabilem patriæ, quæ vita nostra nobis est charior, quærere videamur, & quemadmodum superbe ac violenter nos* * *agere, si* * *spernemur placatum cedentemque hostem; sic nunc cum prope confractum resistentem ac tergiuersantem traxerimus, nulla verecundia sumus obstricti, si bella hos contra permittimus, qui pacem pati minime potuerunt. Venetijs xx11. maij* MCCCLI.

Quæ Ianua ex Venetorum Genuensiumque coniunctione oritura

Dux Venetus bellum necessitate susceptũ excusat.

a Apud. Petrarc. lib. ep. 8.

* agere mus

* sperueremus

23 Mulcere Andreæ Dandali animum, quem vehementi ira in Genuenses percitum indicant eius literæ, nitebatur Pontifex: ac pridie non. iulias Iustinopolitano episcopo ad eum transmisso, obsecrauit b vt ad pacem conficiendam se compararet. Miserat c iam is in Græciam viginti triremes; cum Genuenses, quos prope confractos putarat, ostentandæ suæ potentiæ gratia sexaginta quatuor triremium classem, præfecto Paganino Auria, adornarunt. In quo tanto apparatu id lugendum occurrit, eos qui antea repudiarant in Turcas fœdera, atque ad vlciscendas Christi domini iniurias vnam vel duas triremes instruere detrectarant, tantum maritimum exercitum ad suas vindicandas conflasse. Ingressi Adriaticum mare Genuenses multa Venetis damna intulere: indeque flexo in orientem cursu viginti triremes Venetas sunt insectati. Territa classis Veneta impar potentia, tribus in altum fuga lapsis, in Cretæ portum se subduxit, quam classis Genuensis ad insulam appulsa terra marique

b To. 10 ep. secr. pag. 26.

Validissima classis instructa a Genuensibus.

c Matth. Vill. l. 2. c. 25.

que, egregie defendentibus se Venetis, obsidione cinxit [a].

a Eod. lib. c.26.

Dum tanto conatu, atque armorum fragore a Venetis ac Genuensibus bellum geritur, proferentibus Turcis victorias, ac reliquo orbe Christiano bellis quassato, Pontifex profusis lacrymis, vt sæpe antea, orientis exitium planxit [b].

b To.10. ep. secr. pag. 105.

Clemens, &c. venerabili fratri Fortanerio patriarchæ Gradensi A. S. N.

Deplorat Pontifex funestum hoc bellū.

Grauis inter dilectos filios nobiles viros ducem Venetiarum & gubernatorem Ianuensium; nec non Ianuensis ciuitatis & Venetiarum communia, procurante pacis æmulo, suborta dissensio amaricat grauiter mentem nostram, pungit animum, & viscera quæque conturbat. In ea namque particularia diffidentium partium damna dispendiaque deflemus: in ea communia catholicæ fidei detrimenta: in ea Christiani populi, maxime partium orientis, pericula deploramus. Quis enim zelator Christiani nominis & honoris non defleat eos inuicem diffidere, ac per dissensionis huiusmodi periculosæ ac dispendiosæ discrimina debiliores effici, quos ad exaltationem & tutelam fidei & populi prædictorum gratiosos pugiles patenter aspexit? Quis non vniuersalia detrimenta & pericula eorundem fidei & populi defleat, in quos pagana gens, captata hinc opportunitate nocendi, velut effrenis sæuit immanius, furit licentius, & liberius debacchatur? [Vt a bello hos populos reuocaret Clemens Fortanerium patriarcham Gradensem, quem [c] ad eam ecclesiam ex Rauennate paucis ante mensibus permissa eiusdem Rauennatis administratione [d] traduxerat, IX. kal. nouembris ad Genuenses ac Venetos legauit [e], cui hæc data imperia.]

Patriarcha Gradensis ad illud sopiendum missus.

c Ab 10. l. 2 pag. 329

d Eod. an. 10. l. 1. pag. 321.

e Eod. to. 10. ep. secr. pag. 106.

Merito itaque ad ipsam perniciosam supputandam discordiam, & radices ipsius, ne venenosis ex ea succrescētibus surculis priora detrimenta restauret, funditus euellendas, & pacem propagatricem, & matrem bonorum omnium reformandam inducimur, & ab intimis præcordijs excitamur, vt diffidentes ijdem pace mutua gaudeant, & ipsa pagana gente a persecutionis impetu refrænata, idem populus Christianus ab angustijs & pressuris eis per vsum veteribus, & per augmentum nouis vtcunque respiret. Ideoque fraternitati tuæ, de qua in magnis & arduis multa experientia, et claris operum titulis approbata, plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ad partes illas sub spe illius, qui concordiam in sublimibus suis facit, et ad cuius nutum stat spiritus procellarum, te personaliter conferens, studeas salutaribus monitis, et salubribus inductionibus tuis iuxta datam tibi a Domino gratiam et virtutem succidere huiusmodi pestilentem omnino discordiam, ac radices illius extirpare funditus studeas, discordes ipsos ad concordiam solicite reuocare, etc. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis IX. kal. nouemb. anno X.* Instruxit quoque patriarcham auctoritate [f], vt pacem componeret, inducias promulgaret, coitiones contrarias (tractos enim in belli societatem Reges, et Imperatores visuri sumus) rescinderet, dissolueret armorum fœdera, ac discordiarum incentores censuris reprimeret.

Instruitur auctoritate ad coitiones dissoluendas.

f Eod. to. 10 ep. secr. pag. 106.

24 Grauissimis etiam literis Andream Dandalum Venetorum ac Ioannem [g] Valentium Genuensium duces in mutuam adducere concordiam, ne ex eorum futuris cladibus trophæa infideles statuerent, annisus est.

g Eod. to. pag. 105.

Clemens, etc. Sic vos et dicti dux et cōmune optatæ quietis et pacis dulcedine perfrui valeatis, vt ex vnitate et cōcordia vestra Christianus populus partium orientis, quē ex vestra et dictorum ducis et communis dissensione opportunitate captata immanius persequitur et affligit durius furor paganicæ feritatis, lætati respirent; et in eorum opportunitatibus ac necessitatibus multis præsidia vestra solita sentientes, persequentium dolos et machinamenta confutent ac nomen vestrum fama celebre minorationis detrimenta non sentiat; sed felicibus successibus semper adauctum sit eidem dictarum partium orientis pusillo vtique populo gloria et tutela sit, et persequentibus illos terror. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœc. IX. kal. nouemb. anno X.* Adhibiti prætcrea Nicolaus episcopus Castellanus [a] apud Dandalum, Bertrandus archiepiscopus Genuensis [b] apud Ioannem Valentem, vt pacis consilia promouerent. Vtinam saluberrimis Christi vicarij monitis horum populorum principes obtemperassent: quanto felicius sibi ac nomini Christiano prospexissent?

a To. 10. ep. secr. pag. 106.

b Ibid.

Non auditæ a Genuensibus neque a Venetis Pontificis preces.

Certior factus Andreas Dandalus de validissima Genuensium classe, de Eubœa insula oppugnata, suorumque periculo, armorum fœdera cum Petro Rege Aragonum infenso Genuensibus ob exagitatam Sardiniam pepigit, qua de re hæc in Cortusiorum historia leguntur [c]: *Fit societas Regis Aragonum & Venetorum contra Ianuam: armantur per hos nonaginta galeæ: vix vnquam in mari tales & tanta copia conuenerunt.* Meminit Matthæus Villanus [d] de instructa ab Andrea Dandalo duce maxima classe, deque alijs triremibus, quas in Cataloniā milite vacuas, exhausta ob præteritā luem viris Veneta ditione, deduci iusserat. Quibus omnibus apud insulam Siciliæ iunctis mense nouembri, spretis temere procellis, in orientem contendit classis funesto quidem cursu, cum septem Venetæ ac duę Catalanę triremes fluctibus haustæ fuerint.

c Cortus. hist. l. 10. c. 7.

d Matth. Vill. l. 2. c. 27. Foliet. l. 7 Bizar. l. 7. & alij

Veneta & Aragonia classes iunctæ orientē petunt. Nouem triremiū naufragiū.

25 At Genuenses cum Eubœæ portum frustra tentassent, ac tempus se consumere agnouissent, solicitati ab Anna Imperatrice Sabaudi generis, vt filium Ioannem Palæologum Imperatorem, qui vna cum ipsa Thessalonicæ agebat, ne a Cantacuzeno inuasore propagandi in filium Matthæum imperij ambitione veneno tolleretur, Cōstantinopolitano imperio (quod tyrannus administrabat) restituerent, imminente classe Veneta contendere Thessalonicam, vt Palæologum classe exciperent, atque Constantinopolim ipsi amicorum opera subijcerent: quo facto & stipendia amplissima se recepturos, & amplificaturos vires sperabant. At adolescens Imperator prioris consilij pertæsus, exterorum potestati se committere pertimuit, recusauitque. Quam ob rem indignati Genuenses, inuecti in Tenedum insulam improuiso eam aduentu oppressere, prædasque ex Græcis agere cœperunt. Veneta vero classis in Turciam mense decembri ad Altumlocum & Palatium contendit, ijsque in portubus hyberna duxit. Confluxere eo aliæ triremes, atque ad septuaginta recensitæ sunt [e]. Nullum ipsos cum Turcis inijsse fœdus, ac barbaros spreuisse, refert Cantacuzenus [f], ex quo indignatus Orchanes Ianuensibus socium se adiunxit: sed de his postea, ne luctus tristes ante tempus accersamus.

Propulsati Eubœa Genuenses.

e Matth. Vill. l. 2. c. 35.

f Cantac. l. 4. c.

Quis non defleat Christianorum stuporem ac furorem tanto apparatu in mutuas cædes irruisse, & crudeles Saracenorū iniurias, quę vniuer-

so

ſo nomini Chriſtiano hoc ipſo anno illatæ ſunt, diſſimulaſſe? Præfectus Damaſci opprimendæ religionis, atque opum cumulandarum furore percitus, immane hoc anno facinus patrauit. Subijci faces vrbi iuſſit a in duabus regionibus, ac mox Chriſtianos ad tormenta rapuit, quaſi eius ſceleris auctores, vt Damaſcum in ſuam redigerent poteſtatem. Id a nonnullis ex doloris impatientia extorſit: mox omnes crucis ſupplicio damnat, vel ad Mahometum deficere iubet. Plurimi munerum magnitudine tyranni ferociam permulſere: alij fidem Chriſtianam infeliciter eiurarunt, viginti duo, qui ſuperfuere, crucibus affixi. Hos ante parentum & filiorum ora tyrannus adduci iuſſit, vt conſtantiam eorum labefactaret: ſed tantum potuit diuina gratia, vt pater filij lachrymas ſperneret, filius patrem apoſtatam argueret inconſtantiæ, ob pœnas corporis a vera religione desciuiſſe, vocaretque hoſtem, qui ſibi eripere æternitatis præmia niteretur. Suffixi in crucem tribus diebus a Chriſtianis & Saracenis magno conſtantiæ exemplo mortem oppetere conſpecti ſunt. At tyrannus breui dignas ſcelerum pœnas ſenſit: ſoldani enim iuſſu, patefacta Chriſtianorum innocentia, medius diſſectus eſt. Hactenus de orientalibus rebus: nunc ad occidentales ſermonem traducimus.

Christiani Damaſci oppreſſi.

a Matth. Vill. l. 2. c. 53.

Viginti duo effecti martyrio.

26 Correptus ſuperiori anno Petrus Rex Aragonum de tyrannide in Bernardum pontificium Internuntium exercita, deque iure eccleſiaſtico violato, nec ſoluto Sardico vectigali, Pontificis gratiam demiſſe expetijt interpretibus concordiæ nonnullis Cardinalibus & regij conſilij ſanctioris participibus viris, quos ad ſedem Apoſtolicam oratores decreuit, pollicitus ſanctiſſime inflictam a Pontifice pœnam ſe ſuſcepturum, cenſumq; Sardiniæ liberalitate apoſtolica acceptæ ergo perſoluturum; de quibus ſubiecta publica documenta a conſcripta fuere.

Aragon. Rex de perperam a ſe geſtis veniam poſcit.

a Ext. in lib. priuil. Rom. eccl. M.S. arch. Vat. to. 5. pag. 122. Publicæ ea de re tabulæ.

Sit cunctis notum, quod in mei notarij & teſtium ſubſcriptorum præſentia ſereniſſimus ac magnificus princeps & dominus dominus Petrus, Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corſicæ, comeſque Barchinonæ, Roſſilionis, & Ceritaniæ attendens, vt dixit, quod ſuper controuerſia exorta inter dominum Papam ex vna parte, & ipſum dominum Regem ex altera, per nonnullos reuerendos dominos Cardinales & quoſdam de conſilio domini Regis prædicti de voluntate dicti domini Papæ & ipſius domini Regis fuiſſe tractata & concordata capitula, quæ ſequuntur. Tangitur retenta deliberatione domini noſtri, quod dominus Rex Aragonum, ſeu ambaxator ſuus eius nomine & cum ſufficienti mandato promittet, quod non impediet nec impedire faciet, ſeu permittet in regno & terris ſibi ſubditis iuriſdictionem eccleſiaſticam, ad eccleſiam de iure vel conſuetudine pertinentem, quominus libere exerceatur ibidem per iudices eccleſiaſticos competentes, nec etiam collectores & officiales domini Papæ. Item quod dictus Rex, aſſerens quod illa, quæ facta ſunt contra collectorem in Perpiniano, non fuerunt facta in dicti domini noſtri vituperium ſeu contemptum, humiliter petet abſolutionis beneficium, paratus recipere omnem pœnitentiam imponendam eidem. De abſolutione vero & pœnitentia ſuorum officialium & familiarium fiet quod dominus Papa duxerit ordinandum. Item quod dominus noſter ad neceſſitates regni & terrarum eiuſdem Regis, præſertim regni Sardiniæ & Corſicæ, quod ab eccleſia Romana tenet in feudum, gratioſe concedat, quod prælati pro ſe & ſubditis ſuis, ac etiam alij viri eccleſiaſtici dictorum regni & terrarum poſſint eidem Regi de aliquo temporali ſubſidio ſubuenire, & ratum habeant ſubſidium, ſi quod ſibi per ipſos ad certum tempus iam factum eſt vel conceſſum. Item quod ſuper cenſu pro præterito tempore debito ratione dicti regni Sardiniæ & Corſicæ concordatum aſſeritur a reuerendo patre domino Tuſculano: quam concordiam paratus erit Rex prædictus, facto ſuper hoc ſufficienti procuratorio, inuiolabiliter obſeruare. Per prædicta autem non intendit dominus noſter, quod detrahatur iuri ſuo & eccleſiæ Romanæ, ſeu Regis prædicti. Supplicatur autem pro parte dicti Regis, quod pro vtilitate eccleſiarum & conſolatione ſuorum fidelium, qui propter defectum prælatorum abſentium in ſpiritualibus incommoda innumerabilia & animarum pericula patiuntur, prælatos in curia exiſtentes dignetur ſanctitas domini noſtri ad eccleſias ſuas remittere, & eos cogere ad faciendum in dictis ſuis eccleſijs reſidentiam perſonalem: quodque de prælaturis & beneficijs eccleſiaſticis regni & terrarum ſuarum dignetur perſonis idoneis illarum partium, quod ſumme eſſet gratum regnicolis, prouidere.

Idcirco dictus dominus de fide, induſtria, & legalitate venerabilis & religioſi fratris Hugonis abbatis monaſterij Rumpulli ordinis S. Benedicti, nobilis viri B. de Capraria, & Lupi de Gorrea camerarij minoris militum, Bernardi de Vlzamilis legum doctoris theſaurarij conſiliariorum ſuorum plene confidens, tenore huius publici inſtrumenti ſponte & de certa conſcientia fecit, conſtituit, & ordinauit certos & indubitatos procuratores ſuos ac nuntios ſpeciales dictos venerabilem abbatem & nobilem B. de Capraria, Lupum de Gorrea, & Bernardum de Vlzamilis, & quemlibet ipſorum in ſolidum, ita quod occupantis conditio potior non exiſtat, ad promittendum pro ipſo domino Rege dicto domino ſummo Pontifici, ſeu cui ipſe voluerit, quod idem dominus Rex non impediet, ſeu impediri faciet ſeu permittet in regno & terris ſibi ſubditis iuriſdictionem eccleſiaſticam, ad eccleſiam de iure ſeu conſuetudine pertinentem, quominus (vt prætangitur) libere exerceatur ibidem per iudices eccleſiaſticos competentes, nec etiam collectores & officiales domini ſummi Pontificis memorati: & etiam ad obtinendum a dicto domino ſummo Pontifice, vel alio quocumque ab eo poteſtatem habente, de & ſuper ſententia excommunicationis, ſi quam dictus dominus Rex aut officiales vel gentes ſua ratione eorum, quæ facta fuerunt apud Perpinianum contra Bertrandum de Alayano collectorem dicti domini Papæ, incurrerunt, abſolutionis beneficium ad cautelam: & alias & etiam ad obtinendum abſolutionis beneficium ab eodem domino Papa, vel alio ab eo poteſtatem habente, de & ſuper ſententia excommunicationis, quam dictus dominus Rex prætextu taxatarum ſolutionum cenſus ſeu tributi, quod ſanctæ eccleſiæ annis ſingulis dare tenetur pro dicto Sardiniæ & Corſicæ regno incurrit: nec non ad impetrandum & obtinendum a dicto domino Papa & ſacro collegio Cardinalium remiſſionem & gratiam eius, quod per ipſum dominum Regem debetur ex tributo iam dicto, ſeu ex parte eiuſdem: & etiam ad faciendum ſolutionem & ſolutiones dicti tributi & pro ſoluendo ea, quod ad ſoluendum reſtat ex eodem tributo, dictum dominum Regem & eius bona efficaciter obligandum, & ſuper eo pacta, promiſſiones, obligationes faciendum, & recipiendum ab eodem domino Papa & quibuſuis alijs, ab ipſo poteſtatem habentibus, ſuper contentis in capitulis memoratis: & nihilominus ad ſupplicandum dicto do-

*domino Papa, vt contenta in dictis capitulis cum efficacia exequatur, dando & concedendo eisdem procuratoribus suis, & cuilibet ipsorum in solidum plenariam potestatem super prædictis omnibus & singulis, eorundem promissiones, pacta, conuentiones, & obligationes faciendi & recipiendi, & inde firmandi & recipiendi publica instrumenta & alia rescripta papalia, & alias scripturas prædictis necessarias, seu etiam opportunas: & absolutionum beneficia obtinendi, & pro solutione dicti tributi seu partis eiusdem dictum dominum Regem & eius bona obligandi: nec non iurandi in animam ipsius domini Regis de parendo mandatis sanctæ matris ecclesiæ ac ipsius domini Papæ vel deputandi ab eo; & subeundi super prædictis & eorum singulis cuiuslibet alterius generis iuramentum: nihilominus promittendi & iurandi in animam ipsius Regis, quod idem dominus Rex satisfactionem & pœnitentiam faciet & complebit, quas idem dominus Papa, vel deputandus ab eo ipsi domino Regi duxerit imponendas: & omnia alia faciendi, gerendi, & explicandi in & super prædictis, quæ pro obtentu prædictorum & singulorum eorundem necessaria fuerint seu etiam opportuna, etiam si talia essent, quæ mandatum exigerent speciale: & si etiam maiora essent superius expressatis. Et promisit idem dominus Rex se gratum & firmum perpetuo habiturum quæcumque in prædictis & circa prædicta per dictos procuratores suos vel eorum quemlibet acta, gesta fuerint, seu etiam procurata, etiam nullo tempore reuocare. Et idem dominus Rex huic instrumento publico suæ maiestatis sigillum in pendenti iussit apponi in testimonium præmissorum. Actum & datum * Gunde vigesima quarta die mensis septembris anno a natiuitate Domini MCCCLI. Signum Petri Dei gratia Regis Aragonum, Valentiæ, Maioricæ, Sardiniæ & Corsicæ, comitisque Barchinoniæ, Rossilionis, & Ceritaniæ, qui hæc concessit & firmauit.*

*Gerunda

De Ioanne archiep. Mediolanensi

27 Præfractiorem Aragone se præbuit Ioannes archiepiscopus Mediolanensis, qui Bononiam tyrannidi suæ subiecerat; quare in eum distringenda fuit iudiciorum seueritas: cuius ingratum animum ac scelus summus Pontifex ita deplorat [a]: *Præfatus archiepiscopus, quem ecclesia ipsa de luto fecis, cui dudum impudenter inhæserat, erigens magnis euexit honoribus, dignitatibus extulit, & beneficiis ampliauit; ea omnia ingratitudinis nota præteriens, & fidelitatis debita iuramentum præstitum per eum eidem ecclesiæ infidelitatis labe maculando, se violare non verens, lac quod suxerat, ex eiusdem ecclesiæ matris vberibus, in eiusdem matris opprobriose admodum euomuit offensam. Cum enim ecclesiam ipsam iuuare ad recuperationem ciuitatis debuisset ipsius,* id est Bononiæ, *& memorato rectori,* scilicet Astorgio e Duroforti Æmiliæ præsidi, *pro eadem ecclesia circa id assistere auxiliis & fauoribus opportunis; aduersariis & rebellibus eius,* nimirum Pepulis, *patenter adhæsit: & missa per eum dictis Iacobo & Ioanni ad eorum defendendam & sustinendam rebellionem & ecclesiæ prædictæ offensam armatorum multitudine copiosa, recuperationem & reductionem ciuitatis & comitatus prædictorum auxilio huiusmodi & fraudulento consilio impediuit. Cumque his ad notitiam nostram deductis, archiepiscopo frequenter scripsissemus eidem, ipsum salutaribus monitis & paternis exhortationibus inducendo, quod memor bonorum & beneficiorum, quibus eum eadem ecclesia fuerat, sicut præmittitur, prosecuta: & fidelitatis, qua illi iuramenti interueniendo vinculo tenebatur, gentem armigeram, quam in dictorum Iacobi et Ioannis auxilium miserat reuocaret, & ipsis in ecclesiæ prædictæ tam grande præiudicium nullum daret auxilium, consilium, vel fauorem; ipse velut aspis surda monita auribus obturatis obaudiens, & pertinacia obstinata contemnens, non solum continuauit temerarie & impudenter incœpta, sed etiam ad deteriora sua malitia telam & profanos conatus extendere non expauens, ipse qui prius fautor & adiutor fuerat rebellium ecclesiæ sæpefatæ, postquam eidem scripsimus, patenter ipsius hostem se constituit principalem, ciuitatem prædictam cum eius districtu (habitis cum dictis Iacobo & Ioanne illicitis commerciis, quasi diuisis sibi eiusdem ecclesiæ vestimentis) per Galeatium de Vicecomitibus de Mediolano nepotem suum grandi stipatum exercitu tyrannice occupando: quam adhuc detinere dignoscitur occupatam.*

a To. 9. ep. secr. pag. 210.

Ingratus illius in ecclesiam animus.

Monitus ut clam sentiret cum hoste, palam hostem se professus est.

28 Subiungit alias illius artes, quibus sedem Apostolicam delusit, misisse nimirum oratores, vt de reuocanda ad Romanæ ecclesiæ ditionem Bononia consilium agitarent; dumque vna cum Cardinalibus, quibus ea prouincia data erat, rem tractarent, ad proditionem repente prorupisse: ac licet patrato scelere in archiepiscopum, Galeatium, aliosque eius coniurationis socios legũ seueritas exerceri posset, se apostolica vsum mansuetudine edixisse, vt dierum quadraginta flexu Bononiam aliasque comitatus vrbes, oppida, ac municipia ecclesiæ Romanæ restituerent: ni parerent, anathema & alias pœnas intendisse: tum archiepiscopum & Galeatium die vigesima imminentis mensis ianuarij nunc elapsi ad tribunal apostolicum accersisse, vt iuri parerent: monuisse etiam Mediolani, Rhegij, Parmæ, Mantuæ, Nouariæ, Bergomi, Placentiæ, Astæ, Albæ, Terdonæ, Cremonæ, aliarumque vrbium & locorum præfectos, magistratus, ac viros auctoritate spectatissimos, ne archiepiscopo ac Galeatio in Bononiensi comitatu detinendo quoquo modo studerent: qui si imperia apostolica respuerent, censuras ecclesiasticas contraherent. Cum vero archiepiscopus & Galeatius, lapsis diebus quadraginta, occupata ecclesiæ restituere detrectarint, & archiepiscopi orator Ludouicus e Gusiano fassus sit, archiepiscopi nomine Bononiam occupatam asserendi ecclesię iuris studio, ne prauo exemplo alij inficerẽtur, pronuntiasse Ioannem, Galeatium Vicecomites, Iacobum ac Ioannẽ Pepulos, & alios coniurationis illius participes anathema, ac latas a Ioanne Papa in iurium Romanæ ecclesiæ inuasores pœnas incurrisse. Subdit denique.

Simulata ab eodem reconciliatio, vt prodesset.

Dicta illi dies ad sedem Ap.

Promulgatæ in eum constitutæ Ioannis sanctionibus pœnæ

Verum quia crescente contumacia, crescere debet & pœna, Ioannem archiepiscopum memoratum suspensum fore ab administratione spiritualium & temporalium ecclesiæ ac archiepiscopatus Mediolanensis, de dictorum fratrum consilio auctoritate decernimus antedicta: ipsumque, nec non Galeatium, ac Ioannem & Iacobum de Pepulis antedictos, ac omnes & singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, dictis archiepiscopo & Galeatio in præmissis dederunt auxilium, consilium, vel fauorem, præsente hac fidelium multitudine copiosa citamus per huius publicæ citationis edictum, vt octaua die mensis aprilis proxime futuri, quam eis pro peremptorio termino assignamus, archiepiscopus legitime, ac prædicti alij omnes & singuli personaliter compareant coram nobis, visuri, auditun, & recepturi, archiepiscopus videlicet depositionis ab archiepiscopali & quacumque alia ecclesiastica di-

Instaurata in eundẽ ac Pepulos actio iudiciaria.

Intentata exauctoratio.

dignitate, & clerici priuationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum aliorum; ac tam archiepiscopus & clerici quam prædicti alij aliarum pœnarum inflictionem, quas eis (nisi archiepiscopus & Galcatius ciuitatem Bononiensem eandem cum dictis eius comitatu, territorio, & districtu, nobis & ecclesiæ Romanæ, seu rectori prædictis, aut alij vel alijs deputato vel deputandis ab ipso nostro & ecclesiæ Romanæ nomine, libere ac realiter restituerint; & prædicti alij ab omni auxilio & fauore, per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, quouis titulo, pallio seu colore quæsito, dictis archiepiscopo & Galeatio aut quibusuis alijs eorum, aut alicuius eorum aut cuiusuis alterius nomine ciuitatem Bononiensem, comitatum, territorium, & districtum, aut eorum aut alicuius eorum partem, quacunque modo, titulo, colore, pallio, occasione, vel causa, detinentibus occupata destiterint cum effectu) duxerimus infligendas: ac alias facturi & recepturi quod iustitia suadebit, compareant coram nobis. Alioquin contra archiepiscopum & Galeatium, ac Ioannem & Iacobum, & alios citatos eosdem clericos & laicos, omnes & singulos ad inflictionem pœnarum huiusmodi, prout iustum fuerit & nobis expedire videbitur, procedemus eorum absentia, seu contumacia non obstante, &c. Actum & datum Auinione, in palatio nostro apostolico 11. non. februarij anno 1x.

Additus aliarum pœnarum terror.

29 Cum legibus pariturus non videretur archiepiscopus tyrannus, nisi armatæ essent, commouebat Pontifex episcopi Ferrariẽsis Apostolicæ sedis internuntij opera Italicos principes [a], vt armorum societatem ad illum comprimendum conflarent: initaque erant oratorum comitia, cum Perusinorum rem extrahentium culpa, audita Mastini Scaligeri, qui illud sociale bellum maxime promouebat, morte sunt dissoluta: ex qua quidem maximo dolore affectum Pontificem testantur eius literæ consolatoriæ ad filios Veronensis principatus successores Canemgrandem & Canemsignorium datæ [b]. Cæterum nõ æquarunt hi principes paterna Mastini in Pontificem studia. Contrahebat vero Ioannes maximas copias, non vt Bononiam modo tueretur, sed Etruriam etiam sibi subijceret, ferendæ opis specie oppressis Pratensibus [c] & Pistoriensibus [d], quos Florentini in suam potestaté redegerant; asserendæque libertatis fucata ostentatione parabat Etruscis iugum seruitutis. Cuius tamen dolos conatusque euanuisse, meminit M. S. Vaticani auctor [e] in Clemente VI. his verbis: *Huius tempore archiepiscopus Mediolanensis tyrannus transmisit circa quinque millia barbutas, & tantumdem pedites cum consensu & adiutorio nobiliorum Gibellinorum de Tuscia ad occupandum ciuitatem & loca Tusciæ, quæ erant in communi: sed vltimo modicum releuauit, & dictæ communitates pacem cum dicto archiepiscopo habuerunt*. Describit Leonardus Aretinus [f], cui Matthæus Villanus horum spectator consentit [g], singula eo bello gesta, vt plures Gibellini proceres in Florentinos coniurarint, consiliumque inierit hostis de Pisanis, quibus cum Florentinis pax intercedebat, concitandis [h] ad bellum. Sed dolos aperuit [i] Franciſchinus Gambacurta ea oratione, quam S. Antoninus affert [l], populumque in concordiæ cum Florentinis constantia continuit: *Addidit*, inquit, *rationem irrefragabilem, videlicet quia, si non præualeret tyrannus, (quod impossibile non erat, cum varius sit belli euentus) perpetuos hostes habituri essent Florentinos eorum vicinos; & iuste quidem fide violata. Sed & si vincat præsul, & sibi subijciat Florentinos, nunquid ipsi postea liberi a seruitute remanerent, cum cupiditas & ambitio dominandi sit tyrannis immensa?*

Vocati ad societatẽ armorum principes Itali.

a Matth. Vill. l.1.c.76.

Mastini Scalig. obitus.

Succedũt illi in principatu filij.

b To.10 ep secr. pag. 29. & regul. perg. arch. Vat. signat. n. 942.

c Matth. Vill. l.1.c.71.

d Ib. c.98.

e M.S. bib. Vat. signat. n. 2040. in Clem. VI.

f Leonard. Aret. hist. Flor. l.7. et ex eo Ant. 3. p. tit. 21. c.8. § 6.

g Matth. Vill. l.2. c.6 & 7.

h Ib. c.29. etc.

i Leonard. Aret. l.7.

l Ant. 3. p. tit. 21. c.8. §. 7.

Franciſchini Gambacurtæ oratio ad Pisanos.

Discessere Pisis non leui indignatione perciti oratores Mediolanẽses, ac Ioannes archiepiscopus graues iras, cum meditata non succederent consilia, concepit. Pontifex vero datis ad Pisanos literis, eorum prudentiam ornauit a laudibus: delusisse illorum artes, qui ex ipsorum bellis ac dissensionibus suarum rerum amplificationem aucuparentur, magnoque ob seruatum cum Florentinis fœdus gaudio se cumulatum significauit [a]. Coiere etiam cum Florentinis tyranni metu fœdera alij finitimi populi, atque oratores ad Pontificem misere [b], vt ipsum ad armorum societatem pro retundendo hoste concitarent. Vti vero cum ijs se gesserit Clemens, describit ex Leonardo Aretino [c] S. Antoninus hisce verbis: *Demum Romanus Pontifex Clemens VI. ab oratoribus Florentinorum & aliarum Etruriæ ciuitatum, quæ erant in fœdere, assidua prope flagitatione pulsatus, tria ei proposuit; videlicet societatem Romanæ ecclesiæ; transitum in Italiam Caroli ad imperium delecti: pacem cum præsule Mediolanensi. Horum trium quod mallent oratores eligerent: sese eorum voluntatem & electionem secuturum. Legati vero inter se cogitare tandem præstare æstimarunt ad arbitrium eius totum referre. Quod cum fecissent, suscepta optione Pontifex, mitissimam innocentissimamque partem sibi placere dixit: esse vero eam pacem dare; neque enim aliud Romanum Pontificem, si optio illi detur, eligere decere: itaque daturum se operam vt pax probabilis habeatur.*

Pisani Mẽdiolanensẽ fœdus respuunt.

Gratulatur ipsis Pontifex.

a To.10 ep secr pag. 88.

Etruscorũ ad Pontificem legatio.

b Matth. Vill. l.2.c.52.

Responsũ Pont.

c Leonard. Aret. l.7. Ant. 3. p. tit. 21. c.8. §.10.

Etrusci optionem belli pacisue Pontifici permittunt.

Pax a Clẽmẽte ostẽsa, quamuis noxia.

30 Optabat Carolus in Italiam descendere, vt imperij iura a tyrannis diuturno interregno occupata recuperaret, atque imperiali diademate in Vrbe de more ornaretur: miseratque ad Pontificem oratores, qui suscepta ab ipso consilia aperirent. Quibus Clemens, cum metueret, ne eius aduentus Italiam magis commoueret, graues difficultates exposuerat, ac Senenses, Florentinos, Perusinos, aliosque plures populos de Caroli Regis votis certiores factos monuerat [d], vt oratores ad sedem Apostolicam mitterent. Quo argumento hæ datæ ad Senenses literæ [e].

Italicæ iura Romanor. Rex recuperare meditatur.

d To 9 ep. secr. pag. 268. 269.

e Ib. ad pag. 208.

Clemens, &c. dilectis filijs regiminibus, consilio, & communi ciuitatis Senensis.

Venientes nuper ad nostram præsentiam ambassiatores solemnes charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Romanorum illustris, inter cætera quæ coram nobis proponere curauerunt ex ipsius parte, dixerunt quod præfatus Rex proponebat intrare Italiam, inde ad Vrbem pro recipiendo Romani imperij diademate profecturus. Nos autem, propositis per ipsos plenius intellectis, attendentes quod, licet ipsius Regis ad partes illas accessus vobis isto præsertim tempore non placeret, attamen ambassiatoribus ipsis firmam ipsius Regis, ad id asserentibus voluntatem; & attendentes, quod accessum ipsum nec prohibere nec expresse dissuadere ex honestatis debito poteramus; & timentes verisimiliter, si rigide responderemus eisdem, quod idem Rex ad fauorem (quod absit) hostis Dei & ecclesiæ suæ sanctæ archiepiscopi Mediolanensis inclinari se forsitan pateretur; ambassiato-

Mittit oratores ad Clementem.

to-

Responsũ Pontificis

toribus ipsis seriosius ostendimus, quod idem Rex grande negocium & non carens periculo, nisi aliter esset disposita materia, assumebat. Et cum dicti ambassiatores adijcerent, quod ipse Rex cum ciuitatibus & terris Guelfis, de quibus maius dubium & verisimilius poterat periculum imminere, iuxta voluntatis nostræ arbitrium seruandum inuiolabiliter concordaret; nos eisdem respondimus, quod ciuitatibus alijs Tusciæ

Itali de his admoniti.

scriberemus, vt sine moræ dispendio ad nostram præsentiam ambassiatores super his mitteretis. Cum igitur dicti ambassiatores ad Regem sæpefatum redierint, breuiter cum pleno & sufficienti mandato super his ad Romanam curiam reuersuri, honori vestro credimus conuenire, quod deliberato per vos prudenter, quid in tam arduo negocio sit agendum, ambassiatores vestros, plene instructos & informatos de intentione vestra, ad Romanam curiam curetis quantocius destinare, &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* VI. *kal. aprilis anno* IX. Reuersi autem ex pontificia aula oratores Senensium ac Florentinorum indignati Ioannem archiepiscopum Mediolanensem latius tyrannidem proferre, ad eam coercendam arcana consilia de euocando in Italiam Carolo Rege Romanorum cum imperialis scrinij præfecto agitarunt a.

a Matth. Vill. l. 2. c. 66. Ant. 3. p. tit. 21. c. 8. §. 10.

Carolo mota Vicecomites pacem expetunt.

31 Nec mora: Ioannes archiepiscopus Mediolanensis nepotesque Vicecomites difficillima in ipsos conflari bella suspicati, vt imminenti discrimini se subducerent, illatarum Romanæ ecclesiæ iniuriarum veniam popoſcerunt, professi Bononiam iuris esse pontificij, ac damna quæ fecerant resarcituros: oratoresque vt conciliarentur ecclesiæ, misere amplissimis mandatis fretos, vt subiecta publica monumenta b aliaque his omnino consentientia nepotum Ioannis iussu confecta, docent.

b Ext. apud Clem. VI. an. 10. l. 3. p. 2. ep. diuers form. 713.

Publica ea de re tabulæ.

In nomine Domini. Amen. Anno natiuitatis eiusdem MCCCLI. *indictione* V. *die sabbati* XXIV. *mensis septembris reuerendus in Christo pater & dominus dominus Ioannes Vicecomes de Mediolano, Dei & Apostolicæ sedis gratia sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus, ac eiusdem ciuitatis & plurium aliarum ciuitatum in partibus Lombardiæ gubernator generalis, suo proprio nomine fecit, creauit, constituit, & ordinauit discretos viros dominum Guillelmum de Arimondis de Parma legum doctorem, & Ioannem de Silua de S. Miniate Lucanæ diœcesis cancellarium suum*, & infra, *ad comparendum pro eo & eius nomine cum omni plenitudine deuotionis & reuerentia coram sanctissimo patre & domino nostro domino Clemente, digna Dei prouidentia sanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ dignissimo summo Pontifice, & coram sacro collegio reuerendissimorum patrum & dominorum eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, & coram quibuscumque alijs dominis auditoribus, iudicibus, commissarijs, & alijs, qui per præfatum dominum summum Pontificem, seu per præfatos reuerendissimos dominos Cardinales super negotijs infrascriptis fuerint deputati. Et ad sponte recognoscendum & humiliter confitendum nomine quo supra, quod merum & mixtum imperium, & omnimoda iurisdictio temporalis in ciuitate Bononia & eius districtu, diœcesi, & comitatu, ac dominium eorumdem cum omnibus iuribus & pertinentijs ab antiquo pertinuerunt, & nunc pertinent, et pertinere debent in solidum ad sanctam Romanam ecclesiam et præfatum sanctissimum patrem dominum Clementem VI. et omnes Romanos Pontifices successores*

Bononiã iuris esse Pontificij agnoscit Ioannes.

suos canonice intrantes esse veros dominos pleno iure prædictorum ciuitatis Bononiæ, et suorum comitatus, territorij, et districtus. Et ad confitendum et recognoscendum ore et corde contrito humiliter et deuote omnes excessus, et omnia delicta ac iniurias, offensas, rebelliones, et inobedientias contra præfatos dominum summum Pontificem, dominos Cardinales, et sanctam Romanam ecclesiam, Et infra: *Et ad recipiendum humiliter, et receptam realiter peragendum omnem pœnitentiam et pœnam, quam idem dominus Papa ipsi domino Ioanni archiepiscopo pro prædictis duxerit imponendam.*

Paratum se ad eam restituendã offert.

Item ad libere et realiter offerendum, restituendum, et resignandum eidem sanctissimo patri et ecclesiæ memoratæ, vel cui seu quibus idem sanctissimus pater mandauerit prædictam ciuitatem Bononiensem et suum comitatum, territorium, et districtum, per ipsum dominum archiepiscopum seu eius nomine occupata et detenta. Et ad redintegrandum pure, simpliciter, et absolute et absque aliqua conditione præfatum dominum summum Pontificem et Romanam ecclesiam ad plenam, integram, et pacificam possessionem et quasi prædictæ ciuitatis Bononiæ et suorum comitatus, territorij, et districtus etiam in Romana curia per assignationem et traditionem clauium ciuitatis prædictæ, tradendarum in signum huiusmodi traditionis, restitutionis, et redintegrationis prædictæ corporalis possessionis vel quasi. Et ad promittendum solemniter et iurandum nomine et in animam prædicti domini Ioannis archiepiscopi constituentis, quod præfatus dominus Ioannes Vicecomes et archiepiscopus illi vel illis, quem vel quos prædictus dominus Papa nomine ipsius et Romanæ ecclesiæ deputauerit ad recipiendum realem et corporalem possessionem prædictæ ciuitatis Bononiæ et suorum, comitatus, territorij, et districtus, cum omnibus iuribus et pertinentijs suis, pure, libere, simpliciter, et absolute, et realiter cum effectu, et absque aliqua conditione restituet, et dimittet quandocumque fuerit ex parte domini Papæ vel Romanæ ecclesiæ requisitus, seu infra tempus, quod ipse dominus Papa ad hoc duxerit ordinandum.

Reuocandum exercitum ab Imolæ obsidione.

32 *Et ad promittendum solemniter nomine ipsius domini Ioannis archiepiscopi, quod ipse dominus Ioannes archiepiscopus exercitum, quem habet, vel cum eius fauore seu auxilio habetur circa ciuitatem Imolæ, ad Romanam ecclesiam pleno iure spectantem, faciet realiter amoueri; et gentem armigeram in obsidione dictæ ciuitatis existentem faciet totaliter vocari: et si (quod absit) ciuitas ipsa Imolensis interim capta esset, seu alias quomodolibet occupata, seu aliquæ conuentiones vel pacta super statu dictæ ciuitatis facta forent, ipse dominus archiepiscopus ciuitatem prædictam Imolensem cum comitatu Imolæ, de quo multa castra occupauit, et omnia et singula occupata per ipsum dominum archiepiscopum, vel eius nomine et fauore, dicto domino Papæ et Romanæ ecclesiæ plene et libere et integre restituet seu restitui faciet; ac possessionem, detentionem, et tenutam dictorum ciuitatis et comitatus dimittet, seu dimitti pacifice et cum effectu faciet ecclesiæ supradictæ; et pactis quocumque modo factis renuntiabit per omnia cum effectu: et quod etiam castrum Lugi libere et expedite restituet archiepiscopo Rauennati seu gubernatori ecclesiæ Rauennatis infra tempus, quod idem dominus Papa duxerit ordinandum. Et ad promittendum solemniter et bona fide de dando et soluendo pro satisfactione omnium expensarum factarum per dominum Papam pro recuperanda ciuitate Bononiensi, nec non damnorum et interesse, quæ dominus Papa et ecclesia Romana occa-*

sio-

sione fauorum & impedimentorum, occupationum, dispensationum, & aliarum offensarum, iniuriarum, inobedientiarum, delictorum, & excessuum praedictorum pertulerunt; ac iniuriarum, offensarum, & aliorum omnium praemissorum emenda Refundēdos sumptus bellicos. *praedicto domino Papae & camerae apostolicae omni exceptione remota in Romana curia, vbicumque fuerint, praedicti domini archiepiscopi periculis & expensis centum millia florenorum boni auri & legalis ponderis de Florentia in duobus terminis infrascriptis, videlicet medietatem dictae summae infra duos menses proxime futuros, & aliam medietatem infra annum proxime secuturum.* Et ad petendum humiliter & reuerenter, ac impetrandum & obtinendum pro praefato domino Ioanne archiepiscopo plenam & integram absolutionem, cum sententiarum & excommunicationum, suspensionum & interdictorum, priuationis bonorum & inhabilitatis personae & omnium sententiarum latarum & impositarum tam per dictũ dominum summum Pontificem, quam per felicis recordationis dominum Ioannem Papam XXII. & per suos praedecessores. Et infra: Obligandam in pontificiũ obsequiũ fidem. *Et ad promittendum & iurandum in animam ipsius domini Ioannis archiepiscopi de conseruando statum & honorem domini summi Pontificis, dominorum Cardinalium, & sanctae Romanae ecclesiae, & de non occupando, inuadendo, seu damnificando terras sanctae Rom. ecclesiae mediate vel immediate subiectas, & incolas earum; & de non dando inuadentibus, occupantibus, vel damnificantibus, & inuadere, occupare, & damnificare volentibus ipsas terras & subditos ipsius ecclesiae, consilium, auxilium, vel fauorem. Et ad promittendum & se obligandum efficaciter de abstinendo ab omnibus ipsarum domini summi Pontificis & dominorum Cardinalium & sanctae Romanae ecclesiae iniurijs, damnis molestijs, & offensis.* Et infra: *Et ad consentiendum nomine ipsius domini archiepiscopi, & pro eo quod in huiusmodi cõcordia & reconciliatione includantur pro parte ecclesiae illi de la Scala & marchio Estensis, & pro parte dicti domini archiepiscopi includantur illi de Gonzaga de Mantua, & illi de Populo de Bononia, &c.*] Interiectis pluribus, quibus Ioannes Vicecomes gesta ab oratoribus rata se habiturum spondet, publicaque documenta eadem re quadrimestri labente traditurum, loci in quo data haec mandata fuerunt, nota apponitur: *Actum Mediolani in curia habitationis praefati domini Ioannis archiepiscopi Mediolanensis, &c.* Vt porro Mediolanenses oratores in publico Cardinalium senatu perfecerint haec imperia, pepigerintq; pacem, proximo anno dicetur. Nunc ad res Neapolitanas sermonem conuertimus.

Fluctuabat Sicilia citerior nouorum malorum impendentium terrore: licet enim induciae superiori anno pontificia opera initae tenerent, regia tamen Neapolitana domesticis dissensionibus laborabat a. Ad quas componendas b, tum ad solemnes ordinum regni conuentus pro expediendis in rebus arduis saluberrimis consilijs cogendos c Clemens Ioannem archiepiscopum Brundusinum legauit, tum Elisabetham Reginam Vngariae, vt filium a bello Neapolitano reuocaret, adduxit d. Instruebat ille interea iudiciariam actionem e, vti iam ante conuentum erat, de Ioanna Regina, vt sontem damnaret, insontemue absolueret, nec constituto tempore deprompta est sententia. Cumque extracta lite maior inuidia Ioannae conflaretur, eam demum insontem pronuntiatam refert Matthaeus Villanus f. Vt vero illa ecclesiae improbam, nauata con-

Neapolitana res dissensionibus turbidae.

a To. 9. ep. secr. pag. 216.
b Ib. pag. 233.
c Pag. 234.
d Pag. 197.
e Matth. Villan. 24.
f Ibid.

flando schismati atrocissimo nefaria opera, gratiam ac demum iusta supplicia retulerit, dicetur suo loco. Caeterum assensit pontificijs decretis Ludouicus Vngariae Rex (adeo insignis illius in Clementem obseruantia fuit) atque regiae Siciliae principes libertati, regnoque Neapolitano pacem a se restitutum iri est pollicitus. Cui Pontifex ob tanta amoris & studij signa gratias egit a, ipsumque rogauit, vt oratorem ad reliquam controuersiam componendam mitteret: hortatus est ad arma in Tartaros, vt meditabatur vertenda, atque Vngaricas copias, quae plures vrbes & arces obtinebant, in Sicilia citeriore, ne vlla inferrent populis damna, regijs iussis comprimendas.

Vngarus Neapolitanum regnum dimittit.

a To. 10. ep. secr. pag. 44.

33 Adduci se passus est facilius Vngarus ad Siciliam dimittendam, cum multorum in barbaros bellorum moles ei incumberet: Casimirus enim Poloniae Rex, qui in regiam Vngaricam sceptrum Polonicum transfundere decreuerat, a Lithuanis appetitus bello Vngarorum auxilia implorabat: quippe Lithuani, excitis Tartaris ac Rhutenis, late ferrum flammamque per Poloniae prouincias circumferebant b, ac Belzensem, Vratislauiensem, Chelmensem, & Brestensem agros Polonico imperio eripuerant. Contractis itaque copijs propulsati hostes & in Lithuaniam signa promota sunt c, atque in Keystutum ducem Lithuanum dimicatum. Haec enim refert Michouius d, qui rem hoc anno consignat de Casimiro Rege Poloniae: *Vuladimiriensem terram, castrumque conquirens etiam Keystutonem, ducem Lithuaniae in quodam particulari certamine, caesis Lithuanis, cepit. Qui cum omnibus fratribus Lithuaniae ducibus et suis terris fidem se Christi susceptururum iureiurando promittens, a Regibus comiter et honeste detentus est. Sed Reges deludens nocte effugit.* In eo discrepat a Michouio & Dlugosso Cromerus e, dum non Keystutum, sed fratrem Lubartum captum ait. Cuius belli fremitu excitatur Pontifex ad arcendos Christiani imperij limitibus infideles, tum ob singularem clientelam, qua Polonia Romanae ecclesiae addicta est, religiosam militiam non in Polonia modo, verum in Vngaria & Boemia promulgari, ac fideles quos ad sacra arma corripienda propositis caelestibus praemijs allexit, crucis symbolo triumphali distingui iussit, dato sequẽti anno hoc diplomate. f

Excitus a Polonis Vngarus contra Tartaros.

b Michou. l. 4. c. 19. Cromer l. 12. in Casimiro.
c Id. ibid.

d Michou. super c. 19.
Dux captus spondet Baptisma suscepturum.

e Cromer. super l. 12.

f An. 10 l. 6 n. 2. ep. diuersar. form 640.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Gnesnensi & Cracouiensi & Vratislauiensi episcopis.

Nuper charissimus in Christo filius noster, Casimirus Rex Poloniae illustris per literas & nuntios suos nostro apostolatui patefecit, quod gens perfida Tartarorum in tenebris ambulans, carensq; lumine catholicae veritatis, profana cogitatione considerans, quod regnum Poloniae, quod a fidelibus habitatum, est in vltimis Christianorum finibus constitutum; & quod propterea ad impugnationem regni praefati eisdem Tartaris absque catholicorum principum & aliorum fidelium obice iuxta profanos conceptus ipsorum facilior via patet; dictum regnum & Christianos habitatores ipsius inuadere praesumpserunt, ad desolationem fidelium habitantium in eodem & religionem catholicam ibi profanandam conflatis potentiae suae viribus hostiliter intendentes: propter quod praefatus Rex, attendens quod regnum est ecclesiae Romanae immediate subiectum & etiam censuale; & quod tam ipsi, quam habitatores regni praedicti sunt eiusdem ecclesiae pecu-

De eorũ excursionibus.

llares filij & fideles, & quod ex impugnatione ipsorum non solum dictum regnum eiusque incolæ, quinimmo fideles cæteri dicto regno tam proximi quam remoti proculdubio diris aduersitatibus læderentur, nostrum in hac parte & per nos promptum fidelium aliorum subsidium humiliter implorauit. Nos igitur attendentes, quod in huiusmodi defensione & tuitione non solum dictorum Regis & regni, sed aliorum fidelium vicinorum & etiam, vt præmittitur, remotorum salubriter agitur, & securitas procuratur, & barbaricæ feritatis audacia facilius Deo propitio in suis poterit refrænari & collidi principijs, quam si nullo parato resistentiæ obice permitteretur liberius in Christianum sanguinem deseuire; considerantes etiam vrgentem & probabilem eiusdem Regis supplicationis instantiam, votis eius super præmissis eo libentius annuendum fore prouidimus, quo illa apostolici fauoris fulcienda & iuuanda præsidijs magis vtile & expediens existimamus.

Præmissis igitur attenta meditatione pensatis, supplicationem eiusdem Regis in hac parte benignius admittentes, vt idem Rex versus eosdem Tartaros, qui dudum, sicut infanda experientia docuit, dictum regnum & nonnullas alias terras fidelium & personas eorum per crudelis impugnationis & expugnationis excidium destruxerunt, diuino (vt speramus) fretus auxilio, & aliorum fidelium crucis Christi signaculo munitorum præsidio communitus, defensionem eiusdem regni & incolarum ipsius contra dictam barbaricam nationem potenter assumere valeat, & feliciter exercere; prædicationem crucis in Regis & regni prædictorum auxilium per nostras literas duximus concedenda. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos & quilibet vestrum per vos & alias personas ecclesiasticas seculares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas esse noueritis, in eodem Poloniæ & Vngariæ ac Boemiæ regnis contra præfatos Tartaros & quoscumque alios infideles inuadentes, seu offendentes prædictum Regem & regnum Poloniæ & habitatores ipsius, proponatis iuxta datam vobis a Deo prudentiam verbum crucis, & venerabile signum eius tam eiusdem Regis, quam aliorum fidelium incolarum regnorum prædictorum, illa deuote suscipere volentium, humeris affigatis, eosdem vestris exhortationibus & instantijs inducentes, vt prædictum negotium contra Tartaros & infideles præfatos feruenter assumant & viriliter prosequantur. Et vt ipsi fideles tanto feruentius ac libentius prosequi præmissa studeant, quanto ex suis laboribus potiorem gratiam se nouerint percepturos, nos de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, &c.] sacrarum indulgentiarum præmijs eos afficit, qui indicta excurrente triennio a Polono Rege expeditione eius signa fuerint secuti. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis idibus maij anno x.* Conscriptus est præcipue in Vngaria auxiliaris exercitus fidelium viuifica cruce insignitus, quem Ludouicus Rex ad auunculum Casimirum adduxit. Suscepto autē Lithuanico bello Vngariæ Rex grauissimo alio contra Tartarorum Imperatorem hostium socium est implicitus. a

Indicta in eos sacribus regnis religiosa militia.

In Lithuaniam sublata signa.

a Matth. Villa. l. 2. c. 72.

Septētrio vexatus ab infidelibus.

34 Quatiebant etiam ad septentrionem catholicam ecclesiam Rutheni infideles, qui odio in religionem nostram efferati Careleos & Ingros, qui in euangelij libertatem se asseruerant, Magnique Regis Sueciæ clientelam sibi asciuerant, repentina irruptione oppressere, atque in Suecones & Gothos, qui pro neophytis defendendis excubabant, immanem carnificinam exercuere: neophytos vero ad exuendam religionem compulere. In quos cum pararet expeditionem Suecus Rex, Dei vicarius fideles ad eam obeundam sacris indulgentijs excitari, ac cruce insigniri iussit. a

a An. 9. l. 3. p. 2. ep. de diuersis form. 909.

Clement, etc. archiepiscopo Vpsalensi eiusque suffraganeis.

Quia sicut charissimus in Christo filius noster Magnus Rex Sueciæ illustris per suos speciales nuncios et literas intimauit, quædam gentes, quæ Kareli et Ingri nuncupantur, regno suo vicini, immo ex vna parte contigui, recognito suæ infidelitatis errore, dicto Rege, quem pro suscipienda fide Christiana in eorum auxilium specialiter inuocarunt, ipsos ab insultibus et oppressionibus, quibus Rutheni catholicæ fidei inimici nos frequentius affligebant, manu valida protegente, eandem fidem susceperant et baptismum; ijdem Rutheni ex hoc ad eorum exterminium aspirantes, et post eiusdem Regis ab inde recessum ex inopinato in eos ac alios Christianos partium earundem, pro dictæ nouellæ plantationis defensione de ipsius Regis mandato inibi consistentes, crudeliter sæuientes, alios eorum gladijs, alios suspensos ad arbores, alios vero canum morsibus laceratos, et alios eorum incredibilibus tormentorum generibus occiderunt, et reliquos Careleos et Ingros superstites in crudelem et horrendam seruitutem redactos redire ad erroris cæcitatem pristinam compulerunt; idemque Rex propter nimiam mortalitatis pestem, quæ in illis partibus his temporibus superuenit, adeo est hominibus destitutus, quod ad propulsandum eorundem inimicorum molimina non sufficit per seipsum. Cum igitur contra huiusmodi fidei inimicos tanto efficacius sit a viris Deum timentibus insurgendum, quanto maioribus ecclesiam Dei damnis affligere cupiunt, qui fidem eandem confundere tam detestabili crudelitate nituntur; nos, ipsius Regis supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus viros catholicos in regno prædicto et vicinis insulis positos, vt contra eosdem infideles crucis signaculum assumentes ipsos viriliter ac potenter expugnent, exhortationibus salutaribus inducatis: nos enim attendentes, quod tanto gratior est defensio fidei, quanto cæteris virtutibus animæ fides debet pretiosior reputari, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, illam ob id assumentibus signum crucis concedimus veniam peccatorum, & ipsos ea volumus immunitate gaudere, quam habituri essent, si in terræ sanctæ subsidium personaliter se transferrent. *Dat. Auin. 11. id. martij anno x.* Data eadem imperia Nidrosiensi b & Lundensi c archiepiscopis, eorumque suffraganeis episcopis, vt e Norvvegia & Dania crucesignati exercitus subsidiarij ad restituendam rem Christianam educerentur, cum Suecia ab epidemia seuitiam viris exhausta esset.

Vt Careles & Ingri fidē Christianam susceperint.

A Ruthenis oppressi sint.

Expetitū a Magno Rege pōtificium auxilium.

Indicta a Clemente crucea ta expeditio.

Proposita veniæ spes eam inituris.

b ib. ep. 940.

c ib. ep. 918

Norvvegia & Dania ad iūgenda arma concitata.

35 Grassatam in septentrionalibus oris hoc anno pestem, refert etiam Albertus Crantzius d, atque apud Prædicatores Lubicenses a quodam phantasmate morituroru virorum religiosorum numerum prædictum narrat: *Anno,*

d Crantz. Vand. l. 8. c. 29.

Pestis Germaniam depascitur.

nus, inquit, erat quinquagesimus primus post mille trecentos, cum grandis vbique per Germaniam saeuiret epidemia. Lubicæ tum præsagium mirabile ferunt moriturorum extitisse in conuentu Prædicatorum, quod nouitate sua narrationem a nobis impetrauit. Audiuit frater ex conuersis, qui curam haberet præ cæteris coquinæ, nocte vna subter se, cum in strato esset, in hospitali domo strepitum, & interea vocem loquentis ad fenestram coquinæ: Coque para cibum abituris fratribus. Et ille deintus: Quot sunt transituri? Tum ille: triginta sex de conuentu, & duo aduenæ cum illis profecturi. Miratus ille frater de intempestæ noctis cibo, & quod illi talium rerum curam habenti nihil tale esset a priore insinuatum, cœpit cum horrore cogitare esse phantasticam rem, quæ gereretur. Tum curiositate ductus, deque lecto surgens, intuetur per foramen, quod visum admittebat in domum hospitalem. Videt assidere mensæ in albis numerum fratrum, quem audierat, velatis frontibus, vt fieri solet iam tumulandis. Horrens de visionis forma, redit in stratum, nec erat cui rem detegeret: sed cum euentus omnia probasset, funeratis triginta sex de conuentu fratribus & duobus, qui de Hamburga venerant, iam palam edixit quæ ante vidisset.

36 Admiratione etiam dignum est, quod Ioannes a Leydis Carmelita refert a apud Delfos conspectum prodigium, ex quo commendatam hominibus Deiparæ venerationem colligitur: *Eodem, inquit, anno frater Suicon Col, & alius Ioannes filius Andreæ famulus cuiusdam pellificis in oppido Delfensi ambulantes pariter in foro campo eiusdem oppidi, cernebant quandam pulchram ecclesiam in sublimitate aeris super locum illum, in quo nunc stat noua ecclesia in Delfft. Ista visio per triginta annos circa festum purificationis B. Mariæ semper in aere apparuit. Tandem fabricata est ibidem lignea ecclesia in honorem B. Mariæ virginis, & imago eiusdem B. Mariæ virginis per miraculum inuenta ponitur in eadem ecclesia.*

a Io. a Leyd. l. 29. c. 20.

Ostensum apud Delphenses.

Tradit idem auctor b, apud Vvalachriam insulam Hollandiæ obiacentem maritimo & cruento prælio certatum inter Margaritam comitissam Hannoniæ, atque eius filium Vvillelmum Hollandiæ comitem, in quo filium mater deleuit: aduersæ enim Hollandorum factiones impulerant, vt naturæ leges violarent. Inflammauit ea clades victos, vt vltionem experituri maiori furore bellum instaurarent: paulo enim post apud Mosam iterum collata signa c, tantaque pertinacia animorum, vt mutuæ maximę strages sint editæ. Vvillelmus demum alternante victoria Margaritam matrem profligauit, quæ in Angliam ad Philippam Reginam sororem fuga se contulit. Tantus vero Christianus sanguis in hoc funesto prælio effusus est, vt tribus diebus Mosa in æstu ac recessu cruentus fluxisse conspectus feratur. Dum vero aduersæ commissæ essent acies, certamen beatæ Gertrudi diuinitus significatum, atque eius precibus partam Vvillelmo victoriam refert subiectis verbis vitæ illius auctor d: *Anno salutis millesimo trecentesimo quinquagesimo primo Imperatrix*, nimirum Ludouici Bauari vidua, *cum filio suo duce Vvillelmo in Mosa prælium commisit. Sentiens autem Gertrudis in spiritu periculum, quod tunc imminebat (erat vero per id tempus cum sororibus in vrbis templo) toto corpore se prosternens, hortabatur sorores, vt orarent: Iam enim, inquit, prælium ad Mosam committitur, & orandi tempus est. Paulo post commissa prælio, ait ad Beghinas: Laudemus Dominum, sorores meæ, nostris enim cessit victoria.* Agunt de hoc bello præter Batauos scriptores, Albertus Argentinensis a, Henricus Rebdorfius b, & alij c: e quibus Meyerus addit d, tumultus graues Leodij concitatos, ciuibus aduersus Engelbertum episcopum principem rebellionem mouentibus: sed victos prælio ad obsequium compulsos.

b Eod. l. c. 28.

Hollandi intestinis dissensionibus se laniant.

c Eod. lib. c. 19.

d Apud Sur. to. 7. die 6. ian.

Parta Vuillelmo S. Gertrudis precibus victoria.

a Alb. Arg. in chron. b Rebdorf. in annal. c Meyer. hist. Flan. l. 13. Trithem. chro. Sponheim & alij.

Exortum etiam graue bellum in Vvestrania inter Mariam ducissam Lotharingiæ, & Iolandam comitissam Barrensem huiusque fœderatos Metenses: quod cum plures alios principes quadam contagione correpturum videretur, Pontifex vt malis imminentibus mederetur, Guillelmum Puichon Moguntinæ ecclesiæ præpositum apostolicum internuntium creauit e & ad sopiendamque discordiam IV. non. decembris iussit incumbere.

Bella in Vvestrania.

d Meyer. super lib.

e To. 10. ep. secr. pag. 11.

37 Adhibuit etiam Christi vicarius apostolicos conatus ad pacẽ Anglos inter & Francos conciliandam. Sed dum pacis rationes omnes explorat Pontifex, induciæ antea initæ ab Anglo violatæ sunt f, Guisnarum arce dolo occupata. Ex quo noua controuersia recruduit, quæ in pontificia curia agitata est.

Nauata opera pro redintegranda Anglos inter & Gallos pacẽ.

f Matth. Vill. l. 2. c. 49. Froissar. hist. l. 1. Paul. Aemil. & alij.

Nec minus asserendæ in Gallijs religioni, quam restituendæ paci studuit Clemens. Florebat pius mos, quem S. Ludouicus clarissimum Regum exemplar a Romano Pontifice induci curauerat, vt censores fidei ad subnascentes hæreses euellendas e Gallijs excubarent. Cuius propagandi moris ergo, cum apud Andegauicoses intermissus fuisset, Clemens causarum fidei in Gallia cognitori Dominicanæ familiæ religioso viro ius contulit, g vt Andegauis, quemadmodum in finitimis prouincijs censuram fidei exerceret: quod diploma a nobis asserendum visum est, ad obstruenda eorum ora, qui temere effutiunt, inquisitionis sacræ tribunalia nunquam in Gallijs posita fuisse.

g An. 10. to. 3. p. 2. diuersar. fol. [illegible]

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filij prioris fratrum ordinis Prædicatorum prouincialis prouinciæ Franciæ iuxta morem dicti ordinis nobis extitit intimatum, quod licet prior dicti ordinis eiusdem prouinciæ Franciæ, qui est pro tempore, ab antiquo, potuisset (prout potest) per specialia priuilegia sedis Apostolicæ ordini prædicto concessa certum numerum fratrum dicti ordinis ad exercendum in regno Franciæ inquisitionis officium deputare; quia tamen postmodum felicis recordationis Nicolaus Papa IV. prædecessor noster fratribus dicti ordinis inquisitoribus prauitatis eiusdem, tũc in dicto regno deputatis auctoritate apostolica & ex tunc in posterum deputãdis, huiusmodi officium inquisitionis committens, comitatus & terras claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ tunc viuentis excepit; dilecti filij inquisitores prauitatis eiusdem per dictum priorem tunc, & qui fuerunt in posterum ad huiusmodi inquisitionis officium in dicto regno vigore priuilegiorum huiusmodi deputati in Andegauiæ & Cenomanensi comitatibus atque terris in dicto regno consistentibus, qui tunc eiusdem Regis existere noscebantur, etiam postquam dictus Rex & ipsius in regno Siciliæ heredes habere desierunt dictos comitatus & terras, præfatum inquisitionis officium dubitarunt & dubitant in dictis terris & comitatibus exercere; propter quod in eis errores & hæreses possent multipliciter pullulare.

In Gallijs posita aduersus hæreticos tribunalia.

Nos igitur, attendentes quod plurimum

periculosum existeret, si huiusmodi prauitate resperfi (quod absit) in eorum pertinacia locum refugij inuenirent, dilectis filijs Guillelmo militis dicti ordinis professori & in sacra theologia magistro, ac alijs fratribus dicti ordinis inquisitoribus prauitatis eiusdem in regno Franciæ, qui nunc sunt, & quos in posterum vigore priuilegiorum huiusmodi deputari contigerit, vt præfertur, qui in dictis comitatibus atque terris dictum inquisitionis officium contra hæreticos præmissis nequaquam obstantibus, seruatis tamen Viennensis concilij & alijs constitutionibus apostolicis super hoc editis, exercere valeant, prout in vicinis terris, Turoniæ videlicet & Pictauiæ, per priuilegium; ipsius prædecessoris est fieri consuetum; plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium licentiam elargimur. Nulli ergo, &c. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VI. kal. octobris anno X.* Dum viguit censorum fidei auctoritas, religionis splendor ab hæreticis obscurari non potuit: at vbi politicorum vitio spargendarum hæreseon licentia permissa est, maduit suorum cruore Gallia, innumeræq; simplices animæ erroribus irretitæ quotidie tristes inferorum exuuiæ fiunt. Accendat Deus pristino pietatis ardore eos, qui sacrum veterem morem in Gallias reuocare, immortalesque ex eo triumphos sibi comparare possunt. Sed ad institutam historiæ seriem redeamus.

Exercendæ in hæreticos inquisitionis necessitas.

38 Vergente anno Clemens correptus grauissimo morbo, parto ex maligno humore, quo suffusa facies admodum intumuit, & in discrimen salutis adductus, ex quo tamen euasit, vt felicius ad piam mortem se compararet, exemplo Ioannis XXII. edito diplomate promulgauit a, a se omnia, si qua forsitan ante adeptum pontificatum vel eo gesto non consentientia cum fide catholica ex linguæ præcipitis lapsu protulisset, reuocari.

Clemens graui morbo tentatus.

a To. 10 ep. secr. pag. 183.

Clemens, &c. Ad futuram rei memoriam.

Quamuis ille pius omnium Conditor & redemptor in se sperantium informet & dirigat actiones, & mentis nostræ tenebras luce suæ veritatis illustrans, eas ab inuio præseruet erroris; quia tamen quandiu carnis hoc velamine tegimur, antiqui hostis, cum quo nobis assidua pugna est, dolos & artes sic confutare non possumus, quin interdum ex carnis fragilitate peccemus, cum infans, cuius vnius diei super terram vita est, peccati labem euitare non possit; nos qui inter peccatores peccator viximus, infirmitatem nostram pœnitentiæ passibus metientes, si qua dudum in minoribus constituti, & postquam ad fastigium apostolicæ dignitatis diuina bonitas dignanter potius quam digne prouexit, nos disputando, legendo, prædicando, aut alias contra catholicam veritatem & fidem, vel bonos mores ex lapsu linguæ præcipitanter forte protulimus, reuocamus & volumus pro reuocatis haberi: & ea omnia sedis Apostolicæ auctoritati supponimus & submittimus corrigenda. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. VII. id. decembris anno X.* Neque ex hoc obganniendi occasionem sumant nouatores, Pontificem eiusdem testimonio errare posse; vt priuatos enim, cum suam promunt sententiam ex imbecillitate humani intellectus eos falli posse non repugnat, vt iam dictum est: nullatenus vero errare posse, cum decretoriam fidei sententiam ab vniuersa tenendam ecclesia proferunt, ob singulare Spiritus sancti præsidium, quod a Christo Petro eiusque successoribus promissum est, de quo pluribus theologi.

Dicta sua omnia ecclesiæ decreto submittit.

39 Consulturus etiam tum futuri successoris electioni celebrandæ, constitutionis a Gregorio X. latæ vigorem temperauit, sanxitque a ad Cardinalium gratiam, vt in conclaui famulum haberent, atque eorum mensæ vnum ferculum carnium vel piscium apponeretur; qua de re hæc eiusdem Pontificis vitæ auctor: *Præfatus insuper Papa laxauit, seu verius mutauit constitutionem Gregorij Papæ X. Vbi maius de elect. libro sexto editam super illis, quæ Cardinales habent obseruare, quando sunt inclusi in conclaui pro electione Romani Pontificis celebranda, &c.* Recensere pergit auctor præcipua capita illius constitutionis, quam ex pontificio regesto adducimus b.

Gregorij X. lex de conclaui téperata.

a Gesta Clem. VI. apud Bosq.

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Licet in constitutione a felicis recordationis Gregorio Papa X. prædecessore nostro, super electione Romani Pontificis edita in concilio Lugdunensi, inter cætera caueatur expresse, quod si eundem Pontificem in ciuitate, in qua cum sua curia residebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, omnes conueniant, & in eo singuli singulis tantummodo (nisi illi quibus ex patenti necessitate duo permittuntur) huiusmodi contenti seruientibus clericis vel laicis, prout elegerint, vnum conclaue, nullo intermedio pariete vel alio velamine, inhabitent in communi, & quod diebus certis non facta prouisione de pastore decursis, panis, vinum, & aqua tantummodo eisdem Cardinalibus, donec subsequatur prouisio, ministrentur; quia tamen, sicut frequenti multorum assertione, & in Cardinalatu constituti percepimus, nonnulli ex Cardinalibus ipsis in obseruatione constitutionis ipsius grauati alias nimium extiterunt, multique ex ipsis duos in dicto conclaui habuerunt seruientes non absque scrupulo conscientiæ propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in dicta constitutione, vt præmittitur, contentorum; nos prouidere super ijs cupientes, ex his & certis alijs causis rationabilibus, quæ nostrum in id animum induxerunt, rigorem constitutionis ipsius, & etiam ad fratrum nostrorum supplicationem in his prouidimus temperandum; auctoritate apostolica statuentes, quod Cardinales postquam conclaue huiusmodi seu clausuram pro dicta celebranda electione intrauerint, singuli duos seruientes tantum clericos vel laicos, prout duxerint eligendos, ac insuper singulis diebus præter panem, vinum, & aquam in prandio vnum & in cœna vnum dumtaxat ferculum carnium vnius speciei tantum, aut piscium seu ouorum cum vno potagio de carnibus vel piscibus principaliter non confectis, & decentibus salsamentis habere valeant, vltra carnes salitas & herbas crudas ac caseum, fructus seu, electuaria, ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit. Liceat etiam eis ex decentia honestatis habere in clausura huiusmodi, cum in lectis causa quiescendi vel dormiendi esse voluerint, dumtaxat intermedia seu velamina simplicium solummodo cortinarum, prædicta felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri & alijs constitutionibus apostolicis contrarijs, quibus per hoc in alijs derogari nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c. *Datum Auin VIII. idus decembris anno X.*

b To. 10 ep. secr. pag. 124. & in M.S. codi. mon. Vat. sign. n. 4737. & in bullar. in Clem. VI. const. 5 Quænam illa fuerit.

Mitigandæ illius causæ.

Mi-

Migrauit in cælos hoc anno B. Conradus Placentinus, qui vitam eremiticam in nemore apud Netinam Siciliæ vrbem diu coluit, vbi magnis miraculis ac sanctitatis apud omnes opinione claruit: cuius gesta ad Cardinalem Baronium ex Netinæ ecclesiæ monumentis subiecta forma concepta transmissa sunt a: *Beatus Conradus heros Placentinus apud Netum vrbem Siciliæ celebrem natura cessit vndecimo martij anno a Christi natali MCCCLI. Cuius vita a rebus gestis fuit vehementer admirabilis. Innotescere cœperunt sua virtutis primordia, cum seipsum prodens, innocentem virum seruauit a laqueo, qui metu quæstionis incendij crimen a Conrado commissi confessus trahebatur ad necem. Vt primum vero damnum passis iura persoluit, ita cum vxore egit, vt in monasterio dimissa, cæterisque rerum temporalium curis abiectis, piæ peregrinationi se accinxerit. Panormum primam Siciliæ vrbem appulsus, auditoque Netinos multarum virtutum gloria præ cæteris commendari, apud hos sibi viuendum duxit, & in arduum eremum extra mœnia ad tertium lapidem se contulit; vnde raro aut Netum aut Hiblam cibi emendicandi gratia prodibat. Multos ibi annos, humi cubans, ieiunio, oratione, alijsque corporis & spiritus exercitationibus adeo profecit, vt enutritus pane cælesti non oportuerit amplius exire. Nec defuere mirabilissima virtutis signa, & acquisita diuina gratiæ effectus, dum varias dæmonum tentationes, & carnis oblectamenta fortiter exuperat atque domat. Plurima longe abdita præsensit, prædixitque: morbo grauatos mirabiliter sanauit, esurientes panibus angelico ministerio formatis refecit, et ab imminentibus certæ cladis periculis suos deuotos subduxit. Et vbi mortalis vitæ finem impendere prænouit, Neti Eucharistia desumpta, confessarium suum rogauit, vt perendie in eremum se conferret: quod vbi effecit, detegit illi Conradus imminere sua mortis horam, aperuitque funeris consilium, futurum enim erat, vt Hiblæ & Netini, intra quorum fines fuerat commoratus, de corpore apud se sepeliendo contenderent, monetque quomodo certamen ad arma progressum sua prudentia dirimeret: seque velle asseris, vt Neti in diui Nicolai ipsius vrbis patroni tumulo mandaretur.*

a MS bibl. Vall. B. Conradi Placentini obitus.

Piæ illius exercitia.

Dum hæc colloquuntur, præsentiens horam, redit in antrum suum, & coram Crucifixi imagine totum se Deo commendat. Tum, mirabili splendore locum illustrante, animam Deo reddidit. Perterritus autem presbyter accessit, diuumque genuflexum, ac si adhuc orationi instaret, reliquo vero corpore erectum comperit, grauique luctu afflictus tanti viri iacturam deplorabat. Interim Neti & Hibla campana, nullo pulsante, crebro concursu defunctum lugebant. Netinos inde ac Hiblenses, qui camponarum ex sese sonantium strepitu perciti accurrerant, & de cadaueris possessione dimicabant, nec tamen vlla sanguinis effusione læduntur Conradi precibus, vt antea prædixerat, presbyter verbo & opere sedauit. Cumque Netum gestaretur, plures ægroti etiam ab hernia laborantes beati viri opem implorantes pristinam recepere valetudinem: multoque maiora edita sunt miracula, cum Iacobus Humana episcopus Scutarensis Leonis X. Pontificis rescripto, quo concessum est diui Conradi reliquias posse coli, & per vrbem circumduci, & festum celebrari, data Romæ XI. iulij anno salutis MDXV. primum festum instituit. Nec cessat quotidie diuinæ virtutis operatio huius beati merita patefacere, præsertim cum XI. kal. martij per vrbem Netinam circumducitur; vnde vel extra Syracusanam diœcesim eius festum, vt aliorum beatorum, quos nondum in sanctorum numerum ecclesia retulerit, posse celebrari & venerari, Paulus III. mandauit. Datum est diploma anno salutis MDXLIV. kalend. nouembris. Fuit Conradus statura procerus, forma elegantissimus, aspectu magnanimus, sermone grauis et facundus. Eius corpus in argentea arca reconditum apud Netinos in ornatissimo tumulo et sacello conseruatur, vbi quotidie diuinæ virtutis signa experimur.

Luce cælesti locus in quo moritur, circumfusus.

Claret miraculis.

Et infra: *Pro veritatis certitudine et informatione illustrissimi et reuerendissimi domini Cæsaris Baronij S. R. E. Cardinalis præsens summarium vitæ et mortis et miraculorum beati Conradi transcribi, et vrbis Neti sigillo communiri fecimus. Datum Neti diœcesis Syracusanæ die XI. mensis ianuarij IV indict. MDCVI.* Propagata est annorum flexu B. Conradi gloria innumeris beneficijs eius ope populis ad illius reliquiarum venerationem confluentibus collatis: quas cum Guillelmus Syracusanus & Iacobus Scutarensis episcopi, sepulchro reserato ex data ipsis a Leone X. prouincia, inspexissent circumfusa cleri populique multitudine, illius corpus corruptionis expers inuentum, atque ex eo fragrantissimum odorem halasse publicis documentis a testati sunt: *Cum clero*, inquiunt, *& populo processionaliter ad capsam, in qua corpus ipsius Conradi supra centesimum & sexagesimum annum repositum fuerat accedentes, capsam ipsam aperiri iussimus: qua reserata, tanta odoris fragrantia per totum templum illud diffusa est, vt omnium aromatum odoramenta ibi recondita viderentur. Vidimus & manibus nostris contrectauimus caput & brachium vnum duntaxat a corpore separatum (quod quidem brachium theca argentea coopertum in eius honorem populo ostendi religiose consueuerat) reliquum vero corpus cum cæteris membris suis integris ad inuicem cohærentibus & annexis carne vestitum a die depositionis & obitus ipsius Conradi supra centesimum & sexagesimum annum, vt superius dictum est. Has itaque beatas reliquias in eadem capsa iterum reconditas cum clero & omni populo processionaliter efferre iussimus, et honorifice conduci ad templum sacratissimi Crucifixi, vbi saluator noster Iesus Christus miracula euidentissima ostendere dignatus est: nam nonnullos, qui fracturas et viscerum dissolutiones in inguine patiebantur, sub capsa reliquiarum deuote orantes statim sanitatum beneficia receperunt. Nos itaque apostolica auctoritate, qua in hac parte fungimur, tam ipsis habitatoribus prælibatæ ciuitatis Neti, quam omnibus quibuscumque alijs Christifidelibus vtriusque sexus, vt eundem B. Conradum, prout cæteros beatos confessores nondum canonizatos venerari, illiusque festum die XIX. mensis februarij, in quo die migrauit hinc ad Dominum, per nos deputatum celebrare, et omnia et singula alia in præmissis et circa præmissa necessaria seu quomodolibet opportuna facere libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem perpetuo concessimus: ac etiam, quod dictum beatum corpus efferri et processionaliter per ciuitatem ipsam Neti conduci possit, etc. Dat. Neti XXVIII. die mensis augusti III. indiction. MCCCCCXV.*

a Extant apud Vaddi. to. 4. an. 1351. n. 31. Eius reliquiæ suauissimum odorem spirant.

Restituta pluribus ægris valetudo.

IESV CHRISTI

Annus 1352.

CLEMENTIS PP.VI, annus 11. CAROLI IV, ROM.REG.7. IO.PAL.12.& IO,CAN.6, IMPP.

1 INeunte anno a virgineo partu quinquagesimo secundo supra millesimum trecentesimum quinta indictione conciliata est in pontificia aula Clementis VI. studio pax inter Ludouicum & Ioannam coniuges Siciliæ, ac Ludouicum Vngariæ Reges ijs pactionibus, vt Regina Vngaro trecenta aureorum millia ob sumptus in bello factos refunderet, Vngarus vero omnes vrbes & arces, quas etiam tum in citeriore Sicilia obtinebat, pontificiæ fidei committeret, præsidiariasque copias e regno euocaret; ac tam Robertus princeps Tarentinus & Philippus frater, quam Ludouicus & Robertus Dyrrachini in libertatem vindicarentur: quæ leges ratæ habitæ a Clemente, atque apostolica auctoritate confirmatæ. Quibus compositis, præter omnium expectationem Ludouicus Vngariæ Rex magnifice regiam liberalitatem explicuit; illius enim oratores ex arcanis imperijs regio nomine sunt professi, Vngariæ Regem non auri cupiditate, sed iustissimæ vindictæ de Andreæ fratris nece petendæ voluntate ad bellum concitatum; itaque iam placata, & bello absistere, ac sibi pacta trecenta aureorum millia repudiare: ex qua magnificentia magnum apud omnes decus collegit. Recensentur hæc fusius a Matthæo Villano a, pontificijsque ad Ludouicum Regem ac Ioannam Reginam Siciliæ literis kal. februarij datis confirmantur, quibus restitutam inquieto regno serenitatem, ac Regis Vngariæ liberalitatem, tum Bracharensem archiepiscopum & Petrum e S. Martiale ad recipiendas in pontificiam fidem arces, quas Vngari præsidio militari occuparent, missos significauit b.

[Margin: Restituta Neapolitano regno pax, & quibus legibus.]
[Margin: Vngarus pactam auri vim remittit.]
[Margin: a Matth. Vill. l. 3. c. 65.]
[Margin: b To. 10. ep. secr. pag. 151.]

Clemens, &c. Ludouico Regi & Ioannæ Reginæ Siciliæ illustribus.

Miserator Dominus, qui misericordias suas etiam cum iratus fuerit continere nescit, sollicitudinibus & curis innumeris, quas inter vos & charissimum in Christo filium nostrum Ludouicum Regem Vngariæ illustrem exorta commotio nobis indixit, & calamitatibus, quibus occasione commotionis huiusmodi regnum nostrum miserabiliter fluctuauit, hucusque terminum posuit, & ipsius Regis Vngariæ animum inclinauit ad pacē, ipsumq; nostris beneplacitis conformauit, quod priori tractatu, cuius vobis formam & copiam misimus, non obstante, omnem summam pecuniæ, quæ vel pro parte sua petita vel sibi oblata fuerat, pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia repudiauit omnino: & per venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum Vesprimiensem ac nobilem virum Vlricum de Vvolford comitem Castriferrei nuntios & procuratores suos, quos cum sufficienti & speciali mandato ad infrascripta omnia peragenda ad nos & sedem Apostolicam destinauit, promisit nobis, quod ipse ciuitates, castra, fortalitia, & loca quælibet alia dicti regni, quæ per eiusdem Regis stipendiarios & gentes, aut quosuis alios suo nomine inibi detinentur, cum munitionibus existentibus in eisdem in manibus nostris seu venerabilis fratris nostri Guillelmi archiepiscopi Bracharensis & dilecti filij nobilis viri Petri domini de S. Martiale militis Lemouicensis diœcesis, quos ad hoc duximus deputandos, vel alterius eorum recipientium nomine nostro expedite ponet ad faciendum, disponendum, & ordinandum de illis libere pro nostræ arbitrio voluntatis; & quod bona fide curabit & faciet cum effectu, quod stipendiarij Vngari & alij equites & pedites, ac gentes huiusmodi & quicumque alij in eodem regno, præfati Regis nomine commorantes, de dicto regno & qualibet eius parte recedent infra tres menses a data literarum nostrarum super hac confectarum materia computandos; quodque dilectos filios nobiles viros regalis domus vestræ, quos ipse detinet, & quos dicti episcopus & comes procuratorio nomine præfati Regis ex tunc verbo libertatis beneficio donauerunt, plenarie ac effectualiter pristinæ restituet libertati, &c. *Dat. Auin. kal. februarij anno x.*

[Margin: Spōdet se ex arcib. præsidia educturū.]

2 Adiecta ea cæteris fœderis legibus fuerat, vt Pontifex censuras omnes dissolueret, quibus Ludouicus Rex Vngariæ, illato bello Siciliæ regno sedis Apostolicæ beneficiario contemptis pontificijs contrarijs edictis, se irretierat: quam legem Clemens implere non distulit; datoque mox diplomate, omnes iniurias ecclesiæ rei Siculæ causa inflictas remisit: ac tum Vngariæ Regem, tum omnes illius sequaces cunctarum censurarum nexu solutos pristinis iuribus restituit a; addiditque daturum se operam, vt Ludouicus Siciliæ Rex & Ioanna Regina omnes iniurias ijs remitterent, qui partes Vngariæ Regis essent amplexi: ac vicissim Vngarum sollicitauit, vt Ludouicum Regem Siciliæ vt sanguine coniunctissimum, qua par erat beneuolentia, complecteretur b. Tentarunt Vngari duces c, qui arces præsidio militari insederant, ac proceres Neapolitani regni, qui Vngaricis partibus se addixerant, Ludouici animum ab inito fœdere abducere: verum ille pontificijs votis et monitis morem gessit; de quo actæ illi a Clemente gratiæ d conuersæque apostolicæ curæ fuerunt ad restituendum Siciliæ pristinum splendorem. Reuocata in primis Pontificis edicto ad regios apices e iura, quæ a Ludouico & Ioanna fuerant alienata: adacti iterum sacramento in Ioannæ verba regni ordines f; & Guillelmus archiepiscopus Bracharensis Apostolicæ sedis internuntius solemni ritu Ludouicum et Ioannam sacro linire balsamo ac regia corona redimire iussus g.

[Margin: Soluti censuris, qui citeriorē Siciliam inuaserāt.]
[Margin: a Ib. pag. 166. & To. 11. ep. secr. pag. 18.]
[Margin: b Ib. pag. 156.]
[Margin: c To. 11. ep. secr. pag. 32.]
[Margin: d Ib. pag. 38.]
[Margin: e To. 8. ep. secr. pag. 269.]
[Margin: f To. 11. ep. secr. pag. 111.]
[Margin: g To. 10. ep. secr. pag. 161.]

3 Ad præfocanda vero in ipso fomite ciuilium bellorum semina, quæ ex ambiguis iuribus oboriri possent, promulgatum ab eodem internuntio, successionis hereditariæ ordinem pactionibus cum Carolo I. initis constitutum non confundendum, nullaque Ludouico ex regia inunctione noua iura comparatum iri. Tum sancitum a Clemente, si Reginam sine liberis præmori contingeret, sceptrum ad Mariam et liberos transmittendum: exactum etiam a Ludouico, vt ante regia sacra suscepta profiteretur, nunquam a se, si quid humanitus Ioannæ Reginæ accideret, Franciscæ filiæ, aut Mariæ, aut liberorum iura labefactatum iri: de quibus omnibus apostolicum hoc decretum editum est.

Clemens, &c. Guillelmo episcopo Bracharensi A. S. N.

In primis declaramus, quod non est intentionis nostræ, quod per concessionem tituli et denominationis regię dignitatis, ac inunctionis et coronationis obtinendæ, per nos factam, et per te frater, vel dictum archiepiscopum Beneuentanum exe-

[Margin: Diploma pontificiū de re Ludouico Tarent. coronando.]

executioni mandandam, ac per obtentam et habitam per dictum Ludouicum regiæ dignitatis denominationem, inunctionem, et coronationem, quæ liberaliter et benigne per nos conceduntur eidem, aliquod ius sibi in regno et terris prædictis in dominio, proprietate, seu possessione aliqualiter propterea acquiratur: immo volumus et declaramus expresse, quod ius et modus succedendi in regno et terris eisdem in eodem statu, quantum ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Franciscam Regis et Reginæ filiam, et quosuis ex ipsis Rege et Regina liberos nascituros, quorũ causam seu iura in successione regni ipsius iuxta formã conuentionũ constiterit potiora, ipsum Regem, ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Mariam sororem Reginæ prædictæ, liberos suos, seu quosuis alios remaneant, et in omnibus et per omnia perseuerent, in quo et sicut essent iuxta pacta et conuentiones inter ecclesiam et dictum Carolum Regem Siciliæ habita, ac si concessio prædictorum per nos facta minime extitisset, et dictus Ludouicus inunctus et coronatus per concessionem nostram huiusmodi non fuisset.

Item ordinamus & volumus, quod si contingat supradictam Reginam sine liberis ipso Ludouico superstite decedere, & regnum & terras eadem ad prædictam Mariam, liberos suos, seu quosuis alios debere iuxta pacta & conuentiones prædicta vel alias quomodolibet peruenire, dictus Ludouicus se tunc de regno Siciliæ & terris prædictis directe vel indirecte per se vel alios nullatenus intromittat, nec virtute seu prætextu inunctionis & coronationis prædictæ se Regem Siciliæ verbo vel literis nominet, vel faciat per alios nominari; saluis tamen eidem Ludouico iuribus in terris suis, seu de iure hereditario vel alias debite & legitime acquisitis, & alijs quæ ipsum iustis titulis in dictis regno & terris acquirere legitime contingeret in futurum. Ferimus etiam in ipsum Ludouicum excommunicationis sententiam, & imponimus eidem pœnam priuationis omnium, quæ habet & est habiturus infra regnum & terras prædicta, si in casu illo se de regno & terris eisdem intromiserit, vel se Regem Siciliæ nominauerit, vel fecerit nominari. Mandamus insuper omnibus venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, & cæteris ecclesiarum prælatis & personis ecclesiasticis, ac dilectis filijs principibus, ducibus, comitibus, & baronibus, & alijs singularibus personis sub excommunicationis; nec non vniuersitatibus ciuitatum, castrorum, & aliorum locorum regni & terrarum prædictorum sub interdicti pœnis, quas eos & eas, qui & quæ contrarium fecerint, incurrere volumus ipso facto, vt in casum illum dicto Ludouico tanquam Regi directe vel indirecte, publice vel occulte, non obediant, pareant, vel intendant, vel eum pro Rege Siciliæ facto, scripto, vel verbo habeant, teneant, vel nominent quoquo modo.

Ludouicus inunctionem regiam in certo casu non profuturã decernitur.

4 Item volumus & ordinamus, quod dictus Ludouicus, antequam inungatur & coronetur, sub publico instrumento sigillo suo regio sigillato confiteatur & recognoscat, quod ipse, qui ex benignitate nostra & sedis Apostolicæ assequitur & obtinet denominationem & titulum regiæ dignitatis, & inunctionem & coronationem prædictas, virtute inunctionis & coronationis huiusmodi non intendit aliquod ius sibi propterea in eisdem regno & terris acquirere: & vult

Obstrict' ad id profitendum Ludouic'

quod ius successionis ipsorum regni & terrarum in illo statu, quantum ad prædictas Franciscam & liberos ex ipso & dicta Regina in posterum nascituros, & Mariam, liberos suos, & quosuis alios remaneat, & per omnia perseueret, in quo erat antequam prædicta concessa fuissent, & ipse Ludouicus inunctus & coronatus auctoritate sedis Apostolicæ extitisset. Et vlterius ipse Ludouicus se obliget efficaciter, iuramento præstito, ad obseruationem prædictorum. Et nihilominus ad perditionem omnium, quæ habet & est habiturus infra regnum & terras prædicta, sententiam excommunicationis in se recipiat, si in casum, quo eo superstite dicta Regina sine liberis decederet, & ad sæpefatam Mariam, liberos suos, seu quosuis alios eadem regnum & terræ secundum pacta & conuentiones, vt prædicitur, facta & habita, vel alias contingeret deuenire, de regno vel terris ipsis aliqualiter se intromitteret, vel se Regem Siciliæ nominaret, vel ab alijs se faceret nominari, &c. *Dat. Auin. kal. februarij anno x.*

5 Vt horum libertati ac iuribus Pontifex consultum voluit ad præfocanda bellorum semina, ita ipsius Ludouici alia iura non læsum iri sanxit; pronuntiauitque [a] Ludouicum filijs Ioannæ Reginæ superstitibus sine prole obeuntibus in regno successurum: *Si contingat*, inquit, *dictam Reginam præfata Francisca vel alijs liberis relictis te superstite tolli de medio, ipsique Francisca seu alij liberi sine prole legitima morerentur, successio in dictis regno et terris iuxta tenorem dictorum pactorum et conuentionum ad te tanquam ad proximiorem debeat pertinere. Dat. Auin. xii. kal. februarij anno x.*

a Eod. to. 10. ep. secr. pag. 147.

Nec defuit tuendis ecclesiæ iuribus Pontifex: Ludouicum enim Regem ac Ioannam Reginam obstrinxit [b], vt in regiæ inunctionis celebritate sacramento sponderent, ea de seruaturos, quæ ipse de limitibus Beneuenti definiendis vti in pactionum cum Carolo I. tabulis cautum erat, constituisset: ac Guillelmo Bracharensi & Petro Beneuentano archiepiscopis munus demandatum, vt id sacramentum exigerent [c]. Perfectam porro solemni ritu regiam inunctionem Neapoli vigesimo septimo maij die, narrat Matthæus Villanus [d]; ac vergente anno dimissos [e] ex Vngarico carcere principes, quod etiã Clementis successoris literæ ostendunt [f]: *Fide*, inquit, *digna nobis insinuatio patefecit, quod charissimus in Christo filius noster Robertus Imperator Constantinopolitanus illustris, et dilecti filij nobiles viri Philippus de Tarento germani, et Ludouicus ac Robertus de Duratio consanguinei germani tui a carceralibus angustijs, quas innocentes sine causa diutius passi sunt per gratiam Dei, et interpositionem Romanæ ecclesiæ matris tuæ liberi esto in regnum tuum sunt, præstante Domino, redituri. Datum Auinion. undecimo kalendas ianuarij anno primo.*

Ludouic' & Ioanna ad constituta de limite Beneuentani agri admittenda obstricti.

b Ead. pag.

c Ib. pag. 148.

d Matth. Vill. l. 3. c. 8. Summ. hist. Neap. 13.

e Matth. Vill. l. 3. c. 45.

f Inn. to. 2. ep. cur. pag. 6.

6 Quod ad Ludouicum Regem Vngariæ attinet; licet superiori fœdere paterna antea in Siciliæ regnum iura, quod e Carolo Martello Caroli II. maiore natu filio genus traheret, dimiserit; is tamen Salernitanum principatum, & Honorem montis S. Angeli, quem auus ac pater, tum etiam ipse gesserant, retinuit: quod etiam eius oratores sunt contestati coram Clemente Papa: qua de re diploma diuulgatum est [g]. Expedire autem se e Siculo bello voluit, cum arma aduersus infideles & schismaticos maiori emolumento vertere, ac

Retentus ab Vngaro Salernitanus principatus.

g To. 10. ep. secr. pag. 184.

Dei

Dei hostes potius quam sibi coniunctissimos vexare finitimas prouincias Vngaricæ ditioni adiungere quam disiunctum mari ac longo terrarum tractu regnum sibi subijcere, meditaretur a. Lacessiuerant etiam ipsum Tartari b, quorum conatus erant retundendi: atrox enim fames ipsos coegerat, vt refert Matthæus Villanus b pristinas sedes abijcere, atq; in Prosclauiam magno terrore bellico irruperant: qui ne interiores terras penetrarent, vocatus in auxilium a Prosclauo Rege infideli cliente Vngaricæ regiæ Ludouicus, quadraginta equitum millia subsidiaria misit, consertoque cum barbaris prælio, adeo acriter certatum, vt in cædendis Tartaris & vires militi, & arcubus sagittæ, & acies ferro defuerint: ob innumeram tamen Tartarorum multitudinem, non sine mutua clade, abscedendum fuit, vt maiores copiæ contraherentur. Tartari ob penuriam commeatus cæsorum carnibus sustentarunt famem: cumque Reges Prosclaniæ & Vngariæ maximo cum exercitu irruere pararent in Tartariam illi signa reflexerunt: cuius certaminis famam Florentiæ mense aprili huius anni percrebuisse, scribit idem Villanus. Et quidem in Tartaros bellum hoc tempore adornasse Ludouicum Vngariæ Regem, e pontificijs literis colligitur: cum is a Clemente flagitarit, vt quas vrbes ac prouincias infidelibus eriperet, Vngarico adijciendas imperio, apostolica auctoritate confirmaret. Cuius votis Clemens annuit c ea lege, vt nulli principes catholici aliqua in eam ditionem, ab ipso domandam armis, iura obtinerent.

a To. 11. ep secr. pag. 18.
b Matth. Vill. l. 2. c. 72.
Tartari finitimas Vngariæ prouincias infestant.
Magna strage cōtusi.
Cæsorum carnibus vescūtur.
c To. 11. ep secr. pag. 18.

Clemens, etc. charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Ad ampliationem Christianæ fidei, catholicorum principum, ex quibus trahis originem, sequens imitanda vestigia, sic prout habet fidedignorum assertio, accendis & excitas zelum tuum, vt diuinæ potentiæ fretus auxilio, ad propellendum schismaticos & infideles alios regno tuo finitimos (ex quorum præsumptuosa nequitia frequenter regnum ipsum, & habitatores eius passi sunt detrimenta) in manu forti proponas exurgere, & ad eorum elata cornua conterenda tuam potentiam exercere. Nos igitur huiusmodi tuum laudandum in hac parte propositum multipliciter in Domino commendantes, illudque fauoribus & rependijs apostolicis prosequentes, omnia & singula prouincias, ciuitates, castra, villas, fortalitia, & alia quælibet loca, quæ (præstante Deo) de manibus schismaticorum & infidelium eorundem potentia & manibus eripere, & potestati tuæ subijcere, fauente tibi dextera Domini, te continget, dummodo ex largitione apostolica vel alias in eis non sit alicui specialiter ius quæsitum, tibi ac heredibus & successoribus tuis auctoritate apostolica concedimus & donamus. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. id. iulij anno VI.*

Prouinciæ eripiendæ ecclesiæ hostibus traditæ Vngaro.

7 Occupato ita felicioribus bellis Vngariæ Rege, quieuit Sicilia citerior. At Pedemontio incubabat d Ioannes Vicecomes, Prouinciamque quatiebat e: ob Bononiam vero ereptā ecclesiæ sacris eiectus sedis apostolicæ gratiam ambiebat f, vt Caroli Romanorum Regis italica iura recuperaturi sociorumque Etruscorum impetus eluderet; tum inuasa flagitio: pactionis specioso titulo sibi vendicaret; de quo traduntur hæc ab anonymo M.S. Vaticani auctore g: *Huius tempore,* inquit nimirum Clementis VI. *dominus Luchinus de Vicecomitibus tyrannus Mediolani pene omnes ciuitates et terras Pedemontis occupauit i, paulo post moritur. Dominus Ioannes suus germanus archiepiscopus Mediolanensis efficitur dominus Mediolani et omnium terrarum occupatarum per suas tyrannides. Hic Papa ipsum archiepiscopum et nepotes excommunicauit propter occupationem factam per ipsos de ciuitate et comitatu Bononiensi et Pedemontis: et postea pro pecunia ipsos absoluit.* Refusa Pontifici centum aureorum millia ob sumptus in bello pro recuperanda Bononia factos, tradit Matthæus Villanus a quod pontificia syngrapha de ijs acceptis a Clemente Ioanni tradita confirmat b, & adstipulantur plures eius literæ c. Subdit vero M.S. Vaticanum de Clemente: *Nec non concessit eis dictam ciuitatem pro duodecim annis futuris, dominium, et regimen nomine ecclesiæ, soluendo duodecim millia florenorum in anno quolibet cameræ Romanæ ecclesiæ.* De petita demisse a Ioanne archiepiscopo Mediolanensi patrati flagitij venia extant plura diplomata pontificia d, ex quibus præcipuum illud e est, quo tai gestæ series fuse describitur, vtque orator Mediolanensis mandata omnia superiori anno a Vicecomitibus ipsi data impleuerit: nimirum in publico Cardinalium senatu prouolutus in genua, Ioannis & nepotum illius Matthæi, Bernabonis, & Galeatij nomine de commisso in occupata Bononia, tentataque Imola crimine veniam flagitarit: exercitum ab Imolæ obsidione reuocare, Bononiam pontificijs præfectis tradere spoponderit, inque redditæ possessionis speciem clauea portarum Bononiæ consignarit ea ferme verborum formula, quibus concepta mandata a Ioanne oratoribus data superiori anno attulimus: extantque alia Galeatij, Matthæi, & Bernabonis his omnino consentanea f. Ea vero officiorum significatione flexus Clemens censuras, quibus Vicecomites se occupata Bononia irretierant dissoluit: & eorum clientes & sequaces venia donatos sacrorum communioni restituit. Cæterum superiori diplomati hæc loci & temporis nota adiecta est. *Datum Auin. v. kal. maij pontificatus nostri anno x.*

d M.S. bib. Vat. sign. n. 2040.
e To. 11. ep secr. pag. 90 & 91.
f Matth. Vill. l. 3 c. 2 & 3.
g Supr. M.S. bibl. Vat. sign. n. 2040.
Mediolanensis archiep. gratiam ecclesiæ efflagitat.
Præcipuæ concordiæ leges.
a Matth. Vill. l. 3. c. 4.
b To. 10. ep secr. pag. 34.
c ib. pag. 227. & 229.
d To. 10. ep secr. pag. 217. & 229. & an 10. l. 1 p. 2 ep. cur. 1.
Gesta ab illius oratoribus.
e An. 10. l. 3 p. 2. ep. diuers form. 713.
f Ext. post add. ep. ea de re quatuor instrumenta

8 Vt rite etiam patrata facinora expiaret Ioannes archiepiscopus, cum ecclesiasticum ordinem attriuisset, exsuxissetque illius opes, quibus summo sacrorum antistiti bellum contra dignitatis suæ decus & officium inferret; iussus est g a Clemente rapta flagitio eisdem sacerdotibus restituere. Soluti ita censuris Vicecomites, oratoris opera a Clemente præfecturam Bononiensē sunt eblanditi ad annos duodecim, polliciti nummarium h & militare vectigal: nec non ad tuenda iura ecclesiastica singulare studium & constantiam: confectæ q; sunt plures aliæ pactiones, quas ex prolixiore diplomate pontificio de ijs conscripto i decerpemus, cum ex his plurima lux historiæ ob secuta bella conuersionesque rerum aspergenda sit.

Erepta sacerdotali ordini restitui iussa.
g An 10. l. 1. p 2. ep. cur. 9.
h ib. et to. 11. ep secr 46.
Bononiēsis præfectura expetita a Vicecomitibus.
i An. 10. l. 3. p. 2. ep. diuers. form. 715.

Clemens, etc. venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Mediolanensi nostro et ecclesiæ Romanæ in ciuitate Bononiensi eiusque comitatu et districtu ad eandem ecclesiam immediate spectantibus vicario, ac dilectis filijs nobilibus viris Matthæo, Bernaboni, et Galeatio de Vicecomitibus fratribus militibus Mediolanensibus.

In primis præfato nomine [nimirum Vicecomitum] nobis obtulerunt & efficaciter promiserunt, ac in vestras animas ad sancta Dei euangelia manu tacta corporaliter iurauerunt, quod pro vica-

Pactionū ab ijs initarum formulæ.

vicariatu, regimine, seu rectoria, administratione, & gubernatione prædictis, si ea vobis, vt præmittitur, duxerimus committenda; ac pro emolumentis & prouentibus prædictorum ciuitatis, comitatus, & districtus, quæ ad eandem Romanam ecclesiam pertinent per te, archiepiscope, aut illos vel illum, qui ex vobis nepotibus seu heredibus supradictis dictum vicariatum seu regimen pro tempore exercebunt per idem tempus habendis & percipiendis, tu archiepiscope, seu ijdem exercentes vel exercens pro tempore vicariatum & regimen supradictum, singulis annis vicariatus, regiminis, gubernationis, & administrationis huiusmodi realiter dabitis & soluetis, seu dabunt & soluent pro censu & censûs nomine nobis & ecclesiæ Romanæ præfatæ ac collegio eorundem fratrum nostrorum, nec non dicta sede vacante apostolicæ cameræ & collegio prælibatis duodecim millia florenorum boni auri & legalis ponderis de Florentia in Romana curia, vbicumque fuerit, singulis annis dictorum duodecim annorum tuis, archiepiscope, seu existentis vel existentium vicariatuum huiusmodi prædictorum periculis & expensis, medietatem videlicet in beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & reliquam medietatem in natiuitatis Domini festiuitatibus soluendorum. Promiserunt etiam solemniter & expresse dicti procuratores & nuncij nomine tuo, archiepiscope, ac in tuam animam etiam iurauerunt, quod cum pro tempore, quo ciuitatem, comitatum, & districtum Bononiensem prædictos, vt præmittitur, tenuisti & etiam pro futuro tempore, quo illos vsque ad festum dictorum Apostolorum Petri & Pauli proxime secuturum tenebis, duodecim millia; & nihilominus in ipso festo Apostolorum pro prima solutione medietatis huiusmodi cẽsus primi anni illius temporis tunc futuri, pro quo vicariatum, regimen, gubernationem, & administrationem prædicta tibi, archiepiscope, vobisque nepotibus & heredibus supradictis duximus committenda, sex millia florenorum auri dabis & solues seu dari & solui facies realiter cum effectu nobis, ecclesiæ, & collegio, & in curia prælibatis tuis, archiepiscope, periculis & expensis.

Promissus duodecim mill. aureorum census annuus.

Quibus diebus pẽdendus.

Præterea procuratores & nuntij sæpedicti præfato nomine nobis sponte obtulerunt & solemniter promiserunt, ac in vestras nihilominus animas similiter iurauerunt, quod pro defensione infrascriptarum terrarum, videlicet Romandiolæ, ciuitatis Ferrariæ, marchiæ Anconitanæ, Massæ Trabariæ, ducatus Spoletani, patrimonij B. Petri in Tuscia, Romæ, Campaniæ, & Maritimæ & comitatus Venaysini, quæ ad nos & præfatam Romanam ecclesiam vna cum diuersis alijs terris & prouincijs pertinere noscuntur, ac terrarum totius etiam patrimonij eiusdem ecclesiæ & ipsi ecclesiæ immediate subiectarum; & pro illarum etiam recuperatione, vbi ecclesia ipsa ad hoc cum potentia armorum intenderet, *et infra*, dabitis trecentos equites bene armatos, qui nobis & eidem ecclesiæ seruire debeant quatuor mensibus singulorum annorum, quibus mensibus vicariatus, regimen, & administratio huiusmodi perdurabunt. *Et infra*.

Pactum vectigal militare.

9 Rursus procuratores & nuntij prælibati dicto nomine nobis solemniter promiserunt, ac in vestras etiam animas tactis corporaliter euangelijs iurauerunt, quod contra nos, ecclesiam, & collegium prælibata non eritis, sed nobiscum & cum eisdem ecclesia & collegio fideliter eritis, & nobis & ipsis ecclesiæ & collegio pro posse vestro fideliter adhærebitis, ac statum & honorem nostrum ecclesiæ & collegij prædictorum bona fide inuiolabiliter curabitis conseruare: quodque terras eiusdem Romanæ, seu aliarum in terris ipsius Romanæ consistentium ecclesiarum, seu eidem Romanæ ecclesiæ immediate vel mediate subiectas, & specialiter regnum Siciliæ & terras citra pharum, quæ ad ipsam ecclesiam iure directi dominij pertinere noscuntur, & earum incolas non inuadetis, nec etiam damnificabitis, nec ipsas terras occupabitis, nec illas vel illa inuadere seu damnificare aut occupare attentantibus seu nitentibus quoquo modo dabitis seu præstabitis auxilium, consilium, vel fauorem.

De tutandare ecclesiastica sponsio.

Promiserunt quoque nobis solemniter & expresse dicti procuratores & nuntij nomine sæpedicto, & in animas vestras similiter iurarunt, quod vos nullam coniurationem, conspirationem, seu ligam contra nos & eandem Romanam ecclesiam, nec ad nostrum & eiusdem ecclesiæ damnum directe vel indirecte facietis cum quibuscumque rebellibus, inobedientibus, seu inimicis nostris & Romanæ ecclesiæ supradictæ, seu damnatis ab ea; nec eis seu eorum complicibus, sequacibus, seu fautoribus adhærebitis, neque præstabitis auxilium, consilium, vel fauorem contra nos & Romanam ecclesiam supradictam: quodque vniuersos hæreticos, de hæresi ab eadem denotatos seu denotandos ecclesia, quamcito requisiti vel certificati fueritis de eisdem, quantum in vobis erit, bona fide exterminare studebitis posse vestro. Promiserunt etiam nobis solemniter dicti procuratores & nuntij nomine antedicto, ac in vestras animas ad sancta Dei euangelia tacta corporaliter iurauerunt, quod vos libertatem ecclesiasticam pro posse vestro vbicumque poteritis fideli studio conseruabitis: quodque ecclesias & personas ecclesiasticas, earumque res & bona quæcumque tam in ciuitate, comitatu, & districtu Bononiensi sæpedictis, quam in alijs ciuitatibus, terris, & locis, quas & quæ simul vel diuisim regitis seu gubernatis, & quas seu quæ per vos regi vel gubernari contigerit in futurum, fauorabiliter tractabitis, & tractari etiam facietis, eaque in sua libertate restituetis & etiam dimitteretis, ac restitui facietis etiam & dimitti: ipsasque ecclesias & personas ecclesiasticas suis bonis & iuribus gaudere libere permittetis, & eas non impedietis, nec impediri permittetis, quo minus gaudere possint priuilegijs, libertatibus, beneficijs, redditibus, bonis, iuribus, & prouentibus eorundem; nec aliquas exactiones directe vel indirecte quouis quæsito colore eis imponetis, nec petetis vel exigetis ab eis, &c. [Nonnullis interiectis de legatis & internuntijs pontificijs honorifice Bononiæ excipiendis, subditur hæc conuentio ob securas conuersiones rerum insignis.]

Nullis aduersus ecclesiam molitionibus consentiendum.

Colenda sacerdotalis ordine.

Voluerunt quoque ac consenserunt expresse dicti procuratores & nuncij nomine sæpedicto, quod propter præmissum censum duodecim millium florenorum, vel propter huiusmodi adiutorijs trecentorum equitum præstationem, vel propter aliquod præmissorum nos & Romana ecclesia siue collegium sæpedicta non teneamur nostris & ecclesiæ seu collegij prædictorum sumptibus vel expensis ciuitatem, comitatum, & districtum Bononiensem prædictos defen-

Solutus Pontifex cura asserendæ Vicecomitibus Bononiensis præfecturæ.

fendere aut vobis quodcumque corporale adiutorium exhibere; nec teneamur vel intelligamur in eisdem in vos vel aliquem vestrum aliquod ius transferre vltra vel aliter, quam supra de vicariatu, regimine, administratione, & gubernatione prædictis vobis commissis continetur; nec vobis in alijs quomodolibet obligari, quam superius sit expressum.

Ne quem Vicecomites præficiant, qui res nouare posset.

Præterea nuncij & procuratores præfati quo supra nomine promiserunt nobis solemniter, & expresse, quod vos in civitatem, comitatum, & districtum Bononiensem præfatos nullum principem, seu notabilis præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis personam, de quo seu qua possit verisimiliter dubitari seu præsumi mutatio status, vel occupatio ciuitatis, comitatus, & districtus prædictorum, recipietis sine Apostolicæ sedis licentia speciali, &c.]. Additæ aliæ pactiones de restituendis patriæ exulibus, asserendis legibus, non imperandis acerbis vectigalibus: tum ab iisdem Vicecomitum oratoribus conuentum, vt si qua in memoratarum pactionum interpretatione ambiguitas oboriretur, ea pontificio decreto soluenda esset. Quæ conuenta sancita a Clemente fuerunt, præscriptaque ab eodem formula sacramenti, quod Vicecomites ob susceptam Bononiensem præfecturam nuncupaturi erant: deinde censuræ aliæq; pœnæ intentatæ, si promissa non seruassent. Præterea documenta publica mense septembri superioris anni tum a Ioanne a, tum a Matthæo b, tum a Bernabone c & a Galeatio d Vicecomitibus confecta, quibus oratores Mediolanenses ad superiora paciscenda amplissimis mandatis fulti fuerant, inserta sunt diplomati pontificio; quod demum hac loci & temporis nota consignatum est: *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis xv. kal. maij pontificatus nostri anno x.*

Pactionis ambiguitas illustranda a Pontifice.

a Ext. in super. ep. pag. 176. b In ead. ep. pag. 179. c In ead. ep pag. 182. d In ead. ep pag. 184.

10 Inita ita pax hæc fuit a Clemente, vt Regis Romanorum iuribus, quæ in Insubriam imperij fiduciariam obtendebat, nil detractum Carolo rescripserit e. At discussa armorum societate, quæ Pontificem inter Cæsaremque aduersus Vicecomites agitata f fuerat, vt quisque ab ijs sua repeteret, solutus metu Ioannes archiepiscopus aperte illusit Pontifici: tantum enim aberat, vt fidem datam ecclesiæ colere, & elapso annorum duodecim spatio restituere Bononiam constitueret, vt confirmata potius audacia, ad reliquam ditionem ecclesiasticam sibi subijciendam vna cum nepotibus insigni perfidia aspiraret: paucis enim post mensibus in patrimonio B. Petri Vrbemueterem Bictoniumque in ducatu Spoletano occupauit g. Tum Perusinorum agros, immisso exercitu, vastauit h, tentauitque Tisernum i. Ex quo Pontificum sequutorum æquitas in vindicanda ex Bernabonis manibus Bononia nondum annis illis duodecim euolutis enitescit. Interea Clemens, tanta iniuria a Ioanne archiepiscopo lacessitus, internuntios apostolicos ad ipsum a perfidia reuocandum legauit, quos etiam instruxit auctoritate k, vt Mediolanensem archiepiscopum ac nepotes si redirent ad officium censuris, quibus se iterum deuinxerant, exoluerent.

e Ib. pag. 231. f Matth. Vill. l. 3. c. 3.

Archiepiscopi Mediolanensis perfidia.

g Lib. 18. pag. 46. h Matth. Vill. l. 3. c. 87. i Cap. 34. k To. 1. 2. ep. secr. pag. 46.

11 Non profuere aliter pontificia pro recuperanda Vrbeuetere studia, quam quod seruitutis genus ea vrbs mutauit: neque enim ecclesiæ reddita est, sed Ioannis e Vico tyrannidi subiecta l. Inuaserat is iam ante Viterbium & Tuscanam, latiusque iniustum imperium proferebat; parique

m Matth. Vill. l. 3. c. 32.

scelere Ordelaffus & Manfredi pontificium principatum laniabant. Quos omnes Clemens anathemate defixit a.

a To. 11. ep secr. pag. 40.

Clemens, &c. ad futuram rei memoriam.

Viterbiū, Tuscana, & alia loca a Ioanne e Vico occupata

Cum Ioannes de Vico, qui se præfectum Vrbis appellat, iamdudum ciuitatem Viterbiensem, & Tuscanensem & alias terras in Patrimonio beati Petri in Tuscia existentes, & ad nos & Romanam ecclesiam pleno iure spectantes, ausu temerario occupauerit, & adhuc eas tyrannice detineat occupatas; & ob hoc sententias excommunicationis, & vniuersas alias, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum contra occupatores & detentores terrarum ad præfatam ecclesiam Romanam spectantium generaliter latas, notorie incurrisse noscatur, prout in processibus eiusdem prædecessoris, per nos approbatis, confirmatis, & etiam innouatis, ac in illis partibus publicatis, latius continetur, quas sententias per sex annos & vltra, contemnendo claues ecclesiæ, animo sustinuit pertinaci; & propterea idem Ioannes tanquam de fide suspectus auctoritate nostra citatus fuerit, vt coram nobis certa die, super causa fidei responsurus, personaliter compareret; qui contumaciter comparere contempsit, & etiam mala malis accumulans, multa postea terras & loca, ad nos & eandem ecclesiam Romanam pleno iure spectantia, temerarie occupauit, & adhuc detinet occupata; nos, ex prædictis & alijs causis prædictum Ioannem de fide merito suspectum habentes, pridem in die cœnæ Domini, videlicet quinta die mensis aprilis proxime præterito, in publico, præsente prælatorum & aliorum fidelium multitudine copiosa, eundem Ioannem peremptorie citauimus, vt infra trium mensium spatium coram nobis personaliter compareret, responsurus de fide, & alias facturus & recepturus, quod iustitia suaderet. Et quia prædictus Ioannes in termino & infra terminum huiusmodi comparere contumaciter recusauit, nec adhuc, de gratia expectatus, comparere procurat; ideo nos attendentes, quod contumacia in causa fidei suspicioni præsumptionem adijcit vehementē, & expectare vlterius salua conscientia non valentes, ipsum Ioannem de Vico, vt præmittitur, in causa fidei personaliter citatum, & non comparentem, præsente hac fidelium multitudine copiosa reputamus exigente iustitia contumacem, & tanquam contumacem in causa fidei excommunicationis sententia innodamus.

Intentatæ illi ob spretas censuras iudicium hæreseos.

Percellitur anathemate.

Item quia Franciscus de Ordelaffis de Forliuio ciuitates Forliuiensem, Cæsenatem, & Foropopiliensem in prouincia Romandiolæ existētes, & ad nos & Romanam ecclesiam pleno iure spectantes, primo & subsequenter castra insignia Bretenorij, Meldulæ, & Castricari, & nonnulla alia eiusdem prouinciæ, ad nos & eandem ecclesiam pertinentia, ausu temerario occupauit, & detinet occupata; & quia etiam Ioannes & Guillelmus filij quondam Richardi de Manfredis de Fauentia ciuitatem Fauentiam, & alia loca ad dictam Romanam ecclesiam spectantia ausu simili occuparunt, & adhuc tyrannice detinent occupata, sententiam excommunicationis, per præfatum prædecessorem nostrum & nos in occupatores ciuitatum, castrorum, & terrarum, ad dictam Romanam ecclesiam pertinentium, vt præmittitur, latas notorie incurrendo; quas sententias per plures

Ordelaffus tyrannus Flaminiæ vrbes occupat.

Manfredi Fauentiæ incubant.

res annos sustinuerunt animo pertinaci; ideo nos eosdem Franciscum, Ioannem, & Guillelmum, sic claues ecclesiæ contemnentes, merito de fide suspectos habentes, prædicta die cœnę domini peremptorie citare curauimus, vt intra trium mensium spatium coram nobis responsuri de fide, & alias factori & recepturi, quod iustitia suaderet, personaliter comparerent: & quia in termino & infra terminum huiusmodi comparere contumaciter recusarunt, nec adhuc, de gratia expectati, comparere procurant, ideo nos prædictos hactenus expectare amplius, salua conscientia, non valentes, eosdem Franciscum de Ordelaffis, ac Ioannem & Guillelmum de Manfredis, vt præmittitur, in causa fidei personaliter citatos & non comparantes, præsente hac fidelium multitudine copiosa, reputamus, exigente iustitia, contumaces; & tanquam contumaces in causa fidei, excommunicationis sententia innodamus. Nulli ergo &c. *Actum & datum Auin. in palatio nostro apostolico VII. id. iulij pontificatus nostri anno vndecimo.*

In ius vocantur.

Defini anathemate.

12 Quod ad reliquas res Italicas spectat; Veneti ac Genuenses mutuo bellum inter se gerebant, instructasque validissimas classes in orientem superiori anno miserant. Et quidem Veneti a Petrum Regem Aragonum ob Corsicam occupatam a Genuensibus, tum Græcorum Imperatorem ob Galatæorum potentiam infestos; Genuenses vero, vt potentissimis hostibus pares essent, Turcas b sibi adiunxere. Ex quo bello cum religio in periculum adduceretur in oriente, Pontifex ducem Venetorum summo conatu ad bellum incumbentem ad pacis consilia traducere, misso oratore ac literis, est conatus c.

a Cortus. hist. l. 10. c. 7.

b Matth. Vill. l. 2. c. 75.

c To. 2. ep. secr. pag. 597.

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Andreæ Dandulo duci Venetiarum.

Cupientes irreparabilibus damnis & iacturis grauibus, quæ orta inter te & dilectos filios tuum ac Ianuensium communia grauis & amara discordia non solum partibus illis, sed vniuersaliter toti Christiano populo cōminatur, remediabiliter obuiare; ac sperantes, quod tu votis nostris, sicut filius benedictionis, & gratiæ in omnibus te conformās in tua & eorundem communium concordia, tanto scilicet bono fidei Christianæ, a nostris non debeas beneplacitis discrepare; nobilitatem tuam attente rogamus, per viscera misericordiæ Dei affectuosius obsecrantes, quatenus animum tuum ad pacem habilitans, aliquem nuntium tuum ad charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Aragonum illustrem, cum quo fœdus diceris iniuisse, transmittas; vt ipse tanto bono, quantum ex huiusmodi concordia speratur, auctore Domino, nasciturum velit pietatis intuitu consentire: & nos etiam mittendo per te nuntios nostros, auctore Domino, adiungemus; vt eo præstante damnis & iacturis huiusmodi occurratur. Et speramus in eo, in cuius sunt manibus corda Regum, quod ipse præfati Regis animum sic disponet, quod in hac parte nostris & communibus fidelium Christi votis per desideratam concordiam satisfiet: super quo dilectus filius nobilis vir Guillelmus Caracij familiaris noster lator præsentium, cui locuti sumus, tibi nostram aperiet plenius voluntatem. *Dat. Auin. IV. kal. martij anno X.*

Venetos & Genuē. conciliare nititur Pont.

13 Respondere Veneti, propensos se quidem ad pacem animos gerere; verum ob sancitam cum Rege Aragonum armorum fœdus eo inconsulto de ea tractare non posse. Genuenses pariter de ea postulati, pronos ad pacem præ se tulere. Vertit itaque Clemens studia ad Aragonium flectendum ad concordiam: quantaque malorum moles ex eo bello orienti incumberet, exposuit a.

a Ibid. to. 10. ep. secr. pag. 205.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

Cum apud dilectos filios Ianuensium & Venetorum communia instaremus pro reformatione pacis, quam inter eos, peccatis exigentibus, non sine grauibus periculis Christi fidelium, præsertim orientalium partium pacis æmulus vulnerauit; vtramque partem satis inuenimus ad beneplacita nostra promptam. Sed dicti commune Venetiarum, asserentes se tibi specialis vnionis fœdere iunctos esse, responderunt sine te super huiusmodi negotio aliquid deliberare non posse: propter quod idem negotium (quod dolenter referimus, & ferimus displicenter) remansit & remanet in suspenso. Sed nos in tam vtili & necessario fidelibus ipsis negotio sperantes, te velut Regem pacificum promptum & conformem nostris desiderijs inuenire, serenitatem tuam attente rogamus, per viscera misericordiæ Dei ac aspersionem ipsius pretiosi sanguinis attentius obsecrantes, quatenus quantum eisdem fidelibus ipsarum præcipue orientalium partium fauor decresceret, quantumque aduersus eos & fidem catholicam feruor accenderetur hostilis, si (quod auertat Dominus) ipsis inuicem congredientibus partibus contingeret alteram succumbere alteri, intra pietatis tuæ claustra reuoluens, tantis malis, quanta ex ipsa nascitura timentur amara discordia, pro diuinæ maiestatis reuerentia suæ consideratione salutis, ac nostræ interuentionis obtentu studiosius occurras: & tanto bono, quantum ex concordia ipsa proueniet, quod ex te solum dependere noscitur, non solum consentiens faueas; quinimmo; vt ad ipsius tuæ salutis adijcias meritum, & vt fama clarioris titulis attollaris, illius te constituas promotorem. Super quo nobis per dilectum filium Raterium Rogerij seruientem armorum & familiarem nostrum latorem præsentium, quem ad te signanter propterea mittimus, voluntatem tuam, quam eum nostra speramus & tenemus indubie affectione concurrere, velit tua rescribere celsitudo. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis XII. kal. aprilis anno X.*

Obiectus exitus e. nent ex eo bello

Aragoni illud maxime alebat.

Adhibitis itaque apud Aragonium pro instauranda concordia apostolicis curis, Clemens tum Fortanerium b patriarcham Gradensem apud Andream Dandalum ac senatū Venetum; ac Bertrandum archiepiscopum Genuensem c apud Ioannem Valentem ducem, vt vtrumque populum euocarent in concordiam incumbere, tum ab ijs explorare iussit, an indictas apostolica auctoritate inducias admitterent; tum ipsos ad mittendos ad sedem Apostolicam oratores auctoritate vel ad pacem cōficiendam, vel inducias, intentata fœdifragis grauiore mulcta, firmandas instructos permouerent. Coniungebat etiam cum Pontifice ad Genuenses ac Venetos inter se conciliandos Ioannes Francorum Rex studia regia d, ac Ioannem e Millonio equitem & consiliarium suum ad Andream Dandalum & Ioannem Valentium duces pacem suasurum misit: quem Clemens tum Fortanerio patriarchæ Gradensi, tum Bertrando archiepiscopo Genuensi enixe commendauit e, vt suam illi operam in vtroque senatu explicarent.

Missi internuntij apost. ad partes aduersas.

b Ib. pag. 205.

c Ead. pag. & pag. 206.

d Ib. pag. 216.

e Ibid.

Ve-

14 Verum dum Christi vicarius ac Francorum Rex pari studio, vt consulerent orienti, Venetos ac Genuenses adducere in concordiam nitebantur a, missi superiori anno ab ijs naualium exercituum duces impatientes pugnæ maximo rei Christianæ damno, gaudioque infidelium, nondum exacta hyeme, non procellarum veriti pericula, cruentissimo inter se prælio Constantinopolim & Chalcedonem inter decertarunt. Quod breuiter appendix historiæ Andreæ Dandali perstringit his verbis b: *Vnione cum Petro Aragonum Rege inita, nauale prælium apud Constantinopolim cum Ianuensibus committitur adeo durissimum, quod saluo vtriusque partis vexillo neutra partium victoriam obtinuit: sed nonnulli probissimi viri viriliter pugnantes strage mutua perierunt. Capitaneus tunc Venetorum erat Nicolaus Pisani.*

a Ib. pag. 217. 218.
b Append. Andr. Dandol. in Andr. Dandol.

At Genuenses historici c inclinasse ad ipsos victoriam tradunt. Et quidem Pagauinus Auria, qui fœdus cum Turcis aduersus Græcos inierat, acceptis ab Orchane barbarorum Rege sexaginta nauibus auxiliaribus, Constantinopolim adortus est d: destitutusque Venetorum & Catalanorum ope Cantacuzenus sexta maij die fœdus cum Ianuensibus ijs legibus percussit, vt Veneti, qui tunc versabantur Constantinopoli, saluis rebus dimitterentur, neque ipsis aut Catalanis in posterum aditus pateret; liber vero ac tutus Genuensibus esset, adiecta vectigalium immunitate. Quibus perfectis Genuenses redierunt seu victores, seu victis simillimi: licet enim ex his Genuense nomen admodum increbresceret, maxima tamen Genuensium multitudo funesto eo bello aut ferro, aut mari, aut peste absumpta est: vnde non lætitia, sed planctu Genua ex cruenta & funebri victoria completa est. Agit de his Cantacuzenus e, sed qui suos victoriam retulisse mentiatur; qui tamen pugnam callide detrectarunt. Vnde colligas quæ fides auctori, vbi de suis rebus vel de schismate agit, adhibenda sit. Ceterum ex eo conflictu Christiana res in oriente admodum prostrata, atque ex fidelium mutuis cladibus aucta Turcica potentia.

c Foliet. l. 7. Bizar. l. 2. de bell. Venet.
Turcæ se iungunt Genuensibus.
d Matth. Vill. l. 2. c. 75.
Obsessa Constantinopolis.
Funesta victoribus ipsa victoria.
e Cantac. l. 4. c. 30.
Turcarũ vires auctæ.

Perlato ad Apostolicam sedem miserandæ cladis tristi nuncio, Clemens Papa ac Ioannes Francorum Rex ad pacem inter Venetos & Ligures redintegrandam maiori contentione incubuerunt; commeantibusque hinc inde apostolicis & regijs internuntijs agitatum est, vt sacro B. Virgini natalitio die Regis Aragonum & ducis Venetorum oratores in aula pontificia pro agitanda pace cum Genuensibus conuenirent: de quibus Ioannem Valentem Pontifex certiorem fecit, vtque paci adeo rei Christianæ pernecessariæ animum accommodarent, mitteretque oratores, est adhortatus. f

Pro redintegranda pace desudat Clemens.

Clemens, &c. dilectis filijs nobili viro Ioanni de Valente gubernatori, & consilio ciuitatis Ianuensis.

f To. 11. ep. secr. pag. 31.

Quia huiusmodi negotium, damna, dispendia, & pericula grauia, quibus occasione discordiæ vestræ ac Regis & ducis prædictorum subiacet populus Christianus, & præcipue orientalium partium attendentes; & memores quam grauiter populum ipsum in congressu partium Dominus, peccatis exigentibus, diebus proximo præteritis flagellauit, gerimus summo cordi apud vos & memoratum Regem & ducem pro huiusmodi reformatione concordiæ prouidimus denuo insistendum, sperantes quod ille, qui mari & ventis imperat, & cessare facit spiritum tempestatis, vestra & Regis & ducis prædictorum corda, gratiæ suæ liquore mollificans, disponet ad pacem, & ad concordiam præparabit. Et ideo vniuersitatem vestram monemus, requirimus, & hortamur, attente rogantes, ac per viscera misericordiæ Dei & aspersionem ipsius pretiosi sanguinis attentius obsecrantes, quatenus ea, quæ compendiose præmisimus, ex quibus plurima circumspectio vestra potest elicere, intra claustra vestrorum pectorum reuoluentes; & considerantes quam gratum præstabitis obsequium in huiusmodi concordia Deo vestro, & quam grauiter offenderetis eundem, si (quod absit) bonum pacis occasione vestra contingeret impediri, aliquos viros probos, zelum Dei eiusque timorem habentes, cum pleno & sufficienti mandato ad tractandum ordinandum, & opportunis firmitatibus roborandum huiusmodi concordiam super omnibus, quæ occasione discordiæ præstiterunt, ad nos mittere procuretis; ita quod in festo natiuitatis B. Mariæ virginis futuro proximo infallibiliter hic intersint, vt ipsis vestris ac dictorum Regis & ducis nuncijs, quos ad idem festum ad nos per speciales literas & nuntios similiter euocamus, conuenientibus inuicem corã nobis huiusmodi negotium, præstante pacis auctore, feliciter terminetur. Ceterum quia memoratus Rex Aragonum non solum occasione vnionis & confœderationis factæ cum eodem duce, sed occasione occupationis factæ, vt asserit, per vos de regno Corsicæ & certis locis regni Sardiniæ, ac alias contra vos querelam deducit; velitis nuncijs vestris eisdem super his omnibus concordandi cum præfato Rege dare similem potestatem, vt nulla supersit occasio, quæ bonum pacis valeat impedire: super quo vobis per Guillelmum de Languillia, quem ad vos signanter propterea mictimus, celeriter rescribatis. *Dat. Auin. III. id. iulij anno XI.* Non admissarum pontificiarum precum pœnas Io. Valentem amisso dignitatis gradu dedisse, visuri sumus.

Ad Genuensium ducem hortatoriæ literæ.

15 Incitatus etiam Fortanerius Gradensis patriarcha a, vt Venetos ad oratores condicta die mittendos, belloque lamentabili ponendum modum stimularet: tum Petrus Rex Aragonum b pluribus literis, quibus expositæ atrocis huius discordiæ calamitates, rogatus ne suis partibus deesset. De misso Rogerio pontificio oratore ad Petrum Regem Aragonum pro concilianda ipsum inter ac Genuenses pace meminit Surita c. Denique post multos adhibitos a pontifice irrito conatu labores: pax conciliari non potuit, accusatque aduersarum partium arrogantiam, quam a Deo vindice attererndam Clementem prædixisse, refert subiecta verba Cortusiorum historia d:

a Ib. pag. 32.
Rogatus Aragonũ vt ad pacem inclinet.
b Ib. pag. 30.
c Surit. l. 8. c. 48.

Anno Domini MCCCLII. *mense februarij parum longe a ciuitate veteris Constantini validissimi exercitus pugnauerunt: fuit ex vtraque parte occisorum tanta clades, quod nullus victoriam reportauit. Hoc puto Dei iudicium, qui humanum genus visitauit mortalitatibus inauditis paruo tempore iam elapso. Videns vero eos fauire, nec flagellis recipere disciplinam, iratus iussit gladio voluit partium superbiam castigare. Beatus homo, qui cito recipit disciplinam: dilectus Dei est & flagella iustitia non timebit; scriptum est enim: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; vnde conuersus ad Deum quærat pacem & iustitiam, vt sic brauium virtutum accipiat, & coronam. Coram Pa-*

d Cortus. hist. l. 10. c. 7.
Crudelis ad Bosphorum naumachia inter Gen. & Venetos.

Frustra apud Pōtificem solum de pace disceptatū,

Papa legati partium litigant insimul, conqueruntur se pariter accusantes: sed nihil potuit terminari, quia contradicebat Rex Aragonum, qui tunc pugnabat pro Venetis. Papa vero considerauit partium superbiam, & ait eorum legatis: Deposuit Deus potentes de sede, & exaltauit humiles. Ite nunc & renunciate quæ vidistis & audistis, & secundum quod scitis facite: iam enim opus laudat artificem. Forsan creditis & speratis in vanum contra Dei iustitiam & stimulum calcitrare; scriptum est enim: Qui se humiliat exaltabitur. Sic admoniti legati de curia redierunt.

Sardiniæ lis nocuit

Discussit illud de pace Venetos inter & Ligures ineunda colloquium Petrus Aragonius, cum superioris consilij tenax Genuenses vrgeret, vt ab affectando Sardiniæ Corsicæque imperio abstinerent: quare sequenti anno belli moles in Sardiniā incubuit insigni rei Genuensis clade, nec obscura Dei vindicta ob spretas ipsius vicarij preces. Pontifex vero in Sardica controuersia studebat ob æquitatem causæ Aragonio: cumque antea biennales decimæ Regi Petro essent concessæ ea lege, vt tertij anni decumæ ad ecclesiæ leuanda onera deriuarentur; sumptuum tamen in bello Sardiniæ tuendæ causa collocandorum grauitatem conquerenti, media tertij anni decumarum pars donata est a. Quibus addimus pensitatum b ab eodem Rege Aragonum duorum millium marcharum sterlingorum censum Romano Pontifici: *In decem millibus*, vt aie c, *& trecentis triginta tribus florenis & tertia parte vnius floreni auri boni ponderis, qualibet marcharum ipsarum pro quinque florenis auri & duobus grossis Turonensibus argenti, et vnoquoque florenorum ipsorum pro duodecim grossis Turonensibus argenti etiam computatis.*

a To. 11. ep secr. pag. 36. et 37.
b Ib. pag. 37.
c To. 10. ep secr. pag. 205.

Compostellanæ ecclesiæ iura tuetur Pontifex.

16 Delapsi sumus ad res Hispanicas, in quibus id prætereundum non videtur, Alfonsum Castellæ Regem iam ante defunctum codicillo cauisse, vt erepta ecclesiæ Compostellanæ in Compostellam iura restituerentur: quæ mandata cum segniter perficerentur, Pontifex asserendæ illius ecclesiæ dignitatis gratia Petrum nouum Regem, vt patriæ voluntati obsequeretur, est adhortatus d: *Licet*, inquit, *olim apud claræ memoriæ Alfonsum Regem Castellæ et Legionis genitorem tuum, tunc in humanis agentem, institissemus precibus, vt ciuitatem Compostellanam, quæ dicebatur Compostellanam ecclesiam, ad quam ciuitas ipsa pleno iure pertinere fertur, ad suggestionem quorundam æmulorum ipsius ecclesiæ spoliasse, restitueret ecclesiæ memoratæ, ipseque Rex, velut princeps catholicus nostris in hac parte precibus annuens, ciuitatem eandem prædictæ restitui ecclesiæ præcepisset; tamen, sicut accepimus, quia mandatum huiusmodi, obsistentibus eisdem æmulis, a debita fuit executione suspensum, antefatus Rex in vltimis constitutus in quodam codicillo inter cætera voluit & mandauit, quod ciuitatem eandem plene, libere, ac effectualiter ecclesiæ restitueres antefatæ. Et ideo quamuis credamus et teneamus indubie, te ad eiusdem genitoris tui voluntatem et mandatum exequenda huiusmodi monitis et exhortationibus non egere; quia tamen te velut filium prædilectum libenter ad ea dirigimus, quæ diuinæ sunt placita voluntati, et quæ te ipsumque genitorem tuum ad salutis æternæ gaudia introducant, serenitatem tuam attente rogamus, quatenus eandem ciuitatem eiusque dominium ecclesiæ memoratæ pro diuinæ maiestatis reuerentia præmissorum consideratione, ac nostra interuētionis obtentu mandes, et facias libere ac effectualiter restitui et dimitti. Dat. Auin. kal. septembris anno xi.*

d To. 15. ep secr. pag. 58.
Ad Compostellæ principatum illi restituendū monet Castellæ Regem Pont.

Anglus libertatem ecclesiasticam opprimit.

17 Desudatum pariter est a Clemente pro tuenda in Anglia libertate ecclesiastica: inuaserat enim Eduardus futilibus prætextibus Cardinalium atque aliorum, qui aberant, sacerdotia, eorumque vectigalia in suos vsus, ad furorem nimirum exercendum in Gallos deriuabat. Cumque a Benedicto XII. & Clemente sæpius admonitus in scelere obduresceret, in eum demum censuræ districtæ sunt. Quibus ille stimulis excitatus, atque ad saniora reuocatus consilia, veniam postulauit, ac se ad sarciendam iniuriam paratum est professus. Pœnitentem expanso sinu excepit Pontifex, paternaque beneuolentia complexus cœptum in eum iudiciorum ordinem intermisit, ac seueritatem hoc diplomate temperauit a.

a Ead. to. 11 ep secr pag. 70.

Clemens, etc. ad futuram rei memoriam.

Dudum fidedigna relatione percepto, & per diuersa mundi climata communi notitia diuulgato, quod charissimus in Christo filius noster Eduardus Rex Angliæ illustris, transgressus terminos regiæ honestatis, fructus omnium dignitatum, personatuum, officiorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ nonnulli ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac officiales familiaresque nostri, & alij qui studiorum, seu alijs rationabilibus causis a personali residentia facienda in ecclesijs, in quibus dignitates, personatus, & officia, ac beneficia consistunt huiusmodi, excusabantur, prout etiam excusantur, in regno Angliæ obtinebant, prout obtinent, per officiales & ministros suos occupauerat, & detinebat tunc temporis occupatos, Cardinales & officiales, nec non familiares, & alios supradictos, seu procuratores eorum huiusmodi dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum gaudere fructibus non permittens; nos de occupatione ac detentione huiusmodi tanquam notorijs certiores effecti, eisdem Cardinalibus, officialibus, familiaribus, & alijs in iustitia deesse nolentes, eundem Regem monuimus, hortati fuimus, & obsecrauimus, sibique sub excommunicationis pœna districte præcepimus, vt infra quatuor menses, ex tunc inantea numerandos, Cardinales & omnes alios, seu procuratores eorum prædictos dignitatibus, personatibus, officijs, & beneficijs huiusmodi, ac eorum fructibus & prouentibus plene, pure, libere, ac pacifice bona fide gaudere faceret & permitteret, nec eis seu eorum procuratoribus in administratione libera dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum prædictorum, & perceptione fructuum, reddituum, prouentuum eorundem ex tunc in antea vllam violentiam, molestiam, siue iniuriam, vllumque impedimentum præstaret seu per alios præstari faceret, sustineret siue permitteret, manum suam a prædictis dignitatibus, personatibus, officijs, & beneficijs, ac eorum domibus, possessionibus, fructibus, & alijs iuribus realiter & effectualiter amouendo; & quamcunque prohibitionem, constitutionem & ordinationem circa occupationem, perceptionem, detentionem, seu quamcunque aliam dispositionem fructuum, & prouentuum prædictorum, vel dependentia ex eisdem quomodolibet facta, totaliter reuocando; & nihilominus infra huiusmodi quatuor mensium spatium de omnibus & singulis fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi per eum vel alios eius mandato, voluntate,

Vt sacerdotum iustis de causis absentium vectigalia inuaserit.

Monitus sit ve manus ab ijs temperaret.

seu permissione, siue ratihabitione, vt præmittitur, occupatis & perceptis, et qui percipi potuerunt, eisdem Cardinalibus, nec non superstitibus et heredibus ac successoribus et executoribus illorum Cardinalium, qui a tempore occupationis huiusmodi tunc vsque decesserant, pro tempora, quo huiusmodi beneficia tenuerant, ac personis alijs supradictis integre et cum effectu satisfacere procuraret.

Moniti etiam regni quæstores, ne ea inuaderent.

18 Monuimus insuper vniuersos, et singulos thesaurarios, collectores, commissarios, procuratores, negociorum gestores, et administratores Regis ipsius, quocumque nomine censerentur, ac alios omnas et singulos de dicto regno oriundos, et alienigenas vndecunque forent, cuiuscunque status, ordinis, vel conditionis existerent, etiam si pontificali vel quauis alia dignitata fulgerent; eis sub eadem excommunicationis pœna districte mandantes, vt thesaurarij, collectores, commissarij, procuratores, negociorum gestores, et administratores prædicti per se vel alium seu alios huiusmodi beneficiorum fructus, redditus, et prouentus nomine dicti Regis, vel alias petere, exigere, recipere, leuare, colligare, aut occupare nequaquam præsumerent; nec alij, quicunque forent, eosdem fructus, redditus, et prouentus a Rege seu thesaurarijs, collectoribus, commissarijs, procuratoribus, negociorum gestoribus, et administratoribus supradictis, aut alijs quibuscumque officialibus dicti Regis, quocunque nomine vocarentur, emerent, aut ad firmam reciperent seu conducerent, nec eos colligerent, leuarent, aut reciperent Regis nomine antelati; nec ipsi Regi in eorum occupatione, collectione, leuatione, & detentione præstarent auxilium, consilium, vel fauorem. Alioquin in præfatum Regem ac thesaurarios, collectores, curatores, negociorum gestores, administratores, amptores, & conductores prædictos, ac alios quoscunque culpabiles quomodolibet in præmissis, cuiuscunque status, ordinis, vel conditionis existerent, etiam si pontificali vel alia quacunque dignitate fulgerent, si huiusmodi nostris monitionibus & mandatis non curarent effectualiter obedire, huiusmodi monitione præmissa, excommunicationis sententiam duximus promulgandam; eidem Regi prædicentes expresse, quod si monitionibus & mandatis nostris huiusmodi obedire effectualiter non curaret, contra eum procederemus ad interdictum in dictum Regnum proferendum, & pœnas alias, de quibus nobis expediens videretur, prout in literis nostris inde confectis plenius continetur.

Inuentis ipsis, ni pareret, anathema.

19 Sperantes igitur quod memoratus Rex, sicut nobis per nuncios suos, ad nos & sedem Apostolicam propterea destinatos, significare curauit, reatum suum in hac parte saniori consilio persuasus agnoscens, mandatis & monitionibus nostris huiusmodi in hac parte deuote parebit; & propterea volentes mitius & gratiosius agere cum eodem, huiusmodi terminum vsque ad primam diem consistorialem, festum ascensionis Domini proxime futurum immediate sequentem inclusiue, apostolica auctoritate suspendimus, ac etiam prorogamus. Volumus autem, quod huiusmodi festo ascensionis elapso, nisi interim memoratus Rex monitis & mandatis nostris eisdem paruerit (vt præfertur) Rex, thesaurarij, collectores, commissarij, procuratores, negociorum gestores, & administratores prædicti, & quicunque alij culpabiles in præmissis,

Petita ab Anglo venia.

Intermissa iudiciorum seueritas.

excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Nulli ergo omnino hominum, &c. *Dat. Auin. id. octobris anno* 11. De exceptis Eduardi Anglorum Regis oratoribus, dimissisque honorifice extant datæ IV. non. nouembris litteræ a ad Eduardum, qui cum etiam oratores pro agitanda pace missurus esset, Pontifex a Francorum Rege Ioanne contendit b IV. non. octobris, vt incolumitatis & liberi commeatus sacramentum ijs præstaret.

a To. 11. ep. secr. pag. 76.

b Ib. pag. 69.

De bello inter Anglos & Francos gesto narrat Matthæus Villanus c, Gallos Guinensis arcis interceptæ ab Anglis recuperandæ cupidos illam valida obsidione cinxisse: traductas autem clam ex Anglia Caletum copias noctu in Gallorum castra irruisse tanto impetu, vt territi inopino casu Galli obsidionem soluerint: patefactam deinde coniurationem ab Anglo in Ioannem compositam, cuius formidine is conferto satellitio regium latus muniuit. Missum vero Guidonem Cardinalem ad redigendos in concordiam Reges, sed irrito exitu rediisse, meminit M.S. Vaticanum d: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLII. *dominus Bolonienss Cardinalis mittitur legatus in Franciam: sed tunc non proficiens, & interim mortuo domino Clemente, post creationem domini Innocentij VI. Papæ reuersus Auinionem, satis cita iterum reuersus est pacem reformare cupiens inter Reges.* Interea demandatæ e sunt Philippo Ferrariensi & Francisco Clusino episcopis Apostolicæ sedis internuntijs partes, vt Carolum delphinum Viannensem Ioannis Regis Francorum filium inter atque Amedeum Sabaudiæ comitem subortum bellum sopirent; cuius imminentes cladas deplorat Clemens.

c Matth. Vill. l. 3. c. 23. Prosp. 11.

Guinum frustra a Gallo obsessum.

d M.S. bib. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

e To. 11. ep. secr. pag. 63.

20 Repullulabat f in Ebredunensi prouincia Vvaldensis hæresis: cum Pontifex ad eam abolendam curas apostolicas defixit, & Caroli delfini Viennensis ac Ludouici Regis & Ioannæ Reginæ Siciliæ, tum procerum pium ardorem excitauit g, vt fidei censoribus opem ad eam luem extinguendam porrigerent. Emersisse quoque circa hunc annum obseruat Pigna in notis ad Nicolaum Eymericum fœdissimum hæresiarcham in Hispania Gundisaluum nomine, qui inter cæteras blasphemas & insanas hæreses, Spiritum sanctum carnem humanam induturum mentiabatur, nouæque legis conditorem futurum iactabat: quam hæresim cum Nicolaus Calabar in Catalonia disseminare esset ausus, a dicto Eymerico h fidei censore, ac vicario episcopi Barchinonensis damnatus est, cuius errores ab eodem Eymerico in directorio ita recensentur: *Primus error, quem posuit, est quod quidam Hispanus & hæresiarcha magnus vocatus Gondisaluus, de episcopatu Conxensi * oriundus, erat Dei filius in cælis æternaliter generatus, licet videretur patrem & matrem in terris habuisse. Secundus error, quod dictus Gondisaluus nusquam moreretur, sed viueret in æternum. Tertius error, quod Spiritus sanctus debebat futuris temporibus incarnari, & tunc ipse Gondisaluus totum mundum conuerteret. Quartus error, quod in die iudicij Gondisaluus ille oraret pro omnibus mortuis in peccato mortali & damnatis in inferno, & eius precibus liberarentur & saluarentur. Quintus error, quod in homine sunt tria, animam quam formauit Deus pater, corpus quod formauit Deus filius, & spiritus quem creauit Spiritus sanctus, adducens illud: Formauit Deus hominem de limo terræ, & spirauit spiraculum vitæ, & factus est in animam viuentem.*

Vvaldensis hæresis in Ebredunensi diœcesi repullulat.

f To. 10. ep. secr. pag. 198.

g Ead. pag.

Gundisaluus hæresiarcha.

h Eymer. 2. p. direct. inquis. q. XII.

Insani illius errores.

*Conchiss

tem. Quamplura alia posuit hæreticalia erronea, falsa, temeraria, & periculosa: propter quæ vt relapsus traditus est brachio seculari.

Prætermissis hæreticorum delirijs, consignandum historiæ arbitramur quod circa ritus Romanæ ecclesiæ hoc anno a Clemente institutum refert veteris ceremonialis scriptor a: *Anno*, inquit, *a natiuitate Domini* MCCCLII. *in die festi cathedræ S. Petri, quæ fuit prima dies quadragesimæ, dominus Clemens Papa VI. pontificatus sui anno x. Auinione in capella magna, quæ est in palatio apostolico, ad perpetuam rei memoriam constituit & mandari fecit in sermone per illum, qui illa die sermocinabat coram dicto domino Papa, Cardinalibus, & alijs prælatis, quod quandocumque festum veniat ipsa prima die quadragesimæ, quod huiusmodi festum ad sequentem diem transferatur.*

a M.S. bibl. Vat. sign. n.4737. pag.6.

Clementis obitus.

21 Vergente hoc eodem anno Clemens cum apostolicum solium annos decem, menses septem tenuisset, præcipiti morbo ex humanis ereptus est, vt traditur in M.S. Vaticano his verbis b: *Paruo tempore languens insperate obijt decembris die* VI. *anno Domini* MCCCLII. *pontificatus sui anno* XI. *in palatio apostolico Auinionensi.* Præter alios c, inter quos Matthæus Villanus prænuntiatam illius mortem cometæ atri conspectu putat d, consentit eiusdem Pontificis vitæ scriptor e, eiusque pietatem in extremo vitæ actu commendat: *Infirmitate*, inquit, *grauatus humiliter pœnitens de commissis, deuoteque receptis ecclesiasticis sacramentis, in veritate & sinceritate fidei, ac vnitate sanctæ matris ecclesiæ se ipsum domino commendauit anno Domini* MCCCLII. *die* VI. *mensis decembris pontificatus sui anno* XI. Ornat Clementem pluribus elogijs idem scriptor, ex quo nonnulla illius gesta decerpemus. Occurrunt nobis primum, quæ de insignibus ædificijs ab eodem Pontifice excitatis, Auinionensi nimirum palatio aucto, consistorio picturis eleganter adornato, ac monasterij Casædei sacris ædibus ab eo magnifice extructis refert his verbis: *Ipse*, inquit, *palatium Auinionis ampliauit versus de media parte, cum per prius per Benedictum Papam XII. prædecessorem suum licet solemne factum fuisset de duobus angulis, ipse tamen ipsum perficiendo fecit quadrangulare, totam plateam muris altis & turribus alijs primis æqualibus claudendo & circuiendo. In hac autem parte licet omnia ædificata sint seu constituta admodum solemnia & aspectus valde decora, tria sunt tamen, quæ reliqua valde specialiter excedunt, videlicet capella maior, audientia, & terracia superioris; cum quoad id, pro quo constituta & ordinata sunt, forte non est in mundo palatium, in quo non dicam solemniores, immo nec pares existant; attenta tamen eorum contiguitate, cum de vna ad aliam sine medio ascensus vel transitus facilis existat. Consistorium insuper in alia parte per dictum prædecessorem suum multum solemniter ædificatum, quia remanserat quasi tabula rasa, in qua nihil depictum erat, miris picturis decorauit, & scripturis mirabilioribus adornauit: in qua considerationem habendo, quod locus ille solum ad iustitiam pascendam & reddendam deditus & ordinatus extitit, in pingendo per pictorem hunc ordinem voluit & in propria descripsit obseruari, videlicet quod diuina maiestate in supremo throno depicta, circumquaque lateraliter effigies sanctorum & sanctarum ac aliorum, qui in veteri testamento aliqua notabiliter in iudicio, iure, iustitia, et æquitate, aut veritate scripsisse vel dixisse leguntur, pingerentur; & sub cuiuslibet effigie seu figura, aut in rotulis, quos sui gestare videntur in manibus, sua dicta seu scripta super præmissis, aut altero eorumdem literis grossis & legibilibus scriberentur, libros & capitula in quibus continentur, rubeis literis designando: quæ omnia videntibus & legentibus non modicum proficere, eosque allicere debent, vt ab ipsis non deuient; sed potius ad eorum obseruationem intendant. Ipse præterea monasterium Casæ Dei, in quo a principio professus extiterat, multis & magnis dotauit honoribus, & priuilegijs decorauit, ac prouentibus ampliauit, eiusque ecclesiam, quia vetustate consumptam ac satis ruinæ proximam, a solo ædificauit, tamen in multo solemniori statu quam prius.* Nonnullisque interiectis de Auenione ab ipso magna auri vi empta a, quæ ad Ioannam Reginam pertinebat; vtque Carolus Rex Romanorum, confirmata emptione, supremi in eam vrbem dominatus iura in ecclesiam transtulerit, de Clementis studio in publica concordia inter Reges principesque conciliandа subijcit.

Tempus sedis.
b M.S. bib. Vat. sign. n.3765. in Clem. VI. & aliud M.S. sign. n.2040.
c Cortus. hist. l.10. c.8.
d Matth. Vill. l.3. c.43.
e Gesta Clem. VI. apud Bosq.

Ædificia a Clemente condita.

Consistoriū sacris picturis adornatū.

Monasterium Casæ Dei ab eodem restitutum auctumque.

a Ann. Chr. 1348. n.12.

Hic summus Pontifex toto tempore suo valde fuit intentus ad procurandum statum pacificum & tranquillum suorum omnium subditorum, & præsertim Regum & principum, & aliorum potentium ex quorum discordijs inferiores habent commoueri & turbari: quod satis demonstrauit in quasi assidua missione legatorum & nunciorum suorum, de qua supra fecimus mentionem. Nec curauit se cum alijs in guerris inuoluere, aut aliter dissensionibus intricare, nisi inquantum conseruatio iuris & honoris ecclesiæ sibi commissæ ipsum præcise arctarunt quandoque ad propositum, & adhuc tunc per viam iustitiæ processit, factum postetenus tractando; propter quod satis quiete & pacifice vixit cum omnibus, considerata tunc temporis vrgenti qualitate; & ob hoc liberius vacauit, & perfectius intendit ad actus papales exercendos. In his enim multum solemniter se habuit, vtpote consistoria & concilia debitis temporibus inde faciliter tenenda, diuina officia celebrando, sermones & collationes excellentissime etiam sæpe faciendo: in quibus etiam si retroactis temporibus forte quandoque habuerit sibi pares, excedentes vero raro, prout talium tenor adhuc penes plures permanens indicat manifeste.*

Quanta cura Pacis studia ab eodem promota.

*C.R. indefectibiliter

22 Subdit auctor insigne mansuetudinis exemplum in veterem inimicum, a quo atrocibus iniurijs olim affectus fuerat: de quo non modo vindictam expetijt, sed beneficijs ornauit, vt non frustra Petrarcha cecinerit in carmine ad Ioannem Cardinalem Columnam b.

Nulli maior inest clementia, nomen ab ipsis
Dignum rebus habet.

b Petrarc. in poem. ad Io. Card. Col. Clementia ab eodem culta.

Fuit insuper, verba sunt vitæ scriptoris, *sicut nomine, ita & re Clemens, misericors, & benignus: non enim inuenitur contra aliquem pro interesse proprio, quantumcumque sibi inimicus aut contrarius extiterit, aliquam vltionem exercuisse, aut expetijsse vindictam. In cuius rei exemplum est hoc notabiliter inserendum, quod vnus, qui per prius eo in minoribus existenti sibi aliquas iniurias irrogauerat etiam personales, qui æstimans ipsum alijs varijs magnis occupatum de ipso aut iniurijs non recordari, sibi quadam die supplicationem vnam porrexit, in qua petijt aliqua pro se ipso. Qui licet supplicationem huiusmodi benigne in propria recepit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset; super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem, aut alias quodammodo tentatus, ipsam proiecit ad terram pedibusque conculcauit: quam demum iam sumit, & sera primo similiter fecit; & ea postremo reassumpta, sibi ipsi loquendo, audienti-*

Inimicū, quo olim male habitus fuerat, beneficio prosequitur.

bus tamen aliquibus suis cubicularijs ibi astantibus, dixit: Vade diabole, quod hodie facere non poteris, quod me vindicem de quocumque; & hoc dicto, supplicationem prædictam illico vt petebatur signauit, nec aliam vnquam molestiam intulit ipsam offerenti. Habuit præterea hanc humanitatem, pietatem, seu benignitatem, ac liberalitatem generaliter ad omnes ad ipsum recurrentes, seu suum præsidium, seu iuuamen implorantes, quod nunquam vel raro aliquem a se emiserit sine consolatione reali aut verbali; sæpius tamen ad rem, quam ad verba intendens. Pauperum & egenorum, præsertim illorum qui alias abundauerant, & mendicare erubescebant, necessitatibus largissime subuenit, considerans in ijs omnibus, quod beati mites & beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: quam pie sperandum est ipsum iam consecutum, vel consecuturum in futurum, si humana fragilitate ipsum adhuc impellente, in eo aliquid culpabile extiterit.

In pauperes liberalis.

De tenacissima eius memoria.

a Petrar. l. 2. rer. memorab. c. 2. de memoria.

23 Insignem rem silentio non prætermittendam de illius memoriæ tenacitate narrat subiectis verbis Petrarcha a: *Clemens VI. egregius nuper Romulei gregis pastor, tam potentis & inuictæ memoriæ traditur, vt quidquid vel semel legerit obliuisci, etiam si cupiat, non posset. Hoc sibi & studiorum nutrix alma Parisius & orbis vniuersus tribuit. Ego enim, & si sæpe ante pedes eius fuerim, tamen de hacre nihil præter famam habeo, cui facilius accedo, recolens id sibi non nouiter tributum, sed ante diu, quam hoc fortuna culmen ascenderet, in quod euecti circumstrepentibus adulantium turbis vera laudis iudicium amiserunt. Illud additur miraculo, hanc tantum sibi memoriam magno quondam capitis ictu (cuius adhuc testis extat ingens supremo vertice cicatrix) peruenisse. Memorabilis casus, si modo verus: hoc enim habet inter multa clarorum admiratio; viam fabulis aperire solet.* His addit Massonus b: *Fuisse excellentis memorabilisque memoriæ Clementem, testatur Bernardus Dominicanus, in eius vita, & alij annalium scriptores: id vero nouum non est, talem enim fuisse Simplitium libro quarto de anima tradit Augustinus.* Neque prætereundum encomium insigne, quo auctor, qui ad Bernardum Guidonem appendicem adiecit, Clementem exornat, dum ipsum vocat c clementiæ speculum, charitatis hospitem, misericordiæ patrem, pietatis alumnum, liberalitatis ministrum, iustitiæ pugilem, æquitatis athletam, concordiæ fatorem, pacis amatorem, modestiæ normam, religionis exemplar, amicitiæ fomitem, spei anchoram, fidei basim, complacentiæ morem, eloquētiæ florem, honorē generis, & patriæ decas.

b Masson. ex ipso in Clem. VI.

c Append. ad Bernar Guid.

d Cantac. l. 4. c. 11.

24 Id etiam ex Cantacuzeni d Græcorum Imperatoris testimonio summæ laudi dandum est, ipsum abolendi Græcorum schismatis cupidissimum œcumenicam synodum in confinibus vtriusque imperij, ad quam Græci & Latini episcopi confluerent, celebrare constituisse, cum diceret Cantacuzenus, Græcos, ni id fieret, nunquam ad coniunctionem ecclesiarum adducendos, neque cœptam olim a Palæologo coniunctionem ob illud coalescere potuisse. Postulata iam ante a Benedicto huiusmodi synodus fuerat, sed negata, ne fidei nostræ articuli in concilijs œcumenicis definiti in controuersiam vocarentur: censebat vero Clemens Græcos ad disceptationem admittendos, non quod catholici de ijs ambigerent, sed errantes edocerent: ob bella vero Italica extracta synodus in tempus commodius ob Clementis mortem cogi non potuit, vt ait Cantacuzenus e: *Dum, inquit, in hic tempus voluitur, Clemens Papa, viuere desinit, & cura de synodo in nihilum recidit.* Agitatum quidem postea ab Innocentio cum Cantacuzeno de ecclesiarum coniunctione visuri sumus: cumque hoc deiecto, gener Palæologus ad Vrbani obsequium accedens huiusmodi synodum, ad quam Græci cum Latinis conuenirent, congregandam posceret, negauit Vrbanus ijsdem de causis, quibus Benedictus petita repulerat. Denique reuersi iterum ad vomitum Græci, cum ab Eugenio synodum flagitarent, is ipse secutus meditata Clementis consilia, Florentiæ eam celebrauit: de quibus suo loco. Nunc de Clementis exequijs addemus ea, quæ M. S. Vaticani auctor anonymus mandat historiæ a: *Corpus portatum fuit ad ecclesiam B. Mariæ virginis cathedralem, vbi stetit vsque ad æstatem; & deinde asportatum ad monasterium casæ Dei, vbi pridem fuit monachus, quinque Cardinalibus comitantibus ipsum, in capella ab ipso constructa depositum & tumulatum: cuius anima requiescat.* Curauit autem successor illud funus erogatis anno insequenti aureorum quinque millibus, vt illius cadauer ad idem monasterium, in quo Clemens religiosa olim disciplina excultus sepeliri optauerat, transferretur. Extat b enim de ijs acceptis ab Innocentio Hugonis tit. S. Laurentij in Damaso, Guillelmi tit. S. Mariæ trans Tyberim presbyterorum, Guillelmi S. Mariæ in Cosmedin, & Nicolai S. Mariæ nouæ diaconorum Cardinalium syngrapha mense martio anni proximi pontificatus Innocentij anno primo consignata; fuereque hi, vt ait vitæ Innocentij auctor c: *Frater, tres nepotes, & vnus consanguineus sui; quos ipse consortio Cardinalium aggregauerat, dum viuebat.* De translatitio hoc funere consentientia tradit Massonus d, additque monachos Casæ Dei, vt acceptorum a Clemente beneficiorum memores se esse testarentur, sex rosas suis insignibus permiscere consueuisse: violatum deinde ab hæreticis Caluinianis lapsis duobus post seculis illius sepulchrum, ac religionis odio corpus flammis iniectum: *Monasterium*, inquit, *ipsum*, nimirum Casæ Dei Aruernorum gentis Vellaunis populis vicinæ, *anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, cum obsideretur Anicium Vellaunorum, capitur a Monioue fororio Blasconis Allobrogis, cuius milites plusquam barbari templum diripiunt, statuam eius marmoream confringunt, sepulchrum violant atque diruunt, vbi Clemens ipse pene formidabilis iacebat: armati enim hominis statuam exhibere videbatur, quia singula corporis partes plumbo tecta erant. Cadauere igitur nudato, nihil præter ossa & cineres repererunt, eaque in flammas misere militari ioco clamantes: An te putas, magne Pontifex, plumbeis armis cacodæmonem victurum.* At ea impiorū ludibria Clementis vertuntur glorię.

Vt œcumenicam synodum ex Græcis & Latinis celebrare voluerit.

e lib. 4. c. 11.

Illius morte constituere ea consilia.

a M.S. bib. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

Corpus Clementis delatū ad monasterium casæ Dei.

b Innoc. to. 1. ep. secr. 128.

c Gesta Clem. VI. apud Bosq.

d Masson. in Cle. VI.

Ab hæreticis postea crematum.

25 Sublato porro Clemente conclaue ingressi Cardinales, dum vna de creando nouo Pontifice vota conferrent, tantoque muneri vir insignis probitate admouendus quæreretur, illatam de Ioanne Birellio, qui Carthusianis præerat, ac tum magnæ sanctitatis opinione florebat, vt pontificatu summo dignissimo, mentionem, refert Carthusiensium historia, sed Talayrandum Cardinalem, caducarum rerum amore deuinctum veritū ne is luxum omnem in Cardinalibus pia asperitate resecaret, obstitisse; at deinde, cum Birellius e viuis excessisset, ac miraculorum ingenti gloria inclaresceret, culpam suam planxisse acerbe, & Carthusianos singulari studio complexum, quibus apud Petrachorios nobile cœnobium Vallis claræ

Cardinales de Birellio viro sancto creando Pontifice agitant.

Talayrandus eos ab ea cogitatione reuocat.

Facti postea pœnitēs cœnobium cōdit.

ma-

magnis auctum vectigalibus condidit. Demum Cardinales in aliam abiere sententiam, vt e Cardinalium cœtu Pontificē deligerent: priuatiq; cōmodi illecebra deliniti, ad cardinalitiam augendā maiestatem pontificiæ detrimento conspirarunt, plures leges a in sua commoda vertendas pacti, quas renuntiandus ab ipsis Pontifex sacramento confirmaturus esset. Eæ vero conceptæ erant his verbis.

Cardinales in conclaui ad sua augenda conspirant.

a Extant apud Innoc. VI. an. 1. l. 1. ep. cur. 5.

26 *Deliberatione plena habita pro bono publico concordant omnes domini Cardinales nemine discrepante. In primis quod summus Pontifex, Domino providente, creandus nullo vnquam tempore ex quauis causa procedat ad creationem Cardinaliū nisi secundum modum & formā infertus denotatas: videlicet quod nō creet seu faciat aliquos Cardinales donec numerus Cardinalium venerit ad numerum sexdecim Cardinalium, alijs qui essent supra numerum sexdecim de medio eam sublatis: & tunc assumat, si ei videbitur, tot quot ascendant ad plus vsque ad numerum viginti & non vltra, prædictis sexdecim aut paucioribus, si forte tunc superessent, in viceno numero computatis. Quos quidem Cardinales, per Papam creandos, ipse creare & ordinare habeat de omnium Cardinalium tunc superexistentium seu duarum partium eorundem consilio & consensu: hoc tamen saluo, quod extante numero, qui nunc est, vel forsitan pauciore, assumat Papa, si voluerit, duos Cardinales de consilio omnium fratrum, seu maioris partis eorum. Item quod Papa non procedat ad depositionem, seu personæ captionem alicuius Cardinalis sine consilio & consensu omnium fratrum nemine discrepante, nec ad excommunicationem vel aliam censuram ecclesiasticam, seu suspensionem vocis vel consistorij seu portationis capelli, nec ad priuationem, nec etiam ad suspensionem beneficiorum ipsorum Cardinalium sine consensu omnium fratrum aut duarum partium eorundem. Item quod Papa nullo modo ponat manum in bonis quorumcumque Cardinalium, etc viuentibus vel defunctis.*

De Cardinalium numero decernere moliūtur.

Pontificiā in Cardinalium ordinem auctoritatē imminuere tentant.

Item quod Papa prouincias, ciuitates, castra, aut terras alias ecclesiæ Romanæ non alienet, aut in feudum vel emphiteosim, aut sub certo censu concedat: & vbi alienationem seu concessionem prædictas iusta & rationabilis causa fieri expediret, de consilio & consensu omnium fratrum seu duarum partium eorum ad prædicta procedat. Item quod collegium Cardinalium percipere & habere debeat iure sua medietatem omnium fructuum, redditum, prouentuum, mulctarum, condemnationum & censuum, & omnium aliarum obuentionum & emolumentorum, ad ecclesiam Romanam spectantium, in quibusuis prouincijs ac terris & locis Romanæ ecclesiæ, prout in priuilegio felicis recordationis Nicolai Papæ IV. super hoc plenius continetur. Item quod tam in Romana curia, quam in terris & prouincijs Romanæ ecclesiæ officiales in temporalitate maiores de consilio & consensu Cardinalium omnium, seu maioris partis ipsorum, instituantur & destituantur, prout in dicto priuilegio seu constitutione præfati domini Nicolai Papæ IV. noscitur apparere. Item quod ad officium marescalli Romanæ curiæ, & rectorum terrarum seu prouinciarum Romanæ ecclesiæ nullus de consanguinitate vel affinitate Romani Pontificis assumatur.

Pontificij fisci mediam partem ad se deriuare.

Necessitatem expetendi in agendis rebus cōsilij Cardinalium imponere.

Item quod summus Pontifex nulli Regi vel principi seu cuiuis alij in regnis, prouincijs, seu terris eorum concedet decimas, nec tertias decimarum, seu subsidia alia: nec etiam camera sua reseruabit sine consilio & consensu omnium fratrum vel saltem duarum partium eorundem, & tunc causa iusta & rationabili suadente. Item quod Papa non impediat, quin omnes & singuli Cardinales in consulendo & consentiendo liberum habeant arbitrium in agendis. Item quod omnes domini Cardinales, qui hodie supersunt, iurare habeant, quod ille ex dictis Cardinalibus, qui ad papatum præstante Domino assumetur, prædicta diligenter & inuiolabiliter obseruabit: & nihilominus ille, qui ad papatum assumetur, siue Cardinalis siue alius assumptus fuerit & a Cardinalibus receptus, eadem die omnia & singula supradicta profiteatur fideliter obseruare, & ratum habeat præstitum iuramentum. Item quod si aliquod dubium occurrerit vel inciderit vel Papæ videbitur in prædictis, dominus Papa cum consilio & consensu saltem duarum partium Cardinalium habeat declarare.

Extortum sacramētum a futuro Pōt.

27 Sāciras has pactiones se seruaturos alij nullo adhibito discrimine sacramento spopondere, alij hypothesim, si iure niterentur, iuriiurando adiunxerunt: quas vt sedis Apostolicæ dignitati aduersantes conuulsas anno insequenti visuri sumus. Cum vero accepissent, Ioannem Francorum Regem iter Auenionem intendere, vt Pontificem sibi acceptissimum creandum curaret, tuendæ libertatis ecclesię studio, quamuis ipsi addictissimi, vt eius aduentū armatasque preces anteuerterent, electionē maturarunt, vt ait Matthæus Villan. a ac suffragijs cōmunibus duodecimo post Clementis obitum die, nimirum XVIII. decembris b, Stephanum Albertum Ostiensem episcopum ad apostolicum solium euexera; de quo hæc habet M. S. Vatic. *Innocentius VI. Stephanus nomine.* & infra, *electus est in Papam per Cardinales anno Domini MCCCLII. die martis XVIII. dec. hora tertiarum et coronatus die penultima dicti mensis Auinione in apostolica palatio.* Ab his non discrepat alterius M. S. Vat. auctor c, gestaq; ante pontificatum perstringit cui vitę illius scriptor apud Bosquetū consentit: *Hic,* inquit, *prius vocatus est Stephanus Alberti doctor legum existens, iudex maior senescballiæ Tolosanæ: ab inde vero promotus ad ecclesiā Nemausensem, & de ea translatus ad ecclesiam Claromontensem: demum per dictum Clementem Papam VI. assumptus in presbyterum Cardinalem, habuitque titulum SS. Ioannis & Pauli.* Dum eos gerebat apices, legationem ad Francorum Anglorumque Reges vna cum Anibaldo Cardinale pro extinguendo funestissimo bello ipsū obijsse, iā ante vidimus d. Pergit memoratus auctor: *Postea autem fuit factus episcopus Ostiensis & Velletrensis & pœnitentiarius maior. Postremo vero, vt præmittitur, electus in Papam.* Quibus consentanea scribit Albertus Argentinensis e, corrigendus tamen, dum die epiphaniæ sacro tiara pontificia redimitum affirmat: pariterque emendandus apud Bozquetum anonymus auctor, qui vigesima tertia eam pompam celebratam scribit. Susceptis ecclesiæ catholicæ gubernaculis Innocentius postridie eius diei, quo pontificias insulas de more accepit, orbis vniuersi archiepiscopos & episcopos de Clementis VI. obitu, ac pontificatu sibi delato certiores fecit f; atque vbi pluribus de se demisse sentire, ac diuinam opem pro gerendo munere pernecessariam est præfatus, illos ad eam ipsi comparandam ardentissimis precibus solicitauit.

Delusæ Galli Regis molitiones.

a Matth. Vill. l. 3. c. 44.

Stephanus episc. Ostien. creatus Pont.

b M. S. bib. Vat. signa n 2040.

Gesta Innoc. VI apud Bosq.

c M. S. bibl. Vat. sign. n 3765. in Inn. VI.

d Ann. Chr. 1349. n. 11. & 12.

e Alb. Arg. in chron.

Innocentij VI. nomen accepit.

f To. 1. ep. sec. pag. 1. & 4 an 1. l. ep. cur. 1.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Rhemensi, eiusque suffraganeis salutem & Apost. benedictionem.

Encyclicę eius luctę

28 Prædicator egregius, qui vas electionis factus est a Domino, altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei cum stupore considerans, *Quam incomprehensibilia sunt*, inquit, *iudicia eius, &*

inuestigabiles viæ eius! Probat hoc quotidianorum euentuum successio varia: probat rerum ipsa diuersitas, & accidentium casuum contrarietas manifestat, quorum ministeria mens nequit humana comprehendere, ratio inuestigare non sufficit,& ad contemplationẽ quarum obsitus caligine mortalis oculus non attingit: probat hoc etiam nostræ infirmitatis humilitas, per quã, dum nullis suffragantibus meritis ad fastigium apostolicæ dignitatis euehitur, quid aliud indicatur, nisi quod occulto nobis Dei iudicio agitur, vt plerumque promoueatur immeritus, & quandoque assumatur indignus.

Nuper siquidem felicis recordationis Clemente Papa VI. prædecessore nostro, tela vitæ succisa, in Domino quiescente, & ipsius funeralibus exequijs eum honorificentia debita celebratis, nobisque vna cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tempore debito conuenientibus inuicem in palatio apostolico Auinionensi, in quo idem prædecessor tempore sui obitus habitabat, pro futuri electione pastoris; tandem post dies aliquot, licet paucos, ille Pontifex summi summus, qui eandem ecclesiam sponsam suam proprii cruoris aspersione fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, illaque soliditate firmauit, vt nullis impulsionibus quateretur, diutinæ vacationis ipsius ecclesiæ dispendia resecans, in eum sua munera contulit, in quo meritorum suffragia non inuenit: & eorundem fratrum corda informans & dirigens sic afflauit, vt in imbecillitatem nostram (quamquam essent plures, in quos concurrere potuissent &, vt credimus, consultius & vtilius) conuenirent: nosque tunc episcopum Ostiensem, cuius ad tantæ dignitatis honorem & onus vires & merita nec suppetebant nec suppetunt, ad vniuersalis ecclesiæ fascem regiminis eligerent supportandum.

De concordi eius dem electione.

Fuerat antea episcopus Ostiensis.

29 Nos autem infirmitatis nostræ conscij, & imperfectionis etiam non ignari, attendentes quod nihil tam insolitum tam pauendum, quam labor fragili, sublimitas humili, & dignitas non merenti, ad tantæ molis sarcinam suscipiendam expauimus. Sed demum debita consideratione pensantes, quod de qualitate nostrorum operum nequaquam pendet cœlestium mensura bonorum; ac sperantes, quod ille, qui est oneris actor, erit administrationis adiutor, & ne sub magnitudinis gratia succumbat infirmus, dabit virtutem qui tribuit dignitatem; & in eo fiduciam erigentes, qui omium suarum curam licet multis pastoribus delegarit, sui tamen dilecti gregis custodiam non reliquit, quique B. Petro Apostolorum principi fiduciam præstitit, vt in vndas descenderet, & dexteram porrexit auxilii, vt dubitans non periret; colla subiecimus iugo apostolicæ seruitutis. Ad quod gerendum vtilius orationum vestrarum suffragia implorantes, vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam peruigiles cooperatores esse vos exigit vobis in vestris gregibus solicitudo commissa, in huiusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem solicite vigiletis & debilitati nostræ deuotarum orationum & placationum vbertim frequentibus oblationibus assistatis; ab eo, qui nobis sarcinam eandem imposuit, seu potius forsan imponi permisit, supplicationibus deuotis & sedulis implorantes, vt qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, ipsius munere subleuemur; nobisque ipse bonorum largitor omnium sic illam ad sui nominis laudem & gloriam, nostram populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem mater ecclesia filios suos numero & merito nostris multiplicari temporibus glorietur.

Fundi a clero preces pro se efflagitat.

30 Cęterum effectum vobis charitatiue benignitatis expandimus, & sinum charitatis solitę aperimus proponentes, in quibus eum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra & ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine beneuolentię promouere. Cum autem, sicut intelleximus, portatores huiusmodi literarum interdum esse consueuerunt contra intentionem mittentium exactores, nunc importunę peritionis instantia, nunc etiam murmurationum susurria, & detractionum & querelarum comminationibus exigendo; scire vos voluimus, quod nostrę intentionis existit, & latori pręsentium expresse inhibuimus, eumque iurare fecimus, quod ad exigendum vel obtinendum aliquid pręter ea, quę pro expensis suis necessarijs per alias ei sub certa forma litteras, quas vobis exhiberi mandauimus, ministrari pręcipimus, talibus instantijs & murmurationibus non vtatur, nec recipere etiam oblata presumat. Ideoque, vt nostris in hoc intentioni & beneplacito concurratis, huiusmodi abusionibus cęterisque similibus, si forsan eis, quod non est verisimile, vti pręsumerent contra proprium iuramentum, contemptis omnino, vos vltra præmissa sibi vestro ministranda mandato, tribuendo aliquid non grauetis, cum non per extorsiones huiusmodi, sed alia retributione congrua intendamus ipsorum laboribus respondere. *Dat. Auin. 11. kal. ianuarij pontificatus nostri anno 1.* Scriptę sunt eodem argumento literę ad Carolum Cęsarem, aliosque Reges ac principes catholicos, vt sua cum ipso studia in tuenda, religione amplificandaque coniungerent.

Latorum pontificiarum literarum lis cientia coercita.

31 Postremo his addimus, statuisse hoc anno diuinam institiam insigne seueritatis exemplum in episcopo Citizensi, quo doceantur pręsules non lascinire, sed ad gregis sui salutem promouendam diligenter incumbere: e media enim saltatricum chorea ad tremendum Dei tribunal abreptus est, vt ex pluribus annalibus refert Paulus Langius a: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLII. & infra, *Ioannes episcopus noster, vt in multis legitur chronicis, in die Ioannis euangelistæ ob honorem nominis sui complures dominas speciosas & nobiles inuitauerat, choreisque inter duas medius, quas ipse manibus tenebat, repente cadens miserabili morte exspirauit anno ordinationis suæ quinto: mortuus, inquam, non vt episcopus, non vt sacerdos, sed velut histrio vanus & vir seculo deditus: mortuus, inquam, non in atrio sed theatro, non in loco sacro sed profano, non in ecclesia sed chorea.*

a Paul. Lang. in chron. Citizen. Diuina in episc. lasciuientem vltio.

IESV CHRISTI annus 1353.

INNOC. PP. VI. 1. CAROLI IV. ROM. REGIS 8. IO. PAL. 13. & IO. CAN. 7. IMPP. OR.

1 Anno salutis millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio indictione sexta nonus Pontifex, adductæ in grauissima pericula Christianæ rei consulturus, apostolica studia ad Anglos

glos cum Gallis conciliandos, Genuenses ac Venetos ab exitiali abducendos bello, propulsandus Turcas, Græcos ad schisma eiurandum excitandos, pacandos intestino a Castellæ motus, componendam aulam Pontificiam, atque Romanæ ecclesiæ ditionem a tyrannis penitus fere occupatam ex eorum manibus vindicandam conuertit. Accendebat tyrannorum ambitionem atque audaciam Pontificum Romanorum absentia; ac si eorum consilija successus respondissent, nil aliud moliri videbantur, quam vt vocati tam ardentibus votis Pontifices Italia penitus excluderentur. Aspirabat inter cæteros Ioannes e Vico a, multarum vrbium ecclesiæ ereptarum dominatione tumidus ad Romam sibi subijciendam, quem plures coniurati ad tyrannidem efferebant. Ad cuius frangendos conatus atque ecclesiasticam ditionem recuperandam Innocentius Ægidium Aluarum Albornotium genere Hispanum patria Conchensem, quem in sacro aduersus Saracenos Africanos & Granatenses bello magna cum laude versatum in Alfonsi Regis castris, atque a Clemente VI. ex archiepiscopo Toletano tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem creatum vidimus, amplissimæ legationis munere auctum in Italiam misit. De quo hæc Innocentij vitæ auctor monumentis consignat. b

Præcipua rerũ hoc anno gestarũ capita.

Laniats a tyrannis Italia.

a Ianuos. to. 2. ep. secr. pag. 171.

Ægidius Card. aduersũ hos missus.

b Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

Tunc temporis fere omnes ciuitates cum castris & locis, quæ spectabant ad ius & proprietatem Romanæ ecclesiæ, in partibus Italiæ erant extra manus suas: tenebanturque, seu verius detinebantur & occupabantur per tyrannos in dictæ ecclesiæ præiudicium, detrimentum, & iacturam. Circa quod volens dictus Innocentius Papa prouidere, dareque ordinem, vt ad dictam ecclesiam reducerentur, in sui regiminis principio misit ad partes illas legatum suũ de latere Ægidium Aluari Hispanum tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem, vt circa reductionẽ & recuperationem prædictorũ intenderet & vacaret.

Tulit iniquiore animo Petrus Castellæ Rex Ægidium Cardinalem, cuius opera vti meditabatur, in Italiam mitti; atque apud Pontificem precibus institit, vt ab Italica legatione reuocaret. Cui Innocentius extremas ecclesiæ difficultates, quibus pares alij non forent, exposuit c: *Tantum enim*, inquit, *præsumpsit & præsumit in eisdem partibus aduersus ecclesiam & fideles & deuotos eosdem ambitio tyrannorum, quæ iam maiorem partem terrarum ipsius ecclesiæ temerarijs ausibus occupauit, & ad occupandum residuas studia erigit, intendit & curas: propter quod necessario expedit præfati legati nedum non differre, sed accelerare discessum. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis xv. id. augusti anno 1.*

Castellæ Rex illũ sibi eripi dolet.

c To. 1 ep. secr. pag. 162.

Meminere de eadem legatione Ægidio Cardinali imposita, plures historici d huius temporis: inter quos M.S. Vaticani auctor e hęc habet: *Hic ordinauit & transmisit anno primo suæ coronationis D. Ægidium Hispanum Cardinalem in legatum ex latere in Italia ad recuperandum dictas prouincias & terras & iura ecclesiæ occupata per tyrannides: quod & factum est manu potenti per dictum dominum Cardinalem infra quatuor annos cum multis laboribus & expensis thesauri ecclesiæ.*

d Matth. Vill. l. 3. c. 84. Vita Nic. Laur. c. 18.

e M.S. bib. Vat. sig. n. 2040. & aliud sign. n. 3762.

2. Floruisse Ægidium, antequam se clero aggregaret, equestri gloria, tradit Nicolai Laurentij vitæ auctor f. Extant Innocentij literæ g, quibus arduum hoc munus illi demandatum est, vt enascentes nimirum hæreses præfocaret, coerceret scelerum licentiam, sacerdotalem splendorem restitueret, instauraret diuini cultus maiestatem, bella componeret, subueniret miseris, animarumque salutem promoueret: cuius diplomatis potiorem partem subijcio.

f Vita Nic. c. 18.

g An. 1. l. 1. p. 1. ep. 1. regestis legatio nis Ægidij Card.

Innocentius, &c. dilecto filio Ægidio tit. S. Clementis presbytero Cardinali A. S. L.

Licet nos, qui quamquam immeriti vicibus huiusmodi [nempe Christi] fungimur, pro vniuerso populo Christiano, cuius curam gerimus, pacis & status prosperi cogitationes assidue meditari, & ad hoc (prout Altissimus nobis de sua pietate concessit) manus operatrices apponere teneamur; tamen dum anxie cogitamus statum tam Lombardiæ quam Tusciæ partium, ac nonnullarum prouinciarum & terrarum circumadiacentium, & præsertim ecclesię Romanæ mediate & immediate subiectarum, quas inueterata dissensio longis, proh dolor! retro continuatis temporibus plurimum lacessiuit, & quas guerrarum turbines exposuerunt animarum periculis, & personarum ac rerum dispendijs infinitis; quodque propter hoc neglectus cultus diuinus, ecclesiarum & locorum ecclesiasticorum iura violenta direptione in prædam posita, libertas ecclesiastica conculcata fuerunt, & (quod deflendum est potius & dolendum) pullularunt schismata, & insurrexerunt hæreses contra catholicæ fidei puritatem; & quod, quamuis status huiusmodi fuerit in nonnullis locis dictarum prouinciarum, partium, & terrarum aliqualiter tranquillatus, nihilominus tamen inter multos magnates & nobiles, vniuersitates ciuitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, partium, prouinciarum, & terrarum earundem solitæ dissensionis fomes & rancorum seminaria remanserunt, ex quibus noscuntur præmissa & alia grauia non facile numeranda pericula animarum & corporum, facultatum lapsus, & multa dispendia prouenire; dum præmissa præsentantur nostris obtutibus, anxiamur immense, cogitationibus profundis immergimur, ac zelus noster velut ignis charitatis paternæ in nostris meditationibus exardescit, pro prædictarum partium, prouinciarum, & terrarum, quas plenitudine dilectionis paternæ prosequimur, statu dirigendo salubriter, ac pace, concordia, & vnione in eis perfecte (auctore Domino) reformandis, vt incolæ partium, prouinciarum, & terrarum earundem effecti vnanimes & concordes, ac bono pacis, quod omnia alia bona superat, perfruentes pro statu eorum dirigendo salubriter, ac honore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ defensando insurgant tam zelo fidei, quam deuotionis feruore viriliter & potenter.

Pontificiũ de Ægidij legatione diploma.

Ob quas causas ei fuerit demandata.

Nos vero diligentius attendentes, quod propter magna & ardua, quæ nobis in partibus citramontanis incumbunt, ad partes illas, vbi mente sumus, accedere personaliter pro huiusmodi nostro exequendo desiderio non valeamus; & quod personam tuam gratiarum dator Altissimus scientiæ magnitudine, industriæ claritate, & alijs multis virtutibus insigniuit; ad te, in cuius affectu geritur pacificare discordes & virtutum seminaria serere, nostrum intuitum, vt fortem opere & sermone mittamus ad fortia, & tuis robustis humeris onera grandia imponamus, duximus dirigendum. Ideoque gerentes de tuis claris meritis & virtuosis operibus fiduciam in Domino specialem, quamuis nos & fratres nostri tanti viri præsentia nobis & ecclesiæ Romanæ necessaria & perutili careamus inuiti; tamen propter vrgen-

tem

tem & euidentem necessitatem partium, prouinciarum, & terrarum prædictarum, quibus speramus per tuam prouidentiam circumspectam, illo tibi auxiliante qui potest omnia, in præmissis salubriter consuli & vtiliter subueniri, te tanquam pacis angelum ad dictas partes, videlicet Lombardiæ, ac Aquileiensem & Gradensem patriarchatus, ac Mediolanensem, Rauennatensem, Ianuensem, Pisanum, Spalatensem, Ragusinum, Antibarensem, & Iadrensem archiepiscopatus eorumque prouincias, ac Papiensem, Placentinam, Ferrariensem, Perusinam, Vrbeueranam, Tuderrinam, Reatinam, Interamnensem, Narniensem, & Castellanam ciuitates & diœceses; nec non Tusciæ, marchiæ Teruisinæ prouincias, ac terras ecclesiæ Romanæ, videlicet marcham Anconitanam, Massam Trabariam, ciuitatem Vrbinatem eiusque diœcesim & districtum, Romandiolam, ducatum Spoletanum, Sabiniam, patrimonium B. Petri in Tuscia, Campaniam, Maritimam & alias circumadiacetes partes & terras eidem ecclesiæ mediate vel immediate subiectas, infra tuæ legationis terminos constitutas, excepto regno Siciliæ, & Sardiniæ & Corsicæ insulas, tibi in eisdem partibus & prouincijs ac terris, ciuitatibus & diœcesibus vices nostras ac plenæ legationis officium committendo; vt in eis euellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, ac statuas salubriter in nomine Domini, prout tibi gratiæ cœlestis infusio, & tua etiam prouidentia ministrabit, de dictorum fratrum nostrorum consilio destinamus, vt in prædictis proxime nominatis partibus, prouincijs, terris, ciuitatibus, & diœcesibus & insulis inter ecclesiasticas mundanasue personas, duces, principes, marchiones, comites, & nobiles, communitates, vniuersitates, ac populos ac alios vniuersos & singulos discordes bonum pacis studeas reformare, ac concordes in fraternæ dilectionis glutino conseruare; & nihilominus agere & tractare quæcumque ad cultum Dei & exaltationem catholicæ fidei, Apostolicę sedis honorem obseruantiam ecclesiasticæ sanctionis, & ad redintegrationem ecclesiasticæ libertatis, honestatis & morum cultum, releuationem ecclesiarum & locorum ecclesiasticorum & pauperum salutem, animarum tranquillitatem, corporum ac rerum statu prosperi partium, prouinciarum ac terrarum, ciuitatum, diœcesum, & insularum prædictarum quomodolibet pertinebunt.

Et in quibus prouincijs.

Et vt huiusmodi commissum tibi legationis officium ad nostrum & Apostolicæ sedis honorem, & commodum & tranquillitatem & pacem incolarum partium earundem, & præsertim terrarum & locorum nobis & eidem Romanæ ecclesiæ subiectorum in eisdem partibus consistentium, eo vtilius & efficacius iuxta cor nostrum gerere valeas, quo maioris prærogatiuæ fauoris & gratiæ fueris communitus, te zelatorem pacis, amatorem iustitiæ, ac veritatis amicum, & in arduis negotijs clara fidelitate probatum, reformatorem partium prouinciarum, terrarum, ciuitatum, diœcesum & insularum prædictarum in spiritualibus & temporalibus tenore præsentium specialiter ordinamus, &c.] Amplissima instruit auctoritate, vt eos, qui cōtra illius tenderent impetia, censuris percelleret, solutis omnibus prærogatiuis, quibus se fultos contenderent. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* 11. *kal. iuly anno* 1. Tributa etiam illi est alio diplomate [a] vniuersæ ditionis ecclesiasticæ administrationum amplissimis prærogatiuis [a], vt dignitatem tueretur instructus, de quibus regestum extat; interque alia potestas illi collata vt redeuntes ad obsequium censuris absolueret: pontificij enim erat consilij [b] prius mansuetudine rebelles allicere, quam ad pertinaciam obterendam armorum vim experiri. Eundem vero legatum commendauit Italiæ magnatibus [c] Ioanni archiepiscopo Mediolanensi, Canigrandi Veronensi, Aldobrandino Atestino, Ioanni Montisferratensi, Iacobo Taurinensi, Francisco & Iacobo Carrarijs Patauinis, Andreæ Dandulo Venetorum ac Ioanni Valentio Genuensium ducibus, rum insignibus populis Florentinis, Pisanis, Senensibus, Perusinis, quibus eadem verborum forma conceptæ transmissæ sunt literæ [d].

Eiusdem legati encomia.

a Eod. reg. ep. 2. extat etiam in bullar. in Inn. c. VI. const. 1.

a Ib. vsq; ad ep. 82. & an. 2. l. 2. ep. can. 35. & 38.
b To. 1. ep. secr. pag. 167.
c Ibid. pag. 102.

3 Valuere plurimum pontificiæ preces apud hos populos, ac principes: Ægidius enim legationis munus ex apostolico imperio obitnrus, cum in Insubriam venisset, a Ioanne archiepiscopo Mediolanensi magnis beneuolentiæ significationibus exceptus est largo sumptu ac magnifico apparatu; qua in re Pontifex postea illius magnificentiam laudauit [e]: quamquam ipse Ioannes, vt scribit Mattheus Villanus [f], legatum Bononiam ingredi non est passus, ne illius præsentia nouas res afferret, ciuesq; ad libertatis spes excitaret. Quocirca legatus Pisanum iter tenuit, atque vndecima octobris die Florentiam peruenit; quem Florentini solemni pompa obuiam effusi instructo agmine religioso ingenti populi acclamatione, festo campanarum clangore, prætenso eius capiti prædiuite vmbraculo, ac nobilissimis ciuibus fræna equi tenentibus, honorifice in paratā ædem deduxere: donarunt muneribus; deniq; discedenti centū quinquaginta equites auxiliares cōcessere, quę describit Villanus [g]. Contulisse illū se in patrimoniū B. Petri, docet Nicolai Laurentij vitæ auctor [h]: ad quod antequam accederet, increbrescente eius aduentus fama, debilitari cœpisse Ioannis e Vico potentiam, ostendunt pontificiæ literæ ad legatum ij sum XIV. kal. sept. datæ: *De patrimonio B. Petri in Tuscia, plures*, inquit Innocentius, *nobis noua felicia referunt; ex quibus, si vera sint, verisimiliter credimus, ac speramus in B. Petro Apostolorum principe, quod ille inimicus Dei, & ecclesiæ suæ sanctæ continuus persecutor Ioannes de Vico, qui se præfectum Vrbis appellat, sub potenti manu ipsius ecclesiæ cito humiliatus & domitus conteretur.* Suggessit etiam alijs literis III. non. septembris exaratis easdem spes, quibus sequenti anno felices exitus consensere.

d Ib. pag. 149. & regest. post eand. ep. Maximis honorib. vbique excipitur.

e Ib. pag. 102.
f Matth. Vill. l. 3. c. 84.

g Eod. c. 84
h Vita Nic. Laur. c. 18.

Venienti in Patrimonium legato Montisflasconis, Aquæpendentis, & Volsinij arces se dedidere, vt refert Nicolai Laurentij gestorum auctor [i]. A quibus non dissentit Innocentij vitæ scriptor [l], qui tristem ditionis ecclesiasticæ ob Pontificum absentiam laniatæ imaginem ita depingit: *Cum ad partes prædictas peruenisset, non inuenerat in omnibus terris & dominijs dictæ ecclesiæ loca sub regimine eius consistentia, in quibus caput suum posset tute reclinare, nisi in patrimonij prouincia locum & castrum Montisflasconis, & in ducatu Spoletano locum de Montefalco: sed ab inde per Dei gratiam successiuis temporibus satis dilatauit fimbrias suas, prout ex sequentibus apparebit.* Occuparat tyrannus Ioannes e Vico Interamnam, Ameliam, Narniam, Vrbemueterem, Viterbium, Martam & Caminum, atque etiam Perusium ad defectionem vrgebat [m], cuius nefarijs consilijs ciuium fauebat dissensio. Ad quam

i Vita Nicol. Laur. super c. 18.
l Gesta tom. VI. apud Bosq.
Depressus ecclesiasticæ ditionis status.

Quas vrbes a Ioanne e Vico occuparet.
m Vita Nicol. Laur. super c. 18.

lo-

sopiendam Innocentius Perusinos hortatus est a, propositis ingentibus malis, quæ intestina discordia pareret, vt florentissimas vrbes redegisset in cineres, vtque mutua concordia ciuium ipsas ad magnum decus & splendorem adduxisset.

Perusini dissidijs laborant. a To.1.ep. secr.pag. 192.

4 Nec Perusij modo tentandi ciuium discordia, verum etiam Romanæ Vrbis affectandæ iniecerat Ioanni e Vico occasionem Romanorum dissensio, qui in Bertoldum Vrsinum comitem, ac Stephanellum Columnam senatores concitata seditione b ob annonæ caritatem, quam non sine auaritiæ nota ingrauescere erant passi, Bertoldum saxis oppressere mense februario. Stephanellus autem popularem furorem ex aduersa ædium parte egressus, mutato cultu & capite obuoluto elusit. Exinde grauiores in Vrbe discordiæ exortæ c, viris principibus Sabellis, Vrsinis, & Colomnensibus inter se digladiantibus: ciuiumque suorum sanguine Roma imbuta est. Nonnullos porro coniurasse in patriam, vt Ioannis e Vico tyrannidi illam subijcerent, docet Innocentius, qui Romanos officij monuit d ac pietatis in patriam, ne illi seruitutis teterrimæ iugum imponerent.

Bertoldus senator Romæ saxis obruitur. b Matth. Vill. l.3.c. 5. et vita Nic.Laur. anon.c.18. Periclitatur Roma c Matth. Vill.l.3.c. 78. d To.1.ep. secr.pag. 171.

Innocentius, &c. dilectis filijs populo Romano.

Nostis quod post innumera exhortationes & monita, quibus eadem ecclesia erga filium belial publicum Dei & ipsius ecclesiæ inimicum, & hostem vestrum etiam manifestum Ioannem de Vico, qui se præfectum Vrbis appellat, vsa est studio piæ matris; & quæ ipse obstinatus in malo damnabiliter omnino contempsit, etiam & contemnit. Nos, eius vlterius dissimulare nequitiam nequeuntes, ad radicem non solum infructuosæ, sed pestilentis arboris securim potestatis apostolicæ duximus apponendam. Nec latere vos credimus, qualiter idem Dei & ecclesiæ prædictorum ac vester hostis & æmulus, videns se sub virga non persequentis, sed castigantis ecclesiæ ruinæ proximum & vicinum; ac perire potius eligens quam saluari, superba ceruice ad dolosas & fraudulentas artes, quibus ab annis teneris suam dedicauit ætatem, conuertit se: ac etiam quosdam ex nobilibus conciuibus vestris adeo concitauit, quod ipsi beneficiorum ab eadem ecclesia perceptorum immemores, patriæ, pro qua concinis ille vester Cato pugnandum iubet, persecutores effecti, cum memorato Ioanne consilijs & tractatibus multis præhabitis ad vestrum & ipsius ciuitatis exterminium aspirantes, præfatæ ciuitatis vsurpare dominium tentauerunt, vt in vobis soli tam possint exercere tyrannidem, & ecclesiæ memoratæ negotia, quæ vestra quoque sunt sicut specialium filiorum ipsius, & quæ per meritum B. Petri Apostolorum principis felix principium habent & feliciorem, Dei fauente, sunt exitum habitura, possint per excogitatas nequitias impedire. Et ideo licet vos Ioannis & conciuium prædictorum cognoscentes plane ac plene venena latentia, admonitione circa hoc minime indigere credamus; quia tamen amor est res timoris plena soliciti, nos ex affectu charitatis, quam ad vos gerimus, ad cautelæ suffragium præmuniendos esse decreuimus, &c.] Addit preces, vt improborum consilia eludant, neque eorum artibus subornari se atque in periculum conijci patiantur. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* VIII. *kal. septembris anno* 1.

Corrupti a Ioanne e Vico plures Romani.

Alij aduersus eius fraudes præmuniti.

5 Dum ad reprimendam Ioannis e Vico, quam in Vrbe confirmare nonnulli factiosi annitebantur, tyrannidem Pontifex incumbebat, nouus tyrannus Franciscus Baroncellus ex obscuro genere, arte scriba senatus, conciliatis sibi ingentibus promissis ciuibus, ac spe restituendæ a se veteris libertatis ac dignitatis concitata, Vrbem oppressit, seque vocata concione populi tribunum secundum & consulem Romæ dixit: accepit a pro insignibus globum cælestem tænia oleaginea cinctum, in qua senatus populiq; Romani nomina descripta erant. Tum etiam plura in pontificiam auctoritatem nouauit b.

Baroncellus Romæ tribunatũ inuadit. a Matth. Vill.super c.78. b Eod c.78.

De ijs certior factus Pontifex ab Hugone Arpaionio apostolico internuntio, liberanda e carcere Nicolai Laurentij, qui pontificiæ dominationis asserendæ acerrimum defensorem se futurum pollicebatur, consilium iniit c, cuius opera tyrannos alios depressum iri sperabat, cum adhuc illius nomen magna apud plures gratia & laude floreret. Hæc enim ad Hugonem ipsum scripsit: *Circa hoc solicite remedia exquirentes, dilectum filium nobilem virum Nicolaum Laurentij militem Romanum ab omnibus pœnis & sententijs, quibus erat ligatus, absolui fecimus, & a vinculis liberum cito ad eandem Vrbem, dante Domino, remittemus: sperantes, quod ipse ex vexatione intellectum susceperit, & prioribus suis phantasticis nouitatibus omnino depositis, malignorum ipsorum iniquis & prauis conatibus per industriam & sagacitatem eius, quæ vtique magna est, ac populorum & nobilium plurium dictæ Vrbis quietam cupientium ducere vitam ac vtilitatem publicam, toti cupiditati & inordinatæ ac noxiæ affectioni quorumdam præponentium, assistentem fauorem præstante Domino, salubriter obuiabit, &c. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* XVIII. *kal. octobris anno* 1. Adduxerat secum Ægidius Cardinalis legatus in Italiam Nicolaum Laurentium, vt eius opera vteretur, cum in Italicis rebus ac Romanis præcipue versatissimus esset; honestæ tamen custodiæ commendatum: quem Pontifex a legato relaxari iussit d, ac Romania commendauit e: susceptamque ab eo Romanæ rei administrationem inferius visuri sumus. Interea Baroncellus eius imitator, cum mensibus quatuor tyrannidem exercuisset, populari gratia in odium versa, arrepta dignitatis insignia suo cruore fœdauit. Meminit de Baroncello Innocentius f in literis ad Ioannem archiepiscopum Mediolanensem kal. ianuarij insequentis anni datis.

Nicolaum Laurentium illi opponere decernit Pontifex. c To.1. ep. secr.pag. 188. Soluit eũ censuris & vinculis. d Eod.to.1. ep.secr. pag.186. e Ib.pag.78. Barõcell' trucidat'. f To.1.ep. secr.pag.1..

Accessit alijs tyrannis Monsregalis de Albsrno (vulgo Morealem vocant Italici scriptores) eques Rhodius, natione Prouincialis, qui ad Ægidium Cardinalem legatum se conferens, aduersus hostes ecclesiæ signis ascriptus egregia primũ bellica facinora explicuit: quem Pontifex, id ei gratulatus, ad constantiam est adhortatus g. Sed corrupit breui eas spes, quas de sua virtute bellica concitarat: rapinis enim atque effrænatæ licentiæ habenas laxare assuetus, literis plurimos sicarios, latrones, ac veteranos milites rapto viuere assuetos scelerum impunitate ac stipendiorum amplitudine pellexit h ad sua signa: factaque in Picenum irruptione prouinciam expilare ac diripere cœpit: primus socialium turmarum, quæ postea Italiam vniuersam & Gallias diutissime afflixerunt, infelicissimus ductor; quem demum diuinæ iustitiæ carnificis manu pœnas dantem visuri sumus. Nunc reliquas Italicas res prosequamur.

Mons regalis grassator insignis. Sub signis ecclesiæ stipendia facit. g To.1. ep. secr. pag. 189. Deficit ad hostẽ. Latronũ exercitũ conscribit Picenum vastat. h Matth. Vill. l.3.c. 81.

6 In Neapolitano regno Ludouicus Rex fœdabat iniustitiæ labe regium decus, vt iam caste-

Ludouic' Neap. Rex a iustitia deflectit.

non

non administraret, sed ad studia sua iustitię lancem inclinaret. Quem Innocentius grauissimis sententijs ad sua cuique iura seruanda hortatus est a: firmari iustitia Regum solia: ipsâ, ea spreta, diuinorum beneficiorum futurum vacuum: hac vna virtute abiecta, cęteras omnes abijci de ijs In ius vocatum iri ad Dei tribunal; deniq; honorem regium infici, ac male sustentari sceptra, si subditorum obsequijs iustitię recta administratio non respondeat. Tum hosce ad virtutē stimulos subdidit: *Considera fili, considera vtrum hac regia fama conueniant, vtrum honorem tuum deceant, expediant statui, congruant & saluti. Considera, quod sicut subditis tuis datus es caput, sic & ipsi facti sunt membra tibi. Considera, quod sicut impossibile est vt bene sit membris, quorum caput est languidum, ita nimirum impossibile est, vt male se habentibus membris, se habeat bene caput: quia, si hac dissensionis debita censura dijudices, eisdem subiectis multa patientibus compatieris vtique, ac ipsis dolentibus condolebis: sicque dolor & passio, quos senseris ipse cum illis, ad prouidendum tibi & eis promptius excitabunt, &c. Dat. Auin. non. decembris anno* 1.

a Reg. to. 1. ep. secr. pag. 134.

Instruxit pariter Innocentius salubribus monitis Reginam Ioannam b, atque ad humanæ vitæ incommoda ferenda Christiana constantia, pluribus adductis sacris oraculis exemplisque sanctorum, quorum virtutem & patientiam aduersa exercuere, excitauit.

b Ib. pag. 218.

Innocentius, &c. Ioanna Regina Siciliæ.

Apostolicæ ad Io. Reginā literæ.

7 Si rectæ considerationis indagine perscruteris cursum immundi vtique mundi huius, & fallacis eius statum instabilem diligenter attendas, occurret tibi lutulenter & plene, charissima filia, quod mundus ipse habitatores suos instar pelagi fluctuantis exagitat, & velus campus quidam certaminis conflictu pugnæ durioris exercet: quamuis etenim illis lætiorem interdum faciem mentiatur, & serenus quandoque videatur arrisor; infert tamen celata sub hilari vultu lugubria, & inter gratæ ac placidæ charitatis applausus immiscet nubila, & turbida subministrat, vt post prætensam felicitatis imaginem, & vmbram prosperitatis oblatam, sentiatur aduersitatis acrimonia succedentis amarius, & sequens durius perferatur calamitas euentuum sinistrorum. Verumtamen id aliter seculi, aliter Dei suscipiunt amatores: illi namque secundo applausu molles, & debiles flatu modicæ tempestatis simul cum deficiente felicitate deficiunt: his autem aduersa qualiber exercitationem propriam existimantes, & cum Apostolo sentientes, quod virtus in infirmitate perficitur, quo impelluntur ab impetu incursātis turbinis grauius, eo robustius stant, eo fortius inualescunt. Sic sic adolescens ille speciosus forma, & decorus aspectu, impudicæ fœminę deuicta malitia, solotus vinculis domui Pharaonis præficitur, byssina stola vestitur, & super terram Ægypti constituitur vniuersam. Sic sanctus Iob inter orientales locuples, & fœcunditate sobolis gloriosus, nudatus rebus omnibus, orbatus filijs, & ipsâ carne insuper flagellatus; non peccauit, nec stultum quid locutus est contra Deum: sed ipsius glorioso nomini benedicens, & bona & mala de manu eius animo æquo suscipiens amissa iam recipere meruit duplicata. Sic Susanna (iniquorum & voluptuosorum senum sententia falsa iusto iudicio pueri iunioris, cuius suscitauit Dominus spiritum) irritata erectis ad cælum oculis exclamans ad Deum impositi criminis pœnam lapidationis euasit. Sic etiam Anastasia gloriosa Christi martyr & virgo sæuitiam sacrilegi Publij illustris eius patrimonij abusoris, cui fuerat sociata coniugio, cuiusq; thorum declinauit infirmitate mentita, compressit. Sic etiam alij, quorum multitudo quam magna est, eiusdem mundi contemptis omnino blanditijs & terroribus superatis, in carne positi & mundo mortui habiti sunt, & habentur hoc in seculo memoria celebres, & vitæ possessionem adepti feliciter gloriantur æterne.

Monetur, vt humana pressuras constanter ferat.

Proposita illorum exempla, qui de aduersis triūpharunt.

Horum, filia, & his similium accendaris exemplo, vestigijs eorum inhæreas, imiteris actus, amplexeris & mores. Hæc dum exacti temporis felicitas deceptrix & fallax tentat animum, cor pulsat, titillat & mentem, recogites: hęc ad memoriam reuoces: hęc assidua tecum meditatione pertractes: & hæc ante oculos tuos ponens, sufferentiam habeas, & accincta fortitudinis robore mansuescas, spem in eo ponens, qui pro mansuetis terræ arguit; & in illo tuum iaciens cogitatum, qui eos erigit in salutem. Et quoniam, vt idem Iob ait, qui afflictus & humiliatus est, erit in gloria; tu quoque cum psalmista psallas & dicas: *Bonum mihi Domine, quoniam humiliasti me*. Licet enim tribulationes iustorum multæ sint, tamen de omnibus eis liberat ipsos Deus: & te etiam, & si tibi tribulationes multas & malas ostenderit, conuersus viuificabit, ac secundum multitudinem dolorum tuorum suis te lætificare consolationibus non postponet: immo miserationes eius, quæ super omnia opera eius sunt, super te quoque opus manuum eius erunt. Glorieris ergo cum eodem filia: glorieris in augustijs tuis, quæ te infirmitatum instar exercitant, vt in te inhabitet virtus Christi, sciens quod *tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem: spes vero non confundit*; vt cum B. Iacobo coapostolo eius exultans omne gaudium existimes, cum in tentationem incideris: quoniam qui suffert tentationem, beatus est, quia cum probatus fuerit coronam vitæ recipiet, quam Deus se diligentibus repromisit. Nos quoque ad te paternam charitatem habentes, proponimus in opportunitatibus tuis tibi apostolicis adesse fauoribus, & vota regia, quantum cum Deo poterimus, eo præstante benigna semper exauditione complete. *Datum Auin. xv. kal. decembris anno* 1.

Fallax humana felicitas.

Virtus contrarijs expolitur.

8 Dissiparat Ioanna regiæ Siculæ iura partim fœminea leuitate, partim vna cum viro Ludouico acerbitate temporum adducta, vt plures liberalitatis ostentatione promissisq; in asperis rebus sibi deuinciret; partim etiam clientum improbitate, qui rebellionem, ni placarentur muneribus, interminati dolo & vi plura extorserant. Cum vero exinde regia potentia admodum exinanita esset, ac regni sedis Apostolicæ fiduciarij maiestas defloresceret adeo, vt ad propulsandos hostes impar esset, iam ante Clemens iniquum reputans, vt priuati sua commoda ex publicæ rei exitio compararent, omnia regia iura quouis prætextu alienata ad Siculam coronam reuocauit, si annui vectigalis viginti vncias auri excederent. Cum vero illam Clementis VI. sanctionem varijs fucis tum Ludouicus & Ioanna, tum importuni homines ex regni spolijs priuatas opes cumulantes elusissent, Innocentius ad retinendum Siculæ coronę splendorem ob supremum in id regnum dominatum præsumptas a Ludouico & Ioanna donationes rescidit, eosdemque intentato anathemate, si deessent officio, alienata iura recuperare iussit, sub-

Siculę regiæ iura abalienata a Ioanna.

Rescissæ eius donationes a Clemente.

subiecto edicto a, tum etiam censuras ijs, qui accepta contra fas restituere detrectarent, obiecit.

a An. 1. Is p. 1 ep cur. 6.

Innocentius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Repetita ab Innoc. eadem de re decretum.

Nos, qui in eisdem regno [nempe Siciliæ] & terra directum dominium obtinemus, nolentes sicut nec velle debemus, tanta & tam euidentia regni & terræ prædictorum & Romanæ ecclesiæ dispendia conniuentibus oculis sustinere; sed potius volentes, vt tenemur, in tantorum periculi & necessitatis articulo super his salubriter prouidere, reuocationem, cassationem, irritationem, inhibitionem, ordinationes, decreta, præcepta seu mandata, pœnarum & sententiarum inflictiones per dictum prædecessorem super his (vt præmittitur) facta, & omnia in prædictis eius contenta literis, rata & grata habentes & etiam approbantes, omnes & singulas donationes, dationes, concessiones, infeudationes, venditiones, obligationes, assignationes, liberationes, exemptiones, priuilegia, & literas huiusmodi, & quoscumque contractus sub quocumque colore, titulo, modo, vel causa, & sub quacumque forma vel expressione verborum in præmissis vel de præmissis aut aliquo præmissorum vltra prædictam summam annui redditus viginti vnciarum, quomodocumque & qualitercumque tam ante quam post reuocationem prædictam quibuscumque personis tam clericis quam laicis, cuiuscumque præeminentiæ, status, vel conditionis existant, etiam si pontificali aut imperiali vel regia seu quauis alia dignitate præmineant, facta, concessa, seu habita, vtpote conditionibus, conuentionibus, statutis, ordinationibus, declarationibus, & consuetudinibus supradictis effectualiter obuiantia, ac contra libertatem hominum dicti regni, & in euidentem mutilationem feudi, & manifestum ecclesiæ ac honoris regij & regni præiudicium prædictorum facta; præsertim cum ex his regnum in suis facultatibus diminutum contra hostiles incursus & alios casus, qui possunt emergere, debilius & impotentius reddatur & fiat; auctoritate apostolica ex certa scientia de fratrum nostrorum consilio cassamus, irritamus, tollimus, reuocamus, & viribus totaliter vacuamus, ac irritos & inanes nulliusque roboris vel momenti fore decernimus & etiam declaramus. Et insuper iuramenta qualibet per dictos Ludouicum Regem & Ioannam Reginam vel eorum alterum de non reuocandis donationibus, dationibus, concessionibus, infeudationibus, venditionibus, obligationibus, assignationibus, & quibusuis alienationibus, absolutionibus, liberationibus, & contractibus huiusmodi, seu de non veniendo contra ea, quomodolibet præstita, nec non sacramenta fidelitatis & homagia, *et infra*, penitus relaxamus. *Et infra*.

Cæterum eisdem Ludouico Regi & Ioannæ Reginæ sub excommunicationis pœna, quam (nisi mandatis nostris paruerint cum effectu) præter nostram & Apostolicæ sedis indignationem incurrere volumus eo ipso, tenore præsentium districte præcipimus & mandamus, quatenus cassationem, irritationem, reuocationem, inhibitionem, præcepta, & decreta nostra prædicta realiter & cum effectu per se & alios obseruent, & studeant ac faciant ab alijs obseruari: & infra duos menses præfatum trium mensium terminum per nos, vt præmittitur, assignatum immediate sequentes (quos quidem duos menses eisdem Regi & Reginæ ad hoc pro peremptorio termino assignamus) ciuitates, castra, villas, loca, insulas, merum imperium, iurisdictionem, magistratus, iurarias, baiulatus, castellanias, custodias, officia, pensiones, prouisiones, seruitia, prouentus, & alia bona & iura prædicta, per eos vel alterum eorum (vt præmittitur) donata, data, concessa, infeudata, vendita, obligata, assignata, alienata, ad se & ad eorum regni curiam reuocare, dictaque priuilegia, literas, instrumenta, & alia munimenta recuperare teneantur. Et nihilominus eis & vtrique ipsorum districtius inhibemus, ne donationes, dationes, concessiones, venditiones, obligationes, assignationes, remissiones, liberationes, exemptiones, pensiones, vel prouisiones aliquas de ciuitatibus, castris, villis, locis, insulis, mero imperio, iurisdictione, magistratibus, iurarijs, baiulatibus, castellanijs, custodijs, officijs, collectis, prouentibus, alijsque bonis & iuribus supradictis vltra summam prædictam facere, aut super illis priuilegia vel literas concedere, aut contractus inire quoquo modo præsumant, excommunicationis sententiam eo ipso, si secus fecerint, incursuri, &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VI. idus maij anno I.*

Sicilia Reges obiecto anathemate regia iura distrahere vetiti.

9 Neque hoc loco prætereundum est Petrum Beneuentanum archiepiscopum Apostolicæ sedis internuntium vectigal annuum a Ludouico a Rege & Ioanna Regina alijsque fiduciarijs principibus exegisse. Illata b etiam in ærarium pontificium ab Aldobrandino, Nicolao, Fulcone, Hugone, & Alberto fratribus marchionibus Atestinis, qui Opizoni parenti in vicaria præfectura Ferrariensi successerant, sex aureorum millia: atque alia totidem a Ioanne archiepiscopo Mediolanensi c, obtenti ex concordiæ legibus, vt vidimus, a Clemente Papa Bononiensis principatus ad annos duodecim nomine soluta, recurrente natalitiorum Domini die, cum par auri vis sacro principum Apostolorum die pendenda esset: de qua persoluta extat syngrapha pontifitia. d

Exactum a fiduciarijs principibus vectigal.

a To. 1. ep. secr. pag. 85.

b Ib. pag. 205.

c Pag. 14.

Desuerat Petrus Rex Aragonum sedis Apostolicæ ob Sardiniæ & Corsicæ regna vectigalis soluendo duarum millium marcharum argenti iusti ponderis & formæ sterlingorum censui: postremo euolutis duobus annis, nec periurio modo verum anathemate ob violatam fidem se deuinxerat. Quem eo nomine Innocentius grauissimis hisce verbis officij admonuit e: *Nosti vel nosse debes, quod iuxta conuentiones habitas inter eundem ecclesiam & claræ memoriæ Iacobum Regem Sardiniæ & Corsicæ auum tuum, in concessione de regno Sardiniæ & Corsicæ dicto auo tuo, cui tu in eodem regno succedis, per ipsam ecclesiam dudum facta, teneris pro eodem regno ecclesiæ memoratæ soluere annuatim in festo Apostolorum Petri & Pauli in Romana curia censum duorum millium marcharum argenti bonorum & legalium sterlingorum: nec obliuioni dedisse te credimus, quod in festo huiusmodi venturo proximo effluxerint duo anni, per quos a solutione census ipsius, non sine graui ecclesiæ præfatæ grauamine, ac tuæ salutis & famæ præiudicio, cessauisti: cum præter periurij labem, quam contraxisti propterea, excommunicationis quoque sententia innodaris, &c.* Addit monita ac preces, vt vectigal illud quantocius exoluat. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VIII. kal. maij anno I.*

d Pag. 204. Aragonum officio deest.

e Pag. 84. Corripitur ab Innocentio.

Obstrictus etiam erat Petrus Rex Aragonum in-

intentata Sardiniæ & Corsicæ priuatione, ea regna singulis Pontificibus Romanis apostolicum solium conscensuris, euoluente se primo pontificatus anno accepta solemni ritu referre ex Bonifaciana coustitutions: atque ideo vt transfusa in se ab Alfonso & Iacobo iura assereret, cum iam ante Clementi VI. vt vidimus, præsens fiduciarij principis officia præstitisset, nunc oratores ad ea instauranda Innocentio VI. transmisit. Data ea prouincia ab ipso est Lupo Gurreæ & Bernardo de Cous, quos ad id munus, datis ad Pontificem subiectis literis a, Petrus ipse Rex auctoritate instruxit.

De clientelari sponsione ab eodem præstita.

a Ext. in lib privil. Rom eccl. to. 2. pag. 123. & in arca S. Angeli & inter collect. Plat. iussu Sixt. IV. collect. & in M.S. bib Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 71. Illius ea de re literæ.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo Patri & domino, domino Innocentio, diuina prouidentia sacrosancta Romana & vniuersalis ecclesia summo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, comesque Barchinonæ, Rossilionis & Ceritaniæ eius humilis filius & deuotus, pedum oscula beatorum.

Sanctitati vestræ literarum nostrarum serie pateat, quod nos solicite cogitantes, qualiter felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædecessor vester concessit & dedit illustrissimo domino Iacobo claræ memoriæ Regi Aragonum auo nostro, suisque heredibus in feudum perpetuum regnum Sardiniæ & Corsicæ cum iuribus & pertinentijs sub certo seruitio, certisque conditionibus conscriptis plenius in papali rescripto super huiusmodi concessions, & donatione confecto, tenorem qui sequitur continentem, *Bonifacius episcopus, &c.* [inseruntur Bonifacij VIII. literæ de traditis iure fiduciario Regibus Aragonum Sardinia & Corsica suo iam loco in annales a nobis relatæ b, quæ repetendæ non videntur, tum his subiungit Petrus Rex,] & attendentes quod nos, qui vt vniuersalis & legitimus heres serenissimi domini Regis Alfonsi filij & successoris dicti Regis Iacobi, recordationis inclytæ aui nostri, in dicto Sardinæ & Corsicæ regno eidem domino genitori nostro successimus, iuxta formam & conditiones in rescripto dictæ donationis contentas sanctissimo in Christo patri ac domino domino Benedicto diuina prouidentia eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifici prædecessori vestro homagium ligium, vasallagium plenum, & fidelitatis iuramentum, vt tenebamur personaliter præstitimus, & alia fecimus & compleuimus, quæ iuxta tenorem rescripti præinserti facere & complere tenebamur; prospicientes insuper, quod iuxta formam præinserti rescripti papalis ex quo semel personaliter prædicta homagium ligium, vasallagium plenum, & fidelitatis iuramentum præstitimus, alia ex tunc propter nouam successionem vestram vel alterius summi Pontificis in vita nostra concurrentia possumus per procuratorem seu procuratores nostros ad prædicta legitime constitutos sanctitati vestræ facere & præstare, ob quod iuxta formam præinserti rescripti sanctissimo in Christo patri ac domino domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici prædecessori vestro immediato, homagium ligium & vasallagium plenum, ac fidelitatis iuramentū per nostros speciales procuratores in noua sua creatione nos recolimus præstitisse; idcirco in noua creatione vestra volentes implere conditiones iam dictas, viso, lecto, & plenarie intellecto dicto papali rescripto donationis dicti regni Sardiniæ & Corsicæ supra inserto, Lupum de Gurrea & Bernardum de Cous milites consiliarios nostros, dilectos nuncios & procuratores nostros ad præstandum vice & nomine nostro vobis dicto domino summo Pontifici & Romanæ ecclesiæ homagium ligium, plenum vasallagium, & fidelitatis iuramentum pro dicto regno Sardiniæ & Corsicæ legitime constitutos, ad pedes sanctitatis vestræ prouidimus destinandos.

Dictæ a Bon. VIII. pactiones instaurate.

b Annal. to. XIV. ann. Chr. 1297. n. 1.

Missi ab eodē oratores ad nuncupādum sacramentum.

Propterea, sanctissime pater, has fieri literas patentes bulla nostra aurea bullatas, clementiæ vestræ per iam dictos procuratores nostros tradendas decreuimus, prout præinserti rescripti apostolici tenor inducit: per quas quidem nunc vt ex tunc modos, conuentiones, conditiones, tenorem, & formam in dicto papali rescripto conscriptos acceptamus expresse: & per quas etiam fatemur, & recognoscimus expresse dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ a dicto domino Papa Bonifacio & Romana ecclesia præfatum dominum Regem Iacobum pro se & successoribus suis heredibus recepisse in feudum sub conditionibus, conuentionibus, modo, & forma, atque tenore, quę in dicto eiusdem domini Papæ Bonifacij prædecessoris vestri rescripto continentur. Quos tenorem, modum, conuentiones, conditiones, & formam promittimus nos inuiolabiliter seruaturos. Pro quorum obseruantia, nos & dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ, iura, & bona nobis in eo competentia & competitura obligamus. *Dat. Valentiæ quinta die octobris anno a natiuitate Domini* MCCC. LIII. Perfunctos suis partibus oratores, ac iurasse in Pontificis verba, acceptasque liberalitate sedis Apostolicæ Sardiniæ & Corsicæ insulas professos, hoc nimirum extremo anno, refert Cardinalis Baronius a his verbis: *Anno Christi* MCCCLIII. *indictione* VI. *Petrus Rex Aragonum filius Alfonsi homagium fecit ipsi Papæ Innocentio de regno Sardiniæ & Corsicæ, sicut alij sui prædecessores egerant. Habetur libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ sub hoc anno.* Meminit etiam de oratoribus fidei sacramento Pontifici regio nomine deuinctis Surita b: ac plura de bello Genuenses inter ac Petrum Regem in Sardinia gesto addit.

Renouata sponsio de seruandis conuentis

a Baron. in M.S. notis ad hūc annum.

b Surit. l. 8 c. 54.

11 Exarsit illud funesta cōtagione Genuensis & Veneti belli: quod cum Clemens sopire anno superiori studeret, id apostolicis adhortationibus obtinuerat c, vt quæ inter Venetos & Genuenses controuersiæ intercedebant, conciliatæ essent: quæ vero Petrum Regem inter ac Genuenses enatę, componi non potuerunt, Genuensibus propositas a Clemente leges, cum Petro Rege in Sardiniæ re nimirum seruandas, repudiantibus. Inter quæ oppresso morte Clemente, Innocentius successor studia apostolica ad redintegrandam concordiam conuertit, ac Venetos & Genuenses, vt oratores pro ea componenda mitterent (ob Clementis enim mortem discordes abscessisse refert Matthæus Villanus d) solicitauit, pollicitus summa se contentione in id incubiturum. At Genuenses elati ob partas in oriente de Venetis, Aragonijs, & Græcis victorias magno rei Christianæ damno, nec minore suæ libertatis iactura, de pace cum Venetis interprete summo Pontifice agere detrectarunt: sed, vt maius accenderent bellum, Ludouicum Pannoniæ Regem infensum Venetis ob erepta ei plura in Dalmatia loca concitarunt e. Misit itaque ad Venetos Vngarus e oratores, qui vrbes ibi occupatas reposcerent, & recusantibus bellum indi-

c Eod. lib. c. 50.

Aragoni° Venetorū cum Genuensib° pacem disturbauit.

d Matth. Vill. l. 3. c. 54.

Genuenses ad bellum proni.

Vngarum concitant in Venetos.

e Super c. 54.

indicerent. Quibus auditis, Veneti Dalmatiæ arces milite, telis, commeatu, & opere muniuerunt a. Titillabat vero Genuenses ea spes, occupatis Vngarico bello Venetis, Sardiniam Regi Aragonum se erepturos, in qua Marianus Arboreæ regulus aperte defecerat, atque Aragonios insula depellere moliebatur. b

a Ead. cap.

b Surit. l. 8. annal. c. 50.

Sed contrarij successus spes inanes elusere: Veneti enim, missis oratoribus, Carolum Regem Romanorum solicitarunt c, vt Ludouicum Regem Vngariæ a bello inferendo abduceret: nec dissensit Vngarus, cum instiota illi bella aduersus infideles incumberent: eaque fefellit Genuenses expectatio, promiserat enim Vngarus in Dalmatiam cum exercitu se irrupturum, ac tum classem mari impositurі erant Genuenses, qui ob armorum societatem Vngarica insignia vexillis suis adiecere d. Concurrere e inter se aduersæ classes vigesima nona augusti die in sinu Calaritano, & qui pacem exoptauerant, & Christi vicario obtemperare se paratos præbuerant, ingentem ac pene incruentam victoriam retulere. De quo hæc habet M.S. Vatican. in Innocentio VI. f *Anno 1. sua coronationis die xxv. aug. Ianuenses fuerunt debellati in Sardinia in mari per Venetos & Catalanos, in quo bello dicti Ianuenses xxxiii. galeas perdiderunt & submersæ fuerunt cum hominibus.* Consentit his Corrusiorum historia g, ac subijcit: *Ex hoc triumphe non solum Veneti, sed Padua etiam exultauit, congaudens prosperis Venetorum. O inscia futurorum fortes, quid gloriaris in prosperis? Hæc decipiunt: aduersa instituunt. Summa infimis & infima summis aqua lance disponit Dei iudicium, quod non fallit.* Aragonij cum Venetis victoriam adepti exscensionem fecere in litus, ac regulum Arboreæ domituros bello ratі qua vi, qua deditione nonnullis captis arcibus Arboream petiere h: sed Marianus regulus Sardorum viribus succinctus obuius ijs occurrit, victoresque ingenti prælio fudit septembri mense: ad quem mox prona omnia fuere adeo, vt excepta arce Castri vniuersa insula Aragonios pepulerit: ac tum plures Genuenses bello capti e vinculis onasere: certatum deinde est maiori animorum ardore magna vtrinque cæde. Hæc igitur in Sardinia secuta post Genuensium cladem: qua accepta, Pontifex fusum in ea Christianum cruorem planxit, redintegrandæque pacis desiderio Petrum Thomam ordinis B. Mariæ de monte Carmelo religiosum virum sanctimonia gloria clarum ad Genuenses misit, vt ipsos ad pacem cum Venetis & Aragonijs adduceret: quos etiam, vbi pluribus magno ob acceptam cladem dolore affectum se ostendit, ad concordiæ admittenda consilia his literis est cohortatus. i

Veneti sibi Carolum Imp. conciliat.

c Matth. Vill. l. 3. c. 68.

Genuensium classis ingens.

d Ead. lib. c. 67.

e Ead. l. 3. c. 79. Cantac. l. 4. c. 32. Petrar. Foliet. l. 7. hist. Genuen. Zinar. de bello Ven. l. 2. Surit. l. 8. c. 52.

A Venetis & Aragonijs fusa.

f M.S. Vat. sign. n. 2040.

g Corrus. hist. l. 10. c. 7.

h Matth. Vill. l. 3. c. 80.

Marianus regulus Aragonios profligat in Sardinia.

Pōtificij pro pace redintegranda studia.

i Tom. 1. ep. secr. pag. 193.

Innocentius, &c. dilectis filijs, nobili viro Ioanni de Valente gubernatori, & communi ciuitatis Ianuensis.

11 Verebamur vtique, filij, verebamur quod accidit: verebamur ex vestra & charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Aragonum illustris, ac dilecti filij nobilis viri .. ducis Venetiarum amara discordia Christianæ gentis excidium, & effusionem cruoris timebamus humani, quæ discordia ipsa felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædecessoris nostri, nostrisque deinde laboribus, quos pro illa sedanda subiuimus, vacuatis effectu, intuebamur anxie imminere quasi præ foribus; & nunc, proh dolor! palpabiliter contigisse sentimus. Portulit siquidem ad nos multorum nobis amara & infesta relatio, quod nuper vestris, ac Regis & ducis prædictorum gentibus nauali prælio laborantibus inuicem, multos profundum absorbuit, multos gladius deuorauit. In quo, etsi detrimenta defleamus temporaliter populi Christiani; animarum tamen pericula potius & amarius deploramus. Et quamuis eisdem gentibus vestris minus dicatur prospere successisse, sperantes tamen, quod vos sicut viri prudentes & sapientes bona & mala de manu Domini, æquo suscipientes animo, sic vos ad aduersa & prospera præparaueritis, vt nec consternemini in illis, nec in his eleuemini; vniuersitatem vestram ex paternæ ac solitæ charitatis affectu monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, quatenus prudenter considerantes quot & quanta dispendia, pericula, & mala spiritualiter & temporaliter discordia ipsa, deflenda vtique, intulit; & quot, & quanta probabiliter & euidenter illatura, quod auertat Dominus, timetur consultius attendentes, bonum pacis, quod in se omnia bona continet, placide amplexemini, & ad concordiam cum Rege ac duce habendam eisdem inclinetis animum, disponasis & mentem, &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœces. iii. kal. octobris anno 1.*

Condolet Genuensiu cladi.

Iisdē consilia pacis suggerit.

12 Deiecti adeo sunt animis ex ea clade Genuenses, quippe qui vniuersas vires vnius certaminis aleæ exposuissent, vt cum antea Tyrrheno mari, Ægæo, ac ponto Euxino dominarentur, & vires cum Græcorum Imperatore ac Rege Aragonum conferrent, Ioannis archiepiscopi Mediolanensis seruituti Liguriam subiecerint a paucis exceptis, Monacho nimirum, Methone, ac Roccabruna, quę loca Carolus Grimaldus obtinebat. Præfectus est Genuæ ab archiepiscopo Ioanne Palauicinus, qui mox publicam rem capessiuit, exauctoratis Ioanne Valente prætore, qui reipublicæ præfuerat, atque alijs senatoribus. (errat Cantachuzenus b, qui Simonem Buccanigram collocat.) Quanto rei Genuensi, nominique Christiano fuisset consultius Dei vicarij lacrymosis precibus atque imperijs, vt pacem cum Venetis, arma in Turcas pro Christi domini tuenda gloria iungerent, obtemperasse? Cæterum Andreas Dandalus ac Veneti, tam pulchram & spectabilem consecuti victoriam, saluberrima pacis consilia amplecti recusarunt. Ponebat ipsis ob oculos Romanus Pontifex, quam dignum esset eorum celsitudine elatos coercere spiritus, referre gloriam diuino Numini, temperare bello In fideles, armaque contra Turcas conuertere, ut barbaricam sæuitiam ac licentiam reprimerent; & vt oratores ad sedem Apostolicam pro vniuersa sedanda discordia mitterent, hisce literis obsecrabat c.

Io. archiepisc. Mediolanensi se subijciunt.

a Corrus. hist. l. 10. c. 7. Cant. l. 4. c. 32. Matth. Vill. l. 3. c. 86 Foliet. l. 7. Bizar. l. 7.

b Cantac. l. 4 c. 30.

Sollicitati ab Innoc. Veneti ad pacis consilia.

c Tom. 1. ep. secr. pag. 194. b.

Innocentius, &c. dilecto filio nobili viro Andreæ Dandulo duci Venetiarum:

13 Licet gentibus ipsius Regis [nimirum Aragonum] ac tuis feliciter prospereque successisse dicatur, & per consecutionem victoriæ eum mundo sentientibus titulis dicti Regis & tuis honor videatur adauctus; credimus tamen, quod tu, sicut vir catholicus Deum timens, eidem Christiano populo in iactura tam graui compatiaris, & quod animus tuus nulla propterea elatione tentetur, in nullo protinus intumescat: immo speramus, quod eo potius & promptius disponatur ad pacem, quo huiusmodi a Deo victoriam in humilitate spiritus, vt confidimus, recognoscis. Sub huiusmodi itaque fiducia nobilitatem tuam monemus, requirimus

Monitione ex victoria superbiens.

& hortamur in Domino, illam attente rogantes, & per viscera misericordiæ Dei attentius obsecrantas, quatenus ea, quæ compendiose præmisimus, pura mente recogitans; & attente considerans, quantum ex discordia ipsa fauoris adimitur pusillo gregi dominico, populo scilicet Christiano partium orientis, quantumque illi discrimen imminet, dum persecutores eius infideles, pagani videlicet, intuentes eos, quorum potentia & virtute ipsorum reprimi consueuit audacia, inuicem diffidere, ac per hoc eundem populum consuetis auxilijs & præsidijs destitutum, captata opportunitate temporis, in ipsum immaniter sæuiunt, & licentet insurgunt; cum ipsis communi Ianuensi pacem & concordiam pro diuina, & nostra ac apostolicæ sedis reuerentia, & præmissorum intuitu benignus admittas, mittens ad sedem Apostolicam circa festum beati Andreæ Apostoli futurum aliquos viros probos, timentes Deum, & zelum pacis habentas, nuncios tuos, cum quibus plenam potestatem habentibus, conuenientibus etiam dictorum Regis & communis nuncijs, quos ad dictam sedem similiter conuocamus, huiusmodi (præstante Deo) ineatur pax, & concordia roboretur memor, quod ille verus victor est, qui pietate vincitur; & qui pietati seruit, vere dominus comprobatur. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis III. kal. octobris anno primo.*

Rogati vt consulant Christianis orientalibus.

Mittant paciscendæ concordiæ interpretes.

14 Excitatus etiam est alijs literis repetitis Petrus Rex Aragonum [a], vt paci assentiretur, quæ quidem non leues ei vtilitates erat allatura; qui enim mari vicerat, terrestri prælio deletus plura in Sardinia, vt dictũ est amiserat. Ioannes porro archiepiscopus Mediolanensis, qui sine pugna ac periculo, Venetis magnis antea cladibus affectis, obtritisque Ganuensibus, vniuersi belli præmia, Liguriam scilicet retulerat, correpta Genuensium clientela, oratores misit [b] ad Venetos, qui pacem rogarent, ac pollicerentur Genuenses in posterum Venetis fratrum loco futuros. Iis auditis Dandalus dux, vocato senatu, exitiale Christianæ fidei ac rei Venetæ periculosissimum consilium suscepit, scilicet non admittendæ pacis, sed bellum archiepiscopo inferendi; cui vertebat crimini, hostes Veneti nominis suo patrocinio texisse: ac mox vniuersa pene Italia & Germania ad armorum societatem sollicitata. Non tamen ideo defecit animo Christi vicarius, sed precibus & adhortationibus extremo anno repetitis, egit [c] apud Ioannem archiepiscopum Mediolanensem, Petrum Regem Aragonum, & Andream Dandalum ducam Venetorum, vt oratores pro concordia tractanda circa natalitia Domini ad pontificiam aulam mitterent: in eoque Innocentius sequenti anno contentione magna desudauit. Eadem de re meminit etiam Cortusiorum historia his verbis [d]: *Ioannes Vicecomes archiepiscopus Medialani quasi dominus totius Lombardiæ, acquisito dominio Ianuæ, per nobiles legatos rogauit pacem a Venetis denegatam. Hac de causa legati partium iuerunt Auinionem coram Papa in MCCCLIV. mense februarij.* Non respondit exitus pontificijs votis.

a Ib. pag. 194. & 195.

Postulantur de pace a Mediolanensi

b Matth. Villa. l. 3. c. 93.

Sumptum ab Andrea Dandalo exitiale consilium.

c To. 1. ep. secr. pag. 227. 228

Periculũ discutere nititur Pontifex.

d Cortus. hist. l. 10. c. 7.

15 Dedit præterea operam Innocentius ineunte pontificatu, vt funestum aliud bellum extingueret, quod diuturno tempore Francorum & Anglorum arma exercuerat, innumeraque rei Christianæ mala pepererat; missusque est Guido Cardinalis Portuensis episcopus [e], vt industria sua pacis consilia promoueret, fultusque auctoritate, vt pactiones fœderis a Regibus admissas, iisdem sacramento adactis, sanciret [a]; aduersas paci armorum coitiones rescinderet [b], & censuris quosuis contra tendentes nullo dignitatis discrimine perculleret [c].

Agitata ab eodem Gallum inter & Anglum pax.

e To. 1. ep. secr. pag. 22. et aul. ep. l. 2. cur 29. 30. 31.

a Ib. l. 2. ep. cur. 29.

b Ib. ep. cur 30.

c Ib. ep. cur 31.

Innocentius, &c. venerabili fratri Guidoni episcopo Portuensi.

Inter alia, quæ ministerio apostolicæ seruitutis nobis incumbunt, illud desideramus præcipue, vt inter charissimos in Christo filios nostros Ioannem Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres, sublata dissensionis materia, pax & concordia reformentur, vigeat tranquillitas, beatitudo quietis exuberet, ac status pacificus perseueret. Attendentes igitur, quod tu, qui vt potè feruidus præmissorum zelator ad partes regni Franciæ de nostro beneplacito accessisti, & inibi præsentialiter commoraris, ad reformationem pacis & concordiæ huiusmodi tuum feruenter studium interponis; desiderantes quoque vt, si eo faciente, qui salutis & pacis est auctor, tua nostræ conformis circa præmissa intentio votiuum sortiatur effectum, illa quæ fieri contigerit solida firmitate perdurent; fraternitati tuæ, de qua in his & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, confirmandi, approbandi, & ratificandi auctoritate apostolica tractatus & conuentiones huiusmodi pacis & concordiæ inter Reges prædictos, nec non principes, magnates, valitores, auxiliatores, & sequaces ipsorum ac adhærentes eisdem nihilominus, postquam huiusmodi tractatus & conuentiones auctore Domino facti, & a Regibus ac alijs supradictis sponte recepti & approbati fuerint, ab eis & eorum singulis de tractatibus et conuentionibus huiusmodi inuiolabiliter obseruandis pacta, iuramenta, et etiam submissiones recipiendi, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, plenam et liberam concedimus auctoritate prædicta tenore præsentium facultatem; non obstante si eisdem vel quibusuis alijs communiter vel diuisim a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam et de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis III. id. maij anno I.*

Plures etiam præsules pro ea pace componenda, ineundisue inducijs missos ab Innocentio Papa ad vtrumque Regem, refert M.S. Vaticani auctor [d]. Demum post varios labores Guido Cardinalis, assentiente Francorum Rege, agitauit cum Henrico comite Lancastriæ de ineunda concordiæ ratione; & vterque conuenit [e], vt constituta die Eduardus et Ioannes Reges suos oratores ad paciscenda fœdera mitterent: sed in longiora tempora subinde res extracta, ac postremo designata die, alterius Regis, nimirum Eduardi, oratores abfuere. Ac sugillat M.S. Vaticani auctor Gallum Regem, qui fœderis legibus Guidone interprete initis stare detrectarit: *Huius, inquit, tempore D. Guido Boloniensis Cardinalis de consensu Papæ & suo motu proprio iuit in Franciam suis expensis ad tractandum pacem cum dicto Rege & Eduardo Rege Angliæ: propter quem tractatum dux Burbonii pro parte Regis Franciæ cum alijs ambassiatoribus dicti Regis, dux Lancastriæ cum alijs ambassiatoribus pro parte Regis Angliæ venerunt Auinionem tempore Innocentij VI. anno coronationis suæ primo ad perficiendum ea, quæ ordinata erant*

d M.S. bib. Vat. sign. n. 2040.

e To. 2. ep. secr. pag. 129.

Varijs disturbata euentibus

e Super. M.S. 2040

per

per dictum dominum Cardinalem circa dictam pacem inter dictos Reges habendam: sed vltimate concordare non potuerunt, & discordes de curia dicti duces cum eorum ambassiatoribus ad eorum regna recesserunt: et hoc propter defectum Regis Franciæ partis, vt communiter dicebatur, ille tunc denegante ea, quæ erant tractata, scripta, & sigillata per ipsos, atque iurata in manibus & præsentia dicti domini Cardinalis de voluntate & assensu dicti Regis Franciæ, & sui consilij.. Quam funestas inde Ioannes Rex clades sibi pepererit, non dispari exitu quam cum illius pater Philippus pactas cum Anglis oratoribus concordiæ formulas reuocauit, ex quo Anglicum bellum exarsisse diximus, quo tot annis Gallia conflagrauit, videbitur inferius.

Ob rescissum, antequam coalesceret, huiusmodi fœdus magno dolore affectus Innocentius, componendæ pacis cupidissimus, Reges eorumque proceres, sanctioribus consilijs adhiberi solitos, iterum xv. id. iulij est cohortatus a, vt populorum quos bella attriuerant, misererentur; auerterent imminentia discrimina, & supremi Regis in pace curanda imitatores essent. Inscriptæ sunt Regi Francorum hac forma eæ literæ b.

a To. 1. ep. secr. pag. 129. 130. 130. 133. 134.
b Super pag. 129.

Innocentius, &c. Ioanni Regi Franciæ illustri.

Plangit Pontifex moras inn͡ecti.

Non sine graui displicentia & amaritudine intellecto, quod negotium ipsum, quod fini proximum credebamus, cuiusque celerem & laudabilem exitum expectabamus desiderijs anxijs, per prorogationes & terminos nociue nimium ac periculose differtur; & quod nuncij, qui in vltimo termino ac prorogationibus illius conuenire debuerant, non conuenerant; quodque treugæ, tempus sic breue initæ asseruntur, quod non poterit commode infra illud de pace tractari, dolenter audito; nos cupientes & desiderantes attentius inchoato negotio prosecutionem vtilem non deesse, ac sperantes, quod ille Rex pacificus, cuius in pace factus est locus, super tot tantisque afflictionibus, quot & quantis vtriusque regnorum ipsorum populos prætetitorum temporum calamitas fatigauit, pietate motus in huiusmodi tam anxiæ, tamque desiderabiliter concupitæ pacis negotio nostris & communibus eorundem fidelium Christi votis misericorditer condescendet; serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, ac per viscera misericordiæ suæ attentius obsecrantes, quatenus prudenter considerans, quod nil pulchrius relucet in Regibus, quam vt se pacificos verbo & opere, per quod Regis omnium redemptoria sortiuntur titulum, imitentur & actus, patenter ostendant; & diligenter attendens quot & quantis periculis obuiabis, quantaque populis ipsis maxime ac alijs pluribus bona prospicies, si pacis bonum benignus & pius (sicut de gratia diuina confidimus) amplexeris, animum tuum habilites ad concordiam & disponas ad pacem, &c.] Addit Raimundum Pelegrini Apostolicæ sedis internuntium, mitti, cui in ijs, quæ pontificio nomine aperiet, fidem adhibeat. *Dat. apud Villamnouam Auinienensis diœcesis xv. id. iulij anno 1.*

Populos innumeris malis obijci.

Monitus Ioannes Rex, vt dissidium anteuerteret.

Induciarum cum Ioanne Rege specie inuolutum bellum gerebat Eduardus, nonnullasque in Aquitania & Britannia arces dolo subegit, vt refert Matthæus Villanus c: quibus Gallus lacessitus Anglo apertum bellum mense maio indixit: sed Guido Cardinalis Boloniensis & alij præsules, inter quos apud Eduardum Simon archiepiscopus Eboracensis & Vvillelmus episcopus Norvvicensis ab Innocentio Papa adhibiti a, strenuam adeo in sopiendo bello operam nauarunt, vt induciæ redintegratæ fuerint: atque etiam, vt Pontifex magnis votis contenderat, Henricus Lanclastrius ab Eduardo, a Ioanne dux Borbonius missi ad sedem Apostolicam accesserint, vt pontificia opera pax firmaretur; qua de re hæc Innocentij vitæ scriptor b: *Præterea dictus Papa, desiderans pacis reformationem inter Reges Franciæ & Angliæ, circa ipsam tractandam & prosequendam intendere voluit in propria credens plus proficere, quam si per alios fieret. Etiam ab hoc operatus est, quod dicti Reges tunc ad ipsum hac de causa miserunt duces Borbonij & Lanclastriæ, qui aliquandiu super hoc secum fuerunt: sed post multa nihil factum est, quoad effectum, de quo agebatur & quærebatur*. Verum de his iterum anno insequenti.

Violatæ ab Anglis induciæ.
c Matth. Vill. l. 3. c. 66.

Postea redintegratæ.
a To. 1. ep. secr. pag. 88.
b Gesta Innoc VI apud Bosq.
Missi a Regibus ad Pont. oratores.

Restituendæ etiam Belgio publicæ concordiæ solicitus Pontifex, cum inter Ludouicum Flandriæ comitem & Margaretam comitissam Hanoniæ grauis dissensio exardesceret, Innocentius xvi. kal. maij Petrum episcopum Cameracensem Apostolicæ sedis internuntium plurima instructum auctoritate transmisit c. Mentio fit in additionibus apud Rebdorfium de controuersia inter ducem Brabantiæ ac Flandriæ comitem exorta, ac Vvilelmum ducem Hollandiæ comitissæ Hannoniæ filium delectum arbitrum: ipsumque ob insigne in ferenda sententia periurium diuinitus funesta morte affectum. Quod ad Flandriæ comitem attinet; is erat Regi Francorum addictissimus, eundemque Belgas ad Ioannis Regis obsequium adduxisse significat Meyerus d; atque etiam indicat Vvalsinghamus e Anglorum Regis partes abiecisse. Nondum vero illi anathematis & interdicti ecclesiastici pœnis, quibus ex veteribus Clementis V. edictis ob perduellionem se irretierant, erant soluti: ac se ob secutas Eduardi Regis Anglorum partes, qui ad ipsos, vt vidimus, alliciendos eludendaque edicta apostolica Francorum Regis nomen inuaserat, periurio deuinxisse, censurasque contraxisse fateri detrectabant. Innocentius autem eorum salutis cupidissimus Cameracensem ac Tornacensem episcopos dare operam iussit f, vt eos ad flagitandam ecclesiæ gratiam permouerent.

c To. 1. ep. secr. pag. 78.
Flandri & Brabanti dissident.
Hannonię arbitrum necgant.
d Meyer. annal. Fland. l. 13
e Vvalsin. in Eduar. III.
f To. 1. ep. secr. pag. 79.

Patrauit inter hæc atrox facinus Carolus Nauarræ Rex, ex quo magnis tumultibus Galliæ sunt confusæ: is enim Engolismensi comitatu a Francorum Rege socero donatus, vt illum contra Anglorum Regis potentiam defenderet, cum non nisi magnis sumptibus a finitimi hostis irruptionibus vindicari posse doleret, vt suo parceret ærario, illum Regi Ioanni restituerat, quem Rex Carolo Hispani generis magistro, equitum, viro fortissimo, contulit. Tum igitur Nauarrus Rex odio & inuidia incensus nouum comitem noctu dormientem cum sicarijs adortus ferro confodit: ex quo alijsque flagitijs Mali nomen sibi peperit, in ipsumque Ioannes Rex legibus agere constituit.

Nauarræ Regis crudele facinus.
Mali cognomen illi inditū.

16 Homicidæ Regi Nauarrę sceleribus par fuit Petrus Castellæ Rex, qui adulterijs & cædibus Hispanias fœdauit. Is antequam Blancam Philippi ducis Borbonij filiam, regio Gallorum sanguine satam, vxorem duceret, Mariæ Padilliæ amoribus irretitus adeo erat, vt moleste ad coniugem adductam e Gallijs accesserit: peractaque

Petrus Castellæ Rex inuitis præceps.

nuptiarum celebritate, Blancam deseruerit, quanquam Maria mater Regina atque Eleonora amita ipsum maximis precibus vrgebant, ne tanto dedecore regium nomen inficeret neue iusta Gallorum arma in se concitaret. Sed effrænatæ libidinis iuuenis Rex vesaniæ habenas laxauit, conculcatoque diuini Numinis metu, ad scortum, abiecta Regina, est reuersus. Cuius turpitudine audita Pontifex, regiæ salutis solicitus, Petrum officij coniugalis kal. maij admonuit a, ne auctorem coniugij Creatorem in male habenda coniuge iniuria afficeret; ac Mariam Reginam, vt filium ad frænandas diuinarum legum metu cupiditates perpelleret, hortatus est; tum Blancam Reginam viri gratiam captare, eiusque voluntatibus morem gerere iussit b. At Rex impudicus nec pontificijs, nec maternis nec principum suorum monitis flecti potuit: sed principes & præsules, qui sacta matrimonij iura tuenda suscepere, ferro flammaque insectatus est, indeque ciuili bello Castella conflagrauit. Ferunt c iniectam Petro magico carmine amentiam Iudæi opera ad Mariæ Padilliæ preces, cum zona, qua Petrus Rex a Regina donatus fuerat, quaque ob cultus elegantiam admodum oblectabatur, in draconis speciem mutata præcinctus visus esset.

a To. 5. ep. secr. pag. 89.
b Ead. pag.
c Innocen. vit. auct. apud Bosq. Marian. l. 16 c. 18. & alij.

17 Contrariam Petro crudeli clementiæ laudem tulit in Germania Carolus Romanorum ac Boemorum Rex, quem ingenti pretio liberasse vinculis Rupertum ducem Bauariæ in marchia Brandeburgensi a duce Saxoniæ captum, scribit Rebdorfius: additque d eundem Regem morum suauitate Germanos omnes tum proceres tum vrbium ciues, & populos sibi deuinxisse; ac publicam pacem & felicitatem, sopitis regia mansuetudine discordijs, adduxisse: extincto vero mense septembri socero Rodalpho duce Bauariæ plures vrbes suæ ditioni adiecisse. Cumque Moguntiam Moguntinorum lacrymosis precibus flexus accessisset, vt desolatæ nimirum Moguntinæ ecclesiæ consuleret, quam vastabat Henricus schismaticus exauctoratus, in Gerlacum archiepiscopũ ira frendens idem Henricus repentina morte ad diuinum tribunal raptus est: diabolicæ enim illius pertinaciæ humanæ pœnę pares esse non poterant. De quo hæc memoratus auctor e: *Eodem anno mense decembri idem Rex Moguntiam venit, cui populus & clerus ibidem cum vexillo Crucifixi occurrebant, petentes vindictam de Henrico quondam archiepiscopo Moguntino deposito, & domino Cunone de Falkenstein ipsius procuratore, qui multis grauaminibus in personis & rebus ipsos flagellabant: & sic Rege vna cum Gerlaco archiepiscopo Moguntino, a sede Apostolica promiso, cogitante de statu ecclesiæ & diœcesis Moguntinensis, ipse Henricus prædictus ex improuiso in vigilia natiuitatis Domini moritur.* Extincto illo, Carolus Rex restituendæ pacis studio Cunonem, qui tristes illius exitus, cuius scelera erat imitatus, perhorrescere potuit, breui cum Gerlaco archiepiscopo f conciliauit; vt nimirum, pacata vniuersa Germania, Italicam expeditionem felicius conficeret. Adeo vero Cuno ad Caroli gratiam aditus captauit, vt sacerdotijs amplissimis auctus fuerit, ac demum expiato antea rite superiori crimine, Treuirensem archiepiscopatum vita functo proximo anno Balduino, sublatoq; paulo post eius successore, consecutus sit.

d Rebdorf in annal.
Henricus olim Moguntin. archiep. subita morte sublatus.
e Id. ibid.
f Id. ibid.
Cuno cõciliatur ecclesiæ.

Non prætereundum de Carolo videtur, ipsum, accepto euecti ad pontificatum Innocentij nuntio, exaratis regia manu literis gratulatorijs, Pontificem cohortatum esse a, vt gubernacula ecclesiæ magna solicitudine ac diuini Numinis gloria moderaretur, animarumque saluti studeret: quod etiam officium præstitisse nouo Pontifici alios Reges, ostendunt Innocentij ad Ioannem Francorum b, Carolum Nauarræ c, Ludouicum Vngariæ d Reges, aliosque principes e datæ literæ. Quæ vero Romanorum & Boemorum Regi transmissæ, hac forma conceptæ sunt f.

a To. 3 ep. secr. pag. 122.
Gratulantur Innocentio de adepto Pontificatu Reges.
b Ib. pag. 18.
c Pag. 19.
d Pag. 127.
e Pag. sup. 19.
f Super pag. 122.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri salutem, &c.

Magnitudinis tuæ literas, regia manu scriptas, per quas nos ad salubrem gubernationem & curam vniuersalis ecclesiæ mira exhortatione ac filiali studio excitasti, benignitate ac affectione plenas recepimus: & inde tibi tanto vberiores gratias agimus, quanto filialem charitatem tuam erga nos per eas cognouimus ampliorem, dum absens corpore mente pręsens salutaribus consilijs nos informas. Itaque omnipotenti Deo deuotas & humiles preces effundimus, vt ipse, cuius vices (licet immeriti) gerimus, sic imperfectum supplere, sicque actus nostros dirigere in beneplacito suo pia miseratione dignetur, quod ecclesiam ipsam, ad sui laudem & gloriam, ac salutem populi Christiani, eo præstante, regere valeamus. De salute quoque tua, & prospero imperij tui statu soliciti reddimur; & eum, per quem viuis & regnas, vtinam sic vtiliter sicut efficaciter, propterea exoramus. Cęterum decreueramus sublimitati tuæ propria similiter manu rescribere, & prementis nos sarcinæ onera stylo domestico diffusius aperire: sed impediti præsentialiter id exequi non valemus. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis IV. id. iunij anno I.*

Pontificiũ responsũ ad Romanor. Regẽ.

18 Missi vero a Carolo ad Innocentium fuere repetiti oratores g, inter quos episcopus Vvratislauiensis fuit, de quibus meminere historici h Poloni: traduntque Carolum contendisse a Pontifice, vt Vvratislauiensem ecclesiam Pragensi subijceret: sed Casimirum Poloniæ Regem legatis ad sedem Apostolicam oratoribus obstitisse, cum ea ecclesia liberalitate Regum Polonorum vectigalibus instructa ac locupletata fuisset: quos etiam accessisse referunt, vt Innocentius Casimirum Regem in gratiam cum ecclesia, deletis venia eius criminibus, restitueret: is enim pluribus cladibus a Lithuanis infidelibus attritus, omnes eas calamitates diuino iudicio ob sacerdotem, a quo de coercendis impudicis cupiditatibus atque Adleyda Regina thoro restituenda admonitus fuerat, mersum flumine, & violatum ius ecclesiasticum tribuebat: ab eo namque tempore barbari, quos pluribus antea victorijs attriuerat, aucti animis ac secundis successibus extrema omnia intentabant: quos etiam hoc ipso anno Poloniam suis vexasse excursionibus, ac manubijs & spolijs onustos in Lithuaniam redijsse, narrat Michouias his verbis i.

g Ead. to. 1. ep. sec. pag. 47. & 120
h Mechou. l. 4. c. 19.
Polonus criminũ veniam poscit.
Acceptas a Lithuanis clades vltioni diuinæ tribuit.
i Ead. c. 19.

Lubardus dux Lithuaniæ secrete ad ciuitatem Haliciensem, quæ per Casimirum tenebatur, septima die iulij anno Domini MCCCLIII. perueniens, induciijs inter Regem Casimirum & Lithuanos iureiurando firmatis inique violatis, eam impugnauit, & magna multitudine ciuium atque mercatorum occisa, ciuitatem succendens, cum spolijs veloci fuga in Lithuaniam redijt: prædaque in tugurijs deposita, cum maioribus copijs versus Zamebok nona die septembris venit, & villas atque rura in quatuor milliaribus a singulis partibus consistentes spolijs, cæde, & igne vastauit; & antequam milites Polo-

Barbarorum excursiones in Poloniam.

uorum arma sumerent, raptam prædam in latibula Lithuanorum deduxit. Hæc mala propter scelera Regis Casimiri æstimantur prouenisse, maxime propter culpam in Christi dominos Bodzantham episcopum Cracouiensem & Martinum Barizkam patratam. Ad quam delendam anno præcedenti, scilicet MCCCLII. *Albricum cancellarium Dobrziuensem et plebanum Bochnensem Rex Casimirus ad Clementem VI. in Auinionem misit, simulque ne Vratislauiensis ecclesia a suo Gneznensi Metropolitano alienaretur: Carolus enim Romanorum & Boemiæ Rex, missis solemnibus nuncijs ad Papam, Pragensi archiepiscopo eam subijci deposcebat. Suscepitque ac sustulit, ac deuote Rex Casimirus omnes conditiones pænitentiæ iniunctas peregit.*

Intercedit Polonus, ne Vratislauia Gnesnensi archiep. cōtribuatur.

Iniunctā pœnitentiam rite obit.

Primum enim ius libertatis vniuersis villis ecclesiæ Cracouiensis reddidit, ecclesiamque Vislicensem quadra & polita petra sumptuoso opere, priori ecclesia humiles muros habente demolita, item ecclesiam S. Mariæ Sandomiriensem, item Stobnicensem, Szidlouicensem, in Zagosz, & in Gargouu ecclesias in satisfactionem sceleris & supplementum pænitentiæ pulchris muris formauit. Obtinuit etiam præfatus Albricus a summo Pontifice, vt per decimam quadriennalem vniuersus Poloniæ clerus contra subitos Lithuanorum insultus subueniret. Obtinuit etiam ne ecclesia Vratislauiensis a corpore Gneznensis metropolitico scinderetur, deducendo in consistorio apostolico euidentibus probationibus, a Regibus & ducibus Poloniæ eam fundatam & dotatam, prout superius dictum est. Sub eo quoque tempore Casimirus Rex Poloniæ, certo priuilegio ecclesiæ & diœcesi Cracouiensi concesso, omnes colonos & rusticos ad ducendum manipularem decimam ad loca per dominos decimarum electa perpetuo esse astrictos decreuit. Expiatis Christiana pœnitentia culpis, Casimirus vires aduersus infidelium Lithuanorum potentiam collegit, eorumque contudit ferociam, vt suis locis inferius narrabimus. Nunc addimus, Pontificem sequenti anno decumis ecclesiasticis eundem Casimirum instruxisse a, vt facilius bellicos sumptus toleraret.

Conditæ ab eo ecclesiæ.

Restitutū ius sacerdotale.

Polono decumæ in barbaros concessæ.

a To. 1. ep. secr. pag. 211.

19 Interea cum insolesceret in dies Turcarum barbaries ex Christianorum insanis dissensionibus, Dei vicarius, vt orientalibus oris consuleret, sacras ecclesiarum opes ad fidem defendendam deriuandas censuit, nonnullisque in regnis triennales decumas indixit. Extat ea de re subiectum diploma b, in quo, vbi nonnulla de fœdere a Clemente VI. cum Venetis, Rhodijs equitibus, & Rege Cyprio in Turcas inito, deinde ad biennium extracto, est præfatus, has causas imperati ecclesiastici vectigalis adiungit.

Imperate pro sacro in Turcas bello decumæ.

b Eod. to. 1. ep. secr. pag. 236.

Innocentius &c. ad futuram rei memoriam.

Licet huiusmodi negotium [scilicet Smyrnense] fauente Deo, cuius est proprie proprium, satis hucusque successus felices habuerit; tamen Turcorum ipsorum furor immanis, & hostilis persecutio compesci adeo nequiuerunt, quin fideles ipsos solitis incommodis & damnis afficiant, pressuris satient, lacessant iniurijs, grauent molestijs, angustijs atterant, & temporaliter ac spiritualiter intolerabilibus detrimentis affligant, satagentes assidue loca partium earumdem, quæ pusillus grex Domini, populus scilicet Christianus inhabitat, & præcipue ciuitatem Smyrnarum (pro qua de infidelium ipsorum sæuis eripienda manibus, & ab ea gentilitatis errorum abolendo contagio tantum Christiani sanguinis fuit effusum) eorum tyrannicæ subijcere potestati, vt laudantium Dominum pia exinde religione deleta, colendus ibidem inferatur abominabilis Machometus. Quæ nos anxie cogitantes, & super eis compatientes ab intimis fidelibus anteclatis; & attendentes, quod ipsis aduersus Turcorum eorundem effrænem audaciam, & audacem insaniam necessariæ protectionis & defensionis impendenda præsidia, & quod insuper recuperationi & custodiæ terrarum ipsius ecclesiæ, quarum magnam partem tyrannica sibi subiecit ambitio, & residuas subijcere tentat, quibus deesse non possumus, prout nec intendimus nec debemus, sufficere nō possimus per nos ipsos pro eo, quod camera nostra, quæ in proprijs est admodum attenuata redditibus, aliorumque negotiorum emergentium vndique sarcina & ineuitabilium sumptuum onere prægrauata; ac dignum reputantes & æquum, quod eadem ecclesia in suis & eorumdem fidelium necessitatibus ab ecclesijs alijs, quibus eam fundator eius Iesus Christus in dominam prælegit & matrem, sentiat releuamen; consulta cum fratribus nostris ipsius ecclesiæ Cardinalibus super huiusmodi habita deliberatione matura, de ipsorum consilio decimam omniū ecclesiasticorum prouentuum, duximus exigendam per tres annos continuos a venerabilibus fratribus nostris Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, Viennensi, Lugdunensi, Tarantsiensi, Bisuntino, Treuirensi, Duracensi, Parracensi, Cretensi, Corinthiensi, Corphiensi, Thebano, Atheniensi, Neopacensi, Neopatriæ, Nixiensi, Feiselensi, Colossensi, & Nicosiensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis & alijs personis ecclesiasticis secularibus & regularibus, &c. *Dat. Auin. kal. decembris pontificatus nostri anno* 1.

Smyrna in discrimē a Turcis coniecta.

Eorundē in Christianos grassationes.

Ad muniendam commeatu Smyrnam Pontifex duas naues suis ac fœderatorum principum sumptibus frumento onustas, tum ad sustendandum in arce Smyrnensi præsidiarium militem stipendia submisit a, Andreamque Dandalum Venetorum ducem, Deodatum Gosonium Rhodiorum equitum magistrum, atque Hugonem Cypri Regem sacri in Turcas fœderis socios solicitauit, vt parem auri vim singuli conferrent b: docuitque quanto discrimini Smyrna exposita esset, quantumue ex illius expugnatione dedecus ac damnum in Christianum nomen redundaturū esset.

a Ib. ep. secr. pag. 214.

Rogati socij ad subsidia conferenda.

b Ib. pag. 213.

20 Coniecti quoque in tantas a Turcis angustias erant Philadelphij Asiæ populi, vt missis ad sedem Apostolicam oratoribus, Innocentio Papæ Philadelphiæ principatum contra Turcarum barbariem atque assiduas irruptiones asserendum obtulerint. Excepti fuere humanissime, atque a Pontifice responsum datum, ipsorum clientelam contra effrænatos Turcarum impetus susceptum iri: sed cum multo amplius ipsorum animabus, quam corporibus esse consulendum, ad schisma damnandum ipsos prouocauit c: comparata enim diuina gratia, ac restituto religionis splendore, felicius hostem fidei propulsandum.

Philadelphiorum ad sedem Apost. legatio.

c Eod. to. 1. ep. secr. pag. 26.

Clero & populo ciuitatis Philadelphiæ veram fidem agnoscere, & agnitam custodire.

Felicis recordationis Clemente Papa VI. prædecessore nostro adhuc in humanis agente, venerunt ad sedem Apostolicam Emanuel Magula referendarius ecclesiæ Philadelphiæ, & nobilis vir Emmanuel Theodorucanus miles Philadelphiæ, nuntij & ambassatores vestri; & hostilibus persecutionibus ac impugnationibus grauibus, quibus infidelium Turcorum nefanda crudelitas & sæua impietas vos incessanter afflixerant, & inhumaniter affligebāt, insinuatione prouida recen-

stis, eidem prædecessori humiliter & lachrymabiliter supplicarunt, vt ipse ad vos pietatis suæ viscera clementer apetiens, aduersus eorundem Turcorum sæuitiam vobis opem ferre salutaris auxilij dignaretur; offerentes pro parte vestra eidem prædecessori, quod vos ciuitatem vestram, nec non castra, fortalitia ciuitatis ipsius, & alia quæ possidetis, ac vos ipsos quoad temporalia subijceretis & daretis eidem prædecessori & sanctæ Romanæ ac vniuersali ecclesiæ in perpetuum iure dominij; & quod illi vel illis, quem vel quos idem prædecessor deputaret ad id, prædecessoris & ecclesiæ prædictorum nomine in huiusmodi temporalibus pareretis. Idem vero prædecessor huiusmodi miserabili & calamitoso statu vestro non sine affectu multæ compassionis audito, cogitabat anxie qualiter vobis non solum temporaliter, sed & spiritualiter etiam subueniret, vt iniquis Turcorum ipsorum conatibus in virtute Domini superatis, & abdicatis erroribus, quibus antiquum schisma vos a gremio ipsius ecclesiæ, extra quam nulli est gratia, nulli salus (seducente illo, qui primum schisma suscitarat in cælo) fecerat alienos, sicut temporalibus adiuti suffragijs triumpharetis de temporalibus hostibus, sic readunati spiritualiter fidelium cœtui, & velut pecudum more vagantes in caulam Domini, ipsam scilicet ecclesiam congregati, æternos cruciatus etiam nesciretis. Sed quoniam ille, qui viuificat & mortificat, quique ducit ad inferos & reducit, terminos qui præteriri non possunt, ipsius prædecessoris vitæ constituens, eum de tenebris mundi huius æternam vocauit ad lucem, cogitatus suus, quem super hoc in Domino ipse iactauerat, effectum debitum habere nequiuit.

Vt se Romani Pontificis imperio subijcere voluerint.

Agitatū fit a Clemente de ferenda ijs ope.

21 Eodem itaque prædecessore in Domino quiescente, nos (permittente Deo) licet insufficientibus meritis, ad apicem apostolicæ dignitatis assumpti, huiusmodi negotio necessariam & vtilem prosecutionem deesse nolentes; & attendentes, quod iuxta doctrinam Domini salutarem regnum Dei primo quærendum est, vt adijciantur omnia post hæc vobis; nuntios & ambassiatores ipsos coram nobis & fratribus nostris eiusdem ecclesiæ Cardinalibus personaliter accersitos interrogauimus, vtrum super spiritualium negotio, scilicet super abiuratione schismatis & errorum, nec non recognitione primatus ipsius ecclesiæ, & regressu vestro libero, puro, simplici, & effectuali ad ipsius vnitatem ecclesiæ haberent aliquam potestatem: cumque ipsi dicerent, se super hoc potestatem aliquam non habere; nos attendentes, quod salus corporibus firma esse non poterat, quorum animæ languoribus prægrauatæ ac tenebrarum caligine obsitæ ipsum verum lumen de lumine, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, vera & irrepercussa non possunt acie intueri, cum eisdem fratribus nostris deliberationem super hoc habuimus diligentem: & demum, licet nostra & omnium fratrum nostrorum corda super tot tantisque afflictionibus vestris multa fuerunt pietate commota, & ad impendendum vobis super eis auxilium nostra & eorum vota communiter resedissent; tamen vtilius, immo necessarium amplius visum fuit, vt prius negotium spiritualium huiusmodi soliditatem reciperet, quam vobis auxilium temporaliter præberetur.

Interrogati sunt Philadelphij ab Innocentio an schisma pure velint exuere.

Spectantes igitur, quod illius Spiritus, qui vbi vult spirat, spiramine inspirati animarum vestrarum salutem protectioni & defensioni corporum præferatis; & quod illa inspirationis vestræ principalis intentio fuerit, vt cum tuitione corporum saluationem quoque animarum salubriter peteretis; & confisi etiam, quod ille, qui vobis hunc pietatis suæ rore infudit & inspirauit affectum, vos efficacia virtutis suæ in eo constanter & solide roborabit; vniuersitatem vestram requirimus & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, ac sanis vobis consilijs suadentes, quatenus attendentes, quod ille princeps cœlestis exercitus, ille dux ætherei principatus, in conspectu cuius non est differentia in multis liberare vel paucis, si relictis omnium errorum & schismatum tenebris ad catholicæ ac indiuisibilis fidei limpidam veramque lucem & vnitatem ecclesiæ prædictarum puris cordibus & sinceris mentibus redeatis, paucitatem vestram aduersus multitudinem Turcorum ipsorum eo fortificabit robore, eaque fortitudine roborabit, quod ipso præstante vnus vestrum mille persequetur ex illis, & duo decem millia transmouebunt; prædictos, qui ad vos de nostro beneplacito reuertuntur, vel alios nuncios vestros cum pleno & sufficienti mandato ad abiurationem & recognitionem huiusmodi, pure, simpliciter, & absque omni velamine faciendas, ad nos cum omni celeritate ac festinantia remittatis, vt eis regredientibus super hoc sufficienter, vt præfertur, instructis & opportuna potestate munitis, ad consummationem votiuam & felicem & prosperam tam salutaris negotij debita prosecutio solicite impendatur: sicque vobis ipsius veræ fidei lumen resplendeat, & sicut spiritualiter, sic & temporaliter vobis a Domino per nostrum ministerium salus fiat. Intendimus enim eo casu ad vos, fauente Deo, transmittere aliquos viros timentes Deum, & in ipsius lege plenius eruditos, quorum sana doctrina errores confutare quoslibet, & ad veram ipsius fidei notitiam recto tramite venire possitis: & nihilominus proponimus sic vobis, quantum cum Deo poterimus, commode præstare temporaliter auxilium & fauorem, quod in virtute dexteræ eius, qui Pharaonem Dei populum persequentem & ipsius exercitum demersit in mare, Turcorum ipsorum compescetur audacia, comprimetur furor, contereretur iniquitas, & dolosis machinationibus superatis conatus improbi elidentur: sicque vobis erit sicut animarum, sic & corporum pax & quies. *Dat. Auin. xiv. kal. february pontificatus nostri anno 1.* Hæsere in schismatis atque hæreseos volutabro Philadelphij atque in Turcarum teterrimam seruitutem sunt redacti a: qua de re postea.

Moniti vt prius consulāt animæ saluti.

Philadelphij in Turcarū seruitutē redacti.

a Calchon. de reb. Turc. l. 2.

22 Oppressus etiam tum a Turcis Cantacuzenus Græcorum Imperator, quos ille antea socios ad firmandam tyrannidem sibi asciuerat, literas ad sedem Apostolicam opem flagitaturus transmisit; spondebatque se Græcam ecclesiam ad Romanæ obsequium reuocaturum, quem Innocentius propositis ingentibus præmijs, quæ in cælo colligeret, ad sacrum desiderium in opus perducendum hisce literis excitauit b: seque Clementi non minus in coniungendarum ecclesiarum studio, quam in dignitate successisse significauit.

Postulata a Cantacuzeno auxilia.

b To. 1. ep. secr. pag. 64.

Ioanni Cantacuzino Imperatori Græcorum illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Affectionem, quam habere monstraris ad vnionem Latinorum & Græcorum ecclesiarum, auctore Domino, faciendam adhuc in minoribus con-

constituti nuntiorum tuorum, quos ad sedem Apostolicam felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædecessoris nostri tempore propterea destinasti, relatione cognouimus; & literæ tuæ aureæ bullæ magnitudinis tuæ appensione signatæ, quas eidem prædecessori direxeras, ac nobilis viri Nicolai Sigero prætoris populi Romaniæ transmissæ nobis, ad apostolatus apicem iam assumptis, recentiori quadam memoria indicarunt: ex quo ingentis lætitiæ rore perfusi Redemptori nostro, qui hunc tibi formauit animum & infudit affectum, debitas laudes referimus, & vberes gratiarum exsoluimus actiones; sperantes, quod ipse lapis angularis abscissus de monte sine manibus, qui parietem vtrumque connexuit, & qui concordiam in sublimibus suis parat, affectioni tuæ tam salutari tam vtili efficacis promotionis operam dono suæ gratiæ sociabit, & dabit promotionis instantiæ fructum anxie a Christi fidelibus concupitum. Et ideo serenitatem tuam rogamus & obsecramus in Domino, tibi in remissionem tuorum peccaminum sanis consilijs suadentes, quatenus prudenter considerans, quod probatio affectionis cuiuslibet ipsa exhibitio operis est, & quod vnumquodque opus ab exitu denominatur attendens; quodque currentes in stadio, nisi post consummationem instantis cursus acceptione brauij minime præmiantur, affectionem tuam huiusmodi effectu operis impleas, & ad vnionis huiusmodi perfectionem votiuam operarias manus, sublato præiudicio morosæ dilationis, apponas; vt eo, cuius in hac parte negotium agitur, operationibus tuis infundente gratiam & præstante virtutem, negotium ipsum ad optatæ consummationis exitũ perducatur, tuque in præsenti thronum tuum fortius robores & stabilias firmiter, ac in futuro cum vniuerso populo tuo, cui ad æternam vitam ducatum præbes, & vehiculum præparas, ad sancta sanctorum purificatis introire mentibus merearis].

Vt miseris ad Clem. VI. oratores pro redintegranda ecclesiarũ coniunctione.

De suscepto pio consilio gratulatur illi Innocentius.

23 Misit Cantacuzenus alias adulto iam anno ad Innocentium literas, atque oratorem religiosum scilicet virum ex ordine Prædicatorum, qui cœptum negotium promoueret. Ex quo felici nuntio ingenti delibutum se lætitia Innocentius ei significauit, atque ad ipsum & Græcos in gremium ecclesiæ admittendos paratissimum rescripsit a.

Missus a Cantacuzeno ad Pontificẽ orator.

a Reg. to. 1 ep. secr. pag. 110.

Ioanni Cantacuzeno Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Magnitudinis tuæ literas præsentatas nobis per dilectum filium Ioannem ordinis fratrum Prædicatorum ambassiatorem & nuntium tuum latorem præsentium, & ipsum quoque ambassiatorem consideratione tua benigne recepimus: & tam eisdem literis seriose perlectis, quam his, quæ præfatus ambassiator pro parte tua nobis prudenter & prouide referauit, diligenter auditis, innotuit nobis desiderij feruor, & affectionis patuit plenitudo, quibus mens tua indefinenter exæstuat, vt inueterati schismatis purgata rubigine, ac errorum tenebris effugatis, ad vnitatem sanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ, & agnitionem catholicæ fidei, quam ecclesia ipsa veritatis magistra & nescia falsitatis tenet, docet, & prædicat; quamque redemptor omnium Christus, qui auctor est eius, diuidi non patitur, vna cum populo tibi subdito reuertaris: sicque tibi & eis salubriter consulens, ducatum præbeas ad salutem. Ex quo magnificauit anima nostra vtique Dominum, & in Deo salutari nostro spiritus noster in eo potius exultauit, quo verisimiliter credimus, & in eo, qui parietem vtrumque connexuit, confidimus amplius & speramus, quod vnionis vtriusque ecclesiæ, Latinæ scilicet & Græcæ negotium, in cuius prosecutione multorum prædecessorum nostrorum pia studia quam maxime laborarunt, ad optatæ consummationis exitum perducetur: sicque temporibus nostris dominicus grex, præstante illo, qui eum nobis pascendum regendumque commisit, antiqui hostis superatis fraudibus, vno solum pastore pascetur, vno tantummodo quiescet ouili.

In suscepta mente confirmatur a Pontifice.

Eia igitur, princeps inclyte, animum robora, fortifica mentem: & considerans quod, testante Veritate, incheare non sufficit, sed perseuerare expediat ad salutem; quodque nullus certantium pugilum, nisi compos victoriæ coronatur, opus tam salutaris negotij, confisus in eo, qui imbecillia quæque roborat, & firmat infirma, instantius operare: imple inchoati ministerij partes, & in caulam Domini, vbi nec lupi rapacis insidias paueant, nec rugitus leonis timeant deuorantis, oues congrega oberrantes, fer ad aream Domini manipulorum copiam, vt inde paleis & aristis tritura & ventilabro veritatis excussis, inferatur in horrea diuina frumentum; firmiter credens, & indubie tenens, quod ab eo, per quem Reges regnant & curuantur imperia, & in præsenti, quibuscunque procellarum & tempestatum aduersum te commotis fluctibus nutu suæ potentiæ quietatis, status tui robur, & in futuro æternæ beatitudinis gaudia mercedis præmium consequeris: quodque nos, qui vices illius (licet immeriti) gerimus, tibi velut filio de regione dissimilitudinis venienti, cum ingenti lætitia apertis brachijs occurrentes, non solum spiritualibus, sed temporalibus quoque præsidijs, quantum cum Deo poterimus, te quod affectu prætendis, effectu operis, vt fiducialiter credimus, exequentem fauorabiliter prosequemur.

Addit ad præclarũ facinus stimulos.

Sacra & humana præsidia promittit.

Cæterum, quod de promotione nostra ad apicem apostolicæ dignitatis exultans, affectum tuæ circa nos indicas charitatis, debitas tibi gratias agimus: sed vnde tibi oritur materia gaudij, inde nos pauor concutit, terret nos inde timor: siquidem honoris fastigium, oneris molem habet annexam; ad quam supportandam imbecilles nobis humeros intuemur, de propria virtute diffidimus, & de qualitate meriti desperamus. Sed in eum, qui fuit oneris auctor, sperantes administrationis etiam adiutorem, ipsum suppliciter exoramus, vt infirmitatem nostram sic roboret, sic nostros suppleat imperfectus, quod eo præstante, præfatam ecclesiam ad sui laudem & gloriam, ac salutem eiusdem commissi, vt præmittitur, nobis gregis vtiliter regere, ac tandem cum ipso populo ad sancta sanctorum puris introire mentibus mereamur. *Dat. Auin. vi. kal. nouembris anno 1.*

24 Hortatus etiam est grauissimis literis Innocentius Ioannem Assanem, virum principem atque alterum eiusdem nominis auctoritate florentissimos, qui se ad Græcorum cum Latinis coniunctionem redintegrandam pio flagrare studio præ se tulerant, vt ad cœptum opus studiose incumberent: quantæue vtilitates in orientale imperium essent emanaturæ, exposuit a. Certiores etiam huiusmodi Cantacuzeni consilij catholicos principes fecit, atque inter cæteros Hugonem Cy-

a Reg. to. 1. ep. secr. pag. 63.

Cypri Regem [a], vt aduersus barbaros Imperatori promouendæ speratæ coniunctionis studio auxilia explicaret.

Rogatur Cyprius Rex, vt Cantacuzeno succurrat.

a Ibid. ap. seq. pag. 72.

Innocentius &c. Hugoni Regi Cypri.

Audiuimus, quod Ioannes Cantacuzenus Imperator Græcorum illustris desiderat admodum, relictis errorum tenebris, quibus ab vnitate sanctæ Romanæ ecclesiæ inimici hominis fallens nequitia separauit eundem, redire ad huiusmodi eiusdem ecclesiæ vnitatem: cuius nos laudabile votum, & acceptum Deo propositum fauorabiliter prosequentes; & cupientes tuo & aliorum Christi fidelium auxilijs adiuuari, serenitatem tuam attente rogamus, attentius in Domino obsecrantes, quatenus memorato Imperatori, in executione voti sui huiusmodi, si ad te recursum habuerit, assistas auxilijs & fauoribus opportunis: ex hoc enim præter æternæ gloriæ præmia, & humanæ laudis præconia, apostolicæ quoque plenitudinem gratiæ vberius consequeris. *Dat. Auin. kal. aprilis anno* 1. Conceptæ sunt ijsdem sententijs aliæ literæ [b] ad Ioannem Valentem Genuensium prætorem, cum nondum ob rem male gestam acceptasque a Venetis clades exauctoratus esset; atque ad Deodatum Gosonium Rhodiorum equitum summum magistrum, vt opportunis auxilijs Græcorum imperium instruerent. Abrupta demum sunt agitata de redintegrandæ veteris ecclesiarum coniunctionis consilia, cum Cantacuzenus imperio arrepto depulsus fuerit a Ioanne Palæologo, a quo ea postea instaurata visuri sumus.

Pontificiæ ea de re literæ.

Rhodij quoq; ad id solicitati.

b Ead. pag.

25 In Armenia reflorescere cœperat orthodoxæ fidei splendor, cum Armenus catholicon cæterique præsules, damnatis erroribus, quos sedes apostolica censura notauerat, catholicum dogma coacta synodo professi essent, ac decreta Pontificum decretalesque pie suscepissent. Cum vero Clemens iam ante ad fidei veritatem magis illustrandam nonnullas quæstiones ad patriarchæ Armeni literas circa diuina mysteria, apud Armenos controuersa, iam ante a nobis allatas [c] proposuisset, needum idonei interpretis penuria responsum a patriarcha esset, Innocentius Nersem archiepiscopum Armenorum vtriusque linguæ peritum ad eum proficisci iussit [d].

De restituenda apud Armenos fide agitatũ.

c Ann. Chr. 1350 n. 37.

d An. 1. l. 1. p. 1. ep. cur. 7.

Innocentius, &c. venerabili fratri Nersei archiepiscopo Manesguerdensi.

Dudum, sicut fraternitati tuæ forsan innotuit, felicis recordationis Clemens Papa VI. prædecessor noster ad bonum Christianæ fidei & animarum salutem intentis studijs elaborans, Consolatori dicto catholicon Armenorum quosdam articulos pro pleniori corroboratione & confirmatione sui & sibi obedientium Armenorum in fide catholica, quam sancta Romana mater ecclesia tenet, docet, & prædicat, per venerabilem fratrem nostrum Ioannem archiepiscopum Pisanum tunc electum Coronensem, & bonæ memoriæ Antonium episcopum * Satarensem, tunc legatos sedis Apostolicæ, destinauit. Deinde, quia ipse Consolator ad ipsos articulos minus sufficienter & minus clare, minusque plene responderat, Idem prædecessor, cupiens ipsos a ruina æternæ damnationis eripere & ad viam reducere veritatis, præfatum Consolatorem duxit suis literis exhortandum, vt ad ipsos articulos clare & non sub inuolucro aut duplicitatis pallio responderet: & nihilominus venerabilibus fratribus nostris Guillelmo patriarchæ Ierosolymitano, & Philippo archiepiscopo Nicosiensi, ac Oddoni Paphensi, & Leodegario Nimosiensi episcopis dedit per suas literas in mandatis, vt ipsi vel duo ex eis aliquẽ vel aliquos probos viros zelum Dei habentes, quos ad applicationem tanti negotij sufficientes & idoneos esse cognoscerent, cum fideli interprete ad eundem Consolatorem mittere festinarẽt, quodq; ab eo eum grauitate decenti prudenter & prouide huiusmodi responsiones exigerent lucidas & apertas, dictiq; patriarcha archiepiscopus & Paphensis episcopus, sicut per literas eorundem archiepiscopi & episcopi Paphensis eidem prædecessori directas nobis innotuit, cum ipsi inibi tunc interpretem idoneum, quem ad dictum Consolatorem mitterent, inuenire non possent, præfatas literas eidem Consolatori per fidelem nuntium destinarunt, ipsum Consolatorem ad præmissa per eorum literas seriosius exhortando; quodque postmodum non solum ipse Consolator, sed charissimus in Christo filius noster Constantinus Rex Armenorum illustris ipsis per eorum literas responderunt, quod ipsi cum eorum subditis parati erant mandatis apostolicis firmiter obedire, & omnia, quæ ipsis per dictum prædecessorem iniuncta fuerant, plenarie & effectualiter adimplere: sed quia ipsi sufficientem tunc interpretem non habebant, qui eis dictarum literarum prædecessoris eiusdem intellectum plenarie declararet, non poterant responsiones ad præfatos articulos requisitas perfecte facere, prout intendebant efficere quamprimum huiusmodi eis interpres adesset. Propter quod postmodum archiepiscopus & episcopus supradicti eidem prædecessori rescripserunt, quod ipsi adhuc in regno Cypri sufficientem interpretem, qui propter præmissa ad partes illas accederet, nequiuerant nec poterant inuenire, nisi te dumtaxat, qui Armenicam originariam tibi linguam perfecte noueras, & Latinam, & ob ipsius fidei zelum & Apostolicæ sedis reuerentiam ad partes illas pro executione dicti negotij, quatenus de beneplacito dictæ sedis procederet, te sponte obtuleras accessurum.

De missis ad eos legatis.

* Scutarensem

Propositis catholico circa fidẽ quæstionibus.

Interpretis fidi penuria extractũ est responsũ.

Nos itaque, deuotionem & oblationem tuas huiusmodi dignis in Domino laudibus prosequentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ab eisdem archiepiscopo & Paphensi episcopo præmissorum articulorum & literarum ipsius prædecessoris copia, & super agendis circa præfatum negotium plena informatione receptis, cum illis, quos dicti archiepiscopus & episcopus ad hoc duxerint deputandos, in illius nomine, cuius res agitur, spontaneum tibi ac Deo nobis acceptum onus huiusmodi lætanter assumens, & ad ipsos Consolatorem & Regem te personaliter conferens, negotium petitæ per nos explicationis & exigendarum ab ipso Consolatore responsionum huiusmodi, illo tibi inspirante ac præstante sermonem, qui repente Apostolos linguarum varietatem edocuit, iuxta informationem ab eisdem archiepiscopo & & episcopo, vt præmittitur, exhibendam ad laudem diuini nominis, exaltationem catholicæ fidei, animarumque profectum fideliter & solicite prosequaris; ita quod inde adeo perennis vitæ, & a nobis & Apostolica sede vberioris fauoris & gratiæ præmia merearis. *Dat. Auin. kal. octobris anno* 1.

Manesguerdensi archiepiscopo impo sita ea prouincia.

26 Ne fidei etiam maiestas in occidentalibus oris deflorescerer solicitus Innocentius, cum Begardos seu Beckardos repullulare in Germania ac-

Bekardi hæretici repullulãt in Germania.

sceepiſſet, cenſores fidei vt in ipſos animaduerterent creauit: ac præſules, principes, vrbiumque magiſtratus mixtis precibus imperijs obſtrinxit a, vt religionis cauſam ſua auctoritate fulcirent, carcereſque vt in ijs hæreſeos rei tenerentur, commodarent.

a An. 1. lit. com. ſ. p. 1. ep. 163.

Innocentius, &c. venerabilibus fratribus vniuerſis archiepiſcopis & epiſcopis, ac dilectis filijs principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, ciuitatum ac locorum dominis, & communitatum rectoribus per Alemanniam conſtitutis.

Iniuncto nobis circa gregem dominicum ex officio paſtorali ſolerter vigilare nos conuenit, ne lupina rabies hereticæ prauitatis, ſub ouino vellere ſponte latitans, mactet crudeliter & diſperdat, quod fidei viuificat ſacramentum. Cum itaque, ſicut accepimus, huiuſmodi peſtifera rabies ſpecialiter illorum, qui Beckardi vocantur, in Alemanniæ partibus, procurante humani generis inimico, exarſiſſe dicatur; nos cupientes, quod peſtis ipſa de caulis fidelium propellatur, & quod officium inquiſitionis, dilecto filio Ioanni dicto Schandelant ordinis fratrum Prædicatorum ſacræque theologiæ profeſſori inquiſitori hæreticæ prauitatis auctoritate apoſtolica commiſſum, noſtris temporibus ad profectum fidei & animarum ſalutem auctore Domino proſperetur, vniuerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter præcipiendo mandantes, quatenus ob reuerentiam diuinam & noſtram, ſicut Dei & Apoſtolicæ ſedis vultis effugere vltionem, ipſi inquiſitori fauorabiliter aſſiſtentes, & in proſecutione dicti negotij fidei conſilium, auxilium, & fauorem totis viribus, tota mente, omnique occaſione poſtpoſita, impendatis, præſtantes eidem veſtros carceres, quibus in eiſdem partibus carere dicitur officium inquiſitionis huiuſmodi, donec officio prædicto de certis carceribus ſit prouiſum; preces & mandata noſtra taliter impleturi, vt cauſam fidei videamini ex animo aſſumere ac fouere, & apud Deum & ſedem Apoſtolicam poſſitis exinde merito commendari. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſis id. iulij anno 1.*

Ad eos creanduscreatus fidei cenſor.

Præſules principeſque illi auxilio nō deeſſe iuſſi.

27 Paruare pontificijs imperijs Germani e paucis enim poſt annis hæreſiarcham fidei cenſorum imperio rogis traditum Spiræ, refert Nauclerus b, qui illius errores enumerat: *Poſt hæc, inquit, tempora iudicabatur Spiræ Beghardus Bertoldus de Rorbach. Hic antea in Herbipoli quaſdam articulos reclamauerat, videlicet quod Chriſtus in paſſione ſua ſic fuerit a Patre derelictus quod præ nimio dolore dubitauerit ſaluarine animam ſua deberet. Secundus articulus quod Chriſtus in cruce propter nimiam paſſionem & dolorem maledixerit B. Mariæ virgini. Tertius quod maledixerit terræ, quæ ſuſcepit eius ſanguinem de cruce. Propter præmiſſa fugiens, ad diœceſim Spirenſem venit, vbi articulos hos veros aſſeruit. Addidit etiam, quod homo in hac vita in tantum proficere poſſit, quod nec orare nec ieiunare eum oporteret. Item quod laicus illuminatus poſſit plus proficere in docendo, & plus ſit ſibi credendum, quam euangelio aut doctoribus ſacræ ſcripturæ. Item quod homo deuotus in perceptione cibi communis poſſit percipere tantam gratiam, ac ſi acciperet Eucharistiæ ſacramentum. Et quia relapſus, tradebatur curiæ ſeculari, & eſt incineratus.*

b Naucl. vol. 2. gener. 46. Bertold^9 hæretic^9.

Eius errores.

Flammis perit.

28 Vigebat autem tum adeo eccleſiaſticarum in hæreticos legum obſeruantia, vt licet Ioannes archiepiſcopus Mediolanenſis regiam potentiam in Inſubria æquaret, non auderet tamen Matthæi, Galeatij, Marci, ac Stephani Vicecomitum, qui hæreſeos nota a Ioanne XXII. & Bertrando Card. legato inuſti obierant, corpora ſepulturæ eccleſiaſticæ mandare: atq; apud Innocētium iudicio diſceptarit, ipſos a fide catholica in morte non diſſenſiſſe. Cuius potentiſſimi principis, qui magno dedecori vertebat, parentes & cognatos inſepultos iacere, precibus a Pontifice id datum eſt, vt duo Cardinales de re inquirerent: quæ prouincia Bertrando Sabinenſi epiſcopo & Guillelmo tit. S. Stephani in monte Cælio presbytero Cardd. data eſt a. Fulciebat porro Ioannes cauſam ſuam hoc argumento b: *Cum dicti Matthæus, Galeatius, Marcus, & Stephanus tam ante quam poſt inchoationem dictorum proceſſuum per iuſtitiæ miniſtrationem, diuinorum officiorum, & ſacramentorum deuotionem, ac eleemoſynarum largitionem, & alia fidei & charitatis opera ſe patenter oſtenderint catholicos & fideles; ac in morte vel iuxta mortem conſtituti vera fidei, & contritionis ac pœnitentiæ ſigna tanquam veri catholici Chriſtiani oſtenderint.*

Agitatum de Matthæo & alijs Vicecomitib. an obſtenti in hæreſi.

a Tom. 1. ep. ſecr. pag. 17.
b Ibid.

29 Hoc anno Innocentius pactiones iniquas ſediſque apoſtolicæ maieſtati aduerſantes, antea a Cardinalibus priuati commodi illecebra delinitis in conclaui editas, reſcidit in nonnullorum Cardinalium præcipuæ grauitatis, ac doctorum cœtu: cum nefas ſit, collatam a Deo poteſtatem nullis circumſcriptam finibus humana arte doloque certis limitibus definire, ſicque vetitum Cardinales vacuo ſacroſancto ſolio alia de re, quam de creando Pontifice quidquam decernere. c

Reſciſſæ pactiones a Cardinalibus in conclaui conſtatæ.

c An. 1. l. 1 p. 1. ep. cur. 5.

Innocentius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Solicitudo paſtoralis officij ſicut exigit vt proſpiciamus, ne eccleſiæ in iuribus ſuis minorationis detrimentum ſuſcipiant, ſic profecto requirit vt eccleſię Romanę, cui auctore Domino præſidemus, honores, libertates, & iura ſolertioris diligentiæ ſtudio ſeruemus a diminutione qualibet illibata. Dudum ſiquidem, per obitum felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædeceſſoris noſtri Apoſtolica ſede vacante, venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, ad tractandum de ijs, quæ circa electionem Romani Pontificis incumbebant, Auinione in palatio apoſtolico, vbi prædeceſſor idem obierat, inſimul congregati, in ſcriptura quadam, cuius tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, concordarunt: & inde quidam eorum ſimpliciter iurauerunt, ac nos & quidam alij ſub hac conditione iurauimus, ſcilicet ſi & in quantum ſcriptura huiuſmodi de iure procederet, quod ille ex eis, quem aſſumi contingeret ad papatum, omnia in eadem ſcriptura contenta inuiolabiliter obſeruaret; & quod eadem die, qua foret, vt præfertur, aſſumptus profiteretur, ea omnia & ſingula ſe fideliter ſeruaturum, rataque habiturum ſuper eis præſtita iuramenta.

Pontificia ea de re diploma.

Superne pactionū formula ob innoc. ſub hypotheſi iuratam admiſſa.

30 Poſtmodum vero nos ad officium huiuſmodi, licet inſufficientibus meritis, diuina diſpoſitione vocatis, præmiſſa omnia recenſentes & attendentes, quod licet Cardinales ijdem ad ea faciendum habuerint rectum zelum, & aliquibus etiam videretur, nos debere illa & præſtita ſuper eis, vt præmittitur, iuramenta ſeruare; quia tamen dicti Cardinales prohibenti-

Vt ea iure fieri non potuerint.

tibus constitutionibus felicis recordationis Gregorij X. & Clementis V. prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quibus cauetur, quod Cardinales eadem sede vacante de quibuscumque negotijs præterquam de prouisione Romanæ ecclesiæ facienda, certis dumtaxat exceptis casibus, de quibus tamen aliquis contentus in scriptura huiusmodi non existit, se intromittere nequeant, ad ea procedere minime potuerant; & considerantes attente, quod scriptura ipsa in diminutionem & præiudicium plenitudinis potestatis ex ore Dei collatæ soli dumtaxat Romano Pontifici dignoscitur proculdubio redundare, cum per eandem scripturam præfatæ sedi grande ac perpetuum præiudicium immineat manifeste, dum potestas huiusmodi adimitur eidem Romano Pontifici, certisque regulis & limitibus sibi præfixis ab homine coarctatur; nec minus intuentes, quod esset apud catholicos temerarium & insanum asserere vel sentire, quod Romanus Pontifex successor Petri & vicarius Iesu Christi, non sit vocatus & assumptus in plenitudinem potestatis, quæ profecto apud ipsum non esset, si ex aliorum consensu, arbitrio, vel adminiculo dependeret; quodque illa iuramenta non canonica, immo temeraria sunt censenda, quæ non solum in Romanæ, quinimmo in cuiuslibet alterius ecclesiæ præiudicium læsionemque præstantur; habita super his & nonnullis alijs, quæ nostrum ad id animum rationabiliter induxerunt, cum quibusdam ex eisdem etiam Cardinalibus, ac pluribus doctoribus & iurisperitis alijs deliberatione matura, ad omnem scrupulum & dubium in hac parte tollendum, auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus, eosdem Cardinales contenta in scriptura huiusmodi facere nullatenus potuisse, ac illa & omnem eorum effectum nullius fuisse ac esse penitus roboris vel momenti; nosque vel successores nostros Romanos Pontifices seu Cardinales ipsos ad illorum & iuramentorum prædictorum obseruantiam non fuisse, nec esse obligatos quomodolibet vel obstrictos; tenor vero dictæ scripturæ talis est infrascriptus: *Deliberatione plena, &c.* [Allatæ superiori anno a nobis fuere eæ pactiones suis cõceptæ verbis a, quibus recensitis & abolitis adiecta est hæc formula:] Nulli ergo, &c. nostræ declarationis infringere, &c. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* 12. *kal. iulij anno* 1.

Collata diuinitus auctoritas humano dolo contrahi non potuerit.

Nuncupata in eas iuramenta fuerunt temeraria.

a An. Chr. 1352. n. 26.

33 Reuocata etiam est Clementis constitutio b, qua nonnullas dignitates Cardinalibus in cathedralibus, collegiatis, & regularibus ecclesijs reseruarat: interdictum ne maiores post pontificales capesserent, nisi in apostolico diplomate expressa de ea re mentio fieret: abrogatæque c ecclesiarum & monasteriorum (vt vocant) commendæ, exceptis ijs, quæ Cardinalibus concreditæ fuerant; cum precibus improbis extortæ essent, indeque diuini cultus maiestas obsolesceret.

b To. 1. ep. secr. pag. 222.

c An. 1. l. 2. ep. cur. 32.

Attendentes, inquit, *quod occasione commendarum & concessionum huiusmodi in commendatis & retentis eisdem, sicut experientia docuit, vt plurimum diuinus cultus minuitur; animarum in eis, quibus imminet, cura negligitur; hospitalitas consueta & debita non seruatur, ruinis ædificia patent, ipsorum iura in spiritualibus & temporalibus collabuntur; ac propterea huiusmodi malis occurrere, & ecclesijs & monasterijs, prælaturis, beneficijs, & alijs prædictis taliter commendatis & retentis de pastoribus & rectoribus proprijs, qui eis præesse velint & valeant, prouidere ex præmissis & alijs certis rationabilibus causis ad hoc animum nostrũ inducentibus; nonnullorum quoq; prædecessorum nostrorum Rom. Pontificum in hac parte vestigijs inhærentes, digesta super hoc deliberatione etiam cum fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus præhabita, omnes & singulas commendas & concessiones huiusmodi de quibuscumque cathedralibus vel alijs ecclesijs, monasterijs, prælaturis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs & beneficijs, ac locis ecclesiasticis secularibus & regularibus quorumcumque ordinum, quocumque nomine censeantur*, & infra, *auctoritate apostolica penitus reuocamus, & omnino viribus vacuamus, &c. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* xv. *kal. iunij anno* 1.

Commendæ abrogatæ.

Gerere quidem ipsum cœpisse magna cum integritatis laude pontificatum refert M. S. Vaticani auctor subiectis verbis a: *Hic fuit vir iustus, & durus in concedendo beneficia & iura ecclesiastica. Subito post suam coronationem multas reseruationes factas per Clementem prædecessorem suum suspendit; & constituit, prælatos & alios beneficiatos in curia tunc morantes vnumquemque illos ad suum beneficium personaliter applicare, & ibi residentiam facere sub pœna excommunicationis; quod & factum est. Hic diminuit expensas & familiares suos, & etiam omnium Cardinalium.*

a M. S. bib. Vat. sign. n. 2040.

Castigat' ab Innoc. Cardinalium luxus.

32 Editæ etiam sunt hoc anno ab Innocentio nonnullæ aliæ vtiles constitutiones: in primis ad submouendos scelere fundendi alieni sanguinis auidos sustulit b corruptelam, qua vilissimo interdum pretio innoxius cruor emebatur, cum lucri illecebra absoluerentur a pontificijs administris rei, modo cum cæsorum consanguineis transegissent. Vetitus etiam est taxillorum ludus c, cum ex præcipiti animorum motu lusores in blasphemas voces ora laxarent. Abrogatum d quoque meretricium vectigal, quod administri ab infelicibus mulierculis turpiter abradebant.

Editæ ab Innoc. sanctiones. Homicidia redimi vetita. Taxilli prohibiti.

b Tom. 1. ep. secr. pag. 137.

c ibid.

d lb. pag. 141. & l. papyraceo miscellan. pag. 58.

Adiecisse e hoc anno Innocentium Cardinalium numero Andoinum, nepotem, refert ipsius vitæ scriptor: *Hic factus Papa, die* xv. *mensis februarij, qua fuit feria* vi. *quatuor temporum anno* LIII. *iam inchoati, fecit presbyterum Cardinalem dominum Audoinum Alberti diœcesis Lemouicensis nepotem suum ex fratre, tunc episcopum Magalonensem, cui assignauit titulum SS. Ioannis & Pauli, quem prius habuerat ipse.* Addit idem auctor de naturalibus hoc anno temporum insignibus mutationibus, deque eclipsi solari: *Anno eodem, scilicet* xvii. *die mensis decembris fuit eclipsis solis, & durauit quasi per duas horas: quam demum secuta est tanta hyemis asperitas, vt fluuij magni per plures dies steterint congelati; & successiue tanta aquarum inundatio, quod pontes, immo & turres quamplures subuertit.*

e Gesta Innoc. VI apud Bosq. Ciacon. in elench. Card. & alij.

Andoinus Creatus Card.

IESV CHRISTI

annus 1354.

INNOC. PP. VI. 2. CAROLI IV. ROM. REGIS 9. IO. PAL. 14. & IO. CAN. 8. IMPP. OR.

1 ANnus a virgineo partu quartus & quinquagesimus supra millesimum trecentesimum indictione septima insignis est tum felici Ludouici Vngariæ Regis in Tartaros expeditione: tum partis ab Ægidio Albornotio Cardinale Hispano Apostolicæ sedis legato aduersus tyrannos, qui ditionem ecclesiasticam suæ subiecerant serui-

Præcipuæ hoc anno gestæ res.

ufituti, trophæis. Is enim in primis Ioannem e Vico sacris percussum edictis a, patrimonium B. Petri occupantem lariusque tyrannidem proferre molientem, redigere in ordinem meditatus, ex pontificio consilio primum mollibus verbis ad æquitatē reuocare annisus est, ac deinde eius perfidiam ferro domare aggressus Tuscanellam & alia loca ecclesiastico restituit imperio b: de quibus certior factus Pontifex a legato, his literis est ipsi gratulatus c.

Innocentius, &c. dilecto filio Aegidio tituli S. Clementis presbytero Cardinali A. S. L.

Literas tuas, per quas significasti nobis successus prosperos, quos aduersus abominationis idolum Ioannem de Vico, qui se extollit aduersus omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, per intercessionem & merita beati Petri Apostolorum principis, cuius causam agis, de manu Domini suscepisti, benigne recepimus: & tanto inde maiori exultauimus gaudio, tantoque ipsi omnipotenti Deo gratias egimus ampliores, quanto per ministerium tuum spei nostræ vberi partus initia vberiora succedant, quantoque illa feliciori exitu terminanda sine dubitatione tenemus. Sic ergo, fili, laboribus & solicitudinibus tuis operam prosecutionis & solertiæ diligentioris adijcias, quod ipse inimicus Dei & hominum in manu forti & brachio excelso ecclesiæ sanctæ Dei, fauente ipso Apostolorum principe tuis operationibus, sic penitus conteratur, vt amplius non resurgat; & nos speratæ lætitiæ iubilo in restituta pace ecclesiæ memoratæ fidelibus, gloriemur, &c. *Datum Auin. IV. id. aprilis anno secundo.* Nauarunt egregiam legato operam ad frangendos ad obsequium rebelles, educto ingenti exercitu, Romani d. Promota Viterbio ad Vrbemueterem castra a legato fuere, cum Ioannem e Vico in ea vrbe tyrannidis sedem fixisse didicisset: quæ cum cincta fuisset obsidione, pertimuit tyrannus, ne a ciuibus, quorum flagrabat odijs, laniaretur; mollesque aditus ad Ægidij Cardinalis gratiam captans deditionem fecit e. Ita potitus Vrbeuetere legatus Cardinalis Viterbium, mox Martham & Caninum in ecclesiæ potestatem redegit f, Narnia etiam atq; Amelia; excussa Ioannis e Vico tyrannide, ecclesiæ imperijs se addixere g quoq; Eugubium a Ioanne Cantucio restitutum legato h. Tudertini denique conciliati ecclesiæ fuerunt.

2 Reuocatis ad officium his populis, atque ecclesiæ confirmata potentia, Ægidius i Cardinalis maiora aggressus, Picenum ex tyrannorum seruitute vindicare meditatus est: dumque bellicos apparatus apud Fulginarea instrueret, conuenit ipsum Gentilis e Moliano, qui apud Firmanos imperium scelere corripuerat l, seque in ecclesiæ potestate futurum est pollicitus m. At postea iterum rebellionem fecit n, vtpote quem non diuini Numinis, sed tyranni potentioris metus infidus fidei custos ad officium adduxisset. Is erat Malatesta o, qui Firmum proferendæ tyrannidis studio antea obsederat. Ipsum atq; Galeottum e Malatestis Ariminum, Anconam, Asculum, Fanum, Pisaurum, Forum Sempronium, Humanam, Senogalliam, Auximum, Recinetum, atque alias plures vrbes & oppida in Æmilia & Piceno fœda seruitute opprimētes, Innocentius in ius vocasos p, cum subire iudicium decima octobris die peremptoria constituta, atque partos flagitio principatus ecclesiæ restituere detrectarent, anathemate perculit q pridie id. decembris: atque Ægidio Cardinali partes dedit a, vt apostolicam in eosdē tyrannos sententiam diuulgaret. Æquarat hos ambitione Bernardinus Polentanus, qui Rauennam, Ceruiam aliaque in exarchatu loca ecclesiæ eripuerat b. Cum vero accersitus in iudicium ad causam dicendam ad pontificia subsellia se non contulisset, sed missis oratoribus ac literis plures obtruderet excusationes, Innocentius meritam anathematis pœnam ex clementia apostolica illi infligere distulit c. Excitarant etiam in ecclesiæ ruinis nouos principatus Clemente VI. Pontifice Ioannes & Guillelmus Manfredianę stirpis spurij Fauentini, ac patriam & circumiecta loca in suam seruitutem redegerant: qui iudicio postulati d, cum leges censurasque ecclesiasticas haberent ludibrio, ob spretam pontificiam auctoritatem hæreseos infamia notati fuere. His fauerat ad audendum scelus Franciscus Ordelaffus e vna cum Populo f Bononiensi, vt ex Matthæo Villano vidimus votisque nefarijs potitus Foriliuij, Cæsenæ, ac Foripopilij arreptæ tyrannidi Brittenorium, Meldulam, aliaque loca adiunxerat g. In eum itaque legibus actum est ab Innocentio, ac publicis edictis denuntiatum, vt eas vrbes ecclesiastico imperio restitueret. Contempsit Ordelaffus dicta die legibus se subijcere: atque ideo Innocentius, seueritatem coactus distringere, anathemate atque hæreseos nota illum deiixit h.

Occuparant hi omnes ditionis ecclesiasticæ inuasores tyrannidis corripiendæ occasionem, tum ex Romanorum Pontificum in Gallijs secessu tum ex imperij atque ecclesiæ dissensionibus; atque ad confirmandam potentiam earum vrbium præfecturas a Ludouico Bauaro acceperāt: ijq; tristes erant exitus e bellis imperium inter & ecclesiam exortis vt tum imperium tum ecclesia Rom. suis iuribus, quibus tyranni incubabāt, pari iactura spoliarentur. Cęteros vero tyrannos scelere vicisse Franciscū Ordelaffum, notat Vitę Laurētij auctor, dum ait, illum pontificia damnatum sententia, effutijsse non minus quam ante delicatos & conquisitissimos cibos ad gustum sapere: sed breui diuinam expertum seueritatem atq; legati Cardinalis arma narrat idē auctor. De Nicolao vero Laurentio pluribus disserit, vt Ægidium Cardinalē in expeditione Tusciæ stiparit, & ab eo creatus Romæ senator ac inde a populo Romano trīumphantis more exceptus publicę rei administrationem susceperit; iussu nimirum Innocentij, qui Ægidio legato V. id. septembris dedit imperia k, vt ipsum in eo munere confirmaret l: ac Nicolao de adepto honoris fastigio est gratulatus, eumque ad gratum animum in Deum, a quo ex humili conditione ad summā dignitatem m fuerat excitatus, hortatus est, ne se inani gloria efferri sineret, iustitiæ vero lancem æquis ponderibus libraret.

Innocentius, &c. dilecto filio nobili viro Nicolao Laurentij militi, senatori Vrbis.

3 Habes, fili, si absque ingratitudine tempora iam exacta recenseas, & præsentium instantiam discutias diligenter, vnde Creatori tuo deuotior semper existas, vnde illi ad humiles grates assurgas, vndeque persoluas laudationum debita vota sibi. Ipse namque te multis dotauit abunde virtutibus: ipse te humili loco natum multis pręesse maioribus, benigno concessit: ipse: quod debes æstimare peramplius; cum honorum fascibus sublimatus, & ob hoc ipsum quasi notitiam tui perdens, extra temetipsum inanis gloriæ, quæ incautis multum surrepit, vento raptus ad aliqua illi-

a An. 2. l. 1. ep. cur. 7. b Matth. Vill. l. 3. c. 108. Vita Nic. Laur. c. 20. c To. 2. ep. secr. pag. 73. Gratulatur legato Pontifex. d Matth. Vill. l. 4. c. 9. Vit. Nic. Laur. c. 18. & Innoc. to. 2. ep. secr. pag. 58. Vrbs vetus obsessa. e To. 2. ep. secr. pag. 130. f Matth. Vill. l. 4. c. 10. vita Nic. Laur. c. 18. g Nic. Laur. vita auct. sup. c. 18. h Matth. Vill. l. 4. c. 13. Loca illi tyrannidi erepta. Legati in Picenum expeditio. Gentilis e Moliano illi paret. i Vit Nic. Laur. c. 18. l Inn. an. 2. l. 1. ep. cur. 12. m Matth. Vill. l. 4. c. 33. Mox defectionem molitur. Malatestæ præpotentes tyranni. n To. 3. ep. secr. pag. 24. o Matth. Vill. super c. 33. p Inn. an. 2. l. 1. ep. cur 13. M. S. bib. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 334. q To. 2. ep. secr. pag. 205.

a Ib. pag. 236. & 239. b Ib. pag. 193. & an. 2. l. 1. ep. cur. 10. c To. 2. ep. secr. pag. 237. d Pag. 40. & l. 1. an. 2. ep. cur. 6. e Pag. 202. & 205. f Pag. 40. g Pag. 39. & l. 1. an. 2. ep. cur. 8. Alij tyranni iudicio postulati. h To. 2. ep. secr. pag. 205. vita Nic. Laur. c. 18. Nic. Laur. Vrbis gubernacula recipit. k Ib. ep. sec. pag. 44. l Pag. 174. m Ead. pag. Innocentij gratulatoriæ ad eū literæ.

illicita prorupisses, castigans castigauit te, ac flagello eius diutius flagellatum, a morte præseruani, tandem præter spem fere omnium, & contra vota multorum, sub alis Romanæ ecclesiæ matris tuæ ad status pristini culmien euexit. Tu ergo hæc omnia, & alia plura, quæ ex pancis, quæ scribiuius, potes colligere, ante oculos tuos ponens, Deum timeas, ipsam honores ecclesiam; superioribus reuerens, affabilis paribus, benignus inferioribus, pupillo & orphano sis adiutor: diuitem & pauperem pari loco recipias, & equo iudicio causas diffinias eorundem, ne personarum, quod absit, noteris acceptor. Senciant te iusti fauorabilem, misetipium, egeni propitium, placatum humiles, mansuetum mites, austerum superbi, rigidum contumaces, & iniusti, clementia temperante, seuerum. Ad executionem iustitiæ positus iuste regas: iustitia etenim, si eam ipsius diligens custos obserues, custodiet te, & ab insidiantium tibi faucibus præseruabit illæsum, ac tandem adijcientur tibi hæc omnia, si cum beato Augustino Deum, vt ipsum & te noueris, supplex ores. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* III. *kal. septembris anno* II.

Instruitur monitis.

4 Præfectus Romanæ rei Nicolaus Laurentius seueritatem in potentiores exercere cœpit, eorumque licentiam reprimere. Statuit etiam iustitiæ exemplum insigne in Monteregali Prouinciali Hospitalario equite, vel potius apostata, ac latronum principe, qui superiori anno collectis sicariorum ac stipendiariorum militum turmis plurimis, barbarico furore Picenum vastarat, suique ingentem terrorē vniuersæ Italiæ incusserat. Agit de his pluribus Matthæus Villanus [a]. Cum vero Romam se contulisset, Nicolaus Laurentius, impacto seu vero seu falso proditionis crimine, ipsum capi iussit & torqueri; ac rapinas, incendia, cædes, latrocinia, aliaque immania crimina fassum capitis sententia damnauit: ita Monsregalis carnificis manu extremo augusto perijt [b], qui moriturus opes, quas tantis sceleribus pepererat, mortem sibi attulisse querebatur. Tot vero ille tantaque flagitiorum & crudelitatis exempla ediderat, vt ijs Holofernem & Totilam æquasse vel vicisse in literis ad Raimundum abbatem S. Nicolai Apostolicæ sedis internuntium apud Venetos Pontifex affirmet [c].

Mons regalis latronum princeps.

a Matth. Vill. l. 4. c. 14. 15. 16. Corius. hist. l. 9. 12.

Iustas pœnas luit.

b Vita Nic. Laur. c. 22.

c To. 5. ep. secr. pag. 115.

De eius sceleribus

Non potest, inquit, *latere te, cum longe sit lateque notorium, qualiter infelix ille quondam Monsregalis de Albarno hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, desertor obseruantia regularis, se totum sceleribus præcipitanter immergens, congregatis equitibus & peditibus, quos par in sceleribus & in flagitijs similis voluntas & affectio inquinabat, in multitudine copiosa, diuper multas partes Italiæ, sed præcipue per terras ecclesiæ Romanæ immediate subiectas, velut leo rugiens & rapiens omnia deuorare quærens, discurrit hostiliter: & quasi alter Holofernes, immo illo crudelior nulli parcens hos peremit gladio, hos carcere macerauit, hos afflixit incendio, hos rapina vexauit & spolijs, hos depopulatione vastauit, hos in exilium egit, hos orbauit filijs, hos patribus matribusque priuauit: viduauit nuptas, virgines rapuit, coniugatas abduxit, & tot viduas, pupillos & orphanos, clericos, religiosos, & laicos calamitatibus & pressuris attriuit & lacessiuit iniurijs, & ipsam Romanam ac alias ecclesias in bonis & iuribus ac rebus earum damnis affecit, vt impium illum & flagellum Dei Totilam, in Christiano populo debacchantem, impietate ac sæuitia superarit, &c.* Subdit se miserorum pietate motum statuisse ad reficienda inflicta ab improbissimo viro damna, bona illius omnia in id conuertenda; atque ideo prouinciam illi dat, vt sexaginta aureorum millia apud Patauinos trapezitas exhiberi iubeat. *Dat. Auin.* XIII. *kal. nou. pontificatus nostri anno* II. Magnam aliarum opum partem, quas Monsregalis vel in Vrbe deposuerat, vel attulerat secum, quæ in leuanda egentium inopia erant collocandæ ad centum aureorum millia [a], diripuit Nicolaus Laurentius [b]: quocirca cupiditate exercuisse iustitiam creditus. Cum vero innoxium etiā cruorem, securi, feriri iusso Pandulpho Pandulphucci magnæ existimationis viro, fudisset ac noua vectigalia Romano populo imponeret, vt milites conduceret, firmaretque aduersus Sabellos & Columnenses potentiam, tantum sui odium concitauit, vt facile aduersatij in ipsum plebem commouerint: a qua gladijs confossus [c], tractus, suspensus, ac demum a Iudæis exustus redactusque in cineres fuerit. Vrbanæ porro rei solicitus Innocentius Aegidio Cardinali A. S. L. munus iniunxit III. id. nouembris [d], vt senatorem, & ductorem agminum atque alios magistratus in Vrbe renuntiaret. Præterea ei commendauit [e], vt Carolum Romanorum Regem Romam accessurum officijs prosequeretur.

a Corius. hist. l. 9. c. 12.

b Matth. Vill. l. 4. c. 23.

Nicolai Laurentij funesta mors.

c Matth. Vill. l. 4. c. 26. vita Nic. Laur. aut. c. vls Corius. hist. l. 9. c 12. Alber. Arg. in chron.

d To. 2. ep. secr. pag. 87.

e Ib. pag. 215.

5 Comparabat tum ille se ad augustalia ornamenta solemni pompa accipienda; cuius varia per Germaniam itinera describit Albertus Argentinensis his verbis [f]: *Venit Rex ad ciuitatem Metensem, vbi honorifice receptus multis ibi diebus permansit, faciens ibi ex comitatu Lutzemburgensi ducatum, & ex comitatu Barensi marchionatum: non tamen eum receperunt tanquam Regem, dicentes se soli Imperatori ad plura iura teneri. Deinde in hebdomada sancta Reisersberg Alsatia reuersus, ibi pascha peregit, & venit in monasterium Hohenberg quinto non. maij, & tumbam B. Otilia vna cum Ioanne episcopo Argentinensi paulisper aperuit, tollens ex integro corpore ibi reperto partem brachij dextri, fideliter ipsum recludens.* Contulit se inde in Heluetios [g] cum exercitu, vt Tigurinos, Suitzenses, eorumque fœderatos ad Alberti ducis obsequium reuocaret: sed irrito exitu susceptus labor. Felicius Herbipolenses, quos episcopus obsidione cinxerat, mense iulio ei conciliauit [h].

f Alb. Arg. in chron. Gesta sumnet. VI. apud Bosq.

De B. Otilia reliquijs.

g Alb. Arg. in chron.

h Rebdorf. in annal.

Pacare Germanicas res studebat, vt Italicā expeditionē ea cura solutus conficeret: compositisq; demum cum Ludouico Bauariæ duce rebus, trecentis tantum stipatus equitibus Aquileiam, indeque Vtinum decima quarta octobris die peruenit [i]: cum prius ab Apostolica sede oratorum suorum opera ingrediendæ Italiæ potestatem impetrasset vt refert Matthæus Villanus [l]. Adiunxit se Carolo socium illius frater patriarcha Aquileiensis [m], cum quo magnis itineribus Patauium contendit: exceptusque quarta nouembris die perhonorifice, cōfirmata Carratiensibus Patauina præfectura, Mantuam iter est prosecutus, Scaligeris illum intra Vicentiæ aut Veronæ mœnia admittere recusantibus, ac metuentibus ne ab ipso exauctorarentur.

Caroli in Italiam iter.

i Corius. hist. l. 11. c. 1. M.S. bib. Vat. sign. n. 3040. Matth. Vill. l. 4. c. 27. Rebd. in annal. Alb. Arg. in chron. et alii.

l Matth. Vill. l. 3. c. 103.

m Lib. 4. super c. 27

6 Ingressus Italiam Carolus, Theodoricum episcopum Mindensem oratorē ad Innocentium misit, qui iustum ei de suscipiēdo Romæ imperiali diademate vota exponeret, & legatos Cardinales ad id munus mitti deposceret: quo Pontifex honorifico excepto, Carolo de fausto aduentu est gratulatus [n], seque ob rerum molem ad conferenda illi ornamenta imperialia Romam adire

Postulat a Pont. vt legatos ad coronam illi imponendam mittat.

n To. 2. ep. secr. pag. 213.

non

non posse excusauit: verum legatis regij honoris cupidissimis eam prouinciam a se demandatum iri.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri.

Licet fama prænuncia, quæ venerabilis fratris nostri Theodorici episcopi Mindensis aduentum, & literarum tuarum præsentationem anticipans, optabilem nobis tuum in Italiam transitum per dies aliquot diuulgarat, animum nostrum vehementer ad gaudium excitasset, & continuis incrementis adaucta sic fidem astrueret, vt de rei non deberet ambigi veritate; tamen quia hoc humanæ cupiditatis inest affectui, hoc habet communiter proprium, quod in desideratis quibusque rebus moras non patitur, immo celeritatem ipsam quasi reputat tarditatem, suspendebat & augebat in nobis quodammodo considerationibus alternis conceptam lætitiam tuarum expectatio literarum. Cumque in re huiusmodi mens auida, varijs opinionibus æstuaret, & nunc his rationibus victa consentiret famæ relatibus, nunc vero considerationibus mota contrarijs in ambiguum declinaret; tandem superuenit idem episcopus, qui nos de ipso tuo transitu; quem Deus faciat esse felicem, literarum tuarum (quas & eundem episcopum lætanter admodum placideque suscepimus) ac viuæ vocis attestatione certificans, & ad vnctionis, consecrationis, & coronationis tuæ in basilica Principis Apostolorum de Vrbe (auctore Deo) feliciter, iuxta imitandas antiquorum traditiones celebranda solemnia concedi magnitudini tuæ Cardinales aliquos, modeste, solicite, ac prudenter exposcens; velut bonus de longinqua terra nuncius, animum nostrum, successus prosperos amantissimi filij, ac patroni & defensoris ecclesiæ concupita præsidia sitientem, quodam quasi potu aquæ frigidæ, tui scilicet desiderati cunctis gentibus recenter venientis occursu dulcissime recreauit: tantoque nos ampliori gaudio, & copiosiori exultatione perfudit vberius, tantoque petitionis huiusmodi fauorabilius & promptius exauditionis impetrauit effectum, quanto hinc vniuersorum generalia commoda, largiente Deo, nascitura probabili ratione confidimus, & particularia ecclesiæ memoratæ compendia, quæ nihilominus communem vtilitatem respiciunt, ipso propitio prouentura sine dubitatione speramus.

Grata Pontifici res fuit.

7 Post gratias igitur in humilitate spiritus deuote redditas, & laudationum vota debita persoluta ei, per quem Reges regnant, principes imperant, & a quo omnis potestas est, quique te ad imperij Romani culmen euexit, quod præstante ipso dies nobis desideratus, dies qui expectationibus nostris terminum posuit, serenus illuxit, quosdam ex fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, quos honoris & status tui & tuorum experientia multa palpasti sinceros & feruidos zelatores, ad huiusmodi vnctionis, consecrationis, & coronationis, auspice Deo, celebritatem agendam, feliciter duximus statuendos; vt quod, vrgentibus negocijs varijs præpediti, nequimus contra desiderij nostri vota personaliter exequi, hoc ministerio eorum, agentium nostri vices officij suppleatur: & nihilominus dilecto filio nostro Ægidio tituli S. Clementis presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato per alias nostras litteras, quas tibi defert idem episcopus, efficaciter scribimus, & mandamus eidem,

Decreti ab Innocētio Cardinales.

Qui fuerint ij.

vt efficacibus tibi adsit auxilijs, opportunis assistat fauoribus, præsidijs faueat, & consilijs te salutaribus dirigat, & informet. [Extant eæ ad Ægidium Cardinalem commendatitiæ literæ in regesto pontificio, quarum hæc præcipua sententia a est: *Cum, sicut ad te peruenisse iam credimus, charissimus in Christo filius noster Carolus Rex Romanorum illustris in Italiam Deo dirigente descenderit, & pro coronationis, consecrationis, & inunctionis sua celebritate more Cæsarum Romæ, auctore Deo, solemnizanda feliciter, Deo propitio, sit venturus; volumus vt eum sicut opus manuum Rom. ecclesiæ consilijs informes &. dirigas, auxilijs foueas, ac fauoribus et efficacibus et opportunis assistas. Dat. Auin. xr. kal. decembris anno 11.* Fauit Carolo Ægidius in corona imperiali suscipienda: ac vicissim Carolus Aegidium ad perduelles ecclesiæ edomandos magnis auxilijs instruxit, vt sequenti anno visuri sumus. Regredimur nunc ad literas Innocentij, qui ipsum his verbis ad ornandum virtutibus imperiale fastigium, amplificandam fidem, tuendam ecclesiam, reprimendos improbos hæreticos excindendos, obterendos rebelles, orphanos, viduas, inopes regijs studijs prosequendos est adhortatus b].

a Eod to. ep. secr. pag. 215. Ægidius Cæsari nō deesse iubetur.

b Super. ep. pag. 241.

Deum itaque bonorum operum directorem suppliciter exoramus & petimus, vt ipse in adiutorium tuum propitius dignetur intendere, & ad tanti ponderis sarcinam ad laudem eius, ipsius honorem ecclesiæ, ac prosperum statum Christiani populi portandam vtiliter, humeris potentiæ tuæ robur adjciat, mentis tuæ oculos gratia suæ visitationis illustret, te in viam dirigat prosperitatis & pacis: angelum suum, qui comitatus est Tobiæ filium, tibi comitem tribuat: cuncta tibi aduersa summoueat, concedat prospera, aspera conuertat in plana, ante te contumacium ceruices humiliet, conterat elata cornua superborum, subijciat iugo tuo colla rebellium: in manu tua, quæ bella volunt, dissipet gentes: subditas tibi faciat omnes ipsius nationes imperij, augeat fidem perfidiam tollat, cunctis mundum purget erroribus; diesque tuos & longæuos faciat, & in optata mentis & corporis pace disponat.

Faustos successus Carolo Pōtifex cōprecatur.

8 Eia ergo, inclyte princeps, excita cæsarei throni potentiam in manu forti, & excelso brachio conculcatam erige ecclesiasticam libertatem: Romanæ ac aliarum ecclesiarum iura custodi: personis earum pro reuerentia illius, cuius ministri sunt, honorem impende, & iura earum eripe de manibus direptorum, vt proberis charitate filius, patronus effectibus, & operibus nomen impleas defensoris. Resarcire lacerata eiusdem imperij latera satage: rumpe vincula tyrannicæ potestatis: leua in nationibus signum virtutis tuæ, virgam emitte: fac populum tuum saluum, & protege plebem, vt ipsi potentie tuę salutari pręsidio de iugo inueteratę seruitutis erepti, & consecuti quasi nouę beneficium libertatis ac pacis, lętentur coram te corde perfecto, & nō sit timor vlterius in finibus eorundem. Deduc in semitam mandatorum Domini gressus tuos, & in ipsius, qui sanctus permanet in seculum seculi, timore persistens, esto in iustitię administratione solicitus: esto pietatis amicus: esto, qua thronus regius roboratur, clementię custos: esto misericordię obseruator: esto adiutor orphano & pupillo: indigentibus subueni, succurre egenis, oppressos releua, grauatos alleuia, afflictos compatere, refoue debiles, miseros consolare; & considerans, quod ad bonorum laudem,

Eius præceptis informat.

malefactorumque vindictam, gladium a Domino suscepisti, adiuua bonos auxilijs, prosequere fauoribus lustos, adesto presidijs mansuetis; ac in facinorosos & reprobos, temperante clementia, zelum tuę accendas & acuas vltionis, vt iuuante Deo sic terreni regni gubernaculis pręsidere possis vtiliter, quod post huius occiduę vitę cursum exceptus Abrahæ sinu interesse choris angelicis, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, ac præsentem maiestatis diuinæ intueri faciem, in quo summa consistit nostræ beatitudinis, merearis. Cęterum ad honoris & status tui promouenda iugiter paternis studijs incrementa ex affectu charitatis intimæ promptiores eidem episcopo commisimus aliqua magnitudini tuæ vinæ vocis ministerio exponenda, rogantes vt ipsius episcopi, pro parte nostra relatibus adhibeas plenam fidem. *Datum Auin. x1. kal. decembris anno 11.*

Ad cælestis imperij ambitum hortatur.

Obiectę Carolo in suscipienda Mediolani corona difficultates.

9 Consulturus etiam regijs honoribus Innocentius, cum Carolus antequam aurea corona Romæ ornaretur, ferrea in Insubria cingendus esset in ecclesia B. Ioannis Modoetiæ ab archiepiscopo Mediolanensi, atque in ea re aliquæ occurrerent difficultates; Pontifex, vtpote ad quem pro temporum ratione veteris moris immutandi ius spectat, Carolo permisit, vt tres patriarchas Constantinopolitanum, Aquileiensem, & Gradensem in ea celebritate adhiberet: de quo etiam patriarchis ipsis imperia dedit a, vt a Carolo de ea re postulati ferreæ coronæ apices illi conferrent. Cauit tamen Mediolanensis ecclesię iuribus ac dignitati, ne quid detrahi ipsi inde censeretur.

a Eod. to. 3. ep. secr. pag. 214.

Innocentius, &c. venerabilibus fratribus Constantinopolitano & Aquileiensi & Gradensi patriarchis.

Antiquorum seruauit posteris imitanda traditio, quod Romanorum Rex in Imperatorem postmodum promouendus, antequam imperiale suscipiat diadema, corona duplici mystice insignitur, quarum primam, argenteam videlicet, in ecclesia B. Mariæ de Aquisgrani Leodiensis diœcesis per manus archiepiscopi Coloniensis, qui est pro tempore, suscipit: alteram vero, scilicet ferream, in ecclesia B. Ioannis de Modetia Mediolanensis diœcesis cæsareo capiti Mediolanensis antistes imponit. Ac deinde, his peractis prisco more solemnijs, Rex idem Romam diadema huiusmodi materialiter aureum de manibus Romani Pontificis, vel alterius, cui Pontifex idem ad id committendum duxerit, in basilica Principis Apostolorum suscepturus accedit, vt hac triplici varietate decorus, & sub triplicis figura mysterij sanctæ ac indiuiduæ trinitatis signaculo insignitus & adiutus auxilio, triplicata mundo pretiosa munera conferens, eloquentia & sapientia, quam signat nitor argenteus, insanam hæreticorum reprimat & confutet audaciam; & malleo fortitudinis, quam ferri duritia denotat, conterat cornua elata rebellium; & præsidio potentiæ, quam fuluor metalli aurei pręfigurat, libertatem ecclesiasticam tueatur.

De tribus coronis, quibus cinguntur Cæsares.

Mystica earum interpretatio.

Ad hæc sane munera, his maxime opportuna temporibus, largiente Domino, conferenda salubriter, & copiosius eroganda, charissimus in Christo filius noster Carolus Rex Romanorum illustris, prout sibi speciale decus principum fides (quam ex genere deriuat) indicit, sinceræ mentis confirmat integritas, ac virtutum amor & studia persuadent, accendens Christianissimi animi sui zelum, velut princeps catholicus se accingit: & post susceptam per eum huiusmodi coronam argenteam intrauit iam potenter Italiam, vt corona ferrea & diademate (huiusmodi ordine seruato) susceptis, ac vnctionis & consecrationis suæ solemnijs, auspice Deo, rite ac feliciter celebratis, ad deformati reformationem imperij & ruinas, quas in eo multiplicauit exacti malitia temporis, reparandas sicut necessitas exigit sub assistrice dextera Domini se impendat vtiliter, & Romanæ ecclesiæ matri suæ filialis dilectionis affectum exhibeat, patrocinij debiti pręstet officium, & defensionis optata præsidia deuotus impendat.

10 Sed quoniam coronæ ferreæ traditionem & impositionem huiusmodi alibi, quam in dicta ecclesia S. Ioannis, & ab alio, quam Mediolanensi archiepiscopo celebrandam posset forsitan dilecti filij Roberti electi Mediolanensis voluntas (quod absit) vel impotentia suaderet; nos, cupientes fauere memorati Regis in hac parte commoditatibus, in quibus vtilitatis publicæ incrementa spe fertili confidimus promouere, fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus quatenus, si præfatus electus requisitus nequiuerit aut noluerit officij sui debitum in traditione ac impositione coronæ forsan exoluere memoratæ, vos vel duo aut vnus vestrum, qui super hoc ab eodem Rege fueritis requisiti seu etiam requisitus, prædictam coronam ferream in eadem S. Ioannis vel alia ecclesia, sicut rerum & temporum commoditate ac opportunitate prouida consideratione pensatis, expedire videritis, auctoritate nostra (seruatis alias solemnitatibus, quæ consueuerunt in tanta celebritate seruari) tradere ac imponere studeatis. Per hoc autem archiepiscopo Mediolanensi, qui pro tempore fuerit, aut alijs, qui se in ipsius impositione ac traditione coronæ ius habere prætenderent, ac prælatæ ecclesiæ S. Ioannis, quoad huiusmodi coronam per Reges Romanorum, qui pro tempore fuerint, ab eisdem archiepiscopo vel alijs & in prædicta ecclesia S. Ioannis, prout ad eos pertinet, suscipiendam suis temporibus, nullum volumus alias præiudicium generari. *Dat. Auin. x. kal. decembris anno 11.*

Ad quem ferreæ coronæ imponendæ ius spectet.

Subrogantur impedito Mediolanensi tres patriarchæ.

11 Excesserat paulo ante 10 octobris e viuis Ioannes archiepiscopus Mediolanensis, cui Robertus successor erat datus, morte repentina abreptus, qua interdum iustum Numen insignes improbitate homines afficere, docet annalium series: cuius mortis genus describit Mattheus Villanus a, enato nimirum in fronte carbunculo, quem cum parum curasset, insistetque ferro excindi, repente eo amputato exanimem concidisse, neque animæ suæ saluti consulere, aut rite procurari sacramentis potuisse: illumque ingentibus vitijs notat, fuisse luxu ac delitijs dissolutum, tumidum superbia, proferendæque tyrannidis cupiditate ecclesiam oppressisse: quod in Bononiæ inuasione vidimus. Meminit M. S. Vaticani auctor b insculptum sepulchrali marmori insigne epitaphium, quo singula eius gesta recensita, & vrbes, quibus imperitauit, enumeratæ: ac demum in hos versus, quibus humanæ felicitatis ludibrium detegitur, desinere.

Ioannis archiepisc. Mediolan. mors.

a Matth. Vill. l. 4. c. 25. Cort. hist. l. 30. c. 7.

b M.S. bib. Vat. sign. n. 2040.

Quid mihi diuitiæ, quid lata palatia prosunt,
Cum mihi sufficiat quod paruo marmore claudor?

Vt vero is tyrannis successerat, ita tyranni qui ipsum vicere sceleribus, ei successere, Matthæus, Bernabo, & Galeatius nepotes, quos pronepotes ex Stephano nepote vocat Matthæus Vil-

Villanus [a]. Ad eos vero Pontifex consolatorias literas dedit [b], ipsosque salubribus præceptis instruxit, vt diuinum timorem amoremque inserterent animis, atque ad confirmandam dignitatem concordiam cum Carolo Rege Romanorũ inirent, sancita pax est, quam augustali indignam fastigio fuisse Villanus ait [c]. Antequam Mantua discessum ob eam celebritatem ornaret, Gambacurtæ præfecti Pisanum vetiti, ne concitata seditione a populo cæsarei nominis studioso exauctorarentur, missis oratoribus [d], se suaque Carolo subiecere ea lege, vt publicæ rei gubernaculis non pellerentur, triginta aureorum millia in apparatum conferendi imperialis insignis, totidemque alia pro afferendo sibi Lucæ dominatu polliciti.

a Matth. Vill. l. 4. c. 38. b To. 2. ep. secr. pag. 392. c Matth. Vill. l. 4. c. 38. Pisani se illi subijciunt. d Ead. lib. c. 35.

12 Agitauit [e] etiam Carolus Romanorum Rex, dum Mantuæ substitit, inter Venetos ac Vicecomites, partisque vtriusque fœderatos concordiæ negotium, quod antea Pontifex Auenione, exciitis Venetorum ac Genuensium oratoribus, promouere studuerat: sed nouæ subortæ res illud diremere. Adducit in crimen Villanus [f] Genuenses, qui elati ex parta victoria, de qua dicetur inferius, immutarint conuenta: induciæ vero confectæ a Carolo Rege ad mensem maium insequentis anni, quo excurrente eo tempore imperialis inunctionis pompæ celebrandæ vacaret. Consuluisset felicius Andreas Dandalus Veneti nominis dignitati, si flexisset ad pacem animum: quo illum tempore Petrarcha, qui pro ea extinguenda discordia oratoris etiam munus obijt [g], his grauissimis sententijs ad funestum bellum sopiendum stimulabat. [h]

e Matth. Vill. l. 4. c. 39. Agitata frustra inter Venetos ac Genuenses pax. f lib. 4. c. 38. Petrarcha pro sacienda oratorem agit. g Andr. Dand. apud Petrar. var. l. 2. 3. h Petrarc. lib. var. ep.

Andreæ Dandulo Venetorum duci.

Cum iam bis acie decertatum, iam Hellespontiacum æquor atque Tyrrhenum geminis cladibus nostris infectum, & iam simillimum veri esset, irarum flammas longo eruoris imbre lentescere, ab hoc nuper Italorum maximo, fidelis heu, sed inefficax tractator pacis ad te ciues quos missus, quibus nec dux vsquam consultior, nec gens vlla tranquillior, quanta præsens in consilio, cui præsides, quanta tecum solus in thalamo verba feci, puto propter vicinitatem adhuc (vt ita dixerim) in auribus tuis sonet. Nequicquam tamen, nam & procerum tuorum, & quod mirum in modum stupeo, pectus etiam tuum salubribus monitis, precibusque iustissimis belli feruor atque armorum fragor obstruxerat. *Et infra*. Accesserat ab aquilone quædam nouarum rerum aura pertenuis, quæ licet aduersus id, quod intendebat flaret, perfeceritque quod timui (pace sit dictum tua) tantam tamen grauitatem auertere ac saniora dissipare consilia non debebat. Quousque enim miseri in iugulos patriæ, & in publicam necem barbarica circumspiciemus auxilia? quousque qui nos strangulent pretio conducemus? *Et infra*.

Illius ad Venetum ducem adhortatio.

Nosti expertus quid pax, quid bellum secum ferat. Vidisti faciem vtramque fortunæ. Victi fuistis & vicistis: quamuis, vt est mens hominum indomita vincendique præcupida, primum forte negaueris, non contendo: vt viceritis semper computa, quæso quid tibi, quid reipublicæ victorijs accesserit. Minus profecto auri, minus est sanguinis, & quod pessimum est, plus scelerum ac malorum. Quæ si victoribus accidunt, quid sperare debent victi? Incipe iam, precor, in hanc rem oculos aperire, quos vigilantissimos ac lynceos habes in cæteris, si damni quam lucri plus, si plus mali quam boni, plus flagitij quam virtutis, si boni, si lucri nihil in bello est, si contrariorum infinita congeries, desine oro iam tandem; & tibi etiam, cui ex parte Troianus est sanguis, ab illo duce Dardanio dictum puta.

Proijce tela manu sanguis meus.

Pax vtilis est ambobus, immo cunctis necessaria, nisi illis, qui rapto viuunt, & exiguum censum multo mercantur sanguine: immane genus hominum, si tamen homines sunt, quibus humani nihil est præter effigiem. Hi sunt, qui infami stipendio calamitosam & miseram vitam trahunt: inire itaque pacem, & in pace famem metuunt, bellum amant, & lupi velut ac vultures strage hominum ac cadaueribus delectantur. Hisne tu belluis morem geres? Aeque carnem & cæsorum exuuias esuriunt: æque sanguinem sitiunt atque aurum. *Et infra*.

Quid expectas igitur? Ad cor redi, & si externi displicent, tuos ama: siquid autem forte in animo rubiginis, si quid odij est, amore patriæ & malorum communium miseratione deterge. Nec tibi persuadeas, pereunte Italia, Venetiam saluam fore: est enim pars illius, & natura partis ea est, vt sequatur sui totius vel subsistentiam, vel ruinam. Hoc tecum sæpe recogitans noli, dux optime, rerum summam in extremum adducere, vbi & vinci miserum est, & vincere sceleratum, eoque ipso miserius est, quam vinci. Melius in nostros hostes, quibus vtinam careremus, quam in nosmetipsos hæc tela verterentur. Melius hæ diuitiæ vel necessariorum præsidia bellorum, vel pacis fuerint ornamenta, quam voluntariæ instrumenta sæuitiæ, &c. *Vale v. kal. iunij* MCCCLIV. Hæc Petrarcha.

Vinci in hoc bello miserum vincere sceleratũ.

13 At illi dux Venetorum parta iam in Calaritano sinu superiori anno victoria respondit in hæc verba [a]: *Ad explicandam cum Ianuensibus causæ nostræ iustitiam non nimie inuitimur, quam ipsa ex se veritas satis nota & prosperorum successuum cælitus nobis accumulata felicitas abundantius sunt professa*. Fauerat quidem Deus superiori anno Venetis, cum Genuensès cælestes iras, reiecta pace concitassent: sed eorum calamitatibus non edocti Veneti, deceptique fugientis felicitatis vmbra, pœnas grauissimas ob non amplexa pacis consilia luerunt; de quo hæc habet Petrarcha [b]: *Bello cum Ianuensibus suscepto dicam an detecto, latens enim bellum defuisse nunquam puto, intra breue tempus primum victi, mox victores rursum maiore prælio victi sunt*. Et infra: *Vtinam dux Andreas, qui rerum summa tunc præerat, hodie viueret: exagitarem eum literis, & omnes aculeos sacuterem, ac tota vterer libertate*. Et infra: *Vt enim fortuna testimonio solebat, nec dubitare, quin, sicut illa prosperior videretur, sic iustior causa sua esset*. Et infra: *Seu morbo corporis seu animi praeuentus, quod per eos dies, contra suam atque omnium spem animosissime ad litus Venetum ipsa eadem, quam penitus victam atque exterritam existimabat Ianuensium classis accessit Huic tumultui dux ipse præter morem armatus interfuit: nec post eum diem fere aliquid gessit, quasi festinans impendentibus caput malis matura morte subducere*. Et infra: *Post quæ statim apud Achaia insulam, cui Sapientia nomen est, Veneti ab eadem illa vagaclasse Ianuensium deprehensi, ingentique prælio fusi sunt; cum honorem duci optimo deferente fortuna, vt, sicut dixi, delatam patria sua cladem in carne*

a Apud Petrarch. lib. var. ep. 3. Detrectata pax a Venetis. b Petrarc. var. ep. 18

positus nō videret. Certe vbi petissimum vincerentur diuinitus euenisse crediderim, quo scilicet vocabulo loci saltem reliqui duces admonerentur, vt sapientiam quam fortunam sequi mallent, & a ratione abeuntibus rerum elicerent argumenta. Consentiunt Petrarchæ Cantacuzenus a, Matthæus Villanus b, & alij, qui fusius cladem illam Venetorum describunt: adduntque c datum coruorum inter se concurrentium, suoque cruore aspergentium Venetam classem, triste præsagium. Reuersus Genuam Paganinus Auria Ligusticæ classis præfectus non diu victoriæ gloria frui licuit, paulo enim post eius amplitudo in titulum sepulchri abijt.

a Cantac. l.4.c.31. b Matth. Vill.l.4.c. 31. c Bizar.de bello Veneto l.2. Foliet.l 7. Andreæ Dan tali responsū.

14 Nec modo Auriæ mors, verum etiam aduersæ in Sardinia res effusam Genuensium lætitiam temperarunt d: insigni enim militari dolo vsus Petrus Rex Aragonum, cum amissa maxima insulæ parte a mense iulio ad nouembrem areem, cui Loieta nomen erat, pressisset obsidione, certior factus de Genuensium in oriente victoria, mox famam sparsit contrariam, deletos mari Genuenses; atque ingenti lætitiæ effusæ apparatu hostem delusit, qui metu consternatus defectionis a Genuensibus consilia inijt. Rex vero recepta Loiera, adacto in sua verba Arboreæ regulo, atque arcibus milite, telis, & commeatu egregie munitis victor abscessit. Fauit in ea expeditione Pontifex Aragonio, ve Sardiniam & Corsicam liberalitate sedi Apostolicæ acceptas ex Genuensium manibus vindicaret, dimidiam enim decumarum ecclesiasticarum in ijs regnis triennio colligendarum partem attribuit e. Detulerant paulo ante solemni ritu Christi vicario clientelarem sponsionem Petri oratores, veteresque pactiones, a Bonifacio VIII. Iacobo Regi dictas, sacramento sanxerant, de quibus monumentum hoc extare voluit Innocentius f.

d Matth. Vill.l.4.c. 31.& 34. Aragonij sparso falso rumore Sardos subijcit. e Lib.2. miscell. pag.121. f An.2.I. lit.diuers. form.ep. 19.

Innocentius, &c. Petro Regi Aragonum illustri.

Significamus tibi, quod dilecti filij nobiles viri Lupus de Gurrea & Bernardus de Thous, milites Oscensis & Vicensis diœcesum, procuratores & nuntij tui, habentes a te ad infrascripta omnia plenum, sufficiens, & speciale mandatum per parentes literas tuas sigillo tuo regio in pendenti sigillatas, & publica manu scriptas, vt prima facie apparebat, in nostra & fratrum nostrorum præsentia personaliter constituti, obtulerunt se paratos nomine tuo nobis pro regno Sardiniæ & Corsicæ, quod a nobis & ecclesia Romana tenes in feudum, & pro quo noster & ipsius ecclesiæ ligius vassallus existis, facere ligium homagium, & præstare fidelitatis debitæ iuramentum iuxta formam conuentionum habitarum inter eandem ecclesiam & claræ memoriæ Iacobum Regem Aragonum auum tuum in concessione de ipso regno memorato Iacobo Regi per eandem ecclesiam dudum facta; & quod nos huiusmodi oblationem ipsorum procuratorum tuorum audira benigne, ac subsequenter de mandaro nostro lectis conuentionibus ipsis coram dictis procuratoribus seriose, ipsisque illas quo supra nomine se offerentibus seruaturos; nos ab eis huiusmodi homagium & iuramentum iuxta huiusmodi formam conuentionum recepimus prædictarum, in testimonium receptionis huiusmodi magnitudini tuæ præsentes literas concedentes. *Dat. Auin. 11. kal. februarij anno 11*.

Eius oratores solēnitate Sardiniam & Corsicam Pontifici acceptas referunt. Confirmant veteres pactiones.

g To.2.ep. secr.pag. 78.

15 Monuit eundem Regem Innocentius g, ne ad principum Aragoniorum, qui Trinacriam contra fas insidebant, gratiam Ioannam Reginam bello lacesseret: maxima enim insulæ Siciliæ parte potitus erat Ludouicus Rex Neapolitanus a, redeuntibus vltro ad illius obsequium proceribus ac populis, qui ferro domari non potuerant. De quo felici successu Pōtifex ipsi est gratulatus b, pollicitusque sacrorum vsum, quo priuata fuerat ob perduellionem insula, restitutum iri; qua de re extant subiectæ literæ c.

a Matth. Vill.l.4.c. 2.& 3. Insula Siciliæ Aragoniorum iugum excutit. b To.2.ep. secr.pag. 93. c An.2.I. lit.diuers. sec.ep.332

Innocentius, &c. venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano.

Dudum tam per felicis recordationis Ioannem XXII. primo, quam subsequenter per piæ memoriæ Benedictum XII. Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac bonæ memoriæ Gotium tit. S. Priscæ presbyterum Cardinalem, tunc patriarcham Constantinopolitanum, & Raterium episcopū Vasionensem Apost. sedis nuntios auctoritate literarū dicti prædecessoris Benedicti aduersus detentores & habitatores insulæ Siciliæ & aliarū eidem insulæ cohærentium insularum, ad nos & ecclesiam eandem spectantium, propter detentionem insularum ipsarum, ac rebelliones & inobedientias per detentores & habitatores eosdem contra dictos prædecessores & ecclesiam commissas, diuersi processus, diuersas excommunicationum in singulares personas & interdictorum in easdem insulas promulgatas pœnas & sententias continentes, successiue habiti extiterunt. Cum autem, sicut per literas & nuntios charissimorum in Christo filiorū nostrorum Ludouici Regis & Ioannæ Reginæ Siciliæ illustrium nobis nuper innotuit, nonnulli comites, barones, nobiles, & milites, nec non quarumdam ciuitatum communia, & quamplurium terrarum & castrorum & aliorum locorum vniuersitates, ac singulares personæ tam clerici quam laici de insulis supradictis, quæ a nobis & ecclesia Romana sub homagio ligio tenentur in feudum, diuina inspirante gratia, pedes suos ab inuio retrahentes erroris, saniorique ducti consilio ad nostram & ecclesiæ, ac Regis (vtpote eiusdem Reginæ viri) & Reginæ prædictorum obedientiam & mandata redierint, & reliqui annuente Domino, sperentur de proximo redituri non admodum de huiusmodi eorum conuersione gaudentes, ac volentes eis more patris beneuoli apostolicæ pietatis ianuam reserare, & de circumspectione tua gerentes in his & alijs in Domino fiduciam specialem; ipsorum etiam Regis ac Reginæ in hac parte supplicationibus inclinati, omnes huiusmodi & quoscumque alios processus, *& infra*, suspendendi auctoritate nostra vsque ad vnum annum a data præsentium computandum (quoad ipsos dumtaxat, qui iam ad dictam obedientiam redierunt, & alios, qui etiam infra dictum annum redierint) plenam & liberam fraternitati tuæ concedimus tenore præsentium facultatem, &c. *Dat. Auin. 2. kal. decembris anno 11*.

Sacrorum vsus illi restituitur

d To.2.ep. secr.pag. 103. e Matth. Vill.l.4.c. 30. f Ib.c.35 & 58.

Consuluit Ludouico Regi Pontifex d, vt in Calabriam se conferret, quo ad recuperandum auitum regnum fortius incumberet. Verum hos secundos successus nonnulli aduersi confuderunt: submissa enim ab eo ad inferendum Panormo commeatum naues ab hoste captæ e, ac nouæ turbæ a fœderatis latronum turmis, quæ proditorum arte ad prædam illectæ sunt, concitatæ f. Male antem meritus est do Pontifice Ludouicus g, intermissa annui census pensitatione: cui anathema aliasque pœnas graniores, ni illum solueret, Innocentius obiecit h. Vt vero ea irretitus noxa ma-

Obiecta Ludouico censure ob non solutū censum. g To.2.ep. secr.pag. 142. 186. h Ib. pag. 131.& lib miscell. pag.118.

magis calamitatibus inuolutus sit, moxque pontificiam misericordiam exorauerit, inferius dicetur.

16 Interea restitui in ecclesiæ gratiam exoptauit Albertus Bauariæ dux, Ludouici antea cæsareo apice exauctorati filius ac paterna scelera damnauit: quem sacro ritu, descripto in subiecto diplomate, conciliari Innocentius iussit. a

a An. 2. l. 2. lit. diuers. for. ep. 127

Innocentius, &c. venerabilibus fratribus Herbipolensi & Spirensi episcopis.

Nuper pro parte nobilis viri Alberti ducis Bauariæ nobis fuit expositum, quod licet ipse tempore obitus quondam Ludouici de Bauaria genitoris sui adhuc esset impubes; nihilominus tamen pro eo, quod post & contra processus per sedem Apostolicam aduersus & contra dictum Ludouicum de hæresi & schismate condemnatum, eiusque complices & fautores, ac adhærentes eidem, & cum ipso etiam participantes, habitos eidem Ludouico adhæsit & obsecutus fuit, & participauit etiam cum eodem, excommunicationis sententiam, per processus eosdem contra talia præsumentes generaliter promulgatã, præter pœnas alias, quibus occasione ipsius Ludouici tam de iure, quam per processus eosdem subiacere dignoscitur, se dubitat incurrisse: quare pro parte ipsius Alberti, qui pubes factus existit, fuit nobis humiliter supplicatum, vt eum ipse cupiat esse & persistere in obedientia & deuotione sanctæ matris ecclesiæ, sibi tam de absolutionis ab omnibus sententijs atque pœnis, quas propter præmissa quomodolibet incurrisset; quam alijs circa præmissa opportunis ei beneficijs prouidere de benignitate sedis Apostolicæ misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui vices illius in terris (quamuis immeriti) gerimus, qui omnes quærit saluos fieri, & neminem vult perire, volentes in eundem Albertum, præmissis conditionibus & nonnullis alijs honestis considerationibus attento pensatis, apostolicæ benignitatis clementiam exercere; charissimi quoque in Christo filij nostri Caroli Romanorum & Boemiæ Regis illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, ac ipsius Alberti in hac parte supplicationibus inclinati; & de circumspectione vestra in his & alijs specialem in Domino fiduciam obtinentes, absoluendi hac vice auctoritate nostra iuxta formam ecclesiæ Albertum prædictum ab omnibus sententijs atque pœnis, quas occasione præmissorum quomodolibet incurrisset, si huiusmodi absolutionem humiliter petierit, & prius in forma subscripta confessionem & recognitionem fecerit, & corporale iuramentum per seipsum præstiterit, ac imponendi sibi pro modo culpæ super ijs, in quibus eum inueneritis deliquisse, pœnitentiam salutarem; ipsumque Albertum ac eius liberos & posteros ad statum & famam & alia quælibet plenarie habilitandi, plenam vobis & cuilibet vestrum, per vos dumtaxat seu vestrum alterum exercendam, auctoritate apostolica concedimus tenore præsentium facultatem.

Admitti in ecclesiæ gratiã efflagitat.

Audiæ eius preces.

Volumus autem, quod si dictus Albertus, postquam per vos absolutus & habilitatus fuerit, vt præfertur, contra ea vel aliquod eorum, quæ promittet vel iurabit veniret, eo ipso in easdem pœnas & sententias relabatur. Ac etiam volumus, quod confessio & recognitio, iuramenti præstatio & absolutio eiusdem Alberti supradicti in vestra vel alterius vestrum præsentia & clericorum & laicorum multitudine copiosa solemniter & publice fiant; & quod de ipsis confessione, recognitione, iuramento, & absolutione confici faciatis per bonos & autenticos notarios publica instrumenta, quæ vestris sigillis munita nobis per fideles nuntios destinare curetis. Forma autem confessionis & recognitionis faciendæ, ac iuramenti præstandi per Albertum præfatum talis est.

17 *Ego Albertus dux Bauariæ natus quondam domini Ludouici de Bauaria, olim pro Romano Imperatore se gerentis, per iudicium tamen sanctæ Romanæ ecclesiæ reprobati, desiderans & requirens humiliter a pœnis & sententijs, quas propter præmissa incurri, absolui & vnitati sanctæ matris ecclesiæ reconciliari misericorditer, & ad eius ouile reduci: iuro ad sancta Dei euangelia stare & obedire mandatis sanctæ matris ecclesiæ supradictæ, & domini mei domini Innocentij, Dei prouidentia Papa VI. seu alterius, quem ipse ad hoc duxerit deputandum: & insuper omne schisma abiuro, & promitto, me in vera obedientia præfatæ ecclesiæ, & præfati domini mei Papæ, & successorum suorum canonice intrantium, sine fictione qualibet perpetuo permansurum. Confiteor etiam, me tenere & credere, quod credit, tenet, & docet sancta* Romana *mater ecclesia. Illam quoque detestor damnatam assertionem, quæ damnabiliter asserit, Imperatorem* Romanum *posse Romanum Pontificem deponere, & sibi alium subrogare. Dat. Auinion. 12 kal. aprilis anno 11.*

Sacramẽti ab eo nuncupãdi formula.

18 Damnatum etiam a Ludouico marchione Brandeburgensi huius fratre natu maiore Ludouici Bauari schisma, dicetur inferius. Addimus nunc ex Alberto Argentinensi a, illum Carolo Romanorum Regi lanceam, clauos, partem crucis Christi, & alia insignia, quæ imperij dicuntur, a patre accepta restituisse, cum ab eo aduersus fictitium Vualdemarum marchionatus inuasorem principatui assertus fuisset: has vero sacras reliquias Pragam delatas ingenti Boemorum gratulatione exceptas. Extant Innocentij literæ hoc anno ad Carolum datæ b, quibus sacra illa dominicæ passionis monumenta in altari venerationi fidelium, quorum pietas sacris etiam indulgentijs aucta est, exponendi solemni die recurrente potestatem contulit c. Decretum autem ad Caroli preces ab Innocentio festum diem ad recolenda sacra illa pignora, meminit Henricus Rebdorfius d: *Hic Papa*, inquit, *ad supplicationem Regis Caroli speciale festum in honorem instrumentorum dominicæ passionis, videlicet hastæ, clauorum, & aliorum in partibus Alemanniæ & Boemiæ solemniter celebrandum indixit feria VI. post octauam * orationis dominicæ: & super hoc indulgentias dedit.* Actum id indicat auctor Gallorum pio exemplo, qui coronæ spineæ Iesu Christi, quam magna religione custodiunt, festum diem celebrant. Confirmantur Rebdorfij dicta Innocentij diplomate e, quod ob rei dignitatem subijcimus.

Recuperata a Rege Carolo imperij insignia.

a Alb. Arg. in chron.

De lancea clauo & parte crucis.

b An. 2. l. 2. ep. diuers. form. 136.

c Ibid. ep. 137.

d Rebdorf. in annal. Alb. Arg. in chron. Vie. Ternos auct. apud Bosq.

** resurrectionis.*

e An. 2. l. 2. lit. diuers. for. ep. 135

Innocentius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

In redemptoris nostri domini Iesu Christi, per quem saluati & liberati sumus, sacratissima passione sic nos gloriari oportet, vt ipsius passionis cuncta mysteria dinumerantes & merita, in singulis etiam eius salutaribus instrumentis & fructibus gloriemur: inter quæ illud celebriter memorandum est, quod ipso Saluator, emisso in cruce iam spiritu, sustinuit perforari lancea latus suum, vt inde sanguinis & aquæ profluentibus vndis, formaretur vnica & immaculata, ac virgo sancta mater ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris apertura, vnde nobis tot &

Diploma de festo diej decreto.

tanta diuinæ pietatis dona fluxerunt; hinc siquidem nostræ redemptionis pretium; hinc ablutionis & regenerationis lauacrum: hinc ipsius ecclesiæ sacramenta suscepimus. O felix lancea, quæ tot bona nobis effecit, & ad tāti triumphi gloriam superadditam hoc latus ipsum apetiendo sanctissimum, ianuas nobis regni cœlestis aperuit. Hæc vulnerando iam mortuum, vulnera nostra sanauit, vitamque nobis reddidit & salutem. Hæc innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit, & demum eisdem vndis sacratissimis irrigata cœcitatis nostræ tenebras sustulit, & nos ipsius diuinæ pietatis fluuijs inundauit. Illique etiam dulces claui, cum quibus ipse Saluator eidem cruci fuit affixus, quique non solum eius immaculato respergi sanguine, & molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed & nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius diuinæ charitatis accepimus, vt manus nostræ a peccari solutę nexibus, pedesque nostri a mortis laqueo fuerint liberari, sunt deuotissime recolendi. Quid enim vulnere ac plagis huiusmodi sanctius, quid eia salubrius, ex quibus salus nostra processit, & in quibus assidue curare se possunt animæ deuotorum? Licet igitur lancea & claui prædicti aliaque ipsius passionis salutifera instrumenta sint a cunctis Christi fidelibus vbilibet veneranda, & de ipsa etiam passione in eadem ecclesia solemnia annis singulis officia celebrentur & fiant; dignum tamen & conueniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, & præsertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale festum celebretur & fiat; nosque illos Christi fideles, qui aliqua ex instrumentis ipsius habere se gaudent, in eorum deuotione diuinis officijs atque muneribus specialiter foueamus.

Sane oblata nuper nobis pro parte charissimi in Christo filij nostri Caroli Romanorum & Boemiæ Regis illustris petitio continebat, quod ipse inter sacras reliquias, quæ imperiales vulgariter nuncupantur, quæque tanquam preciosissimus imperij Romani thesaurus consueuerunt per Romanorum Regem seu Imperatorem, qui est pro tempore, conseruari ac reuerentissime etiam honorari, habet in sua custodia prædictam sacratissimam lanceam, nec non vnum ex clauis prædictis, prout prædecessores sui claræ memoriæ catholici Romanorum Reges seu Imperatores etiam habuerunt; & quod ad ipsas reliquias habetur in illis partibus magna deuotio & concursus etiam populorum: quare dictus Rex velut princeps catholicus zelo deuotionis accensus nobis humiliter supplicauit, vt de ipsis lancea & clauis tam pro eorum veneratione maiori, quam pro Romani imperij fauore & honore præcipuo, festum in Alamanniæ & Boemiæ partibus perpetuo celebrari statuere ac præcipere dignaremur.

Datum id petenti ce- ssere.

Nos itaque cupientes, quod ipsi lancea atq; claui in partibus maxime, in quibus habentur & etiam conseruantur, tanto ab ipsis Christifidelibus deuotius venerentur, quāto pro ipsis celebriorem Altissimo cultum viderint exhiberi; deuotis quoque eiusdem Regis supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate statuimus & etiam ordinamus, quod ad ipsius Saluatoris nostri laudem & gloriam, dictæque passionis suæ reuerentiam gloriosam de præmissis lancea & clauis & sub eorū vocabulo propriū festum cum speciali officio, per aliquos prælatos catholicos & alios paginæ diuinæ peritos, quos idem Rex ad eos eligendos duxerit ordinando, sexta feria post octauam resurrectionis dominicæ annis singulis a Christi fidelibus in eisdem Alamanniæ & Boemiæ partibus perpetuo solemniter celebretur. Et vt fideles ipsi ad venerationem ipsorum lanceæ & clauorum feruentius animentur, eoque ad ecclesiam vel capellam, in qua fuerint, & ad celebrationem festi & officij prædictorum libentius confluant, quo ibidem vberius dono cœlestis gratiæ conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in die festi huiusmodi ipsam ecclesiam vel capellam, in qua tunc lancea & clauus ipsi fuerint, vt præfertur, deuote visitauerint annuatim, tres annos & tres quadragenas, singulis videlicet ipsius festi diebus, quibus ecclesiam vel capellam ipsam visitauerint; eis vero, qui eadem die in missa & singulis horis canonicis vbicumque in prouincia dicti Regis & successorum suorum catholicorum Romanorum Regum seu Imperatorum, qui pro tempore fuerint, diuinis interfuerunt tam in missa, quam in singulis horis eisdem, centum dies, in qualibet videlicet missa & singulis horis eisdem, quibus in præsentia Regis vel successorum suorum prædictorum diuinis ipsis interfuerunt, vt præfertur, de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. id. februarij anno* 31. Extant de eo Ad Magdeburgensem, Pragensem, Coloniensem, Treuirensem, Moguntinum, Salisburgensem, Bremensem, Rigensem archiepiscopos, eorumque suffraganeos encyclicæ litteræ a. Quæ de lancea, qua Christi latus in cruce transuerberatum est, retulit Innocentius, hæc ex Caroli Imperatoris relatione repetiuit. Fuisse autem illam lanceam, quæ in thesauro augustali seruabatur, ex aliqua parte clauorum dominicorum coniuncto alio ferro eleganti opere elaboratam, & a Sampsone Italiæ comite Rodulpho Burgundionum Regi dono traditam, & ab hoc Henricum Regem Othonis Saxonum ducis filium eandem minis extorsisse, ostendit Cardinalis Baronius b. Verum autem ferrum lanceæ, quo Christus in cruce transfossus est, in basilica Vaticana a populo Christiano inter alia dominicæ passionis sanctissima monumenta colitur. Qua autem ratione delatum fuerit, in Innocentio VIII. Deo dante, dicemus. Nunc ad Carolum IV. Imperatorem, a quo digressa est oratio, redimus.

Instituta sacræ preces.

Indulgentiæ eas reliquias venerantibus propositæ.

a Reg. post eund. ep. et ep. 411. et 412.

Verū ferrum lanceæ dominicæ in Vatic. basilica seruatur.

b Baron. annal. to. 10. ann. Chr. 929. n. 2. & 3.

Ornauit quoq; Pragam Carolus Rex pluribus alijs sacris reliquijs c, quas ex varijs partibus ad conciliandam sibi multorū sanctorum clientelam ac pietatem Boemorum augendam cumularat, quas Innocentius in pontificio diplomate recenset d. Hęc non prætermittenda visa, quo aduertant Boemi, tum Boemiam, cum pietate floreret, ad summum splendorem efflorniisse; deinde vero, vbi hæresi se infici passa est, vna illius dignitatem obsoleuisse. Nunc ad Francorum res sermonem traducimus.

c Gallia Innoc. VI. apud Bosq.

d Eod. l. 2. lit. diuersis. fol. ep. 117

39 In Gallijs suspensi fuere omnium animi expectatione concordiæ, quæ pontificis cura & solicitudine agitabatur. Ac sane Guidonis episcopi Portuensis Cardinalis summo studio impetratum est e ab vtroque Rege, vt induciæ extraherentur, mitterenturque insignes auctoritate ad sedem Apostolicam oratores, vt Pontificis fœderis interpretis opera ad mutuam consensionem voluntatum adduci possent. Quo accepto, Innocentius Guidonem Cardinalem, cuius industriam

Pacis colloquia Gallos inter & Anglos agitata.

e Matth. Vill. l. 4. c. 36.

ſtriam erat expertus, ad apoſtolicam aulam reuocauit a. Attulere autem ingentem trepidationem Caroli Regis Nauarræ cum Ioanne Francorum Rege exortæ ſimultates, ne ciuili bello regnum cruentarent, ex quo Anglus grauiora mala inferret. Cuius propulſandi diſcriminis ſolicitus Pontifex, Carolum molliſſimis hiſce verbis delinire, atque ad priſtinum in Regem Francorum amorem reuocare ſtuduit b: *Licet ſperaremus, quod verus amor, qui inter Regem & te fuerat, erat, & eſt, ſicut res, quæ de facili ad propriam naturam reuertitur, deberet fortius inſtaurari; dolebamus tamen dici poſſe in modico & ad modicum vulneratam alterutrum charitatem. Itaque Deum, qui charitas eſt, & in quo manet, qui in charitate permanet, deprecamur attentius, vt ipſe inter vtrumque veſtrum dilectionem adaugeat, confirmet & roboret charitatem: ſicque ad laudem & gloriam ſuam, honorem vtriuſque veſtrum, & ſubditorum illi & ſibi ſalutem & ſtatum det cuncta diſponere, quod diligentibus illum & te materia exultationis & gaudij vberius inde creſcat. Dat. Auin. XVII. kal. aprilis anno I.* Geſſiſſe tum morem apoſtolicis conſilijs viſus eſt Carolus Rex: cum enim Auenionem ad Pontificem acceſſiſſet, coram Cardinalibus eſt conteſtatus, ſe ad Regis ſoceri gratiam, quam maximo haberet in pretio, captare omnes aditus paratum: redintegrandæque inter Reges pacis cupidiſſimus Pontifex, cum Nauarrus Gangerium oratorem ad Ioannem Regem mitteret, illum Regi enixe commendauit c, hortatus vt Nauarrum priſtina gratia & beneuolentia proſequeretur.

a To. 1. ep. ſec. pag. 97 & 109.
Orta Gallum inter & Nauar. diſſidia.
b Ibid. ep. ſec. pag. 41.
Monitus officij Nauarræ Rex.
c Ib. pag. 201.

Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Ioanni Regi Francorum illuſtri.

Attendentes, quod licet diuiſio & ſciſſura qualibet domus & regni cuiuslibet, atteſtante Domino, periculoſa ſit, vtpote quæ deſolationem & caſum (quos a tuis ſemper faciat Deus alienos) compendijs comminatur, domui tamen & regno tuis (quod auertat ipſe Dominus) eo temporibus his pericloſior eſſe poſſet, quo dicti regni tui proſperitas plures contra ſe hoſtes & æmulos, peccatis exigentibus, per inuidiam concitauit; ac ſperantes, quod tu, ſicut princeps prouidus & pietatis amicus, conceptā aduerſus eundem Regem indignationem & iram temperabis clementia, & manſuetudine ſuperabis, ſerenitatem tuam attente requirimus & attentius deprecamur, per viſcera miſericordiæ Dei affectuoſius obſecrantes, quatenus prudenter conſiderans, quod ab eo es Rex in gentibus conſtitutus, qui miſericordiarum pater eſt, & cuius miſerationes ſuper omnia opera eius inceſſanter abundant, quique prouocatus quamtumlibet, aperit pius humiliatis peccatoribus miſericordiæ ianuam, & veniam ſupplicibus benignus indulget; ac intuens, quod ſi ex more quemuis opificem conſeruatio ſui operis afficit, te quoque præfati Regis, quem propriam filiam ei dando in coniugem filium effeciſti, debet conſeruatio animare; & quod hac etiam & alijs conſiderationibus pluribus, ſæuiendo in eum, in te ſæuire quodammodo cenſereris, eundem Gangerium pro diuinæ maieſtatis reuerentia, publicæ vtilitatis intuitu, & noſtræ interceſſionis obtentu benigne recipias, clementer audias, & humilia dicti Regis vota, quæ per ipſum militem magnitudini tuæ ſuppliciter offert, a ſperata ac expedienti gratia non repellas. *Dat. Auin. XVI. kal. ianuarij anno ſecundo.* Conciliari concordia inter generum & ſocerum Reges non potuit a: Carolus enim excepti potius capitalis iudicij ob magiſtrum equitum regiæ Hiſpanæ principem inſidijs Engoliſmæ cæſum, quam vitæ condonatæ memor, conſilia cum Anglo in rei Gallicæ exitium clandeſtina agitauit: ad quem Ioanni conciliandum Ioanna & Blancha Reginæ viduæ, vt incumberent, rogatæ b; Catalaunenſiſque epiſcopus adhibitus c: ſequenti vero anno ab Innocentio Elnenſem epiſcopum & abbatem Cluniacenſem miſſos viſuri ſumus.

Nauarra a Pont. ad eum Gallo conciliandum opera.
a Froiſſar hiſt. Gall l. 1. Paul. Aemil. in Ioan.
b To. 2. ep. ſec. pag. 200.
c Ead. pag.

20 Exorientibus etiam Gallos inter & Hiſpanos nouis bellorum cauſis, cum Galli illatam Blanchæ Reginæ Caſtellæ & Legionis Philippi ducis Borbonij filiæ iniuriam vlciſci meditarentur, & ciuili bello in Caſtella efferueſcenti, cum proceres Regis ſui Saracenicos mores exoſi Reginę dignitatem tueri, Galliſque adhæreſcere parati eſſent; d Chriſti vicarius Bertrandum epiſcopum Senecenſem in Caſtellam miſit, qui Blancham regio thoro reſtituendam curaret, diſſenſionumque motus componeret. Faſtidire tum Mariæ Padiliæ lenocinia ac formam Petrus Rex cœperat: atque illa vel ſceleris horrore perfuſa, vel ob regium contemptum, repudium dare mundo, ſeque religioſa domo includere decreuerat e, in qua, vt ad Pontificem ſcripſerat, anteactæ vitæ maculas deleret lachrymis, pijque conſilij factus particeps Caſtellæ Rex, flagitauit literis ab Innocentio, vt condendi monaſterij ordinis S. Claræ, in quo Maria Padilia vna cum ſanctimonialibus operam rebus diuinis daret, poteſtatem permitteret. Cui Innocentius ex vtriuſque conuerſione, quam præ ſe ferebant, recreatus annuit f, ac Petrum grauiſſimis ſententijs ad inijciendum cupiditatibus frænum, eſt adhortatus. g

Caſtellæ res. vitio Regis turbidæ.
d Matth. Vill. l. 4. c. 18.
e Ann. 2. l. 2. lit. diuerſ. for. ep. 203 & 320.
Illi adultera ſuſcepit reſipiſcentiæ conſilia.
f Ibid.
g To. 2. ep. ſecr. pag. 67.

Innocentius, &c. Petro Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri.

Age fili, & ſicut ipſius mulieris [nimirum Mariæ Padiliæ] ſauiſti deſiderio, precibus fic ad huiuſmodi operis, quod eſt Dei, cuius perfecta ſunt opera, perfectionis operam ſolerter impende, vt omnis in te aboleatur infamia, & omne fiat a te periculum alienum: mulierum etenim forma deceptrix, & demulcens perſuaſio, multis fuit præcipitij cauſa, & multorum gloriam offuſcauit. Nam paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier expulit, & Samſon fortis & validus, qui leonem ſuffocauit, diſſoluit hoſtium vincula, & alienas meſſes incendit, quoniam amorem ſuffocare non potuit, & cupiditatum ſuarum nexus explicare nequiuit, Dalilæ accenſus igniculo virtutis ſuæ meſſem indecenter amiſit. Dauid quoque Rex de poſt fœtantes acceptus, quamquam polleret ſpiritu prophetiæ, quia in Berſabeæ concupiſcentiam exardeſcens, amoris illiciti faces neglexit extinguere, in innocentis Vriæ necem immaniter deſæuijt. Salomon præterea, qui velut quoddam luminare magnum præ cæteris Regibus ſapientiæ luce reſplenduit, & vſque ad ſenium in ſemitam mandatorum Domini ambulauit, ætate iam frigidus, ſed flammis amoris incenſus, ad adorandum Aſtartem & Acbamot & Moloch Sidoniorum & Moabitarum ac Ammonitarum ſurda & muta ſimulacra, oblitus gloriæ præpotentis Domini, genua incuruauit: propter quod regnum eius ſcidit & diuiſit Dominus indignatus, & duodecimam tantum eius, quæ remanſit, regnanti poſt eum filio ſuo Roboam Dauid patris eius merita impetrarunt. Multi & multi etiam alij, quorum nomina & caſus deſcribere longum eſſet, & plures, quorum nec celebris me-

Monitus ad Caſtellanum, vt voluptates coerceat.
Infelicia eorū qui ſe ijs dedidere, exēpla propoſita.

memoria est, per effrænis voluptatis abrupta vagantes præcipites corruerunt. Hæc tibi licet pauca libenter exempla descripsimus, vt in eis quasi quodam in speculo intuearis, quot & quantis discriminibus subiacent sectantes improuide impudicitiam mulierum.

Tum vitę inconstātia. Ad huius præfatæ Mariæ, proculdubio necessariam tibi & ei, consummationem desiderij nullas moras temporis patiaris, ne præoccupatus die mortis spatium pœnitentiæ quæras, & nequeas inuenire: frequentet enim expectans tempus temporis consecutione fraudatur, & quod ire non intelligit, demum sentit necessitate cogente vltimum transijsse ac immutabilis sententiam mortis excepit sæpe iuuenis ante senem. Et quoniam properanti cuilibet ad salutem non sufficit a se mala quæque præscindere, nisi studeat bonis operibus insudare, oportet inclyte princeps, & magnitudini tuæ necessario expedit, vt charissimam in Christo filiam nostram Blancham Regionam Castellæ & Legionis illustrem vxorem tuam, quam antefatæ mulieris demulcentibus illectus & deceptus blanditijs, non sine graui Creatoris cui contumelia, salutis ac famæ dispendio, regnorum tuorum periculo, & exemplo detestabili, contempsisse & contemptam dimisisse diceris,

In dimiss. sa vxore Numen offendi. omnino recipias, & receptam sicut eam, quam diuinæ dispensationis munere sortitus es, vxorem & sociam; & quæ tecum diuinæ legis indissolubili sententia facta est vna caro, prout decet tanti sanguinis principissam, & tanto principi matrimonio copulatam, sic amabiliter tractes, & honorificentia debita prosequaris, quod ipse Rex regum, per quem tibi regnare concessum est, & quem eius præcepta contemnens, in ipsius vxoris tuæ dimissione offendisti & offendis grauiter, sufficienti satisfactione pacatus, & propitius tibi factus, te ac eandem Reginam de solio suo sancto respiciens, tollat de domo tua, in qua velut vnicum lumen irradias, sterilitatis opprobrium; & populorum tuorum expectantium de fœmore tuo ducem & principem, qui (te tuis dormiente cum patribus) eos regat, fœcunditate numerosæ prolis benigne concessa desiderijs annoat, roboret thronum, & stabiliat sceptra tua: toque hereditatem tuam vertendam ad alienos non metues; quinimmo lætetis te illam proprijs heredibus relicturum, &c. *Dat. Auin. viii. id. aprilis anno 11.*

Placandū, vt det śe vtri heredem.

Noua adulteria speciē cōiugij mita 21 Ob contempta hæc Pontificis monita Petrum misere perijsse visuri sumus: interim ille viriorum volutabra commutans, in coniugij speciem Castriam sibi iunxit: paucisque apud eam diebus moratus, expleta libidine, ad Mariam

a Marian. l.16.c.18. Padiliam reuetsus a est. Quibus auditis Pontifex Berttando episcopo Senecensi pontificio internuntio dedit imperia, vt Sanctio Abulensi & Ioanni Salamanticensi episcopis, qui Petri cum

Vocati in ius lenones, episcopi. b To.1.ep. secr.pag. 79.83.88. alib.pag.94 d Ib.a.pag 81. Blanca matrimonium dissoluere erant ausi, diem diceret, eosque causam suam actutos ad sedem Apostolicam se conferre iuberet b: Petrum ad Blancam reuocandam censuris compelleret; ac tum in eum, tum in proceres, qui regijs cupiditatibus lenocinarentur, legibus & iure iudiciario ageret: subiectasque grauissimas literas c Regi porrigere iussit d.

Innocentius &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Castellæ & Legionis illustri.

Ecce iam quasi orbis scelerum tuorum rumoribus perstrepit. Ecce peccatorum fama vulgata auribus fere omnium insonat, quibus absorbetur salus, obtenebratur claritas, obscuratur gloria, denigratur dignitas, fit honor inglorius, & fama regia, ante sui ortus primordia suffocata, vulgi labijs laceratur. Porro dum tu, qui quadam tua pellectus a pellice, quam ad amplexus oesarios & illicitam copulam, chatissimæ in Christo filiæ nostræ Blanchæ Reginæ Castellæ & Legionis illustris vxoris tuæ pudico thoro impudicis motibus diutius derelicto, in campum quasi publicæ voluptatis egressus, patenter admiseras, crederetis quod, ad cor rediens & spiritum compunctionis assumena, mentemque tuam in illius virtute corroborans, qui te ipsamque Reginam, indissolubili vinculo, matrimonij scilicet fœdere copulauit, eandem pellicem prorsus abijceres, & velut viperam tuorum corporis & animæ corrodentem latera abhorreres, ac præfatam Reginam, quæ dicitur verecundia grauis, faceta moribus, honestare matura, & conuersatione laudabilis, & sicut illustris sanguinis fulgore prærutila, sic virtutum omnium monilibus adornatur, ad thalamum regium reuocares, ac tractares honorificentia digna & affectione debita reuocatam: subito quasi actus in rationis exilium, eadem non dimissa pellice sed retenta, dictaque Regina non solom non admissa, sed abiecta turpiua, & maiori confusione contempta, quandam aliam superinduxisti peccator adulteram, cum qua ad pallium præsumpti facinoris, ac ioiquitatis attentatæ velamen, extortis prius a præfata Regina per vim & metum, qui necdum in fragilitatem fœminei sexus, sed in cuiusque viri constantiam cecidisset, quibusdam recognitionibus & confessionibus friuolis, ac insuper quadam tua nugatoria, quam tamen licet nullam contrarijs subsequenter operibus irritasti, protestatione conficta, in grauem tui Creatoris contumeliam, confusionis tuæ cumulum, & opprobrium omnium, quos dignitatis regiæ splendor illustrat, matrimonium, immo contubernium de facto contrahere præsumpsisti: non aduertens, quod tantam vim habet, tantaque virtus est matrimonij sacramentum a Domino institutum, vt eius nullus rumpere vincula, nullus nodos valeat explicare.

Monitus iterum Petrus, vt vitam emēdet.

Vt per vim & metum falsa ab vxore extorserit.

Expositus sceleris horror. O scelus, o nefas. Princeps ad aliorum corrigendos errores constitutus a Domino, alios facis tuorum exemplo facinorum delirare: & gladium, quem tibi ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum portare concessum est, innocentis mulierculæ conuerris in metum. O scelus, o nefas, Rex populos, quos dirigendos susceperas, trahis in deuium, & rectas iustitiæ vias obliquitate corrumpens, non in cuiuslibet hominis, sed in alterius proprij corporis tui partis iniuriam præceps ruis. Reuertere itaque, reuertere de regione dissimilitudinis: solue vincula peccatorum, & de iugo Ægyptiacæ potestatis egrediens, ad terram libertatis & salutis accede. Asperge contritionis cinere caput tuum: expurga illud impinguante oleo peccatricium. Ablue conscientiæ sordes compunctionis lacrymis, & maculas mentis abstergens aqua pœnitentiæ salutaria, timorem Domini reassume, quoniam beatus vir, qui metuit Dominum, & potens in terra semen erit ipsius, ne si (quod absit) in peccato quasi sopoeatus, obdormias, Deus zelotes aduersum te ad vltionem excitana zelum suum, quasi vmbram, eum declioat, te auferat, & de terra memoriam tuam perdat.

22 Sperantes igitur quod ea, quæ præmisimus sic benigne recipies, sicque in filiali tua mentra dul-

dulcescent emanantia ex paternæ dulcedine charitatis, quod auctore Deo fructus afferent expectatos; magnitudinem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique tuæ salutis & honoris intuitu expressius iniungentes, quatenus priorem & secundam adulteras ipsas omnino abijcias & repellas, dictamque Reginam, ad quam tot expletam contumelijs, totque opprobrijs saturatam etiam humanitatis gratia pia debes compassione moueri, ad te reuersus admittas, honorificentia, quæ tantæ principissæ tantoque principi matrimonio copulatæ conueniat, prosequaris; & hucusque repescentem ad eam excites zelum tuum: sicque tu & ipsa inuicem iuncti sicut matrimonio, sic etiam charitate maneatis in Deo, & in vobis etiam Deus manens, concedat vobis longæuæ ac felicis vitæ spatia, & prolem, per quam culmen regium, translationis ad exteros vitatis omnino periculis, stabile maneat, largiatur.

Cupiditates casto thoro coerceat.

Denique precibus & exhortationibus nostris adijcimus, vt ea, quæ venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Senecensis Apostolicæ sedis nuncius lator præsentium, quem ad te propter hæc & alia quædam negocia destinamus, pro parte nostra retulerit, credas indubie: illaque ad effectum consummationis votiuæ ac celeris, per quam Romanam ecclesiam matrem tuam, quæ ex maternæ dilectionis affectu super his anxiatur, lætifices, perducere non postponas. Alioquin ea super his curabimus remedia salubriter adhibere, quæ eis debita consideratione pensatis videbimus expedire, cum non sit deferendum homini contra Deum; nec expectare velimus, quod sanguis tuus & aliorum, qui culpa tua labourur in denium, de nostris manibus requiratur. *Dat. Auin. 10. kal. maij anno 11.*

Pareat internuntij dictis.

23 Dum porro amoribus impuris Petrum Regem dæmon irretitum tenebat, non modo grauissimis illum calamitatibus mersit, verum ne Abdalas Rex Clarorummontium a Mahumetica superstitione ad Christianam religionem Castellanis armis fretus transuolaret, obstitit. Agitarat barbarus sacrum illud consilium cū Alfonso Rege, quem in Heracleæ obsidione morte abreptum luximus: ac deinde in pia suscepta sententia constans, missis oratoribus ac filio dato obside, Petrum Regem ad sacram expeditionem suscipiendam prouocarat. Tanti operis gloria stimulatus [a] Petrus, Christi vicarium de Abdalæ Regis conuersione ac promissis illi auxilijs certiorem fecit, atque necessaria conficiendo bello sacro subsidia, ac vexillum Romanæ ecclesiæ cruce & clauibus insignitum poposcit: tum vt in Aragonia, Nauarra, Castella, Legione, Lusitania fideles propositis indulgentiarum præmijs ad pia arma corripienda e sacro suggestu incenderentur. Collaudauit Pontifex sacrum consilium, atque ardui operis ad optatum finē perducendi modos omnes exquirere: quibus exploratis relatisque sedi Apostolicæ, auxilijs, studio, & opera ad sacram expeditionem promouendam se non defuturum est pollicitus. Abdalam vero, propositis religionis Christianæ sanctitate, ac diuinis præmijs, ad exeutiendam superstitionis Mahumericæ seruitutem, ac baptismalia sacra suscipienda est adhortatus. [b]

Abdalas Rex de fide suscipiēda deliberat.

A Castellano petit auxilia.

[a] Ib.pag. 45.

[b] Eod.to.2. ep. secr. pag. 46.

Abdalæ Regi Montium clarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ex charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Castellæ & Legionis illustris, & tuis literis præsentatis nobis per dilectum filium Didacum Garsiæ socium ecclesiæ Hispalensis & nuncium regni ipsius, quas benigne grateque recepimus, & eiusdem nuntij relatione placida nobis innotuit, quod olim tu veræ lucis, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, splendore lustratus, paganæ cæcitatis abiurare tenebras & erroribus abrenunciare sathanæ omnino proponens; ac desiderans, vt renatus fonte baptismatis & rudimentis catholicæ fidei informatus, tibi & subditis tuis populis ducatum præberes, fauente Domino, ad salutem cum claræ memoriæ Alfonso Rege Castellæ & Legionis, tunc in humanis agente, certos tractatus habuisti, per quos sperabas huiusmodi negotium felicem exitum habiturum: quodque memorato Alfonso Rege, rela vitæ succisa, in Domino quiescente; ac propter hoc ipsius tam salutaris negotij prosecutione suspensa, tu ab ipso Patre luminum, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum est, roboratus ac sancti Spiritus inspiratus gratia, & rore perfusus in bono proposito persistens firmus & constans, charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Castellæ & Legionis illustrem, ipsius Alfonsi Regis natum, vt habitis per te cum eodem Alfonso Rege tractatibus huiusmodi operam prosecutionis adijceret cum instantia requisisti. De quo anima nostra tanto potius laudat & magnificat Dominum, tanto spiritus noster in eo exultat amplius, & in iubilum lætitiæ maioris erumpit, quanto speramus certius & credimus firmius, quod omnipotens Deus, cuius perfecta sunt opera, cuiusque dona imperfectionis detrimenta non norunt, perficiet benignius in te, quod tuis præcordijs misericors inspirauit.

Pontificis ad Abdalam literæ

Vt cum Alfonso cœptū sit colloquiū

Eia igitur, princeps inclyte, accinge fortitudine mentem tuam: arma constantia cor, animum inuictæ firmitatis virtute corrobora; & intuens, quod non sufficit inchoare, quinimmo continuatæ vsque in finem expedit ad salutem, conceptum pium atque laudabilem, salutarem producas in partum, vt te rectore te duce populus gentium, qui in tenebris ambulat & in vmbra mortis sedet, lucem magnam, lucem, in quam, æternæ & immarcessibilis vitæ inspicere, & in viam pacis Domini, quæ omnem sensum exuperat, pedes suos dirigere (præstante illo sine quo nullus regit aut regitur, nullus ducit vel ducitur) mereatur.

Addit barbaro pij stimuli

24 Sane quia firmiter credimus, & sine dubitatione tenemus, quod sicut ex more quemuis opificem conseruatio sui operis afficit, sic magnitudo tua etiam ad consummationem eiusdem inchoati negotij animatur; apud te propterea non exhortationibus multis insistimus, sed retributionis meritum & coronam gloriæ, quæ ab eo, cui nunquam fine remuneratione seruitur, immo qui fidelibus suis, quorum merita excedit et vota, multo maiora retribuit, quam ipsi promereri valeant, percepturus ea ex ipsius exitu & consummatione felicis negotij, pollicemur. Nam sicut in mundana republica, qui salutem suam tuetur ab hostibus, commendatur & recipit pro labore mercedem, & qui seipsum ac patriam periculis eripit, præter clarioris famæ titulos, vberioris collatione rependij præmiatur; sic in illa magna republica, quæ sursum est, omnis miles, qui Christianæ religionis armia aduersus latentis hostis fallaciam intrepidus dimicans ipsius impugnationibus, quæ multæ sunt, non succumbit, recipitur: & is qui suam

Proposita diuina, quæ illum maneant, præmia.

suam moltorumque salutem procurat, & custodit strenuus, altiori gradu & munere insignitur.

Quantæ igitur erunt gloriæ tuæ, quanta rependia, quantaque insignia & fasces honorum, si tot millia personarum, per abrupta vitiorum & deuia peccatorum pecudum more vagantium, a frementium bestiarum incursibus liberes, subducas morsibus & in caulam Domini reinducas? Profecto nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec humanæ linguæ posset ministerio enarrari. Exulta igitur & lætare, princeps magnifice, tantorum fiducia præmiorum: gaude ac iubila, quoniam & terreni regni clarificabis solium, roborabis & sceptra, & Aeterni sinu potentissimo exceptus, indeficientibus operibus & delitijs potieris. *Dat. Auin. VIII. kal. aprilis anno II.* Qui ad Abdalā ad Christum adducendum expeditionem sacrā ornare, atque in bello sanguinem pro religione amplificanda fundere paratum se prætulerat Petrus Castellæ Rex, Saracenicos mores in effusa libidinum licentia imitatus, bello intestino se implicuit.

Dissipata sacra ea consilia.

25 Maiori gloria ac felicitate Ludouicum Vngariæ Regem vna cum Poloniæ & Prosclauiæ Regibus magno stipatum exercitu ad proferendos Christiani Imperij fines irrupisse in Tartariam, refert Matthæus Villanus a, ac barbarum ad sacrorum rituum amplectendorum sponsionem adegisse. Renocasse porro Casimirum Regem Poloniæ Plocensem principatum ad regiam Polonicam duce Casimiro sine liberis extincto, scribit Cromerus b; quem etiam a Lithuanis fatigatum bello, ac sacerdotiorum decumis ad eos reprimendos instructum, ostendunt Innocentij ad eum literæ c: rum etiam aliæ, quibus Poloni præsules Gnesnensis archiepiscopus, & Cracouiensis ac Vvratislauiensis episcopi, ad religiosam militiam fideles, proposita veniæ spe, quam sedes Apostolica pia arma correpturis pollicebatur, concitare crucisq; symbolo insignire iussi sunt, ad retundendos eorum barbarorum impetus, cum Rex Casimirus pontificiam opem flagitasset, vt testatur Innocentius his verbis: *Nuper charissimus in Christo filius noster Casimirus Rex Poloniæ illustris per literas & nuntios suos nostro apostolatui patefecit, quod gentes perfidæ Tartarorum & Lithuanorum in tenebris ambulantes, carentesque lumine catholicæ veritatis, profana cogitatione putantes, pro eo quod regnum Poloniæ, quod a fidelibus habitatur, est in vltimis Christianorum finibus constitutum, propterea ad impugnationem regni præfati eisdem Tartaris & Lithuanis absque catholicorum principum & aliorum fidelium * . . iuxta profanos conceptus ipsorum facilior via patet; dictum regnum & Christianos habitatores ipsius iam per tres annos elapsos inuaserant, & inuadere ac impugnare continue moliuntur, ad desolationem fidelium habitantium in eodem, & religionem catholicam inibi profanandam, conflatis potentiæ suæ viribus, hostiliter intendentes: propter quod præfatus Rex, qui ex hoc per dictum triennium, & præsertim anno proxime præterito tam in gentibus suis, ex quibus, proh dolor! nonnullos sæua infidelium eorundem impietas peremit gladio, & alios in miseram seruitutem abduxit, quam in thesauro & alijs bonis suis inæstimabilia damna sustinuit, attendens quod regnum præfatum est ecclesiæ Romanæ immediate subiectum & etiā censuale; & quod tam ipsi, quam habitatores prædicti sunt eiusdē ecclesiæ peculiares filij, et fideles; & quod ex impugnatione ipsorum non solum dictum regnum eiusque incolæ, quinimmo fideles cæteri dicto regno tam proximi, quam remoti proculdubio diris aduersitatibus læderentur, nostra in hac parte, & per nos prompta fidelium & aliorum subsidia humiliter implorauit, &c. Dat. Auin. IV. idus nouembris anno II.* Ferociebant adeo Lithuani, vt in Prussiam cum magno exercitu hoc anno penetrarint, & obuia quæque ferro, flamma, rapinis fœdarint. In quos cum Vinrichus Kniprodensis equitum cruciferorum magister ad retardandos hostiles progressus copias contraxisset, ob eorum potentiam acie decernere non est ausus: atque ita ij spolia & manubias fidelium in Lithuaniam retulerunt. Hos vero præferoces adeo populos diuina gratia ad mansuetudinem Christianam reuocatos, & ex acerbissimis hostibus, in strenuissimos fidei defensores mutatos, visuri sumus suis locis.

a Matth. Vill. l. 4. c. 9.
Plocensis principat° adiunctus Poloniæ.
b Crom. l. 12. in Casim.
c To. 2. ep. secr. pag. 211.
Cruce signatorum militia indicta in Lithuanos.
* ope
Forum in Poloniā excursiones.
Prussia a Lithuanis direpta.

26 Interea Stephanus Rasciæ Rex eiurandi Græcorum schismatis speciem præsetulit: missisque oratoribus se redintegrandæ veteris cum Romana ecclesia coniunctionis cupidissimum significauit: repressisse schismaticorum licentiam qui sacerdotes & præsules catholicos dignitatibus deturbabant, atq; in eam proruperant vesaniam, vt baptismo & cōfirmatione ritu Latino initiatos consecratos Christo negarent, ac ritu Græco, repetitis ijs sacramentis, contaminarent. Neque ijs hæresibus modo, verum alijs laborabant schismatici Rasciani. Ad quos euellendos Innocentius Bartholomæum Traguriensem & Petrum Pactensem episcopos Apostolicæ sedis internuntios iussit incumbere, serpentesque in Rascia, Albania, & Sclauonia errores his verbis descripsit a: *Falsò & pertinaciter asserunt, Spiritum sanctum non a Filio, sed a solo Patre procedere; non attendentes, quod sicut sacrosancta Romana, catholica, & apostolica ecclesia mater fidelium omnium & magistra tenet & docet, ac orthodoxorum patrum atque doctorum Latinorum pariter & Græcorum habet incommutabilis & vera sententia, sacrique concilij declarat auctoritas, idem Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio tanquam ex vno principio vnica inspiratione procedit. Item mendaciter asserunt contra ea, quæ præfata Romana tenet & docet ecclesia, corpus Christi non in azymo, sed in fermentato pane confici debere: & quod in azymo confectum est, esse denegant corpus Christi, illudque in sua damnationis cumulum blasphemijs inclamare, deturpare manibus, & quod sceleratius est, conculcare pedibus non verentur. Dicunt etiam formam baptismatis & confirmationis iuxta ritum, quem præfata seruat ecclesia, falsam esse: ac iuxta formam huiusmodi baptizatos & confirmatos baptismati & confirmationi sic susceptis damnabiliter renunciare, & rebaptizari & reconfirmari compellunt. Præterea damnabili detestatione dicuntur asserere, eandem ecclesiam, cui vniuersi Christianæ fidei professores subesse noscuntur, eiusque tenentur instituta seruare, in plerisque alijs, quæ præsentibus exprimere non curamus, a vera fidei tramite deuiare. Dat. Auin VI. kal. ianuarij anno II.*

Stephan° Rasciæ Rex de repetendo ecclesiæ gremio consilium agitat.
Missi in Rasciam internuntij.
a Eod. to. & ep. secr. pag. 217.
Errores in Rascia & Albania grassantes.

27 Instruxit nuntios apostolicos Innocentius pluribus priuilegijs, vt munus demandatum strenue obirent: diuinis operarentur in locis, quibus sacrorum vsus esset interdictus b: centum dierum indulgentiam, sacras ipsorum conciones audituris, vel diuina celebraturis, adstantibus impertirentur c: canonicas leges de quarto affinitatis consanguinitatisue gradu ad quorumuis gratiam soluerent: sacerdotes d, qui secundas nu-

Collatæ internuntijs prærogatiuæ.
b Ib. pag. 227.
c Pag. 228
d Ead. pag.

nuptias inituros sacra prece lustrassent ab irregularitate expiarent a: censuris ob violatos sacros canones irretitos conciliarent b: deuinctos anathemare ob sacerdotes affectos verberibus in gratiam restituerent c: *Dummodo*, inquit, *mors vel membri mutilatio, seu debilitatio secuta, & alias excessus difficilis vel enormis, ac in episcopum vel alium prælatum proprium violenta manus iniectæ non fuerint*. Commendauit vero eosdem internuntios Innocentius in Rasciam profecturos omnibus catholicis præsulibus d, & Ludouico Vngariæ Regi e ac Venetorum duci f. Tum Ioanniehem Seruiæ patriarcham ad ecclesiæ Romanæ obsequium pellicere annisus est g, vtque internuntijs pontificijs, quos Rasciæ Rex a sede Apostolica expetijsset, in excindendis erroribus & schismate dissoluendo studia explicaret hortatus, incorruptam fidei integritatem in ecclesia Romana semper seruatam, grauissimis hisce sententijs edisserit.

a Ead. pag. b Ead. pag. c Ead. pag. d Pag. 229. 230. e Pag. 238. f Ead. pag. Seruiæ patriarcha ad ecclesiarum coniunctione redintegrandam sollicitatus. g Pag. 225.

Mediator Dei & hominum Christus Iesus in Petri petra, Romana videlicet & catholica & apostolica ecclesia, omnium fidelium Christi matre, quam solus ipse fundauit & rexit ac regit, & quæ super cunctas alias orbis ecclesias obtinet diuina dispositione primatum fidei, cuius idem ipse Christus auctor est, sic solide fundamenta locauit, sicque illam insolubili vinculo & inseparabili vnione copulauit eidem, quod licet multos ab ipsius ecclesiæ corpore, fallente diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abiecerit, vel scissura damnati schismatis separarit; ipsius tamen fidei immaculata sinceritas, apud eandem ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum paleæ purgatius remanet, & lux fulgentis syderis, quæ apparet clarior, per excussionem offuscantium nebularum, semper purior elucescit. Et infra.

Ideoque discretionem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, *illam attentius deprecantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum iniungentes, quatenus prudenter considerans, quod sicut fides, quæ nō nisi vna est & in nullo potest sui esse dissimilis, apud eandem ecclesiam inseparabiliter (sicut præmittitur) permanet, sic qui extra ipsius ecclesiæ communionem fuerit, est proculdubio extra fidem, & qui extra fidem manserit, diuinæ gratiæ particeps esse non poterit, nec adoptionem recipiet filiorum; ac intuens quod specialiter tibi, qui in grege* Domini, *ipsa videlicet multitudine, pastoris geris officium (quamquam illicite, cum non per ostium, id est per ipsam ecclesiam in ouile ouium, sed aliunde intraueris) incumbit ex debito, vt prius viam veritatis intelligas, & custodias intellectam, & sic per illam incedens puris & rectis gressibus eidem gregi vita, moribus, & doctrina ducatum præbeas ad salutem: sicque illam ad æterna vitæ pascua introducas, &c.* Dat. Auin. IX. id. ianuary *anno* II.

h Ead. to. 2. ep. secr. pag. 217. Ad eam principes prouocati. i Ib. pag. 154. & 222. l Pag. 224. m Ead. pag.

28 Excitati h etiam ad Seruios cum Romana ecclesia coniungendos plures Seruiæ principes: tum Albaniæ, Sclauoniæque proceres, denique Stephanus i Rasciæ Rex ac Regina Helena l, eorumque filius Orosius m ad consilia de schismate abolendo suscepta perducenda incitati: ac promissa Regi Stephano, qui ducem ab ecclesia Romana Christiani in Turcas exercitus creari flagitaret auxilia, cum se vna cum Rascijs ecclesiæ Romanę aggregasset.

Innocentius &c. Stephano Regi Rasciæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Per dilectos a filios nobiles viros Bossidarium iudicem generalem & Nestegium Cephaliam Geren. ac Damianum de Catara ciuem Catarensem apocrisiarios & procuratores magnitudinis tuæ, ad nos & sedem Apostolicam diebus non longe præteritis destinatos, & præsentatas nobis per apocrisiarios ipsos literas regias aurea tua bulla munitas, nostro apostolatui intimasti, quod audito, quod quidam ecclesiarum & monasteriorum prælati regni tui fideles eiusdem ecclesiæ -rant ecclesijs & monasterijs, in quibus canonice instituti fuerant, per quosdam abominationis filios contra iustitiam destituti; & quod alij quidam eisdem ac alijs fidelibus S. R. E. catholicæ & apostolicæ in eodem regno morantibus iniurias & contumelias irrogarant, & quosdam ex fidelibus ipsis ad reiterandum baptismatis & confirmationis per eos rite suscepta irreiterabilia sacramenta inuitos coegerant, non sine graui offensa Dei & læsione fidei Christianæ; tu velut sincerus ipsius fidei zelator & cultor id moleste ferens, ac gerens (prout debueras) admodum displicenter, & cupiens pro reuerentia Redemptoris tui, qui eiusdem auctor est fidei, & pro salutis tuæ merito, tantis malis prouisionis tuæ studio salubriter obuiare, sub indignationis tuæ pœna districte præcepetas, prælatos destitutos eosdem ad ecclesias & monasteria ipsa, quibus fuerunt (sicut præmittitur) destituti, restitui cum effectu; sex monasterijs tunc expressis dumtaxat exceptis, quibus de proprijs abbatibus ad euitanda scandala & pericula imminentia tunc restitutio non poterat fieri, & quæ postmodum temporis opportunitate captata illis restitui procurasti: quodque publice ac patenter & sub formidabilibus pœnis edixeris, quod nulla ecclesiastica secularisue persona Latinos vel alios fideles eiusdem ecclesiæ, secundum verum & catholicum ritum eius baptizatos & confirmatos, rebaptizare seu reconfirmare, aut eisdem fidelibus iniuriam seu violentiam irrogare, siue ipsos persequi vel molestare præsumeret quoquo modo: & quod omnes episcopi, abbates, & alij ecclesiarum & monasteriorum prælati, presbyteri, & clerici seculares & regulares fideles ipsius ecclesiæ, vbicumque & quomodocumque in regno detenti prædicto restituerentur debitæ libertati, & ad ecclesias, monasteria, & ecclesiastica beneficia sua quælibet libere ac sine impedimento redirent, diuina in eis celebrarentur officia, & prout alias ad eas pertineret, ministrarent eisdem, ac alijs Christi fidelibus iuxta ecclesiæ præfatæ consuetudinem rectam & obseruantiam salutarem ecclesiastica sacramenta: & quod licitum esset omnibus in dicto regno morantibus fidem, quam ipsa ecclesia tenet, docet, & prædicat, tenere libere, ac prout eis competeret illam docere voce libera, & publice prædicare: & quod vt sinceriorem te probares verioribus argumentis ipsius catholicæ fidei amatorem, eos qui secundum huiusmodi ritum & formam ecclesiæ prædictæ baptismatis & confirmationis susceperant sacramenta, & vel vi metuue coacti, sicut prædicitur, vel forsan errore deuij huiusmodi sacramenta iuxta vsum, immo abusum verius, & abominationem aliam damnabiliter iterarant, arbitrio eorum libertatique relinquens, ipsis ab huiusmodi reatu beneficium absolutionis impendi, eosque reaggregari vnitati eiusdem ecclesiæ deuota mente petieras ac pio studio procuraras, ac tandem ecclesiam ipsam dominam & magistram Christianorum omnium

a Super. pag. 222. Pontificię ad Steph. Reg. literæ.

Quæ fuerit Rascij legatio.

Vt anabaptistas repulerit.

Catholicos fouerit.

ac

Agnouerit primatum Romani Pontificis.

ac Romanum Pontificem vniuersalem Christianorum ipsorum patrem, & verum ipsius Christi vicarium, ac B. Petri Apostolorum principis successorem firmiter asserens, simpliciter confitens, & humiliter recognoscens; deuota instantia supplicasti, vt tibi apostolicæ benedictionis munus per Apostolicas literas mittere, & nihilominus destinare ad regnum ipsum aliquos viros probos, timentes Deum, & in lege ipsius plenius eruditos, qui venerabilis fratris nostri Bartholomæi episcopi Traguriensis dudum in partibus illis Apostolicæ sedis internuntij feliciter, fauente Deo, inchoatis operibus prosecutionis adijcerent studium, per quod ad optatum perducerentur exitum, dignaremur. Idemque Traguriensis episcopus, cuius relatibus adhiberi fidem per easdem literas petijsti, nobis exposuit, quod tu populo Christiano partium orientis super afflictionibus & persecutionibus duris, quibus eos Turcarum furor immanis indesinenter angariat, viscera pietatis regiæ ad compassionem aperiens, & ad opprobria exprobrantium nomini Christiano tollenda & auferendam perfidam gentem credentium de finibus attendens animi tui zelum, & excitans potentiam regiæ dignitatis, desiderabas ab eadem ecclesia matre tua contra Turcas ipsos capitaneus ordinari, vt ipsius ecclesiæ spirituali adiutus auxilio & directus consilio in virtute Altissimi, qui pijs faues libenter operibus, gregem Domini ipsum, velut populum de luporum eorundem, scilicet Turcarum, faucibus potenter erueres & subactam iugo miserabilis seruituti Christianam absolueres libertatem.

Cupiat bellum sacrum ad pellendos Turcas gerere.

29 Quibus omnibus intellectis, exultauit cor nostrum in Domino, lætatus est spiritus, & mens ipsa in iubilum gaudij potioris erupit: ac eadem ecclesia mater tua ei, qui vbi vult spirat, & corda Regum in manu suæ continet potestatis, quique hunc tibi formauit animum & infudit affectum, suppliciter agens humiles gratias, & laudationum debita vota persoluens, ipsum orauit & orat assidue, vt te in hac zeli rectitudine, in hoc feruore spiritus, in hac puritate fidei, in hac deuotionis sinceritate conseruet, diesq; tuos longæuos faciat, & post bella Domini, ad quæ robur tuæ potentiæ animose ac strenue obtulisti, feliciter consummata, in sua pace disponat: sicque tibi te, ac subditas tibi nationes regere & gubernare concedat, quod post huiusmodi labilis peregrinationis excursum vna cum eis ad sancta sanctorum puris introire mentibus merearis, &c. [Pluribus interiectis, quibus rogat, vt internuntios apostolicos in erroribus atq; hæresibus discutiendis, & schismaticis in sinum ecclesiæ adducendis regio studio ac potentia fulciat, quo pristinus religionis splendor efflorescat in Rascia, subdit].

Gratulatur illi de susceptis pijs consilijs Innocentius.

Quapropter serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum suadentes, quatenus eosdem episcopos pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia benigne recipias, & fauorabiliter prosequaris, ipsorumque salutaribus monitis & doctrinæ deuotius acquiescas; ac intuens, quod Dei nostri perfecta sunt opera, & quod iuxta euangelicam veritatem non qui incœpit, sed qui perseuerauerit saluus erit, ipsius Redemptoris nostri actiones pro viribus imiteris, ac in bono constanter opere perseuerans, ad ipsius feliciter inchoati negotij votiuam consummationem sic velut diligens operator solerter intendas, quod in eo præstante Domino & tuo cooperante ministerio studioso nostris & communium fidelium Christi votis & expectationibus satisfiat: ipseque retributor omnium bonorum Deus, cuius est idem negotium proprie proprium, & cui nunquam sine remuneratione seruitur, eiusdem regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, & sceptra confirmet: ac tandem te subiectosque tibi populos cœlestis regni faciat coheredes, nosque non solum in huiusmodi capitaneatus officio, sed in quibuscumque alijs honestis & licitis vota tua, quantum cum Deo poterimus, apostolico fauore prosequamur. *Dat. Auin. IX. kal. ianuarij anno I.* Desciuit a suscepto eiurandi schismatis consilio Stephanus Rasciæ Rex, retardato iterum (vt antea in Clem. VI. meminimus a) bello Vngarico, de quo etiã acta B. Petri Thomæ Carmelitæ episc. Pactēsis b supra memorati c. Quocirca impietatis odio a Ludouico Vngariæ Rege ingenti bello petitum Rascium visuri sumus; tum a Turcis affligi, quos facile delere poterat nondum confirmata in Europa eorum tyrannide, si cruceata signa, auctore belli sacri Pontifice, in barbaros extulisset.

Subiecti ad ea implenda sacri aculei.

Rasciæ Regis defectio.

a An. Chr. 1347. n. 30
b Philip. Mazer. in vita B. Petri Thom.
c An. Chr. 1354. n. 26

30 Hoc porro anno vere ineunte Turcas inopino casu vsos Græcis schismaticis maximas clades intulisse, refert Matthæus Villanus d: cum enim kalen. martij concussis ingenti terræmotu in Græcia vrbibus & oppidis adeo, vt eorum mœnia magna ex parte concidissent, Turcæ Græcos pauore consternatos inuasere, ac per ruinas ingressi res diripuere, hominesque abduxere in seruitutem, ac refectis mœnibus validis plures arces præsidijs muniuerunt: excurrisse etiam ad Constantinopolim, eamque obsidione tentasse cum gemina Cantacuzeni & Palæologi factione fluctuaret; sed ijs vires in communem hostem coniungentibus, abscessisse. Ac tum quidem temporis, quo is terræmotus contigit, Cantacuzenum ad firmandam suam potentiam, quæ nutabat, de Matthæo filio insignibus imperialibus ornando egisse, ipse narrat e; & detrectantem eiusdem votis assentiri patriarcham Callistum sede depulisse, ac subrogasse Philotheum Heracleæ episcopum, qui Matthæum diademate cinxit. De eodem porro terræmotu agere videtur Calchondilas f dum ait Turcas ex Europa in Asiam redire paratos, subito motu terræ impeditos: quos cum vrbium mœnia diruta vidissent, hæsisse in Europa, eamque magno furore excurrisse, vt ex Villano vidimus. Quem sane tristem casum, qui meminerit Græcos in eum furorem versos, vt Eucharistiam ritu Latino consecratam discerperent manibus, ac pedibus calcarent, diuinæ omnino iustitiæ ascribet, quæ carnifices ad reorum supplicium Europa abire non sit passa, vltroque arces schismaticorum, vt facile expugnarentur, subruerit.

d Matth. Vill. l. 3. c. 105.

Turcæ Græcos depascũt.

Tentata a barbaris Constantinopolis.

Cantacuzenus filiũ adlegit in socium imperij.

e Cantac. l. 4. c. 37. et 38.

f Calcond. de reb. Tur. l.

31 Inficere orientem etiam moliebatur superstitio Fraticellorum, qui sanctitatis fallaci cultu hæreseos virus simplicibus afflabant, & euersã ecclesiæ Romanæ sanctitatem, fidemque apud ipsos tantum superstitem florere effutiebant: in quos Pontifex Caffensem episcopum animaduertere iussit, atque ad fideles ab eorum insidijs muniendos incumbere: nec non memoratorum hæreticorum impietatem hisce verbis descripsit g: *Rumor infestus nostrum noviter turbauit auditum, quod in tuis ciuitate & diœcesi nonnulli superstitiosi viri Fraticelli vulgariter nuncupati, & etiam alij per planam viam veritatis & iustitiæ nescientes dirigere gressus suos, nec instituta canonica obseruare curantes; sed lupinam rapacitatem ferentes interius*

g An. 2. l. 1. ep. cur. 23.

Fraticelli orientem inficiunt.

vt

ut alios per indirecta & inuia in damnationis pracipitium secum trahant, in ouium veniunt vestimentis temeritate propria officium sibi prædicationis vsurpant, & contra ipsius catholicæ fidei veritatem nouas induerunt sectas, variasque errores damnabiliter seminant, edocent, & obseruant. per quos multas simplices simulata humilitatis habitu, fictisque sermonibus decipiunt & seducunt, aliaque plura, animarum pericula parientia, sub quodam velamine sanctitatis faciunt & committunt in diuinæ maiestatis offensam, præfatæ fidei & Apostolicæ sedis contemptum, & scandalum plurimorum. Hi sunt siquidem pseudofratres seu prophetæ, a quibus Veritas ipsa præcipit attendendum. Hi sunt quos doctor gentium caute vitandos admonuit, dicens: Nemo vos seducat inanibus verbis. Hi sunt qui iuxta psalmistæ vaticinium nescierunt, neque intellexerunt, & ambulantes in tenebris errauerunt, &c. Dat. Auin. XII. kal. ianuarij anno II. Distringi iussa in occidente in eosdem hæreticos iudiciorum acerbitas: transmissæ sunt enim ijsdem ferme verbis conceptæ literæ a ad Ægidium Cardinalem tit. S. Clementis A. S. L. vt censores fidei in Vrbe circumpositisque locis in eosdem constitueret: ad Neapolitanum b, Capuanum c, & Beneuentanum d archiepiscopos, vt regnum Neapolitanum huiusmodi Fraticellorum contagione liberarent: & ad Pisanum archipræsulem e vt quos in carcerem compegerat Fraticellos, legum seueritati subijceret. Similiter inhæserat eadem lues Galliæ Narbonensi, ad quam purgandam in similes hypocritas, cum ad saniorem mentem reduci non possent, flammæ adhibitæ, vt narratur in M. S. bibliothecæ Vaticanæ his verbis f: *Huius anno secundo duo fratres ordinis Minorum propter hæresim de paupertate, & alia, quæ male senserunt, Auinione combusti sunt feria tertia post pentecosten.* Consentiunt vitæ Innocentij typis impressæ auctor g, atque Henricus Rebdorfius h, qui etiam eorum hæreses refert: *Anno*, inquit, *secundo eiusdem Papæ multi de ordine Minorum fratres inceperunt dogmatizare, & disputare de propria & paupertate Christi & Apostolorum contra diffinitionem & determinationem Ioannis Papæ XXII. asserentes, quod Papa non potuit reuocare constitutionem Nicolai Papæ III. quæ incipit: Exyt qui seminat, de hæres. lib. VI. & de verborum significationibus. Item quod Papa ex quacumque causa non possit delere ordinem fratrum Minorum. Vnde duo apostatæ prædicti ordinis capti sunt in monte Pessulano, vnus sacerdos, alter conuersus.* De ijs ad sedem Apostolicam perducendis extant ad clerum Gallicanum literæ i, tum Amedio de Lingonis ordinis Prædicatorum k, fidei censuram in Franciæ regno apostolica auctoritate exercenti data imperia, vt tabellionibus reos ducturis ex ære ecclesiastico collatitio stipendia numeraret: *Cum*, inquit, *nuper mandauerimus, quod Ioannes de Castellione, & Franciscus ad Arquata ordinis fratrum Minorum hæretica, sicut accepimus, labe respersi in ciuitate Carcassonensi detenti, ad Romanam curiam, vbi de ipsis volumus ministrari iustitiam, adducantur.* Paritum est apostolico imperio, quisue iudiciorum fuerit exitus, docere pergit Rebdorfius.

a An. 2. l. 3. p. 1. ep. cur. 4.
b Ib. ep. 9.
c Ep. 5. & ta. 2. ep. sup. pag. 5
d An. 2. l. 3. p. 1. ep. cur. 6.
e Ib. ep. 9.
Districta in hos legum acerbitas.
f M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Innoc. VI.
g Gesta Innoc. VI apud Bosq.
h Rebdor. in annal.
i An. 2. l. 3. ep. cur. 2.
k Ep. 9.

*Ducti Auinionem, & de mandato eiusdem Papæ examinati, confessionem suam in quodam longo libello, multos circa præmissa articulos continente, legerunt. Immo publice affirmabant, quod Papa Ioannes prænominatus, & omnes successores sui, ac etiam ipse Papa Innocentius, contrarium assertioni eorum affirmantes, fuerint & essent hæretici & peruersi, & ad quamcumque dignitatem, vel beneficium ecclesiasticum, titulum nullum haberent. Propter quod ijdem Minores degradati * sacerdotes, in præsentia domini Papæ traditi sunt curiæ sæculari, & cremati infra octauam Pentecostes: & dum irent ad supplicium, alta voce clamabant: Gloria in excelsis Deo. Et dicebatur publice, quod plures professi ordinis illius fuerint traditi curiæ sæculari, et cremati in Vasconia et in Italia, propter præmissos articulos, quos præmissi duo dicebant veros martyres. Immo etiam dicebatur, quod quamplures essent, etiam literatæ personæ, ordinis præfati, qui prædictam quæstionem de propria et paupertate Christi et Apostolorum defendebant.* Dum vero aduersus hæreticos in Gallijs legum distringebatur seueritas, plures ex Ebredunensi prouincia in Calabriam diffugere, quos inquiri ac trahi ad supplicium Pontifex, datis ad Ludouicum Regem Siciliæ literis, iussit a. Disseminatos quoque, ac deinde reuocatos nonnullos errores a Guidone ex ordine Eremitarum S. Augustini in Parisiensi academia, refertur in bibliotheca patrum b, inter quos insignis hæc hæresis, *Charitas, quæ semel labitur vel deperditur, nunquam fuit vera charitas*; a suo auctore impietatis damnata est; tum ab eo additum: *Si quæ vero auctoritates Augustini vel aliorum videantur ad oppositum, intelligenda sunt de charitate finali, quæ manet in patria, de qua loquitur Apostolus Cor. 13. Charitas nunquam excidit: vel intelligendum est de charitate secundum efficaciam, vt magister noster videtur glossare.* Reuocatæ etiam ab eodem aliæ propositiones obscuris inuolutæ verbis impietatem vel falsitatem subolentes c. Superiorem porro hæresim, a nonnullis iam ante temere effusam, damnatamque auide hausere nouatores.

Horum blasphemia in pontificatum Rom. eccl.
* sacerdotes
Flammis castigata eorum amentia.
a To. 2. ep. secr. pag. 9. & 10.
Guidonis August. nimis hæresis.
b Bibliot. Patr. to. 4. col. 1331.
c Eod. to. col. 1320.
A Luthero vna cũ alijs redintegrata.

IESV CHRISTI
annus 1355.

INNOC. PP. VI. 3. — CAROLI IV. IMP. OCCID. 10. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 15.

1 INsignis est annus humanæ salutis millesimus trecentesimus quinquagesimus quintus, indictione octaua, solemni noui Imperatoris pontificio iussu imperialibus insignibus exornati celebritate Romæ perfecta: in qua antequam aurea corona a legato Cardinale cingeretur, ferream apud Insubres die epiphaniæ sacro accepit d, pactus antea cum Vicecomitibus fœdus, de quo hæc narrat Cortusiorum historia e: *Et accurrerunt nobiles Mediolani, & fere totius Lombardiæ. Qui per Cremonam & alias ciuitates & loca Mediolani transiens, summo honore receptus, die IV. ianuarij intrauit Mediolanum. Eodem mense & die epiphaniæ in ecclesia B. Ambrosij de licentia summi Pontificis per archiepiscopum Mediolani corona ferrea honorifice coronatur.* Inijsse ipsos antea fœdus cum Carolo, atque ab eo ob Matthæi Vicecomitis in Henricum auum officia in præfecturæ Mediolanensis munere cõfirmatos, tradunt ijdem auctores f: additque Albertus Argentinensis g illos, vectigal annuum cæsareo ærario illaturos se spopondisse. Confirmat hæc M. S. Vaticanum h, ac subiungit, vt vniuersa Etruria venienti ceruices placide submiserit: *Carolus*, inquit, *anno Domini* MCCCLIV. *intrauit Italiam, & se concordauit cum tyrannis Lombardiæ meliori modo quo potuit: & assumpsit coronam fer-*

d M. S. bib. Vat. sign. n. 2040. Matth. Vill. l. 4. c. 39. Rebd. in annal. Alb. Arg. in chron. et alij.
Carolus ferrea corona Mediolani redimitus.
e Cortus. hist. l. 11. c. 2.
f Eod. cap.
g Argent. in chron.
h M. S. bib. Vat. sign. n. 2040. pag. 53.

ferream apud Mediolanum. Et deinde recessit, & iuit in Tusciam & Pisani, Senenses, Lucani, Volterrani, Sanctiminiatenses, Montispolitiani se totaliter tanquam in verum dominum naturalem in suis manibus & dominio submiserunt; quos ipse gratiose recepit; sed ipsis & ipsorum cuilibet malum statim successit paulo post. Florentini vero cum ipsorum alijs residuis de Tuscia alligatis concordauerunt se cum dicto Carolo cum conditionibus & pactis habitis inter ipsos, & pecunia mediante. Pacti sunt illi aureorum, vt refert Matthæus Villanus a, centū millia mulctæq; nomine ob præteritam in Henricum auum perduellionem persoluere, promissis annuis quatuor millibus vectigalis nomine. Iureiurando quidem Carolus Pontifici se deuinxerat, vt vidimus, antequam Romanorum Rex crearetur, Florentinis iniurias ac mulctas pecuniarias remissurum: sed diploma pontificium transmissum serius, addit auctor b. Et quidem in regesto pontificio Innocentij ad Carolum Regem c de abroganda lata in Florentinos ab Henrico auo Imperatore sententia, tum ad Petrum episcopum Ostiensem d, cui illius imperiali diademate cingendi data erat prouincia, vt ad id ipsum permoueret, tum ad Florentinos e, quibus certiores de ijs pœnis remittendis fecit, extant literæ.

Submissi illi Hetruria.

a Matth. Vill. l. 4. c. 73. & 76.

Florentinis veteres condonatæ iniuriæ.

b Ead. c. 73

c To. 3. ep. secr. pag. 36.

d Ib. pag. 37.

e Ead. pag.

Tentarunt Gibellini f Caroli animum in Guelfos concitare. Sed ipse eorum petita insigni prudentia retudit: Gibellinos, qui sua in imperium officia cōmemorabant, non imperij decus affectare, sed commoda sua etiam cum illius dedecore venari: atque auum Henricum eorum consilia secutum maximo exitio se obiecisse. Fauisse autem ecclesiæ Carolum dicetur inferius. Superioribus consentanea de Caroli prudentia in pertractandis Guelphis, antes ab imperio alienis, subiectis verbis Leonardus Aretinus refert: *Ad hunc Senis existentem*, In eam vrbem, cuius administrationem, exauctoratis veteribus magistratibus, susceperat, die Verbo in visceribus Virginis incarnato sacra, magna ciuium gratulatione venisse, refert Matthæus Villanus g, *Florentini pecunijs ex fide missis contra spem ac vota inimicorum præcipua beneuolentia in sinum eius irrepsere, vt nemini vni populo per Italiam magis fidere videretur: non enim antiqua partium leuitate, sed præsenti commodo res æstimabat. Itaque plus ab vna ciuitate per amicitiam adiutus est, quam a cæteris simul omnibus Italici generis: quod si inimicitia, vt auus quondam sint certare voluisset, magna difficultates erant illi subeundæ: nunc autem & militibus & pecunia a ciuitate adiutus, nemine penitus repugnante, Romam peruenit, solemnibusque peractis, tranquillissime coronatus est. Hæc facta sunt in principio anni subsequentis, qui fuit quinquagesimus quintus supra mille trecentos.*

Gibellinorum repudiata consilia.

f Matth. Vill. l. 4. & l. 5. c. 21

g Ead. l. 4. c. 80 & 81.

Cura Guelphorum amicitia.

2 Data fuit prouincia, absente Pontifice, imperialibus sacris initiandi Caroli Cardinali episcopo Ostiensi, vt scribit Matthæus Villanus h, cui vitæ Innocentij auctor consentit his verbis i: *Eodem tempore Carolus Rex Romanorum in Imperatorem electus de voluntate & consensu dicti Papæ intrauit Italiam, Romam proficiscens, coronam imperialem ibidem recepturus: pro qua sibi imponenda fuit missus per eundem Papam Petrus Bertrandi iunior episcopus Ostiensis Cardinalis.* Ei vero adiunctus est collega Ægidius tit. S. Clementis presbyter Cardinalis, qui ea tempestate Italica legatione fungebatur; datis vtrique imperijs, vt alter, altero impedimento etiam fortuito districto, Carolum sacra inunctione in basilica S. Petri solemni ritu liniret, Aegidium autem Piceno bello contra tyrannos implicitum, ad Vrbem se conferre iussit a: *Negotium*, inquit, *coronationis & inunctionis charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Romanorum illustris tibi & venerabili fratri nostro Petro Ostiensi Apostolicæ sedis nuntio, & cuilibet vestrum per alias nostras literas duximus committendum. Et ideo volumus, vt pro huiusmodi negotij solēnitate, auctore Domino, celebranda festine ad Vrbem (si tamen absque præiudicio negotiorum, quorum promotioni deputatus es, poteris) studeas te conferre; ita quod die, quam præfatus Rex ad hoc duxerit eligendam, ibi vna cum eodem episcopo, qui propter hoc ducit se personaliter conferendum, præstante Deo, valeas interesse. Dat. Auin. IV. id. februarij anno III.* Extant ex Innocentij literæ ad hos Cardinales de Carolo insignibus imperialibus exornando, quibus singuli sacri ritus in tanta celebritate seruandi ex peruetusto Romanæ ecclesiæ tabulario petiti præscribuntur, insertæ in alijs publicis Caroli Regis Romanorum literis inferius afferendis.

Decreti duo Cardinales pro Carolo corona cingendo.

h Ead. lib. 4. cap. 91. & Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

i Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

a To. 3. ep. secr. pag. 23.

Lustrauit Carolus b ante suscepta ornamenta imperialia Vrbis ecclesias magna procerum multitudine stipatus feria sexta & sabbato maioris hebdomadæ ingenti pietatis sensu, atque exemplo, seposita regia pompa: sacramenti enim, quo se Geraldo episcopo Tridentino, tunc archidiacono e Baltesio in ecclesia Constantiensi deuinxerat, Vrbem se nisi die, qua ornamentis imperialibus decorandus foret, non ingressurum, religione solutus fuerat Innocentij literis c: tum etiam ipsi concessa erat auctoritas, vt dies memorata, in qua solemnis ea pompa celebranda, quæ a Pontifice constituenda erat, ab ipso designaretur: *Nos*, inquit, *ad tuæ commoditatis augmentum fauorabiliter intendentes, tibi diem pro coronatione huiusmodi, quam ad hoc duxeris eligendam, præfigimus de gratia speciali. Dat. Auin. II. kal. februarij anno III.*

Lustratæ a Carolo Vrbis ecclesiæ.

b Matth. Vill. l. 4. c. 93.

c To. 3. ep. secr. pag. 26.

Sacra resurrectionis dominicæ dies delecta ad eam peragendam celebritatem.

3 Designata a Carolo peragendæ celebritati dominicæ resurrectionis die, quam mensis aprilis quintam fuisse notant historici d, clerus populusque Romanus instructo religioso agmine obuiam effusus magno tripudio ac triumpho venientem excepit, atque in Vrbem & basilicam Principis Apost. deduxit. Qui, edita prius fidei orthodoxæ professione, vna cum Anna vxore, quæ e Germania Pisas ad eum venerat e, sacratus est a Petro Cardinale Ostiensi, vt vetus M. S. Vaticanum f vitæque Innocentij auctor g testantur: seruato nimirum eo ritu, qui in pontificijs literis descriptus erat. Quæ ex veteribus monumentis confirmat Cardinalis Baronius h: *Anno*, inquit, *Christi* MCCCLV. *indictione* VIII. *Carolus IV. Imperator coronatur Romæ in basilica Vaticana die paschatis a Petro episcopo Cardinale Ostiensi legato Romani Pontificis: & confirmat hoc anno omnia quæ olim ante coronationem pollicitus fuerat Clementi Papæ. Habetur ipsum diploma aureo sigillo signatum libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ. Habentur literæ ipsius Innocentij Papæ in dicto libro priuilegiorum, vbi late de omnibus cæremonijs seruatis, in coronatione eiusdem Caroli faciendis: nam absente Papa fuit coronatus.* Ex his refellas mendacium a Matthæo Vill. traditum historiæ i, nimirum Ioannem e Vico præfectum Vrbis coronam imperatoriam Carolo imposuisse, atque ab eodem Carolo Imperatricem diademate redimitam, qui enim horum testis maior esse possit, quam ipse

d M. S. bibl. Vat. sig. n. 3765 Matth. Vill. l. 5. c. 2. Cortus. hist. l. 4. Alb. Arg. in chron. Rebdorf. in annal. Gesta Innoc. VI. apud Bosq. et alij.

e Matth. Vill. l. 4. c. 56.

Petrus Ostiensis eo munere functus

f M. S. bib. Vat. sign. n. 1040.

g Gesta Inn. VI. apud Bosq.

h Baron. in not. M. S. ad hunc ann.

i Matth. Vill. l. 5. c. 2.

Caro-

Carolus, qui cum honorea Christo domino in eius vicario veteri more & instituto præstandos a Cæsaribus non abolere, sed potius confirmare cuperet, subiectis promulgauit literis a, ex Pontificis absentia nil illius dignitati detractum iri; nec secuturos Imperatores a Pontificibus augustali insigni exornandos, quæ essent in hac celebritate ab apostolico legato prætermissa, vtpote soli præsenti exhibenda Pontifici, in exemplum adducturos.

Seruati veteres ri'.

a Bar. in arch. S. Ang. gol. & lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 68. et inter coll. Plat iussu Sixt. IV. edito to 3 pag. 118. et 149. & in M.S. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 267. 434. et 466. et D. 1. pag. 55.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo domino Innocentio, digno Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Boemiæ Rex cum reuerentia debita, ac deuote, pedum oscula beatorum.

Caroli Imperat. litera.

Sanctissime pater & domine reuerendissime Literas sanctitatis vestræ de manibus reuerendi in Christo patris domini Petri Ostiensis episcopi Apostolicæ sedis nuncij, amici nostri charissimi, cum reuerentia debita & honore congruo deuote suscepimus, quarum tenor sequitur in hæc verba.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Petro episcopo Ostiensi A.S.N. salutem & apostolicam benedictionem.

Inseruntur his alia Innocentij.

Speciosus forma præ filijs hominum Iesus Christus militantem ecclesiam sponsam suam, sicut potestatis plenitudine ad salutare orbis regimen communiuit, sic etiam, vt decoro gloriæ sponso iuncta pulchrior appareret, honorum fascibus & schemate dignitatum quasi quibusdam renitentibus margaritis ornauit. Sed illud ei concessit gloriæ potioris insigne, quod ipsa sublimioribus quibusque potestatibus, quibus idem ipse Christus eam prætulit vniuersaliter omnibus, velut sol copiosus proprij luminis erogator ad ornatum adijciens, quo largius de plenitudine honorum suorum communicat alijs, eo refulget amplius, eo resplendet potius, eo est honoratior in seipsa. Dudum siquidem post electionem de charissimo in Christo filio nostro Carolo Rege Romanorum illustri celebratâ concorditer per principes regni Alemanniæ, in electione Regis Romanorum vocem habentes, cum imminet & pro tempore facienda, felicis recordationis Clementi Papæ VI. prædecessori nostro per solemnes dicti Regis ambassiatores & nuntios, ad ipsius prædecessoris præsentiam destinatos, electionis eiusdem præsentato decreto; ac tam super ipsius electionis forma, quam super idoneitate personæ dicti Regis informatione habita diligenti per quosdam ex fratribus prædecessoris ipsius, de quorum numero tunc eramus, quibus idem prædecessor informationem huiusmodi duxerat committendam; ac per commissarios huiusmodi facta prædecessori memorato in præsentia dictorum fratrum de informatione habita super his relatione fideli; dictus prædecessor de fratrum consilio prædictorum ad deuotæ ac humilis supplicationis instantiam, per dictos ambassiatores & nuntios eidem prædecessori frequenter effusam, præfatum Regem in specialem filium suum & ecclesiæ memoratæ suscepit, sibi suos fauorem & gratiam benigne concedens: ac ipsius Regis persona idonea reputata, eum nominauit, assumpsit, & declarauit Regem Romanorum: & approbans personam ipsius, eum sufficientem & habilem declarauit ad suscipiendum imperialis celsitudinis dignitatem; decernens vnctionem, consecrationem, & coronationem imperiales per manus suas eidem Regi opportunis loco & tempore impendendas, ac supplens ex certa scientia & de plenitudine apostolicæ potestatis omnem defectum, si quis aut ratione formæ, aut ratione Regis prædicti, aut electorum suorum personarum, seu ex quauis alia ratione vel causa in huiusmodi electione interuenerat quouis modo: ac præcipiens omnibus fidelibus & vassallis imperij, vt præfato Regi sicut Regi Romanorum, in Imperatorem promouendo, intenderent efficaciter & parerent.

De superiori electione Regis Rom.

Confirmatione illius pactas Clemente.

Promissis imperiali insigni.

4 Postmodum vero prædecessore ipso, sicut Domino placuit, naturæ debitum exoluente, nobisque (licet immeritis) ad fastigium apostolicæ dignitatis assumptis, præfatus Rex per venerabilem fratrem nostrum Theodoricum episcopum Mindensem nuncium & ambassiatorem, ac literas eius nobis intimare curauit, quod ipse Italiæ partes eidem imperio subiectas intrauerat, & ab incolis & habitatoribus ciuitatum aliorumque locorum Lombardiæ honorificè pacificeque receptus, vnctionem & diadematis imperialis insignia in basilica principis Apostolorum de Vrbe, Deo propitio, suscipere in proximo disponebat. Et intuens, sicut princeps discretionis & circumspectionis virtute conspicuus, quod nobis in partibus cismontanis multorum grauium & vrgentium negotiorum inuolucro præpeditis, huiusmodi vnctionis & coronationis insignia per manus nostras non possent ei in basilica memorata concedi; per dictos episcopum & literas nobis humiliter supplicauit, vt per aliquos de fratribus nostris huiusmodi vnctionis & coronationis aliaque insignia in dicta impendi ei basilica facere dignaremur.

Vt petiit fiat ad eius seruādos Cardinales.

5 Nos autem, qui ad ipsius Regis honoris & status incrementa ex paternæ charitatis instinctu affectionem gerimus promptiorem, huiusmodi antefati Regis literarum serie, & quæ idem episcopus verbo subiunxit, diligentius intellectis, attendentes quod, sicut idem quoque Rex considerauit prudenter & prouide, sic huiusmodi negotiorum pondere premimur, & eorum nodis implicitis implicamur, quod coronationis & vnctionis, & alijs solemnijs peragendis eisdem non possemus nostram præsentiam exhibere; & cupientes in executione solemniorum ipsorum, quibus mente aderimus per ministros, quos tanti negotij celebritas exigit, suppleri corporalis absentiæ nostræ vices; ad te ac dilectum filium nostrum Aegidium tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem A. S. L. quos virtutum grandium splendor illustrat, quosque in magnis & arduis operarios vtiles multa experientia comprobauit, considerationis nostræ direximus oculos: & sperantes, quod industria tua & legati præfati, quæ in quibuscumque semper operibus emicuit clarior, hoc etiam insigne opus ad Dei laudem & gloriam, ac honorem & decus ipsius ecclesiæ sponsæ suæ, ipso præstante qui bonarum director est actionum, laudabiliter exequetur, memorati Regis deuotis supplicationibus inclinati, te dictumque legatum ad celebritatem huiusmodi honorabiliter peragendam ministerij deputamus.

Decreti Ostiensis episc. & Ægidius Cardinalis.

6 Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem Vrbem te personaliter conferens, ac ibidem die, quam idem Rex ad hoc duxerit eligendam, cum legato conquaniora memorato, tu in dicta basilica missam celebres, & Regem inungas eundem: & tu dictusque legatus Regi præfato & charissimæ in

Christo filiæ nostræ Annæ Reginæ Romanorum illustri vxori suæ mitras & diademata imperij, ac eidem Regi sceptrum, pomum, & gladium ac alia solemnia, prout infra patentius clariusque distinguitur, tribuatis; ipsorumque inclytos vertices insignijs eorundem, adhibitis vetustæ consuetudinis solemnitatibus, decoretis. Et ne quis in huiusmodi peragendis solemnijs error possit interuenire, quod absit, modum & formam agendorum, & vbi ac per quas personas agenda fuerint, particulariter & distincte duximus præsentibus inserenda, prout in archiuio ipsius ecclesiæ ac pontificali ordinario continetur, quorum forma a talis est.

Descripti singuli ritus seruandi.

Vt Imperator excipiendus sit.

Spargenda ab eo munera.

a Ext. etiã in ceremonial. bibl. Vat. sign. n. 4727. pag. 90 etiam apud Goldast. in collect. const. imperial.

Cum Rex in Imperatorem electus peruenerit ad portam Collinam, quæ est iuxta castellum Crescentij, recipiatur honorifice a clero Vrbis cum crucibus & thuribulis; & processionaliter deducatur vsque ad gradus basilicæ S. Petri, cantantibus vniuersis: Ecce mitto angelum meum, &c. camerarijs eius missilia spargentibus ante ipsum, & præfecto Vrbis gladium præferente. Cum autem peruenerit ante basilicam in platea, quæ cortina vocatur, dextrandus est a senatoribus vsque ad gradus prædictos, vbi eo descendente, tradendus est equus, cui Rex insederat, illis. Interim autem summus Pontifex cum omnibus ordinibus suis præparat se in secretario tanquam celebraturus diuina, & processionaliter exiens vsque ad suggestum areæ superioris, quæ est in capite graduum, super faldistorium ibi sedeat, consedentibus super gradus a parte dextra episcopis & presbyteris, a sinistra vero diaconis Cardinalibus, & in proximiori gradu subdiaconis & acolytis, primicerio & cantoribus astantibus circa illos cum magnatibus & nobilibus, officialibus & ministerialibus aulæ papalis. Tum Rex cum archiepiscopis & episcopis, principibus & magnatibus suis, ascendens ad summum Pontificem, reuerenter osculetur pedes ipsius: & offerens ei aurum quantum sibi placuerit, benigne recipiatur ab eo ad osculum & amplexum: quo demum surgente, Rex ipse a parte dextra & prior diaconorum a parte sinistra deducunt eum vsque in ecclesiam S. Mariæ in turribus: vbi ante altare subdiacono euangelij textum tenente, Rex super illum corporaliter præstat huiusmodi iuramentum: Ego Carolus Rex Romanorum futurus, annuente Domino, Imperator promitto, spondeo, & polliceor coram Deo & B. Petro, me de cætero protectorem & defensorem fore summi Pontificis & sanctæ Romanæ ecclesiæ in omnibus necessitatibus & vtilitatibus suis, custodiendo & conseruando possessiones, honores & iura eius, quantum diuino fultus adiutorio fuero, secundum scire ac posse meum recta & pura fide. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Forma autem iuramenti præstiti in Auenione per procuratores & nuncios prædicti Regis Romanorum tempore suæ coronationis renouandi talis est.

Vt Pontifici, si præsens fuerit, pedes osculari debet, illique aurum offerre.

Et spondere, futurum se ecclesiæ defensorem.

Sacramenti formula a Caroli oratoribus Clementi præstita.

7 *Vobis sanctissimo patri & domino domino Clementi, diuina prouidente clementia Papæ VI. nos Arnestus archiepiscopus Pragensis, Ademarus comes Valentinensis, Henricus comes de Sarbruc, Gerardus de grandi prato de Eusahsia, Gamberus de Montelio, & Ioannes de Asperomonte, Geraldus de Magnaco archidiaconus de Balthesio in ecclesia Constantiensi, Rodolphus dictus Loys officialis Treuerensis, Ioannes de Pistorio decanus ecclesiæ S. Saluatoris Traiectensis, & Nicolaus de Lucemburgo præpositus ecclesiæ Sactensis Pragensis diœcesis nuncij & procuratores serenissimi principis domini Caroli Romanorum Regis, habentes ad omnia infrascripta plenam & generalem ac liberam potestatem, & speciale mandatum ab eodem, prout constat per prædictas patentes literas, & per aliud publicum instrumentum, quorum tenores superius continentur; ipsius vice & nomine domini nostri Regis prædicti, & in animam ipsius promittimus & iuramus per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & per hæc sancta Dei euangelia, et per hoc lignum viuificæ crucis, et per has reliquias sanctorum, quod nunquam vitam, aut membra, aut ipsius honorem, quem habetis, sua voluntate, aut suo consensu; aut suo consilio, aut sua exhortatione perdetis: et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus, quæ ad vos pertinent, aut ad Romanos sine vestro consilio aut consensu: et quidquid de terra Romana ecclesiæ peruenit ad ipsum aut perueniet, vobis reddet quamcitius poterit. Et quandocumque in Lombardiam aut Tusciam aliquem mittet pro terris aut iuribus suis gubernandis, quoties mittet, faciet iurare eum, vt adiutor vester sit ad defendendum terram Romanæ ecclesiæ et Romanam ecclesiam secundum suum posse: et si, permittente Deo, dictus dominus noster Rex Romam venerit, sanctam Romanam ecclesiam et vos rectorem ipsius et successores vestros exaltabit secundum suum posse: et cum Romæ vel alibi per vos in Imperatorem fuerit coronatus dominus noster Rex prædictus, dictum iuramentum et alia fieri consueta ad requisitionem vestram tempore coronationis suæ personaliter renouabit.*

Deinde summus Pontifex cum ordinibus suis ad altare procedit, et facta ibi oratione, ad sedem ascendit, Rege cum suis tribus episcopis, videlicet Ostiensi et Portuensi et Albanensi in ecclesia S. Mariæ in turribus remanente, vbi a canonicis S. Petri receptus in fratrem imperialibus induatur insignijs, dato ipsius pallio camerario domini Papæ. Qui, præcedentibus illum canonicis et cantantibus, Petre amas me? etc. cum ad ostium basilicæ Principis Apostolorum peruenerit, quæ porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde comite Lateranensis palatij, et primicerio iudicum Romanorum, Albanensis episcopus ante ipsam portam argenteam hanc super eum benedictionem effundat: Deus in cuius manu corda sunt Regum, etc. a Cum autem intra ecclesiam in medio rotæ peruenerit, Portuensis episcopus hanc orationem super eum decantet: Deus inenarrabilis auctor mundi, etc. b

Quæ preces ab episc. Albanensi fundendæ pro Cæsare, cum ecclesiam ingreditur.

Alia oratio intra ecclesiam.

Qui, cum ad confessionem B. Petri peruenerit, prosternant se pronus in terram, et prior diaconorum super eum faciat letaniam. Qua finita, prior presbyterorum dicat orationem dominicam cum capitulis istis: Saluum fac seruum tuum Domine. Mitte ei auxilium de sancto. Domine saluum fac Regem. Ac deinde dicat orationem istam: Actiones nostras quæsumus Domine, etc. Post hæc procedant ad altare S. Mauritij, vbi Ostiensis episcopus vngat ei de oleo exorcizato brachium dexterum et inter scapulas hanc orationem dicendo: c

Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas, &c.

Post aliam orationem: Deus Dei filius Iesus Christus, &c. d

8 *His ita peractis, ascendat Rex ad altare B. Petri: vbi summus Pontifex, facta confessione, recipiat eum ad osculum sicut vnum ex diaconis, ipseque procedat ad pulpitum vel ambonem, vbi thalamus constructus de lignis, & ornatus de palijs debet esse paratus, et cum suis archiepiscopis & episcopis, principibus & magnatibus secundum capacitatem loci consistat. Primicerius autem & scho-*

a Ext. annal. tom. XIII. an. 1209. n. 18.

b Ex ibid.

Ad letaniam B. Petri repetendæ letaniæ.

Ostiensis episcopi partes sũt Cæsarem inungere.

c Ext. ib. n. 19.

d Ibid.

Vt Cæsar admittendus ad osculum instar diaconi.

la cantorum in choro ante altare decantent introitum: & post, Kyrie eleison, & hymnum angelicum decantato summus Pontifex dicit orationem, quæ competit illi diei, & hanc orationem pro ipso Imperatore: Deus regnorum omnium. [Extant harum precum formulæ in vetusto pontificio cerimoniali a, ex quo ipsas describere visum est]. Deus regnorum omnium, & Christiani maxime protector imperij, da seruo tuo N. Imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter excolere; vt qui tua constitutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per, &c. Item aliam orationem: Suscipe domine preces & hostias ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui N. supplicantis, & protectione fidelium populorum antiqua brachij tui operare miracula, vt superatis pacis inimicis, secura sibi seruiat Christiana libertas.

a Cerem. M.S. bibl. Vat. sign. n. 4737. pag. 90.

Item aliam orationem: Deus qui ad prædicandum æterni regni euangelium Romanum imperium præparasti, prætende famulo tuo Imperatori nostro N. arma cælestia; vt pax ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum.

Coronæ imponendæ ritus.

9 Cum lecta fuerit epistola, & graduale decantatum, Imperator ascendat processionaliter, ad altare, vbi summus Pontifex imponit ei mitram clericalem in capite, ac supra mitram imperatorium diadema, dicens: Accipe signum gloriæ, diadema regni, coronam imperij, in nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti † vt spreto antiquo hoste, spretisque contagijs vitiorum omnium sic iustitiam, misericordiam, & iudicium diligas, & ita iuste, misericorditer, & pie viuas, vt ab ipso domino nostro Iesu Christo in consortio sanctorum æterni regni coronam percipias. Qui cum Patre, &c.

Deinde sceptrum & pomum aureum tradat ei, & post cætera gladium, ita dicens: Accipe b gladium de super beati Petri Apostoli corpus sumptum per nostras manus, licet indignas, vice tamen & auctoritate beatorum Apostolorum consecratos, imperialiter tibi concessum, nostrique bene † dictionis officio in defensionem sanctæ matris ecclesiæ diuinitus ordinatum ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; & memor esto de quo psalmista prophetauit, dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; vt in hoc vim æquitatis per eundem exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, & sanctam Dei ecclesiam, eiusque fideles propugnes ac protegas: nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execres ac dispergas: viduas & pupillos clementer adiuues, ac defendas: desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, confirmes bene disposita; quatenus in hoc agendo virtutum triumpho gloriosus iustitiæ cultor egregius cum mundi Saluatore, cuius typum geris in nomine, sine fine regnare merearis. Qui cum Deo, &c. Qui coronatus incedens portet in dextra manu pomum, in sinistra sceptrum, & sic ad thalamum redeat, ipsoque ibi cum principibus suis consistente, prior subdiaconorum cum subdiaconis Romanæ curiæ & capellanis aulæ imperialis ad pectorale dextrum ante Crucifixum argenteum laudem Imperatori alta voce decantent hoc modo: Exaudi Christe. Scriniarij vero vrbis sericis cappis induti, ante pectorale consistentes in choro, respondeant: Domino Carolo inuictissimo Imperatori Romanorum et semper Augusto salus & victoria. Qua laude tertio repetita, prior subdiaconorum cum suis tribus vicibus dicat: Saluator mundi. Et scriniarij vicissim respondeant: Tu

b Pag. 93.

Faustæ acclamationes coronato Imperatori dandæ.

illum adiuua. Deinde ipse cum suis duabus vicibus dicat: S. Maria. Et illi vicissim respondeant: Tu illum adiuua. Et sic deinceps, S. Michael S. Gabriel, S. Raphael, S. Ioannes Baptista, S. Petre, S. Paule, S. Agnes, S. Cæcilia, &c. Quibus finitis, ipsi bis dicant: kyrie eleyson. Et illi vicissim respondeant: Christe eleison. Ac deinde simul omnes; kyrie eleison. Post hoc, euangelio decantato, Imperator corona & manto depositis accedat ad summum Pontificem, & offerat ad pedes eius aurum quantum sibi placuerit: ipsoque Pontifice descendente pro perficiendis missarum mysterijs ad altare, Imperator more subdiaconi offerat ei calicem & ampullam, & stet ibi, donec Pontifex ad sedem reuersus communicet, sacramque communionem de manu eius suscipiat cum osculo pacis: & sic ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter & coronam, missaque finita pontificalem benedictionem reuerenter accipiat. Et statim procedat ad locum, vbi debet summus Pontifex equitare: & cum ipse Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellæ eius, & arrepto freno aliquantulum ipsum adextret, moxque suum equum ascendens procedat iuxta summum Pontificem vsque ad ecclesiam S. Mariæ in * Transpadina, vbi dato sibi osculo ad inuicem non corde sed corpore separentur.

De auro a Cæsare offerendo Pontifici. Vt illi faceris operanti ministrare debeat.

*De stapede tenendo ab Imperatore. * Transpontina*

10 Si vero Regina coronanda fuerit, debet super lectorium ex opposito thalamus præparari, vbi cum duabus ad minus puellis & aliquibus ex principibus imperij tam ecclesiasticis quam mundanis resideat. Et post coronationem Imperatoris deducatur ad altare ante summum Pontificem amicta regalibus indumentis: cui summus Pontifex mitram imponat, ita quod cornua mitræ sint a dextris et a sinistris, et super mitram imponat coronam, ita dicendo: Accipe coronam imperialis excellentiæ, etc. [Fundi prius nonnullas preces in ipso ingressu ecclesiæ, describit cerimoniale pontificium a: cum etiam in ea lustranda sacra prece, nec non oleo perlinenda, denique corona illi imponenda, plura recensentur accuratissime, quæ delibanda ex ipso, & iucunda fore lectori visa sunt.] In benedictione Reginæ vel Imperatricis ad ingressum ecclesiæ sic oratur.

Ritus in corona Reginæ conferenda.

a M.S. bib. Vat. sign. n. 4737.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando auertis, sed dignanter comprobando potius eligis, & qui infirma mundi eligendo, fortia quæcunque confundere decreuisti; quique etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu fœminæ Iudaicæ olim plebi de hoste sæuissimo resignare voluisti, respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, vt super hanc famulam tuam N. quam supplici deuotione in Reginam vel Imperatricem eligimus, bene † dictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuæ potentiæ semper & vbique circumda, & vt dono tui munimine vndique firmiter protecta visibilis seu inuisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & vna cum Sara atque Rebecca, Lia atque Rachele beatis reuerendisque fœminis fructu vteri sui fœcundari seu gratulari mereatur ad decorem totius regni, vel imperij, statumque sanctæ Dei ecclesiæ regendi, nec non protegendi. Per Christum dominum nostrum, qui ex intemerata B. Mariæ virginis aluo nasci, visitare, ac reuocare hunc dignatus est mundum: qui tecum viuit & gloriatur Deus in vnitate Spiritus sancti per immortalia secula. Et post coronationem Imperatoris deducatur ad altare ante summum Pontificem amicta regalibus indumen-

Sequuntur formulæ.

tis, & summus Pontifex det hanc benedictionem dicens.

Oratio.

Qua prece lustrãda s'Pont.

Deus qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cuius prouidentia in sua dispositione non fallitur, qui fecisti ea, quæ futura sunt, & vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, qui superbos æquo moderamine de principatu deÿcis, atque humiles dignanter in sublime prouehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, vt sicut Esther Reginam Israeliticam causa salutis de captiuitatis suæ compede solutam ad Regis Assueri thalamum regnique sui consortium transire fecisti, hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ bened † ctione Christianæ plebis salutis gratia ad dignam sublimemque Regis vel Imperatoris nostri copulam, & regni vel imperÿ sui participium misericorditer transire concedas: & vt imperialis, vel regalis, fœdere coniugÿ semper permanens pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo viuo & vero in omnibus & super omnia iugiter placere desideret, & te inspirante, quæ sibi placita sunt, toto corde perficiat. Per Christum, &c.

In sacri olei vnctione.

Alia cum liniatur sacro balsamo.

Spiritus sancti gratia nostræ humilitatis officio in te copiosa descendat, vt sicut manibus nostris, licet indignis, oley materiali oblita pinguescis exterius, ita eius inuisibili vnguine delibuta impinguari merearis, eiusque spirituali vnctione perfectissime semper imbuta, & illicita declinare tota mente & spernere discas & valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter optare, atque operari queas & opereris, auxiliante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto, &c.

Deinde summus Pontifex ei mitram imponat, ita quod cornua mitræ sint a dextris et sinistris. Tunc coronam imponat, dicendo: Officio nostræ indignitatis in Reginam, vel Imperatricem solemniter benedicta, accipe coronam regalis, vel imperialis excellentiæ, quæ licet ab indignis, episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur: vnde sicut auro & gemmis redimita nites, ita & interius auro sapientiæ virtutumque gemmis decorari satagas, quatenus post occasum huius seculi cum prudentibus virginibus Sponso perenni domino Iesu Christo digne et laudabiliter occurrens Regina, cælestis aulæ merearis ingredi ianuam, auxiliante eodem domino Iesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.
Hactenus ceremoniale pontificium. Reliquos ritus Innocentij Papæ literæ ita describunt.]

* absidem

Coronata vero Regina reducatur ad thalamum, & post euangelium deducatur ad oblationem summo Pontifici exhibendam, stetque in gradibus iuxta obsidiam versus altare S. Leonis, donec de manu summi Pontificis post Imperatorem sacram communionem accipiat: & tunc ad thalamum reducta permaneat vsque ad finem missæ. Consueuit autem Imperator larga presbyteria omnibus ordinibus exhibere, quibus ea, cum coronatur summus Pontifex elargitur; videlicet episcopis, presbyteris, & diaconis Cardinalibus, primicerio & cantoribus, subdiaconis basilicarÿs & regionarÿs, vniuersitati cleri Romani, capellanis, et cæteris officialibus et ministerialibus curiæ; præfecto Vrbis, senatoribus, iudicibus, aduocatis, et scriniarÿs, ac præfectis nauallium. Consueuit etiam Rex, quando descendit de monte Gaudy, et venit ad ponticellum, præstare hoc iuramentum Romanis: Ego Carolus Rex futurus Imperator iuro, me seruaturum Romanis bonas consuetudines suas.*

Moneta a Cæsare elargienda.

Iusiurandum Romanis nũcupandu ab Imp.

Sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Dei euangelia, etc.

11 Quia vero propter nostram absentiam nonnulla solemnia ex prædictis, personam nostram tangentia, expedit intermitti; volumus atque decernimus, quod non obstantibus his, quæ superius describuntur, in gradibus scalarum dictæ basilicæ Principis Apostolorum idem Rex Romanorum solemnitate & honorificentia debitis recipiatur ad osculum per te ac legatum eundem, stantes in ordinibus vestris, induti tamen omnes pluuialibus processionaliter obuiantes eidem cum subdiaconis & acolythis, primicerio & cantoribus, astantibus circa te dictumque legatum magnatibus, nobilibus, officialibus, & ministerialibus aulæ nostræ. Aurum vero quod Rex in eisdem gradibus Apostolico consueuit offerre post genuflexionem & deosculationem pedum, omissis illis, quas nec tibi nec dicto legato faciet idem Rex, quia soli Romano Pontifici competunt & debentur, in eodem loco per eundem Regem tibi & dicto legato humiliter offeratur, ita dicentem: *Si sanctissimus pater dominus noster dominus Innocentius summus Pontifex esset hic præsens, sibi offerrem aurum istud præsentialiter: sed propter eius absentiam offero sibi aurum istud vobis dominis episcopo et legato recipientibus illud, vice ac nomine dicti domini nostri Papæ.* Quo facto idem Rex, existens in medio tui & dicti legati, veniat cum vtroque vestrum ad altare S. Mariæ in turribus: & cum ibidem fuerit, publice in præsentia tui & dicti legati, recipientium nostro & ipsius ecclesiæ Romanæ nomine, præstet idem Rex sacramentum suo expresso proprio nomine de verbo ad verbum, prout superius continetur. Renouet etiam sacramentum, per procuratores suos præstitum suæ approbationis tempore coram nobis secundum tenorem supra descriptum. Et si in aduentu suo in gradibus, vbi eidem tu & legatus obuiabitis antefatus, renouationem prædictam facere præeligeret, contentamur.

Absente Pontifice plura omittenda.

Præscripta oblationis facienda ratio.

Sacramentum a procuratoribus datũ renouari iussum.

Tu vero, vt præmittitur, missam celebres & Regem prædictum inungas, prout in ordinario continetur. Lætanias dicat diaconus, qui tibi celebranti in missarum solemnijs ministrabit. Orationem autem, quam dicere debet prior presbyterorum Cardinalium, dicat idem legatus. Præstito autem in capella S. Mariæ de turribus iuramento, prædictus legatus cum Rege remaneat memorato. Orationem vero, quæ dicenda competit episcopo Albanensi, tu dicas loco & tempore debitis: sed orationem quam deberet dicere Portoensis episcopus, si adesset, dicat præfatus legatus. Receptio autem ad osculum inter diaconos Cardinales post confessionem in altari B. Petri factam, quia soli Romano Pontifici competit, & concurrit cum osculo pectoris, omittatur. Tu autem & prædictus legatus imponatis mitras suo modo Regi suæque Reginæ prædictis, prout in dicto ordinario de summo Pontifice continetur, & diademata Regi & Reginæ prædictis. Verba vero dicenda in impositione diadematum, scilicet, *Accipe signum gloriæ*, quo ad Regem, item, *Accipe coronam imperialis excellentiæ*, quoad Reginam, dicat idem legatus alte atque sonore, ita quod ab assistentibus audiantur: licet enim ratione prioratus hoc eidem legato non competat; quia tamen ipse in legatione nostram repræsentat personam, hoc per eum volumus adimpleri; & tu verba eadem voce

Ægidio Cardinali ob legationis dignitatem imponendi diadematis potiores partes datæ.

sub-

submissa dicas sic, vt nequaquam audiri possint, sicut in consecrationibus prælatorum fieri consueuit per consistentes principaliter consecranti. Verba autem competentia in assignatione gladij post sceptrum & pomum aureum ipsumque gladium, per te & legatum eundem tradita, scilicet, *Accipe gladium ad vindictam malefactorum*, tu idem alta & sonora voce dicas & proferas, prædicto legato submissa voce eadem verba dicente, prout in verbis impositionum mitrarum & diadematum superius est expressum.

12 Decantato autem euangelio, Rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis consueuit offerri, ad pedem maioris altaris, quod tu & legatus idem nostro recipietis nomine. Cætera vero solemnia peragantur cum omni solemnitate & honorificentia, prout in ordinario continentur. Oblatio vero calicis & ampullæ per Imperatorem iam coronatum, decantato euangelio, corona & manto depositis, more subdiaconi Romano facienda Pontifici, & assistenti eidem facienda per Imperatorem, donec Romanus Pontifex ad sedem propriam reuertatur, quia soli Romano Pontifici competunt, omittantur. Idem tamen Imperator, si voluerit, sacram communionem de manu recipiat celebrantis, osculo tamen omisso. Quibus peractis, ad thalamum rediens, in ambone resumat mantum pariter & coronam. Processus autem huiusmodi Imperatoris ad locum, vbi summus Pontifex equitare deberet, & detentio stapedij sellæ eius, & arrepto fræno equi, cui Romanus Pontifex insideret, adextratio officijque stratoris exhibitio, quia soli Romano Pontifici competunt, & præsentiam ipsius exigunt corporalem, omittantur omnino: reliqua autem solemnia, prout exprimuntur in ordinario, solemniter & honorifice compleantur.

Quæ ipsius soli Pontifici exhibenda.

13 Quia autem, vt ex prædictis apparet, multæ obseruantiæ, multaque solemnia, multæque reuerentiæ & honorificentiæ Romano Pontifici competentia propter nostram absentiam omittuntur, protestamur & volumus, & apostolica auctoritate decernimus; quod nullum ex hoc iuris vel facti Romanæ ecclesiæ ac nobis nostrisque successoribus præiudicium generetur, quin cum casus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur & fiant per coronandos Reges Romanis Pontificibus, sicut in forma, quæ in archiuio ecclesiæ & pontificali ordinario continetur eisdem superius descripta, seriosius est expressum. Ad eiusdem autem ecclesiæ Romanæ, nostram, & successorum nostrorum conseruationem iuris atque cautelam volumus, per te ac dictum legatum ab eodem tam Rege coronando, quam Imperatore coronato, expresse his nostris protestationi & decreto consentiente, recipi patentes literas quadruplicatas de verbo ad verbum, tenorem præsentem continentes, suo regali primum sigillo, & postmodum sua imperiali bulla aurea communitas: quas tu & idem legatus, aut alter vestrum nobis aut cameræ nostræ fideliter assignetis. Quod si te vel dictum legatum, cui similes literas mutatis mutandis dirigimus, contigerit forsitan impediri, ille vestrum, qui executioni præmissorum vacare potuerit, ea omnia exequatur. *Dat. Auin. 11. kal. februarij, pontificatus nostri anno* III.

Cautum ab Innocentio iuribus pontificijs.

[Repetitis his Innocētij literis, subijcit Carolus.]

14 Cum igitur, sanctissime pater & domine reuerendissime, propter vestræ sanctitatis absentiam circa imperialis coronationis nostræ solemnia nonnullas obseruantias, & multa solemnia, variasque reuerentias & honorificentias, quæ Romano Pontifici competerent, vt ex eiusdem sanctitatis vestræ literis reuerendo in Christo patri domino Petro Ostiensi episcopo Cardinali Apostolicæ sedis nuntio amico nostro charissimo directis colligitur, contingat omitti; & ob hoc fueritis in eisdem apostolicis literis protestati, volueritis quoque, & auctoritate apostolica duxeritis decernendum, quod ex hoc nullum Romanæ ecclesiæ, vobis, & vestris successoribus iuris vel facti præiudicium generetur; quin occurrente casu, quo Rex Romanorum in Imperatorem fuerit coronandus, omnia exhibeantur & fiant per coronandos Reges Romanis Pontificibus, sicut in forma superius descripta, quæ in archiuio ecclesiæ & pontificali ordinario continetur, clarius, vt præmittitur, est expressum; nos qui supra Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Boemiæ Rex supradictis protestationi & decreto sanctitatis vestræ consentimus expresse, omnia & singula iuramenta in literis sanctitatis vestræ prædictis contenta tactis sacrosanctis euangelijs in manibus prædicti domini Cardinalis Ostiensis nomine Romanæ ecclesiæ, sedis Apostolicæ, atque vestro, & de mandato vestro recipientis, iurauimus & iuramus, præstitimus & præstamus, promittimus & spondemus: de qua receptione tam per nostras præsentes, quam ipsius domini Cardinalis recipientis literas plene constat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum securitatem, iuris conseruationem, atque cautelam præsentes literas quadruplicatas tenore prædictarum literarum sanctitatis vestræ eis de verbo ad verbum inserto scriptas, & regiæ maiestatis nostræ sigillo munitas eidem sanctitati vestræ concessimus, & eas etiam per eundem dominum Ostiensem Cardinalem duximus transmittendas; promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod post imperialis diadematis coronationem susceptam prædicta omnia ratificabimus, iurabimus, & renouabimus, & de his omnibus nostras patentes dabimus literas quadruplicatas, de verbo ad verbum prædictarum literarum vestrarum seriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem iuris conseruationem, & cautelam vestram, successorum vestrorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sedis Apostolicæ imperialis maiestatis typario communitas. *Datum Romæ ante susceptionem imperialis nostræ coronæ anno Domini* MCCCLV. *indictione* VIII. *non. aprilis, regnorum nostrorum anno* IX. *Ego Ioannes Dei & Apostolicæ sedis gratia Luthomuslensis episcopus, aulæ regiæ cancellarius, vice reuerendi in Christo patris domini Guillelmi Coloniensis archiepiscopi sacri imperij per Italiam archicancellarij recognoui, & manu propria subscripsi.*

Firmat ea Carolus Imp.

Omissa exhibitum iri a successoris Cæsarib. præsenti Pontifici sancit.

Dotæ hac de re ante susceptum insigne imperiale literæ.

15 Extant aliæ, eadem verborum formula conceptæ post susceptum insigne augustale datæ, ijsque ad calcem hæc adiecta, quibus superiora corroborat: *Nos qui supra Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Boemiæ Rex supradictis protestationi & decreto, sicut ante coronationem nostram imperialem consensimus, ita denuo sanctitati vestræ consentimus expresse: nec non omnia & singula iuramenta, in literis sanctitatis vestræ prædictis contenta,*

Alie post susceptum. a Ext. in cod. ceremon. M.S. bibl. Vat. sign. n. 4737. pag. 266.

ante dictam coronationem per nos præstita, & consensum prædictum renouamus, & de nouo iurauimus, tactis sacrosanctis euangelijs, in manibus prædicti domini Cardinalis Ostiensis, nomine Romanæ ecclesiæ, sedis Apostolicæ atque vestro, & de mandato vestro recipientis: de qua receptione iam per nostras præsentes, quam ipsius domini Cardinalis recipientis literas plene constat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum securitatem, iuris conseruationem, atque cautelam præsentes literas quadruplicatas, tenore præsentium literarum sanctitatis vestræ eis de verbo ad verbum inserto, imperialis maiestatis typario communitas eidem sanctitati vestræ concessimus, & eas per eundem dominum Ostiensem Cardinalem duximus transmittendas. Dat. Romæ post susceptionem imperialis nostræ coronæ anno Domini MCCCLV. *indictione* VIII. *non. aprilis regnorum nostrorum anno* IX. *imperij vero primo.* Confirmauit etiam a singulas pactiones, quas antea cum Clemente VI. iniuerat.

Cõfirmorę a Carolo pactiones antea iuratæ.

a Ext. in arce S. Ang. & in lib. priuil. Rom. eccl. to 3. pag. 108. 128. 156. & inter collect. Vlat. to. 3. pag. 108. et M.S. bibl. Vall. sign. lit. B n. 12 pag. 356. et lit. D. n. 3 pag. 35. Illius eadere literæ.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo domino Innocentio, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Boemiæ Rex, cum reuerentia debita pedum oscula beatorum.

Sanctissime pater & domine reuerendissime, literas sanctitatis vestræ, quas clementia vestra nobis curauit transmittere, de manibus reuerendi in Christo patris domini Petri Ostiensis episcopi A. S. N. amici nostri charissimi in ciuitate nostra Senarum in imperiali palatio cum reuerentia debita & honore congruo deuote suscepimus, quarum tenor sequitur in hæc verba.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri salutem, &c.

Sicut filius benedictionis & gratiæ, humilitatis a Domino virtute præuentus, deuotionis & fidei tuæ zelum Romanæ ecclesiæ matri tuæ olim offerens, reuerenter iuramentum, quod series infrascriptarum literarum, tuo pendenti munitarum sigillo, continet seriose, dudum in manibus bonæ mem. Geraldi episcopi Tridentini, tunc archidiaconi de Balthesio in ecclesia Constantiensi capellani sedis Apostolicæ, de mandato per felicis recordationis Clementem Papam VI. prædecessorem nostrum eidem Geraldo facto, prædecessoris & ecclesiæ prædictorum ac Apostolicæ sedis nomine recipientis, tactis per te sacrosanctis euangelijs, sicut per easdem literas plene constat, corporaliter præstitisti; promittens teque firmiter obligans cum omni efficacia & effectu, quod post imperialis diadematis a te coronationem susceptam omnia in iuramento & literis contenta prædictis ratificares, confirmares, recognosceres, faceres, seruares, & iurares, ac de supradictis omnibus infra VIII. dies tuas patentes literas dares quadruplicatas prædictarum literarum seriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem & cautelam dicti prædecessoris & successorum ipsius, ac Romanæ ecclesiæ & sedis Apostolicæ prædictorum imperialis maiestatis typario communitas. Quare magnificentiam regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus vt deuotionis & fidei ac reuerentiæ feruore huiusmodi cum tuæ promotionis & exaltationis augmento per clara tuæ celsitudinis gesta erga nos & præfatam ecclesiam creuisse demonstres, in manibus dilecti filij Ægidij tit. S. Clementis presbyteri Cardinalis legati, venerabilis fratris nostri Petri Ostiensis nunc ijsdem Apostolicæ, vel alterius eorundem, quos ad tui præsentiam duximus destinandos, quibus nec & cuilibet eorundem in solidum iuramenti & aliorum prædictorum omnium & singulorum receptionem per nostras literas speciales commisimus, post susceptum per te, vt præmittitur, ipsius imperij diadema omnia in iuramento & literis contenta prædicta ratifices, confirmes, recognoscas, facias, ac præstea de nouo simile iuramentum, nobisque super his omnibus & singulis iuxta tuam promissionem & obligationem easdem prædictas literas quadruplicatas, eiusdem imperialis maiestatis typario communitas, in eis tenore prædictarum suarũ literarum inserto concedas, illasque nobis per eosdem vel alterum eorundem transmittas. Tenorem autem prædictarum literarum tuarum, vt de ipsis plenã certitudinem habeas, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, qui talis est.

Innocentius lit. quibus id poposcit.

Qui ad illud sacramentum exigendũ designati.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo domino Clementi, sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Boemiæ Rex cum reuerentia debita ac deuota pedum oscula beatorum. Summis & feruentibus desiderijs in spiritu humili cupientes sanctitatis vestræ pedibus & Apostolicæ sedi toto corde & animo zelum nostræ reuerentiæ, fidei, & deuotionis offerre &c.] Repetũtur literæ Caroli iã ante a nobis allatæ a, quibus Romanæ ecclesiæ iura, cum pontificium decretum, quo regia electio rata habita est, ab internuntio Apostolico illi traditum est, confirmauit, atque hac temporis nota consignatæ sunt: *Dat. Tridenti v. kal. may anno D.* MCCCXLVII. *regnorum vero nostrorum anno* I. [Quibus subiicit Carolus.]

a Anno Chr. 1347 n. 1. &c.

Tanto itaque feruentius ad sanctitatem vestram, Romanam ecclesiam, & Apostolicam sedem zelo fidei & deuotionis accensi, quanto sumus amplius per susceptionem imperialis diadematis diuinæ gratiæ munere sublimati; omnia in iuramento & literis contenta prædicta ratificamus, confirmamus, recognoscimus, & ea seruabimus, & etiam faciemus; ac similia iuramenta, prout in eisdem continetur literis, de nouo præstamus, facimus, & renouamus: ac prædicta omnia & singula inuiolabiliter obseruare & obseruari facere, & nullo vnquam tempore contrauenire denuo iuramus ad sacrosancta Dei euangelia, corporaliter tacto libro, in manibus supradicti reuerendi in Christo patris domini Petri Ostiensis episcopi A. S. N. amici nostri charissimi, nomine Romanæ ecclesiæ eiusdem, sedis Apostolicæ, ac vestro & de mandato vestro speciali recipientis: de qua receptione tam per nostras præsentes, quam ipsius recipientis literas plene constat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac sedis Apostolicæ & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam præsentes literas quadruplicatas tenore prædictarum literarum nostrarum oĩa inserto, imperialis maiestatis typario communitas, iuxta promissionem & obligationem nostras prædictas sanctitati vestræ concessimus, & eas etiam per eundem dominum Ostiensem episcopum duximus transmittendas. *Datum Romæ post susceptionem imperialis nostræ corona*

Coram Ostiensi episcopo superiora confirmat.

rona

rona anno Domini MCCCLV. *indictione* VIII. *nonis Aprilis, regnorum nostrorum anno* IX. *imperij vero anno* I. *Ego Ioannes, Dei & Apostolicæ sedis gratia Luthomuslensis episcopus, sacræ imperialis aulæ cancellarius vice reuerendissimi in Christo patris domini Guillelmi Coloniensis archiepiscopi sacri imperij per Italiam archicancellarij recognoui, & manu propria subscripsi.*

17 Assertis ita mox a correpto augustali insigni Romanæ ecclesiæ iuribus, nouus Imperator basilica Principis Apostolorum egressus conscendit aurea corona conspicuus generosum equum, gestans dextera aureum sceptrum, sinistra orbem, in quo crux ex auro eminebat, stipantibus Romanis principibus, atque Imperatrice proxime sequente ad Lateranensem magna pompa perrexit a, tanto apparatu & concursu, vt Germanorum ad quinque, Italorum ad decem equitum millia & eo amplius illam ornarent. Post solemnes vero epulas venatus specie ex Vrbe se subduxit b ad S. Laurentij basilicam extra Vrbis eiusdem mœnia, vt Pontifici obsequeretur, ne qui a Romanis nouarum rerum cupidis tumultus conciraretur; qua de re hæc MS. Vaticanum c: *Eodem anno, nempe* MCCCLV. *dominus Carolus Rex prædictus descendens in Italiam coronam imperialem suscepit, & vxor eius cum eo in basilica sancti Petri in die sancto paschæ, statim Romam exiens eo die.* Commendat quidem Dubrauius d Caroli in Pontificem fidem, qui Romanos summam reipublicæ sibi deferentes reiecerit: *Instant,* inquit, *Romani, vt Augustus Vrbem augustam tanquam hæreditatem suam iure inuadat, aut Romanos in antiquum statum restituat. Deliberaturum se ille respondet, Vrbeque per venandi simulationem egressus in castra tetendit, seuerissimum inde mandatum dans, vt finem tandem Romani mutandis innouandisque dominis imponant, memores sacramenti apud Romanum Pontificem semel depositi.*

a Matth. Vill. l. 5. c. 2.
Celeberrimi concursus habiti.
b MS. bibl. Vat. sign. n. 2040 et aliud sign. n. 3755.
c MS. sign. n. 3765.
d Dubrau. hist. Boem. l. 22.
Tenetur Romani Carolum in Vrbe retinere. Repulsi, Carolo fidem commodo præferente.
e Matth. Vill. l. 5. c. 20.
Conflata Pisis in Carolum coniuratio.
f Eod. lib. c. 36.
g Cap. 55.
h Cap. 37. MS. bibl. Vat. sign. n. 2040. et aliud n. 3765. Alb. Arg. in chron. Gesta Innoc. VI. apud Bosq. Cort. hist. l. 11. c. 9.
k Robd. in annal.
Dubr. l. 22
Marquardus a Car. præfectus Italiæ.
i MS. bibl. Vat. sign. n. 3765.
l Cor. tuf. hist. l. 11. c. 5.
Reditus Caroli in Germ. m Matth. Vill. l. 5. c. 40. Leon. Aretin. l. 8. hist. Flor. Ant. 3. p. tit. 21. c. 9. §. 3

18 Digressus Roma Senas, eam vrbem Nicolao fratri patriarchæ Aquileiensi tradidit e: sed breui illius iugum Senenses excussere f, grauissimeque inter se de vrbis principatu dissensere g. Nec pacatæ fuere Pisæ, insidijs enim Carolus appetitus, h ac primum palatij incendio; deinde aperta seditione mota, tentata eius vita: sed a Marquardo episcopo Augustensi factiosi repressi, & præcipui coniurationis auctores capite truncati. Discussa ea proditorum factione, Italici pertæsus soli marchionem Montisferrati proregem cæsareum creauit in Italia i, & Marquardum episcopum Augustensem Pisanæ vrbi præfecit k. Forsan, inquiunt Cortusij l, *Italia formidans insidias, emissis Lombardorum infestationibus & querelis, dominus Imperator cogitauit redire Boemiam. Sic eodem anno mense Iunij, transitum faciens per Lombardiam, intrauit vallem Valcamonicæ, qua per Alemanniam Pragam est reuersus. Quid Deus sit facturus per ipsum, ipse nouit, cui honor & gloria in sæcula sæculorum.* Hæc de Caroli reditu m coniungenda visa sunt; ne eadem subinde repetere cogeremur. Nunc de auxilijs ab ipso ecclesiæ, vt mutuo officijs cum ipsa certaret, pro reuocandis ad Apostolicæ sedis obsequia perduellibus præstitis sermonem instituamus.

19 Gerebat cum tyrannis, qui ditionem pontificiam discerpserant, bellum Ægidius Cardinalis legatus, spesque ingens affulserat ex Caroli in Italiam aduentu felices successus non defuturos. Quam expectationem de eo conceptam Pontifex exaratis XV. idus februarij literis Carolo exposuit a: *Legatus, conductis armigeris gentibus, equitibus & peditibus in numero copioso, circa recuperationem huiusmodi a magno tempore citra solerter ac vigilanter intendens, per gratiam Dei & merita B. Petri Apostolorum principis, cuius prosequitur in hac parte negotium, multum profecit, & profuturus amplius, postquam Deus te in Italiam descendere sua benignitate concessit, nemine dubitante speratur.* Premebantur bello, Malatestæ opera Gentilis e Moliano, qui Firmum ecclesiæ restituerat: cum Ordelaffus metuens Malatestis deiectis, belli molem in se versum iri, Gentilem subornauit b, vt Firmanam tyrannidem iterum corriperet, sua ac Malatestarum auxilia pollicitus. Is etiam Gibellinæ factionis signifer, vt imperialis nominis asserendi specie Ludouici Bauari nomine tyrannidem corripuerat, ita Carolum, dum Pisis agebat, vindicandæ in suum splendorem imperialis dignitatis colore facile se corrupturum ratus, ipsiusque patrocinium eblanditurum, Pisas contendit. Sed ne in conspectum quidem ipsum, vtpote defixum pontificio anathemate, admittere Carolus voluit c. Neque etiam Malatestis fauit: cum enim Aegidius Cardinalis aduersus eos auxilia ab ipso flagitaret, ac suaderent aliqui, vt rem extraheret, Carolus qui politicæ Gibellinæ artes perspectas habebat, respondit non modo submissurum se copias ad perduelles edomandos, sed bellicos quoque labores ad ecclesiasticam ditionem Pontifici restituendam, eripiendamque ex inuasorum manibus in castris subiturum. Quas egregias voces ab ipso pronuntiatas cum audisset Innocentius, gratias illi hisce literis egit d.

a To. 3. ep. secr. pag. 38.
b Matth. Vill. l. 4. c. 52.
c Eod. l. 4. c. 43.
Profitetur assistentiã se Põtifici pro recuperãda illius ditione.
d To. 3. ep. secr. pag. 23.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri.

Dilectus filius noster Aegidius tit. S. Clementis presbyter Cardinalis A. S. L. per suas literas scripsit nobis, quod cum ipse ad magnitudinem tuam pro auxilio reuocando circa recuperationem terrarum ecclesiæ Romanæ matris tuæ, quas Malatesta & Galeoti de Malatestis militum Ariminensium, & quorumdam aliorum rebellium & proditorum ipsius ecclesiæ tyrannica occupauit ambitio, recursum fiducialiter habuisset, tu filialis deuotionis ardore succensus erga ecclesiam antefatam, licet consiliariorum tuorum deliberatio responsionem super hoc differendam in diem aliam suaderet, in respondendo moram non patiens, & consilium non expectans, post grates redditas de recursu habito, & multa verba, quæ de armario pectoris tui educebat sincera deuotio, & quæ te filium gratitudinis, filium vtique benedictionis & gratiæ indicabant, respondisti gratanter & placide, quod cum negotia ipsius ecclesiæ tua propria reputares, intendebas illa non solum gentium tuarum destinando præsidio dirigenda suscipere, sed potentiæ tuæ virtute in persona propria promouere: & patentius explicans catholici animi tui zelum adiecisti, quod in ijs & quibuslibet alijs necessitatibus ipsius ecclesiæ sic adesse propitius, sicque fauorabiliter assistere proponebas eidem, quod etiam tua differres promouenda negotia, vt eidem ecclesiæ incumbentibus quibuscunque promotionis operam adhiberes. Hæc sane, Christianissime princeps quanta sit tuæ sinceritas deuotionis ad Deum patenter insinuant: hæc quanto ad eandem ecclesiam affectu charitatis attenderis manifestant: hæc in nobis multiplicant gaudia, lætitiam augent, & ad laudes Creatori nostro, qui hanc

Actæ illi ab Innocẽtio gratiæ.

tibi

Religiatur, vt in suscepta mente persist.

tibi mentem formauit, cohibendas indesinenter accendunt, &c. *Dat. Auin. III. id. februarij anno III.*

Monetur ne a Malatestis se subornari sinat.

a To.3.ep. secr.pag.1.

De horũ in ecclesiã grassationibus.

20 Præmonuerat Carolum Pontifex III.non. ianuarias, ne se Malatestarum illecebris ac dolis irretiri fineret, ipsosq; Ioannis XXII. & Clem. VI. edictis incussas pœnas contraxisse, & in eos, vt hæreseos nota insontos iudiciario iure animaduersum iri significarat. De spreta vero ab ijsdem tyrannis apostolica mansuetudine, hæc habet a: *Mansuetudine ipsius ecclesiæ abutentes in superbia & contemptu, non solum ciuitatem*, nimirum Ariminensem, *& loca ipsa per eas, vt præmittitur occupata*, in Flaminia scilicet, *dimittere non curarunt, prout nec curant: immo ad ciuitates & alia loca residua ipsius ecclesiæ occupanda injicientes cupidos oculos, erigentes auaros animos, & manus auidas extendentes, ciuitates & terras ac loca fere omnia marchiæ Anconitanæ, quæ ad ipsam ecclesiam nullo medio pertinent, occuparunt & detinuerunt per annos plurimos, prout detinent, occupata in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum, &c. Dat. Auin. III. non. januarij anno III.*

Firmum receptum.

b Ibid pag.35.36

c Matth. Vill. l.5.c.57.

Recinetũ liberatũ.

d To.3.ep. secr.pag. 34. & 121

Malatesta gratiam ecclesiæ ambit.

e Matth. Vill. l.5.c.18 & vita Nic. Laur. c.18.

Voti cõpos fit.

f Matth. Vill. l.4.c. 92.

In Franciscum Ordelaffum versa arma.

g To.3.ep. secr.pag. 108.

h Ib. pag. 123. & pag.153.

i Ib. pag. 232.

Instructus legatus Caroli Germanico equitatu, magnisq; sociorũ auxilijs b, Malatestas ad officium reuocauit, recuperatum c est Firmum, excutientibus vltro Gentilis e Moliano, quem Pontifex ob proditionem iudicio postularat d, iugum ciuibus Recinetum liberatum obsidione, & Galeottus Malatesta repetita clade deletus captusque e: quo fraterno casu consternatus tyrannidis socius, cum Ludouicus Siciliæ Rex Acciaiolum pro eo ecclesiæ conciliando misisset f, clementiam potius pontificiam, quam seueritatem experiri Malatesta decreuit; de quo Pontifex ad Aegidium Cardinalem gratulatorias literas dedit g. Admissus in gratiam est Malatesta, traditaque illi ad decennium præfectura Arimini, Pisauri, Fani, ac Forisempronij, sex millium aureorum censu imperato h. Anconam vero, quam ab ijs ereptam ecclesiæ vidimus, restitutam ait auctor vitæ Nicolai Laurentij, ac duabus arcibus firmissimis a legato munitam: præfectos etiam eosdem exercitui ecclesiastico aduersus Franciscum Ordelaffum tyrannum Foroliuiensem, quem perfidum canem, Patarenum, ecclesiæque perduellem appellat, annis iam triginta anathematis nexibus deuinctum; tum aduersus Manfredianos spurios, qui Fauentiã seruitutis iugo oppresserant, eius pertinaciã imitatos, quos populorum, quorum incumbebant ceruicibus, sanguinem exsuxisse, describit Pontifex in literis ad Ludouicum Vngariæ Regem datis. i

l Ibid.ep. secr.pag 249.250.

In eum & Manfredianos re. ligiosa indicta militia.

m Vita Nic. Laur. c.18.

Eiusdem in sacerdotes immanitas.

21 Ad edomandam porro ipsorum peruicaciam Innocentius sacram expeditionẽ indixit, fidelesq; propositis indulgentiarum præmijs, veluti in hostes religionis concitandos censuit: qua de re ad Venetos, Florentinos aliosque Italiæ populos & magnates hæc scripsit l: *Habito cum fratribus nostris deliberatione matura, contra ipsos*, Ordelaffum scilicet & Manfredianos, *præter carnem de humanitate nihil habentes, verbum crucis cum indulgentijs & remissionibus consuetis per Italiam & certas partes alias mandauimus prædicari.* Non sine causa hos tyrannos nil præter carnem habuisse humanitatis queritur Pontifex, cum referat Vitæ Nicolai Laurentij auctor m, Ordelaffum septem sacerdotes, qui ecclesiasticum interdictum violare recusabant, laqueo præfocari, ac septem alios nudari cute iussisse, vt horrendo illo martyrij genere ceteros terreret: cumque se percussum censuris audisset, Pontificis & Cardinalium effigies, rogo excitato, concremasse: iactasse Pontificum anathemata ciborum exquisitissimorum sapores non mutare, neque corpora vllo mali genere offendere. Et qui impius in Pontifices, ac religionis contemptor erat, tygride ferocior filios, dum ipsum cum lacrymis rogabant, ne se manifesto exitio exponeret, necauit, vt videbitur inferius. Superiora porro flagitia, quamuis non referat Pontifex, immania tamen patrasse indicat, dum describit indicti sacri huius belli causas in literis scriptis a ad Aegidium Cardinalem A.S.L. cui illius gerendi cura erat demandata, superius designatas, nimirum Forum Liuij, Cæsenam, & Forum Popilij, Castrum Carum, Meldulam, Brittenorium ab Ordelaffo, Fauentiam a Guillelmo & Ioanne in seruitutem redacta: trium Pontificum Ioannis, Clementis, & Innocentij censuras contemptas, atque ecclesiæ clementiam habitam ludribrio: *O damnationis & iræ filij. O perditionis & calamitatis alumni. O semen Chanaam, semen nequam. Quid vltra potuit eis eadem ecclesia facere & non fecit, de contingentibus nil omittens. De throno Dei iudicium prodeat, & sanctorum fidelium oculi videant æquitatem.* Et infra: *Exurgant, qui peregrinas lustrantes prouincias, maria transeuntes, nouos adeuntes populos, & regiones extraneas peragrantes, pro fidei dilatatione præfata, idololatras et infideles alias in remotis expugnant: et hos pullos vipereos, immo ipsis pestilentiores periculosioresque viperis, matris ecclesiæ latera corrodentes, in ipsius ecclesiæ vtero, eorundem scilicet fidelium cœtu grassari vlterius non permittant, etc. Dat. Auin. XVI. kal. ianuary anno III.*

Ludibria in Pont. & Cardinales.

Crudelitas in filios.

a To.3.ep. secr. pag. 218.

Vt hi tyranni abusi sint clementia Pontificũ.

Vt infidelibus nequiores cruce expugnandi.

Polentani cum Pontifice in gratiam rediuncti.

b To.3.ep. secr.pag. 17.

c Rub.hist Rauen.l.6

d Lib. ms. scell.papyr. pag.157.

e Rub.hist Rauen.l.6

Non tantam ac Franciscus Ordelaffus & Manfrediani pertinaciam in defendenda tyrannide prætulere Bernardinus & Guido Polentani b Rauennates, qui Rauennam & Cerniam, aliaque nonnulla oppida & arces occupabant, atque in scelere Eustachio Polentano inuasori successerant. Quamuis vero hi censuras a Ioanne XXII. ecclesiasticam ditionem occupantibus incussas, atque a Benedicto XII. & Clemente VI. renouatas contraxissent, ac spretis ijs hæreseos nota potuissent inuri; in ius tamen vocati c comparuere apud pontificia subsellia, ecclesieq; imperijs parituros se spopondere. In quos Innocentius clementiam explicandam ratus, censuras omnes, quibus erant deuincti, publico diplomate dissoluit d. Describit pluribus Hieronymus Rubeus e quo ritu Rauennates postea ecclesiæ conciliati, ac pœnis, quibus legibus superiorum Pontificum de perduellionibus tenebantur, exempti fuerint.

Ioanna & Ludouicus postulati iudicio ab Innocentio.

f Vrb.V. an 1.ep. com. 195.

Literæ Vrbani V.

22 Hoc anno Innocentius ad supremi iο Siciliam imperij iura asserenda, Ioannam Reginam Siciliæ, clientelarem sponsionem solemni ritu exhibere subterfugientem, nec soluentem annuum vectigal, anathemate perculit, Siciliamque citeriorem sacris interdixit: tum Ludouicum Regem negligentiæ in procuranda eiusdem census solutione reum sacrorum communione submouit: qua de re edicta Innocentij prolixiora postea Vrbanus V. eius successor breui hac narratione collegit. f

Vrbanus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Dudum felicis recordationis Innocentius Papa VI. prædecessor noster pontificatus sui anno III. attendens, quod in concessione facta claræ memoriæ Carolo I. Regi Siciliæ de regno Siciliæ & terra citra pharum per ecclesiam Romanam,

nam, quæ in dictis regno & terra maius dominium obtinet, inter alia continetur, quod pro toto generali censu ipsorum regni & terræ octo millia vnciarum auri ad pondus ipsius regni in festo B. Petri Apostolorum principis, vbicumque Romanus Pontifex foret, ipsis Romano Pontifici & ecclesiæ annis singulis soluerentur; & quod, si heredes Regis ipsius in eodem regno quocumque termino non soluerent integre censum ipsum & expectati per duos menses dictum terminum immediate sequentes non satisfacerent plene de illo, eo ipso essent excommunicationis vinculo innodati; quodque, si secundo termino infra sequentes duos menses sine diminutione qualibet non persoluerent ipsum censum infra duos menses proximos per plenam satisfactionem eiusdem census heredes ijdem sibiq; non ducerent consulendum, ita quod transacto eodem termino, & duobus proximis subsequentibus mensibus, non esset de huiusmodi octo millibus vnciarum ipsius primi termini eidem ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem regno & terra ipsorumque iure caderent ex toto, ac ipsa regnum & terra integre & libere reuerterentur ad ecclesiam antefatam, & insuper dicti heredes ipsius Caroli homagium ligium facere, & iuramentum fidelitatis præstare secundum formam in dicta concessione contentam, si Romanus Pontifex in Italia foret, infra sex menses, si vero eum extra Italiam esse contingeret, infra annum, postquam dicti heredes regni præfati dominium adepti forent, Romano Pontifici & ecclesiæ Romanæ tenerentur, & singulis Romanis Pontificibus ac eidem Romanæ ecclesiæ innouarent tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum, & quod in optione & beneplacito esset Romanæ ecclesiæ heredes ipsos vocare ad præstandum personaliter iuramentum fidelitatis, & faciendum ligium homagium Romano Pontifici & eidem ecclesiæ, vel aliquem Cardinalem ipsius ecclesiæ aut alium, qui vice Romani Pontificis iuramentum iuxta eandem formam & homagium reciperent, destinare; quodque charissima in Christo filia nostra Ioanna Regina Siciliæ illustris, quæ in dictis regno & terra iuxta formam concessionis ipsius memorato Carolo Regi successit, hæc inconsulte prætériens, nec huiusmodi censum in tribus continuis & pluribus vlterioribus terminis soluere, nec biennio tunc elapso ligium homagium facere, nec fidelitatis iuramentum præstare, prout personaliter tenebatur, ipsis prædecessori & ecclesiæ pro regno & terra prædictis curauerat, immo negligenter ac contemptibiliter (quamquam super hæc sæpius requisita fuisset) prætermiserat, propter quod ipsa huiusmodi excommunicationis sententia innodata, & regnum & terra prædicta interdicto ecclesiastico subiecta fore, ipsamq; Reginã a iure dictorum regni & terræ eo ipso ex toto cecidisse, dictaque regnum & terram ad ecclesiam ipsam integre & libere reuersa fore noscebantur; idem prædecessor dictam Reginam excommunicationis vinculo innodatam, ac regnum & terram prædicta interdicto ecclesiastico supposita fore, prout erant, auctoritate apostolica declarauit. Et nihilominus ipsam Reginam, volens cum ea benignius agere in hac parte, auctoritate prædicta peremptorie citauit per publicæ citationis edictum, vt nonagesima die post citationem huiusmodi, si consistorium esset, alioquin sequenti ex tunc immediate proxima die, qua consistorium foret, hora consistoriali, quem terminum sibi pro peremptorio termino assignauit, compareret personaliter coram eo, auditura sententiam declarationis super commissione facta eidem de dictis regno & terra per eundem prædecessorem, prout de iure existeret, procedendum. Et etiam quia claræ memoriæ Ludouicus Rex Siciliæ post contractum per eum matrimonium cum eadem Ioanna Regina, & susceptum per eum ab eadem Regina & vna cum ipsa Regina administrationem regni & terræ prædictorum, quam susceptionem sedes Apostolica approbauit, non fecerat nec curauerat, quod dicta Regina solueret, nec ipse etiam tempore gestæ administrationis huiusmodi soluerat censum, prout per solemnes promissiones & obligationes etiam vinculo proprij iuramenti & excommunicationis pœna se astrinxerat quamquam etiam super hoc fuisset per dicti prædecessoris literas legitime monitus; eundem Ludouicum declarauit fore excommunicationis vinculo innodatum: & nihilominus super præmissis & occasione præmissorum nonnullos processus alios contra eosdem Reginam & Regem fecit, prout in diuersis eiusdem prædecessoris literis inde confectis plenius continetur &c. *Dat. Auin. vi. idus februarij anno 1.*

Exposita pactione inita cum Carolo.

Vt Ioanna soluendo censui præstandæq; clientelari sponsioni defuerit.

De regno ad ecclesiam reuocando actum.

Vt Ludouicus promissa non impleuerit.

Interdicto sacris regno mox sociales prædonum turmæ sunt excitæ a Dyrrachino duce & comite Pipino, quasi iussu pontificio in perduellem Ludouicum signa extulissent. Quo casu Ioanna & Ludouicus attoniti soluendo tum censui non defuere a, atque Innocentius populos monuit b, ne a Ludouico descifcerent, templorumq; vsum regno restituit, transmisitque ad Regem ecclesiæ vexillum c vt sub illius tutela & auspicijs hostem debellaret *Sicut fama refert, & te quoque insinuante, percepimus, quidam ex inuasoribus regni Siciliæ, quod est Apostolorum Principis peculiaris hereditas, in inuasione huiusmodi prætendunt nomen & titulum; & insuper signum ferunt Romanæ ecclesiæ matris tuæ. Nos dissentientium & tentantium hæc figmenta destruere, præsumptionemque damnandam elidere cupientes, vexillum arma exprimens eiusdem ecclesiæ, claues scilicet, quæ illarum clauium typum gerunt, quibus aperitur ad salutem fidelibus, quibusque salutis ianua infidelibus clauditur, destinamus vt sub vexilli eiusdem vmbraculo expugnes impugnantes, &c. Dat. Auin. non. iunij anno 111.* Repertis literis eudem hisce monitis, vt victoriam referret, instruxit: *Age*, inquit d, *& Dei amorem ad te charitate reciproca recompensans, dilige dominum Deum tuum ex toto corde: & in ipsius semper timore persistens, accinge fortitudine mentem, cor magnanimitate corrobora, & ad exterminium gentium nefandarum, quas in societatem vnam congregauit impietas, quasque aduersum te inuidia & ambitio & ex eis causatum odium excitarunt. Exime gladium, quem ad vindictam malorum, laudem vero bonorum a Domino suscepisti, vt subditos tibi populos defendas & protegas, &c. Dat. Auin. xiv. kal. iulij anno 111.* Distrinxit etiam Innocentius e in prædatricea turmas, earumq; ductores seueritatem ecclesiasticam, ac dissoluit fœdera omnia, quæ a quibusuis magnatibus cum ijs percussa essent, vel sacramento firmata. Tum Cæsarem vrsit f vt Siculum regnum ab inuasorum grassationibus vindicaret nec non Italos coniungere fœdere annisus g est.

a Vrb. an. 1. sup. ep. com. 191.
b To 3. ep. secr. pag. 4. Matth. Vill. l. 4. c. 79.
c To. 3. ep. secr. pag. 115.
Transmissum a Pont. ad Lud. ecclesiæ vexillum.
d Ib. pag. 122.
Pont. ad Lud. monita.
e Ib. pag. 47.
Lata in prædones sententia pontificia.
f Ib. pag. 56. 91. & 107.
g Ib. pag. 56. 92.

Repressit demum hostes Ludouicus Rex, at Ioannem Pipinum turmarum sociarum ducem, qui Apuliæ Regis nomen affectabat, cæ rum me-

Parta ab eo victoria.

merito affecit supplicio: quod Nicolai Laurentij vitæ auctor a accurate describit, circumductum nimirum, antequam traderetur neci, corona papyracea redimitum, in qua gestorum ab illo honorum tituli erant exarati: deinde laqueo e patibulo suspensum ac præfocatum. Neque illum tristes preces, vt minore ignominia vita orbaretur, iuuere: qui si apostolica monita demisisset in animum, ex impendenti exitio euasisset. Sopitum etiam est intestinum bellum, a principe Dyrrachino concitatũ. Excitauit vero Ludouicum Pontifex b ac Ioannam Reginam, vt ad temperandum probe regnum iustitiam magna integritate administrarent: *Iustitiam*, inquit, *quæ pacem parit & nutrit, ac omnia bona multiplicat, diligatis & ministretis indifferenter sine personarum qualibet acceptione subiectis. Timeatis Deum. Ecclesias & personas ecclesiasticas pro reuerentia Dei, cuius personæ ipsæ ministri sunt, honoretis. Sitis viduæ, pupillo, & orphano adiutores. Bonis præmia, pœnas reprobis tribuatis. Sentiant vos iusti mites, placabiles, humiles: iniusti rigidos, & superbi, clementia temperante, seueros. Sequamini sana consilia, & acquiescatis eisdem: & consiliarios malos, qui multum principum surrepunt puritati, velut pestem a vestro latere repellatis. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis XVI. kal. octob. anno III.* Qui vero & quibus virtutibus ornati sanctioribus consilijs adhibendi essent descripsit in alijs literis c, quibus eum adhortatur, ne iuuenes, adulatores, aut muneribus corrumpendos sibi asciscerent, qui sua vitia facile in ipsos transfunderent.

a Vitæ Nic. Laur. n. 16. Ioannis Pipini supplicium.

b To. 3. ep. secr. pag. 179.

c Ib. pag. 181.

23 Fluctuabat d tum insula Siciliæ, ac pars in ipsius Ludouici Neapolitani Regis potestatem concesserat, pars in alterius Ludouici Aragonij obsequio hærebat. Vsi vero Catalani intestini Siciliæ citerioris belli quod, vt dixi, nonnulli principes ac turmæ sociæ innexerant, occasione, Catania vna cum Ludouico mouere exercitum, ac finitimas terras in priorem seruitutẽ redegerunt. Tentarunt etiam Panormum vrbem regiam: sed cum valida classe non pollerent, propulsati fuere: successit tamen ijs coniuratio, quam Syracusis sunt moliti. e Inter hæc Innocentius cum graui suspicione angeretur, ne Rex Aragonius, qui Sardiniam & Corsicam a sede Apostolica beneficio acceperat ea lege, vt Trinacriam Regibus Siculis Gallici generis restituendam curaret, Ludouico Trinacrio Aragoniæ stirpis principi ad transfusam a maioribus tyrannidem tuendam auxilia submitteret, ipsum sacramento adigi voluit, nec Ludouico Trinacrio, nec Friderico huius fratri studia in eo regno retinendo impensurum. Assensit Pontifici Petrus Rex, ne Sardiniam amitteret, atque oratores hisce literis f instruxit auctoritate, vt ea religione se deuincirent.

d Fazell. post. dec. l. 9. Ludouic. Trinacri. amissa recuperat.

Tentatũ frustra ab eo Panormum.

e Ib. ib. Adductus in suspicionem Aragoni. ne Trinacriæ retinendæ det operam.

Pateat vniuersis, quod nos Petrus, Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ & Corsicæ, comesque Barchinoniæ, Rossilionis, & Ceritaniæ, tenore præsentis publici instrumenti facimus, constituimus, & ordinamus certos & speciales procuratores nostros vos dilectos consiliarios nostros Bernardum de Thous militem, & Iaspertum de Tragurano promotorem nostrorum negotiorum ad iurandum in animam nostram in manu & posse sanctissimi in Christo patris & domini domini Innocentij. diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summi Pontificis; & dicti iuramenti virtute ac religione nostro nomine ac pro nobis promittendum, quod nos per nos, vel alium, seu alios illustrem Ludouicum Trinacriæ Regem, nec Fredericum fratrem suum, vel successorem aut successores suos non iuuabimus in detentione insulæ Siciliæ, nec eisdem præstabimus in detentione eiusdem insulæ auxilium vel fauorem, quandiu contra ipsius domini summi Pontificis seu Romanæ ecclesiæ voluntatem præfatam insulam detinebunt: dantes & concedentes vobis dictis procuratoribus nostris plenam & liberam potestatem, dictum iuramentum præstandi, & promissionem præmissam, prout continetur superius, faciendi & inde firmandi publicum instrumentum: quoniam nos iuramentum præstandum, & promissionem dicto domino summo Pontifici faciendam super prædictis ratam & firmam habere promittimus sub bonorum nostrorum omnium obligatione. In cuius rei testimonium præsens instrumentum fieri iussimus nostræ maiestatis sigillo munitum. Dat. & actum in quadam camera palatij papalis Auinion. die vigesima octaua decembris anno a natiuitate Domini MCCCLV. Adiecta sunt testium nomina, atque a Matthæo Adriano regij sigilli præfecto consignata, & gesta ab oratoribus Regis Aragonum pontificia auctoritate confirmata sunt.

Procuratores ab eo ad curiam Põt. transmissi.

f Ext. in to. secr. Innoc. VI. to. 3. pag. 296.

Sacramẽto spondens, Trinacriis opem non datũ iri.

Ereptus iam tum erat e viuis a decimo sexto octobris die Ludouicus, qui Trinacrium sceptrum iniuria gesserat, ac fratri Friderico Neopatriæ & Athenarum duci transmisit: cum vero Aragonij oratores sacramento spopondissent, nullis auxilijs Trinacrios principes a Petro Rege sustentatum iri, vt iniustam coronam detinerent; Innocentius publico diplomate sequenti ineunte anno rem vulgauit b, vt de perfidia constaret, si vires aduersus Ludouicum & Ioannam Reginam, ne recuperarent Trinacriam, communicarent.

a Matth. Vill. l. 5. c. 87. Fazel. post. dec. l. 9. Marian. l. 16. c. 10.

b Super. pag. 296.

Parum iuuit pontificia solicitudo, cum Aragonij Reges ita rem gesserint, vt post obtentam Sardiniam etiam Siciliam in suam redegerint potestatem. Cum vero defuisset c Petrus Rex inferendis hoc anno duobus millibus marcharum argenti vectigalis nomine ob acceptam iure fiduciario Sardiniam, Innocentius ne ecclesiæ Romanæ iura obsolescere sineret, illum officij admonuit.

c To. 3. ep. secr. pag. 244.

24 Quem quidem extremo anno ad sedem Apostolicam accessisse, & clientis officia Sardiniæ & Corsicæ pontificia liberalitate acceptarum ergo Innocentio solemni ritu retulisse, describit subiectis verbis vitæ Innocentij scriptor d: *Eodem anno Petrus Rex Aragonum venit Auenionem ad dictum Papam, fuitque secum in festo natalis Domini: in cuius nocte in matutinis certos nobiles suos, qui secum venerunt, in præsentia dicti Papæ militauit. Fecit insuper homagium eidem, & in forma debita de regno Sardiniæ, quod in feudum tenet a Romana ecclesia.*

d Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

25 Implicitus porro erat grauiore bello cum Genuẽsibus Petrus Rex, vt Sardiniam ex ipsorum manibus sibi assereret: cuius sopiendi solicitus Pontifex eundem Petrum e Regem, Genuenses f, ac Marinum Falerium ducem Venetorum excitauit, vt suos oratores pro veteri controuersia componenda legarent: iussusque etiam est Fortanerius Gradensis patriarcha, vt Marinum ad pacis consilia impelleret. Inclinasse illum ad concordiam, refert Cortusiorum historia g, dum ostentatæ pacis illecebra plebem ad se pellexisse ait: *Marinus*, inquit, *Falerius dux cum quibusdam viris audacibus & plebeis conspirauit habere dominium, offerebat enim populo pacem cum Ianuensibus a nobilibus denegatam.* Honestus is erat fœdissimi consilij fucus; quippe in amentiam actus ex indigna-

Monitus Petr. Rex vt mittat oratores pro pace Ligustica.

e To. 3. ep. secr. pag. 72. & 73.

f Ib. pag. 73.

g Cortus. hist. l. 10. c. 7.

Ducis Veneti in patriciis cõiuratio.

gnatione, quod nonnulli auctoritate florentissimi patritij in moderanda ad libidinem publica re sibi obsisterent, coniurationem cum factiosis iniit a: *In loco celeberrimo*, inquit Petrarcha b, *omniumq; clarissimo atque pulcherrimo eorum, quæ ego viderim, vbi maiores sui sæpe latissimos honores pompis triumphalibus deduxerunt, ille ipse ferarum in modum concursu populi tractus, capite truncus occubuit, templique fores & palatij aditum, scalasque marmoreas, sæpe vel festis insignibus vel hostium spolijs honestatas, sanguine fœdauit proprio. Locum signant, tempus signo. Annus est ab ortu Christi* MCCCLV. *dies fuit, vt ferunt*, XIIII *kal. maij* & infra. *Ducibus, qui per tempora fuerint, edico: positum sibi præ oculis sciant, vbi se videant duces, esse non dominos, immo vero nec duces; sed honoratos reipublicæ seruos esse.* His consentientia scribunt Veneti historici c qui addunt, Ioannē Gradenicū reipublicæ gubernaculis admotum, atque ab ipso pacem cum Genuensibus redintegratam, rei Christianæ omnino necessariā pro fide in oriente defendenda: oratores etiam a Ioanne Gradenico duce ad Aragonium Regem pro ipso in fœdus adducendo missi fuere d: meminerant enim Veneti, ipsos post reiectam pacem, quam victores spreuerant, magnis calamitatibus fuisse attritos, ac terror impendebat, ne Ludouicus Vngariæ Rex grauiori eos bello inuolueret; de quo hæc habet Cortusiorum historia e: *Dictu Ianuensium Rex Vngaria erigitur contra Venetos*; & infra, *& coram Imperatore fuit de iuribus partium litigatum. Asserebat Rex Vngariæ Iadram & Istriam esse sui iuris, & hac de causa Taruisium inuadere minabatur.*

a Matth. Vill. l.5. c. 13. b Petrarc. lib. variar. ep. 18. Ea patefacta, capite plectitur. c Append. And. Dād. Ducum Venet. & alij. d To. 3. ep. secr. pag. 104. e Cortus. hist. l. 10. c. 7.

Sedato autem Veneto bello, pristina libertas Genuæ postea restituta est. Amisere etiam patri scelere, quo pepererant, Bononiam Vicecomites f, Ioanne Olegiano tyrannidem corripiente, cum Matthæus præfectura vrbis illum depellere meditaretur. Nec diu post Matthæus ipse a fratribus e vita veneno sublatus est: cum is, expugnata vi nobilium matronarum pudicitia, Mediolanenses ad seditionē prope ageret; nullisq; ecclesiæ sacramentis procuratus noctu e lecto ad diuinum tribunal raptus est familiari Vicecomitum exemplo, qui cum crudelem in sacerdotes exercerent tyrannidem g a sacerdotibus sacramenta morituri non perciperent.

Bononiā Ioannes Olegian. sibi arrogat. f Matth. Vill. l. 5. c. 12. Impura Matth. Vicecomitis vita. Et mors infelix. g To. 3. ep. secr. pag. 55.

Deiectus eodem anno Patauino principatu Iacobus Carraria a Francisco nepote h, qui patruo crimen impegit veneficij sibi parati, ex quo liberos suscepisset. Nec pacatiores erant reliquæ Italiæ prouinciæ, quarū motus Petrarcha his verbis attingit i: *Nullis annalibus comprehendi posse crediderim, qui Pisis & qui Senis populorum motus, quod in latus reuoluta Bononia, quæ quondam patria mea status, vtinam & florentis semper, sic aliquando fructifera: quid fleat Roma: quid Parthenope metuat, vt Regibus ipsis cognomen suum terra laboris æquauerit: quibus æstibus odiorum ferueat sulphurea Trinacria: quid agat Ianua: quid paret Liguria: quid Æmilia cogitet aut Picenum: quam insomnis & laboriosa sit Mantua, quam meticulosa Ferraria, quam Verona miserabilis Actæonis in morem suis ipsa canibus laceretur: vt barbaricis semper incursibus pateant Aquileia & Tridentum: postremo, pudorum maximus! qui prædonum cœtus per Italiam peruagantur, vtque de prouinciarum domina seruorum sit facta prouincia*, &c. *Dat.* XI. *kal. maij*, nimirum anno MCCCLV. Laceratam suis canibus Veronam ait Petrarcha, cum referant Cortusij a & Matthæus Villanus b, Frignanum Scaligeræ familiæ spurium affectantem tyrannidem denique perijsse, ac reliquos coniuratos supplicio affectos. Recuperato ita principatu Canem grandem Scaligeram Mantuano seditionis auctori ac fœdifrago bellum mouisse. His excitati tumultus in Pedemontio, in quo marchio Montisferrati plura Galeatio eripuit loca c, possent adiungi: sed de Italicis tumultibus hæc suffecerint: Gallicos nunc aggrediamur.

h Matth. Vill. l. 5. c. 66. i Petrarc. lib. var. ep. 18. Italiæ seruilis status. Frignan. Veronam occupat. a Cortus. hist. l. 10. c. 10. b Matth. Vill. l. 3. c. 99 ad 102. c Lib. 6. c. 3.

26 Accesserant d superiori anno ad sedem Apostolicam missi ab Gallo Angloq; Regibus viri principes Borbonius & Lancastrius duces: sed cum pertinacissime Regis sui iura dignitatemque singuli tuerentur, ad concordiam adduci non potuerunt. Queritur Matthæus Villanus e de non adhibita ab Innocentio apostolica auctoritate in controuersija eorum dirimendis, & arcano iudicio diuino pacem non coaluisse ait. Ceterum nullas diligentissimi concordiæ interpretis partes ab Innocentio prætermissas, ostendunt eius literæ f, cum ad eam redintegrandam Ioannem episcopum Eluensem & Androinum abbatem Cluniacensem ad Reges misere, vt difficultates, quæ Eduardo grauiora postulante, negante Ioanne intercesserant, remouerent. Data etiam ijsdem est prouincia g, vt grauissimam dissensionem inter Carolum Nauarræ & Ioannem Francorum Reges, erupturam h in atrox incendium, sopirent. Extant plures ad Ioannem Regem Francorum Innocentij hortatoriæ literæ i, vt cum genero Carolo controuersias exortas componeret: Sæpiusq; Nauarræo proposuit l quanti sua interesset regiæ Gallicæ dignitatem sustentare, ex qua genus duxisset, atque illius ruinis & calamitatibus ipsum pariter inuoluendum obruendumque fore: quem demum, simulata amicitiæ pristinæ redintegratione ob suspectas insidias, Rex socer in Rothomagensi arce intercepit.

Frustra Gallos inter & Anglos tentata pax. d Matth. Vill. l. 4. c. 36. Vvalf. in Ypod. Neust. & in Eduar. III. e Vill. ibid. c. 36. f To. 3. ep. secr. pag. 51. Orta inter Gall. & Nauarraum dissensio. g Ib. pag. 11. h Froissart. l. 1. Paul. Aemil. in Ioann. Gaguin. in eod. Masso in eod. i To. 3. ep. secr. pag. 84. 101. 110. l Ib. pag. 85 & 86. 102. 111.

Quod ad redintegratum in Gallijs ab Anglo bellum attinet; hanc refert illius causam Vvalsingamus m, addictum fuisse a Ioanne Caroli Regis maiori natu filio Aquitaniæ ducatum, cum Anglus fiduciarium se regiæ Gallicæ profiteri recusaret. Hoc vero audito, Eduardum Angliæ Regē adeo in iras exarsisse, vt vocato filio Eduardo Vvalliæ principe, in ipsum curā proceribus Aquitaniæ ducatum transfuderit, contractisq; copijs transfretare iusserit, ut principatum nouum defenderet amplificaretque. Cuius appulsū cū audisset Pontifex Ioannem archiepisc. Capuanum & Petrum episc. Tirasonensem Apostolicæ sedis internuntios ad Reges misit n, vt ipsos a bello auocaret.

m Vvalf. in Ypod. Neustr. Accensi grauioris belli inter Anglū Gallumq. causæ. Missi a Pontifice internuntij. n To. 3. ep. secr. pag. 213.

Innocentius, &c. Ioanni archiepiscopo Capuano & Petro episcopo Tirasonen. Apostolicæ sedis nuncijs.

27 Dum expectaremus anxie, quod ille Rex pacificus, cuius in pace factus est locus, & qui concordiam in sublimibus suis parat, calamitatibus & angustijs, quas in discordia charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ioannis Francorum & Eduardi Angliæ Regum illustrium perpessus est Christianus populus, miseratus discordiæ huiusmodi finem pius imponere dignaretur, insonuit auribus nostris rumor implacidus, quod dilectus filius nobilis vir Eduardus primogenitus dicti Regis Angliæ princeps Vvalliæ cum magno gentis armigeræ numero in Vasconiam bellicis vacaturus negotijs declinauit; & quod pro parte dicti Regis Francorum ad

obuiandum principis eiusdem processibus & conatus elidendum ipsius, armatorum multitudine congregata, de congressu inter vtrarumque gentium exercitus ineundo, & per consequens graui Christianæ gentis excidio probabiliter formidatur. Cupientes igitur huiusmodi & alijs periculis multis & grandibus, quæ huiusmodi amara discordia, peccatis exigentibus, illatura timetur, Deo propitio salubriter obuiare, fraternitati vestræ, quæ in magnis & arduis comprobata virtuosior semper enituit, per apostolica scripta mandamus, quatenus ad partes illas, vbi gentes ipsæ sunt, vos personaliter conferentes, easdem ad pacem & concordiam salutaribus monitis & exhortationibus solicite inducatis, &c.] Instruit internuntios ipsos ea auctoritate, vt coitiones omnes paci contrarias possint dissoluere, censurisq; belli incentores coercere. *Dat. Auin. non. nouembris anno* III.

Ad parates in magnam necem acies proficisci iussi.

Flagrabant [a] bello multiplici Galliæ: ad distrahendas enim Regis Francorum vires Anglus plures prouincias simul bello infestabat [b], atque Henricus Lanclastrius Britanniæ, cuius ducem Carolum tenebat in vinculis [c], grauiora damna inflixit [d]. Eduardus iunior Tectosages ferro flammaque vexabat [e]: senior vero Rex Caletum aduentans, Picardiam ad Ambianum vsq; furore hostili omnia populatus, cum Regem Francorum imminere cum flore Gallicæ nobilitatis audiret, ad Caletum se recepit [f]: quem etiam Scoti Francorum fœderati, qui eruperant in Angliam, ac Vvaruicum vrbem prænobilem ceperant, redire in regnum coegerunt [g]. Pepetere hæc bella ingentia rei Christianæ damna, cum redeunte ad sinum ecclesiæ Constantinopolitano Imperatore Anglorum & Francorum arma in Turcas conuertenda fuissent.

Prouinciæ in Gallijs infestatæ ab Anglis. a Froissar. l. 1. Gaguin in Ioan. & alij. b Matth. Vill. l. 5. c. 84 & 85. c To. 3. ep. secr. pag. 54. Anglia a Scotis vigilum vastata. Vvaruicũ captum. d Matth. Vill. supr. c. 85. e Cap. 86. f Cap. 75. g Vvalsing. in Eduar. III. h An. 3. l. 2. p. 1. ep. cur. 49.

38 Inter hos bellorum fragores pullulabant in Anglia hæreses, nonnullique nouatores aduersus merita bonorum operum, & circa originale peccatum nefaria dogmata in Eboracensi archiepiscopatu sparserunt: quos errores mox Innocentius apostolica censura damnauit, atque archiepiscopo Eboracensi dedit imperia [h], vt illos pastorali diligentia excinderet.

Hæreses in Anglia exortæ.

Innocentius, &c. venerabili fratri archiepiscopo Eboracensi.

Ad nostrum, non sine graui mentis perturbatione, peruenit auditum, quod inimico humani generis procurante, nonnulli in tuis ciuitate & diœcesi Eboracensi diabolica fraude decepti varios & diuersos contra fidei puritatem asserere & firmiter tenere sua doctrina sacrilega, hæretica, & peruersa non verentur errores. Quidam enim ex eis asserunt, quod per quæcumque opera, quantumlibet virtuosa & bona, etiam per gratiam informata seu ex gratia procedentia, nullus potuit, potest, seu poterit vitam æternam mereri. Alij vero patenter affirmant, quod pœna damni, quæ est carentia visionis diuinæ, non est alicui debita pro peccato originali: & quod, originali macula in paruulis deleta, visio diuina non est eis debita: quodque primus parens fuisset de facto corporaliter mortuus, etiam si nunquam peccasset: & insuper quod peccatum originale non est culpa, & quod pro ipso nullus est culpandus: & multa alia similia asserunt & tenent, quæ sanæ doctrinæ fidei catholicæ plurimum aduersantur; & quod verisimiliter formidatur, quod plerique talibus pestiferis doctrinis in posterum seducantur, nisi super hoc prouideatur de remedio opportuno. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipimus & mandamus, quatenus prout etiam ad officium tuum pertinere dignoscitur, ad extirpandum de tuis ciuitate & diœcesi supradictis hæreticæ prauitatis zizania tanto studiosius in charitate Dei, omni timore & fauore prorsus abiectis, viriliter consurgens, quanto perniciosius negligentes eandem in messem catholicæ fidei peruagari, contra huiusmodi viros pestiferos & hæretica labe respersos, ipsorumque fautores, receptores, & defensores procedas, iuxta canonicas sanctiones, &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis xv. kal. septembris anno* III. Præfocata tum fuit illa hæresis aduersus merita bonorum operum, quam recentiores nouatores iterum ab inferis reuocarunt: sed eorum prætermittimus deliria, properatque ad res Castellanas narratio.

Aduersus merita bonorum operum.

Circa peccatũ originale. Et peccatum Adami.

Excindi iussi ij errores.

29 Luxit sacrorum priuata solatio Castella, cum Bertrandus episcopus Senecensis Apost. sedis internuntius pontificio iussu ob Petri Regis adulteria coniugij specie patrata, ac Reginam Blancham contra fas repudiatam, illum & concubinas anathemate, eiusque ditionem interdicto ecclesiastico perculisset, vt narrat Innocentius his verbis [a]: *Idem episcopus ex quamplurimorum hominum relatione fidedignorum, fama publica etiam super hoc existente, pro vero comperit & percepit, quod ipse Rex, dicta Blancha Regina vxore sua minime recepta, ad amplexus illicitos Mariæ de Padella redierat, & per multos dies secum fuerat, conuersando & habitando cum ea. Propter episcopus præfatus Regem ac Ioannam de Castro superinductam & Mariam de Padella prædictos simul & successiue monuit primo, secundo, tertio peremptorie, vt infra certum peremptorium competentem terminum, quem eis & eorum cuilibet duxit peremptorie assignandum; videlicet dictum Regem quod dictam Blancham vxorem suam legitimam reciperet & maritali affectione tractaret, alijs mulieribus cum effectu dimissis, & a se & suo consortio penitus separatis: præfatas vero Ioannam de Castro & Mariam de Padella & quamlibet earum per se, vt a dicto Rege & ab eius consortio recederent, & deinceps sibi non adhærerent; nec darent seu dari ei facerent per se, vel alium, seu alios consilium, auxilium, vel fauorem, quo minus ipse Rex dictam Blancham Reginam eius vxorem reciperet, & maritali affectione tractaret. Alioquin, si præmissa ipsi Rex & mulieres infra dictum terminum adimplere non curarent cum effectu, in Regem & Ioannam ac Mariam prædictos & eorum quemlibet, trina & canonica monitione præmissa, ex tunc excommunicationis sententiam promulgauit in scriptis, regnaque & terras ipsius Regis, exceptis certis locis & terris expressis in suis processibus, ecclesiastico supposuit interdicto: aliosque processus super præmissis fecit, monitiones, pœnas, & sententias continentes, quos publicauit & publicari mandauit taliter, quod ad Regis & Ioannæ ac Mariæ prædictorum quamplurimorumque aliorum notitiam peruenisse dicuntur. Sicut autem asseritur, pacis æmulo procurante, ijdem Rex ac Maria monitionibus & mandatis huiusmodi minime paruerunt, ea penitus contemnendo: propter quæ dictas sententias incurrisse dicuntur, &c. Dat. Auin. viii. kal. iunij anno* III.

a An. 3. l. 1. p. 1. ep. cur. 55. Castellæ Rex monitus, vt casto thoro se contineat.

Vna cum Padillia & Castria anathemate perculsus.

Castella sacris interdicta.

30 Corripuisse principes Castellanos arma ad sanandam Petri Regis vesaniam, atq; etiam Mariam Reginam filij flagitia auersatam vna cum glore-

Alie-

Alienora Regina Petri amita ac Toletanis, quos Blasius archiepiscopus pio studio fulciebat, matrimonij sacra & humana iura defendenda ferro suscepisse, Ioannes Mariana a refert: quod pontificiæ confirmant literæ b. Ad componendos vero hosce motus, ac restituendum Castellę ecclesiasticæ disciplinæ splendorem, nec non sustentandam labantem Christianam rem Innocentius Guillelmum S. Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem legatum in Castellam & Legionem decreuit: hac enim causa permotum se refert in literis ad Petrum Regem, quibus squalidam Castellæ faciem ita depingit c: *Dum, inquit, anxie cogitamus, qualiter pacis hostis, quietis impatiens, & inuidus charitatis, dolorum machinamenta conglutinans, & fomenta discordia clandestinus interserens supplantator, statum Castella & Legionis ac aliorum regnorum & terrarum tua ditioni subditorum vulnera dolenda corruptionis infixit; illumque per tempestuosos guerrarum fluctus & turbines, dissensionibus multiplicibus suscitatis & scandalis, nititur deformare; maioris perferimus doloris in animo punctiones, fidelium causas propterea perditionis lugentes expositas, & corpora discriminibus periclitari continuis, multiplicatis facultatum dispendijs deplorãtes. Dolemus, inquã, quod in eisdem regnis & terris cultus diuinus neglectus reperitur, ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum iura, dum in eisdem regnis & terris receditur a iustitia cultu, depereunt & bona violentie prædationibus exponuntur; & (quod nos acerbiore turbatione molestat) fidelium regnorum & terrarum prædictorum animi demittuntur, & redduntur aduersus persecutores Christiani nominis segniores, ipsorumque persecutorum impietas rabidiori furore in fidelium eorundem extinctionem accenditur, & crudelius in eosdem, opportunitate captata, per truculentam innatam eis rabiem desæuitur, &c.* Instructus est legatus d, vt disciplinam Christianam in pristinum statum assereret, amplissimis mandatis, interque alia iussus est, Petrum eiusque pellices, si flagitij veniam poscerent, ritu ecclesiastico absoluere e, interdictumque dissoluere.

a Marian. l.16.c.20.
Guill. Card. legatus in Castellam.
b To.3.ep. secr. pag. 10. 11. 98 103. 138. & 142. 144. et gesta Innoc. VI. apud Bosq.
c An.3. l.1. p.1. ep. cur. 56.
Fœda Castellanarum rerũ facies.
d Ib. ab ep. 11. ad 59.
Si resipiscat Rex censuris solui iussus.
e Ib. ep. 55

31 Resipiscere demum, explorata suorum defectione, visus est Petrus Rex: vtque ad obsequium principes ac populos reuocaret, de restituenda regio thoro Blanca per interpretes pacis pactus est: ac mox Castellani, illius ad meliorem frugem ostentata conuersione recreati, arma abiecere. Toleti igitur, quæ vrbs defectionis exemplum cæteris præbuerat, honorificentissime exceptus Reginam in aulam reuocauit f; ac mox Innocentio Papæ totius rei seriem literis significauit. Quibus acceptis Pontifex, actis Deo gratijs, Petrum vt vxorem quo par erat amore prosequeretur, est adhortatus g, quo ex ea Castellani sceptri relinqueret successores, firmaret solium, atque ad Saracenos expugnandos vires colligeret.

Regio thoro restituitur Blanca.
Petrus Rex de pace certiorem Pont. facit.
f Marian. l.16.c.20. & Matth. Vill. l.4.c.15.
g To.3. ep. secr. pag. 131.

Innocentius, &c. Petro Regi Castella & Legionis illustri.

Literas tuas, per quas ingressum tuum in ciuitatem Toletanam, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Blanchæ Reginæ Castellæ & Legionis illustris vxoris tuæ reuocationem ad te, ac decentem honestamque tractationem ipsius nobis diffusius intimasti, benigne recepimus. *Et infra.* Tu ergo, fili charissime, tui Creatoris erga te dona considerans, & intuens quod eo te in conspectu eius humiliare decet peramplius, eoque in semitam mandatorum ipsius rectius incedere te oportet, quo eius ad te gratia & beneficia plus abundant; Reginam ipsam, quæ diuina lege tecum facta est vna caro, sic amabiliter tractes, sicque honorifice prosequaris, quod verbis facta respondeant, & præceptum Apostoli, cuius per os Dominus loquebatur, impleuisse proberis: sicque te ipse Dominus, per quem Reges regnant, te numerosæ prolis fœcunditate lætificet, stabiliat sceptrum, soliumque tuum roboret & confirmet; & ipsa regna tua perpetua sint pace quieta: tuque reddaris expeditior atque liberior ad infidelium Saracenorum hostium crucis & nominis Christiani elata cornua conterenda, &c. *Dat. Auin. v sis. id. iulij anno iii.* Cæterum memorata Petri cum Regina reconciliatio breui rescissa: iterumque dæmon prioribus laqueis deuinctum Regem ad Padiliam rapuit; quam paulo post e partus doloribus extinctam voluptatis vetitæ luisse supplicium, narrant auctores. Addit Mariana, Petrum Regem furentem vindictæ cupiditate in eos, qui Reginæ partes defenderant, sæuitiam exercere, belloque insectari cœpisse: hos vero fuga salutem redemisse, ac partim ad crudelitatem illius & tyrannidem auertendam arma expediuisse. Ex quo intestina bella, malaque innumera fluxerunt: captum quidem sub his initijs Petrum episcopum Seguntinum regio iussu, ac vinculis mancipatum, ostendunt pontificiæ literæ pridie kal. augusti ad Regem datæ, quibus illum libertati restitui iubet a.

Petr. Rex in suos crudelitatem exercet.
a To.3. ep. secr. pag. 139.

32 Hoc anno restitutus est Constantinopolitano imperio Ioannes Palæologus b, ad quem licet sceptrum iure hereditario spectaret, Cantacuzenus tamen socer non contentus vna cum ipso imperium gerere, nisi tyrannidem in filium Matthęum transfunderet, ita illud inter filium generumque erat partitus c, vt ipse quidem Constantinopoli rerum summam moderaretur, Mattheum Adrianopoli, Thessalonicæ Ioannem Palæologum teneret, ne cœpta inter eos dissensio inualesceret. At Ioannes cum se in Thessalonicensi regno velut in exilio detineri indignaretur, certior ab amicis factus, Cantacuzenum facile tyrranide depulsum iri, si Constantinopolim ingrederetur, Francisci Catalusij Genuensis prædiuitis opera Constantinopolim occulte accessit: solicitatisque ad res nouas amicis, imperiale solium communibus procerum & populi studijs recuperauit. Cantacuzenus vero parta scelere tyrannide pulsus monasticis institutis se addixit: quam abdicationem imperij non coactam sed spontaneam, diuque ante meditatam ipse ostentare nititur d. Monachus itaque, vt vitam redimeret, effectus Ioseph, vxor vero Irene monachali pariter indura habitu atque imperatorio exuta Eugenia appellari voluere. Cæterum Palęologus accepti beneficij memor Catalusio sororem suam matrimonio coniunxit, & Lesbum Ægæi maris insulam, quæ etiam Mytilene, vulgo Metellinum a præcipua insulæ vrbe eius nominis dicta est, ipsi ac successoribus iure fiduciario tribuit. Hęc pluribus laudatus Villanus e rerumque Genuensium scriptores f, & alij.

b Matth. Vill. l.4.c.46.
c Cantac. l.4.c.32.
Io. Palæologus restitutus imperio Constantinopolitano.
Cantacuzenus in monachũ actonsus.
d Ib. c.38. c.15.39. 40.41.
Lesbos Catalusio Genuensi data.
e Matth. Vill. supra c.46.
f Bizar. l.6 & l.7. & alij.

33 Vbi liberas imperij habenas Ioannes Palæologus capessiuit, cum hinc premeretur a Turcis, hinc a Matthæo Cantacuzeni filio æmulo, qui Adrianopolim atque alia finitima loca a patre acceperat, agitata antea vna cum Cantacuzeno consilia de coniungenda cum Romana ecclesia orientali perducere in animum induxit: ac vocato Paulo archiepiscopo Smyrnensi Apostolicæ sedis internuntio, sacramento se deuinxit, Ro-

Palæologus fœdus paciscitur cum Romana ecclesia.

mano Pontifici catholicorum Imperatorum & Regum more obsequentem futurum; prosecuturum debitis honoribus legatos Apostolicos; daturumque operam reuocandis ad Romanæ ecclesiæ obsequium, ac fidem orthodoxam Græcis.

Illius leges præcipuæ.

Pactus præterea est, se filium Manuelem heredem imperij ad aulam apostolicam missurum obsidem, vt auxiliares copias a Pontifice ad Turcas & perduelles Græcos, qui nimirum Matthæo adhærebant, edomandos. Spopondit etiam a se legato apostolico palatium Constantinopoli attributum iri, ac dignitates ecclesiasticas illius arbitrio Græcis doctrina & morum probitate præditis conferendas. Quæ promissa vbi multis cautionibus firmauit, a Pontifice exegit, vt exercitum aduersus infideles submitteret, cuius ducem & vexilliferum ecclesiæ ipsum crearet. Hæc inter Palæologum, qui maternum genus ex Sabaudiæ principibus catholicis ducebat, atque Apostolicæ sedis nuntium extremo anno conuenta in publicas tabulas redacta ad Pontificem transmissa sunt, de quibus Cardinalis Baronius hæc in schedis suis adnotauit a: *Quo anno item Ioannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus iurauit obedientiam ipsi Romano Pontifici. Extant litteræ in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ. Pollicitus item dare Constantinopoli palatium magnum legato apostolico, ibi commoranti.* Quæ publica documenta b ob rei grauitatem ex eodem libro priuilegiorum, quem vna cum alijs pene innumeris singulari Innocentij X. Pontificis beneficentia euoluendum otio habui, atque ex M.SS. c Cardinalis Baronij nobilissimis congregationi nostræ iure hereditario relictis decerpendas adducendasque duximus.

a Baron. in M. S. not. ad hunc ann.

b Ext. lib. priu. Rom. eccl. to. 3. pag. 233 et in arce S. Ang. et inter collect. Plat. iussu Sixt. IV. edita to. 3. pag. 126

c M.S. bib. Vat. sign. lit. B. n. 13. pag. 273.

Ioannis Imp. iusiur.

34 *Ego Ioannes in Deo Christo fidelis Imperator & moderator Romæorum Palæologus iuro ad sancta Dei euangelia, tactis sacrosanctis scripturis, & per sanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum verum & tres personas, & per Iesum Christum Deum nostrum & saluatorem, & per virginem Mariam Dei genitricem, & per sanctam & viuificam crucem Christi, & per sanctos Apostolos & omnes alios sanctos, quod absque dolo, fraude, & defectu, toto meo posse, omnibus viribus meis, & cuncto conatu obseruabo firmiter & integre, & adimplebo ego ipse, & per alios faciam adimpleri & obseruari omnia ista & singula, quæ sequuntur: quæ promisi reuerendissimo in Christo patri archiepiscopo Smyrnensi domino Paulo, nomine & vice sanctissimi in Christo patris & domini domini Innocentij diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ Papæ VI. & ita Deus & omnes sancti eius me adiuuent, sicut ego obseruabo & adimplebo, & faciam per alios obseruari & adimpleri omnia & singula, quæ sequuntur. In primis quod ero fidelis, obediens, reuerens, et deuotus beatissimo patri et domino domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ, et digna Dei prouidentia summo Pontifici, et eius successoribus: et obseruabo et complebo debitam obedientiam et reuerentiam ad ipsum sanctissimum dominum Papam et eius successores, et recipiam legatos et nuncios suos cum omni reuerentia et deuotione.*

Pollicetur Innocentio demissum obsequiũ.

Item quod faciam toto posse meo et toto conatu, quod omnes populi sub nostro imperio constituti, et nostra iurisdictioni subiecti, siue sint laici siue clerici, cuiuscumque conditionis et status aut dignitatis existant, erunt fideles, obedientes, reuerentes, et deuoti eisdem domino nostro et summo Pontifici, et eius successoribus. Et quia diuturnitas temporis incurauit et aggrauauit animos populorum, et vix possent a consuetis retrahi, et per viam nouam incedere, nisi cum modo sapientia et moderatione prudentiæ; istum modum, qui sequitur, deliberaui, tractaui, et ordinaui cum eodem venerabili patre archiepiscopo Smyrnensi, et cum dilecto familiari megastratarcha imperij nostri domino Nicolao Sigeros, per quos me facturum, obseruaturum, et completurum prædicta promisi et spopondi: videlicet, quod sanctissimus prædictus dominus pater remittat eundem archiepiscopum Smyrnensem et prædictum familiarem nostrum cum galeis tribus: et quando ipsi venerint in Constantinopolim, per iuramentum, quod feci promitto dare filium meum gloriosissimum ac felicissimum despotam dominum Manuelem Palæologum præfato domino archiepiscopo Smyrnensi ad prædictum dominum nostrum Papam cum vna galea, et dimittet mihi duas galeas et alias duas armabit in partibus istis, et dimittet eas sub nostro præcepto ad defensionem istarum partium.

Reuocaturum se Græcos a schismate.

Filium ob fidem offert.

35 Item dominus noster Papa sub celeritate, qua poterit, postquam filium meum habuerit in manibus suis, mittet mihi vsceria quindecim cum equitibus quadringentis, et alios centum equites cum nauibus, et mille pedites; ita quod erit exercitus totus vsceria quindecim, galeæ subtiles quinque, equites quingenti, et pedites mille. Quando dictus exercitus applicuerit in Constantinopolim per Dei gratiam, erit ad nostrum præceptum, pugnando contra Turcos et Græcos inimicos nostros vsque ad menses sex: in quo tempore legatus domini nostri Papæ dabit beneficia, et dignitates ecclesiasticas personis sufficientibus Græcis, qui ad vnionem et obedientiam ecclesiæ sponte redibunt, secundum quod sibi et nobis melius videbitur. Vbi vero infra sex menses postquã exercitus Constantinopolim applicuerit per benignitatem et gratias vestras Græci sponte ad obedientiam ecclesiæ noluerint redire, quod non credimus, promittimus ex nunc pro tunc, quod faciemus eum consilio et deliberatione legati domini nostri Papæ, quod omnino erunt obedientes.

Copiæ auxiliares petitæ in Turcam.

Spondet sacerdotia a legato collatũ iri.

Item dabimus legato domini nostri Papæ palatium magnum, in quo ipse cum suis habitabit: et sic per consequens dictum palatium erit domini nostri Papæ et legatorum ipsius in perpetuum. Item dabimus sibi pulchram et venerabilem ecclesiam, in qua dictus legatus et alij, qui postea venient a domino nostro Papa tanquam in propria ecclesia celebrabunt diuina officia et ecclesiastica sacramenta. Item dabo filio meo primogenito vnum magistrum Latinum, qui docebit eum litteras et linguam Latinam de consilio et voluntate dicti legati. Item dabo hospitia tria magna, in quibus tenebuntur scholæ literarum Latinarum, et ego dabo operam efficacem et fauorem cum corde sincero, quod filij magnatum et potentũ Græcorum ibunt addiscere literas Latinas.

Dandum; illi palatiũ

Scholas Latinas apertũ iri.

In casu, vbi prædicta omnia et singula non obseruarem (quod absit et Deus auertat a me tantum malum) ex nunc pro tunc iudico auctoritate imperiali me indignum imperio, et priuo memetipsum iure imperij, et transfero, do, cedo ius et potestatem imperij et imperandi in prædictum filium meum: et ex nunc pro tunc constituo, facio, creo, et ordino ipsum in Imperatorem et moderatorem Græcorum. Item in prædicto casu, quem Deus auertat, ex nunc pro tunc do, cedo, transfero ius patriæ potestatis in prædictum dominum nostrum summum Pontificem super dictũ filium meum, quem ex nunc pro tunc eius potestati subycio, ipsum eidem in adoptio-

Quibus pœnis se subijciat, si promissa defuerit.

ptionem tribuens & concedens omni modo & forma, quibus melius de iure possum. Item do, concedo, & trado potestatem & auctoritatem eidem domino summo Pontifici, quod possit acquirere, petere, & capere imperium nostrum pro dicto filio nostro tanquam pro viro & legitimo Imperatore, et dare eidem filio meo vxorem, baiulos, tutores, et curatores vsque ad præfinitum tempus a iure: et possit de prædicto imperio ordinare et disponere tanquam de imperio sibi de iure debito vice et nomine prædicti filij nostri, quem ex nunc pro tunc a nostra propria et patria potestate eximimus et liberamus, et in patriam potestatem per adoptionem eidem domino Papæ subijcimus et donamus; renuntiantes omnibus exceptionibus, quas possemus contra prædicta obijcere, et omni iuri et legi, quibus contra prædicta non obseruanda et complenda possemus nos aliquo modo defendere et tueri.

Si non detur obses filius, refundere sumptus promittit.

36 *Item in casu, vbi prædictus archiepiscopus veniret cum tribus galeis vel pluribus, et nos non daremus sibi dictum filium nostrum, vt duceret eum ad dominum nostrum summum Pontificem, obligamus nos et omnia bona nostra et omnes nostros Græcos et bona eorum, quod dominus noster Papa et sui nuncij seu procuratores possint capere et petere super dictis bonis et personis vsque ad valorem quatuor millium florenorum pro qualibet galearum, quas prædictus dominus archiepiscopus et præfatus familiaris noster duxerint in Constantinopolim, in omni loco, et sub quolibet iudice ecclesiastico, siue ciuili in Pera, Rhodo, Chio, et Cypro, et omnibus alijs locis, non obstante quolibet exceptione seu iure, quo vel nos vel nostri Græci possemus nos defendere ad non soluendum prædictam summam florenorum. Et in casu vero, vbi omnia supradicta complerem, volo quod dictus dominus Papa me adiuuet contra omnes inimicos meos, & maxime infideles cum maiori exercitu et multitudine Christianorum, qui resistere possent multitudini infidelium et eos expellere de terris Christianorum, quas iniuste per violentiam suæ infidelitati subiecerunt.*

Petit exercitum in Turcas.

37 *Item quod dominus noster Papa prouideat nobis de expensis fiendis et de stipendijs erogandis pro aliqua parte exercitus, cum imperium nostrum pro præsenti non posset expensas sustinere. Item quod ego sim principalis capitaneus, et signifer et vexillarius sanctæ matris ecclesiæ cũ mero et mixto imperio, et plenaria potestate supra omnem exercitum Christianorum, qui ad partes vltramarinas transierint, vel stipendiati per ecclesiam vel per alios ex mandato et indulgentia ecclesiæ, vel qui sponte venerint pro salute animarum suarum. Item in casu, vbi ego omnia supradicta complerem, dominus noster Papa remittet mihi filium meum cum honore et apparatu conuenienti. Et est intelligendum, quod si forte supradicta omnia & singula non complerem pro eo, quod potentia & non voluntas deficeret, & ego personaliter accederem ad ipsum dominum nostrum Papam, in illo casu dominus noster Papa teneatur defendere & adiuuare me ad recuperandum imperium meum sicut pro filio meo fecisset, me ad ipsius præsentiam personaliter non accedente, & non videar in aliquam pœnam incidisse, vel contrafecisse, si necessitate impotentiæ, & non voluntate supradicta omnia non complessem. Ad quorum omnium securitatem & euidentiam pleniorem præsens sacramentale priuilegium, aurea bulla munitum fieri iussit imperium nostrum literis rubeis manu nostra propria more solito subscriptum, & aurea bulla imperij nostri insertus appensa munitum. Actum in vrbe magna Constantinopolis in nostro sacro palatio Blacbernarum anno a constitutione mundi sex milleno octauo centeno sexagesimo quarto, a natiuitate autem Domini MCCCLV. die XV. decembris.*

Creari se vexilliferum Rom. ecclesiæ.

38 Proferebant late in Europa tyrannidem Turcæ, cum superiori anno plures vrbes terræmotu dirutas refecissent. Ad quos reprimendos, cum Pontifex varia consilia exquireret, præter triennales sacerdotiorum decumas indictas de quibus ad Tarantasiensem archiepiscopum extant literæ a, nullum melius occurrit, quam quod antea Ioãnes XXII. Benedictus XII. & Clemens VI. laudarant, vt nimirum Hospitalariorum equitum ordo ex Rhodo insula in Turciam sedem transferret b: ex quo plures affulgebant vtilitates, defixo in continente eorum domicilio non modo barbaros ab inuadenda Europa repressum iri contrarijs equitum excursionibus, verum latius Christi imperium amplificari posse; in insula vero positi nullum ingens facinus aduersus fidei hostes edere poterant: ita censebant Pontifices. At equites ea in re parere detrectarunt: Rhodio enim regno contenti, ac voluptatibus indulgere assueti, cum se in insula munitissima facile aduersus barbarorum impetus defensuros ac tuto delitijs potituros putarent, continuis bellicis laboribus barbarorumque insultibus se in continente exponere pertimuerunt. Quos Innocentius prædecessorum exemplo ad traducendas in Turciam vires sedesque extimulare contendit hisce literis ad Petrum Conilhanium supremum magistrum, qui in ea dignitate Gosonio successerat, datis c.

a To. 3. ep. secr. pag. 254.

b To. miscell. pap. pag. 167.

Rhodij equites in Turciam suas sedes transferre iussi.

c Ead. pag.

Innocentius, &c. dilectis filijs Petro de Comilhano magistro & conuentui hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani.

Dudum intellecto, quod dilecti filij Ioannes Ferdinandi de Redia castellanus Empostæ, ac prior Castellæ & Legionis, nec non Raimundus Berengarij castri Saraceni, ac Petrus Comilhani Vallispugeti vestri hospitalis domorum præceptores ad vestram erant præsentiam accessuri, eis exposuimus quæ de vestris & aliorum fratrum hospitalis præfati perniciosis negligentijs & intolerabilibus desiderijs intra nostra præcordia, non sine multæ amaritudinis acrimonia, versabantur; iniungentes eisdem, vt vobis exponerent ex parte nostra, quod nobis & fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus non erat ignotum, qualiter vos & prædecessores vestri, neglecta iam diu Christi militia, quæ olim, vigens in vobis contra hostes sacræ fidei, vos Deo reddebat amabiles & in ipsius ecclesia gloriosos, modernis temporibus corporalibus affluebatis delitijs, quas ex honestate omittimus præsentibus explicare; nec ex vobis apparebat opus laudabile, quod fructum produceret Christi fidelibus iuuatiuum; & quod propterea vobis ex parte nostra mandarent, vt circa prædictorum correctionem & emendationem realem prouidere realiter curaretis, quod vobis cederet ad meritum & honorem, & Apostolica sedes posset exinde merito contentari: alioquin quod nos tale intendebamus in hac parte adhibere remedium, quod cederet ad Dei laudem & gloriam, dictæ sedis honorem, & totius Christianitatis consolationis augmentum. Præfatoque castellano, quem noscebamus redimitum dono prudentiæ, ac nobis & Apostolicæ sedi præcipua sinceritate deuotum, & boni status eiusdem hospitalis præcipuum zelatorem, speciali fiducia aperuimus infrascripta: videlicet quod

Arguuntur inertiæ a Pōt.

Vacare tantum delitijs,

nobis certa informatione constabat, quod felicis recordationis Ioannes & Benedictus & Clemens Romani Pontifices immediati prædecessores nostri, non sine multa deliberatione, pro euidenti vtilitate, & instanti necessitate fidei Christianæ, vos seu prædecessores vestros tam verbotenus, quam per apostolicas literas duxerant admonendos, quod vires & virtutes vestras contra abominabilem Turcorum perfidiam extendere satagentes, terram quam illi in iniuriam Crucifixi & Christianitatis opprobrium, ac formidabile periculum truculenta rabie tyrannizant, inuadere tentaretis, & in ea vestrum transferretis & stabiliretis conuentum, ibidem de cætero perpetuo mansuri: quod quomodo sit executioni mandatum, immo etiam inchoatum, vos nostis; & cum sit quasi toti mundo notorium, sedes eadem non ignorat.

Detrectāt se arma in Turcas stringere.

39 Et propterea nos, præcipuis desiderijs cupientes, ac firmiter intendentes auctore Deo, cuius negotium agitur, quique vobis prosecutionem realem præfati negotij reseruasse noscitur, in actum deduci vestris temporibus quod præfati prædecessores tam prouide tamque salubriter mandauerunt; ac considerantes, quod tam grandia bona temporalia, quæ gratiosa concessione ipsius ecclesiæ & pia largitione fidelium possidetis non vt rodantur in Rhodo, eiusque mari inutiliter incoluntur, sed ad exercendam contra eosdem nefarios hostes laboriosam Christi militiam sunt concessa; quodque exinde nostri vltramarini populi contra vos clamitant, & debitæ remedia prouisionis exposcunt; & quod principes ac populi cismarini, videntes vos infructuosos esse palmites in vinea Domini Sabaoth, non solum de vestræ religionis deuotione exposcunt, sed contra vos de tanta perditione bonorum quasi vniuersaliter obloquentes, aduersus tantam negligentiam flagitant per dictam sedem salubriter prouideri; eidem Ioanni præcepimus, vt vobis ex parte nostra districte mandaret, quod huiusmodi translationem conuentus penitus facere curaretis; alioquin quod cantum Dei negotium tolerantes (sicut nec debemus) sub dissimulatione vlterius præterire, aut de bonis, quæ fuerunt domus templi, eidem hospitali concessis aliam crearemus ordinem, qui sicut nouella plantatio, cœlestis gratiæ imbribus irriganda, speratæ perfectionis incrementa susciperet, & fructus copiosiores & amabiliores produceret: aut super domibus & bonis, quæ dictæ domus templi fuerunt, alium cum debitis ordinationibus crearemus & præficeremus magistrum, qui templum Domini, quod est Christianus populus, ab ipsius impugnatoribus potenter & virtuose protegeret, ipsosq; viriliter impugnaret: & quod vos nihilominus intendebamus cogere ad transferendum conuentum vestrum in Turchiam, ibidem cum gratiæ diuinæ * suo acquisituros & recuperaturos terram, quam Turcorum impietas detinet occupatam, vt altera religio alterius prouocata exemplo, prout antiquis contingebat temporibus, eo felicius quo animosius in Christi exercitu militaret.

Frustra Rhodi sacras opes rodi.

De alio religioso ordine cōdendo agitatum.

* auxilio

Demum idem Ioannes ad dictam sedem reuertens, præsentibus quibusdam ex eisdem nostris fratribus & dicto Raimundo Berengarij nobis ex parte vestra humiliter retulit, quod vos huiusmodi nostra mandata cum multæ humilitatis & deuotionis affectibus recepistis: & quod ad prouidendum super his efficaciter, cum per vos ipsos sine consilio & auxilio priorum & fratrum dicti hospitalis tantum promouere negotium non possetis, mandastis de ipsis prioribus & fratribus cismarinarum partium generalem congregationem de proximo celebrari, quam nos in ciuitate Nemausensi vel in Montepessulano præcepimus fieri in principio mensis ianuarij proxime secuturi.

Indicti equitum cœtus.

40 Nuper autem fidedigna relatione percepimus, quod quidam dicti hospitalis vestris affectibus quam nostræ intentioni & veritati, non sine adulationis specie, placere quærentes, quædam nostra verba, quæ ex ore nostro audiuisse se asserunt, in diuersum, immo aduersum prædictis intellectum, conati sunt minus veraciter, quinimmo temerarie retorquere, vobis scribendo, quod prædicta eidem Ioanni non imposueramus vobis, vt prædicitur, exponenda: & quod de nostra indignatione minime dubitantes, curaretis in sola quiete manere. Ex quibus, si vera sint, cum ex eis super ijs, quæ nostra huiusmodi mandata cordibus vestris suggesserunt, possetis forsan (quod absit) tepescere, huiusmodi relatis per dictum Castellanum ex parte nostra fidem minus credulam adhibendo, nostra viscera non immerito sunt turbata.

41 Piget siquidem referre, sed æstuante mente interius non possumus vlterius retinere, quod ex adipe vestrarum, immo pauperum & dictæ militiæ Iesu Christi diuitiarum iniquitas lethalis saltem negligentiæ, vt ad præsens taceamus de reliquis, videtur egressa, de qua culpabiles supernus iudex in extremo iudicio districtius obiurgabit, & (quod est formidabilius) condemnabit: nam dum minoribus abundaretis opibus, in subuentione pauperum eadem militia & religionis obseruantia virtuosius agebatis. Suntne ista lucra, quæ de receptis talentis, quæ abscondisse videmini, Domino reportatis? Suntne digna rependia, quæ sibi de tot habitis gratijs exhiberis? Pugnastis quidem sub vmbra deliciarum, & ecce quod sequens religio, videlicet B. Mariæ Theotonicorum, quæ non longe lapsis temporibus erat absque comparatione in omnibus minor vestra, quæ laborare non destitit, vos dormitantes eximijs meritis, deuotionis abundantia, felicibus successibus, ac gloriosis acquisitionibus antecedit: & quanto ista illi cedunt ad gloriam, tanto vobis ad ignominiam & pudorem. Ideoque vt exposita vobis per castellanum & præceptores eosdem cognoscatis esse verissima, & vt sentiatis huiusmodi nostrum propositum inconcussum manere, & sub indubitabili testimonio nostræ bullæ, ne excusationem in hac parte possitis prætendere, præsentium serie decreuimus repetenda, non intendentes de cætero vobis, cum facto sit opus, insistere; sed circa prædicta efficaciter apponere, auxiliante Domino, manum nostram. *Dat. Auin. 11. id. octobris pontificatus nostri anno III.*

Collapsa eorum disciplina.

Propositū Theutonicorum equitum exemplū.

42 Posthabita sunt atque Innocentij atque antecessorum Pontificum imperia de transferenda in Asiam pro reprimendis Turcis ordinis sede, Verum qui magna sua culpa Turcarum augeri potentiam permisere, ab ijs postea, arcano Dei iudicio Rhodo depulsi sunt.

Monuit præterea eosdem Rhodios equites Hugonemque a Cyprium Regem Innocentius b, vt pro defendenda Smyrna triremes in portu instructas tenerent. Deferbuerat c porro Cyprij Regis ac Rhodiorum equitum in bello aduersus Turcas gerendo ardor, ex quo, inter Venetos

a Ead. pag. b To. 3. ep. secr. pag. 209. c Pag. 92.

tos & Gennenses exorto bello, Veneti promissa auxilia conferre detrectarant: cumque exinde periclitaretur Smyrna, Innocentius datis ad Carolum Romanorum Imperatorem literis, in quibus sacri illius aduersum Turcas fœderis inter sedem Apostolicam, Venetos, Cyprios, & Rhodios initi leges & causas aperuit, ipsum paulo post suscepta imperialia insignia rogauit, vt pro tuenda Smyrna, ne iam Christiano cultui addicta Mahumetana spurcitia contaminaretur, ac pro potentia Turcica frænanda auxilia suppeditaret: tum Nicolaum patriarcham Aquileiensem illius fratrem, Ernestum Pragensem archiepiscopum, Ioannem Olomucensem, Marquardum Augustensem episcopos, & Ioannem Marchionem Montisferrati, qui plurimum apud ipsum gratia & auctoritate poterant, hortatus a est, vt Carolum ad id incitarent.

Rogatur etiam Carolus Imperator.

a Ead. pag.

I E S V C H R I S T I
Annus 1356.

INNOCENTII PP. VI. annus 4. CAROLI IV. IMP. OCCID. 11. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 16.

1 INuexit ingentem luctum Gallis, capto in acie Ioanne Rege ab Anglis, ac magna procerum multitudine cæsa non sine arcano diuini Numinis iudicio, annus Seruatoris millesimus trecentesimus quinquagesimus sextus indictione nona: quam cladem mox subortæ in regno turbæ auxere. Præsenserat Pontifex ex pertinaci inter potentissimos Reges discordia grauissima emersura exitia eum, vt refert Matthæus Villanus b, Angli ob superiores secundos successus insolescerent, atq ad pericula ruerent intrepidi: Galli vero acceptarum iniuriarum dolore, et vindictæ cupiditate furerent. Ad quæ auertenda Innocentius apostolica studia defixerat: ac licet impensos iam a se labores parum profuisse cerneret, crescentibus tamen odijs, atque exasperato bello, augendam solicitudinem ratus, vt pacem induciasue redintegraret inter Reges, legationem ad eos decreuit, cuius obeundæ prouinciam Talayrando episcopo Albanensi & Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinalibus imposuit; de qua M.S. Vaticani anonymus scriptor c hæc mandauit historiæ: *Item sub* MCCCLVI. *de mense iunij dominus Talayrandus Petragoricensis, & dominus Nicolaus Capocij Cardinales transmissi fuerunt nuntij apostolici per dictum Papam ad ponendum pacem finalem, vel treugam fiendam inter Reges Ioannem Franciæ & Eduardum Angliæ, ipsorumque regna: qui Cardinales de mense prædicto de curia recesserunt, & in regno Franciæ applicarunt, continuando ipsorum dietas pro pace vel treugam inter ipsos Reges vel regna ponenda.* His consentanea alterius M. S. auctor d Germanus, & Innocentij vitæ scriptor e reperunt: quibus historici consentiunt f.

b Matth. Vill. l. 6. c. 31.

Decreti Cardd. duo ad Anglum Gallumq; conciliandos.

c M.S. bibl. Vall. sign. n. 2040.

d M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765.

e Gesta Inn. VI. apud Bosq.

Vt facilius legati Cardinales consilia perducerent, Pontifex adhibendum etiam Carolum Imperatorem pacis interpretem censuit, eumque rogauit g, vt Cardinalibus locum, in quo ipsum conuenirent, constitueret: *Cum*, inquit, *fili charissime, sicut habet multorum nobis admodum grata relatio, tu dispositurus imperij tui negotia, sis ad ciuitatem Metensem vicinam satis regno Franciæ in proximo accessurus, nos hoc diuina dispensatione et prouisione credentes esse consilium, vt eo tempore pietas tua regno appropinquaret eidem, quo dicti nuncij ad illud sunt pro ipsius concordia reformanda negotio accessuri; et ex hoc spem et fiduciam nostram huiusmodi roborantes, serenitatem tuam attente rogamus, et petimus instantius obsecrantes, quatenus attendens quam gratum Deo præstabis obsequium, si in tam vtili tamq; accepto Deo negotio episcopo et Cardinali cooperetis eisdem, ad aliquem locum, in quo tecum possint conuenire, diuinæ miserationis intuitu, consideratione vtilitatis publicæ ac nostræ intercessionis obtentu declinare non putes onerosum. Dat. Auin. VII. kal. iunij anno IV.*

Adhibitus Imp. pro pace redintegranda.

f Froissar. in Ioan. I. & alij.

g To. 4. ep. secr. pag. 74.

2 Coniuncturus itaque cum imperiali pro conciliandis Francorum & Anglorum Regibus apostolicam auctoritatem Innocentius, grauissimis sententijs Ioannem Regem ad amplectenda pacis consilia præmonuit a, exortas e bello calamitates exposuit, contulitque cum præteritæ concordiæ felicitate: laxata licentiæ scelerique fræna: diuinum cultum obsolescere: ad inferendas mutuas cædes incumbere, qui animis armisq; religionis propagandæ studio coniuncti clarissimas olim de infidelibus victorias retulissent: diuturna illorum dissidia ingentia Pontificum de propaganda diuina gloria discussisse hactenus, atque adhuc dissipatura consilia.

Monitus Gallus vt eam amplectaretur.

a Ib. pag. 93.

Innocentius, &c. Ioanni Regi Francorum illustri.

Pax bonarum artium decora mater, & cunctarum parens fœcunda virtutum, etsi vniuersaliter omnibus sit indifferenter optabilis, Regibus tamen atque principibus quam maxime optanda est: siquidem sicut in quiete regnantium quiescunt subditi, & in pace ipsorum pacis beneficio perfruuntur, sic in commotione principantium commouentur subiecti populi, & in eorum turbatione turbantur. Hoc profecto, charissime fili, recte considerantibus liquet apertius: hoc te experientia docuit: hoc tibi frequenter subiecta res oculis indicauit: hoc, vt ita dixerimus, palpasti sæpenumero: hoc gustasti. Vidisti namque in tua, & charissimi in Christo filij nostri Eduardi Regis Aagliæ illustris amara dissensione subiectam tibi & ei rempublicam, olim pacis opulentia gloriosam, quodam quasi vehementiori turbine conquassatam: vidisti florentem abundantia populum, ope auxilij aliorum egenum: vidisti plebem bonis omnibus opulentam, bonis fere omnibus destitutam: vidisti quietissimos subditos dissensione amarissima lacessitos: vidisti (quod grauius est) deputatos diuinis obsequijs scelestis operibus inquinatos: vidisti sacris pridie ministerijs insudantes, nunc rapinis intendere, nunc spolijs occupari, nunc effusioni, proh dolor! humani vacare cruoris. Accingitur enim gladio, sumit arcum & pharetram, armatur lancea, insurgit in clypeum, qui nuper librum in manibus, & in ore gestare Dominum consueuit: ministri altaris dominici ministrant, heu, raptoribus virginum, coniugatarum adulteris, & abductoribus viduarum. Quis igitur, princeps inclyte, fidelis Christicola ista non defleat? quis non ploret? quis non tristetur & lugeat, Christi milites olim aduersus Christiani nominis inimicos, claris victoriarum titulis gloriosos, in cæde mutua occupari? Et quos dudum famæ questus toto diuulgauit orbe claros atque laudabiles, hos vindictæ noxius appetitus propria coangustat in patria, & in suis laribus tenet obscuros. Hæc, inquam, iugiter nostris amare præsentantur obtutibus, hæc nos lacrymarum mergunt in fluuios,

Commoda pacis proposita.

Ex bellorum mala.

hæc

hæc mentem anxiam indefinenter excruciant, hæc mœrens cur continue inquietant, hæc ab intimis educunt quotidiana suspiria, hæc intrinseca quæque amaricant, hæc perturbant.

His medendum esse.

3 Digne igitur ad supputationem dissensionis huiusmodi ac pacis reformationem vias & modos solerter exquirimus, & exquisitos solicite promouemus, vt adiuti dono diuinæ gratiæ, sine qua omne opus incassum intenditur, tantis possimus malis occurrere, tantisque periculis obuiare: ac bona quietis & pacis, quæ pater hucusque sustulit scandali, & profligare longius omnino conatur, instaurare fortius valeamus. Et ideo licet nostra & nonnullorum prædecessorum nostrorum, aliorumque fidelium studia, quę circa hoc laborarunt, pacis æmulus, peccatis exigentibus, eluserit hactenus ac vacuarit effectu; sperantes tamen in eo, qui concordiam in sublimibus suis parat, quique verus angularis est lapis parietem vtrumque connectens; quod ipse hostis eiusdem fraudibus superatis & artibus plebem suam in fine non deseret; quinimmo in ipsius angustijs & pressuris ei pie compatiens, pacis eiusdem diu concupito negotio nostris, & communibus fidelium Christi votis benignus & misericors condescendet, consulta cum fratribus nostris super hoc deliberatione præhabita, venerabilem fratrem Talayrandum episcopum Albanensem, ac dilectum filium nostrum Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis nuntios, viros vtique decoros multis virtutibus, & in magnis & arduis multa & laudabili experientia comprobatos, honoris & status tui regnique tui feruidos amatores, in quibus timor Domini sanctus manet, & quorum inest affectibus bonum pacis, ad te præfatumque Regem tanquam pacis angelos prouidimus destinandos, &c.] Adijcit ardentissimas preces, vt concordię interpretes Cardinales audiat, eorumque consilijs ad ponendum tot malis modum obsequatur. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis XII. kal. iunij anno IV.*

Condolens afflictæ plebi.

Commendati legati.

4 Conceptæ fuit eadem pene verborum forma ad Eduardum pontificiæ literæ a, quibus diuturni belli rei Christianæ funestissimi mala describit. Solicitatæ b etiam Isabella mater, atque Philippa vxor Reginæ, tum alij gratia & auctoritate in Anglicana aula spectatissimi viri incitati, vt Regem ad concordiam adducerent. Cum vero nonnulli apud Eduardum maleuolis susurris Pontificem vocassent in inuidiam, non tam in superiori fœderis colloquio interpretem conciliatoremq; pacis, quam perturbatorem egisse, fœdam calumniam his verbis detersit c: *Testis nobis est Deus, cuius vices in terris immeritò gerimus, quod nos, attendentes esse proprium cuilibet sacerdoti, sed nobis maxime, quem super omnes sacerdotes dignatio diuina constituit, pacificare discordes, & dissidentes ad concordiam reuocare; & considerantes etiam, quod licet omnium pax & concordia sit optanda, tua tamen & ipsius Regis eo est studiosius promouenda, quo tua & illius discordia velut quædam turbo validior concussit fortius & atteriuit grauius populum Christianum, pro huiusmodi reformatione pacis & laborauimus cum omni sinceritate solicite, & cum omni attentione impendimus studium, ac dedimus, nec ad sinistram nec ad dexteram declinantes, operam pro viribus efficacem: sed si laboribus nostris speratus non successit effectus, propter hoc lingua tertia labores non debuit deprauare. Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis XIV. kalend. iulij anno quarto.*

a Eod. to. 4 ep. secr. 94.
b Ead. pag.

Impacta Pontifici calumnia. Abeam apud Eduardum vindicat.
c Ib. pag. 96.

Diluit eandem de non adhibita pro redintegranda pace diligentia notam, ab inuidis & obtrectatoribus aspersam, pluribus literis a datis ad Michaelem episcopum Londoniensem, atque Anglos proceres: quos Pontifici (in quem facile vtpote Gallum genere suspicionibus sinistris imbui poterant) iniquiores fuisse, ex Matthæi Villani superius dictis patet, cum is tradat, Henricum Lancastrium & Philippum Bothonium, vtriusque Regis contraria iura summa pertinacia defendisse. Ne vero rerum nouarum conuersionibus ac euentibus præliorum concordiæ, pro qua redintegranda legati erant Cardinales, ratio omnis confunderetur, Eduardum Vvalliæ principem parentis nomine, & comitem Armaniaci Francorum Regis vice in Vasconia præfectus rogauit b, vt dum Cardinales internuntij ad Reges pergebant, ipsi nouandis rebus belloque temperarent. Solicitatus etiam, vt sæpe antea, Eduardus Rex c, vt Carolum ducem Britanniæ vinculis solueret, quo operam vna cum Cardinalibus pro restituenda concordia posset coniungere, atque d Isabella & Philippa Reginæ, Eboracensis, & Cantuariensis archiepiscopi, Londoniensis & Vvintoniensis episcopi, vt Regem, qua pollebant apud ipsum gratia, ad id adducerent: ad quam etiam rem ijdem Cardinales iussi incumbere e.

a Eod. pag.

Tractatũ frustra de pace a Regum oratoribus. Rogati principes vt bellum intermitterent.

b Ib. pag. 57. 58.
c Pag. 157
d Pag. 158
e Pag. 159

5 Data præterea est Cardinalibus internuntijs prouincia, vt corriperent Ioannem Regem, qui ad conficiendos ingentes bellicos apparatus grauissimis suos premebat vectigalibus, atq; ecclesiasticos viros pluribus alijs grauatos oneribus, imperatis sine pont. auctoritate anni vnius decimis oppresserat, tantam acerbitatem in ijs exigendis exercentibus illius administris, vt sacerdotes, pars exhausta opibus, pars conscientia deterrita templorum curam abijcerent: vnde diuinus cultus obsolescebat, atque alijs principibus perniciosum dabatur exemplum, ne pari sæuitia ecclesiasticos spoliarent. Ioannem etiam Regem admonuit grauissimis literis f Innocentius, vt mala hæc sedaret, vel potius tolleret, quo diuinum Numen placatum tribueret optatæ pacis felicitatem.

Ioannes Francorũ Rex in suis expilandis sæuus.

f Eod. to. ep. secr. pag. 173.

Innocentius, &c. Ioanni Regi Francorum illustri.

Perstrepit, fili charissime, Romana curia querelis grauibus, & infestis rumoribus Apostolicæ sedis tinniunt continuo quasi aures, quod quidam officiales & ministri tui prætextu concessæ per te illis, vt asseritur, potestatis ecclesias, personas ecclesiasticas regni tui, præter alia insolita grauamina plura, quibus eædem ecclesiæ ac personæ premi & angariari dicuntur, indifferenter sicut & laici ad soluendum tibi, vel illis nomine tuo decimam siue subsidium ad valorem decimæ vnius anni de prouentibus ecclesiasticis eorundem compellere moliuntur, occasione cuiusdam concessionis, seu promissionis, quam de illa vel illo quidam pauci numero prælati ecclesiastici dicti regni, nullum a prælatis illius alijs & personis eisdem mandatum aut consensum habentes, tibi absque licentia sedis eiusdem, sine qua eis id facere non licebat, improuide ac in salutis eorum præiudicium fecisse dicuntur: quodque officiales & ministri ijdem in exactione huiusmodi decimæ siue subsidij tantum exercent sine omni miseratione rigorem, vt si quæ sint ex personis eisdem, quæ decimam seu subsidium huiusmodi soluere aut impotentia pressæ non possint, aut conscientia motæ recusant,

Vt præsules ad decimam extorquẽdam subornarit.

Administrorum eius in vexandis ecclesiasticis sæuitia.

sant, bona earum ad manum tuam capiant & detineant sub eadem; & tot eas alias pressuris affligant, vt vitæ necessarijs destitutæ ecclesias & beneficia eorum relinquere compellantur; vnde fit, quod Conditor redemptorque tuus, per quem regio sedes in solio, pro modico subsidio conferendo tibi debitis ei fraudetur obsequijs, & ministrorum eius voces, solitæ illius exerceri semper in laudibus, querelis & clamoribus occupantur. Hæc, princeps inclyte, vbi semel & iterum nostris in auribus sonuerunt, nos considerantes attente puritatem deuotionis ad Deum, & rectitudinem zeli ad conseruationem & ampliationem ecclesiasticæ libertatis catholicorum principum progenitorum tuorum & tuam, credere nulla ratione potuimus: sed tandem multiplicatæ querelæ, ac excrescens continuo conquerentium numerus, & etiam ipsa miranda nobis insinuatio tua renitentes impulerunt nos ad credendum: & eo ampliori amaritudine repleuerunt, quo hæc tuæ saluti & famæ, quas attenta sinceritate aclamus, contraria & libertati ecclesiasticæ præiudicialia potius dignoscuntur.

Vt a maiorum exemplis defecerit in exigenda decuma sine Pont. facultate.

6 Considera itaque, amantissime fili, considera vtrum personis eisdem multiplicium onerum, quorum plurima in tuum, & ipsius regni tui subsidium (de licentia tamen sedis Apostolicæ) subierunt, fatigatione lassatis adijcienda sit laxitudo. Considera vtrum paucorum particularis oblatio, sanctionibus canonicis omnino contraria, sit ad vniuersale omnium extendenda dispendium, & ad ipsius libertatis ecclesiasticæ præiudicium retorquenda. Considera quid catholicis incumbat principibus, quando Pharao ille diuinæ legis ignarus, cum seruituti cæteros subiecisset, sacerdotes & possessiones eorum non solum in pristina libertate dimisit, quinimmo de publico sacerdotibus ipsis alimoniam ministrauit. Considera qualia quantaque pericula in inferiores huius seculi potestates hæc, si (quod absit) procederent, exemplari quodam alueo deriuarent, cum vt nosti imitatores plures facile culpa reperiat, quæ committitur a prohibitore culparum. Quid enim dicent quidue faciant reliqui Reges & principes orbis terræ, si te, qui ecclesias & personas easdem speciali semper honorificentia prosecutus, & ad conseruationem ac ampliationem libertatis ipsius regios fauores impendens, ad id alios exemplis laudabilibus prouocasti, talia senserint vel audierint facientem? Erigent proculdubio ad vetita animos, extendent ad illicita manus, & ad inconcessa digitos informabunt.

Pernicies huius exempli.

Ad pietatem itaque tuam, vt super his remedia necessaria prouisionis acceleres, cum omni fiducia recurrentes, illam attente requirimus, & hortamur in Domino, ac attentius deprecamur, tibi huiusmodi tuæ salutis intuitu paternis consilijs suadentes, quatenus hæc, quæ ex paterna charitate describimus, filiali benignitate recipiens, illaque tecum æqua & tranquilla mente pertractans, malum hoc, ne si (quod absit) irremediabiliter steterit periculosius, quod nos molestat, de gremio vniuersalis ecclesiæ pro reuerentia illius, qui est fundator & fundamentum eius, auferre procures: sic enim certe Dominus votis tuis benignus assistet, imponet solicitudinibus terminum, curas noxias subtrahet, multiplicabit facultates, vires augebit, & quibusque asperis in plana conuersis, tibi & subditis tuis populis, sicut desiderantissime cupimus, optatæ

Monetur, vt male cœptis absistat.

quietis & pacis tempora propitius instaurabit. Super quibus, vt mentis nostræ amaritudinem speratæ prouisionis tuæ medela dulcoret, iterum rogamus & petimus, vt quæcunque super his agenda duxeris, nobis e vestigio intimare procures; ijs, quæ venerabilis frater Talayrandus episcopus Albanensis, & dilectus filius noster Nicolaus tit. S. Vitalis presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis nuntij magnitudini tuæ super eis pro parte nostra retulerint, firmiter crediturus. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* III. *non. septembris anno* IV.

7 Consentiunt his, quæ de Ioannis Regis in extorquendo ære militari sæuitia tradunt historici, ex quibus Matthæus Villanus ait [a], mercatores externos ob eam diffugisse, ac plures vrbes, regijs administris non admissis, quandam reipublicæ formam induxisse. Nec mirum, si conductus sudoribus pauperum ac sacerdotum lachrymis potentissimus exercitus turpissime fuerit profligatus, dum hæc subsidia in regni ordinum comitijs poscebat Ioannes. Intercessisse apud populum Carolum Regem Nauarræ multis nominibus regiæ Gallicæ beneficiarium, atque etiam proditionem in soccrum constasse, ferunt [b]: ex quo indignatus Ioannes illum custodiæ mancipavit. Sed Regis Nauarræ fratres Caroli vincula vlturi, infesta signa extulere, quamuis Pontifex, vt ijs occurreret, Ludouicum principem, qui Caroli Regis nomine regnum Nauarræ administrabat, proceresque ac populum multis literis sit adhortatus [c], vt licet Ioannes Rex ad generum custodia liberandum difficilem se præberet, tamen mulcerent illum potius, quam illato bello exasperarent. Ita ciuili bello arsit Gallia.

a Matth. Vill. l. 6. c. 18.

Rex Nauarræ custodiæ traditus.

b Froissard. hist. l. 1. Paul. Aemil. in Io. Rege Gaguin. in eod.

Eius affines bellū Ioanni inferunt.

c To. 4. ep. secr. pag. 167.

Eodem tēpore Eduardus iunior finitimas Aquitaniæ prouincias ferro flammaque subijciebat. In quem Ioannes Rex signa conuertit, deprehenditque [d] exuuijs onustum in Pictauiensi agro copiarum numero admodum imparem. Certa videbatur sine periculo victoria: sed vincendi patientia Ioanni defuit [e]. Inter hæc legati [f] Cardinales Talayrandus & Nicolaus submissi ab Innocentio, cum metuerent, si aduersæ concurrerent acies, plurimum sanguinem Christianum effusum iri, qui potius pro defendenda in Turcas fide, firmandaque orientalis ecclesiæ cum Romana coniunctione spargendus erat, ad Francorum Regis ac Vualliæ principis castra discurrere, vt concordiam inter eos redintegrarent. Neque abnuit Anglus periculi terrore perculsus æquis legibus pacisci concordiam, eamque affinitate firmare: at Ioannes prauis temerariorum subornatus consilijs [g], Talayrandum Cardinalem facessere iussit, adiectis verborum minis, ni abiret de vita periclitaturum [h]. Vt vero Franci, qui diuinas in se iras ob repulsos internuntios apostolicos pacis interpretes concitarant, magna strage ab Anglis sint profligati, inter alios describit his verbis M.S. Vaticani auctor [i]: *In dicto tempore guerra mortalis & terribilis perseuerauit inter Reges Franciæ & Angliæ in regno Franciæ per totam linguam Auxitanam, Britanniam, Normanniam & Picardiam. Ferro & igne Anglici per dictas prouincias pene deludentes & occupantes, nec non ultimate sub anno* MCCCLVI. *& die lunæ* XIX. *mensis septembris princeps Gallarum primogenitus Eduardi III. Regis Angliæ bellum habuit cum suis gentibus in territorio Pictauensi contra Regem Ioannem filium Regis Philippi de Valoys & suas gentes. Quod bellum dictus princeps obtinuit: & dictus Rex cum suo filio ter-*

Ioannes Rex in Eduardū iunio. rem mouet.

d Matth. Vill. l. 7. c. 69.

Patientia illi vt vincat deest.

e Paul. Aemil. in Ioanne Reg.

f Matth. Vill. l. 7. c. 10. Froiss. l. 1. Paul. Aem. & Vuals. in Eduard. III. & alij g Gesta Innoc. VI apud Bosq.

Repulsi legati.

h Froissar. hist. l. 1. in Ioanne.

i M.S. bib. Vat. sign. n. 2040.

Matth. Vill. l. 7. c. 20. Petr. l. 2. de vita solit. sect. 4. c. 3. & ter sensi. ep. 2. Paul. Aem. in eod. Io. Rege Vuals. in Eduard. II. et alij.

Gall Rex captus.

tertio per dictum principem & suas gentes captiuati & ducti in Angliam fuerunt cum circa ducentis tam comitibus quam vicecomitibus, banderensibus, baronibus, militibus, & nobilibus maioribus & melioribus regni Franciæ, cum multis alijs comitibus, baronibus, nobilibus, & communitatibus dicti regni Franciæ.

Non Anglicis viribus, sed diuinæ in Ioannem vltioni vulgo ascripta est hæc victoria; de qua hæc habet Innocentij vitæ scriptor a: *Cessit victoria dicto Odoardo principi, dicto Rege & suis fere omnibus captiuatis, cæsis, aut in fugam conuersis: quod fuit admodum mirabile & stupendum, attento maxime, quod pro vno ex victoribus victi erant decem & vltra. Eorum etiam apparatus tam in armis, quam equis & alijs ad bellum necessarijs & opportunis, erat multo solemnior & validior, & ad vincendum alios magis dispositus in cunctis. Sed talis fuit voluntas Dei seu ordinatio, cui resistere nemo potest.* Eduardus porro victor agnouit non suis viribus, quæ imbelles erant, sed diuini Numinis manifesta ope potentissimum hostem debellatum: eiusque pater Rex non festos ignes, vt se fumo pasceret, excitandos curauit, sed diuina sacrificia octo diebus cōtinuis ad agendas Deo grates, ac pro eorum, qui occubuerant in acie, animabus a sacerdoribus peragi iussit b: quo modestiæ specimine maiorem gloriam, quam filius triumpho collegit.

a Gesta Innoc. VI apud Bosq. Numero superiores erant Galli.

Anglorū pietas cōmendanda.

b Matth. Vill. l. 7. c. 21.

8 Accepto de Gallica clade nuntio, Innocentius delphinum optimis consilijs, vt se aduersus res asperas muniret erudiuit c; neque dolori, sed instaurandis lapsis rebus vacaret: probos consultores sibi asciseeret: diuinum timorem inferret animo: neue iniustis oneribus populum opprimeret; atque ii ternuntios Cardinales ad abruptū toties pacis colloquium redintegrandum iussit incumbere. Tum vero Eduardus d, licet capto Ioanne Rege posset vlterius excurrere; veritus tamen ne Galli, collectis nouis viribus eundem Regem recuperarent, vel ne in ipsum Carolus Imperator prosiliret, Burdegalam spolijs & gloria onustus se recepit. De cuius in parta victoria moderatione animi egregie sentiēs Innocentius, illum ad clementiam in victos explicandam, accommodandum paci in triumpho animum, ac reponenda diuino Numini grati animi officia hisce literis est adhortatus e.

Delphinū Pontifex ad constātiam excitat.

c To. 4. ep. secr. pag. 204.

d Matth. Vill. l. 7. c. 20.

Burdegalam Ioannes ducitur.

e To. 4. ep. secr. pag. 201.

Eduardo primogenito charissimi in Christo filij nostri Eduardi Regis Angliæ illustri principi Vvalliæ.

Quanquam, fili, ex tuorum felicitate successuum cum mundo sentiens, vt probabiliter credimus, glorieris; tenemus tamen indubie; quod sicut Deo deuotus, & ex deuotis ei parentibus editus triumphorum gloriam & victoriarum honorem ad Deum creatorem tuum, a quo est omnis victoria omnisque triumphus, cum reuerentia refers: tenemus, quod in eis effusionem cruoris humani consideras: tenemus, quod animarum pericula intueris; & quod proinde in conspectu ipsius Dei tui eo te humilias amplius, quo sicut circumspectus & prudens plane perpendis, debere te illi pro ijs referre gratias, pro his ab eo veniam deprecari. Licet enim idem ipse Deus, prout vult, distribuens dona sua, te victoriarum titulis & triumphorum pompa fecerit gloriosum; detestatur tamen plebis suæ stragem, nec regnantium rancorem aut odium, ius vel iniuriam compensari vult excidio fidelium & innocentium populorum. Quod nos attenta nobiscum meditatione pensantes, non reuocamus in dubium, immo verisimiliter certi sumus, quod tu quanto de manu Domini prosperiora te suscepisse cognoscis, tanto ad pacem sis promptior, tanto ad concordiam sanotabilius inclineris; maxime cum ea sit consuetudo potentium imitantium pietatem, vt plus eos ad clementiam quotidie prosperitas excitet, plus ad mansuetudinem felicitas indesinenter inducat: nunquam enim pietas in aliquo, nisi cum possit sæuire, perpenditur: nunquam dulcedo mansuetudinis, nisi cum possit rigide agere, innotescit. Dat ergo potentia occasionem clementiæ: dat causam etiam pietati.

Pontificię ad victorē literæ.

Adhortatio ad clementiam.

9 Hanc igitur occasionem, hanc causam a te, cum exhibere possis, exigimus vt pro pace inter charissimum in Christo filium nostrum Ioannem Regem Francorum illustrem, quem ad carcerem tuum bellicus euentus adduxit, & te (auctore Domino) reformandam, nobilitatem tuam confidenter adimus; illam quanta possumus affectione rogantes, ac per viscera misericordiæ Dei obsecrantes attentius, quatenus reddens gratitudinis vicem domino Deo tuo pro his, quæ tribuit ipse tibi, ad pacem & concordiam habilites animum, cor præpares, disponas & mentem: nosti enim, quod ille Rex pacificus, per quem viuis & regnas, pacem te diligere præcipit, & immisericordium cordium refugit incolatum. Et ne longis sermonibus diffusius extendamus epistolam, precibus nostris adijcimus, vt quæ venerabilis frater Talayrandus episcopus Albanensis, & dilectus filius noster Nicolaus tit. S. Vitalis presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis nuncij, vel alter eorum tibi super hoc pro parte nostra per se vel alios retulerint, aut literis indicarint, credas indubie; illaque speraris operum fructibus pia velis prosecutione complere. *Dat. Auin. v. non. octobris anno iv.*

Et ad pacem.

Collaudauit alijs literis Pontifex a eundem principem, honorificentissime excepisse Talayrandum Cardinalem, fregisse in secundis rebus superbiam animi, quæ victoribus dominatur; gratesque ei egit, fuisse singulari comitate Francorum Regem prosecutum: *Venerabilis*, inquit, *frater noster Talayrandus episcopus Albanensis A. S. N. per suas literas scripsit nobis, quod tu nobilitatem, quam deriuas ex genere, confirmans & amplians generositate animi ac operatione virtutum, tantis eum es prosecutus honoribus, tantisque fauoribus, quantos filium in Christo patri decuit exhibere: quodque (quod his omnibus maius est) animum tuum æqualiter ad omnia præparans, nulla erectus prosperitate successuum, sed in conspectu domini Dei tui semper humilior, ei omnia deputans, a quo omnia suscepisti, charissimo in Christo filio nostro Ioanni Regi Francorum illustri, quem ad carcerem tuum bellicus euentus adduxit, honorificentiam quæ tanto principi conuenit, benignus impendis: super quo nobilitatem tuam meritis laudibus prosequentes, & sperantes indubie, quod omnipotens Dominus, qui humilia respicit & alta de longe cognoscit, in te vberius & copiosius gratiam suæ benedictionis effundet, &c. Dat. Auin. ii. non. octobris anno iv.* Commendat Eduardum iuniorem Villanus b, tantis illum officijs Ioannem esse prosecutum, vt etiam mensæ accumbenti inseruierit.

a Ead. pag.

De legato honorifice excepto actæ gratiæ.

Deque Gallo Rege clemēter habito.

b Matth. Vill. l. 7. c. 20.

10 Leuandæ vero Gallorum consternationis, & impendentium malorum auertendorum solicitus

Solicitat Imp. vt pacis sequestrem agat. a Ib. pag. 202.

tus Pontifex, ad componendas res Carolum Imperatorem Romanorum adhibendum censuit: missoque ad eum Androino abbate Cluniacensi, hortatus est a, vt pacis interpretem Francos inter & Anglos ageret: reseruatam vni ipsi tanti operis gloriam, atque internuntios Cardinales in ea re diligentem operam locaturos. Quanto vero dolore ex Francorum Regis vinculis confectus esset, his verbis descripsit b.

b Ead. pag.

Innocentius, &c. Carolo Imperatori Romanorum semper Augusto.

Conceptum a se ex Ioannis vinculis dolorem illi significat Pont.

Tanta, fili charissime, amaritudine nos repleuit, tamque vehementia doloris aculeo cor nostrum & intima quæque sauciauit sinistri casus euentus, charissimi in Christo filij nostri Ioannis Regis Francorum illustris, quem ad te ante receptionem præsentium credimus peruenisse, vt pene in nobis virtus defecerit, emarcuerit vigor, & sensus euanuerint quasi omnes. Quis enim sanæ mentis, quis sui compos, quis carnei cordis, quis humani animi non erumpat in lachrymas? quis amara de profundis pectoris suspiria non educat? quis prohibeat gemitus? quis compescat fletus? quis lamenta contineat? singultus etiam quis refrænet in effusione Christiani sanguinis, tantorum casu nobilium populorum, ruina fidelium, & multarum, quæ deploranda sunt amplius, periculis animarum? Nullum enim cuiusquam tam saxeum credimus pectus, quod hæc audita non frangerent; nullum tam ferreum, quod non mollirent & funderent; nullumque tam rigidum, quod horum consideratio non leniret. Cumque inter angustias plurimas, quibus propter hæc & alia obuoluimur, vndique ad necessariam reparationem casus huiusmodi animum dormientem sensu amaritudinis excitamus, vtcumque de conamine vel ministerio humano pene diffisi, ad eum attollimus attenuatam mœroribus aciem, ad eum desolatæ mentis erigimus oculos, ad eum deuotas preces & orationes effundimus, qui mari & ventis imperat, & ad cuius nutum stat spiritus procellarum; vt ipse super tot plebis suæ flagellis acerbioribus pia compassione commotus, mittens de alto potentiæ suæ manum, nos de aquis harum tempestatum eripere, ac secundum multitudinem dolorum in corde nostro consolationibus suis animam nostram lætificare dignetur. Et speramus in eo, quod etsi precibus nostris aurem suam pro peccatis nostris accõmodare refugiat, miserebitur saltem calamitatibus populi, quem ipse pia proprij cruoris effusione redemit.

Et effusas ad Deum preces.

Rogatur Cæsar, vt ad lunatẽ imperij accedat.

11 Et hinc est, quod tenentes firmiter ipsius Redemptoris nostri munere procuratum, vt cũ, qui solus inter homines languoribus his vehamẽtioribus potes necessariam adhibere medelã, hoc tempore turbinum ad extremas imperij tui partes regno Francorum proximas declinaris; ad te, vt hanc rabiem procellarum virtute industriæ ac prudentiæ tuæ frænes, & tranquillæ pacis beneficio tollas de medio guerrarum incommoda, & commotiones hostiles confingimus; pietatem tuam per eum, cuius nutu imperiali fastigio præmines, deposcentes, quatenus præmissa & alia, quæ breuitatis gratia subticemus, in debitam considerationem adducens, pro reuerentia Dei, consideratione salutis & honoris tui, publicæ vtilitatis intuitu, & nostræ intercessionis obtentu, ne moreris; sed festinans descendas desolationi catholici occurrere populi Christianæ gentis excidia tollere, obuiare periculis animarum. Tibi enim hæc gloria, tibi honor, tibi hæc laus a Domino reseruantur: tu namque partibus coniunctus es sanguine: tu licet sis proximior alteri, vtriusque tamen causam iuste respicies, & ad æquitatem, non ad sanguinem oculos inclinabis: tu efficax tractator pacis, & promotor concordiæ tam fauore dignitatis cæsareæ, quam gratia charitatis. Habebis etiam ibi venerabilem fratrem nostrum Talayrandum episcopum Albanensem & dilectum filium nostrũ Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis nuntios, quos boni huius vtiles cooperatores inuenies, & quorum in occurrentibus consilijs dirigi, & auxilio poteris adiuuari: super quo, quia dilecto filio Androino abbati monasterij Cluniacensis Matisconensis diœcesis latori præsentium imposuimus aliqua clemẽtiæ tuæ oretenus exponenda, precamur attentius, vt ipsius pro parte nostra relatibus adhibeas plenam fidem. *Dat. Auin. v. non. octobris anno IV.*

Hortatur inter Reges litem cõponat.

12 Contulit a se ad eundem Carolum, qui Metis comitia augustalia indixerat, Carolus ipsius nepos ex sorore dux Normanniæ, vt illum ad præstandam laboranti regno opem permoueret: nec enim modo Anglici belli terrore, Rege iam capto, ac cæso nobilitatis flore; sed intestinis etiam seditionibus fluctuabat: Regis Nauarræ frater Normanniam ob illum in vinculis tentum infestabat; plebeij furebant in nobiles, ipsorum proditione vel ignauia Regem captum: qua etiam nota aspergebatur Gallici sceptri heres ipse, qui vna cum agmine suo post leue prælium fuga arrepta, Ioannem deseruisset. Conuenisse Metis Francorum & Anglorum oratores cum Carolo Imperatore ad festa natalitia Domini, sed nullam concordiæ rationem a Germania principibus inter Francos Anglosq; conciliari potuisse refert Villanus b, de quo etiam meminit Rebdorfius his verbis c: *Mense decembri præscriptus Imperator vocatus per dominos & ciuitates regni Franciæ post bellum præmissum venit in ciuitatem Metensem, vbi iura imperij & claues ciuitatis ab incolis requisiuit: & per dominum Innocentium Papam Cardinalis Petragoricensis transmissus ad ipsum, ac filius Regis Franciæ consanguineus Imperatoris, qui de bello suprascripto cum multis armatis fugit, ac multitudo magna principum Alemãniæ & Franciæ conuenit ad ipsum: et per festum natiuitatis dominicæ fuerunt apud ipsum. Demum transijt in ducatum Brabantiæ, et huiusmodi guerram sedauit.*

a Eod. to. 4. ep. secr. pag. 240. & tom. 3. collect. Plat. pag. 103.

Galli ciuili bello implicitI.

Conuentus Metis habitus ab. Imp.

b Matth. Vill. l. 5. c. 46.

c Rebd. in annal. hoc ann.

Adhibuerat Pontifex pro sopiendo eo bello inter Brabantiæ ducem Vvenceslaum ac Ludouicum comitem Flandriæ suborto Caroli Imperatoris auctoritatem, ad quem ea de causa Petrum episcopum Cameracensem miserat, vt ostendunt pontificię literę ad Imperatorem ipsũ, nec non ad Vvenceslaum ducem & Ludouicum comitem datæ d: demumque pax inita, Mechliniaq; Flandriæ comitis potestati permissa. Ita sæuissimum bellum restinctum Pontificis & Caroli Imperatoris studio. Agunt de eodem bello inter alios Rebdorfius e, Matthæus Villanus f, Ioannes a Leydis g ac M. S. Vaticanum, cuius verba decerpemus h: *Guerra, inquit, terribilis et fortis surrexit inter ducem Brabantiæ, suum germanum, et comitem Flandriæ, ipsorumque communitates et gentes anno 11. suæ coronationis imperij; fuitque bellum campestre inter dictos Brabantinos et Flandrenses prope Bruxellas: quod bellum Flamenghi obtinuerant, et circa octo millia Brabantinorum mor-*

Bellum inter Belgã & Brabantiones.

d To. 4. ep. secr. pag. 234.

e Rebdorf. in annal.

f Matth. Vill. l. 7. c. 28.

g l. 30. a Leydis l. 30. c. 16. Aegid.

a R. yan. in annal.

vel Mey. e hist. Fland l. 11.

h M. s. bibl Vat. sign. n. 2040.

Vvenceslao duci restituta Brabantia.

mortui ceciderunt: et facto bello totus ducatus Brabantia fuit in gubernationem et ad mandata comitis Flandrea per plures menses: et paulo post dictus dux recuperauit totum ducatum prater Malinas.

Metenses conuentus. a Rebdorf. in annal. b Argent. in chron. c Lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 401. ext. etiam in arce S. Angel. et inter collect. Platin. to. 3. pag. 103. 128. & 156. & apud Goldast. in collect. const. imperial. to. 1. in Carolo IV. Ad eos delphinus accedit.

13 Quodad Carolum Imperatorem attinet; agit pluribus Rebdorfius [a] de Metensis conuentus splendore ac magnificentia; cui etiam consentanea Albertus Argentinensis [b] & alij referunt: extantque in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ [c] plures leges ab Imperatore in eo promulgatæ hoc præfixo titulo.

Infrascripta leges promulgata sunt in curia Metensi per dominum Carolum IV. Romanorum Imperatorem et Boemia Regem Augustum anno Domini MCCCLVI. *in die natalis Christi, assidentibus sibi omnibus sacri Romani imperij electoribus, prasentibus dominis venerabili in Christo patre domino Talayrando episcopo Albanensi S. R. E. Cardinale, ac Carolo Regis Francia primogenito Normannia duce illustri ac delphino Viennensi.* Prima lege statuuntur grauissimæ pœnæ in eos, qui in necem electorum principum coniurarint. Deinde ad eorumdem electorum principatus confirmandos sancitum, ne Boemiæ regnum, palatinatus Rheni, ducatus Saxoniæ, & marchionatus Brandeburgensis, atque alia ditio beneficiaria, vectigalesque vrbes, agriue discindi possint aut dissolui: sed principatus, dignitas, & amplitudo in vno capite, maiori scilicet natu filio, qui fratribus ac sororibus benignum se impertiturus sit, retineantur. Subijcitur deinde pompæ ordo, cum Imperator instructo agmine, augustali ornatu insignis ad comitia pergit. Describuntur etiam principum munera in huiusmodi conuentibus exercenda. Definitum quæ stipendia officialibus tribuenda, cum principes imperatorio beneficio ac liberalitate ditionem acceptam profitentur. Denique, vt principes electores linguas calleant pro expediendis negotijs audiendisque exterarum gentium oratoribus, hac lege cautum.

De filijs principũ instruendis.

Statuimus vt illustrium principum, puta Regis Boemia, comitis Palatini, ducis Saxonia, & marchionis Brandeburgensis electorum filij vel heredes & successores, cum verisimiliter Theutonicorum idioma sibi naturaliter inditum sciri prasumatur, & ab infantia didicisse, incipiendo a septimo atatis sua anno in grammatica, Italica & Sclauica linguis instruantur; ita quod infra quartumdecimum atatis annum existant in talibus iuxta datam a Deo gratiam eruditi: cum illud non solum vtile, immo ex causis pramissis summe necessarium habeatur; eo quod illa lingua vt plurimum ad vsum & vtilitatem sacri imperij frequentari sint solita, & in ijs plus ardua ipsius imperij negotia ventilentur. Lata est in ijsdem Metensibus cœtibus sententia [d] a Ruperto comite palatino, eodemque archidapifero Cæsaris & duce Bauariæ, qua septemuiratus dignitas iusque creandi Cæsaris, ne qua de ijs controuersia moueretur Regi Boemiæ, asserta est. Consignatur id decretum hac loci & temporis nota. *Datum Metis anno Domini* MCCCLVI. *proxima dominica ante festum B. Lucia virginis.*

d Ext. apud Goldast. in coll. ledum imperial. Boemo asseritur ius creandi Cæsaris.

14 Celebrarat ante Carolus ineunte hoc eodem anno Nurembergæ alia ordinum imperij comitia, de quibus hæc narrat Rebdorfius [e]: *Mense ianuario idem Imperator conuocat curiam in Nuremberg, in qua archiepiscopi Moguntinensis, Coloniensis, Treuerensis, & alij principes conueniunt electores, & quamplures alij: sed filij Ludouici duo, Ludouicus marchio Brandeburgensis & dux Stephanus ad hanc curiam non conueniunt, timentes potentiam Imperatoris pradicti: Ludouicus vero dictus Romanus etiam filius Ludouici bene interfuit huic curia cum magno apparatu, & de marchionatu Brandeburgensi per Imperatorem est inuestitus ibidem.* De ijsdem celeberrimis comitijs Nurembergæ a Carolo Imperatore habitis, in quibus ad componendas res imperij constituendasque, leges tulit, meminit vitæ Innocentij auctor [a], de Carolo loquens, his verbis: *Dum ad Alamaniam peruenisset, vocatis principibus in* * *Varembereb, multas leges edidit, & constitutiones fecit, statum & vtilitatem imperij concernentes, ad pacem & concordiam inter ipsum & ecclesiam conseruandas.* Extant eæ in molis Adrianæ tabulario, & inter illustria monumenta iussu Sixti IV. a Platina collecta [b] & in libro priuilegiorum [c] Romanæ ecclesiæ M. SS. Vaticani tabularij, e quo præcipuas decerpemus, quarum ferendarum causas, rationes, locum, ac tempus Imperator his verbis consignat.

e Rebdorf. in annal. Alia comitia Nurembergæ habita.

a Gesta Innoc. VI apud Bosq. Præcipua in eo gesta. * Nuremberch

b Ext. in arce S. Angel. & inter collect. Plat. to. 3. pag 86. c Lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 401. ext. etiam apud Pann. post lib. de comitiis Imp. & apud Goldast. in collect. const. imper. in Carol. IV. to. 1.

Infrascriptas leges ad vnitatem inter electores fouendam, & electionem vnanimem inducendam, ac detestanda diuisioni pradictis varijs periculis ex ea sequentibus aditum pracludendum, in solemni curia nostra Nurembergensi, assidentibus nobis omnibus principibus electoribus ecclesiasticis & secularibus, ac aliorum principum, comitum, baronum, procerum, nobilium, & ciuitatum multitudine numerosa, in solio maiestatis casarea imperialibus infulis insignijs, & diademate decorati, matura deliberatione pramia de imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimusque & duximus faciendas sub anno Domini MCCCLVI. *nona indict. 10. id. ianuarij regnorum nostrorum anno x. imperij vero 11.* Cauet primum pluribus legibus de tuto ac libero commeatu præstando septemviris, cum ad comitia pro creando Rege Romanorum erunt profecturi, quinquenos stipaturi sint, designat. Quo vero ritu a Moguntino archiepiscopo principibus, mortuo Imperatore, interregnum sit significandum, atque indicendi solemnes septemuirum conuentus, celebrandiue Francofurti, vel quo succincti comitatu adituri sint, his verbis sancit.

De creando Rege Romanorum.

15 *Cum ad hoc peruentum fuerit quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in diœcesi Moguntinensi constiterit, ex tunc infra vnum mensem, a die notitia obitus huiusmodi continue numerandum, singulis principibus electoribus obitum ipsum & intimationem, de quibus pramittitur, per archiepiscopum Moguntinensem iubemus et decernimus suis patentibus literis declarari. Quod si idem archiepiscopus in executione et intimatione huiusmodi negligens aut remissus fortassis existeret, ex tunc ijdem principes motu proprio, etiam non vocati, pro fidei sua virtute, qua sacrum prosequi tenentur imperium, posthac infra tres menses, sicut in constitutione supra proximo posita continetur, in ciuitate Franckenfort sapedicta conueniant electuri Regem Romanorum in Casarem promouendum. Debet autem vnusquisque princeps elector vel sui nuncij pradictam ciuitatem Frankenford cum ducentis equitaturis tantummodo prafata electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos vel pauciores introducere secum poterit, sed non plures. Princeps vero elector ad electionem huiusmodi vocatus & requisitus, & ad ipsam non veniens vel legales nuntios cum literis patentibus sigilla sua maiore sigillatis, plenamque & liberam ac omnimodam potestatem continentibus ad eligendum Romanorum Regem futurum*

Vt conuenire debeant electores.

Equitum stipatorũ numerus.

Suffragii iure excidat, qui e conuentu abest.

rum Imperatorem non dirigens, aut veniens, aut huiusmodi nuntios forsitan transmittens, si postea princeps ipse aut prædicti nuntij a prædicto electionis loco recederent Rege Romanorum futuro Cæsare non electo, nec ad præmissa procuratore legitimo substituto solemniter & relicto, electionis voce seu iure, quod in eadem electione habuit & tali modo deseruit, careat ea vice.

Sacramento mutuam concordiam seruent.

Iniungimus autem ciuibus de Franckenford & mandamus, ut ipsi vniuersos principes electores in genere & quemlibet eorum ab inuasione alterius, si quid inter eos aduersitatis emergeret, & etiam ab omni homine cum omnibus eorum hominibus, quos ipsi & eorum quilibet in præfato ducentorum suorum equorum numero ad præfatam duxerint ciuitatem; in virtute iuramenti, quod super hoc ipsos ad sancta præstare statuimus, fideli studio & solerti diligentia protegant ac defendant: alioquin periurij reatum incurrant, & nihilominus omnia sua iura, libertates, priuilegia, gratias, & indulta, quæ a sacro obtinere noscuntur imperio, omnino amittant, etc. Incussæ aliæ pœnæ: tum prohibiti quemquam alium, dum agitur de eligendo Rege, in vrbem inducere. Dein seruandi in electione ritus his verbis descripti.

De peragenda diuina re.

16 *Postquam autem sæpedicti electores seu nuntij ciuitatem Franckenford ingressi fuerint, statim sequenti die diluculo in ecclesia S. Bartholomæi Apostoli ibidem in omnium ipsorum præsentia missam de sancto Spiritu faciant decantari ad finem, ut ipse sanctus Spiritus corda ipsorum illustret, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quatenus ipsi suo suffulti præsidio hominem iustum, bonum, & vtilem eligere valeant in Regem Romanorum futurumque Cæsarem, ac pro salute populi Christiani. Peracta quoque missa huiusmodi, omnes illi electores seu nuntij accedant ad altare, in quo missa eadem extitit celebrata: vbi principes electores ecclesiastici coram euangelio B. Ioannis, In principio erat Verbum; quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reuerentia supponant: seculares vero principes electores dictum euangelium corporaliter manibus suis tangant: qui omnes cum tota sua familia tunc ibi debebunt inermes assistere. Et archiepiscopus Moguntinensis formam iuramenti eis dabit, & vna cum ipsis, & ipsi vel absentium nuntij vna cum eo iuramentum præstabunt vulgariter in hunc modum.*

Sacramento præstando ab electoribus.

Illius formula.

Ego N. archiepiscopus Moguntinensis sacri imperij per Germaniam archicancellarius & princeps elector iuro ad sancta Dei euangelia, hic præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem, qua Deo & sacro Romano imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem & intellectum meum cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Christiano, idest, Regem Romanorum in Cæsarem promouendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio & sensus mei me dirigunt: & secundum fidem prædictam vocemque meam, & votum seu electionem præfatam dabo absque omni pacto, stipendio, pretio, seu promisso, vel quocumque modo talia valeant appellari. Sic me Deus adiuuet, & omnes sancti.

Non discedendum Franco furto nisi creato Rege.

17 *Præstito denique per electores seu nuntios in forma & modo prædictis huiusmodi iuramento, ad electionem procedant: nec amodo de eadem dicta ciuitate Francoford separentur, nisi prius maior pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, Regem videlicet Romanorum in Cæsarem promouendum. Quod si facere distulerint infra triginta dies, a die præstiti iuramenti præfati continuo numerandos, ex tunc transactis eisdem triginta diebus amodo panem manducent & aquam, * . . . & nullatenus ciuitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos vel maiorem partem ipsorum rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, ut præfertur. Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars eorum maior numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus, nemine discrepante, concorditer celebrata: sique per tempus aliquod morari, abesse, & tardare contingeret aliquem de electoribus seu nuntijs antedictis, dum tamen veniret, antequam prædicta esset electio celebrata, hunc ad electionem ipsam in eo statu admitti decernimus, in quo ipsa aduentus sui tempore consistebat.*

* bibant

18 *Et quia de antiqua, approbata, & laudabili consuetudine inconcusse quod subscribitur semper extitit hactenus obseruatum, idcirco & nos constituimus, & de imperiali decernimus plenitudine potestatis, quod is, qui modo præmisso in Regem Romanorum electus fuerit, peracta statim electione huiusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis siue negotijs virtute sacri imperij administret, vniuersis & singulis principibus electoribus ecclesiasticis & secularibus, qui propinquiora sacri imperij membra esse noscuntur, omnia ipsorum priuilegia, literas, iura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipsi ab imperio vsque in diem electionis suæ obtinuerunt & possederunt, absque dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per suas literas & sigilla, ipsisque præmissa omnia innouare, postquam imperialibus infulis fuerit coronatus. Confirmationem autem huiusmodi electus ipse cuilibet principi electori in specie primo suo regali nomine faciet, & deinde sub imperiali titulo innouabit: et in his ipsos principes omnes in genere, & quemlibet eorum in specie nullatenus impedire; sed potius absque dolo gratiose tenebitur promouere. In casu denique, quo tres principes electores præsentes seu absentium nuntij quartum ex se seu ipsorum consortio, videlicet principem electorem præsentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi, si præsens affuerit, aut nuntiorum ipsius, si eum abesse contingeret, plenum vigorem habere & eligentium augere numerum, partemque maiorem decernimus constituere ad instar cæterorum principum electorum.*

Creatus Rex principum immunitates cõfirmet.

Tres electores quartum possunt eligere.

19 Ad dirimendas contentiones, quæ de sedium dignitate atque ordine inter septemuiros principes exoriri possent, hic ordo præscriptus. Primum, quod spectat ad archiepiscopos, ita constituit Carolus.

De dignitate sediũ principũ electorũ.

De imperatoriæ potestatis plenitudine ac edictali lege perpetuo valitura sancimus, quod supradicti venerabiles archiepiscopi, Treuerensis videlicet ex opposita lineari directione versus Imperatoris faciem, Moguntinensis vero in suis diœcesi & prouincia, & extra prouinciam suam in toto archicancellariatu suo Germanico, prouincia Coloniensi duntaxat excepta, & demum Coloniensis in suis diœcesi & prouincia & extra prouinciam suam in tota Italia & Gallia in dextro latere Romanorum Cæsaris sedere possint, valeant, & debeant in omnibus publicis actibus imperialibus; puta iudicijs, collationibus feudorum, & in refectionibus mensarum, ac etiam in concilijs & omnibus aliis agendis, propter quæ contingit seu continget eos pro honore seu vtilitate imperiali tractandis mutuo conuenire. Et hunc modum sessionis sub omni eo ordine, sicut expressatur superius, ad prædictorum Coloniensis,

Earum ordo inter electores archiepiscopos.

Treuerensis, & Moguntinensis archiepiscoporum successores perpetuo extendi volumus, vt nullo vnquam tempore super his quæstio dubietatis generetur.

29 *Statuimus insuper, vt quotiescumque imperialem curiam ex nunc in antea celebrari contigerit, in qualibet sessione, videlicet tam in consilio, quam in mensa & locis alijs quibuscumque, vbi Imperatorem vel Regem Romanorum cum principibus electoribus sedere contiget, a dextro latere Imperatoris vel Regis Romanorum immediate post archiepiscopum Moguntinensem vel Coloniensem, illum videlicet, quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate prouinciarum iuxta priuilegij sui tenorem dicto lateri dextro Imperatoris assidere contigerit, Rex Boemiæ, cum sit princeps coronatus & vnctus primum, & post eum continuo comes Palatinus Rheni secundum sedendi loca debeant obtinere. Ad sinistram vero partem immediate post illum, quem cum prædictis archiepiscopis in latere sinistro sedere continget, primum locum dux Saxoniæ, & post eum marchio Brandeburgensis alterum obtineat. Cæterum quoties & quando deinceps sacrum vacare contiget imperium, ex tunc Moguntinensis archiepiscopus potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dignoscitur ab antiquo, cæteros principes antedictos suos in dicta electione consortes literatorie conuocandi. Quibus omnibus seu his, qui poterunt & voluerint interesse, in electionis termino simul congregatis, dictus archiepiscopus Moguntinensis, & non alter, eorundem electorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequenti.*

Inter electores laicos.

Primo quidem interrogabit a Treuerensi archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut inuenimus hactenus competiisse: secundo a Coloniensi archiepiscopo, cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum diadema regium imponendi: tertio a Rege Boemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis fastigio iure & merito obtinet primatiam: quarto a comite palatino Rheni: quinto a duce Saxoniæ: sexto a marchione Brandeburgensi. Horum omnium vota præmisso iam ordine dictus archiepiscopus Moguntinensis perquiret: quo facto, dicti principes sui consortes ipsum vice versa requirent, vt & ipse intentionem suam exprimat, & ipsis aperiat votum suum.

Moguntinus suffragia scrutatur. Quo ordine.

Præterea in celebratione imperialis curiæ marchio Brandeburgensis aquam lauandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus ministrabit: primum vero potum Rex Boemiæ, quem tamen sub regali corona iuxta priuilegiorum suorum continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare. Comes etiam Palatinus cibum afferre tenebitur; & dux Saxoniæ marescallatus officium exercebit, vt solitum est fieri ab antiquo.

Officia electorū.

31 *Quoties insuper, vt præmittitur, sacrum vacare continget imperium, illustris comes Palatinus Rheni sacri imperij archidapifer ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueuiæ, & in iure Franconico ratione principatus seu comitatus Palatini priuilegio esse debet prouisor imperij cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi redditus & prouentus, & inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis vice & nomine sacri imperij recipiendi. Quæ tamen per Regem Romanorum postea electum suo tempore omnia innouari, & de nouo sibi iuramenta ipsa præstari debebunt, feudis principum dumtaxat exceptis, & illis, quæ vanlehen vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli imperatori vel Regi Romanorum specialiter reseruamus. Ipse tamen comes Palatinus omne genus alienationis seu obligationis iurium imperialium huiusmodi prouisionis tempore expresse sibi nouerit interdictum. Et eodem iure prouisionis illustrem ducem Saxoniæ sacri imperij archimarescallum frui volumus in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus, sicut superius est expressum. Et quamuis Imperator siue Rex Romanorum super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat (sicut ex consuetudine introductum dicitur) coram comite Palatino Rheni sacri imperij archidapifero electore principe respondere; illud tamen iudicium comes ipse Palatinus non alibi præterquam in imperiali curia, vbi Imperator seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere.*

Palatinus vacuo solio in qua imperij parte administrator sit.

In qua Saxo.

Ad anteuertendas etiam discordias, quæ de ferendis in creando Rege Romanorum suffragij iure inter principes ex eadem stirpe satos exoriebantur; ac deinde, vt vidimus, intestina imperio bella inuexerant, hac lege a Carolo de successione regni Boemiæ, palatinatus Rheni, ducatus Saxoniæ, ac marchionatus Brandeburgensis cautum est.

Decernimus, vt postquam iidem principes electores seculares, & eorum quilibet esse desierint, ius, vox, & potestas electionis huiusmodi ad filium suum primogenitum legitimum laicum, illo vero non existente, ad eiusdem primogeniti primogenitum similiter laicum & sine contradictione cuiusquam deuoluatur. Si vero primogenitus huiusmodi absque heredibus masculinis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute præsentis imperialis edicti ius, vox, & potestas electionis prædictæ ad seniorem fratrem laicum per veram paternam lineam descendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur: & talis successio in primogenitis & heredibus principum eorundem iure, voce, & potestate præmissis perpetuis temporibus obseruetur; ea tamen conditione & modo, vt si principem electorem, vel eius primogenitum, aut filium seniorem laicum mori, & heredes masculos legitimos laicos defectum ætatis patientes relinquere contingeret, tunc frater senior eiusdem primogeniti tutor eorum administrator existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in principe electore decem & octo annos completos censeri volumus, & statuimus perpetuo haberi: quam dum attigerit, ius, vocem, & potestatem & omnia ab ipsis dependentia tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur prorsus assignare. Si vero aliquem ex huiusmodi principatibus ipsorum Imperio sacro vacare contingeret, tunc imperator seu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipso prouidere debebit & poterit tanquam de re ad se & imperium legitime deuoluta: saluis tamen semper priuilegijs, iuribus, & consuetudinibus regni nostri Boemiæ super electione Regis in casu vacationis, per regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Boemiæ, facienda, &c.

Primogenitus laicus patri electori succedit.

Quo casu frater succedat.

De principatu vacante Cæsar prouidet.

32 Adiectæ aliæ leges de Boemorum immunitatibus, vt extra regnum accersiri in iudicium non possint: de fodinis auri, argenti, alteriusue metalli in regno Boemiæ constitutis: de auro argentoque signando: de Treuirensis, Coloniensis, & Moguntinensis archiepiscopatuum clientibus, ad subsellia iudicum extra eorum fines non vocandis; qua prærogatiua cæteri

Latæ de regno Boemorum leges.

lai-

laicorum electorum subditi etiam exornati: de solemnibus imperij conuentibus habēdis. Abrogata priuilegia quibusuis concessa, quæ septemuirum dignitati & iuribus detrahebant: ac plura alia de fiduciarijs clientibus, de opprimendis coniuratoribus, tuendis vrbium iuribus, scelestisque reprimendis constituta. Ad fouendam præterea inter septemuiros coniunctionem animorum præscripta est ab Imperatore literarum forma, suis concepta verbis, quibus coelectores ad comitia in interregno pro Rege designando vocandi sint: si princeps procuratorem ad id constituat, qua ratione procuratio committenda conficiendaue: definitum etiam qui admittendus ad comitia, cum duo de principatu disceptant.

Lex de non dispescendo septemuiralibus principatu.

Præsenti edicto imperiali perpetuo valituro sancimus, vnumquemque principatuum prædictorum, cum iure & voce electionis, ac officio, cæterisque omnibus dignitatibus, iuribus, & pertinentijs ad ipsum spectantibus ita perseuerare & esse debere vnitum perpetuis temporibus indiuisibiliter & coniunctim, quod possessor principatus cuiuslibet etiam iuris, vocis, officij, dignitatis, & pertinentiarum omnium ad illum spectantium quieta debeat & libera possessione gaudere, ac princeps elector ab omnibus reputari: ipseque & nemo alius per cæteros principes electores ad electionem & omnes actus alios, pro sacri imperij honore vel opportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione qualibet & admitti, nec aliquid præmissorum ab altero, cum sint & esse inseparabilia, diuidi vel nullo tempore debeant separari, aut in iudicio vel extra diuisim repeti valeant vel euinci, vel etiam per sententiam separari, nec aliquis vnum sine alio impetens audiatur. Quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut processus, iudicium, sententia, vel aliquid huiusmodi contra dispositionem nostram emanauerit, seu quomodolibet attentari contigerit, hoc totum, & omnia ex his & quolibet eorum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

Ordo in septemuirũ incessu.

23 Descriptus præterea ordo, quo instructo agmine religioso vna cum Imperatore incedant septemuiri: *Archiepiscopus Treuerensis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem transeat, illique soli medij inter eos ambulent, quos imperialia vel regalia continget insignia deportare. Dum autem Imperator vel Rex absque insignijs eisdem incesserit, ex tunc idem archiepiscopus Imperatorem vel Regem præfato modo præcedat; ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, alijs duobus archiepiscopis electoribus loca sua iuxta distinctionem prouinciarum suarum circa sessionem superius declaratam etiam circa processionem perpetuo seruaturis.* Et infra: *Dux Saxoniæ, imperialem seu regalem ensem deferens Imperatorem seu Regem immediate præcedat, & inter illum & archiepiscopum Treuerensem medius habeatur: comes vero Palatinus pomum imperiale portans a latere dextro, & marchio Brandeburgensis sceptrum deferens a sinistro latere ipsius ducis Saxoniæ linealiter gradiantur: Rex autem Boemiæ Imperatorem seu Regem ipsum immediate, nullo interueniente, sequatur.*

Quis inter archiepiscopus seruand°.

Quoties insuper in Imperatoris vel Regis Romanorum præsentia missarum solemnia celebrari, ac Moguntinensem, Treuerensem, & Coloniensem archiepiscopos vel duos ex eis adesse contigerit, in confessione, quæ ante missam dici consueuit, ac in porrectione euangelij osculandi, & pace post Agnus Dei portanda; nec non in benedictionibus post finita missarum solemnia, ac etiam ante mensam faciendis, & in gratijs post cibum acceptum agendis, is inter eos ordo seruetur, prout de ipsorum consilio duximus ordinandum, quod prima die hæc omnia & singula a primo, secunda a secundo, tertia vero a tertio peragantur: primum autem vel secundum aut tertium hoc casu secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit, debere intelligi declaramus. Et vt se inuicem honore condigno præueniant, & exemplū alijs præbeant inuicem honorandi, is quem circa præmissa ordo tetigerit ad hoc alterum conuenienter & charitatiua inclinatione inuitet: & tunc demum ad præmissa procedat, seu quodlibet præmissorum. At de cæsareis rebus hactenus; nunc ad Vngaricas traducenda narratio.

Ludouic° Vng. Rex

24 Hoc anno Ludouicus Vngariæ Rex, cum Stephanus Rex Rasciæ, qui antea ad Romanæ ecclesiæ coniunctionem Vngaricæ potentiæ terrore se rediturum spoponderat, in hæresi & schismate obdurescerct, sacram, auctore B. Petro Thoma episcopo Pactensi apostolico internuntio, qui e Rascia in Vngariam se contulerat, expeditionẽ in eum decreuit, vt regnum illud Vngarico imperio adiungeret, atque ex eo hæresim & schisma excinderet. De quo Card. Baronius a in suis ad hunc annum notis hæc apposuit: *Anno Christi MCCCLVI. indictione IX. Ludouicus Rex Vngariæ præliaturus aduersus Rascios, quod illorum regnum pertineret ad Vngariæ ditionem, legationem misit ad Romanum Pontificem, vt pro hac ipsa causa crucem indiceret; spondens idem regnum ad arbitrium sedis Apostolicæ dispositurum. Habentur literæ libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Adducendas in medium ex eodem libro priuilegiorum b, atque ex codice M. S. Vallicellano c decerpendas regias literas duximus.

Rasciæ bellum indicit.

a Card. Baron. in not M. S. bibl. Vall.

b Lib. priu. Rom eccl. to 2. pag. 185. ext. etiam in arce S. Angeli.

De pio illius studio ad schisma in eo regno excindendum.

c M. S. bib. Vall. sign. lit. B n. 12 pag. 146.

Nos Ludouicus Dei gratia Rex Vngariæ: Notum facimus vniuersis præsentes literas inspecturis, quod cum nos iam diu, diuina gratia fauente ac Domino inspirante, & vt catholicus & Christianissimus princeps optauerimus, & affectanter optemus intuitu Dei & sanctæ matris ecclesiæ, ac totius fidei Christianæ, & ad ipsius laudem & augmentationem regnum nuncupatum Rascię, quod iuris prædecessorum nostrorum ac nostri fuit & existit, & quod de facto tentum est & tenetur occupatum per sanctæ & vnicæ matris ecclesiæ rebelles, schismaticos, infideles, & catholicæ fidei contemptores, atque vesanos, ipsum regnum ad fidem Christianam & sanctæ matris ecclesiæ vnitatem, obedientiam, reuerentiam debitam, & honorem, & ad ius nostrum trahere & reducere, prout etiam tenemur, & ad prædicta ex debito sumus astricti; potissime cum regnum illud nostro, quod possidemus, contiguum existat, & propterea crucem sanctam sumere, & per subditos nostros, in quantum possumus, sumi facere incessabili affectione peroptemus; hinc est, quod sanctissimus in Christo pater & dominus noster dominus Innocentius, diuina prouidentia Papa VI. auditis & intellectis præmissis optatu & affectione nostris sanctitatique suæ intimatis, seu relatio per dilectum Ioannem capellanum nostrum, seu alios de prædictis notitiam habentes, per suas patentes literas apostolicas more Romanæ curiæ bullatas nobis filio obedientiæ scribere dignatus est, præfatos affectum & voluntatem multipliciter commendando, ac sibi seu sanctitati suæ grata & accepta significando.

VI pactus sit cum Innocentio.

Vnde mouemur & inducimur formam,

Rr 2 mo-

modum, conditionem, & statum, secundum quos prædicta intendimus adimplere, sanctitati suæ notificare, & procuratores seu procuratorem, nuntium seu nuntios specialiter ad hoc constitutos destinare, qui in animam & super animam nostram ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta iurent seu iuret, quod ipsos modum & formam infrascriptos attendemus & obseruabimus, ac attendi & obseruari faciemus omni posse totaliter extenso.

25 Quapropter, prædicta sic (diuina gratia fauente) excogitata, ac nutu diuino ad propositum nostrum iam diu deducta exequi volentes, prout possumus & debemus, auctoritate, licentia, & assensu ipsius sacratissimi Pontificis prædicti, ac sanctæ sedis Apostolicæ, vt merito dici valeamus iustum & catholicum bellum inire, fouere, & habere, prout etiam vere fouemus & habere nitimur, per præsentes literas seu instrumentum sigillo nostro maiori meliori modo, iure, & forma quibus possumus, facimus, constituimus, creamus, & ordinamus nostrum certum missum, nuncium, factorem, ac legitimum specialem, & indubitatum procuratorem, & alias quicquid dici, & esse melius posset; videlicet honorabilem virum dominum Stephanum Vaudensis ecclesiæ præpositum cappellanum nostrum fidelem & specialem, specialiter ad comparendum coram domino nostro Papa, vel ab eo seu a sede Apostolica ad hoc deputato, seu coram sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus pro obtinendo, & ad obtinendum pro nobis quascunque literas apost. in præmissis & circa præmissa, & quodlibet eorundem necessarias seu opportunas; & ad iurandum in manibus dicti domini Papæ, seu cuiuscunque super hoc potestatem seu consensum habentis, in animam & super animam nostram, & ad sancta Dei euangelia corporaliter tacta, quod præfatum bellum, seu verius sanctæ crucis assumptionem contra prædictos facimus, inimus, seu facere, inire, & habere satagemus, & properamus ad honorem domini nostri Iesu Christi & eius sanctæ matris gloriosæ Virginis Mariæ, & ad honorem, reuerentiam, & laudem sanctæ Romanæ ecclesiæ, & zelo fidei Christianæ inducti, & ad ipsius augmentationem, nec non ad nostri memoriam bonam in posterum recolendam; & ad conseruationem & confirmationem iuris nostri, quod prædecessoribus nostris & nobis competijt & competit, ne de negligentia seu desidia argui valeamus: & quod regna, ciuitates, castra, terras, villas, & alia loca, quæ per fideles Christianos teneantur, prætextu præmissorum inuadere seu occupare minime intendimus, nec nostræ intentionis existit, præterquam ad passum seu transitum faciendum: nec non quod ipsum regnum, ciuitates, castra, villas, terras, & tenutas, quæ de dicto regno, Deo annuente, nos inuadere, recuperare, & habere continget, vltra ius debitum non grauabimus: sed suis priuilegijs antiquis & laudabilibus & honestis vti volumus & permittemus, & ad vnitatem, reuerentiam, & obedientiam in diuinis dictæ S. R. E. deducemus, prout facultas nobis erit, & potestas, Domino concedente: & quod ecclesias, monasteria, & alia pia loca ad libertates ecclesiasticas, ac sua priuilegia & immunitates deducemus, & reduci faciemus: & ipsa in eisdem conseruabimus, & alias honorem & statum ipsorum augmentabimus iuxta posse: ac quod parati sumus & erimus quandocunque, quinimmo affectamus recipere legatum apostolicum, qui crucem prædicet contra prædictos, & alias faciat, prout & quemadmodum dicto domino nostro Papæ, & sedi Apostolicæ placuerit, & visum fuerit opportunum.

De misso oratore.

Quæ spōsiones nūcupatæ.

De fidelium iuribus non inuadendis.

Tuenda Rassiorū libertate.

Instauranda ecclesiastica immunitate.

26 Item alias facimus, constituimus, & ordinamus dictum procuratorem ad iurandum, promittendum, & faciendum quicquid & quæque circa præmissa, & quodlibet præmissorum fuerint necessaria seu opportuna, & etiam si talia sint, quæ mandatum exigant speciale, & etiam quæ præsens procuratio emissa non præstabit, quæ nosmet facere possemus si personaliter essemus præsentes; promittentes in omnibus, & per omnia stare & obedire mandatis, dispositioni, & ordinationi dicti domini Papæ, sacrique collegij Cardinalium, & sanctæ sedis Apostolicæ in his, quæ in præmissis & circa præmissa visa fuerint necessaria seu opportuna, & eius seu eorum arbitrio cuilibet conquerenti omnia damna & interesse occasione præmissorum per nos illata (quod tamen Deus auertat) resarcire; dantes & concedentes dicto procuratori nostro liberam facultatem, & generale mandatum prædicta faciendi, iurandi, obligandi, & exercendi, vt præmittitur, & alias omni modo, iure, & forma, quibus melius possunt seu poterunt, & quæ nos facere possemus, si præsentialiter compareremus. Et volentes eum releuare ab omni onere satisdandi verbo nostræ regiæ celsitudinis, promittimus nomine & vice quorum interest, seu intererit quomodolibet in futurum, habere ratum & firmum quicquid per prædictum procuratorem nostrum, actum, gestum, & factum fuerit in præmissis & circa præmissa; ex nunc ratum, gratum habemus sub hypotheca, & obligatione omnium bonorum nostrorum præsentium & futurorum, & etiam regni seu regnorum nostrorum, in quantum debemus, possumus, & valemus, præsentium sub nostræ maiestatis testimonio literarum. *Dat. Zagabriæ indictione viii mensis iunij die quarto, anno Domini* MCCC*quinquagesimo sexto*.

27 Cum accessisset ad sedem Apostolicam Stephanus Vngariæ Regis orator, e præposito Vaudensis ecclesiæ Zagabriensis episcopus designatus, contendit a Pontifice [a], vt sacram expeditionem in Rascios hæreticos & schismaticos decerneret, illiusque conficiendæ Ludouico Vngariæ Regi prouinciam daret: cuius petitis assensisse Innocentium, indicat Matthæus Villanus [b], dum ait, Pontificem mense augusto maximis honoribus Regem Ludouicum affecisse, illumque in Cardinalium consistorio signiferum ecclesiæ aduersus infideles creasse: quibus subiectæ pontificiæ ad Vngarum literæ consentiunt [c].

Indicta sacra expeditio in Rascios.

[a] To. 4. ep. secr. pag. 165.

[b] Matth. Vill. l. 6. c. 60.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

[c] Eod. to. 4 ep. secr. pag. 150.

Per venerabilem fratrem nostrum episcopum Pactensem & dilectum filium electum Zagabriensem nuntium tuum & literas regias nobis exhibitas per eundem nuntium, quas & eum benigne placideque recepimus, nobis nouiter intimasti, quod tu moleste ferens iniurias, contumelias, & opprobria, quæ Redemptori tuo per eosdem schismaticos & hæreticos dicti regni Rassiæ ac terrarum, quæ Orosij se Regem Rassiæ nominantis subsunt tyrannidi, & quæ vicinantur eisdem, iugiter inferuntur; illaque vltrici dextera tua cupiens vindicare, ac desiderans, vt schismaticorum & hæreticorum ipsorum allisa perfidia,

Pontificiæ de ea literæ.

ac

ac confutatis & eradicatis erroribus eorundem, Christiana fides vbique clariore luce resplendeat, & nomen domini Dei tui patris & deuotis catholicorum vocibus collaudetur, eosdem schismaticos & hæreticos sub spe diuini auxilij & fauoris expugnare constanti animo decreuisti; humiliter supplicans, vt ad tam pij, tamque fauorabilis executionem operis tibi spiritualis fauoris præsidio assistentes, aduersus illos crucem, in cuius signo per virtutem eius, qui pependit in illa, ipsius fidei hostes delere confidis, cum consuetis indulgentijs & remissionibus prædicari mandaremus, teque huiusmodi negotij Christiani & populi proficiscentis ad promotionem illius capitaneum generalem constituere dignaremur. His itaque, princeps inclyte, per quæ catholicorum principum, ex quibus ducis originem, prioris ætatis gesta magnifica in memoriam redeunt, & eis adijcitur multæ gloriæ titulus, lætanter auditis & lætantius intellectis, magnificauit anima nostra Dominum, & noster in Deo salutari nostro spiritus exultauit; apud eum deuotas preces & humiles effundentes, vt te in hoc feruore zeli, in hoc ardore spiritus, in hac sinceritate fidei per tempora longiora conseruans, gressus tuos dirigat, actiones informet, processibus faueat, viribus vires adijciat, tibi de solio sancto suo mittat benignus auxilium, & de sede maiestatis eius opportunis te indesinenter fauoribus prosequatur, quatenus in brachio potentiæ tuæ, ac virtutis virga infidelibus quibusque conuersis, & schismaticis & hæreticis prauitatis & errorum suorum abiuratis tenebris, sacrosancta mater ecclesia, toto terrarum orbe in Christi fundatoris rectorisque sui glutino adunata, vna sit fides mentium & pietas actionum. Votis igitur & petitionibus tuis in his de fratrum nostrorum consilio gratanter annuimus, & huiusmodi verbum crucis in eodem regno tuo, & nonnullis partibus alijs (in conficiendis super hoc literis exprimendis) sub certis modis, formis, & conditionibus concessimus proponendum.

Pio Ludouici ardori obsecundatum.

Eia ergo, pugil Christi, athleta Domini, miles fidei Christianæ, accingere gladio, tolle arcum & pharetram, sume arma in virtute illius, qui manus docet ad prælium, & digitos informat ad bellum: in virtute, inquam, eius, in conspectu cuius non est differentia in multis liberare, vel in paucis, & qui belli victoriam fortitudinemque largitur, fidem ipsam impugnantes impugna, & aufer opprobria ipsi tuo exprobrantium Creatori. Et quamquam teneamus indubie quod tu, qui in remotis infideles & schismaticos persecutus es hactenus, & proponis persequi (vt præfertur) eos in ipso regni tui gremio pati non debeas, quoniam reprehensibile esset tibi sustinere in proprijs partibus, quod in alijs execraris; vt tamen feruens in hoc propositum tuum nostris exhortationibus fortius accendamus, serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente precantes, tibique tui honoris ac salutis intuitu paternis & sanis consilijs suadentes, quatenus prudenter attendens, quod ignis, cuius longe positi vitatur incendium, periculosius in proximo est, & serpentis morsus & venena propinqui timenda sunt amplius, quam remoti; ante omnia pelle de Bosnensibus & alijs dicti regni tui partibus hæreticam prauitatem: morbus enim infectiuus est hæresis, & veluti serpens latenter inserpens, facile inficit, simplices maxime, nisi prudentum studio & peritia confutetur, &c. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* III. *id. augusti pontificatus nostri anno* IV.

Addidit simul, vt e Bosnia excinderet hæresim.

28 Cæterum impositæ sunt nonnullæ leges a Vngaro Regi in ijs, quæ ad crucesignatam illam expeditionem spectabant: ad quas seruandas electus Zagabriensis regio nomine sacramento se deuinxit. Qui cum, his gestis, superiores Ludouici literas a Pontifice repeteret, Innocentius Regi significauit, illas de more ob rei dignitatem in Romanæ ecclesiæ tabulario reconditas. Ad conciliandam autem eidem Regi diuinam opem, vt felices triumphos de Rascijs reportaret, atque etiam regnorum successorem ex coniuge susciperet, encyclicis literis fideles ad preces apud Deum ea de re fundendas, propositis quadraginta dierum indulgentijs, pellexit b: *Cum*, inquit, *charissimus in Christo filius noster Ludouicus Rex Vngariæ illustris tactus do'ore cordis intrinsecus super iniurijs & opprobrijs, quæ ab infidelibus & schismaticis regni Rassiæ, ac partium regno vicinarum, eidem fidei memoratæ, immo Christo, qui eiusdem institutor & caput est fidei, multipliciter inferuntur, ad tollendum illa viuificæ crucis insignitus signaculo viriliter se accingat; nos ipsum in tam pio ac laudabili opere, & vt vitæ longioris consequatur spatia, & numerosæ prolis felicitate lætetur, orationum vestrarum opitulatione iuuari apud Dominum, a quo victoria omnis est, quique largitor vitæ ac indultor benignus est sobolis, cupientes; vniuersitatem vestram monemus, requirimus, & hortamur in Domino, vobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus pro victoria & vitæ longitudine Regis ipsius, ac vt eum susceptione prolis amplifica fœcundet omnipotens, apud eum deuotis orationibus insistatis. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vobis vere pœnitentibus & confessis, qui pro præmissis orationes effundetis ad Dominum, quotiens effuderitis illas, quadraginta dies de iniunctis vobis pœnitentijs relaxamus. Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* XV. *kal. septembris anno* IV. Vt felicius bellum hoc sacrum geri posset in Rascios, Pontifex Aquileiensi & Gradensi patriarchis atque archiepiscopo Salisburgensi munus iniunxit c, vt omnes catholicos, qui hæreticis & schismaticis præstarent auxilia, nisi resipiscerent, censuras ecclesiasticas contraxisse denuntiarent.

a Super ep. pag. 165.

Decreta pro victoria adipiscenda preces.

b Ead. to. 4. ep. secr. pag. 162.

Solicitati fideles ad preces fundendas pro impetranda Ludouico prole.

c Ibid. ep. secr. pag. 252.

29 Implicitus porro erat alio cum Venetis bello Vngarus. Iunxerant enim cum Rascijs fœdera Veneti, vt vires aduersus Regis Vngarorum potentiam, cum quo ipsis intercedebat vetus de Iadera ac nonnullis Dalmatiæ locis controuersia, confirmarent; in quos cum Vngarus signa conuerterat, antequam meditatum Rascijs bellum inferret: quo primum nuntio perculsus Pontifex, qui arma stringi in schismaticos non in fideles peroptabat, Bonioannem episcopum Firmanum Apostolicæ sedis internuntium misit, vt Vngaros ac Venetos conciliaret, quo sacra in Rascios expeditio gereretur. Grauissimis vero literis apud Ludouicum est questus d, meditata in hostes fidei arma in catholicos conuerti: *Sperabamus*, inquit, *in eodem regno Rassiæ latentem sub modio lucernam ipsius fidei Christianæ, per ministerium tuum super candelabrum eminentius reponendam, lucere clarius & fulgere limpidius ijs, qui longe sunt, & qui prope. Sperabamus, quod dextera tua infidelium ceruices indomitas, & tumentia colla humiliaret in Domino, & elata*

Cur Veneti fœdus iunxerint cum Rascijs.

d Pag. 118.

schismaticorum contereret cornua, subactisque fidelibus, quos in dicto regno Rassiæ furor tyrannicæ potestatis angariat, beneficium redderet libertatis. Sed ecce extrema gaudij mœror occupat, dulcedo in amaritudinem versa est, & lætitiæ iubilum doloris conuersum est in clangorem: fertur enim, quod pacis æmulus, eiusdem fidei inimicus, Dei negotia satagens impedire, inter te & dilectum filium nobilem virum ducem Venetiarum discordiæ semina spargere nititur, & eo vsque adeo prouocauit, vt robur potentiæ tuæ, quod aduersus ipsius fidei æmulos exercere desiderabas, contra renatos fonte baptismatis experiri conuerterèque proponas. Adiungit preces, vt fœdus cum Venetis redintegret, atque arma in hostes fidei conuertat. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis IV. non. iulij anno IV.* Scriptæ sunt aliæ eodem argumento ad pacem hortatoriæ literæ a.

De intermisso sacro bello querelæ.

a Eod. to. 4. ep. secr. pag. 152.

Obsecutus monitis Pontificijs Ludouicus Rex paratum se ad dirimendas æquitate & beneuolentia controuersias cum Venetis susceptas, & apostolico arbitrio committendas est professus; tum exercitum, quem Venetæ ditioni infuderat, se reuocaturum. Cui Pontifex ob eximia illa concordiæ ineundæ ostensa signa gratias egit. Tũ B. Petrum Thomam Carmelitam episc. Pactensem, vt cœptam concordiam perduceret, transmisit b: solicitauitque Ioannem Gradenicum ducem, vt internuntio apostolico æquas aures præberet: ne respueret pacis consilia, cum bellum illud Venetum Vngariæ Regem ab expeditionis sacræ in Rascios schismaticos consilijs retardaret. Describit eius belli cum Venetis causas euentusque Matthæus Villanus c, Ludouicum scilicet Regem Iaderam atque alia plura in Dalmatia loca, quæ olim ditionis Vngaricæ fuerant, repetijsse; præfectumque d a Carolo Imperatore bello in Venetos pro Taruisio atque alijs vrbibus Romano ereptis imperio, dum intestinis seditionibus exarsit, recuperandis; quadraginta equitum millia extremo iunio marchæ Taruisinæ infudisse: verum inedia in castris ob maximam multitudinem ingrauescente, Germanisque cum Vngaris dissidentibus, Taruisinæ vrbis obsidionem soluere, inque Vngariam abscedere coactum e.

Agitatum de concordia.

b Ib. pag. 153.

c Matth. Vill. l. 6. c. 36. & 60. Bonif. dec. 2. l. 10.

d Matth. Vill. super cap. 60

Dissolut⁹ eius exercitus.

e Cap. 66.

30 Antequam Vngariæ Rex exercitum, cuius aspectu perhorruerat Italia, dissolueret, Pontifex illius in marchiam Taruisinam aduentus occasione vtendum ratus, ad debellandos reliquos tyrannos, qui ditionis ecclesiasticæ in Flaminia vrbes oppresserant, ipsum literis pluribus refertis encomijs solicitauit, vt qui sæpius maximis prælijs Tartaros, Lithuanos, Ruthenos, Rascios obtriuisset, clientelam ecclesiæ susciperet; ipsumq; aduersus Franciscum Ordelaffum & Manfredos, aliosque perduelles ducem ecclesiastici exercitus creauit f.

Solicitat⁹ Vngarus ad porrigendam opem ecclesiæ.

f To. 4. ep. secr. pag. 152. & to. 5 ep. secr. pag. 185.

Innocentius, &c. Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Quanta te, fili charissime, gratiæ suæ vbertate præuenerit distributor ille gratiarum munificus Dei filius Iesus Christus, qui dat omnibus sine improperio affluenter, quamque præcordia tua suæ benedictionis imbre copiose perfuderit, luculenter apparet; ipse namque tibi adhuc iuueniles annos agenti animum prouectioris infudit ætatis: ipse adhuc tenello corpori tuo robustiorem spiritum inspirauit: ipse tuum circa beneplacita sua direxit propositum, firmauit cor, roborauit & mentem; ita vt non mollia quælibet aut leuia, quibus vt plurimum implicari solet iuuentus illecebris multis obnoxia, complexus extiteris: sed velut annis maturior, abhorrens delitias & otia fugiens, ardua quærens appeteres, strenua interciperes, magna & virtuosa diligentius sectareris. Nec satis fuit tibi famæ tuæ clare nascentis auspicia intra regni tui sinus latissimos contineri; immo vt nomen tuum longe lateque clarescerer, peregrinas perlustrare prouincias, & adire nationes extraneas voluisti. In quibus licet more principum studueris ipsius famæ compendija prouidere, principalis tamen ad hoc tua pia dirigebatur intentio, vt Conditoris redemptorisque tui beneplacitis ætatis & operum tuorum primitias deuotus offerres: Probasti hoc certe idololatras Tartaros ab ipsius regni tui finibus in manu forti & excelso brachio coangustans, Hoc sæpe, Lithuanos & Ruthenos infideles impugnans & expugnans potenter & strenue, ostendisti. Hoc sæpius, regni Rassiæ schismaticos & hæreticos inuicta magnitudine persequens, demonstrasti. Hæc, princeps inclyte, regni tui primordia: hæc fundamenta virtutum tuis natalibus debebantur, super quibus actionum tuarum structura consurgens, altius præemineret.

Ludouici elogium.

Præclara eius in fidei hostes gesta.

His (per quæ catholicorum principum, ex quibus trahis originem, magnifica gesta prioris ætatis in memoriam redeunt, & in speculo quodam operum tuorum intuenda posteris proponuntur, quibusque illis accrescit cumulus honoris & laudis) magno cum gaudio crebrius reuolutis, spem amplam concipimus, & fiduciam gerimus ampliorem, quod tu, qui virtutum amore ac æternæ salutis obtentu labores spontaneus adhuc annis infirmior in remotioribus assumpsisti, perfectum iam productus in virum iniurias & opprobria, quæ matri tuæ Romanæ ecclesiæ a suis filijs olim & subditis, quos obstinata rebellio vertit in hostes, & in persecutores eius perfidia commutauit, assidue inferuntur, æquo animo pati non debeas; quinimmo ad propulsanda illa, & ipsorum colla rebellium subijcienda suaui iugo eiusdem ecclesiæ, tanto promptior deuotiorque consurges, quanto iniurias & opprobria huiusmodi in vicino positus & sentis & palpas, & quanto manifeste cognoscis Redemptoris tui & ecclesiæ prædictorum sic fore connexa negotia, vt qui offenderit alterum, pariter offendat vtrumque. Sub huiusmodi ergo vbere conceptu fiduciæ, ex quo vberiorem proculdubio speramus effectum, te aduersus Franciscum de Ordelaffis Forliuiensem & Guillelmum ac Ioannem natos quondam Ricciardi de Manfredis Fauentinos ciues & alios rebelles ipsius ecclesiæ, qui sunt in omnibus terris eius in Italia constitutis, ad laudis & mercedis tuæ cumulum duximus de fratrum nostrorum ipsius ecclesiæ Cardinalium consilio capitaneum ordinandum, &c.] Subdit se ad sustinendos sumptus bellicos trium annorum decimas vectigalium ecclesiasticorum regni Vngariæ, adiectis certis legibus, in militum stipendia attribuere. *Dat apud Villamnouã Auinionensis diœcesis III. id. augusti anno IV.* Decretum iam ante fuerat sacrum bellum in hos tyrannos, ac fideles, propositis indulgentiarum premijs, excitati crucis symbolo insigniebantur a duce Ægidio legato Cardinale. Neque Itali modo, verum e finitimis etiam regnis, præcipueque ex Vngaria a præsulibus conductæ subsidiariæ copiæ submittebantur pro asserendo ecclesiastico imperio vel,

Noua gloriæ suggesta materies.

De tyrannis excindendis.

a Matth. Vill. l. 6. c. 14.

vt

vt loquitur Pontifex a, *ad eripiendum de iugo tyrannica seruitutis fideles & deuotos eiusdem ecclesiæ partium Italiæ, quorum sudores & lacrymas lamberunt & lambunt damnationis filij rebelles ecclesiæ memoratæ.*

a To. 4. ep. secr. pag. 117.

Quanta foret horum tyrānorū acerbitas.

In Insubria grauissimum bellum aduersus Barnabonem & Galeatium Mediolanenses tyrannos exarsit: Marquardus enim episcopus Augustensis cæsareus in Italia legatus b prædatrices turmas ad signa imperialia traxit: ac legibus primum actutus Bernabonem & Galeatium in ius vocauit, sacerdotia magno ecclesiæ imperijque contemptu conferre, insidias Imperatori Pisis struxisse, Insubriæ dominatum tyrannide corripuisse, reuertenti Imperatori vrbium portas clausisse, ac mœnia sepsisse armatis. Constituta dies vndecima octobris ad dicendam causam cum effluxisset, Marquardus signa per Insubriam circumtulit, atque Parmensem, Placentinum, Mediolanensem, Cremonensem agros est populatus. Coniunxit etiam arma cum Marquardo Ioannes Montisferrati marchio, nonnullasque vrbes cepit c; qua occasione vsi Genuenses, cum grauissimo bello Vicecomites implicitos vidissent, iugum excussere, atque euocato Pisis Simone Buccanigra se in libertatem asseruerunt d. Ita Simon iterum Genuensem præfecturam inijt, depulsis Vicecomitum administris alijsque præsidiarijs. In tot aduersis Bernaboni ingruentibus Pontifex e illum admonuit, vt in se descenderet, & quæ diuinas iras asperare possent, tolleret.

b M.S. lib. Vat. sign. n. 2040.

Matth. Vill. l. 7. c. 23. & Rob. derf. in annal.

Bernabos edictis & armis petitus.

c Matth. Vill. l. 7. c. 35. & 40.

Genua eiusdem iugum excutit.

d Eod. c. 40. Polis. d. 7. hist. Geo. Bizar. hist. Gen. l. 6. & Aug. Iust. l. 4.

Arrisere postea Bernaboni & fratri Galeatio feliciores successus: Marquardum enim Imperatoris legatum nimium sibi præfidentem adorti fudere, cepereque cum pluribus alijs f: cumque Pontifici significassent, post plura, quæ ipsis euenerant, demum secundis rebus potitos ipse suaque etiam illi obsequia addicerent g, Pontifex, sequenti ineunte anno datis literis ipsos excitauit, vt humanæ instabilitatis memores essent, diuinamque sibi gratiam conciliarent. Verum licet Bernabos & Galeatius pontificiam amicitiam colere visi sint, tamen paulo post cum Innocētius Bononiam ereptam antea scelere ecclesiæ recuperaret, apertum illi bellum mouere. Subiecerat sibi eā, vt dixi, vrbem Ioannes Olegianus, in quem plures hoc anno coniurationes, iubente Bernabone, conflatæ h: sed patefactæ auctoribus suis exitium attulere. Cumque Ioannes in Bernabonis conatibus superandis pari semper vsurum felicitate diffideret, de Bononia ecclesiæ restituenda agitauit, ac Pontifex Ægidio Cardinali legato rei transigendæ potestatem contulit i: quæ postea, vt dicetur, Firmano dominatu Ioanni Olegiano tradito, perfecta est.

Barnabos hostem fundit capitque.

e To. 4. ep. secr. pag. 237.

f Matth. Vill. l. 7. c. 37.

g To. 5. ep. secr. pag. 6.

h Matth. Vill. l. 8. c. 6. 7. 64.

Olegian° de Bononia Pontifici restituenda paciscitur.

i To. 4. ep. secr. pag. 226.

31 In Sicilia citeriore, proceribus populisque Aragonicum iugum excutientibus, Ludouici Regis res se extulere, quem Innocentius apostolicis studijs adiuuit. Adegerat quidem superiori anno sacramento Petrum Regem Aragonum, ne stirpis Aragoniæ principes, qui iniusto dominatu Trinacriam tenebant, armorum potentia in tyrannide fulciret; conceptamque illius sacramenti formulam pontificijs insertam literis diuulgauit l, ne Trinacrij spe Aragonici auxilij in perduellione perstarent: Messanenses vero, Panormitanos, Agrigentinenses, & alios, qui ad Ludouici Regis ac Ioannæ Reginæ redierant obsequium, in eo confirmauit m.

Insulani Siculi ad Gall. imperium redeunt.

l To. 4. ep. secr. pag. 4. & miscel. papyr. pag. 196. & 296.

m To. 4. ep. secr. pag. 21.

Interea exorta est religiosa contentio de sanctorum Fortunati & Hermagoræ reliquijs inter Venetos & patriarcham Aquileiensem, cum Nicolaus patriarcha sacras illas exuuias e Gradensi templo ad Aquileiam ornandam euexisset: qua de re Ioanne Gradenico ac Venetis apud sedem Apostolicam expostulantibus, Innocentius Nicolaū est adhortatus a, vt ea lipsana restitueret, ne qua inde dissidia erumperent, causamque addidit subiectis verbis: *Idem dux subditos sibi populos eo amplius asserit contristari, quo ipsi in opportunitatibus eorum Deum sibi propitium eorundem sanctorum meritis & intercessionibus cognouerunt.*

a To. 4. ep. secr. pag. 60.

32 Prætermittendum non duximus ad Ioannis Gradenici ducis Venetorum commendationem, ipsum de sacro fœdere in Turcas redintegrando egisse cum Innocentio, atque ad liberandum orientem egregie affectum se exhibuisse. Cui Pontifex actis gratijs, vt oratores constituta die mitteret, suasit b: *Literas*, inquit, *tuas per quas circa negotia vnionis ad reprimendos insultus Turcorum infelicium, actore Domino, facienda affectionis tua nobis innotuit plenitudo benigne recepimus, zelum tuum circa Dei negotia meritæ commendationis laudibus prosequentes. Et quoniam attente cupimus Christiano populo partium orientis super angustijs suis multis opem ferre, nobilitatem tuam non quod credimus expediens, sed ad rememorationem quandam attente rogamus, quatenus huiusmodi ad vnionis consummandum feliciter, Deo iuuante, negotium in constituto termino nuntios tuos transmittas huc, sicut liberaliter promisisti. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis iv. non. iulij anno iv.*

Ioannes Gradin. de instaurando bello Turcico agit.

b Ib. pag. 119.

Laudatur ab Innoc. vt cœpta perficiat.

Promouere c cœpta reuocandæ ad Romanę coniunctionem & obsequium orientalis ecclesiæ consilia annitebatur Innocentius: extremo enim anno superiori, vt diximus, Ioannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator sacramento se deuinxerat, Romano se Pontifici Imperatorum & Regum catholicorum more obsequentem futurum, cuius excepti hoc anno oratoribus Pōtifex de submittendis illi auxilia agitabat. Meminit de oratoribus Constantinopolitanis M. S. Vaticani auctor his verbis d: MCCCLVI. *infra octauas pentecostes nuntij Imperatoris Constantinopolitani cum parua galea applicant iuxta ecclesiam B. Mariæ de miraculis Auinionensis, offerentes dominum suum rediturum ad ecclesiæ vnitatem, vt sibi ab ecclesia subsidium fieret contra Turcas.* Vt igitur Græcos ad fidem orthodoxam pelliceret Dei vicarius, B. Petrum Thomā Pactensem & Sisopolitanum episc. legauit in Græciā, quos Hugoni Regi Cypri, Ludouico Regi Vngariæ, Rogerio e Pinibus Rhodiorum equitum magistro commendauit e; Palæologum vero hortatus est f, vt eorum consilijs morem gereret.

Astringendæ Græcorum cū iunctioni nauata opera.

c Ib. pag. 140.

d M.S. bib. Vat. sign. n. 3765.

Magnifico principi Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri.

e Ib. pag. 162.

f Eod. to. 4. ep. secr. pag. 140.

33 Venerabilis frater noster Paulus archiepiscopus Smyrnensis & nobilis vir Nicolaus Sigeros Megaterarcha & apocrisiarij magnitudinis tuæ, ad sedem Apostolicam venientes, quasdam clausas, per quas eorum adhiberi fidem relatibus petijsti, & quasdam alias patentes literas tuas, aurea bulla tua & imperialis manus subscriptione munitas, nobis tuo nomine obtulerunt, inter cætera continentes, quod tu, vt literarum ipsarum verbis vtamur, iuraueras tactis per te sacrosanctis scripturis ad sancta Dei euangelia & sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum verum

Missi a Palæologo oratores.

Deum

Deum & tres personas, & per Iesum Christum Deum & saluatorem nostrum, & per virginem Dei genitricem Mariam, ac per sanctam & viuificantem crucem Christi, ac per Apostolos aliosque sanctos; ac eidem insuper archiepiscopo nomine ac vice nostris recipienti promiseras, quod absque dolo, fraude, ac defectu toto posse ac omnibus viribus tuis & cuncto conatu esses fidelis, obediens, reuerens, & deuotus nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus: & quod reciperes legatos & nuntios nostros & eorum cum omni reuerentia & deuotione, ac faceres toto posse totoque conatu tuo, quod omnes populi sub suo imperio consistentes & tuæ iurisdictioni subiecti, siue essent laici siue clerici, cuiuscumque conditionis & status aut dignitatis existerent, essent fideles, obedientes, reuerentes, & deuoti nobis & successoribus nostris antefatis.

Facta ab eo de reducendis ad eccles. Rom. Græcis promissa.

Hæc, princeps inclyte, tuæ conuersionis initia, hæc deuotionis primordia, hæc firma fidei fundamenta huiusmodi literæ tuæ, vt præmittitur, continebant. Hæc ijdem apocrisarij viuæ vocis ministerio clarius & seriosius referantes, humiliter supplicantes, vt tibi, velut de regione dissimilitudinis uenienti, effunderemus benedictionis apostolicæ gratiam, panderemus paternæ dulcedinis gremium, & aduersus insultus & impugnationes hostiles Turcorum infidelium, ac rebellium dictorum audaciam auxilij dexteram salutaris extendere dignaremur.

Petita cōtra Turcas auxilia.

In quorum lectione melliflua, & placito auditu verborum, tanto nos & fratres nostri S. R. E. Cardinales alijque prælati, exultauimus gaudio, tanta fuimus reperti lætitia, tantaque iucunditate perfusi, quantam vix intellectus capere sufficit, vix humana potest lingua narrare. Exultauimus siquidem in tuo diu desiderato & expectato reditu ad ipsius ecclesiæ vnitatem: exultauimus in conuersione numerosæ multitudinis quam, præstante Deo & cooperante te, absque dubitatione speramus: exultauimus, quod malignus hostis, superatis fraudibus eius, elusis artibus, & vinculis dissolutis, ingemiscit & plangit plebis, quæ sub ipsius antea tyrannide fuerat, libertatem & animarum millia, quæ gehennæ flammis cruciandæ immaniter expectabat, sentit & videt paradisi gaudijs inserenda. Sed licet nobis & vniuersis, qui Christiana professione censentur, vna lætandi communis ratio; tibi tamen principalis est causa gaudendi, tibi exultationis materia singularis, tibi iubilationis occasio potior, tibi gloriæ principatus: tu enim principij princeps, tu minister huius ministerij salutaris, tu huiusmodi opifex operis, tu promotor, tu populorum dux & director errantium, tu auriga, tu currus, tu illuminatus ab eo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, lucernam in te fidei & veritatis accensam sic super candelabrum altius ponere satagis, vt non solum tibi, sed habitantibus in regione vmbræ mortis luceat ad salutem. Tu sereni regni gubernacula sic studes secundum beneplacita illius, a quo tibi concessa sunt, moderari vt nationes, quæ imperio tuo subsunt, & temporaliter iuste regens, & spiritualiter ea dirigens, eorum deliramenta, quibus hactenus peccatis exigentibus oculi eorum, ne lumen veritatis agnoscerent, tenebantur, pio labores abijcere studio ab eisdem.

Quanta de his cōcepta lætitia.

Ioannis Palæol. elogium.

34 Hæc sunt, quæ regnantium sceptra clarificant: hæc principantium culmina erigunt: hæc imperia roborant: hæc regna confirmant: hæc certe catholicorum fides principum exigit, hæc requirit. Fides enim est, qua in principe pulchrius nil refulget: fides est, quæ iustificat impios: fides est, quæ de impijs efficit sanctos: fides est, extra quam nulli est gratia, nulli salus; quæ cum vna & indiuisibilis sit, quisquis ab ea diuisus est, abscissus est a salute. Age itaque, & considera, quod si bonum opus in intentione fuerit, erit in perfectione quod laudabile prosequaris, & ad finem vsque perducas optatum. Considera, quod si gaudium est Dei angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quantis curia illa cœlestis perstrepet gaudijs, quantis beata illa supernorum ciuiū agmina laudum præconijs exultabunt in pœnitentia & conuersione tam innumerabilium populorum. Persta, satage, & labora, vt ille, cuius perfecta sunt opera, perficiat benignus per te, quod per te dedit pius & misericors inchoare: vnaquæque enim res denominatur ab exitu: & sicut ciuilis sapientia clamitat, nihil actum videtur existere cum superest aliquid ad agendum: ac iuxta euangelicam veritatem, non qui incœpetit, sed qui perseuerauerit, saluus erit.

Additi pro coniunctione perficienda stimuli.

Vt ergo exitus acta probet, & nihil superesse penitus videatur, opere feliciter consummato, ac vsque ad finem constantius perseuerans salutis æternæ mercedem percipere merearis, insta iuxta doctrinam Apostoli non solum opportune, si sufficit; sed etiam si expedit, importune: tunc enim læta tibi & festiua celebritate præfata occurret ecclesia in adiutorium tuum, intendet solicita supplicationibus apud Deum: tunc tibi spiritualibus auxilijs aderit: tunc principum Christianorum præsidia in tuum subsidium implorabit, vt eorundem infidelium persecutione sublata, ac rebellium tuorum humiliata ceruice, tibi & eisdem populis tuis hic pacis & quietis arrideat plenitudo, & in futuro cum sanctis & electis Dei gloria præstetur æterna. Cæterū vt nostra tibi super his affectio certius & plenius pateat, & quod scriptura nequit compendiosa comprehendere, suppleat * homo viuus, venerabiles fratres nostros Petrum Pactensem & Guillelmum Sisopolitanum episcopos Apostolicæ sedis nuncios, latores præsentium, viros vtique pauperes spiritu; sed insignes virtute, & in lege Domini plenius eruditos, ad te ac partes ipsas prouidimus destinandos. Et ideo serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique tuæ salutis intuitu iniungentes, quatenus eosdem nuncios pro nostra & dictæ sedis reuerentia benigne recipias, & eorum & cuiuslibet eorum salutaribus monitis, sicut speramus & credimus, acquiescas. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis xii. kal. augusti anno iv.*

* sermo

Missi in Græciam internuncij apostolici.

35 Commendati fuere ijdem legati Francisco Catelusio a Genuensi Mitylenes principi, quem Palæologum iterum restitutum ipsius opera imperio ad Vrbanum V. Romam venientem stipasse visuri sumus: tum patriarchæ Græcorum b, ad quem perceptæ a se ex Imperatoris ad Romanæ ecclesiæ sinum adducti nuntio lætitiæ indices extant literæ, in quibus hæc subijcit: *Quanto exultauimus gaudio, quanta fuerimus lætitia & iucunditate perfusi, difficile humana posset lingua narrare: sed illud nobis ad lætitiæ cumulum potioris accreuit, quod te, cuius in omnibus*

a Ib. pag. 164.

b Ib. pag. 163.

Solicitat patriarcha Constantinop. ad ecclesiarum coniunctionem.

idem

idem Imperator, sicut fertur, consilio regitur, principalem salutaris huiusmodi creauimus operis promotorem: quamquam, scribentibus nobis super hoc multis Latinis & Græcis, ad gaudium nulla nobis litera tua fuerit præsentata, quod vel ex incuria nunciorum, aut ex aliquo casu fortuito, non ex proposito credimus contigisse.

a Ib. pag. 164.

Socij principes in Turcas concitati.

b Pag. 142.

Excitati etiam alijs literis a ad tantum opus perficiendum Maximus, Calofetos, & Caloiesos, alijque plures imperij proceres: tum Hugo Rex Cypri, Ioannes Gradenicus Venetorum dux, Rhodiorum equitum magister, ac Genuenses rogati b, vt postquam Græcorum Imperator cœptam cum Romana ecclesia coniunctionem confirmasset, auxiliaribus copijs ad frangendos Turcicos impetus, restituendasque imperij ruinas munirent. Cum vero illi in superiori bello cum Venetis gesto, quod tantas clades rei Christianæ innexit, se turpissimo fœdere, Cantacuzeni Constantinopolitani imperij inuasoris odio, Turcis coniunxissent, Pontifex ipsos ab infanda societate abscedere, ac potius Ioanni Palæologo ad retundendos infideles subsidio esse iussit c datis literis, in quibus vbi pluribus Genuensiu in ecclesiæ tuenda dignitate, ac religione Christiana amplificanda ardorem extulit, infelicitati temporum inita cum Turcis fœdera tribuit.

Genuenses moniti vt fœdus cum Palæologo ineant.

c Pag. 157.

Turcæ in Græcos grassatur.

d Matth. Vill. l. 6. c. 30.

36 Hoc anno Turcas adornasse classe ad Græcos diuexandos bello, refert Matthæus Villanus d, ac magnas ijs clades intulisse magnatis cuiusdam fide Christiani, sed scelere Mahometanis non imparis opera, cui vt referrent gratiam barbari portu ab ipso excepti, prædarum, quas e Christianis auexerant, decumas persoluebant. Ita Christianorum perfidia res Christiana est collapsa: cui erigendæ intentus Pontifex Cyprio Regi, Rhodijs equitibus, Venetis, ac Genuensibus, vt triremes eo numero, qui a Clemente VI. erat constitutus, egregie instructas in Smyrneosi portu tenerent, imperia dedit e; atque archiepiscopo f Cretensi, vt exercitatum ducem Smyrnæ præficeret, ne tanto sanguine Christiano parta in Turcarum recideret seruitutem. De congreganda porro in Smyrnensi portu sociali classe in Turcas non prætermittendæ visæ sunt subiectæ literæ. g

e To. 4. ep. secr. pag. 44.

f Pag. 48.

g Lib. miscell. pag. pag. 102.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Hugoni Regi Cypri illustri.

Quæ & quanta commoda pusillo gregi dominico, populo scilicet Christiano partium orientis ex ordinatione per felicis recordationis Clementem Papam VI. prædecessorem nostrum cum tuis & dilecti filij magistri & conuentus hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, ac nobilis viri ducis Venetiarum procuratoribus de tenendis galeis quibusdam in mari partium earundem olim facta prouenerunt, magnitudo tua, fili charissime, non ignorat, & nos etiam hucvsque sentimus: cum per gentes galearum ipsarum infidelium Turcarum Christi & crucis hostium in virtute Domini audacia præsumptioneque repressa, & allisa potentia, fideles ijdem a persecutionibus & angustijs, ac afflictionibus multis & varijs, quibus infideles ijdem eos vexabant immaniter, quietis optatæ beneficio respirarint. Nec te latet, quod eodem duce, ac dilectis filijs communi ciuitatis Iannensis dissidentibus inuicem, ac proinde ordinatione huiusmodi minus debite obseruata, memorati Turchi resumpserunt audaciam, & per mare ipsum hostiliter discurrentes, eisdem fidelibus grauamina & damna plurima intulerunt: ac multis locis fidelium eorundem absumptis incendio, & ruina destructis, ac incolis & habitatoribus eorum, qui persecutorum euaserunt gladios, miserabiliter abductis in prædam, & subactis iugo abominabilis seruitutis, nomen Domini pollutis blasphemare labijs non verentur. In quibus tam execrandis & abominandis operibus, etsi damna gregis deflcamus ipsius; personarum tamen excidia animarumque pericula, & contumelias ipsius Saluatoris nostri peramplius & amarius deploramus.

Pium fœdus aduersus illos initum.

Ad occurrendum itaque damnis, & periculis obuiandum huiusmodi, ac eiusdem Saluatoris nostri opprobria sibi exprobrantium refellenda, anxiæ perscrutationis & sollicitudinis studio remedia opportuna quærentes, illud consideratis omnibus prouenire potissimum credimus, quod huiusmodi ordinatio vsquequo super hoc ordinandum duxerimus aliud, inconcusse ac inuiolabiliter obseruetur. Et ideo serenitatem tuam requirimus & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique tuæ salutis obtentu paternis affectibus suadentes, quatenus galeas illas, quas iuxta ordinationem huiusmodi tenere debes, & quas te tenuisse ac tenere continue lætanter audimus, teneas (prout tenes) sufficienter armatas, & procures omnino, quod in kal. iulij proximo futuri cum galeis dictorum magistri & conuentus ac ducis, quibus respectiue super hoc scribimus, in portu ciuitatis Smyrnarum, legitimo impedimento cessante, possint auctore Deo inuicem conuenire: ac insuper procuratores tuos cum pleno & sufficienti mandato ad ordinationem huiusmodi roborandam, vel innouandam & firmandam aliam ad sedem Apostolicam transmittere non postponas, sicque ipsorum acceleres & disponas accessum, quod infra kal. nouembris immediate venturi, duce Domino, infallibiliter hic intersint; ita quod ipsis tuis ac magistri & conuentus necnon ducis prædictorum nuntijs, quos ad huiusmodi terminum ad eandem sedē similiter conuocamus, conuenientibus inuicem, idem negotium & disponatur vtiliter & feliciter dirigatur, dictorumque Turcorum sub manu Domini in conspectu, cuius non est differentia in multis liberare vel paucis, quique molimina iniqua debilitat, & iniustam potentiam potenter enernat, fœda multitudo dispereat, conterantur elata superborum cornua, elidatur iniquitas, & audacia reprimatur, & fideles ipsi quietis et pacis dulcedine in id ipsum, quod est pax & quies vera credentibus, perfruantur. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis XII. kal. aprilis anno IV.*

Comparata in eos classis.

37 Eodem anno conciliandis occidentis principibus intentus Pontifex, colloquium pacis inter Genuenses & Regem Aragonum cœptum redintegrandum ratus, pluribus eos literis ad pacis consilia prouocauit, vtque oratores mitterent solicitauit a. Propendere ad eam Genuenses significarunt, qua de re Pontifex gratulatorias ad ipsos literas dedit b VIII. id. octobris, antequam iugum Vicecomitum depellerent. Petro vero Regi noua bella incubuere: auctæ enim sunt veteres fidelium principum discordiæ, nouo eoque atrocissimo bello inter præpotentes duos Reges Aragoniæ & Castellæ accenso: qui si arma in Mahometanos more maiorū vertissent, fidē magna laude facile propagare potuissent. Cepit ex ea dissensione maximum dolorē Pontifex atque Guillelmo tit. S. Mariæ in Cosmedin Apostolicæ sedis in Hispania legato munus imposuit c, vt dissidentes Reges in concordiam re-

De Genuensib. Aragoni conciliandis actū.

a To. 4. ep. secr. pag. 165.

b Ib. pag. 212.

Ortum inter Castellanum & Aragonem bellū.

c To. 4. ep. ep. secr. pag. 194.

uo-

uocareti Castellanumque & Aragonium admonuit a, Saracenos inde aduersus vtrumque potentiam confirmaturos. Cumque eadem dissensio ingrauesceret, Bertrandum Conuenarum episcopum legato adiungendum putauit b, ipsumque auctoritate, vt coitiones dissolueret, iuramenta rescinderet, indiceret inducias, instruxit: ac Reges, vt illius consilijs salubribus obtemperarent, est adhortatus c. Iterumque repetitis literis causas, ob quas agente in Hispania Cardinale legato internuntium transmitteret, Aragonio expressit d.

a Ib. pag. 192.
Adiunct' Card. legato Conuenarum episc.
b Ib. pag. 195. & 196.
c Super. pag. 195.
d Pag. 230.

Quia, inquit, *habet id proprium charitas, vt non putet in negotijs dilectorum prouidisse sufficienter, sed prouisionem prouisioni existimet adiungendam; nos charitatis, quam ad te dictumque Regem*, ı.imitum Castellæ, *gerimus affectione commoniti venerabilem fratrem nostrum Bertrandum episcopum Conuenarum A. S. N. latorem præsentium ad te & Cardinalem ac Regem prædictos prouidimus destinandum. &c. Dat. Auin. VIII. id. nouembris anno IV.* Conceptæ sunt ijsdem verbis ad Petrum Regem Castellæ literæ e, quibus etiam conqueritur, ipsos leuibus de causis ad grauissima bella prorumpere. Agunt de hoc bello Matthæus Villanus f, Rodericus g, Mariana h, Surita i, & alij.

e Ead. pag.
f Matth. Vill. l. 6. c. 83.
g Roder. p. 4. c. 17.
h Marian. l. 17. c. 1.
i Sur. l. 9. c. 1. & seqq.
l To. 4. ep. sec. pag. 97

38 Accersebat vero sibi exitium criminibus suis Petrus Castellæ Rex, in quem Pontifex ob abiectam Reginam Blancham, turpiaque adulteria legum accibiratē dutricturus Ioannem Galliæ Regem consuluit l: hinc enim & fœditas criminis ecclesiæque contemptus apostolicam seueritatem asperabant: hinc Regina salus, quæ periclitatura erat, Pontificem ab exercendis censuris deterrebat. Sumptum demum est a Pontifice consilium illud, vt antequam legibus in Petrum ageret, iterum illum ex adulterij cœno grauissimis monitis excitare pertentaret. Exposuit itaque m vitij turpitudinem, solicitudinem apostolicam pro eo ad saniorem mentem reuocando, ingentia pericula quibus se obijceret, diuinas iras, firmandum suscipienda ex Regina prole solium: ni vero consilijs salubribus obsequeretur, apostolicam seueritatem illi intentauit.

Monet ofsicij Castellæ Regem Pontifex.
m Ib. pag. 147.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Castellæ & Legionis illustri.

Si diligenter attenderes, & debita meditatione pensares, quantum citra decentiam regiæ dignitatis, ac in tuæ salutis & famæ dispendium, regnorumque tuorum periculum euidens, affectionibus tuis licenter indulgens & sensualitati, quæ ad peccandum prona est non repugnans; immo eneruiter illi assentiens & molliter fauens, in abiectione propriæ coniugis, & in superinductione ac detentione publica concubinæ, Creatorem tuum vehementer offenderis, & aduersum te grauiter prouocaris, profecto credimus, & sine dubitatione tenemus, quod tu, qui per iuueniles illecebras a te recessisse videris, ad te quandoque reuersus te peccasse cognosceres, & commissa deflens, retraheres a lubrico pedes tuos, gressus in salutem dirigeres, & errata priorum temporum fruge vitæ redimeres melioris. Sed ita in te succubuit ratio, proh dolor! voluntati; ita virtus passionibus succesfit, quod ad percipiendum veritatis & iustitiæ lumen non solum per te non excuris tenebras, quibus innolutus es peccatorum, immo salutaribus monitis Romanæ frequenter solicitatus ecclesiæ, ac præceptorum nonnunquam acrimonia punctus ipsius, defixam carnalibus & lubricis desiderijs aciem non attollis.

Proponit ob oculos illatam Deo iniuriam.

Ecce iam multorum annorum exacta sunt spatia, ex quo vnius mulierculæ amore pellectus, & carnis, quæ cinis mox futura est, decore seductus, contemnis famam, honorem despicis, pericula domus regiç, ipsorumque regnorum, quorum status tuo pendet ex filo tenui, negligis; & (quod grauius est) tuæ populorumque tuorum, qui (vt subditorum moris est dominorum conformare se moribus) peccantem te sectantur etiam peccatores, contemnis animarum salutem: immo te ac illos in damnationis præcipitium præceps mergis. Super quo, licet apud te nunc per literas iteratas sæpius, nunc per nuncios apostolicos plures, & tandem per dilectum filium nostrum Guillelmum S. Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem A. S. L. soluerimus debitum apostolicæ seruitutis; quia tamen monentem & monita, ac mittentem respuere probaris & missos, immo quasi dormiens somnum mortis obaudis obturatis auribus, verba vitæ silere non possumus; immo compellimur adijcere monita monitis, exhortationes exhortationibus inculcare, ac in vocem clamoris erumpere potioris. Ad quod duplex causa nos incitat, amoris videlicet, & timoris: amoris, quo vellemus gressus tuos dirigi semper in melius, & tuas incessanter disponi consultius actiones; ac timoris, ne si repatiamur in peccato deficere, sanguis tuus de nostris manibus a Domino requiratur. Nouimus enim, quod licet summus sacerdos Heli bonus in se iustusque fuisset; quia tamen delinquentes filios, quos corrigere potuit, non correxit, diuini iudicij vltione percussus, de sella corruens fractis ceruicibus expirauit. Quid igitur mirum si nos, quem peccatrix conscientia indesinenter accusat, apud Deum de peccatis tuis pertimescimus, quando sacerdos idem, qui bonus in se nequaquam describeretur & iustus, si peccati vinculo teneretur, pro aliena culpa sententiam in se mortis excepit?

Adulterij fœditatē.
Dolet de illius in scelere pertinacia.
Adactum se muneris religione ad inculcanda monita.

39 Quæsumus itaque magnitudinem tuam, & per viscera misericordiæ Dei attentius obsecramus, tibi sub interminatione diuini iudicij obtestantes, quatenus prudenter considerans, quod cum in virum iam creueris, euacuandi ea, quæ sunt paruuli, tempus aduenit. Abijce adulteram: repelle libidinis incentiuum: dimitte peccati fomitem: eijce mortis tuæ laqueum. Concubinam denigrantem famam, offuscantem gloriam, honorem penitus absorbentem pellicem non solum expelle, sed fuge: sectare pudicitiam: castitatem sequere: amplectere honestatem; ac præceptis Domini humilis & deuotus obtemperans, abiectam coniugem readmitte, admissam dilige, & honorificentia, quæ tantæ principissæ tantoque principi matrimonio copulatæ conueniat, prosequere iam deinceps. Propter hanc certe, patrem, si viueret, matremque dimittere, huic adhærere, hanc diligere, hanc sicut teipsum amare iuberis: vna etenim caro tecum est, vnum corpus. Sic namque famæ tuæ consules, sic honoris dispendijs præcauebis, sic regnorum ipsorum occurres periculis: sic saluti, quæ præferenda est omnibus, prouidebis. Sic Deus super te gratiam suæ benedictionis effundet: sic, vt pie credimus, tollens de domo tua sterilitatis opprobrium, & gremium tuum susceptione prolis numerosæ fœcundans, stabiliet solium, instaurabit thronum, & robora-

Diuinam in amanda vxore legem sequatur.
Heredem sceptrorū suscipere nitatur.

rabit fortius sceptra tua: sic inimicorum & hostium eneruabit vires, sic rebellium tuorum humiliabit superbiam, audaciamque frænabit: sic aspera quælibet in plana conuertens, dies tuos in vtriusque hominis pace ac salute disponat.

Quia igitur speramus & credimus, quod tu his vltimis obsecrationibus nostris, sero quantumlibet, condescendes: petimus, vt tuæ in melius emendationis auspicia rescribas per literas tuas nobis, pro certo tenens, quod nisi benigne monentem, & obsecrantem suauiter patrem audieris humilis & obediens filius, rigorem deinceps iudicis sæuientis agnosces: quoniam patientia nostra, negligentia notaretur de cætero, & honor, qui tibi deferretur vlterius, iniuria Christi Iesu, per quem viuis & regnas, potius censeretur. Super quo quia præfato legato plenius scribimus, verbis, quæ in longius materia texeret, finem imponimus, & ipsius legati pro parte nostra relatibus adhibere te cum effectu satisfactionis & fructu, petimus iterum, plenam fidem. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VI. kal. augusti anno IV.* Illaqueatus adeo erat Castellanus voluptatum illecebris, diuinumque omnem timorem extinxerat, vt nullis monitis ad reuocandam Reginam flecti potuerit; qua de re hæc Rodericus Sanctius tradit historiæ a: *Legatus, Regem inflexibilem reperiens, parum profecit.* Et infra: *Sic igitur in nostra misera Hispania verificatum est illud Nahum prophetæ vaticinium* b: *Ecce corruet ciuitas propter fornicationem meretricis speciosa & grata, habentis maleficia, quæ vendit ad gentes & familias in maleficijs suis.* Et sequitur: *Propterea, dicit Dominus exercituum, reuelabo pudenda tua, & ostendam regnis nuditatem tuam. Quod ad literam calamitosa Hispania experta & passa est.*

Interminatur censuras.

Auersæ Castellani aures pontificijs monitis. a Rod. San. p. 4. hist. Hisp. c. 14. b Nahum 3. Castella diuina vltione percussa.

40 Cumularat superiora flagitia Petrus Rex non modo sæuitia in suos, de qua plura immania narrant historici, verum etiam rapinis in ecclesiasticis vectigalibus in regium ærarium conuertendis; nam & Ægidij Cardinalis, Italica legatione clarissimi, sacerdotiorum, quæ obtinebat in Hispania, redditus inuasit: cumque increbresceret ipsum auidas manus pari exemplo alijs Cardinalium ac præsulum, qui in aula pontificia versabantur, bonis iniecturum, Innocentius ipsum subiectis literis corripuit c.

Petr⁹ Rex sæuiens in suos, ex... Opprimit ecclesiasticos. c To. 4. ep. sec. pag. 36.

Innocentius, &c. Petro Regi Castellæ illustri.

Quis sanæ mentis crederet, quod princeps catholicus, ex Christianissimis parentibus editus, minister Dei, per quem maiestatis regiæ splendore coruscat in terris, & æterna gloria coronari sperat in cælis, alimenta subtraheret, quando ille Pharao diuinæ legis ignarus, subactis cæteris seruituti, sacerdotes Dei & possessiones eorum donauit pristina libertate, ac sacerdotibus ipsis alimoniam de publico ministrauit? Quis rationis capax facile crederet, quod tu, cuius progenitores ecclesias & personas ecclesiasticas extulerunt, honoribus decorauerunt, priuilegijs ampliarunt, gratiis dotarunt, libertatibus & immunitatibus munierunt; quique pro fidei dilatatione catholicæ velut athletæ ac pugiles Christi fortes aduersus hostes eius strenue decertarunt, & in virtute Domini, qui eiusdem auctor est fidei, suffragantibus & opitulantibus etiam ministrorum eius orationibus, ipsorum hostium domita superbia & allisa potentia, regnorum suorum fines & terminos ampliarunt; velis eorundem progenitorum tuorum virtutum derelinquere semitam, & id agere, aut agi permittere, per quod ais impar meritis habearis ac fama; & per quod detrahatur ecclesiasticæ libertati, ipsi derogetur Christianæ fidei, & ipse insuper Christus grauiter offendatur? Et infra.

Corripitur a Pont.

Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, tibique sanis consilijs & sinceris ac paternis affectibus suadentes, quatenus prudenter considerans, quod Cardinales ijdem ad regendum vniuersalis ecclesiæ firmamentum indefessa nobiscum operatione laborant, & quod ipsis velut quibusdam columnis innititur structura ecclesiæ memoratæ; ac intuens etiam, quod qui seruitio ecclesiæ generalis insistunt, debent veluti residentes in ecclesijs & beneficijs, quæ obtinent, reputari, quod nostris & dictorum Cardinalium obsequijs immorantes absentiam suam ab ecclesijs, in quibus beneficiati sunt, quæ vbertim in necessaria præstatione fauorum, in occurrentibus frequenter casibus compensant; pro reuerentia Dei, tuæ consideratione salutis, & nostræ intercessionis obtentu animum tuum omnino ab huiusmodi proposito reuoces: & si forsitan propositum huiusmodi processit in actum, quidquid attentatum est, irrites & annulles, &c. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis X. kal. aprilis anno IV.*

41 Auctum hoc anno Cardinalium collegium ab Innocentio, refert eius vitæ auctor his verbis a: *Eodem anno die XVII. mensis decembris dictus Innocentius Papa VI. creauit sex nouos presbyteros Cardinales, videlicet dominos Petrum de Foresta Gallicum, tunc archiepiscopum Rothomagensem & cancellarium Regis Franciæ: Eliam de sancto Aredio diœcesis Lemouicensis monachum ordinis S. Benedicti, tunc episcopum Vticensem: Franciscum de Cuderto* * *Italicum, tunc episcopum Florentinum: Petrum de Monteruco diœcesis Lemouicensis nepotem summi ex sorore, tunc electum Pampilonensem: fratrem Guillelmum Farinerij de Gordonia diœcesis Caturcensis, tunc generalem ministrum ordinis fratrum Minorum: & fratrem Nicolaum Rossellis Catalanum, tunc inquisitorem hæreticæ prauitatis prouinciæ Aragonum.* Consentiunt his M. S. Vaticani b auctor, Contelorius c, & alij: meminitque postremi Surita d, quem virtutibus fuisse insignem ait. Ad cuius gratiam, cum Petrus Rex Aragonum vrgeret Innocentium, vt pileum rubeum ad ipsum transmitteret; ei exposuit sequentis anni kalen. februar. Pontifex e, non moris esse, vt cuiquam nisi pontificia manu detur; seque ea de re Cardinales, vt regijs votis morem gereret, consuluisse, neque ipsos ad suam sententiam adducere potuisse. Cum vero Petrus Rex Petri Rothomagensis Cardinalis exemplum attulisset, ad quem Pontifex pileum rubeum transmisisset f, rescripsit Innocentius disparem esse rationem, cum ille missus Burdegalam fuisset, vt de pace inter Anglorum & Francorum Reges ageret.

Cardinales hoc anno creati ab Innoc. VI. a Gesta Inn. VI. apud Bosq. * Tuderto. b M.S. bib. Vat. sign. n. 2040. c Contel. in elench. Card. creationes a. in Inn. VI et alij. d Sur. l. 9. c. 6. e To. 5 ep. secr. pag. 18. f Pag. 16. 18.

42 Ad huius anni calcem addimus, Innocentium commendasse se enixe precibus g Carthusianorum, quibus ex singulari in eos studio ecclesiam B. Ioannis Baptistæ sacram Villanouæ, atque ædes, quas ad religiosorum virorum vsus in palatio, quod ante adeptum pontificatum possederat, adornari iusserat, dono contulit. Extat de ea donatione diploma, in quo pluribus elogijs Cartu-

Carthusianos Innoc. beneficijs cōplectitur. g Ib. pag. 12.

a Bad. op.

thuſianos effert a. Complexum fuiſſe Innocentium ſingulari ſtudio Carthuſianos, refert etiam faſciculi temporum auctor, atque de eo ordine ſanctitatis opinionem conceptam e cœleſtis cuiuſdam viſi ſancto eremitæ obiecti occaſione narrat b: *Viſio, inquit, flebilis facta cuidam eremitæ in præſentia domini Innocentij Papæ VI. dum adhuc Cardinalis eſſet, vnde aiebat: Vidi animas in infernum deſcendere ſicut niues denſiſſimas, in purgatorium ſicut niuem rariſſimam: ſed ad paradiſum tantum tres vidi introire, ſcilicet illius epiſcopi, ac illius viduæ Romanæ, & illius prioris Carthuſienſis. Quæ omnia ſic poſt reperit vera: & ex tunc maximam deuotionem erga viros religioſos habuit, & præcipue Cluniacenſes & Carthuſienſes. Hos enim duos ordines ſpecialiter præ cæteris priuilegiauit, & ab omni patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & quorumcumque principum, &c. iuriſdictione, viſitatione, taxatione, & qualicumque vexatione exceptos eſſe decreuit ſub anathematis vinculo: eoſque ſub ſancti Petri ac Romanæ eccleſiæ protectione ſuſcepit.*

b Faſcic. temporũ in ſext. ætat. Viſum cœleſte mirabile.

IESV CHRISTI
Annus 1357.

INNOCENTII PP.VI. annus 5. CAROLI IV. IMP.OCCID.12. IO.PALÆOLOGI IMP. OR.17.

1 HVmanæ ſalutis anno quinquageſimo ſeptimo ſupra milleſimum trecenteſimum, indictione decima, cum Galliæ ob captum Regem mœrore oppletæ tumultibus vndique quaterentur, Germania & Belgium in armis eſſent, Hiſpania ab impudiciſſimo Caſtellæ Rege Petro fœdaretur, nec bellicis motibus careret, atque Italiæ pars a tyrannis vexaretur; communi parenti, vt tot malis occurreret conſuleretque, non parum fuit deſudandum, vt ex iis, quæ infra afferentur, conſtabit. Quod igitur ad Ioannem Francorum Regem attinet: tenebatur in vinculis Burdegalæ ab Eduardo Vualliæ principe. Cui Pōtifex kal. martij datis literis animum ſuum optatiſſimæ pacis expectatione pendere, ac languere deſiderio ſignificauit, vt Chriſtianus orbis e tot tantiſque calamitatibus, quas funeſtæ ipſorum diſſenſiones inuehunt, poſſet emergere. Adducta eo demum res eſt, vt pacis leges Talavrandi epiſcopi Albanenſis & Nicolai tit. S. Vitalis presbyteri Cardinalium Apoſtolicæ ſedis internuntiorũ ſtudiis compoſitæ inter victum victoremque fuerint, de quibus meminit ſubiectis verbis M. S. Vaticanum c.

Gallus Rex tent9 in cuſtodia Burdegalæ.

Dominus Taleyrandus Petragoricenſis Cardinalis & dominus Nicolaus Capotij Vrgellenſis Cardinalis nuntij apoſtolici, miſſi per dominum Innocentium Papam VI. in regno Franciæ & Angliæ pro pace vel treugua tractanda inter dictos Reges & eorum regna, gratia Dei mediante, & ipſorum operationibus treuguam firmauerunt dictorum Regis & principis Vvallenſis & ipſorum regna, incipiendã in proximo feſto reſurrectionis Domini & finiendam ad feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, non primum, ſed venturum ſeu ſecundum. Dicti vero Cardinales tractauerunt de conſenſu & voluntate dictorum Regum de pace finali habenda inter ipſos Reges & regna. Item prædicti Cardinales ſub die ſecunda iulij dicti anni cum maximo honore recepti fuerunt apud Londonium per Regem Angliæ.

c M.S. bib. Vat. ſign. n.30 ꝺ in Clem VI. De pace actum.

Arte & dolo pacis colloquia tractabat Anglus: cum enim a Vvalliæ principe paternus aſſenſus fuiſſet deſideratus, tum is a ad deludendos Vaſcones, quorum fidei Ioannes ſe commiſerat, quique obſtabant, ne in Angliam aueheretur, finxit ad firmandam pacem omnino perneceſſarium, vt diſſidentes Reges in colloquium venirent: atque ita Ioannem Regem, ac Philippum filium & alios principes Francos in acie captos in Angliam abduxit. Quibus de rebus a Cardinalibus internuntiis certior factus Pontifex, Eduardo Anglorum Regi, cuius arcani doli arteſque nondum patuerant, magna ſe ex fœderis initi nuntio lætitia ipſum perfuſum ſignificauit b: hortatuſque eſt, vt qui maximis a Deo beneficiis exornatus eſſet, grati animi in pace populo Chriſtiano, grauiſſimis attrito calamitatibus, reſtituenda officia reponeret: ipſius ac Regis Francorum vires non in mutuas cædes, ſed ad Syriam dominico imbutam ſanguine e Mahometanorum feruiente eripiendam conuertendas: *Quæſumus, inquit, pietatem tuam, & per viſcera miſericordiæ Dei attentius obſecramus, quatenus gratia ipſius dona, quibus te copioſa diſtributione præuenerat, filiali gratitudine recognoſcens; & diligenter attendens, quod tanto ipſi creatori tuo magis es debitor, quanto ab eo maiora beneficia percepiſti, cum adauctis donis, donorum creſcant etiam rationes; nec minus rememorans diſpendia rerum, diſcrimina corporum, & animarum pericula, quæ in tua & Regis Francorum diſcordia multifarie perpeſſus eſt populus Chriſtianus (vt impedimenta negotiorum Dei, & præcipue terræ ſanctæ, quæ ancilla canibus & tributaria Saracenis tuum & ipſius Regis Francorum auxilium in ſua liberatione deplorat & expectat anxia, taceamus) animum tuum ad pacem habilites, cor præpares, diſponas & mentem. Sic enim famæ tuæ titulos clariores efficies: ſic honoris gloriam conſtitues ampliorem: ſic laudibus tuis indeficientem adiicies cumulum: ſicque Romanam eccleſiam matrem tuam lætificabis in gaudio; &, quod his omnibus maius eſt, æternæ ſalutis præmia conſequeris.*

a Mateh. Vill. l.7. c. 57. Io. Rex vna cum filio & procerib9 in Angliã ducitur.

b To. 8. epiſt. ſecr. pag. 87. Pontificia ſtudia pro pace conciliãda.

Vertenda eſſe in Saracenos arma.

2 Optarant Talayrandus & Nicolaus Cardinales internũtii, vt Petrus ipſorum collegio nuper cooptatus, qui regij ſigilli præfecturam geſſerat, ac Ioannis Regis omnium conſiliorum particeps extiterat, ipſis ſocius adiũgeretur: ac ne dignitatis inſignibus diſcrepare videretur, pileum rubeum ipſi tranſmitteret c. Quibus Pontifex ſub anni initio hæc de more dandi pilei cardinalitij reſcripſerat c: *Cum fratribus noſtris huiuſmodi literis eis ſerioſe perlectis, deliberationem habuimus, & eorum fere omnium in hoc conſilia reſederunt, quod licet ſupplicatio veſtra fauorem & gratiam mereretur, & idem Cardinalis conſideratione potiſſime vtilitatis publicæ, cui multum præſentia eius huiuſmodi conferre poterit, honorandus exiſteret; non erat tamen priſcæ conſuetudini, quam ſanctorum patrum immutanda poſteris obſeruantia introduxit, aliquatenus derogandum: vnde nos huiuſmodi conſuetudinis rigorem temperare quærentes, hanc viam elegimus, vt capellum ipſum Pictauis Cardinali mitteremus eidem; ita tamen, quod Cardinalis ipſe illo in caſu, quo accedendi ad prædictum Regem ſaluũ poſſet habere conductum, & non aliter, vteretur. Cumque nec ad viam hanc ipſorum fratrum immutari conſilia potuiſſent, cogitauimus inter nos, quod vobis capellum ipſum Burdegalam mitteremus, per vos tradendum præfato Cardinali, ſi veniendi ad antefatum Regem huiuſmodi poterit habere conductum, vel alias retinendum. Dat. Auin. kal. februarij anno v.* Tranſmiſſum poſtea ipſi pileum cardinali-

Petrus Rothomag. Card. pacis interpres expetitus.

De tranſmittendo illi pileo rubeo agitatum.

c Ibid. epiſt. ſecr. pag. 16. Cur ea in re difficultas oborta

nalltium, ex literis ad Regem Aragonum scriptis colligitur, de qoibus superiori anno mentionem fecimus a: ac xx. kalend. iunij, assentiente Eduardo, liberi commeatus syngrapha ad Angliam adeundam data a illis est ab Innocentio. De Petro ac Talayrando & Nicolao Cardinalibus in Angliam profectis meminit Vualsingamus b, vt paci conciliandæ operam nauarent; sed frustra eam consumptam addit: *Qui in Anglia*, inquit, *moram traxerunt biennalem, sæpius cum Regibus & eorum consilijs colloquentes: sed tandem discordes recesserunt*. Quibus consentanea vitæ Innocentij scriptor narrat. At non integro biennio moratos Cardinales internuntios indicat Matthæus Villanus, dum ipsos ait c extremo augusto abscessisse, cum animaduertissent, Eduardum Regem, quamuis magnificentissime Francorum Regem excepisset d, pacis colloquium initum, in quo perficiendo ipsius tantum assensus desiderabatur, varijs coloribus extraxisse, vt rerum gerendarum occasionem captaret e, acerbioresque leges victis imponeret.

a To. 5. ep. secr. pag. 73.
Profecti in Angliã Cardinales legati.
b Vualsing in Eduar. III.
c Matth. Vill. l. 7. c. 95.
d Cap. 66.
e Super. c. 95.

3 Fauebant eiosdem Angli consilijs intestina dissidia Francorum, qui licet initio pacis leges, quæ nisi grauiores capto Rege esse poterant, respuerent atque ad repetendam vltionem subsidiarium æs ingens exigerent; solutis tamen ordinum regni conuentibus, in maximas discordias distracti, regnum in discrimen coniicere f, quod socialium prædonum exercitus laniarunt g, qui fræna furori ac licentiæ laxabant, præcipuo duce Arnaldo h e Cernola. Cumque glomerata illa prædonum tempestas effundenda in Prouinciam comitatui Venusino ingrueret, Innocentius Auenionenses in armis iussit esse i, & Caroli Imperatoris promissam opem implorauit l.

Galli intestino bello impliciti.
f Cap. 53.
g Gesta Innoc. VI. apud Bosq.
h To. 5. ep. secr. pag. 160.
Auenione trepidatũ est.
i Matth. Vill. l. 7. c. 96.
l To. 5. ep. secr. pag. 155.

Innocentius, &c. Carolo Romanor. Imperatori semper Augusto.

Magnificauit anima nostra Dominum, quod ipse talem vniuersæ reipublicæ temporibus nostris præsidere concessit, qui quanto potestate terrena præeminet amplius, tanto zelo purioris deuotionis ad Deum potius feruens sincerioris fidei fulgore resplendens, in humilitatis spiritu, quæ virtutum omnium comprobatur origo, ad nostra beneplacita sic se liberaliter obtulit, vt de se ipso sibi nihil reliquerit inoblatum. Ex quo post laudes & gratias Deo, cuius locum immeriti gerimus, & B. Petro Apostolorum principi, cuius nos illius dignatio constituit successorem, & quibus in humilitate nostra impendis honorem, exhibitas reuerenter, Creatori redemptorique tuo humiles preces offerimus, vt te prosperorum dierum longitudine gaudere concedat, gremium tuum numerosæ prolis vbertate lætificet, & imperij tui latissimos sinus optata pace componat. Cæterum oblationem tuam huiusmodi acceptantes, præsidia & fauores tuos ad extinguendum spiritum tempestatis, quæ in partibus istis peccatis exigentibus, sicut per alias literas nostras tibi latius scribimus, procurante inimico homine suscitatur, confidentissime & instantissime imploramus, &c. *Dat. Aut. vi 15. kal. augusti anno v.*

Imploratum Cæsaris auxilium.

Significauit eidem alijs literis m prædatrices turmas in Prouinciam per Venusinum comitatum irrupisse, vtque exortis inde malis occurreret rogauit, cum imperialis esset muneris & sedis Apostolicæ concordiam tueri, & prouinciam imperij fiduciariam ex prædonum tyrannide vindicare n: *Tu*, inquit, *qui potes solo nutu omnia ista coprimere*, *de illo remedio super ijs prouideas per te ipsum, quod curationi tantarum plagarum putaueris necessariam posse conferre medelam: gratissimum etenim B. Petro Apostolorum principi, quem honoras in nobis, præstabis obsequium: &, vt loquamur paterne tecum, debitum tuum solues, si pacem nobis & fratribus, ac securitatem curiæ curialibusque prædictis instaures, & Venaissini comitatus, qui de feudo tuo est, occurras ipsius, &c. Dat. Auin. xiv. kal. septembris anno v.*

m Ead. pag. 157.
n Ib. pag. 190.
Fatetur Romanã curiam.

4 Questus etiam est Pontifex grauissime, datis ad Ioannem Regem Francorum literis, vt has copias reprimeret, reuocaretque e Prouincia a: quamuis enim ex Prouinciæ inuasione ille indoluisset, & filio Carolo delphino dedisset imperia, vt proscriptionis pœnas renouaret exercereque in eos, qui e regno ac delphinatu signa infesta in Prouinciam attollerent; vicisse tamen sceleratorum audaciam regiam diligentiam, ac plures turmas, quas criminum licentia coegerat, in Prouinciam se effudisse, quam luxuria, crudelitate, rapinis, ferro, flammaque fœdent.

Gallus Rex de suorum excursione in Prouinciam fit certior.
a Ib. pag. 164. & 177.

Innocentius, &c. Ioanni Regi Francorum.

Quoniam morbus hic, præstante per ministros membraque sua fomenta diabolo, sic excreuit, vt ad curam eius, in qua medicum aut nihil lenitiua proficerent, præcisionis & alijs validioribus remedijs sit vtendum; tibi, cui læta & placida libenter insinuare vellemus, amara proh dolor! & tristia compellimur nuntiare. Siquidem nonnulli de regno [Galliæ scilicet] & delphinatu prædictis huiusmodi prohibitione dicti ducis [nimirum Caroli Normanniæ] omnino contempta, associatis sibi quibusdam eorum in hac parte complicibus, comitatum nostrum Venusini diebus ijs non longe præteritis intrauerunt: vbi diebus aliquibus commorati, tandem post aliqua damna, quæ intulerunt ibidem, in dictum comitatum Prouinciæ descenderunt: vbi licet indifferenter & vniuersaliter omnibus pro viribus noceant ecclesijs, tamen & personis ecclesiasticis potissime sunt infesti; ita vt detur omnibus patenter intelligi, quanta sit in cordibus eorum malitia, dum Deum in ministris eius offendere tam grauiter non verentur: occuparunt enim in dicto comitatu Prouinciæ aliqua loca, & quædam alia destruxerunt, quæ dumtaxat ad ecclesias & monasteria quædam pertinent pleno iure; & tot inibi mala nefanda committunt, vt abhorreat calamus illa describere, & lingua depromere erubescat. Audimus enim quotidie quasi ecclesiæ filios angariari, spoliati, opprimi, torqueri, truncari, priuarique varijs supplicijs vita. Audimus corrumpi virgines, adulterari nuptas, viduas violentiam pati, ipsisque Deo dicatis sanctimonialibus a viris impijs non deferri. Audimus (quod etiam apud Infideles inauditum est) confugientibus ad loca sacra loca ipsa remedium non afferre. Audimus matres patresque, derelictis filijs in manibus hostium, se pro vitæ remedio fugæ committere. Audimus filios, confuso pietatis officio, id agere e conuerso.

De patratis a latronum exercitu malis.
Nullus ab ijs locorũ sacrorum respectus habitus.

Considera itaque, princeps inclyte, considera quantus sit dolor noster, angustia quanta, quantaque tristitia. Considera vtrum talia in renatos fonte baptismatis ab ijs, qui censentur professione ac nomine Christiani, deceat exerceri. Considera vtrum hæc famæ conueniant eiusdem regni tui fidelium populorum, qui timorem Deo, honorem ecclesijs & ministris Dei, ecclesiasticis videlicet viris soliti sunt reuerentiam

exhibere, Considera, quod licet omnium mala nos vrgeant, cum affectum dilectionis omnibus pater omnium debeamus; horum tamen calamitas eo vehementius nos affligit, quo in conspectu quasi nostro hæc ab impietatis filijs impune committuntur, &c.] Addit preces, vt cum Romana ecclesia certissimum asylum in ipsius domo Christianissima semper repererit, regijs imperijs imminentem eam tempestatem propulset. *Dat. Auin. 11. id. augusti anno v.* Solicitauit iterum a, vt viros auctoritate graues mitteret, qui e Prouincia turmas Gallicas abducerent. At capti Regis auctoritas in vinculis obsoleuerat, cateruæque Vasconum prædatrices in Prouincia, dum Massiliam Martinenchi alijque de Ierusalem dicti in factiones diuidebant b, grassari aulamque pontificiam turbare perrexerunt: ad quas reprimendas, cum Rodulphus dux Austriæ se Pontifici paratum exhibuisset, Innocentius egregiam illius in sedem Apostolicam voluntatem admisit, gratesque egit c.

a Eod. to. 5 ep. sec. pag. 164. & 216.
b Pag. 113. 114.
Rodulph. Austriac. Pontifici operam defert.
c Pag. 234. 244.

5 Cæterum, susceptas a patre Alberto restituendi in gratiam cum ecclesia Ludouici marchionis Brandeburgensis, ob secutas Ludouici Bauari parentis schismatici partes censuris notati, curas vrgere cupidus Rodulphus dux Austriæ, publicis literis d datis ad Paulum episcopum e Gurcensi ad Frisingensem sedem traductum, Apostolicæ sedis internuntium ac Petrum abbatem, quibus marchionis causæ cognitio delata erat a Pontifice, professus est, vt Albertus dux, missis oratoribus ad Innocentium VI. fidem suam obstrinxisset, Ludouicum marchionem demisse veniam poscere, omnesque pœnas ad scelus illud expiandum imponendas subiturum; flexumque ad supplices preces Pontificem Ortholpho archiepiscopo Salisburgensi & Paulo Gurcensi episcopo prouinciam dedisse, vt rite marchionem censurarum nexu exoluerent.

d Ext. in arce S. Angelo & inter collect. Plat. to. 3. pag. 144 et lib. priuil. Rom. eccl. to. 1. pag. 217. & MS. bib. Vall. sign. lit. S. n. 12 pag. 552.
Ludouic. marchio Brandeb. ecclesiæ gratiam expetit.

Reuerendis in Christo patribus Paulo Frisingensi olim Gurcensi episcopo, & Petro abbati monasterij S. Lamberti Salczeburgensis diœcesis, super infrascriptis a sede apostolica commissarijs specialiter deputatis, Rodulphus Dei gratia dux Austriæ, Stiriæ, & Carinthiæ reuerentiam in omnibus debitam & condignam.

Ad paternitatum vestrarum deducimus notitiam, nos plene olim sciuisse & scire, quod claræ memoriæ dominus Albertus dux Austriæ genitor noster, cupiens quod magnificus princeps dominus Ludouicus marchio Brandeburgensis consanguineus noster ad gratiam & communionem sanctæ Romanæ ecclesiæ, extra quas erat, rediret & gratiose reciperetur ab ea; & vt omnia & singula, quæ dictus dominus marchio ea occasione offerret, promitteret, iuraret, ac facere implere secundum mandata apostolica deberet, firmiorem consequeretur effectum; vos dominum Paulum, tunc Gurcensem nunc vero Frisingensem episcopum, ac Fridericum comitem Ciliæ suos procuratores constituit, & ad præsentiam sanctissimi patris domini Innocentij, diuina prouidentia Papæ VI. vobis & eidem comiti ab eodem genitore nostro mandato super hoc tradito, sui nomine promittendi ac ipsum etiam obligandi, quod ipse genitor noster faceret & facere curaret, quod idem marchio ea omnia & singula, quæ offerret, promitteret, & iuraret, & effectualiter adimpleret; & quod omnes pœnitentiam, satisfactionem, & emendam, quæ dicto domino marchioni pro eius culpis & excessibus, per præfatum dominum Papam, vel alium, seu alios eius nomine & mandato forent impositæ, infra tempora, super his per ipsum dominum Papam, vel alios deputatos ab eo præfigenda, deuote, realiter, & cum effectu peragerer, & compleret.

Missi ab eo oratores.
Albertus Austriac. interpres adhibitus.

Et quia, sicut domino placuit, antequam prædicta fieri possent, genitor noster debitum naturæ persoluit; nos, intendentes voluntatem & factum paterna prosequi reuerentia filiali, asserimus nos vidisse, & audiuisse literas dicti domini Papæ super præmissis vobis directas, & earum contenta, nobis per literatos viros fore exposita & vulgarizata, quarum literarum tenor sic incipit: *Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Ortholfo archiepiscopo Salzeburgensi, & Paulo episcopo Gurcensi, ac dilecto filio Ioanni abbati monasterij S. Lamberti Salzeburgensis diœcesis salutem, &c. Patris misericordiarum, & saluatoris nostri domini Iesu Christi, sancta Romana ecclesia sanctorum mater, & magistra fidelium, cuius, licet immeriti, regimini præsidemus, &c.* Et finiunt, *rata, firma, & grata habebo, & approbabo, & nihilominus per eundem marchionem adimpleri curabo. Dat. Viennæ xvi. die nouembris anno Domini* MCCCLVI. Aggregarunt fidelium consortio Paulus episcopus ac Petrus abbas Ludouicum marchionem Brandeburgensem, de quo inferius agendum erit: creatus vero fuerat Paulus a v. id. iunij Apostolicæ sedis internuntius in Salisburgensi diœcesi, amplissimisque prærogatiuis exornatus b. Præterea data ei prouincia fuerat c extremo superiori anno, vt exortam inter Albertum ducem Austriæ Rodulphi memorati parentem atque Ioannem marchionem Morauiæ Imperatoris fratrem controuersiam, quæ in atrox erumpebat bellum, componeret, inducijsque sedis Apostolicæ auctoritate indictis hostiles excursiones compesceret.

Mortuo filio Rodulpho id munus demandat.
a To. 5 ep. secr. pag. 96.
b Ib. pag. 101.
Austriac. & Morauus dissidentes.
c Ib. pag. 1.

6 Hoc anno confecta est a Vinticho cruciferorum equitum magistro expeditio d aduersus Lithuanos infideles, cum plures e Germania principes, atque ex ipsa Anglia turmæ in Prussiam confluxissent: ijs enim auctus irrupit magno terrore in Lithuaniam, atque infidelibus in aciem descendere non ausis, late agros populatus spolijs & manubijs hostium onustus rediit. Felicius quidem Germanæ illæ Anglæque copiæ a suis dimissæ Regibus arma vertere aduersus infideles, quam aliæ, quæ Lando duce ad exercenda in Italia latrocinia, omnisque generis patranda scelera ferrum conuerterant, ac demum, vastata Insubria, se Romanæ ecclesiæ terris insuderant: ad quas inde reuocandas Pontifex Carolum Imperatorem solicitauit e. Premebat tum legatus Cæsenam obsidione, cum fœderati prædones ecclesiæ hostibus subsidio missi f sunt. De quibus imminentibus a Pontifice monitus g obsidionem die noctuque vrsit; ac demum vrbem inito cum ciuibus fœderis colloquio obtinuit, arcemque subrutis propugnaculis expugnauit, in qua Ciam cepit h Ordelaffi tyranni coniugem, pertinacissimi pectoris fœminam, quæ casis terro ijs h a quibus se proditam putabat, incredibili audacia interiora mœnia cum fidissimis militibus tuebatur. Cuius victoriæ nuntio recreatus Pontifex, ad Ægidium Cardinalem legatum gratulatorias literas dedit l.

Cruciferorum in Lithuaniam expeditio.
d Mechou. l. 4. c. 25.
Lãdo prædonũ Italiam euastantium dux.
e To. 5. ep. secr. pag. 79.
Cæsena expugnata.
f Matth. Vill. l. 7. c. 64.
g To. 5. ep. secr. pag. 78.
h Vit. Nic. Laur. c. 18. i Matth. Vill. l. 7. c. 55. & 64.
l To. 5. ep. secr. pag. 58.

In ea Cæsenæ expugnatione Vngaricum equitem egregiam legato operam nauasse, refert

Ni-

Nicolai Laurentij vitæ auctor a: Ludouicum quippe Vngariæ Regem Pontifex crucesignati exercitus ducem aduersus ecclesiæ perdueller, ac præsertim Ordelaffum creatat, vt eo honoris titulo ipsum ad præstanda legato auxilia obstringeret; in deprecatorijs enim ea de re literis ineũte anno datis hæc ad Regem ipsum scribebat b: *Aduersus eum*, nimirum Ordelaffum, *velut hæreticum iusto iudicio sententialiter condemnatum; vt spirituali simul & temporali virga percussus redderetur omnino impotens ad nocendum, crucem cum consuetis indulgentijs mandauimus prædicari, te sicut specialem filium ecclesiæ Dei, & athletam Domini strenuum, contra illum specialiter & contra alios rebelles eiusdem ecclesiæ capitaneum generalem deputantes, &c. Dat. Auin. id. ianuarij anno v.* Procurrebant in Ordelaffi opem prædonum sociæ turmæ; sed Ægidij legati studio dissolutæ c dissipatæque fuerunt. Qua de re Innocentius Ægidio Cardinali est gratulatus: *Receptis*, inquit, *nuper literis tuis benignitate solita, & tam ijs quæ continebantur in illis, quam ijs, quæ dilecto filio nostro Andoino tit. SS. Ioannis & Pauli presbytero Cardinali scripseras intellectis, gauisi sumus, quod societas illa pestilens tuo studio dissoluta sit, sperantes firmiter multis malis, quæ societate ipsa vescente a vetitis & solitis abstinere, ventura fidelibus Italiæ populis timebantur, salubriter obuiatum.*

a Vit. Nic. Laur. c. 18

b To. 5. ep. secr. pag. 3. Crucesignata militia indicta in Ordelaffum.

c Ibid. ep. secr. pag. 209. Prædonũ sociæ copiæ dissipatæ.

Cumulati sunt secundi ij successus Castri noui & Britenorianæ arcis expugnatione d: tũ Ægidius Cardinalis castra promouit ad Forumliuium e, in qua vrbe Ordelaffus sedem tyrannidis fixerat: propugnabatq; tanta pertinaciæ ferocia f, vt cum Aegidius legatus ipsi coniugem ac liberos Cæsenæ captos redditurum se polliceretur e, opportunasque pacis leges offerret, tyrannus illum accusaret amentiæ, ac si in suam potestatem caderet, laqueo præfocaturum iactaret. Si quos vero in eruptionibus crucesignatos caperet, ipsos ludibrij causa detracto crucis symbolo vestibus affixo, quod facile marcere ac deleri aiebat, candenti ferro in formam crucis efformato inurebat, vel exquisitissimis supplicijs conficiebat. Cumque filius amicorum consilijs madentibus oculis lacrymis eum obsecraret, vt legati clementiæ se permitteret, seque ac suorum vitam redimeret, indignatus suo negauie satum sanguine, extractoque cultro fugientem transfixit, ex quo vulnere a crudeli patre necatus filius paucis post horis animam efflauit. Par crudelitatis genus experta est illius filia nupta, quæ cum ipsum passis comis in genua prouoluta deprecaretur, vt matrem e vinculis liberaret; Ordelaffus nullo responso dato, arrepta manu coma filiæ collum ferro secuit. Quibus editis immanitatis in suos exemplis, nemo ipsum de facienda deditione interpellare ausus est, ac producta obsidione, Ægidius legatus, relicto in castris successore Androino Cluniacensi abbate, ad aulam pontificiam redijt, frustratusque est votis suis Pontifex, qui Androino dare operam iusserat g, vt antequam Ægidius Italia abscederet, Franciscus Ordelaffus tyrannide depulsus esset.

d Matth. Vill. l. 7. c. 79. 83. & vita Nic. Laur. c. 18 Ordelaffus Foroliuij obsessus.

e Matth. Vill. l. 7. c. 94. Ipsius insana pertinacia.

f Vita Nic. Laur. c. 18 Eiusdem crudelis impietas.

Filium conficit.

Filiam capite truncat.

Ægidius Card. abscedit ex Italia.

g To. 5. ep. secr. pag. 210.

7 Quod attinet ad Ludouicum Regem Vngariæ, cuius equestribus copijs in domandis hostibus Pontificem visum vidimus; vexabat ipse acerrimo bello Venetos in Dalmatia & marchia Taruisina, cuius molem cum sustinere posse diffiderent Veneti, Tranum ac Spalatrum, missis oratoribus, ad redimendam pacem obtulere. Quo audito eæ vrbes, ne dluendi viderentur, sponte in Vngarorum potentiam concesserunt a: neque ita multo post Iadera impetu noctu capta ab Vngaris b: qua vrbe potitus Ludouicus obsidendarum Venetiarum terrorem Venetis incussit. Fluebant ipsi secundæ Taruisinæ res: commisso enim cum Taruisinis prælio, Vngari victoriam retulere c. Quibus cladibus attritus Ioannes Delphinus dux pacis leges a victore accipere, ac Dalmatiæ arces Vngaro restituere coactus est.

Vngari contra Venetos progressus.

a b vita Vill. l. 7. c. 82.

b Id. l. 8. c. 19. Appendix. Andr. Dand. in Io Delphino Duce Venet. M. S. et alii.

c Matth. Vill. l. 8. c. 30.

8 In Sicilia Ludouicus Rex ac Ioanna Regina, recuperandæ Trinacriæ atque ex inuasorum manibus eripiendæ intenti, insulanorum studijs pluribus secundis successibus sunt aucti: ac Pontifex, abolendæ in ea Aragoniæ tyrannidis cupidus, Thomam e S. Seuerino Marsicanum comitem, aliosque citerioris Siciliæ proceres sollicitauit d, vt Regi opem certatim explicarent. Defixerat castra apud Cataniam Ludouicus Rex, in qua Fridericus Catalanorum ope duce præcipuo Artale de Alagona se tuebatur, deinumque veniente Catalanorum auxiliari classe, Ludouicus turpiter obsidionem soluit.

Aragoniorum in Trinacria res depressæ.

d To. 5. ep. secr. pag. 42.

e Matth. Vill. l. 7. c. 72. Rainal. post duo l. 9. Sur. l. 8. c. 14 et alii.

Quod ad Genuenses Ludouici Regis in Caranesi bello fœderatos spectat. Præerat ijs Simõ Buccanigra, qui hoc anno publicam rem admodum auxit, Sauona, Vigintimilio, & Monacho illi restitutis f: voluensque maiora, in Sardiniam classem immisit g. Ne vero ea discordia maiora pareret bella, Pontifex apostolicam auctoritatem adhibendam ratus, de redintegrando fœdere Petrum Regem h ac Simonem Buccanigram i interpellauit.

Genuensis respublica instaurata.

f Vill. eod. lib. 7. c. 47. 86. et 93

g Eod. lib. c. 104.

h To. 5. ep. secr. pag. 108

i Ib. pag. 109.

9 Implicitus alio bello grauissimo erat Petrus Rex, atque vrgebatur a Petro Rege Castellæ, qui ineunte anno magnis succinctus copijs irrupit l in Aragoniam, ac Tirasonam mense februario cepit: in quam vrbem mox pulsis Aragonijs coloniam Castellanorum deduxit, interque eos agros circumiacentes diuisit. Attulit is casus ingentem terrorem Aragonio, vt se nec Cæsaraugustæ mœnibus tutum putaret, contraxitque mox ad Castellanum reprimendum quantum potuit exercitum. Constiterant mense aprili m aduersæ acies ad pugnam accinctæ, in qua plurimus sanguis Christianus fundendus erat, cum Guillelmus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis A. S. L. per castra discurrit n, ac Reges principesque diuini Numinis ac religionis metu commouit, ne qui vires in barbaros coniungere erant soliti, se mutuo attererent, ac Mahometanis Hispanias inuadendas exponerent. Delegit vtraque pars Cardinalem legatum pacis interpretem, vt æquitate controuersiam dirimeret: ac sacramento se obstrinxit, illius sententiæ pariturum: detrectanti centum millium marcharum mulcta incussa, atque interdictum ecclesiasticum intentatum. Sancitum etiam, vt captæ vtrinque arces ipsius fidei committerentur, quo de ijs, vti visum foret, statueret. Induciæ præterea non modo firmatæ inter Reges, verum etiam Genuenses inter & Aragonios constitutæ.

Castellani in Aragoniam irruptio.

l Matth. Vill. l. 7. c. 50. et Gesta Innoc. VI. apud Bosq. Mariam. l. 17. c. 1. et alii.

Guillelmi Card. cura pro redintegranda pace.

m Matth. Vill. l. 7. c. 60.

n Sur. l. 9. c. 11. Mariana l. 17. c. 4.

Cum ita res compositæ putarentur, inopino casu in maiorem discordiam exarserunt: recusarunt Regis Castellæ præsidiariæ copiæ controuersis arcibus, vt erat sancitum o, abscedere; sed Legati nomine eas retenturas respondere p: vrgente vero oratore Aragonio, vt legati potestati liberæ subijcerentur, Castellanis repugnantibus, dissensio aucta est. Cuius pacandæ cupidus Ponti-

o To. 5. ep. secr. pag. 122.

p Sur. l. 9. c. 12. Sollicitat ad pacem Reges Hispani.

rifex vtrumque Regem, conceptis eadem verborum forma literis, ad fidei religionem colendam hortatus est a: *Verbum*, inquit, *regium obtinere debet vim & vinculum iuramenti*, &c. Imposita præterea Guillelmo Cardinali prouincia b, vt cum Regibus intentatum esset anathema, interdictumque ecclesiasticum ipsorum terris, si a promissis discederent, censuris violatæ fidei reum percelleret. Pronuntiarunt fuisse a legato Tudelæ xxvi. iunij die Regē Castellæ anathemate se deuinxisse, atque illius regnum sacris interdictum, donec Tirasonam ex fœderis tabulis sibi liberam tradidisset, narrat Surita c: ac tum magis exasperatis rebus, Reges Aragoniæ & Castellæ Anglos & Francos aliosque finitimos ad armorum societatem pellicere meditatos. Cum porro Pontifex Cardinalem legatum bellum accensum restinguere non posse conspiceret, ipsum ex Hispanijs reuocauit d: ac Regem Aragonum, cuius precibus datum erat, vt aliquandiu subsisteret in Hispania e, rogauit f vt rem moderate ferret, vtque legato Cardinali censuras ecclesiasticas incussuro Petro Regi Castellæ, quem flectere ad adulteram a se abijciendam non poterat auxilio esset g. Sæpius iam ante in adulterij cœno iacentem Castellanum erigere paternis studijs, atq; ad diuinarum legum obseruantiam traducere erat conatus Innocentius, & hoc ipso anno violatæ in abiecta Regina Blanca diuinæ maiestatis commonefecit h.

a To. 5. ep. secr. pag. 122, 123.
b Ib pag. 223.
c Sur. super. 9. 12.
d To. 5. ep. secr pag. 174 175. et pag. 229.
e Pag 174
f Pag. 175. 201.
g Pag. 193
h Pag. 214.

10 *Si*, inquit, *quandoque petitiones tuæ quædam nequaquam ad gratiam exauditionis introeunt molestiam, princeps inclyte, habere non debes, nec imputare voluntati, quod est potius rationis: cum enim illud posse dicamur, quod de iure possumus, quoties iuris transcendimus limites, rapimur extra potentiam; & Deo, cui est accepta iustitia, liquido displicere probamur*. Et infra: *Cæterum quia non possumus sine prædicto salutis nostræ ea, quæ saluti tuæ sunt contraria reticere, cum per prophetam annunciare populo Domini peccata iubeamur eorum, post salutaria monita, exhortationes, & preces, quibus apud te frequentissime recolimus institisse, iterum petimus, & per viscera misericordiæ Dei attentius obsecramus, quatenus prudenter attendas, quod in abiectione charissimæ in Christo filiæ nostræ Blanchæ Reginæ Castellæ et Legionis illustris vxoris tuæ Deum creatorem tuum vehementer offendis, famæ tuæ detrahis, derogas & saluti, &c. Dat. apud Villamnou. Auin. diœcesis xi. kal. iulij pontificatus nostri anno v.*

Commonetus Castellanus, vt vxorē recipiat.

Nec Pontifex modo & Guillelmus Cardinalis legatus ad reuocandum ad saniorem mentem Petrum Castellæ Regem incubuere; verum etiam Bertrandus episcopus Conuenarum, quamuis præcipue ad pacem ipsum inter & Aragonium redintegrandam legatus esset a sede Apostolica, operam nauare iussus est i. Quæ omnia cum cecidissent irrita, hæc ad legatū scripsit Pontifex l: *Attendentes, quod patientia nostra negligentiæ notaretur; nec intendentes deferre amplius homini contra Deum, habita cum fratribus nostris deliberatione matura, decreuimus aduersus eundem Regem (iustitia suadente) procedere, prout tanti negotij qualitas exigit, tantusque contemptus clauium expostit ecclesiæ, & regnorum dicti Regis conditio miseranda requirit*. Data demum mense augusto legato im etia m, vt legationis fines egressus iudiciario ordine adulterum Regem, consiliarios, & fautores censuris defigeret.

i Ib pag. 4.
l Ib. pag. 69.
Iterū legit° in eum exercendis actum.
m Pag. 134

11 Addimus Hispanicis rebus, Alfonsum Lusitaniæ Regem hoc anno e viuis ereptum, quo ferme tempore Pontifex ipsi literas viii. kal. iul. de excepta oratoribus mittebat a; cum regnasset annos triginta & eo amplius. Corpus Vlyssippone ad aram templi maximam conditum b. Successit Alfonso in Lusitaniæ regno Petrus filius: a quo de paterno obitu certior factus Innocentius, magno se dolore ideo affectum ei significauit: cum egregiam principem, qui præclaria virtutibus dignitatem regiam decorabat, præcipuo amore esset prosecutus, optaretque vt diutissime magno publicæ Christianæ rei beneficio vixisset. Tum Petrum solatus hortatusque est c, vt parentis optimi imitaretur virtutes, Romanam vniuersalem ecclesiam obsequijs ac beneficijs complecteretur, ecclesiasticis viris faueret, orphanorum & viduarum tutelam susciperet, omnesque optimi principis partes impleret.

Alfonsi Reg. Lusit. obitus.
a Pag. 160
Petrus Lusitanum sceptrum capessit.
b Io. Mar. de reb. Hisp. l. 17. c. 2.
c To. 5. ep. secr. pag. 161.

Innocentius &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Portugaliæ illustri.

Pontificię ad eum literæ.

Claræ memoriæ Alfonsi Regis Portugaliæ patris tui ab hac luce transitus, quem nobis literas tuas fama præueniens nunciauit, graui nos amaritudine, grauique mœrore conspersit. Siquidem virtutes eius, quibus dignitatem regiam illustrabat, debita consideratione pensantes; ac proinde illum inter cæteros catholicos orbis terræ principes, charum acceptumque habentes, desiderabamus attentius, vt longitudinem temporum ei tribueret Dominus, & regni sui dilataret terminos, paceque firmaret: sicque cum plenus dierum, in senectute bona cum patribus suis illum (Deo vocante) quiesceret, natus pro patre filius gubernacula regni suscipiens, illis feliciter præsideret. Sed quoniam vitæ mortisque arbiter & distributor omnipotens, quem cum libuit, nasci dedit; cum eum placuit in dicto fine vitæ ad se (vt pie credimus) reuocauit, dolori terminum ponimus, & in eo, qui dedit & abstulit, consolamur; sperantes firmiter, quod ipse, qui in terris positus studuit operatione virtutum, & exercitio bonorum operum, placere omnium Conditori, ab eo, apud quem nullum bonum irremuneratum esse constat, mercedis præmia est adeptus in cælis.

Quamobrem serenitatem tuam monemus & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, quatenus tu quoque, fili charissime, in Domino consolationem recipias: & attendens, quod illi succedis, qui se totum exhibebat vita & moribus Christianum, sta semper in timore Domini: honora sponsam suā sanctā Romanam & vniuersalem ecclesiam: personis ecclesiasticis faue: iura & libertates earum illibate custodi: pupillorum & orphanorum, viduarumque protector & defensor existe; subditorum tuorum grauamina releua, & iniurias detestare; sicque sine personarum acceptione, iustitiæ verum exhibe te cultorem, quod nomen Regis implere operibus comproberis. Sic enim agens, temporum prosperitate lætaberis, & optata pace frueris, ipsumque Deum propitium amplius tibi constitues, & eandem ecclesiam ad honores & commoda tua promouenda reddes speciali quodam debito promptiorem, &c. *Datum Auin. x. kal. augusti anno v.*

Hortatur ipsum ad virtutes dignas principe.

12 Hoc anno cœptum in Fraticellos, qui ementito religioso cultu prauarum opinionum virus spargebant, iudiciorum ordinem vrsit Innocentius: atque encyclicis literis d in Italiam missis, archiepiscopos, episcopos, abbates, alios-

Districtæ leges in Fraticellos.
d An. 5. ep. cur. 12.

que

que sacerdotes, ad comprimendam illorum nequitiam excubias agere iussit. Ii contra Apostoli oraculum, ***Quomodo prædicabunt nisi mittantur?*** hæreticorum more sibi concionum habendarum munus sine præsulum auctoritate arrogabant. De quibus hæc habet Innocentius a: ***Sibi officium prædicationis vsurpant, & contra catholicæ fidei puritatem varias inducunt sectas, erroresque varios damnabiliter seminant.*** Commoniti etiam principes, vrbium prætores, ac magistratus fuere, vt ad comprehendendos hos pseudoprophetas studio non deessent: cumque Fraticellorum magister Thomas Franciscani ordinis exepiscopus Aquinas apud Albenses cum socijs impietatis delitescaret, Pontifex Albæ præsidi dedit imperia b, vt eos vinculis traderet: quorum scelera hypocrisis inuolucro aureo subornata in luce collocauit.

a lib. ep. 13. — *Horum princeps Thomas pseudominorita ex episcopus.* — *b Ep. cur. 13.*

Innocentius &c. dilectis filijs nobili viro iustitiario comitatus Albæ, eiusque locum tenentibus.

Turbauit iam diu, nec immerito, mentem nostram rumor infestus, qui de nonnullis superstitiosis viris, Fraticellis vulgariter nuncupatis, per partes illas euagantibus, eorumque detestandis ausibus vulgabatur. Sed tanto nunc inde maiori dolore perfundimur, quanto eorum damnata temeritas in adhærentium seu credentium eis multitudine ac præsumptionis audacia quotidie, sicut accepimus, periculosius inualescit. Intelleximus equidem quod huiusmodi Fraticelli (quorum ille perditionis filius Thomas olim Aquinas episcopus dicitur dux & caput, & quorum nonnulli in comitatu Albæ & alijs terris tuis sæpius se receptant) velut pseudoprophetæ, a quibus iuxta præceptum Domini attendendum est, sub vestimentis ouium lupinam rabiem tegentes interius, sibique prædicationis vsurpantes officium, ac in cælum os ponere non verentes, nouas & damnabiles induxerunt & inducunt sectas, erroresque varios seminant, edocent & obseruant, & sub cuiusdam simulatæ humilitatis habitu, fictisque sermonibus multos simplices decipiunt & seducunt, aliaque plura enormia dicunt, faciunt, & committunt, quæ in diuinæ maiestatis offensam, catholicæ fidei detrimentum, ac præfatæ sedis contemptum, animarum periculum, & scandalum plurimorum cedere dignoscuntur, &c. ***Dat. Auin. x. kal. nouembris anno v.*** Finxisse hos hæreticos se purissima sancti Francisci instituta sectari, & simplices aspectiore Minoritarum cultu circumuenisse, iam antea iudicatum est, atque ex Lucæ Vvadinghi historia confirmatur.

Vt pseudoprophetæ missi a Deo ad prædicandum mentiebâtur.

13 Addimus ad huius anni calcem ex Matthæo Villano c instauratam Florentiæ academiam, quam aliquot ante annis Clemens VI. instituerat d, latamque sanctissimam legem e, vt morientium animabus consuleretur, ne medici duabus exceptis vicibus adirent ægros, nisi prius vocato sacerdote conscientiam expiassent, incussa transgressuris quingentarum librarum mulcta: præterea annis singulis sacramento a magistratu medici obstringi iussi sunt. Quæ pia lex paulo post exoleuit.

Pia lex de ægrotis lata. — *d Cle. VI. an. 8. l. 4. p. 2. int. diuers. form. ep. 23.* — *e Matth. Vill. l. 7. c. 92.*

IESV CHRISTI

annus 1358.

INNOC. PP. VI. 6. — CAROLI IV. IMP. OCCID. 13. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 18.

a RESTITVTA est pluribus populis pax anno a virgineo partu millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo indictione vndecima: recepit enim e diuturno carcere emissum Regem suum Scotia: pacata felici fœdere Insubria: Etruria composita: liberata intestino bello citerior Sicilia; Venetosque inter & Vngaros post diuturna & atrocia prælia reuocata concordia. Succumbere cœperat Veneta respublica diuturno attrita bello sub Ludouici Vngariæ Regis potentia, & Iaderam, ob quam susceptum potissime erat bellum, amiserat, neque vlla secundorum successuum spes collapsis rebus affulgebat. Exorauit itaque pacem a, quæ ijs legibus percussa, vt Ludouicus Vngariæ Rex marchiam Taruisinam, quæ Romani erat imperij, quamque ille imperialibus erectis signis oppugnarat, Venetis permitteret: terras quas suas contendebat in Dalmatia & Istria sitas vna cum Iadertina arce, quæ valido munita præsidio etiam capta vrbe adhuc a Venetis tenebatur, reciperet: præterea obstricti Veneti ad maritimam classem vigintiquatuor triremium numero, cum libitum foret, regio sumptu instruendas.

Veneti Vngarico bello oppressi. — *a Matth. Vill. l. 8. c. 30. Diar. M.S. Ven. Append. ad And. Dan. hist. auct. ab Io. Delphino & alii.* — *Pacem a Lud. redimunt.*

Fessi etiam bellorum cladibus Insubres in amplectenda concordia consensere b: Vicecomites quidem, licet pollerent viribus, plures tamen in Pedemontio terras, ac Nouariam, Ticinum, Nouocomum, Sauonam, Genuam amiserant: captata quippe belli occasione iugum Liguria excusserat. Fœderati vicissim Genuenses nimirum, Ioannes marchio Montisferrati, Atestini marchiones, Bononienses, Ticinenses, ac Mantuani sumptibus triennalis belli erant exhausti. Quieuit tum Etruria, cum Senenses, qui de Cortona cum Perusinis magno tumultu contenderant, ab ijs profligati, meliores pacis fructus decerpere maluissent c. Quo etiam tempore cum Androinus abbas Cluniacensis rei militaris minus peritus esset d, Aegidius Cardinalis iterum in Italiam legatus est ab Innocentio e: & intestini tumultus in Sicilia citeriori prudentum virorum studijs sedati sunt f, ac post comitis Altimuri Palatini ignominiosam mortem (qua ille, qui se Regem Apuliæ dixerat, latronis instar papyracea corona, in qua descripta erant scelera, redimitus laqueo est præfocatus g) Ludouicus Dyrrachinus princeps coniurationis particeps Ludouico Regi consanguineo est conciliatus. At vlteriorem Siciliam insulanorum discordiæ veteres laniabant, cum Messana, quæ ad iussi Regis, Ludouici scilicet generis Gallici, obsequium conuersa, illius partes tueretur: Catania vero Friderici principis Aragonij dominatum ferro flammaque firmare niteretur; ex quo maximæ clades vltro citroque acceptæ.

Insubres ad pacem inclinant. — *b Matth. Vill. l. 8. c. 32.* — *Pacata Etruria.* — *c Cap. 102* — *Abbas Cluniac. rei militaris minus peritus.* — *d Ib. c. 103* — *Ægidij Card. secunda in Italiam legatio.* — *e Ibid. cap.* — *Siculæ turbæ compositæ.* — *Trinacria bello laniata.* — *f Ib. c. 53.* — *g Vetus Ms. Lam. c. 14.*

2 Exagitabat etiam Gallias ciuilis furor: ad quē sedandum Pontifex Talayrandum Albanēsem episcopum & Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinales omni studio & contentione extremo anno superiori dare operam iusserat h, vt delphinum ac Nauarræ Regem inter sese conciliarent, eundemq; delfinatus & Normanniæ principē, vt Cardinalium consilijs se accōmodaret, propositis ingentibus malis, quæ pararet discordia so-

Duo Cardinales ad sedandas turbas legati. — *h To. 6 ep. secr. pag. 5.*

liciauit a quo firmari eum Anglo fœdus, Ioannesque Rex libertati restitui posset.

a Ib. pag. 6.

Innocentius, &c. dilecto filio nobili viro Carolo duci Normanniæ charissimi in Christo filij nostri Ioannis Regis Francorum illustris primogenito.

Et si re grauis negociorum multitudo circumstrepat, variæque solicitudines, vltra quam tenella adhuc ætas tua requirat, pectus tuum ad expedienda, quæ imminent multipliciter inter pellentur; nihilominus tamen illud tuis semper infixum esse debet affectibus, vt genitoris tui liberationem procures quanto poteа ardentius festinare, quæ vna cum desiderata nobis & toti Romanæ ecclesiæ pace inter ipsum & charissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem fienda, ex huiusmodi discordijs, quasi obstaculis oppositis, recepisse verisimiliter creditur tarditatem. Igitur, fili, vt liberationem præfati genitoris tui, & statum pacificum suum ac tuum, & præfati regni videre dignius merearis, audi & vide, inclina aurem tuam in monita patris tui: nec te adeo conceptus ex quacumque causa iuuenilis feruor incendat, vt non sentias plura intestinis discordijs, quam exteria bellis regna & imperia, & sæpenumero potentissimas ac famosissimas toto orbe respublicas corruisse. Attende quanta sit pacis dignitas, sine cuius consortio bona cætera facile pereunt & turbantur: nene velis, quantum tibi fuerit ex alto concessum, præfatum nobile regnum, quod (Deo annuente) annis ordine suo currentibus tibi felici dominio reseruatur, in manibus tuis taliter collabi, & suis in sanguinem suum conuersis viribus conquassari, vt sibi nocuisse magis domestica scandala, quam arma hostilia videantur. Nos enim plenam gerentes de diuina pietate fiduciã, ac sedari huiusmodi domesticos turbines opportunis adhibitis remedijs cupientes, venerabili fratri Talayrando Albanensi episcopo, & dilecto filio nostro Nicolan tit. S. Vitalis presbytero Cardinali Apostolicę sedis nuncijs tractatum huiusmodi, & stabilitionem dictæ concordiæ duximus committendum, qui nobiscum in tantorum continuo excrescentium malorum labore & afflictione participes, ad præfatam iungendam inter vos concordiam secundum datam eis a Deo prudentiæ plenitudinem insudabunt, prout etiam non cessant sinceris continuo affectibus insudare. *Datum Auin. v i i r. kal. ianuarij anno vi.*

Monitus delphinus vt patrē liberet.

Ciuiles discordias cōponat.

Auscultet legatos.

3 Conceptæ sunt eadem pene verborum forma literæ b ad Carolum Nauarræ Regem, vt ruentis patriæ misereretur. Sed spreuit ipse pontificia monita: ad Gallicum enim sceptrum materno iure Anglico antiquiore contendebat, eoque licentius grassarua in Gallos, quo imparatiores erant, cum rumor increbresceret Reges inter se de pace in Anglia conuenisse: Eduardus enim Gallo has fœderis leges mense maio proposuerat c, vt Normanniam, Anghiensem, Ghinensem, atque Itiensem comitatus, ac sexcenta aureorum millia adipiscendæ libertatis causa traderet: quibus cum assentiretur Ioannes Francorum Rex, mutuis Regum osculis sancita pax diuulgata est. Fefellit tamen exitus omnium expectationem: licet enim Ioannes sincero animo rem ageret, Eduardus tamen cum ciuili bello ardere Gallias videret, illud magis inflammabat, vt eas sibi subijceret: vtque violatæ pacis dedecus Gallo aspergeret, obsistebat d, ne pactum aurum

b Ib. pag. 7

Propositę ab Anglo pacis leges.

c Matth. Vill. l. 8. c. 51.

Idem, ne mandentur opera obsistit.

d Eod. l. 8. c. 104.

contraheretur; & miscebat Gallias, submisso Regi Nauarræ plurimo auxiliari milite, quo ille succinctus late ferrum flammatque circumferebat. Ea vero fama perculsus Pontifex, qui ex spe pacis ingentem perceperat lætitiam, se dolore ex nouis tumultibus confectum Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinali, qui vna cum Talayrando Card. episcopo Albanensi apostolica legatione (vt dixi) fungebatur, significauit a.

a Lib. 6. ep. cur. 28.

Pridem, inquit, *exultantibus animis intellecto, quod Rege pacifico charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ioannis Franciæ & Eduardi Angliæ Regum illustrium corda tangente, ac tua & venerabilis fratris nostri Talarandi episcopi Albanensis, quos ad Franciæ & Angliæ regna pro pace inter ipsos Reges, auctore Domino, reformanda dudum antea duxeramus velut pacis angelos destinandos, ad id operationis instantia laborante, pax & concordia inter Reges eosdem inita fuerat & firmata; lætati sumus in Domino, deuotasque sibi laudes reddidimus, & vitulum labiorum. Sed postmodum pacis æmulo humani generis inimico inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Nauarræ Regem illustrem, & dilectum filium nobilem virum Carolum ducem Normanniæ primogenitum suscitante rancorem, grauique inter eos commotione suborta, per quam non solum executioni pacis prædictæ impedimenta aut saltem obstacula dilationis afferri, sed & regnum ipsum Franciæ intestini belli furore, ex quo mala tam plurima sunt secuta, & maiora etiam non absque animarum periculis secutura verisimiliter formidantur, perniciose nimis conquassari timetur; grauis nos dolor arripuit, ac vexauit & vexat assidue turbationis vehementia mentem nostram, &c. Dat. Auin. i i i. kal. septembris anno vi.* Vrsit eosdem Cardinales legatos pluribus imperijs b, vt ad delphinum ac Nauarræ Regem in concordiam redigendos incumberent. At ipsi, cum animaduerterent Anglorum dolo consumi labores, mense octobri ad aulam apostolicam sunt reuersi.

b Ib. ex 6. ep. secr. pag. 5.

4 Quod ad res Anglicas spectat; tradunt auctores c Edoardum in conuiuijs, ludis, atque hastiludijs luxum explicuisse, dum duos Reges Gallum Scotumque bello captos ostentabat. Restitutum autem hoc anno ab Eduardo Rege Angliæ libertati Dauidem Regem Scotiæ, indicat Matthæus Villanus d, cuius fœderis leges Hector Boethius his verbis perstringit e: *Communi consensu vtriusque regni Dauid liberatus est vndecimo ex quo captus fuerat anno, numeratis quingentis millibus marcharum sterlingorum præsenti pecunia, tantundem pollicens sese per pensiones daturum, datis in fidem obsidibus.* Addit auctor reuersum in Scotiam Dauidem seueritate vsum in eos, qui ipsum in prælio deseruissent, ac Robertum Stuart a Roberto Brusio Rege auunculo secundum regni heredem scriptum communi regni consilio, si absque prole mascula obiret, hereditario iure ob præteritam colpam priuasse, regnique iura in Alexandrum Sutyrland ex sorore nepotem transfudisse, adactis in illius verba sacramento proceribus; sed eo immature sublato, pristina iura Roberto Stuart sanguine coniunctissimo restituisse: coegisse præterea regni ordines, vt si Scoti assentirentur, regnum ad Angliæ Regis filium deriuaret, cum id Eduardo esset pollicitus: sed in medio procerum senatu tantam ex eo obortam indignationem, vt se nunquam, dum tela in dextris gestare possent, Anglo Scoticum sceptrum permissuros exclamarent. Oppressit porro Angliæ Rex,

c Matth. Vill. l. 8. c. 101. Vval. in Eduard III.

Scotiæ Rex libertati restitutus.

d Eod. l. 8. c. 36.

e Hector Boeth. hist. Scot. l. 15

Detrectāt Scoti Anglis subijci.

Rex, vt effusos sumptus sustentaret, viros ecclesiasticos, ex quibus Ioannes Eliensis episcopus ad sedem Apostolicam perfugit a: motusque illius querelarum æquitate Innocentius, nonnullos sanctioris regij consilij senatores ferijt anathemate, atque eorum, qui censuris deuincti obierant, corpora exhumari iussit: qua seueritate exasperatus Eduardus, vt ob successus bellicos fastu turgidus erat, iras concepit, eiusque administri plura in apostolicæ auctoritatis contemptum pertentarunt.

a Walsin. in Eduar. III.

5 Nec leuis etiam persecutio religiosos viros mendicantes exercuit in Anglia, cum nonnulli clerici suffusi inuidia falsa in eos dogmata ventilarent. De quo grauissimis querelis pulsatam sedem Apostolicam, Innocentius ad clerum Anglicanum scripsit b: Grauem, inquit, *dilectorum filiorum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum ordinum fratrum querelam accepimus continentem, quod ipsi tam prætextu quarundam prædicationum in regno Angliæ per nonnullos contra statum dictorum fratrum, illum de facto deprauantium & condemnantium, & non esse in statu salutis falso asserentium, olim factarum; quam quæstionis, quæ inter venerabilem fratrem nostrum Richardum archiepiscopum Armachanum ex vna parte, & fratres prædictos ex altera super nonnullis articulis per partes ipsas hinc inde propositis coram quibusdam ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ex commissione nostra apud sedem Apostolicam pendere dignoscitur in confessionibus Christi fidelium audiendis, prædicationibus verbi Dei, & libera sepultura, nec non & eleemosynis ab eis fieri eisdem fratribus consuetis, quas eis facere asserunt mendaciter esse peccatum; contra iustitiam impediuntur, & etiam perturbantur in ipsorum fratrum præiudicium, & maximam læsionem, &c.* His addit imperia Innocentius, intentata anathematis religione, vt ab his abstineant, neue eorum priuilegijs a superioribus Pontificibus concessis detrahant, donec ab Apostolica sede secus constitutum fuerit: quibus literis adiecta dies kal. octobris anno VI.

Cler' Angl. mendicantes vexant.

b An. 6. l. 2 ep. com. 382.

Primas Hiberniæ isdem lite apud sedē Apost. mouet.

De mota a Richardo archiepiscopo Armachano in Hibernia lite grauissima ordinibus mendicantibus memorat Innocentij vitæ scriptor c, & has affert causas, quæ ipsum in eam contentionem impulere: *Quia secundum eum in multis extendebant falcem suam in messem alienam, hoc est plusquam a iure eis permittitur seu conceditur de pertinentibus ad ecclesias parochiales, earumque rectores, vsurpando sibi: durauitque quæstio huiusmodi per aliquod tempus.* Consentit subiectis verbis M. S. Vaticani auctor d: *MCCCLVII. nouembris die octaua dominus Armachanus archiepiscopus primas Hiberniæ quæstionem cœpit coram domino Papa contra omnes ordines mendicantium.*

c Gesta Innoc. VI. apud Bosq. Quæ illū causa mouerit.

d M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765.

6 Exponit nitide huius controuersiæ capita, & argumenta præcipua Henricus Bictvvelt ordinis Prædicatorum theologus, qui de errore Ioannis e Poliaco, de quo plura a nobis alias dicta sunt e, locutus alium illi affinem ab Armachano confictum ait, confutatque; e quo hæc decerpimus f: *Alius error fuit Armacani, qui dictus est Richardus primas Hiberniæ, contra quem fecit & conclusit magister Guillelmus Iordani de Anglia coram Papa. Primo recitauit, sed asserere non audebat, vt patet in suo sermone coram Papa facto, qui incipit, Iustum iudicium iudicate; propter condemnationem articulorum præmissarum Ioannis de Poliaco, quod propter rationes, quas soluere non posset, sequitur quod stante statuto, Omnes vtriusque, quod populus parochialis a nullo peccato absolui posset nisi semel in anno confiteretur suo proprio sacerdoti, id est plebano, propterea quia esset contemptus, qui esset peccatum mortale & vnum non dimittitur sine alio. Ergo quicumque confiteretur fratribus, adhuc prima vmbra teneretur confiteri propter præceptum plebani. Et iste differt a primo errore in hoc, quod Ioannes de Poliaco negat potestatem absoluendi in fratribus: ipse autem concedit eos habere potestatem, sed nihilominus etiam de absolutis teneantur confiteri, suo propter cap. Omnis vtriusque, curato: & hoc probat multipliciter. Primo sic: Voluntarium non tollit præceptum circa idem. Ergo confessio facta fratri non tollit præceptum, Omnis vtriusque sexus. Consequentia patet quia primum est voluntarium, vt patet per cap. Dudum; & per hoc præceptum idem reuocatur in cap. Omnes, &c. Ergo, &c. Et ponit duo exempla scilicet ter in anno in ecclesia parochiali offerre ex præcepto, & frequenter offerre de beneplacito in anno apud fratres: similiter de audiendo missam in die dominica, & ex debito apud parochiam, vt per cap. Dominic. de parochijs, et eodem die audire apud fratres. Ex quo sunt duæ affirmatiuæ, quæ simul se non impugnant, & quia vtrumque est meritorium. Ergo meritorie iterari potest confessio sicut & missa & offerre. Et sic duo ponit pro quæstione, quia Papa potest mandare, quod eadem peccata confessa reiterentur apud plebanum, quæ confessa sunt apud fratres, ex quo sub merito vtrumque cadere potest: propter quod doctores frequenter persuadent, vt sæpius de eodem quis confiteatur, vt dicunt S. Thomas, & Bonauentura, & Augustinus lib. de pœnit. c. 12.*

e Annal. to. XV. an. Chr. 1321 n. 20 &c. Armacanus primas Hiberniæ.

f M. S. bibl. Vat. sign. n. 4109. pag. 262.

Parochorum aduersus religiosos partes tuetur.

Quæ fuerint eius argumenta.

Secundo probatur sic, quia Martinus Papa IV. concessit fratribus bullam talem, scilicet quod confessi fratribus teneantur iuxta cap. Omnes vtriusque, a que plebanis confiteri, & hoc sic est fixum, vt dicit. Ergo. Et quia cap. Vas electionis videtur huic repugnare. Ergo concordantiam contrariorum petimus a Papa. Tertio probatur sic: Si fratres dicerent, quod simul stare non possent, scilicet fratribus confiteri & eodem anno plebano eadem peccata, cum ipsi in statutis habeant hoc, vt fertur, omnia peccata sua simul confiteri prælato suo. Ergo & hoc. Quarto quia dominus Benedictus XI. in extrauagante, Inter cunctas, dicit quod fratres hortentur populum, vt eadem peccata plebanis reiterent eis confessa. Ergo, &c.

Sed contra hoc, Primo quod peccata confessa fratribus non cadunt sub præcepto reiterationis cap. Vas electionis, vbi Papa dicit, quod non tenentur reiterare, sicut nec ille, qui propria sacerdoti est confessus. Et infra: *Certior est determinatio ecclesiæ vniuersalis, quam priuatæ rationes doctoris, propterea alias de facili cedendum esset hæreticis, qui rationibus suis declarationem ecclesiæ impugnant, di. 11. cap. Nolite.* Quis porro huius controuersiæ fuerit exitus, narrat memorati supra M. S. Vaticani auctor, dum ait a, vita functum Armachanum nondum lite decisa; quam cum nemo vrgeret, sopitam fuisse. Præcipuum vero illius argumentum, contemni nempe parochorum ordinem, si fideles apud viros religiosos conscientiam expient, & apud parochos expiare abnuant, & noxam inde lethalem suscipi, falsum patebat. Ipsum autem pio ductum sæcularis cleri maiestatis obsolascentis restituendæ studio, non liuore in religiosos ordines permotum, putandum est: micuisse enim miraculis post obitum fertur b, at-

a M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765. Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

b Wad. sub an. 1357. n. 8.

atque de ijs in examen adducendis Bonifacium IX. dedisse imperia, vt sanctorum cultus illi decerneretur. Tantum vero abest, vt priuilegia mendicantium religiosorum rescissa fuerint ob intentatam ab illo actionem, vt potius nouo diplomate pontificio confirmata, Vvalsingamus testetur a. Extat vero illud in regesto Innocentij, a quo Ioannis XXII. in Ioannem e Poliaco sententia ad magistri Augustinianorum preces repetita b, instaurataque.

Cõfirmata mendicantiũ priuilegia.

a Vvalsin. in Eduar. III.

b An. 2. ep. diuersar. form. 242.

7 In oriente ob defensam fidem ac promulgatam inter Mahumetanos Thomas Vngarus, defectionis ad Mahumeticam superstitionem pœnitens, Christi fidem imperterrito animo professus, ab Aegyptio soldano Alexandriæ cæsus gloriosam martyrij palmam vna cum tribus Minoritis Nicolao, Francisco, & Petro collegit c: quorum sacra corpora, dum a carnificibus secabantur, cœlesti splendore circumfusa fuere. Quo etiam anno in occidẽte apud Belgas Gertrudes virgo pijssima sanctitate & miraculis illustris, ex huius vitæ palæstra ad immortalitatis brauium a diuino Agonotheta vocata est, cuius felicem obitum describit vitæ illius auctor his verbis d: *Cum iam annos non paucos inter Beghinas egisset Gertrudis, in feruore & vita duritia atque seueritatis haud vulgari ad eam peruenit diem, qua erat itura ad sponsum cœlestem, de quo solebat & loqui suauiter, & pie meditari, & etiam canere dulciter. Itaque sacrosanctis Christi munita mysterijs ad beghinas ait: Sorores meæ, ego domum proficiscor. Illis existimantibus præ morbi dolore sic eam loqui, dicentibusque ipsam domi esse, rursum ait sana mente: Nequaquam sum domi, sed illic volo esse, vbi plateæ sternuntur auro mundo. His dictis, paulo post spiritum suum Deo commendans in pace obdormiuit, videbanturque in manibus eius defunctæ tanquam eburnei digiti. Obijt anno a Christo nato millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo ipso sanctæ epiphaniæ die, humatumque est corpus eius extra ostium turris antiquæ Delptensis ecclesiæ parte ea, qua vergit ad austrum.*

Thomas Vngarus martyr.

c Bon. de sign. eccl. l. 9. c. 3 sign. 27. & 14 ex annal. Francisc. Vvad. in annal. Minor. hoc ann. n. 4.

d Apud Sur. to. 1. die 6. ian. Gertrudis pia mors.

IESV CHRISTI
Annus 1359.

INNOCENTII PP. VI. annus 7.	CAROLI IMP. OCCID. 14. IO. PALAEOL. IMP. OR. 19.

1 ANno decimitertij seculi quinquagesimo nono indictione duodecima, cum Eduardus Anglorum Rex fallacis pacis expectatione Francos deluderet, tacito primum deinde aperto eos bello confecit. Delphinus vero, repressis seditiosis (quorum princeps e cum se Iaquæorum Regem esse iactaret, ac plurimum cruorem fudisset, candenti tripode caput innstus, & eiusmodi corona ignita a carnifice cinctus, solijque vice patibulum nactus, stultæ ambitionis pœnas dedit) ad conciliandam sibi maiestatem, facta prius a patre potestate, Gallicam coronam, vt regnum melius ab hoste vindicare posset, suscipere decreuit. Sumpta f inde est ab Eduardo Angliæ Rege occasio vocandi in inuidiã Gallos, qui fœderis superioris cum Ioanne Rege agitati leges aspernarentur: atque in spem regni Francorum sibi subijciendi erectus, florentissimum contraxit g exercitum, traiecitque mense octobri in Gallias. Exposito in terram exercitu, prædatrices Anglorum turmæ, quæ in Gallijs grassatæ erant, ipsius castris accessere h: quibus maximis viribus succinctus veluti ad ineundam regni possessionem Rhemos contendit, in qua vrbe sacro Francorum Reges perungi oleo consueuere: sed quam irrito exitu, dicetur sequenti anno.

e Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

Ambitiosi Iacconis suppliciũ.

f Matth. Vill. l. 9. c. 53.

Carolus regia corona redimitus.

g Id. ib. Vvalsing. in Eduard III. Froß. hist. l. 1.

Angliæ Regis expeditio in Gallias.

h Vill. l. 9. c. 37.

Rhemi obsessi.

Interea Carolus comes Alenconius regia stirpe Gallorum satus, caducarum rerum tædio affectus, rerumque diuinarum contemplationi se totum addicere meditatus, Prædicatorum ordini nomen dedit. Ex cuius secessu Maria mater comitissa maximum dolorem percepit, conatusque omnes, vt ipsum ad seculi curas & honores reuocaret, adhibuit. At Pontifex, vt pium illius consilium an iuuenili leuitate an Spiritus sancti instinctu conceptum esset, exploraturus Ioannem marchionem Montiferrati rogauit a, vt comitis animum pertentaret antequam tyrocinio religioso egressus votis euangelicis solemni ritu se deuinciret: *Licet*, inquit, *præfatæ comitissæ eiusque filijs complacere, quantum cum Deo possumus, ac vassallorum & subditorum dicti comitis securitati & quieti prouidere plurimum affectemus; nihilominus animarum salutem & vocationem Domini secularibus desiderijs & inanibus huius mundi honoribus præponentes nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus ab eodem comite curas sui propositi seriem diligentius indagare. Quod si illum inueneris euangelica prosequi consilia, & mundum cum pompis & fallacibus suis illecebris voluisse & velle constanti perseuerantia relinquere propter Deum; nos laudabile propositum suum multipliciter in Domino commendantes, nullatenus eum volumus ab inceptis distrahi, aut etiam aliquatenus impediri. Quinimmo nostris eum consilijs ad consummanda quæ cœperit exhortamur, & per te cupimus similiter exhortari, eamque egregij doctoris Hieronymi sententiam suis quotidie auribus inculcari, per calcatum patrem esse pergendum; & licet vbera, quibus nos nutrierat mater ostendat, ad vexillum crucis siccis oculis esse euolandum. Si vero, quod absit, iuuenilis ei hoc leuitas persuaserit, ac deinde vel complexionis suæ debilitas, vel forte ignota sibi prius religionis asperitas ex nunc sibi perseuerantiam interdicant; tunc cum tutoribus præuenire consilijs, & debita prouidentia præmunire, vt ne peior priore in posterum foret error, dum licet, ante statutum a iure professionis terminum futura prouideat, & sibi ac suis pro rerum grauitate consulat, eadem nobilitas tua velit. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesi x. kal. iulij anno VII.*

Alenconius comes religiosam vitam amplectitur.

a To. 7. ep. secr. pag. 50.

Illius cõstantiam tentari iubet Pont.

Insigne etiam de mundi contemptu documentum dedisse per ea tempora memorant b alium in Hispania regij sanguinis principem, nimirum Petrum Iacobi II. Regis Aragonum filium Ripacurtiæ comitem, & Petri sceptrum Aragonium sustentantis patruum: qui temporum similiter iniquissimorum pertæsus seculo abire in animum induxit: atque e viuis erepta Ioanna coniuge comitis Fuxensis sorore, ac ditionem liberis ex ea susceptis partitus, Minoritarum familiæ se aggregauit. Hæc pluribus Vvadinghus c de tanto viro, de quo mentio alibi celebranda erit.

Petrus regiæ Arag. princeps Minoritis se addicit.

b Gesta Innoc. VI. apud Bosq. Vvad. in annal. Min. hoc an. n. 2.

c Vvadin. ib.

2 Dum Petrus princeps in religionis portũ se recipiebat, concitatum iam ante in Hispania d bellũ recruduit. Auertendique in hostes fidei tanti discriminis sollicitus Innocẽtius, Guidonem episcopum Portuensem A. S. L. in Hispanias misit e; qui a Regibus honorifice exceptus cultusque de quorum Aragonio cum Castellano nonis iulij gratias egit Pontifex f, ipsosque hortatus est, vt ad pacis consilia proniores se præstarent. Grauissima

d Matth. Vill. l. 9. c. 10.

e Gesta Innoc. VI. apud Bosq. Marian. l. 17. c. 2. Sur. l. 9. c. 21.

Guido Card. ad Hispanias pacãdas incumbit.

f To. 7. p. 8 ep. secr. pag. 63.

etiam

etiam ipsos sollicitasse oratione ad vertenda in barbaros arma Cardinalem Bolouiensem refert Surita a, ac de pacis legibus agitasse etiam: de quo bello deque legato ad illud sopiendum misso memorat etiam Innocentij vitae scriptor b, qui praecipua tum superiori, tum hoc anno ac sequenti gesta cumulat. Nec modo Guidonem dare operam iussit Innocentius, vt Reges ad concordiam adduceret; verum, vt Castellanum ad eiectam a se Blancham Reginam recipiendam vrgeret c: quem etiam apostolicis literis hortatus est d, vt Reginam vxorem moribus grauem, nobilitate illustrem, vt animae suae saluti consuleret, ad se reuocaret, atque ex diuinis imperijs coniugali amore complecteretur.

a Sur. l. 9. c. 21.
b Bosq. Innoc. VI. apud Bosq.
c To. 7. p. ep. secr. pag. 30. 100.
d Ib. pag. 29.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Castellae & Legionis illustri.

Pij patris more, qui etiam obaudientem filium verbis semper ex eodem amoris fonte prodeuntibus pulsare, & in viam rectam, quoad per eum fieri possit, reducere non desinit oberrantem; eo minus tacere possumus, quo te peramplius gerimus in visceribus charitatis. Suscipe itaque, fili charissime, verba patris, quae pro tuae animae salute & honore regio in tuam magnitudinem diriguntur. Positus es, princeps inclyte, sicut & caeteri principum, quos in sublime prouehunt fastigia dignitatum, in populorum gentiumque conspectu, vt sicut dominando praeficeris, ita illis esse debeas in virtutis exemplar. Ex quo tibi maior est diligentia praecauendum, vt sic Dei beneplacito te coaptes, sic illius mandatis obtemperes, ne tuae dignitatis titulis, & tot tantarumque virtutum donis, quibus excellentiam tuam ab ipsis indolis tuae primordijs Deus ipse de suae munificentiae largitate multipliciter insigniuit, posset in aliquo derogari. Considerare namque decet excellentiam tuam, fili charissime, si eum Reginam habeas verecundia famosam, moribus grauem, & magnitudine nobilitatis illustrem, maritali tibi & inseparabili connexione coniunctam, ad tuae animae salutem & regium videatur decentiam pertinere, illam non tantum a coniugali thoro, sed ab omni etiam tuo consortio separare. Nec illud minus attendere eidem excellentiae tuae conuenit, & quia breuis & instabilis est, & omni mutabilitate fugacior vitae praesentis excursus, maturo consilio prouidere, quod tu, in quo solo clarae memoriae progenitorum tuorum titulus, & regiae stirpis successio conseruatur, spe tibi legitimae prolis huiusmodi abiectione vxoris adempta post solutum naturae debitum regni tui successionem, quod de foemore tuo ducem praestolatur & Regem, ad heredes extraneos non transmittas, &c. *Datum Auin. VII. id. aprilis anno VII.*

Monita Castellano Regi data.

De suscipiendo regnorũ herede cogitet.

Repetita sunt iterum a Pontifice eadem monita e extremo anno, ac legatus iussus f diuinum illius animo timorem inserere: sed durius adamante illius cor molliri nunquam potuit: quocirca, qui Pharaonis pertinaciam imitari non perhorruit, infelices illius exitus expertus est, vt suo loco dicetur.

e Ib. pag. 99.
f Ib. pag. 100.

3 Interea Innocentius ad tuenda Terraconensis sedis priuilegia, Romanaeque ecclesiae iura, ne vetustate temporũ collatae olim B. Petro principum pietate donationes ex hominum memoria delerentur, in quibus insignis illa erat Berengarij Raimundi comitis Barchinonensis, qui Terraconem, diuina ope ex Maurorum seruitute ereptam, supremum imperium in sedem Apostolicam contulit; edito ea de re diplomate, illud Innocentius hoc anno pontificijs insertum literis a vna cum literis Vrbani II. qui beneficium admiserat, diuulgauit hac forma.

Instaurata Terraconen. ec. clesiae priuilegia.

a To. 7. ep. secr. pag. 115.

Innocentius &c. ad futuram rei memoriam.

Tenores quarumdam literarum felicis recordationis Vrbani Papae II. praedecessoris nostri, & quondam Berengarij Raimundi comitis Barchinonensis in libro censuali apostolico, in archiuis apostolicis existente, repertas de libro ipso de verbo ad verbum transcribi & annotari praesentibus fecimus, qui fuit talis: *Vrbanus episcopus, &c.* praetermittimus eas literas, cum a Card. Baronio in lucem fuerint editae b, inscriptae quae sunt Berengario episcopo Ausonensi ad Terraconensem translato; deque ecclesiae Terraconensis priuilegijs agunt, quibus aliae Berengarij Raimundi adiectae anno XVI. consignatae. Hic addimus Pontificem ad reprimendos eos, qui aulam apostolicam ad iura imploranda adituros afficerent iniuria in Catalonia, Michaeli episcopo Barchinonensi prouinciam contulisse c, vt anathemate ipsos desigeret.

b Baron. annal. to. 11. ann. Chr. 1091. n. 9.
c To. 7. ep. secr. pag. 90.

4 In Sicilia citeriori Ludouicus Rex contraxerat iam diu anathema ob non solutum consitutis temporibus Romanae ecclesiae censum, atque ecclesiasticarum poenarum, quae animam feriunt, acerbitatem sano vegetoque corpore non sentiebat; cum graui aegritudine percussum Deus ad expiandam quam intulerat ecclesiae iniuriam, poscendamque veniam excitauit. Pie enim Christiano more illum ad obeundam mortem se composuisse, pontificiae ad Neapolitanum & Beneuentanum archiepiscopos ostendunt literae d. At diuina misericordia, quae Regem ipsum afflixerat vt in viam salutis aberrantem reuocaret, non perderet, culpae poenitentem e morbo erexit. Quo nuntio recreatus Innocentius grauissimis cum literis monuit e, vt ex praeterito morbo meliorem vitam instituere disceret, curaret valetudinem, ac damna ecclesiae illata sarciret.

Ludouic' Neap. censuris irretitus.

Morbo correptus resipiscit.
d To. 7. p. ep. secr. pag. 12.
e Ibid. pag.

Excellenti principi Ludouico Regi Siciliae illustri, spiritum consilij sanioris.

Fili, quem vtinam tam cito, quam libenter appellare charissimum valeamus, visitauit te Dominus: et cum minus fortitan merebaris, ac vitae longitudinem & bonae spem valitudinis iuuenilibus tibi persuasionibus promittebas, tunc inuasit inexcultum, & morbi vehementioris aculeo te percussit, vt per huiusmodi suae visitationis antidotum te ipsum reformare curares in melius, prout catholicum decet principem, digito Dei tactus feruentiori cordis desiderio, illi te pro viribus de caetero gratiorem redderes, & coram percutiente deuotius, disciplinabilem exhiberes. Cognosce igitur, princeps inclyte, visitantem: intellige corrigentem, nec minus, si interius aspicias, diligentem. Et qui constanti proposito, ad quod te arctat, vt verbis tuis vtamur, facta in Deo promissio, quod si superuixeris, in nouitate vitae melioris & beneplacito Dei ambulabis, ad omnem reuerentiam & obedientiam ecclesiae sanctae suae in vitae emendatioris semitas dirigere te disponis, ita sac, vt laudabile hoc tuum propositum (de quo te paternis praeconijs, & sinceris affectibus commendamus) non ex seruili timore, sed ex filiali potius videatur dilectionis, ac reuerentiae fomite processisse: nam nisi factis verba, & verbis facta respondeant; nisi semen diuini timoris, immo amoris po-

Salubribꝰ instruitur monitis.

potius, in terram probetur fructiferam cecidisse, facile de miserente facere poteris irascentem; & eum, qui te in extremo corporalis vitæ discrimine positum, vt vtrumque hominem saluum faceret liberauit, indignationis acerbitate vehementius irritare.

Expergiscere, fili, & quasi Rex alter Ezechias, ad parietem Domini cum lacrymis & deuotione conuertere: ne obdormias. Iam tempus est, vt somnum mentis soporatæ discutias, & te ipsum satisfactione debita recognoscas. Neque velis a tuorum splendore natalium; & a progenitorum tuorum, quos nosti in reuerentia & obedientia sedis Apostolicæ vsque ad solutum naturæ debitum fama perstitisse celebri, semitis deuiare. An forte, bonum tibi videtur, & titulis tuæ magnitudinis asceibendum, si cum possis, vt debes, filius esse benedictionis & gratiæ, & apostolicis fauoribus inter cæteros mundi principes confoueri, velis filius contumaciæ reputari? Non sic, fili, non sic: sed exurge potius, & mentis oculis tui pectoris arcana circumspice: honora ecclesiam matrem tuam, & magnitudinis tuæ thronum debita iustitiæ administratione confirma. Nec recuperatæ iam forsitan sospitatis inani persuasione fallaris, quo minus salutiferæ promissionis tuæ debita exequaris, cum scias quod in manu Dei consistit languor & sanitas, valetudo atque debilitas, mors & vita: & quod sæpe ille extremo incomprehensibiliq; iudicio grauius homines ferit, vt pereant, quos primo leuius percusserat, ne perirent. *Dat. Auenion. III. kal. martij anno VII.*

5. Exercuere porro Ludouicum gemina bella: hinc enim Fredericus [a] Aragonij sanguinis princeps Catalanis auxilijs fultus in Trinacria Messanam ac Panormum vexabat: hinc fœderatæ vagorum militum turmæ Apuliam depascebant [b]. Cui Ægidium Cardinalem auxiliares copias submittere iussit Pontifex [c], eidemque in Siciliæ regno legationis apostolicæ munus demandauit [d], vt prædones coerceret, statumq; regni componeret: disciplinam ecclesiasticam in pristinum splendorem assereret: tum Fraticellos hypocritas reprimeret. De qua ipsi decreta prouincia Ludouicum & Ioannam, nondum ob intermissam vectigalis pensitationem censuris solutos, certiores fecit [e].

[a] Matth. Vill. l. 9. c. 21. & 22. [b] To. 7 ep. secr. p. 2. pag. 19. [c] Ib. pag. 39. [d] An 7. ep. cur. 13. [e] Ep. cur. 14.

Innocentius, etc. excellentibus principibus Ludouico Regi & Ioannæ Reginæ spiritum consilij sanioris.

Neapolitani regni collapsus status.

Cum ad audientiam nostram & sedis prædictæ infestus rumor deduxerit, quod in dicto regno & terris citra pharum, in quibus nos & Romana ecclesia maius & supremum dominium obtinemus, quæ multo iam tempore sæua fuerunt tam ab exteris quam internis gentibus guerrarum & commotionum tempestate quassata, & adhuc, humani generis inimico turbatore quietis afflante, ipsius tempestatis reliquiæ multæ remanent, fauillæ recalescunt, seditiones repullulant, vigent scandala, commotiones suscitantur assidue, malorum furit audacia, publicæ quietis & iustitiæ turbatiua dissoluta prædonum temeritas vndecumque liberius debacchatur, & extra regnum etiam, solum inobedientiæ & rebelliones insurgunt; &, quod fortius est dolendum, diuinus ibidem cultus negligitur, hæreticorum quamplurium, & præsertim illorum, qui Fraticelli vulgariter nuncupantur, damnata rabies inualescit, ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum bona & iura violentis prædationibus exponuntur, & vtplurimum etiam clerici, ecclesiasticæ disciplinæ laxatis habenis, inhonestis actibus & vitijs se inquinant; nos mala huiusmodi, & inde procedentia animarum pericula, ac fidelium subditorum excidia, rerumque lapsus & damna profundæ cogitationis molestijs attendentes, illisque tanto diligentius remedium apponere cupientes, *& infra*, eundem legatum [nempe Ægidium] ad regnum & terras citra pharum prædicta tanquam pacis angelum & reformatorem eorum, sibi in eis vices nostras & plenæ legationis officium committendo, vt in ipsis euellat & destruat, dissipet & disperdat, deformata reformet, ædificet & plantet, ac statuat salubriter in nomine Domini, *& infra*, de ipsorum fratrum consilio destinamus, &c.] Addit vniuersa edicta, quæ legatus pro temperando regni statu ferret, a sede Apostolica rata habitum iri. *Dat. Auinion. x. kal. maij anno VII.*

Ad eum restituendum missus Ægidius legatus.

6 Intulere etiam reliquæ Italiæ ingentem populationem alia palantium militum agmina, ductore Lãdo comite viro nefario, cuius excursiones recenset Matthæus Villanus [a], quasq; breui narratione perstringit Innocentius in literis datis [b] ad Ludouicum Regem Vngariæ, cuius opem implorabat, cum Franciscus Ordelaffus, ab Aegidio legato in angustias coniectus, ad retundendas vires pontificias prædonum sociales turmas in auxilium vocaret.

[a] Matth. Vill. l. 9. c. 2. 3. 4. 7. 26. ad 32. & 42. 45. 50. [b] To. 7. p. 6. ep. secr. pag. 23.

Cæterum auertendi ab ecclesiastica ditione socialis latronum exercitus solicitus Aegidius Card. legatus, illum pacta quadam auri vi placauit; quod Villanus vitio tribuit [c]: sed necessitas eo Cardinalem adegit, cum Forumliuium e Ordelaffi tyrannide liberare aliter non posset, nisi ab illius fœdere prædatrices turmas abstraheret: quæ quidem illectæ promisso auro, cum iam Foroliuienses depasti, vix quæ possent absumere reperirent, discessere. Ac tum Ordelaffus periculi extremi terrore cinctus, quippe qui Foroliuiensium ob inductos in eorum domos prędatores fœderatos in se accenderat, misericordię legati Apostolici, scelerum suorum veniam pactus, se commisit [d]. Ita redactum ad ecclesiæ obsequium Forumliuium est; quam vrbem legatus magna celebritate XV. iulij die, vt narrat Matthæus Villanus, ingressus est. Ex qua victoria Pontifex ingenti gaudio est affectus, atq; Aegidio est gratulatus [e]: *Licet*, inquit, *fama volantis affatibus, ante tuarum literarum missionem, felix tuus ingressus in ciuitatem Forliuiensem, ad nostram notitiam peruenisset; facti tamen deinde ex ipsarum literarum serie certiores, gauisi fuimus in Domino, & exultauit in illo cor nostrum, cum speremus indubie, quod de cætero tam in marchiæ, quam Romaniolæ prouinciæ, nostris & Apostolicæ sedis laboribus sumptibusque profluuijs Deus, ecclesiæ suæ gubernator & rector ac iurium suorum suæque iustitiæ defensator, finem propitiatus imponet. Tibi quoque (vt quod interius gerimus, exterius exprimamus) sicut anxietatum multiplicium tuæ mentis non esse participes minime valebamus, sic congratulari cogimur, qui tecum etiam in tuis turbationibus turbabamur. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis non. augusti anno VII.* Confirmata sunt a Pontifice [f] inita conuenta ab Aegidio Cardinale cum Francisco Ordelaffo, quem ait Matthæus Villanus [g] in publicis comitijs habitis Fauentiæ a Cardinale legato flagitia sua solemni ritu execratum, veniamque poposcisse; ac legatum clementiam in eum explicuisse, hæresesque

[c] Matth. Vill. l. 9. c. 6. & 7.

Ordelaffi deditio.

[d] Cap. 36.

[e] To. 7. p. 2. ep. secr. pag. 71.

De subacto Foroliuio gratulatur Ægidio Pont.

Pontificis in Ordelaffum clementia.

[f] Ib. pag. 73. [g] Matth. Vill. l. 9. c. 36.

que

que nota & censuris liberasse, iniunxisseque vt ad expianda crimina designata ab eo templa Fauentiæ pie lustraret, ac preces in ijs funderet: tum vxorem ac filios, quos in Cæsenæ expugnatione ceperat, restituisse. Deinde Imolæ insignes prouinciæ conuentus habitos XVII. iulij die, in quibus interfuit Io. Olegianus Bononiensis præfectus, cuius opera Franciscus Ordelaffus ad officiu erat reuocatus, atq; in ijs Ordelaffum Foripopulij ad decennium præfectura auctum: sed illum insigni perfidia apostolica clementia abutentem, redeuntemque ad vomitum inferius visuri sumus.

Ludouic' Brand. ad eccl. obsequium reuersus.

7 Conciliatus quoque est hoc anno Ludouicus marchio Brandeburgensis ecclesiæ vna cum vxore Margareta comitissa Charinthiæ, & censuris omnibus ac pœnis, quibus ob contractum legibus vetitum connubium, ac Ludouici patris, quem diuturno bello ac schismate ecclesiam afflixisse vidimus, secutas partes deuinctus fuerat, ab apostolico internuntio solutus est; eum prius rite admissa antea scelera execratus, illa se expiaturum, pœnasque iniunctas suscepturum pollicitus esset; de quo hæc Cardinalis Baronius: *Anno Christi MCCCLVIII. ind. XI. iniungitur pœnitentia, vt construeret monasterium Ludouicus marchio filius Bauari ob contractum matrimonium in tertio gradu consanguinitatis. Extant de his litera in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ, &c.* Extat in tabulario molis Adrianæ earum autographum a, & a Platina b iussu Sixti IV. inter insignia monumenta, quæ ad Romanæ ecclesiæ maiestatem pertinent, collecta, insertæ sunt, producendæque a nobis in historiam visæ.

a Ext. in arce S. Angeli.
b Re inter vell. Plat. l. 3 pag. 45 & lib priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 227. & in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 553.
Eius literæ.

Nos Ludouicus de Bauaria primogenitus quondam Ludouici de Bauaria, qui pro Romanorum Imperatore, dum viueret, se gessit, sed iudicio ecclesiæ reprobati, in præsentia coram reuerendis patribus dominis Paulo Frisingensi episcopo, & Petra abbate monastery S. Lamberti Salzeburgensis diœcesis commissarys, super infrascriptis a sede Apostolica specialiter deputatis, sponte, humiliter, & ex certa scientia omnia & singula per vos, domine Paule episcope, & per dominum Fridericum comitem Cilia procuratores nostros pro nostra reconciliatione a, & cum dicta sancta Romana ecclesia obtinenda olim per nos cum nostro procuratorio ad dictam sedem Apostolicam destinatos, procuratorio nomine nostro coram domino Papa & reuerendissimis patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, in præmissis nomine nostro exposita, confessata, recognita, asserta, & promissa, prout in dictis literis apostolicis continetur, de quibus omnibus reputamus nobis plene constare, & ea plene intelligimus ac scimus; ex certa scientia & expresse rata, & grata habemus, & ea omnia & singula personaliter ratificamus, ac in omnibus & per omnia approbamus, confirmamus, recognoscimus, asserimus, promittimus, & iuramento quod præstamus ad sancta Dei euangelia eis tactis confirmamus. Et nihilominus de nouo in propria persona confitemur, & recognoscimus, quod olim propria salutis obliti, Deum & Romanam ecclesiam multipliciter & grauiter offendere non formidantes, quondam Ludouicum genitorem nostrum contra monitiones & mandata sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac processus aduersus eum & sibi obedientes, obsequentes, ac præstantes auxilium, consilium, & fauorem, factos & habitos per eandem scienter habuimus, reputauimus, nominauimus, & recognouimus pro Romanorum Imperatore, eumque tanquã Romanum Imperatorem adiuuandum, occupandum, & detinendum Romanum imperium, eiusque terras, loca, iurisdictiones, & iura, eaque ac alia terras, loca, & bona, quæ iure hereditario, seu alias quomodolibet, dum viueret, possidebat; etiam post reprobationem de ipso per dictam sedem factam defendendum, cum nostris personis, gentibus, & facultatibus pro viribus adiuuimus, eiusque requisitionibus, mandatis, & beneplacitis, quantum in nobis fuit, efficaciter obediuimus: ab ipso quoque tanquam, vt præfertur, Romanorum Imperatore feuda recepimus, recognouimus, & tenuimus, & alias multipliciter eidem adhæsimus, obsecuti fuimus, & dedimus consilium, auxilium, & fauorem; ipsumque, ac eius consiliarios, auxiliatores, fautores, & complices, ac eidem in rebellione ipsius contra dictam sanctam ecclesiam Romanam adhærentes, grauibus sententiys & pœnis a præfata ecclesia propterea prolatis & inflictis, multipliciter irretitos, receptauimus, fouimus; & defensauimus, ac cum eodem nostro genitore diuinis officys, quamquam nos ambo essemus diuersorum excommunicationum vinculis irretiti, scienter & temere interesse præsumpsimus; illaque sic ligati in terris & locis nostræ iurisdictioni subiectis, licet ea sciremus ecclesiastico fore, prout erant, interdicto supposita, celebrari, quinimmo quantum in nobis fuit profanari ausu temerario mandauimus & fecimus: & in multis guerris ac prælys, in quibus nonnullæ ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ in eorum bonis & iuribus grauiter molestata & damnificata fuerunt, personaliter extitimus, & ad ea frequenter nostros subditos destinauimus.

Promissa ab oratoribus confirmat.

Veniam poscit, si patrem Imperatorem appellarit.

Ipsi vt Imperatori inhæsit.

8 Præterea confitemur & recognoscimus, quod ciuitatem Tridentinam, & nonnulla oppida, castra, terras, villas, loca, bona, iura, & iurisdictiones, ad ecclesiam Tridentinam spectantia, occupauimus & per duodecim annos vel circa detinuimus occupata: sed ea omnia nuper vobis reuerendis patribus dominis commissarys prædictis, vice & nomine dictæ Romanæ ecclesiæ recipientibus, secundum præfati domini Papæ mandatum libere, realiter, & expedite restituimus, & assignauimus, seu assignari fecimus, prout nostis: & alia bona spectantia ad capitulum dictæ ecclesiæ Tridentinæ, per nos, seu alios nostro nomine, seu fauore hactenus occupata & detenta, ipsi capitulo restituimus, assignauimus, tradidimus, & dimisimus, seu per alios occupata nostro fauore tenentes assignare, restitui, & dimitti plene & libere fecimus, prout de hoc per literas eorundem capituli, eorum sigillo munitas, clare & sufficienter docuimus coram vobis. Et castrum Pursemberg Curiensis diœcesis, spectans ad Curiensem ecclesiam diu etiam tenuimus occupatum: sed illud iam diu libere & expedite restituimus venerabili in Christo patri domino Petro epis. Curiensi, prout de hoc per literas dicti episcopi Curiensis eius sigillo munitas docuimus corã vobis.

Tridentũ occupauit.

Erepta ecclesijs restituere profitetur.

Item confitemur & recognoscimus humiliter, quod olim cum nobili muliere Margareta ducissa Carinthiæ (quamuis ipsa & nos simul essemus in tertio consanguinitatis gradu ex vtroque latere coniuncti, & iustitia etiam publicæ honestatis inter nos ex eo exorta fuisset, quod antea eadem Margareta per magnificum virum dominum Ioannem marchionem Morauiæ, nobis in quarto gradu consanguinitatis attinentem, per verba de præsenti fuerat desponsata, licet ab eodem domino Ioanne fuisset postmodum iudicio ecclesiæ separata de facto) matrimonium scienter & temere contraximus, & in eo per decem & septem annos vel circiter contra sua, processus, & sententias per felicis recordationis

Contractas duxisse Margaretã Carinthiacã.

nos dominos Benedictum XII. & Clementem VI. Romanos Pontifices, seu alias, eorum siue alterius ipsorum auctoritate & mandato, super hoc contra nos & dictam Margaretam specialiter habitos & prolatos permansimus, & filios & filias procreauimus ex ea: & quod alias multipliciter contra processus prædictos Deum verum patrem & dominum, ac præfatam Romanam ecclesiam omnium fidelium matrem & magistram, aliasque ecclesias & ecclesiasticas personas offendimus: propter quæ diuersarum excommunicationum, priuationum, inhabilitationum in dictis præfatorum summorum Pontificum & aliorum, & alijs apostolica, seu alia quauis auctoritate factis & habitis processibus contentas, seu alias ab homine & a iure, ac constitutionibus prouincialibus & synodalibus ob præmissa latas & inflictas sententias atque pœnas, & infamiæ notam damnabiliter incurrimus: a quibus feruentibus votis absolui, & liberari desideramus, & ad eiusdem Romanæ ecclesiæ gremium, a quo imprudenter recessimus, reuocari; in eo tanquam deuotus filius, perpetuis temporibus permansuri.

Læsisse inique ecclesiam.

Censuras contraxisse.

9 *Asserimus etiam, quod non credimus, nec vnquam credidimus, quod Romanus Imperator, etiam per dictam Romanam ecclesiam approbatus, Romanum Pontificem possit deponere, & eidem alium subrogare: immo credimus & reputamus hoc asserere, esse hæresim damnatam, & ab ecclesia reprobatam: & quod nulli personæ vnquam consensimus, nec consentimus, nec in futurum consentire intendimus in aliqua hæresi per Romanam ecclesiam prælibatam, vel eius auctoritate damnata, vel etiam in antea damnanda: & omne schisma in propria persona abnegamus, ac dicimus et asserimus, quod de commissis huiusmodi sumus vere pœnitentes et contriti, et omnes pœnitentiam, satisfactionem, et emendam, quas nobis propter præmissa imponetis, pure, deuote, et sincere acceptabimus, agemus, et perficiemus cum effectu. Item sponte asserimus, et promittimus, quod ecclesias, monasteria, canonicatus, præbendas, et alia beneficia ecclesiastica, et alia omnia et singula, ciuitates, oppida, castra, terras, villas, loca, iurisdictiones, iura, & bona quorumcunque aliarum, ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum ecclesiasticorum & piorum locorum & ecclesiasticarum personarum, per nos seu nostro nomine, mandato, permissione, consensu, auxilio, & fauore quomodolibet occupata seu detenta, ipsis ecclesijs, monasterijs, & locis, seu personis, ad quæ seu ad quas spectant, plene, libere, & expedite, ac realiter, ad mandatum vestrum assignabimus, restituemus, trademus, & dimittemus, & assignari, restitui, tradi, & dimitti faciemus, & ea redintegrabimus, & redintegrari faciemus ad illa, ac de fructibus, redditibus, prouentibus, & bonis ex eisdem ecclesijs, monasterijs, canonicatibus, præbendis, & beneficijs, ac ciuitatibus, oppidis, castris, terris, villis, & locis alijs occupatis ac detentis, occupationis & detentionis eorum tempore per nos, vel alios nostro nomine, mandato, permissione, consensu, auxilio, & fauore perceptis et habitis, illis ad quos pertinent satisfaciemus et satisfieri faciemus, seu cum eis concordabimus: nec ea, vel aliqua eorum in posterum occupabimus per nostros subditos, aut alios nostro consilio, auxilio, et fauore, aut quouis quæsito colore directe vel indirecte occupari permittemus: et quod super dicto præsumpto matrimonio, et super omnibus et singulis præmissis deuote, et efficaciter parebimus mandatis prædicti domini Papæ ac ecclesiæ, atque vestris: quodque sanctissimo patri domino Innocentio Papæ VI. dignissimo, et suis successoribus canonice intrantibus, tanquam alius verus et catholicus Christianus, fideles et obedientes erimus: et quod nullo tempore erimus in liga, societate, seu confœderatione cum quibusuis hæreticis per dictam Romanam ecclesiam denotatis, seu denotandis: nec eis, seu ipsorum alicui per nos vel alium seu alios directe vel indirecte, publice, vel occulte, dabimus aliquod consilium, auxilium, vel fauorem: sed quod de terris nostris, et nostræ administrationi subiectis et subijciendis vniuersos hæreticos, per eandem Romanam ecclesiam, vel eius auctoritate denotatos, exterminare et etiam expellere pro viribus procurabimus.*

Negat Pontificē posse exauctorari a Cæsare.

Schisma eiurat.

Ad crimina expianda paratum se offert.

Ad restituenda terras ecclesijs.

Pariturum se Pontifici spondet.

10 *Item offerimus, et solemniter promittimus, quod pro satisfactione iniuriarum irrogatarum, et damnorum illatorum per nos Romanæ ecclesiæ prælibatæ, quandocunque per dictum dominum Papam seu officiales ipsius Romanæ ecclesiæ, in partibus Italiæ constitutos, fuerimus requisiti, infra vnum mensem a requisitione huiusmodi computandum, centum armigeros galeatos, viros fideles, ac in equis et armis bene munitos, quorum quilibet habebit vnum socium armatum, et tres equos, ad quascunque partes Italiæ eidem ecclesiæ contra rebelles et hostes, et alias, prout fuerit expediens, fideliter seruituros destinabimus, eosque per duodecim menses integros continuos vel interpolatos, secundum eorundem requirentium voluntatem, inchoandos a die, qua ijdem galeati intrabunt terras præfatæ Romanæ ecclesiæ, in huiusmodi seruitio retinebimus; eisque de stipendijs et emendis, ac pagis duplis, si facienda occurrerint, prouidebimus nostris sumptibus et expensis, etc. Dat. Monaci Frisingensis diœcesis penultima die mensis augusti anno Domini* MCCCLVIIII. Reliquos etiam Ludouici Bauari filios ad obsequium ecclesiæ redijsse, ac paternos damnasse errores; atque ita retulisse amplissimum triumphum ecclesiam de persecutoribus suis, visuri sumus. Ex his alijsque supra expositis refellendi recentiores [a], qui Ludouicum Bauarum inter legitimos Imperatores, contemptis ecclesiæ censuris, effutiunt. Solutam porro ad Ludouici & Margaretæ gratiam fuisse legem de impedimentis consanguinitatis pontificia indulgentia, & Bauaros censuris liberatos, narrat Rebdorfius [b].

Mulctæ nomine centum equites suo sumptu contra ecclesiæ hostes submissurum.

a Georg. Hernacar & Nicol. Burgund. in Ludou. Bau.

b Rebdorf. in annal.

11 Extinctis schismatis illius in Germania reliquijs, nonnulli noua scandala inijcere pertentarunt. De coitionibus initis in sedem Apostolicā meminit Innocentius in literis ad Ademarum Metensem & Ioannem Argentinensem episcopos datis [c], quos hortatur, vt ad eas dissoluendas incumberent. Instillatum etiam est Carolo nonnullas apostolicas constitutiones a Clemente V. editas in dedecus imperij, ac præsertim Henrici aui Imperatoris opprobrium editas, in quibus Imperatores fidei sacramento sedi Apostolicæ obstrictos decernitur, atque lata in Robertum Regem Siciliæ ab auo sententia reuocatur: quas ille ab Innocentio aboleri poposcit. Cui Pontifex ipsas Iuri canonico insertas, atque in publicis scholis legi solitas, constanter respondit [d], neque vlla ratione rescindi posse. Impulsus quoque est Carolus, vt vitiorum, quibus notati essent ecclesiastici in Germania, castigandorum specie, sacerdotiorum vectigalia inuaderet, libertatemque ecclesiasticam labefactaret; quamuis enim pietatis studio Carolus ad restituendum ecclesiæ Germanicæ primæuum sanctitatis splendorem accendi visus sit: inita tamen ab ipso ratio non secundum scien-

c To. 3. l. ep. secr. pag. 97. 98

d Ib. pag. 72.

De instaurāda apud Germanos eccle. disciplina actum.

fcientiam fuiffe demonftrat: qui enim Romanum Pontificem veterum Imperatorum more rogare debuerat, vt legatum apoftolicum ad ea, quæ cenfura erant digna, emendanda mitteret, aut præfules hortatorijs literis ad id excitare, minacia edicta propofuit, ecclefiaftica vectigalia a laicis occupatum iri, ni clerus obfoletiores mores excoleret. Ex quo cum ecclefiaftica res periclitatura foret, ac facerdotes laicorum licentiæ, calumnijs, auaritiæ, ac latrocinijs effent exponendi, Innocentius Cauallicenfem epifcopum Apoftolicæ fedis in Germania internuntium vt occupata reftituerentur, operam dare iuffit a, Imperatoremque monuit vt eiufdem internuntij confilijs morem gereret b, cœptaque reuocaret c.

a To. 7. Lat. ep. fecr. pag. 37. b Ib. pag. 38. c Ib. pag. 32.

Carolo Romanorum Imperatori femper Augufto.

Habet fidedigna infinuatio facta nobis, quod tua ferenitas, attendens quofdã clericos & ecclefiafticas perfonas tam feculares quam regulares, in partibus Alemanniæ conftitutos, effrenata quadam viuẽdi licentia contra ecclefiafticæ religionis decẽtiam & clericalis habitus honeftatẽ fecularibus fefe actibus immifcentes, ad coercendos illorum errores, & tranfgreffiones temerarias refrænandas, imperialis folicitudinis operam adhibere feruore deuotionis intendit, iamque fuper his nonnullis prælatis earundem partium certas literas deftinauit, comminationes fequeftrationis ecclefiafticorum prouentuum faciendæ per feculares principes continentes, ne clerici ipfi, qui tanquam Dei miniftri effe debent cæteris modeftiæ & grauitatis exemplar, in fuam & aliorum perniciem incorrecti vlterius per vitiorum lubricum gradiantur. Siquidem, chariffime fili, zelum tuum, quem habes ad domum Domini multipliciter commendamus, dum tanquam princeps catholicus miniftros ecclefiæ fore modeftia graues, pudicitia nitidos, denique & motibus exemplares, ftudio piæ deuotionis affectas; vt qui dati funt ad abluendas peccatorum fordes in alijs, fuis ipfi maculis non fordefcant. Verum, cum tu defenfor egregius & zelator præcipuus ecclefiafticæ libertatis exiftas, decet excellentiam tuam accurata diligentia prouidere, ne per id, quod ortum ex puritate deuotionis accepit, debitos tranfeundo terminos, noftro & Apoftolicæ fedis honori, ac præfatę libertati ecclefiafticæ, quã potius defenfare te conuenit, poffit in aliquo derogari.

Cæfarea ad id ftudia commendata.

Ideoque magnitudinem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus ab huiufmodi comminationibus fequeftrationis ecclefiafticorum prouentuum faciendæ, quod abfit, per feculares principes, de cætero abftinens; & fi quid per comminationes ipfas attentatum forfan extiterit, quod non credimus, cum id procuidubio foret illicitum, & in pofterum eidem libertati poffit præiudicium non modicum generare, in ftatum priftinum reformare procurans, prælatos de quibus expedire fublimitas tua cognouerit, debita charitate folicites & inducas, vt contra eofdem tranfgreffores fui officij debitum exequantur; vt taliter delinquentes ad cenfuram debitam remittendo, aberrantes etiam Chrifti miniftros tractare videaris honorificentia debita propter Chriftum. Nos enim, ad quorum fpectat officium, ex iniuncto nobis defuper onere minifterij paftoralis prælatos prædictos per alias noftras literas folicitatos reddemus & vigiles, vt fuper huiufmodi prædictorum clericorum & ecclefiafticarum perfonarum exceffibus limã correctionis intendant: alias tam contra prælatos eofdem, fi circa præmiffa negligentes extiterint, quam eorum fubditos, cum de eorum defectibus fufficienter informati fuerimus, apoftolicæ prouifionis remedium tam folicite quam efficaciter curabimus adhibere. Cæterum eidem magnitudini fuper præmiffis per dilectum filium Guilielmum decanum Viffegradenfem ambafiatorem tuum latorẽ præfentiũ noftræ mentis intentio, quã eidem longiori fermone duximus referandã, latius & apertius innotefcet. *Dat. Auin. XI. kal. maij anno VII.*

Monetur Carolus vt fuis liminibus regiam potentiã contineat.

Sedem Apoft fuo non defuturam muneri.

32 Dabat igitur hæc imperia Innocẽtius Carolo Imperatori, non vt clerum Germanum in vitiorum fordibus foueret, fed ita eorum vitia corriperentur, vt ecclefiaftica dignitas non violaretur; atque iudicio præfulum, non laicorum facerdotes fubijcerentur: Germanos enim archiepifcopos Colonienfem, Moguntinum, Bremenfem, Salisburgenfem, & Treuirenfem grauiffimis literis excitauit a, vt in clericos, qui veftium luxu fuperbirent, inirent haftiludia, vectigalia ecclefiaftica in profanos fumptus effunderent, vel in cœno impudicitiæ iacerent, cenfuram ecclefiafticam exercerent.

Ecclefiafticæ difciplinæ reftituendæ in Germania data opera.

a To. 7. p. 1. ep. fec. pag. 32.

Innocentius, etc. venerabili fratri .. archiepifcopo Treuerenfi.

Nuper ad aures noftras rumor infeftus, de partibus Alamanniæ progreffus, fidedigna referatione perduxit, quod nonnulli, folo vocabulo clerici, & ecclefiafticæ perfonę, non folum in minoribus gradibus confiftentes, fed etiam ad faftigium paftoralis dignitatis erecti de partibus prælibatis, effrænato quodam viuendi more libitum pro licentia capientes, & per diffolutionis lubricum fine vllo rationis imperio gradientes, neglecta clericalis honeftatis obferuantia, & grauitate ecclefiafticæ religionis abiecta, vitam fuam, Deo & ecclefiafticis myfterijs dedicatam, quibufdam fecularibus actibus contra facrorum canonum prohibitiones immifcent, in ludis, haftiludijs, torneamentis, ac alijs militaribus & prohibitis eis actibus, nec non in deferendis veftibus futellaribus, & alijs quibufdam a iure prohibitis ornamentis dilapidantes bona pauperum, & patrimonium Iefu Chrifti in Dei offenfam, propriæ falutis difpendium, & perniciofum populi talia confpicientis exemplar.

Luxus haftiludiaq; clericis prohibita.

Nos igitur attendentes, quod qui tanquam Dei miniftri pofiti funt ad abolendas maculas fubditorum, immaculatam & irreprehenfibilem debent ducere vitam fuam, & quafi lumen accenfum fuper candelabro pofiti, gregem dominicum fibi commiffum in viam rectam dirigere verbo pariter & exemplo; confiderantes quoq; quod fæpe peiora malis addere folet impunitas delictorum, ac propterea huiufmodi talium perfonarũ exceffibus debitis obuiari remediis cupientes, fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, per apoftolica tibi nihilominus fcripta mãdantes, quatenus inata villicationis tuæ debitum, & incũbens tuis humeris onus minifterij paftoralis attenta diligentia & diligenti attentione te folicitum reddas & vigilem circa prælatos & clericos aliafque perfonas ecclefiafticas, cuiufcunque gradus & dignitatis exiftant, tibi fubiectos, ab huiufmodi exceffibus coercendos, fi quos in præfatæ temeritatis lafciuiam inueneris incidiffe; vt a talibus actibus prorfus abftineant, feculares huiufmodi mores grauitati ecclefiafticæ penitus indecentes abijciant, & diuinis obfequijs, vocationis fuæ non immemores, integritate vitæ & geftibus modeftia intendant, correctionis tuæ limam in pertina-

Præfules corruptos cleri mores emẽdare iuffi.

ces & negligenres, proue ad tuum spectat officinm, efficaciter impensurus: ac etiam venerabilibus fratribus nostris . . episcopis suffraganeis tuis mandaturus, vt circa subditos sibi clericos, & personas ecclesiasticas similem curam adhibeant, & ad huiusmodi corripiendos abusus vigilanter aduertant. Sic ergo diligenter exhibeas debitæ solicitudinis tuæ curam, & tuum ministerium impleas in prædictis, quod apud nos, cum tolerare negligentiam non possemus, adhibitæ solectiæ præconium merearis, & contra delinquentes eosdem aliud adhibere remedium non sit opus. *Dat. Auin. III. kalend. maij anno VII.* Hæc sanciebat summus Pontifex ad laxiorem disciplinam ecclesiasticam adstringendam, vt pio Caroli Imperatoris studio obsecundaret: quem vicissim imperialis muneris in tuendis ecclesiarum iuribus contra potentiorum vim & iniuriam admonuit. a

Monitus Cæsar, vt ius ecclesiasticũ tueatur.

a Ib. pag. 31.

b Ext. in M.S. Vall. & apud Gold. in collect. leg. imper. to 3. in Carolo IV.

13 Non defuit cæsareo muneri Carolus Imperator, insignem enim hanc constitutionem ad tuendum ius ecclesiasticum tulit b.

Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et Boemia Rex ad perpetuam rei memoriam.

Insigne eius edictum.

Ad imperialis maiestatis audientiam pro parte honorabilium præpositi, decani, & aliorum prælatorum, & capituli Magdeburgensis, Moguntinensis, & Coloniensis ecclesiarum deuotorum nostrorum dilectorum per insinuationem querulosam suppliciter est deductum; quod seculares quidam, in potestatibus & officijs publicis constituti, videlicet duces, comites, & barones & alij domini temporales; nec non consules ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum rectores dictarum Magdeburgensis, Moguntinensis, & Coloniensis prouinciarum, Dei nomine postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes moto proprio & de facto contra personas ecclesiasticas, ecclesiarum & locorum religiosorum libertates & priuilegia condiderunt, eisdemque publice & de facto insistere præsumpserunt contra legitimas, ciuiles, & canonicas sanctiones; vt puta, quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferantur, neue clerici in sacris constituti ad agendum & restificandum in ciuilibus, & maxime in pijs causis, aliquatenus admittantur: quod excommunicati laici, & publice denuntiari in ciuili foro minime repellantur.

Laicorũ in clericos coercita licentia.

Item præfati domini temporales, consules, & rectores per secularem potestatem res & bona clericorum occupant & arrestant: oblationes fidelium diminuunt & restringunt: exactiones & tallias indebite & de bonis ecclesiæ & cedditibus exigunt & extorquent: possessiones ecclesiarum & personarum earumdem deuastant incendijs & rapinis: contractus inter clericos & laicos factos legitime ad libros ciuitatum, villarum, & locorum recusant inscribere ac sigillare: donata & legata ad fabricas & ecclesiarum structuras contra prælatorum voluntatem & aliorum, quorum interest, præsumunt vsurpare contra iustitiam in fraudem & odium clericorum: de rebus & bonis etiam clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro vsibus proprijs per terras ducunt seu duci faciunt, teloneum exigunt & recipere non verentur, & confugientes ad ecclesias & cœmeteria inde extrahere contra sanctiones imperiales præsumunt. Quæ omnia, & qualibet abinde secuta, cum per sacras & ciuiles & canonicas sanctiones expresse reprobata sint, & in fraudem ecclesiasticæ libertatis de facto præsumpta; de principum, ducum, comitum, baronum, fideliumque nostrorum consilio ex certa scientia auctoritate imperiali cassamus, irritamus, & annullamus; cassaque & irrita, & nullius esse momenti penitus decernimus, & expresse pronuntiamus: præcipientes sub indignatione imperialis banni vniuersis & singulis dictorum Magdeburgensis, Mogontinensis, & Coloniensis prouinciarum & locorum vicinorum principibus & dominis temporalibus, consulibus, & potestatibus, & in officijs publicis constitutis, quatenus mox, visis & intellectis præsentibus, dicta ipsorum statuta & ordinationes, sicut in præiudicium ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omnino reuocent & de luce tollant: quodque secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet pro se & contra ecclesiasticam libertatem potiantur.

Constitutæ in eos, qui clericis atroces intulerint iniuriam, pœnæ.

Item pronuntiamus & declaramus imperiali auctoritate, quod quicumque laicus, cuiuscumque status vel conditionis existat, ausu sacrilego & propriæ temeritatis audacia sacerdotem vel clericum secularem vel religiosum diffidauerit vel captauerit, proscripserit, spoliauerit, occiderit, mutilauerit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptauerit, vel fauorem in his eis præstiterit, præter pœnas a sacris imperialibus & canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames & omni honore priuati, nec ad placita vel concilia nobilium admittendi quouis modo.

Volumus etiam & hortamur & requirimus ipsos prælatos ecclesiasticos, vt hanc nostram legem & constitutionem in synodis & ecclesijs publicari procurent, et requisiti executionem pœnarum & sententiarum denuntient, ne in præmissis excedentes per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare. Nulli ergo, &c.] Intentata est contra molientibus quinquaginta marcharum auri puri mulcta: adiectisque testium principum nominibus, consignatum est hac loci & temporis nota diploma imperiale. *Datum Pragæ anno Domini* MCCCLIX. *indiction.* XII. III. *id. octobris, regnorum nostrorum anno* XIV. *imperij vero* V. Hæc Caroli constitutio ad asserendam ordinia ecclesiastici immunitatem Bonifacij IX. & Martini V. Pontificũ decretis a postea confirmata est.

a Ext. apud eund. Goldast. ibidem to. 7. p. 109. secr. pag. 33.

c Cortus. hist. l. 10. c. 3.

Monitus Austriacus de restituendis eccl. Aquilei. iuribus.

14 Solicitauit prætera Innocentius b Carolum, vt nonnulla oppida & agros, quibus Vvindesgraz, Triuin, Vvipacum, Venzonumque nomen erat, ab Austriaci ducis patre Alberto olim erepta, de quo meminit Cortusiorum historia c, retentaqua filio Rodulpho Aquileiẽsi ecclesiæ restituenda curaret. Tum Ludouicus Vngariæ Rex solicitatus est d, vt Austriacum ad id perpelleret, quem etiam grauissime Innocentius vrsit e, ne amplificationem principatus animæ saluti præferret. Detinebat etiam alia ecclesiæ Aquileiensis loca Goritiæ dux sibi obstricta pignori a Nicolao patriarcha: cuius successor Ludouicus cum ea repeteret, ducem Pontifex monuit officij f, idemque sanctorum Hermagoræ & Fortunati martyrum corpora, quæ Nicolaus e Gradensi ecclesia ad Casamatæ oppidum clam euexerat, Gradensi ecclesiæ ad preces Venetorum restitui, instructaque religiosa pompa transferri iussit g.

Reliquiæ SS. Hermag. & Fortunati ecclesiæ Grad. restituuntur.

d Ibid. to. 7 ep. sec. pag. 54.

e Ib. pag. 55.

f Pag. 54.

g Pag. 27.

h Rebdorf. in annal. hoc anno.

Oleum e S. Vvalpurgis ossibus manat.

Non prætermittendũ hic visum est ex Rebdorfio h in Eystetensi S. Vvalpurgis monasterio in Germania sacrum oleum, quod ex sanctæ illius vir-

virginis sepulchro stillare consueuerat, exstitisse xi. kalend. aprilis aliquandiu ob quorumdam furum flagitium, qui ædituum adorti, vt trucidarent, aliquot eum vulneribus sauciarant; sed postea imminente eiusdem virginis festo die vbertim profluxisse: *Propter quod*, inquit, *stillicidium de reliquijs B. Vvalpurgis consuetum habitum manare cessauit per quatuor septimanas vel circa: & post octauas pascha, appropinquante festo eiusdem virginis, manauit vt ante. In octaua pentecostes, S. Vunibaldi confessoris in Haydenheim facta est translatio in nouum theram.* Subdit auctor cum deferrentur eiusdem sancti lipsane, sacrum balsamum e B. Vvalburgis virginis magna copia stillasse.

Reliquiarum eius translatio

15 Gestæ sunt hoc anno vario euentu catholicorum in schismaticos, Polonorum quidem in Moldauos, Vngarorum in Rascios ac Seruios expeditiones. Et quidem quod ad Moldauicam spectat; infelix ea extitit, quam Michouias a, & Cromerus b describunt. Successit felicius Ludouico Regi Vngariæ altera expeditio c in Rascios, aduersus quos a Romano Pontifice submissa antee cruceata signa, & illū sacri belli imperatorem creatum vidimus; sed Danubium traijcere facile non poterat: cum duorum principum mutuæ inimicitiæ ipsi aditum præbuere. Hoa Rasciæ Rex frustra diu in concordiam adducere conatus, irsque percitus facesseret, seque iouicem bello insectari iussit: ex quo, cum alter viribus potentior in æmulum infesta signa circumferret. Impar alter bello Danubijque accola Vngaricas copias exciolt, quibus aduersarium profligauit. Mox etiam Ludouicus Rex Vngariæ mense maio Danubij traiectu potitus d Rasciam, qua parte io æquē planitiem patet, victorijs percurrit, in montena nemorumque recessus fugiente Seruiorum Rege, in quibus scrutari hostem tutum non erat. Ita victor Vngarus, eum nemo illi resistere auderet, exercitum in Vngariam teduxit.

a Michou. l. 4 Polon. rer. c. 20. b Cromer. l. 12. Ludouici Vngar. Regis in Rascios expeditio. c Matth. Vill. l. 9. c. 22. & 32.

d Eod. lib. c. 16.

Retulere etiam nobilem victoriam hospitalarij equites de Turcis in Græcie, quamuis longe numero impares: inuecti enim quatuor tantum triremibus, atque onerariis, vigiuti nouem barbarorum naues, dum in eas vicinorum agrorum prædas inferebat, intercepere, vt narrat Matthæus Villanus: qui etiam addit e Ottomannum Megi post redactam in suam potestatem prænobilem Græciæ vrbem ad Constantinopolim sed conatu irrito excurrisse, sicque in Turciam teuertisse.

Turcæ ab Hospital. victi.

e Ib. c. 40.

16 Ad coercendas eiusmodi Turcarum grassationes Pontifex fideles orientales ad sacram in illos expeditionem concitare aggressus est, ipsique promouendæ B. Petrum Thomam ordinis Cermelitarum episcopum Coronensem in Peloponeso, sanctitatis opinione conspicuum, demandeto illi apostolici legati munere, præfecit f: cui ac patriarchæ Constantinopolitano, alijsque archipræsulibus oriensis Latinis de vindicenda contra impiorum conatus in suum splendorem religione has literas dedit g.

f An. 7. ep. cur. 6.

g Ep. 17.

Innocentius, &c. venerabilibus fratribus Petro episcopo Coronensi A. S. L. nec non patriarchæ Constantinopolitano, ac Nicosiensi, Cretensi, Smyrnarum, Patracensi, Athenienſi, Thebane, Cerinthiensi, Colossensi, Nixiensi, Corphiensi, Duracensi, Neopatensi, & Neopatria archiepiscopis, eorumque suffraganeis &c.

Dudum anxie cogitantes insultus acerrimos, grauiumque persecutionum angustias & damna maxima, quibus Turcorum infidelium furor immanis fidelium Christianorum populos illarum partium eorumque terras & loca, & præcipue Romaniæ ciuitatisque Smyrnarum, vt illa suæ sæuæ potestati subijceret, diu afflixerat, & quotidie crudelius affligebat; vt ipsorum infidelium obsisteretur insultibus, & fidelibus opportuna remedia pararentur, frequenter idoneos nuncios nostros ad partes illas direximus, ac legatum constituimus ibidem, suffragia multa præstitimus, aliosque fideles ad illa etiam solerter induximus tribuenda; & nonnullos alios in prædictis labores perrulimus, & quantum nobis possibile fuit, opem & operam adhibuimus diligentem. Sed licet huiusmodi nostra dictorumque fidelium studia & opera fructuosa felicem faria, auctore Domino, hucusque progressum habuerint; tamen dictorum Turcorum sæua rabies non tepescit, sed tam ipsi quam nonnulli alij infideles & schismatici ad ipsorum & eorum terras & loca continuis iouasionibus atque damnis & afflictionibus persequuntur: & non solum partes ipsas, sed etiam patriarchatum Constantinopolitanum eiusque prouincias, in quibus Christiani nominis fauor viget, inuadunt immaniter & percurrunt, Christianos ipsos in ore gladij inhumaniter concidunt, aliosque velut animalia bruta vendunt, eosque in feram seruitutem redactos prælatam fidem abnegare compellunt: & sacratissimam crucem, mortem redemptoris domini Iesu Christi ac salutem humani generis indicantem, lacerant & confringunt, pedibusque conculcant; ecclesias & ecclesiastica loca aliasque terras & villas, quas per se tenere & custodire non possunt, ignis incendio concremant, cunctaque depopulantur & vastant: & in tantum eorum insaluit & insalescit audacia, quod nisi per Christi fideles sub spe diuinæ potentiæ viriliter obsistatur eisdem, pestifer ignis ipse semper vlterius excandescens, singulas partes ipsas proh dolor! dissipabit, &c.] Addita imperia, vt piam militiam professuros crucis symbolo distinguerent, noxarumque veniam bellicis laboribus promerendam, stipemue in sumptus militares collaturis pollicerentur. *Datum Auin. v. idus maij anno vii.*

Turcæ Græciam vastant.

De comprimenda ingrauescente Turcica tyrannide extent aliæ pontificiæ literæ datæ ad eundem B. Petrum Thomam, gestis apud Rasciæ Regem (cuius fastum, regios pedes aliorum more deosculari ob. sedis Apostolicæ maiestatem dedignatus tempsit) apud Venetos (quibus aduersam pacem cum Vngaro percunterent, prædixit) ad Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum (quem in Romani Pontificis obsequio disensis doctrinæ luce schismaticorum erroribus confirmauit) legationibus illustrem, de quo admiranda plura fideque dignissima acta a recensent, in quibus literis his elogijs ab Innocentio exornatur b: *Ad te, qui vir timoratus & prouidus & in lege Domini, ipsaque fide catholica admodum eruditus, ac frequenter in arduis, & præsertim in illis partibus comprobatus, clarus fesentia, pluribusque multis virtutibus præditus, nostræ considerationis intuitum conuertentes, deliberatione super hoc cum fratribus nostris prababita diligenti; tibi in eisdem patriarchatu Constantinopolitano & regno Cypri & in Cretensi, Smyrnarum, Patracensi, Atheniensi, Thebano, Corinthiensi, Colossensi, Nixiensi, Corphiensi, Duracensi, Neopatensi, & Neopatria archiepiscopatibus, & eorum diœcesique patriarchatus prouincijs, pro subsidio*

a Philip. e Mazer. in vita B. Petri Thom. b An. 7. ep. cur. 5. B. Petrus Thomas creatus ad eos repremendos legatus.

 fide-

fidelium & partium earundem, omnem alium legatum in partibus illis deputatum reuocantes, extat ad Vrsum archiepiscopum Cretensem de abrogata ei apostolica legatione pontificium diploma a, *plena legationis officium auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio committimus per præsentes; vt ibidem auctore domino recta regens, & indirecta dirigens in directa, & aspera conuertens in plana, sicut diligens cultor euellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes quæ pro negotiorum huiusmodi ac morum & ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum regni, patriarchatus, ac prouinciarum, & partium prædictarum informatione & statu, ac alias legati ad officium pertinent, & sicut Dominus ministrabit, &c. Dat. vt sup.*

a Ib. ep. cur. 28.

17 De hac legatione apostolica in oriente B. Petro Thomæ demandata, cum ex Syria, vbi lustrato sepulchro dominico, concepto martyrij subeundi ardore euangelium Christi inferre Mahometanis nisus erat, rediisset ad curiam Pontificiam, vt Christi vicarium de re orientali faceret certiorem, meminit Philippus e Mazerijs b Cyprij Regis scrinij præfectus: additque illum multa sanctitatis documenta præbuisse in Cypro, adeo vt Armeni, Græci schismatici, & infideles lucem cœlestem in cubiculum, in quo orabat, cœlitus delapsam se vidisse testarentur; idemque auctor præcipua eiusdem sancti legati gesta recenset his verbis: *Ab eo tempore*, nimirum ex quo legatus sedis Apostolicæ creatus est, *formidandum magnopere sese exhibuit omnibus Christi Iesu hostibus, cuius partes fortiter tueri statuisset: multasque fructus fecit, prædicando, docendo, disputando, confirmante Deo & probante serui sui verba pluribus signis & prodigijs. Modo sacro regenerationis lauacro abluebat infideles, reducebat schismaticos, & hoc pacto ecclesiam Dei adaugebat. Ille idem fortiter et animose corporeis viribus decertabat modo Smyrnæ, modo Rhodi, modo Constantinopoli, modo in Cypro & Creta, modo inter Turcas cum multis aliquando triremibus, cum paucis. Aliquoties multas pertulit infidorum hominum, falsorumque Christianorum calumnias & opprobria: multos exantlauit corporeos labores pro tuenda & augenda fide; multaque maris, bellorum, & hominum pericula subijt, & falsorum potissimum fratrum petitus insidijs: & tandem diuino roboratus auxilio tantum effecit, vt durante toto suæ legationis tempore, victoriæ semper de Turcis gloriosissimæ fuerint reportatæ. Præterea vnum e maximis principibus Turcarum, dominum Altiloci nuncupatum, vectigalia soluere coegit, quæ quidem nullus legatorum aut Christianorum principum exegerat: & ab illo tempore maximi fecit in sua patria Christianos.*

Sanctitas B. Petri Thom. cõprobata prodigijs.

b Philipp. e Mazerijs in Petri Th. vita.

Illius gesta in legatione orientali.

Vt Turcas repressit.

Altiloci principẽ vectigalẽ esse coegit.

18 Perfunctus est adeo egregie contra Turcas apostolica legatione, vt creatum postea ab Vrbano legatum in crucesignato exercitu aduersus Aegyptios, & in Alexandria expugnanda gloriosissima pro Christo vulnera accepisse visuri sumus. Nec minus studij ad excindendos hæreticos collocauit, in quos hæc ab Innocentio imperia acceperat c: *Cum te ad Constantinopolitana ac Romania et nonnullas alias prouincias atq; partes, in literis tuæ legationis expressas, pro quibusdam arduis catholicæ fidei et ecclesiæ Romanæ negotijs destinemus; nos cupientes, vt catholica fides in eisdem partibus ex studijs tuis, auctore Domino, dilatetur extirpatis erroribus hæreticæ prauitatis, fraternitati tuæ inquirendi et procedendi, durante legatione huiusmodi, contra quoscumque hæreticos atque schismaticos, et de hæretica seu schismatica prauitate suspectos aut etiam diffamatos, seu qualitercumque in ipsa culpabiles, ipsorumque adiutores, fautores, et receptatores eosdem; et ipsos et ipsorum quemlibet puniendi iuxta canonicas sanctiones et ciuiles, et specialiter secundum constitutiones a quondam Frederico olim Romanorum Imperatore editas contra hæreticos, fautores, et receptatores eosdem, dum adhuc in sedis Apostolicæ gratia Fredericus persisteret, nec non et iuxta formam priuilegiorum sedis Apostolicæ concessorum inquisitoribus hæreticæ prauitatis; et inuocandi ad hoc, cum opus fuerit, auxilij brachij secularis*, & infra, *plenam et liberam concedimus tenore præsentium facultatem, etc. Dat. Auin. v. idus maij anno vii.* Accepta hæc ab Innocentio mandata B. Petrus Thomas adeo strenue perfecit, vt fœdam hæresim in Cretæ insula obortam flammis represserit, vt eiusdem vitæ acta referunt a.

c Inn. an. 7. ep. cur. 30.

Amplissimis contra hæreticos mãdatis fultus.

a Philipp. e Mazerijs in Petro Th. vit.

19 *D. Petrus Thomas, plurimum in sua legatione commendatus, audiuit quandam hæresim diris execrandam in Creta pullulare tum potissimum inter nobiles et primarios illius insulæ. Cupidus ergo istius hæreseos germen radicitus euellendi, posthabitis omnibus alijs ad legationem suam spectantibus negotijs et rebus, spreta etiam corporis morte, Candiam Cretæ vrbem venit impauidus, quam in vrbem fuit non vt legatus aut amicus, sed vt hostis exceptus. Dux Cretæ cum minis et superbia ei locutus est: sed Dei seruus, sapienter rem dissimulans, de falso hoc et peruerso dogmate studiosius inquirebat. Quo quidem comperto iubet omnes coram se conuocari hæreticos quicumque in dicta vrbe degebant: inter quos præcipuus erat quidam vxoris ducis cognatus. Congregati ergo hæretici maxima cum indignatione et fastu comparuere. Sed D. Petrus Thomas, pijs eos et amicis verbis affatus, de sua doctrina rogat. Sed illi, verborum amorem & benignitatem aspernati, valde arroganter et non appositam fecere responsionem. Tunc B. Petrus Thomas, separatim eos audire cupiens, a duce totius ecclesiæ Romanæ nomine præsidium petit. Dux vero, his acceptis, in furiam actus est, et pessimo vxoris suæ consilio D. Petrum Thomam adijt, multa minitatus mala, et comminatus ei vehementer, omni ope denegata in terra. Hæreticorum fautores pessime rumorem sparserunt per vrbem et per totam insulam, nec alia fiebant verba, quam vt D. Petrus Thomas cum suis omnibus internecione deleretur. Videns autem D. Petrus Thomas suos omnes pusillanimes et timidos, confortauit et animose cohortatus est, vt mortem, si foret opus, pro religione catholica fortiter oppeterent. Postera luce, diuinam et ecclesiæ sanctæ virtutem omnibus patefacere volens, ducem ipsum et vniuersam ciuitatem feriuit anathemate, iussitque omnes ecclesias claudi, prohibens ne pulsarentur campanæ: et hanc dominationem subhastari voluit, his verbis ad ducem vsus maximo vniuersorum terrore et metu: Ecclesia Romana concedit regna fidelibus, et eadem aufert a perfidis: etsi forte pertinacem te præstiteris et hæresum fautorem, summus Pontifex aufert a te Cretense dominium, et tradet alijs melioribus. Hæc verba tantum metus et timoris incusserunt duci, vt pœnitentia ductus, venerit ipsemet rogatum veniam D. Petrum Thomam. Qui quidem excepit illum humaniter et benigne ad summam hæreticorum ignominiam et dedecus: qui fuerunt omnes ad ignem damnati. Sed illi errorem suum et culpam detestati, veniam rogantes, impune tulerunt, misericordiam consecuti præter vnum vxoris ducis cognatum, qui pertinacior factus et in hæresi obstinatus igne viuus est absumptus. Diuus au-*

Noua hæresis ab eo in Creta extincta.

Eiusdem constãtia.

Seueritas in hæreticos.

autem Petrus Thomas exuta penitus ex animis hominum impia heresi, dictaque insula lumine fidei collustrata, ex Creta profectus est cum omnium amore et singulari beneuolentia, laudibusque tumuneris. Inter eundum autem per aliquam Creta vrbem nomine Canilam iter habuit, vbi iussit effodi cadauer defuncti cuiusdam haretici, cuius ossa iussit igne cremari pro summa sua fidei Christiana, diuinique nominis zelo. Hactenus Philippus e Mazerijs de gestis B. Petri Thomæ apostolici in Græcia, Cypro, Creta & alijs orientalibus oris legati, vt hostes fidei edomaret, hæreticos excinderet, schismaticos ad salutis tramitem reuocaret. Cæterum vt B. Petro Thomæ in Creta, Cypro, Græcia inquirendi in hæreticos iniunctum munus vidimus, ita Philippo ordinis Prædicatorum auctoritas commissa a in Cumania ac Tartarorũ Persarumque imperijs, vt in hæreticos censuram fidei exerceret. Ex quo patet, disciplinam ecclesiasticam in hæreticorum, qui inanis gloriæ vel commodi studio pestifera dogmata comminiscuntur, coercenda temeritate maxime viguisse.

a An. sup. num. 51.

Cum vero in oriente plures mercatores ferēdarum in fidelibus mercium facultatis obtentę a sede Apostolica occasione auaritia obcæcati varia telorum & armorum genera infidelium oris inueherent, quibus res Christiana lædebatur, Pontifex ecclesiasticas censuras, aliasque pœnas a prædecessoribus constitutas huiusmodi præuaricatoribus incussit, quas archiepiscopis Patracensi in Achaia, Nicosiensi in Cypro, Colocensi in Dalmatia, Cretensi in Creta, Cæsaraugustano in Hispania, Narbonensi in Gallia, Neapolitano, Capuano & Salernitano in Sicilia, Ægidio Cardinali A. S. L. in reliqua Italia diuulgandas transmisit b, addita hac causa: *Attendentes, quod communis vtilitas est priuatis commodis præferenda, quodque absurdum est penitus & indignum, quod huiusmodi licentia gratiosa concessa in detrimentum fidelium & vtilitatem infidelium conuertantur, etc.*

Vetita merces in fidelibus inuehi.

b To. 7. ep. secr. pag. 91. Publica priuatis anteferenda.

IESV CHRISTI
Annus 1360.

INNOCENTII PP.VI. annus 8 CAROLI II. IMP.OCC. 15. IO.PALAEOL. IMP. OR. 20.

1 ANno a virgineo partu millesimo trecentesimo sexagesimo indictione tertiadecima concussis Anglico turbine, impulsisque in extremi exitij discrimen Gallijs, optata quies diuino nutu restituta est: cum enim Eduardus corripiendæ vi & armis, vt vidimus, Gallicæ coronæ cupidine arderet, ac mense ianuario cœptam Rhemorum vrbis, in qua Reges sacro balsamo liniri solent, obsidione irrito tamen conatu produxisset; infesta signa per Burgundiam, Parisiensem agrum, aliasque prouincias populabundus circumtulit c. Tum vero diuinum Numen Galliam sua prouidentia texit, nec leuibus signis: nam *visum est*, inquit Meyerus cæteroqui Gallici nominis æmulus, *orbata atque oppressa Galliæ cælum venisse suppetias*; tanta quippe tempestas concitata est, vt homines & equos prosterneret, ac necaret plures: quo territum Eduardum Regem votum admittendæ pacis, quam paulo ante in castris apud Parisios repudiarat, addita ea voce, non se illius leges accepturum, sed quas vellet daturum, concepisse referunt. d. Cuius etiam tempestatis meminit Vvalsingamus his verbis e: *In crastino octaua pascha conuertit signa cum exercitu versus Aurelianum prædando, vastando, et igni consumendo plurima. Quo tempore ingruebat tam sæua tempestas et inaudita, vt plura millia hominum et equorum in Regis exercitu itinerando perirent, subito martua carruenda pra frigoris immanentis asperitate. Qua tantum Regem et suos terruerunt, quin procederent cum suceptis*. Subdit auctor paulo post apud Carnutes in castris pacem ab Eduardo Rege initam: ad quam firmandam missi ab Innocentio Papa Androinus abbas Cluniacensis, & Hugo Gebennensium principum stirpe satus Hautonij dominus.

Rhemorum vrbs frustra oppugnata ab Eduardo.

c Matth. Villa.l.9.c. 83.85.98. Vvalsing. in Eduar. 161. & alij. In eum pugnat pro Gallis cælum.

d Meyer. hist. l.13. in Io. Paul. Aemil. in eod. Meyer l.13. Vouet pacē se illis daturum.

e Vvalsing. in Eduar. 161.

Androinus abbas pro ea promouenda missus.

Androinus vero impositum munus adeo egregie obijt a, vt mense maio apud Carnutes fœdus percussum sit. Seruatum ritum ad illud sanciendum describit his verbis Vvalsingamus: b *Rex*, nimirũ Anglorum, *annuit vt iuratis in corpore dominico partibus, tactisque sacrosanctis euangelijs, pacta stabilirentur. Mittuntur igitur ex vtraque parte, Angliæ videlicet & Franciæ, duo barones: duo quoque milites corporale sacramentum, domini Caroli regentis Franciæ primogeniti Ioannis Regis eiusdem, ac domini Eduardi Regis Angliæ audire & admittere. Parisijs igitur celebrata solemni missa, dictoque ter Agnus Dei, adiecto dona nobis pacem, dictus Carolus in præsentia prædictorum & aliorum plurium dextrã super patenam cum corpore dominico & lanam super missale posuit, hæc verba proferens: Nos Carolus iuramus ad sacrosancta corpus Domini & euangelia firmiter seruare penes nos pacem & concordiam formatas inter Reges, & nullo modo in contrarium venire. Post hæc, datis militibus reliquijs de corona Christi in testimonium omnibus, valefecit*.

a Gesta Innoc. VI. apud Bosq. b Vvalsin. in Eduar. III.

Quo ritu sacro additum a delphino fœdus.

2 Certior de inita inter Francos & Anglos pace, quam continentibus votis ab euolutis retro tot annis ecclesia expetierat, Pontifex ingenti perfusus lætitia, grates Deo retulit, & gratulatorias hasce literas ad Eduardum dedit c, vt ipsum ad implenda citissime præscripta pacta incitaret.

c To. 8. p.2. ep. secr. pag. 93.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Vox exultationis & gaudij, vox iucunditatis & lætitiæ, nobis ac Romanæ ecclesiæ & Christi fidelium populis expectata diutius, nuper auribus nostris insonuit, & diuturnam nostræ mentis amaritudinem, quam dolenter ex filiorum nostrorum dissensione gustauimus, suauissimæ insinuationis beneficio dulcorauit. Quid enim lætius aut suauius audire potuerant aures nostrę, quam quod ille rerum omnium moderator, cuius factus est in pace locus, & in cuius manu Regum ac principum corda consistunt, animum tuum, princeps inclyte, ad habendam cum charissimo in Christo filio nostro Ioanne Rege Francorum illustri pacem ac concordiam inclinarit? Profecto nobis & vniuersis Christi fidelibus non parua suggeritur gratulandi materia, cum duo tam generosi, & non modo suis in regnis, sed toto terrarum orbe famosissimi principes, & vinculo consanguinitatis astricti, ex quorum discordijs tot, proh dolor! tam animarum pericula quam corporum, ac rerum damna prouenerant, nunc tandem ex inimicitijs sint in amplexus, in colloquia, & in perpetuas amicitias redituri. Equidem, charissime fili, licet ad exprimendum nostræ mentis affectum circa prosecutionem huiusmodi inter vos reformandæ concordiæ minime

Gratulatoriæ ad Anglum Pontificis literæ.

satis sufficiat series literarum; nostri tamen intima pectoris, & hærentia nostris præcordijs desideria, quanto possumus viscerosius, aperimus,

Proposita præterita mala e bello exorta.

Meminisse potest non sine compassione multiplici tua serenitas, quanta ex discordia inter te & Regem præfatum exorta, & quam innumera mala prouenerint: quam dura & aspera fuerit vestra contentio; quam multis damnosa populis: quot innocentibus ira vestra nocuerit; quantas hominum strages effecerit: quot rerum depopulationes, quot agrorum vastationes, quot locorum incendia exinde processerint; vt pudori (prout conuenit) deferentes, commissa interim scelera solis horrenda nominibus taceamus. In quibus siquidem malis etsi tibi successus plurimos felices ac famosos prouidentia summa permiserit; in eis tamen humanos casus deplorare, & victis victor compati, & in ipsis incertos bellorum euentus agnoscere, & humana formidare pericula, & quam leui momento fortuna ducum pendeat, intelligere merito potuisti.

Iam ergo tempus est, vt cedat paci discordia, cedant amicitijs odia, occupet locum iræ tranquillitas, sitque inter vos de cætero tam generosa, quam gloriosa contentio, vt scilicet non de regnis, sed de charitate certetis. Nam si vsque ad extremum durauerint odia, si non temporum decursu, & humanorum malorum tædio ira lentescat; si nulla feroces animos dies emolliat, tota humani generis vita in confusione versabitur, concidet regnorum ac rerum publicarum status, & quæ multorum fuerint parta laboribus, facile bellorum vastatione peribunt. Nosti quam sæpe multis attulerit volubilis fortuna certaminis, quos tandem in extremæ locum confusionis adduxit. Considera fili charissime quanta ex concordia vestra prouentura sint commoda, quot parentibus seruandi sint liberi, quot coniugibus viri, quot illibatæ mansuræ sint virgines, quam multæ in earum integritate permansuræ respublicæ, quæ vobis dissidentibus deperirent.

Oborituræ e pace bona.

Iam pigeat effusi sanguinis: & futuris malis, quæ facile valent ex prioribus præuideri, prouidi cõsilij maturitate parcatur. Hæc proculdubio & alia, quibus ad exprimendam nostræ mentis seriem nõ satis est ministerium literarũ, si intra regiæ mansuetudinis claustra reuoluas, finẽ tot futuris periculis imposuisse gaudebis. Nos quoque, licet te super huiusmodi terminanda concordia longis non credamus exhortationibus indigere, quinimmo te illis adminiculis, quibus ea compleri facilius valeat, efficacem daturum esse operam nullatenus dubitemus; paterni tamen affectus continere spiritum non valentes, serenitatem tuam rogamus attentius, & plenis desiderijs obsecramus quatenus vt inchoata inter te & dilectum filium nobilem virum Carolum ducem Normanniæ præfati Regis primogenitum facilius ac celerius perduci valeant ad effectum, circa liberationem dicti Regis promptam se ostendere velit tua magnificentia, ac etiam liberalem. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis 11. non. iulij anno VIII.*

a Matth. Vill. l. 9. c. 105.

Caletij a Regibus pacis formula confirmata.

3 Diligentissimum se sponte præbuit Eduardus in conuentis implendis: traiecerat enim iam in Angliam a, atque iulio mense vna cum Ioanne Rege Francorum Caletum applicuit; qua in vrbe conuenta iterum solemni ritu confirmanda erant. Diuinis operatus est Androinus abbas Cluniacensis in templo D. Nicolao sacro: cumque corpus Christi consecrasset, peruenissetque ad ea verba; *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*; sacratissimam hostiam manu præferens, conuertit se ad Reges; qui in genua reuerenter prouoluti, manu admota Eucharistiæ fœdus seruaturos sacramento se obstrinxere: eosque abbas, diuisis speciebus, sanctissimo Christi corpore pauit. Dein porrectis ab illo euangelijs, Reges iusiurandum iterum renouarunt; tum Gallici & Anglici sceptri heredes futuri filij, vna cum alijs principibus fidem pariter deuinxere. Denique dux Aureliani nomine Regis Francorum, Philippus princeps nomine Caroli fratris Regis Nauarræ iniurias eos obliuioni daturos, culturosque amicitiam, spopondere. Recensent pluribus historici a huius concordiæ formulas: interque alios vitæ Innocentij scriptor paucis perstringit, quibus vrbibus Anglus, abiecta obtenti in Gallicum sceptrum iuris controuersia, ingentisque auri vi donatus, ex fœdere sit potitus; vtque Eduardus iunior, abiecto ducis nomine, se principem Aquitaniæ dixerit: *Commissarij*, inquit, *Regis vtriusque processerunt ad integram et realem executionem præmissorum, fuitque positus per ministerium prædictorum dictus Odoardus pro tunc princeps Valliæ in possessionem ciuitatum et diœcesis Agennensis, Condomiensis, Vasatensis, Pictauensis, Malleacensis, Lucionensis, Engolismensis, Petragoricensis, Sarlatensis, Lemouicensis, Tutellensis, Ruthenensis, Vabrensis, ac Caturcensis cum ciuitate Montisalbani et parte diœcesis eiusdem, quæ per flumen Tarni diuiditur a comitatu Tolosano. Quibus expeditis dictus Odoardus princeps venit in propria in ducatum memoratum, in quo mutato nomine ducis, princeps Aquitaniæ voluit nominari: dominatusque est cum maximo potentatu, cunctaque disposuit pro suæ libito voluntatis.* Flagitarunt fœderati Reges a Pontifice, vt Androinum abbatem Cluniacensem, quem felicitate summa & contentione in conciliandis Regibus & conuentis implendis desudasse vidimus, merito Cardinalatus præmio afficeret: verum Innocentius arcanis de causis rem extrahendam censuit b.

Seruatus sacer ritus

Positum ab Anglo Gallicum insigne.

a Froissard hist. l. 1. c. 10. Io. l. Matt. Vill. l. 9. c. 105. & alii.

Quos principatus Angl. sibi pepererit ex fœdere

Eduardus iunior principẽ Aquitaniæ se dixit.

Expetita a Regibus Androino sacra purpura.

b To. 5. p. 2 ep. secr. pag. 119.

4 Hic addemus, Pontificem Gallicæ rei, quæ superioribus bellis collapsa erat, in suum splendorem restituendæ cupidum, Ioannem Regem Francorum, recenter libertati redditum, præceptis saluberrimis instruxisse c, vt pacem cum Eduardo coleret, ecclesiasticos veneraretur, sectaretur iustitiam, foueret inopes, prudentia conspicuos viros adhiberet in consilium, eosque reprimeret, qui adhuc ecclesiasticos in Gallijs diuexare pergerent.

c Ibid. ep. secr. pag. 118.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Ioanni Regi Franciæ illustri.

Gratulatur Ioanni Pontifex de pace coalita.

Nostris admodum grata sensibus, ac menti nostræ læta nimium & iucunda fuit tuarum series literarum, quas nuper super concordia inter te & charissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem (duce Domino) consummata ac liberatione personæ tuæ, nobis per dilectum filium Guerrinum de Montecherio, latorem præsentium, tua serenitas destinauit. Hanc enim vere dicere possumus, diem esse, quam fecit Dominus, in qua non nobis tantum, qui ex paterno affectu, quem ad filios benedictionis extendimus, in Regum ac principum vnitate & concordia delectamur; sed vniuersis Christi fidelium populis exultationis in Domino causa ministratur, cum tandem post graues inimicitias, ac damnosa non minus quam

an-

annosa dissidia, in duorum toto orbe famosissimorum principum pectoribus tranquillitatis & quietis inspirauerit spiritum Deus pacis. Equidem nos tantæ vtilitatis & commodi communis auctori in exultatione mentis assurgimus, eique quas pro tanto bono valet humana debilitas, gratiarum humiles referimus actiones; nostris illum precibus suppliciter exorantes, vt concordiam ipsam, inter te & Regem præfatum feliciter consummatam, perpetua in vobis stabilitate conseruet. Sed vt ab alijs, quæ sufficienter exprimere iuxta nostræ mentis desiderium literarum ministerio non valemus, ad ea, quæ excellentiæ tuæ ac regni tui statum & commodum respiciant, veniamus.

Vt restaurandis regni rebus det operã eum hortatur.

5 Iam tibi, charissime fili, sopitis exterioribus malis, interioribus regni tui dispositionibus eo est efficaciua prouidendum, quo regnum ipsum, annis plurimis Regis sui gubernaculo destitutum, multiplicibus extitit aduersitatibus lacessitum. Assurgat itaque regiæ magnitudo prudentiæ, & super miserabile regnum, innumeris pene calamitatibus oppressum, diligenter inuigilet, ipsumque prouidi consilij maturitate reformet. Illud vide, princeps inclyte, vt in Dei timore & reuerentia sanctæ matris ecclesiæ, prædecessorum tuorum in virtuosis ac famosis operibus vestigia imitando persistas; reginam quoque virtutum iustitiam (sine qua sicut rerumpublicarum facile status deperit, ac regnorum culmina decidunt in ruinam, ita cum illa respublicæ & regna ipsa conseruantur & crescunt) facias personis singulis tibi subiectis efficaciter ac fauorabiliter ministrari. Ad quod serenitatem tuam diligenter intendere, nullatenus dubitamus, si memineris regnum præfatum consueuisse hactenus normam fore iustitiæ, & toti mondo iusti exempla regiminis præbuisse. Miseris subueni: oppressos subleua: in malignatores quoscunque & viros nequam, rapto viuere assuetos, pro eorum nequitia dexteram tuæ potestatis extende. Præterea salutem in bonis consilijs fore positam considerare sæpius non omittas, vt talea proinde tibi consiliarios eligas, qui iuxta sanctum mentis tuæ propositum honesta consulant, iusta suadeant, & quæ pro tui honore culminis ad quietem & pacem regij status pertinere nouerint, tam libere quam libenter exponant. Ecclesias insuper & ecclesiasticas personas ac earum libertates sub tuarum alarum vmbra suscipias, ipsasque tui fauoris præsidio protegas, ac per tuos officiales & subditos opportunis facias præsidijs confoueri & defendi: & quæ contra eas attentata temere per malignatores aliquos forsitan extiterunt, prout magnitudinem tuam decet, studeas efficaciter reuocare. Adhuc enim, sicut habet querula plurimorum nobis facta relatio, nonnulli perditionis filij, regiam præsentiam non verentes, contra ecclesias & ecclesiasticas personas easdem non desinunt rapinis & incendijs malignari: quorum temeritatibus eo per te attentioribus est studijs obuiandum, quo plurimum regij honoris, & status ab ipso tedirus tui principio noscitur dependere. Hæc in paterni amoris affectu, quem ad personam tuam gerimus, serenitati tuæ duximus intimanda: per ea namque, si illis, prout de te speramus indubie, diligenter intenderis, præter diuinæ retributionis præmia, solidabit in pace Dominus thronum tuum, & multiplicium aduersitatum tuarum labores diuturnæ quietis beneficio compensabit. *Datum Auin. v. kal. decembris anno VIII.* Imbuebat his monitis Ioannem Regem Pontifex, cum plures e regio exercitu dimissi laxatis licentiæ frænis prædas passim agerent, maximeque furorem in ecclesiasticos effunderent. Quorum prædonum metu antea Innocentius, cum nunnullos in delphinatu societatem militarem conflare accepisset, Carolum delphinum rogauerat a, vt ad eam dissoluendam auctoritate vteretur. Vt autem in eos sacrum bellum suscipiendũ fuerit duce Cardinale legato, dicetur suo loco: nunc ex Gallicis rebus ad Italicas digredimur.

Colat iustitiam.

Probos & fidos consiliarios deligat.

Prædonũ sociales turmas coerceat.

a To. 8. p. 1 ep. secr. pag. 3.

Oleganũ de restituẽda ecclesiæ Bononia agitur.

Cur admittenda fuit eius cessio.

6 Susceptũ est ab Ægidio Albornotio in Italia Card. legato difficillimum bellum aduersus Bernabonem Vicecomitem Mediolanensem, pro restituenda ecclesiæ Bononia, quam antea a Pepulis, postea autem dolo & vi a Ioanne archiepiscopo Mediolanensi ereptam Clementi VI. vidimus. Non enim deerant rationes grauissimæ, ob quas Bononia recuperanda videretur: nullam in primis Bernaboni fieri iniuriam, si nondum lapso duodecim annorum spatio, ad quod excurrens traditam a Clemente præfecturam Bononiensem vidimus, cum iam illam Bernabo sua culpa amisisset, ac liceret ex cuiusuis tyrannide sua recuperare. Adde vi & iniuria Vicecomites illam præfecturam extorsisse, quam illis restituere tutum non erat: constare de eorum perfidia, lapso triennio Bononiam non reddituros ecclesiæ; immo ad aliam ditionem inuadendam vires intensuros: submisisse perduellibus ecclesiæ auxilia, ad ipsos in tyrannide confirmandos, ob quod flagitium quamuis Bononiæ potiti fuissent, illius imperio iuste essent deturbandi. Atque adeo Innocentius legato arcanis literis rem totam permisit b: exhaustam tamen ærario ecclesiam significauit. Censuit legatus Cardinalis recuperandæ Bononiæ occasionem non abijciendam: eamque demum, cum Olegiano Firmanã toparchiam pactus, in suam potestatẽ redegit. Furensq; rum ita Bernabos Bononiæ obsidionem magis vrsit c: ad cuius reprimendos conatus Pontifex Ludouici Neapolitani Regis & aliorum Italorum principum & magnatum auxilia implorauit d. Nec Italos modo verum transalpinos principes sollicitauit Innocentius, vt legato ad Bononiam contra Bernabonem defendendam auxilia explicarent.

b Ib. pag. 7 & 8.

Contrahit vndique auxilia Pontifex.

Bernabos bellum infert ecclesiæ.

Comprimendus videbatur facilius Bernabos Imperatoris auctoritate, cuius beneficio ac nomine præfecturam Mediolanensem gerebat: atque ideo rogauit Pontifex Boemundum Treuirensem, Arnestum Pragensem, Moguntinum & Salisburgensem archiepiscopos, Vlricum Augustensem, Henricum Constãtiensem episcopos, Rudolphum ducem Saxoniæ, Albertum ducem Bauaræ stirpis principem, aliosq; nonnullos proceres, vt Carolum ad suscipiendum ecclesiæ patrociniũ permouerent: quem etiam ad coercendos tyranni impetus ipsemet excitauit e. Susceptura quidem erat grauam ignominiã ecclesia, si Bernabos Bononia potiretur nec minora ingruebant pericula, ne depressi antea rebelles eo casu erecti ceruices attollerent. Quare Innocentius non modo Italos, Germanos atq; Imperatorem eundemq; Regem Boemiæ, verũ etiã Eduardum Angliæ Regem f, illius filiũ Vvalliæ & Aquitaniæ principem g, Henricum ducem Lanclastriæ h, tum Ludouicum Regem Vngariæ i (in quo veluti Romanæ ecclesiæ signifero, quique ad Manfredios & Ordelaffum edomandos magno auxilio fuerat, præcipua spes sita erat) ad explicandam decertanti aduersus Bernabonem le-

c Matth. Vill. l. 9. c. 90 & 102

d To. 8 p. 1 ep. secr. pag. 11. 46 47. 48. 13. 54. 56. 57. 74. 84. & 105.

Rogatus Carolus, vt Bernabonẽ coerceat.

e Ib. pag. 52.

Flagitata ab alijs Regibus auxilia.

f Ib. pag. 109.

g Pag. 112

h Ead. pag.

i Pag. 10.

legato opem excitare conatus est; eaque de causa Ægidium episcopum Vicentinum, quem ad Imperatorem miserat, etiam ad Vngaricam aulam proficisci iussit a, atque Elisabetham Ludouici matrem eiusque nominis coniugem Reginas b, Nicolaum c Strigoniensem tum Colocensem archiepiscopos, Ladislaum Vesprimiensem Stephanum Nitriensem episcopos, Contum comitem palatinum & Cumanorum iudicem precibus vrsit, vt Ludouicum Regem ad Bononiæ tutelam contra Bernabonem capessendam hortarentur. Conceptæ sunt eo argumento ad Regem ipsum pontificiæ literæ subiectia verbis d.

a Pag. 46. b Pag. 44. c Super. pag. 46. d Eod. to. 8 p. 1. ep. secr. pag. 50.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Pontificię ad Vngarum literę

7 Ingentis deuotionis affectum, quem ad nos & Romanam geris ecclesiam, & laudabilium operum studia, quæ tu, tanquam benedictionis & reuerentiæ filius inter cæteros mundi catholicos principes nobis & eidem ecclesiæ specialiter reseruatus, nostris & ecclesiæ ipsius obsequijs intendendo tam prompte, quam magnifice ac libenter exerces, ac experti sumus hactenus, & argumentis continuo euidentioribus experimur. Sane venerabili fratre nostro Aegidio Episcopo Sabinensi A. S. L. nobis nouiter intimante percepimus, quod ad notitiam celsitudinis tuæ perducto, qualiter ciuitatem Bononiensem, ad nos & Romanam ecclesiam pleno iure spectantem, Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis manu armata hostiliter oppugnare, Dei timore postposito, temerarijs ausibus conabatur; tu, eiusdem ecclesiæ matris tuæ negotia tua reputans, & oppressiones, eidem in terris & iuribus suis factas, non minus tibi quam sibi tanquam piæ matris sincerus & virilis defensor ascribens, sublato moræ dispendio, dilectum filium Ioannem præpositum Colocensem, nuncium & ambassiatorem tuum, cum tuis literis destinare ad ipsius Bernabonis præsentiam curauisti; inter cætera tam per literas ipsas quam ambassiatorem eundem sibi significans, ipsumque requirens, quod ipse ab obsidione terrarum ecclesiæ, & ipsarum impugnatione cessaret: alioquin tu tanquam princeps catholicus, & honoris ac exaltationis sanctæ matris ecclesiæ zelator, suorumque iurium conseruator assiduus & defensor tolerare nequires ecclesiam ipsam in suis iuribus, aut terras eiusdem per ipsum, aut per quamcunque personam aliam impugnari, vel quomodolibet molestari. Equidem, charissime fili, aperta sunt ista tuæ deuotionis insignia, & magnis laudum præconijs, ac singulari paternæ benedictionis gratia compensanda; & eo nostræ mentis affectibus gratiora, quo liberaliorem in eis regiæ magnitudinis animum ostendisti.

De misso ab eo ad Bernabonē oratore

8 Huiusmodi itaque deuotionis promptitudinem multipliciter in Domino commendantes, ac vberibus prosequentes actionibus gratiarum, serenitatem tuam rogamus attente, & sinceris affectibus obsecramus, quatenus cum post hæc præfatus Bernabos fictis quibusdam prætensis coloribus (qui in examen diligentioris considerationis adducti, non tueri frustratoriam eius causam videbuntur, sed eos potius aperte constabit de maligna adinuentionis suæ nequitia processisse) non tantum ab oppugnatione dictæ ciuitatis, eiusque districtus vsque modo non cessit, sed peiora malis addendo, & se velut nostrum & Apostolicæ sedis hostem publicum nequiori quotidie patratione operum demonstrando, per gentes suas armigeras, nonnullas terras & loca alia ipsius ecclesiæ, in prouincia Romandiolæ consistentia, prædis ac rapinis & incendijs discurrat hostiliter & perturbet; nosque propterea aduersus huiusmodi temeritatis audaciam spiritualibus & temporalibus nostris & aliorum filiorum & deuotorum ipsius ecclesiæ obstare remedijs intendamus, tu erga nos & dictā ecclesiam matrem tuā deuotionis obsequijs intendens liberaliter, vt cœpisti, ac negocia sua in prædictæ ciuitatis Bononiensis, aliarumque terrarum suarum defensione commendata suscipiens, præfato legato, in his pro conseruatione & defensione prædictis, prout expedire videris, & alias, prout ipse excellentiam tuam duceret requirendam, pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia tuis assistere velis auxilijs & fauoribus opportunis: vt tandem, Deo fauente, ac tuis aliorumque filiorum, & deuotorum eiusdem ecclesiæ præsidijs, ipsius inconsulta temeritas comprimatur; tuque, præter diuinæ retributionis præmia, circa tui status exaltationem, & tui culminis augmentum, nostrum & Apostolicæ sedis fauorem, & abundantioris beneuolentiæ gratiam semper vberius merearis.

Acta Ludouico gratiæ.

Propositu Bernabonis pertinacia. Eius in Æmiliam excursiones.

Cæterum ad nostram iustitiam, & eiusdem Bernabonis iniustitiam, & friuolas causas per ipsum prætensas, seu quas forte prætenderet in negotio prælibato, serenitati tuæ viuæ vocis expositione latius, quam scriptorum serie dici valeant, exponendas; & vt clare cognoscas dictæ sedis maturitatem in suis processibus nihil agere, quod in statera debitæ considerationis appensum habuisse non pateat in soliditate iustitiæ fundamentum, venerabilem fratrem nostrum Ægidium episcopum Vicentinum latorem præsentium, super præmissis & ea concernentibus per nos plenarie informatum, ad tuam prouidimus præsentiam destinandum: cui in his, quæ tibi pro parte nostra retulerit, dare fidem indubiam serenitas ipsa velit. *Dat. Auin. vi. ... maij anno viii.*

Vicentinꝰ episc. ius ecclesiæ Vngaro iussus exponere.

9 Non deterritus est Bernabo Vngariæ Regis imperijs ac precibus a cœptis, cum tardos illius impetus fore putaret: exceptisque honorifice regijs oratoribus, atque ornatis muneribus, rescripsit a causam suam æquitate niti, ac disceptari apud subsellia Apostolica. Excitabar b is in aula pontificia magnos clamores: illatam a legato apostolico iniuriam, cum adhuc anni quatuor Bononiensis præfecturæ non effluxissent. Verum agitata causa, lata sententia est c, recuperatam iuste ab ecclesia Bononiam, cum illius possessione excidisset, eaque vrbs Romanæ ecclesiæ iuris esset; cumque sententiæ non staret Bernabo, atque ecclesiam armis fatigaret, iure iudiciario & legibus in eum agi cœptum est. Meminit Vrbanus V. de lata in eum ab Innocentio VI. sententia, præcipuaque illius capita in subiectis literis ad Ægidium Cardinalem legatum datis perstringit. d

Bernabonis vafrities.

a Matth. Vill. l. 9. c. 90. b Eod. lib. c. 91. Litem intentat, eaque cadit c Ibid.

Hanc vrget armis.

Vrbanus, &c. venerabili fratri Aegidio episcopo Sabinensi A. S. L.

d Vrb. V. an. 1. ep. com. 6.

Dudum cum ad felicis recordationis Innocentij Papæ VI. prædecessoris nostri auditum ex multorum querelis crebrisque rumoribus peruenisset, quod vir pestilens, maledictionis alumnus Barnabos de Vicecomitibus ciuis Mediolanensis contra Deum & sacrosanctam Romanam aliasque ecclesias, & personas ecclesiasticas multa nefaria committebat, ex quibus Creatori nostro grauis irrogabatur offensa, multisque fidelibus peri-

Innocentij in Bernab. acta iudiciaria.

periculosum admodum scandalum parabatur; & inter cætera, vt se hostem Dei & sacræ fidei ac hæreticorum fautorem (quorum erat prout est imbutus perfidia) demonstraret, verbum crucis, quod idem prædecessor contra damnationis filium Franciscum de Ordelaffis ciuem Forliuiensem, iusto Dei & eiusdem ecclesiæ iudicio vt hæreticum condemnatum, mandauerat prædicari in nonnullis ciuitatibus, castris, & locis, quæ ipse Bernabos tyrannice detinebat, ausu temerario non permiserat prædicari, eidem damnato Francisco alias tribuens consilium, auxilium, & fauorem; nonnullos quoque ecclesiarum & monasteriorum prælatos, etiam pontificali præditos dignitate, quibus a cunctis Christi fidelibus debetur honor & reuerentia specialis, publicis iniurijs, & opprobriosis contumelijs afficere non expauerat; & inter alios proprium suum antistitem & pastorem, videlicet bonæ memoriæ Robertum archiepiscopum Mediolanensem coram se genuflectere coegerat impudenter, ac post multas contumelias sibi dictas, eum temerarie incarcerari, & quamplures clericos & ecclesiasticas personas seculares & regulares etiam in sacerdotio constitutas capi publicis carceribus mancipari, crudeliterque torqueri, ac ignis, gladij, suspendij, alijsque acerbissimis pœnis occidi, aliosque beneficijs & bonis proprijs denudari fecerat, alios vero a proprijs laribus exulare compulerat, cæterosque tallijs grauissimis & importabilibus exactionibus opprimendo, ac nonnullos in beneficijs ecclesiasticis intruserat, intrusosque defenderat; ac visitationes & correctiones ordinariorum, & alias exercitium iurisdictionis ecclesiasticæ, etiam inquisitorum hæreticæ prauitatis, quæ in suo nequam ardebat pectore, ausu temerario impediuerat, ac potestatem ecclesiasticam in eisdem ciuitatibus & terris; quas tyrannice detinebat, quantum in eo erat, totaliter eneruare & conculcare præsumpserat, libertatem ecclesiasticam in seruitutem miserabilem deducendo, nec non ecclesias & monasteria eorum castris, villis, iurisdictionibus spoliari; ac vt vesaniam suam patentius demonstraret, & honori & auctoritati sanctæ matris ecclesiæ, quam sicut alienatus filius præ nimia sua superbia conatur contemnere, non deferens, præfatum prædecessorem & venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales excommunicatos per quemdam sacerdotem publice proclamari, nec non apostolicas & legatorum Apostolicæ sedis ac inquisitorum hæreticæ prauitatis literas & processus, ac etiam literas clausas, quæ iam dicto prædecessori ac eisdem Cardinalibus & alijs ad Romanam curiam de diuersis mundi partibus mittebantur, aperiri, legi, ac etiam lacerari; eorumque latores capi & carceribus mancipari sæpissime mandauerat & fecerat; ac etiam prohibuerat, quod nullus ad dictam Romanam ac suam curias ire præsumeret, in eis gratiam vel aliud impetraturus, ac eisdem prædecessori & legato de his, quæ debebantur eisdem, aliquatenus respondere, aut dare auxilium, consilium, & fauorem; & quod absque sua vel cuiusdam sui detestabilis ministri nomine Geraldoli licentia nulla electio, postulatio, supplicatio, seu prouisio fieret in ecclesijs ac monasterijs & locis ecclesiasticis, & mulierum, ciuitatum, castrorum, villarum, & locorum prædictorum, quæ (vt præmittitur) detinebat, facientes contrarium puniendo grauiter, & quæ super his facta fuerant

[Obiecti illi tulisse opem Ordelaffo hæretico.]

[Indigne in Robert archiep. se gessisse.]

[Clerum oppressisse.]

[Ecclesiasticam potestatem inuasisse.]

[Ludibrio anathema Pontifici & Cardinalibus irrogasse.]

[Subditos ab aditu curiæ Rõ. arcuisse.]

[Ius conferendorũ sacerdotiorũ sibi arrogasse.]

reuocando de facto; ac, non veritus ponere os in cælum, auctoritatem apostolicam imperialemque potestatem, & (quod est nefandissimum) diuinam potentiam pollutis labijs certisque verbis sacrilegis denegauerat; quæ idem prædecessor attendens in grauem Dei offensam, dictæ sedis contemptum, animæ suæ periculum, ecclesiarum & personarũ ecclesiasticarum graue præiudicium & grauamen, ac læsionem ecclesiasticæ libertatis, & plurimorum scandalum redundare, & non carere scrupulo dictæ hæreticæ prauitatis; cum ad ipsius prædecessoris pertineret officium tam abominanda scelera non dimittere incorrecta, licet illa adeo essent notoria, quod nulla poterant tergiuersatione celari: ad cautelam tamen & maiorem certitudinem eorundem se de præmissis legitime ac plenarie informauit, ac per informationem huiusmodi reperit eadem facinora esse notoria & etiam manifesta. Propter quæ prædecessor ipse, habens eundem Bernabonem merito suspectum de hæresi, eum qui propter suam crudelitatem manifestam personaliter citari non poterat, per publicum citauit edictum, vt certo termino peremptorio competenti se suo conspectui personaliter præsentaret, de eiusdem fidei articulis responsurus. Et cum idem Bernabos in dicto termino comparere contumaciter non curasset, præfatus prædecessor post vocationem seu proclamationem de ipso Bernabone factam ad portam palatij apostolici, vt est moris, eundem Bernabonem de fratrum suorum consilio auctoritate Apostolica reputauit, prout erat, exigente iustitia, in huiusmodi causa fidei contumacem, & in eum propter huiusmodi contumaciam excommunicationis sententiam promulgauit; decernens auctoritate prædicta contra eum fore ad pœnas alias procedendum, prout excessuum prætactorum enormitas, & contumacia prædicta exigerent, & iustitia suaderet, &c. *Dat. Auin. 10. kal. maij anno 8.*

[Diuinam pontificiã imperialemq; auctoritatẽ verbis blasphemis negasse.]

[Iudiciario propterea ordine in Bernabonẽ inquisitum.]

[Indicta illi dies peremptoria.]

Obduruit a in pertinacia Bernabos, atque expectatus vt resipisceret, vocatusque in ius non comparuit: sed scelera cumulauit sceleribus, ac latius tyrannidem, Deo hominibusque contemptis, propagare annisus est: quare iudiciarijs alijs edictis ipsũ defixũ visuri sumus. Cæterum Galeatius Vicecomes eius frater veritus, ne ijsdem pœnis vna cum fratre inuolueretur, causam suam apud Pontificẽ egit b: a crimine oppugnatæ Bononiæ purum esse. Admissæ illius preces c ea lege, ne fratri in ecclesiastica ditione inuadenda studeret. Molitus porro est plura nefaria consilia aduersus rem pontificiam Bernabo: sed illius conatus irriti cecidere. Tentauit primum Forumliuium ad rebellionem concitare, ac Stephanum Iudicem, & nepotem Francisci Ordelaffi ex spuria subornauit d: sed coniuratio auctorum sanguine extincta est. Centum in Bononiensi agro adortus propulsatus est e: proditione Bononiam sibi subijcere studuit f: sed illius participes affecti supplicio. Dein vt legatum nouo in Piceno bello implicaret, atque ab inferendis Bononiensibus auxilijs retardaret, Boscheretum, Montemnouum, Corinaltum Piceni oppida ad defectionẽ traxit: g sed horum postremum subito legati aduentu oppressum h, alia duo arctiori obsidione, propulsatis Bernabonis copijs, perdomita i. Vt vero furentem hominem leniret Pontifex, Nicolaum Accaiolum Florentinum Melphiensem comitem, qui a Ludouico Rege Siciliæ, vt dicetur inferius, missus fuerat ad aulam Aueniouensem, permonuit l ad

su-

[a Auctã Bernabonis scelera a Vrban. sup. ep. 6.]

[b Math. Vill. l. 9. c. 92.]

[c Epd. cap. Elusi eius conatus.]

[d Cap. 79.]

[e Cap. 80.]

[f Cap. 99.]

[g Cap. 106]

[h Ead. cap.]

[i Cap. 111]

[Lenire ei⁹ furorem nititur Innocẽtius.]

[l To. 8. p. 1. ep. secr. pag. 108.]

suscipiendas pacis interpretis partes, atque Aegidium legatum paciscendi cum Bernabone facultate instruxit [a]. Profectus in Insubriam Nicolaus, Bernabonem ad eas pacis leges adduxit, vt labente quinquennio octuaginta cẽtumne aureorum millia annua ab ecclesia acciperet: quas quãnis iniquas, si temperari non possent, admittendas censuit Innocentius hac de causa [b].

a Ib. pag. 100.
b Ib. pag. 101.

Super prædictis, inquit, *habito cum quibusdam ex venerabilibus fratribus nostris secreto ac diligenti consilio, attendentes quanta damna & dispendia in prosecutionibus guerrarum, quantacunque honestate valleutur, inuitis prosequentibus oriantur, & quanta incommoda & pericula ex prosecutione huiusmodi guerra ciuibus Bononiensibus, nostris & ecclesiæ præfatæ fidelibus, verisimiliter prouenirent; quodque semper Romana ecclesia magis consueuit pacem & concordiam eligere, quam bella gerere, in quibus humanus sanguis effunditur, & mala plurima committuntur; considerantes etiam expensarum profluuia, quæ nos subire in prosecutione huiusmodi oporteret, quibus camera apostolica propter diuersorum sumptuum onera, quæ ipsam oportuit annis elapsis plurimis pro recuperatione & defensione suorum iurium tolerare, ad præsens insufficiens redditur, & alias (faciente temporum malitia) solito minus potens; concordiam huiusmodi pro bono ac publico & tranquillo statu dictorum ciuitatis, comitatus, & districtus eligibilem reputamus, dummodo concordiam ipsam similiter eligendam ducat tua fraternitas, quæ tam dicti Bononiensis negotij, quam aliorum nostrorum & dictæ ecclesiæ negotiorum pleniorem habere potest notitiam de propinquo. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VI. id. iulij anno VIII.*

Ingentem vim auri illi pendere deliberat.

10 Desciuisse a promissis Bernabonem, vt erat ambignæ suspensæque ex euentu fidei, ex Matthæo Villano [c] colligitur: cum enim Nicolaum Accaiolum pro concordia inter ipsum & legatum intercessisse referat, addit legatum nonnulla pacta, de quibus nimirum superioribus literis erat edoctus, proposuisse Bernaboni: hunc vero ad singula capita respondisse, se Bononiæ imperitare velle: ac plura maledicta in legatum profudisse: ita abruptum cœpti fœderis colloquiũ, ac Bernabonem Picenum & alia ditionis ecclesiasticæ loca infestasse. Sed propulsati strenue illius conatus fuere [d], atque etiam Bononia arcta obsidione, qua premebatur, liberata [e]: tum expugnata propugnacula munitissima [f] a tyranno ad coercendos intra portas Bononienses excitata. Ampliora etiam Vngariæ Rex pollicitus est ecclesiæ auxilia [g] ea lege, vt quæ loca Mediolanensi criperet, Vngarici iuris essent: cumque ita belli moles cresceret, de conciliando ecclesiæ Bernabone agitarunt Florentini: sed Bernabos [h] colloquium est aspernatus.

Pacis formula a Bernabone repudiata.
c Matth. Vill. l. 9. c. 130.
Soluta Bononiæ obsidio.
d Ib. c. 111
e Lib. 10. c. 4.
f Ib. c. 11.
g Cap. 5.
Instaurata pacis colloquia.
h Cap. 14.

Retulisse in eo Pontifici gratiam visi sunt Florentini, inter quos ac Pisanos cum grauis arderet dissensio, Innocentius cõcordiam redintegrare studuit, ac Bertrandum archiepiscopum Neapolitanum ad eos legauit [i], grauissimisque monitis vtrumque populum ad mutuam colendam pacem subiectis verbis informauit [l]: *Dilecti filij, silere non potest erga vos paternus affectus, nec lentescere boni pastoris officium, cum eos, quos loci vicinitas & mutuæ conuersationis velut innata necessitas facere deberet vnanimes, & pro vtriusque partis publica vtilitate concordes, hostiles imbuere animos cernimus, & odiorum interpositione disiungi: estis enim gemini populi, & duæ non modo Italiæ, sed multo terrarum orbe famosæ respublicæ, altera alterius adminiculis indigentes, & adeo locis & mutua conuersatione coniunctæ, vt inter vos suscitari scandala, & exoriri odia, aut bellorum commoueri tumultus, ciuilia potius moueri bella, et dextras, vt de bellis ciuilibus dici solet, in sua conuerti viscera videatur &c. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis V. id. iulij anno VIII.*

Orta inter Florentin. & Pisanos dissidia.
i To. 8. p. 1. ep. secr. pag. 80 & to. 8. p. 1. ep. secr. pag. 104. 105.
l Pag. 148.

11 Hoc anno missus in Liguriã est Andreas episc. Ariminensis apostolicus internuntius, vt Simonem Buccanigram Genuensium prætorẽ ac senatum illum Corsicæ sedis Apostolicæ fiduciariæ nomine in pontificia verba sacramento adigeret, exigeret censum [a], deque nonnullis alijs pacisceretur: *Cum*, inquit, *peculiaris Apostolicæ sedis ciuitas Ianuensis eidem sedi ad præstationem cuiusdam certi census annui ex causa mediæ Corsicæ insulæ, quam obtinet, teneatur cum præstatione alias soliti iuramenti*. Cæterum diremisse Genuenses hoc ipso anno veterem controuersiam, quæ ipsis cum Petro Rege Aragonum de Sardinia & Corsica intercedebat, refert Surita [b], ferente sententiam Astæ Ioanne marchione Montisferrati vigesimo septimo martij die, cum vtraque pars illum anno superiori arbitrum pacis constituisset: Castellano enim bello implicitus Petrus Rex Aragonum Sardico facile vacare non poterat.

a To. 8. p. 2. ep. secr. pag. 31.
Composita inter Aragonẽ & Ligurẽ de Corsica lis.
b Surit. l. 9. annal. c. 29.

12 Hoc anno ad ecclesiam Leodiensem comitatum Lossensem, de quo antea moræ ingentes turbę fuerant, deuolutum vita functo sine liberis Theodorico comite refert Innocentij vitæ scriptor [c]. Subditque de cruciferorum equitum in Lithuanos expeditione: *Fratres insuper ordinis S. Mariæ Theutonicorum in Prussia Castor Regem Lithuanorum in bello capiunt: sed tamen captum detinere seu custodire nescierunt, nam de carceribus eorum euadens multa, ipsis damna post intulit, & iniurias irrogauit*. His consentientia scribunt Cromerus [d] & Michouius [e], quorum posterior ait, susceptum hoc bellum ob Ludouici marchionis Brandeburgensis aduentum; ac ter Christianos irrupisse in Lithuaniam describit: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLX. *Vinriehus de Kniprode magister Prussiæ, aduentu marchionis Brandeburgensis animatus, in Lithuanos expeditionem egit, & exercitui Schindeleop marschalcum Prussiæ præficiens, terras Lithuaniæ vastauit, spoliaque & captiuos in Prussiam reduxit. Alteram expeditionem hyeme instante in Lithuanos resumpsit; & tertiam eadem hyeme peregit. Quibus quidem tribus expeditionibus Lithuaniam adeo vehementer afflixit, vt pro maiori partem desertam reliquerit. Expeditio tertia reliquis duabus ducis Keystud captiuitate visa insignior, qui datis pluribus catholicorum captiuis apud Prussiam captus, eodem anno a captiuitate solutus fuit*.

c Gesta Innoc. VI. apud Bosq.
Lithuania a fidelib. domita.
d Cromer. l. 12. in Casimir. I.
e Michou. l. 4. c. 26.
Keistutus dux captus, Redditis Christianis captiuis se redimit.

13 Exemptus est ex humanis eodem anno Hugo Rex Cypri, ac sceptrum Petro filio reliquit: quem Pontifex vt conceptum ex paterna morte dolorem moderate ferret, ac regias virtutes sectaretur, est adhortatus [f].

In Cypro Hugoni Patri succedit Petrus.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Cypri illustri salutem &c.

Licet prius ad nostram peruenisset audientiam de morte claræ memoriæ Hugonis Regis Cypri patris tui, tuarum tamen literarum series, & dilectorum filiorum nobilium virorum Raimundi Babini bucilerij regni Cypri, & Ioannis de Carmayno ambassiatorum tuorum latorum præsentium pia ac diligens expositio, mortem Regis eiusdem, nostri charissimi filij & tui patris, affir-

f To. 8. p. 1. ep. secr. pag. 90.
Consolatoriæ ad eum Innocentij literæ.

firmans, compassionis materiam nostris sensibus renouauit. Non enim non turbari de tam catholici principis, & nobis & sedi Apostolicæ ac Romanæ ecclesiæ specialis filij morte patris præcordia potuerunt, quoniam inter cæteros orbis terræ Reges & principes propter grandis suæ deuotionis & fidei, quam ad nos & dictam gerebat ecclesiam & alias, sonorum claræ suæ famæ præconium hunc non immerito singularem & charissimum habebamus. Tibi quoque, charissime fili, affectione paterna compatimur, tuisque doloribus condolemus. Verum ex hoc materiam consolationis assumimus, & te consolari ex eo similiter affectamus, quod licet patrem beneuolum amiseris; Rex ipse tamen, vtpote princeps Christianissimus, in dierum longitudine senuit, & tandem receptis, vt catholicum decet principem, salutaribus sacramentis finiuit, prout læti didicimus, in bonorum cursu operũ dies suos, æternæ benedictionis gaudijs, sicut speramus, in Domino cum supernis principibus potiturus. Cæterum de eo, quod tam per dictos ambassiatores quam literas easdem, te ad omnem reuerentiam sanctæ Romanæ ecclesiæ atque nostram liberaliter obtulisti, serenitatem tuam dignis laudum præconijs attollimus, ipsamque exinde multipliciter in Domino commendantes, propositum tuum huiusmodi tuis quotidie magis inhærere præcordijs affectamus.

De officijs delatis actæ gratiæ.

14 Paternis itaque exhortationibus excellentiam regiam rogamus & hortamur attente, quatenus considerans diligenter, quod in hoc regiæ dignitatis exordio, qualis euasurus sis princeps in posterum, maxime colligetur, in timore Domini & reuerentia dictæ ecclesiæ vitæ tuæ stabilias fundamentum: ecclesias quoque & ecclesiasticas personas ob Dei honorem, & sponsæ suæ dictæ ecclesiæ reuerentiam commendatas sub tui culminis potestate suscipias, & tuis confoueas fauoribus & defendas; ac per laudabiles tui patris bonorum operum semitas, eius sequendo famosa vestigia, gradiaris. Iustitiam, sine qua facile magna depereunt, & cum qua minima prosperantur & crescant, in regno tuo studeas personis singulis ministrare. Sicut namque scire te conuenit, vbi sub æquitate regnantium viuitur, rerum publicarum status, thronus regius solidatur; vtique, charissime fili, per hæc, & alia virtutum opera præter diuinæ retributionis præmia, felicium tibi successuum continue prouenient incrementa. Nos quoque sperantes, te prædictis alijsque salutaribus consilijs tanquam benedictionis filium cum operum efficacia diligenter intendere, libenter curabimus excellentiæ tuæ votis, quantum cum Deo poterimus, complacere.

Commẽdata iustitia.

Postremò hoc exhortationibus nostris adijcimus, quod iustitiam, quam faceres per tuos subditos personis singulis obseruari, in te ipso obseruare procurans, in causa dilecti filij nobilis viri Hugonis de Lisignano nepotis tui benignus tui censor existas, prout requirere videatur ipsa iustitia, quæ in singulis semper ac humanis negotijs præferenda, prout pro parte nostra præfatis tuis ambassiatoribus, cum quibus in nostra constitutis præsentia latius super materia ista contulimus, informationem recipere poterit eadem tua serenitas pleniorem. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis xv. kal. iulij anno viii.*

Eam in nepotis causa exerceat.

15 Intenderat Hugo, Petri nepos ex fratre Guidone maiore natu, iudicium patruo apud sedem Apostolicam de regno Cyprio, quo iniuste spoliatum se disceptabat, cum patrem Guidonem, qui si Hugoni auo vltimo Regi superstes extitisset, sceptrum erat correpturus, referret; præterea Hugo Rex pactus esset, dum filio Guidoni maiori natu Mariam Imperatricem despondit, suscipiendum ex ijs filium regno successurum. At Petrus Rex, licet esset secundus natu, contendebat tamen, se proximo gradu vltimum Regem attigisse, regnique possessionem inierat. Cum vero metueret Pontifex, ne ciuile inde bellum conflaretur in Cypro, ex quo insula infidelibus circumfusa in eorum seruitutem procumberet, hæc ad Petrum Regem ad Hugonis nepotis gratiam scripsit a.

Lis de Cyprio regno inter Regis defuncti secundum natu & nepotem ex primogenito.

Innocentius, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Cypri illustri salutem.

a To. 8. p. 1 ep. secr. pag. 68.

Nuper dilectus filius nobilis vir Hugo de Lisignano, primogenitus quondam Guidonis de Lisignano primogeniti claræ memoriæ Hugonis Regis Cypri patris tui, nobis exposuit cum querela, quod licet in regno Cypri fuerit obseruatione continua hactenus consuetum, quod primogenitus Regis eiusdem regni, qui est pro tempore, eidem Regi debeat in ipso regno succedere; ac præter hoc tempore tractatus matrimonij inter charissimam in Christo filiam nostram Mariam nunc Imperatricem Constantinopolitanam, & tunc dicti Guidonis consortem, ac præfati Hugonis de Lisignano matrem contrahendi, pro parte & nomine dicti Regis conuentum fuerit solemniter & firmatum, quod primogenitus ex ipsis Guidone & Maria nasciturus in regno succederet prælibato, & propterea dicti regni successio ad ipsum conquerentem, qui dicti sui patris noscitur repræsentare personam, & primogenitus dicti Guidonis existit, pertinere noscitur; tu tamen secundogenitus Regis eiusdem regnum ipsum iniuste occupas, regiæ dignitatis titulum & regni ipsius administrationem & regimen indebite vsurpando; asserens, quod huiusmodi ius suum intendit prosequi per omnem viam, quam sibi nouerit melius valituram; quodque ad illius consecutionem magis optaret per apostolicæ interpositionis remedium, quam per quemcumque modum alium deuenire; quare nobis humiliter supplicauit, quod cum ipse paratus sit de iustitia sua nostram sufficienter informare conscientiam, & plenarie facere nobis de illa constare, super ijs, prout videremus expediens, partes nostras interponere, & paternæ prouisionis adhibere remedium ab ipso huiusmodi negotij principio dignaremur.

Hugo Lisignan. causam apud sedem Apost. disceptat.

Nos igitur, qui paternæ dilectionis affectum, quem ad præfatum tuum genitorem tanquam ad nostrum & Romanæ ecclesiæ filium prædilectum, & inclytum in suo regno fidei catholicæ defensorem, & ecclesiæ militantis athletam habuimus, libenter in suos posteros deriuamus, tuique ac prælati Hugonis & dicti regni pacem & quietem, ac prosperitatis augmentum tanto cordialius affectamus, quanto hic regnum ipsum, inter hostes Christianæ fidei situm, & eis quasi continuis oppugnatoribus quodammodo circumseptum, magis noscitur indigere; considerantes, quod idem Hugo generosis & potentibus vallatum se inuenit consanguineis & amicis, qui ad prosequendum eius iura tam fauorabiliter quam potenter sua eidem præstare valerent auxilia & fauores; quodque, si inter te & ipsum (quod

Ostendit Pont. bellum imminere, ni Hugoni ius suũ reddatur.

ab-

absit) oriretur scintilla discordiæ, in damnosum nimium crescere posset incendium, quod neque pro tuo neque pro illius arbitrio sopiretur, cum facile sit initium dare discordijs, sed sæpe vltra quam difficile illas fine laudabili terminare; ac proinde personarum strages, damna rerum, multorum turbationes fidelium, guerrarum discrimina, ac plurimorum scandala, cædes, incendia, & his peiora, quibus arma commota versantur, & bellici furoris incitatus ardor insanit (quodque magis timendum est) animarum pericula non solum eidem regno, sed multis Christi fidelium populis ex huiusmodi prouentura fore discordia verisimiliter formidantes; cum tantis malis & scandalis nostris obuiare remedijs, prius quam eis detur aditus, ex iniuncto nobis summi apostolatus officio cura vigili debeamus, & inter cunctos Christi fideles, præsertim principes & potentes & sanguinis vnitate coniunctos, quorum sicut pluribus concordia proficit, ita eorum diffidia in damna deriuantur plurium, pacis & vnitatis vinculum conseruare; magnificentiam tuam rogamus, & in paternæ charitatis affectu attentius exhortamur, quatenus non quid velis, sed quid velle te deceat, quid dictet ratio, quid iustitia suadeat, quid honestas exposcat, tranquilla mente discutiens, si est ita, vt idem Hugo proposuit coram nobis, benignus tui ipsius censor existas, & veritati (quæ singulorum fine forensi querela conscientiam indicat) mansuetudinis tuæ colla submittas, animo humili iustitiæ debitum priuatis affectibus præferendo.

Humana felicitas vitrea est.

16 Neque tibi per nos, charissime fili, suaderi rem factu difficilem videatur: in hoc enim paterna consilia maiori debes deuotione suscipere, si id agere conamur, vt per occupationem indebitam (si est ita) temporalis regni, & vanam huius mundi gloriam, quæ est adinstar puncti, veram ac solidam & duraturam perpetuo æterni regni gloriam non amittas: illud quoque circumspecte considerans, quod cum tu, præfati Hugonis patruus existas, ac propterea ipse caro & sanguis tuus fore protinus censeatur, si in regno prædicto sibi faueat iustitia, tu non immerito sui honoris & status ac dignitatis eiusdem fore particeps diceteris: & si (quod absit) ius, quod ei debetur, dictum regnum violenter occupando surriperes, præter offensam Dei, qui iustus est iudex, & vult vnicuique tribui quod est suum, non Regis titulum meruisse apud homines, sed occupatoris nomen, quod vtique esse debet a sui generositate sanguinis alienum, potius videteris; ac per hoc illam, quam quærere debes, gloriam non haberes; nec non & Regnum ipsum multis exponeres periculis & iacturis. Sed ne de vno loquendo tacere forte de iure alterius videamur, cum illius debeamus imitatores esse, apud quem non est acceptio personarum, & qui singulis suam vult iustitiam ministrare; exhortatione simili te rogamus, quatenus ad obuiandum malis huiusmodi, quæ ex tua & dicti Hugonis discordia possent verisimiliter exoriri, de iure tuo, per personas solemnes, nostram non differas conscientiam plenarie informare.

Nos enim inter te & Hugonem eundem, non personis, sed iustitiæ potius deferentes (cum sedis Apostolicæ consulta maturitas non personas accipere, sed honorare debeat in singulis veritatem) pro vtriusque iure cognoscendo & declarando ac debita stabilitate firmando, nec non commodis & honoribus promouendis (quantum nobis suadere iustitia, in qua debitores sumus omnibus, videatur) libenter laborare proponimus, & vsque ad præmissorum terminationem, quam cum fauore diuinæ gratiæ speramus futuram esse prosperam & votiuam, indesinentibus studijs interponere partes nostras. Super præmissis autem, per dilectum filium Angelum de Luca seruientem armorum & familiarem nostrũ, latorem præsentium, expectamus tuæ magnitudinis literas responsales. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœces. IX. kal. iunij anno VIII.*

Petrus a B. Petro Thoma regia inunctione linitus. a Philipp. a Mazeriis in vita B. Petri Thomæ.

Retinuit Cyprium sceptrum Petrus Rex, atque a B. Petro Thoma episcopo Coronensi Apostolicæ sedis in oriente legato regia inunctione liniri exoptauit a. Agebat tum Rhodi grauissimo morbo implicitus legatus sanctissimus: cumque diuinæ gloriæ augendæ pio accensus ardore mare conscendisset, iamque inter vitæ mortisque confinia luctari videretur, repente cœlesti virtute ad B. Gregorij imploratam opem valetudini est restitutus, ac Petrum Cypria & Ierosolymitana corona Famagustæ in ecclesia principe ritu solemni redimiuit b. Vt vero mox ad Græcanici schismatis excindendas reliquias ex apostolico mandato studia conuerterit, describit Philippus e Mazerijs Cyprij regni scrinij magister: *Dehinc*, inquit, *audiens episcopos & sacerdotes Græcos, reliquumque populum Græcorum, qui in Cypro degerent, esse schismaticos, nec eos velle Romanam ecclesiam audire, inducendo pro viribus fideles Christianos suis adhærere ritibus & legi, bona Regis venia vocauit coram se in ecclesiam maiorem Nicosiensem primum ac præcipuum episcopum Græcorum cum suis omnibus sacerdotibus. Cum venissent omnes, D. Petrus Thomas singulas ecclesiæ portas iussit claudi, tumultum Græcorum veritus: sedensque ante maius altare benigne eis & aperte errorem suum sacræ scripturæ explanationibus indicauit, conatus eos ad veram fidem & ecclesiæ Romanæ obedientiam reuocare. Multi igitur errorem cognoscentes, & culpam confessi ad se reuersi sunt. Dæmon autem, tanti boni tantique fructus ecclesiæ inuidus, per auxilium cuiusdam obstinati & pertinacis presbyteri cæteros inflammauit monuitque ad ructandos D. Petro Thomæ cachinnos. Populus vero extra portas ecclesiæ congregatus rumorem audiens, cœpit irasci & clamare contra D. Petrum Thomam: subitoque totius multitudinis ad ecclesiam factus est concursus, qua diceret occidendum esse legatum. Impij sacerdotes Græci, furias & rabiem populi intelligentes, portas ecclesiæ aperuerunt: & illico furijs agitata multitudo in ecclesiam ruit. D. Petrus Thomas videns ista, multis ex seruis eius & familia in fugam conuersis, dixit reliquis, qui secum remansissent: Confidite in Domino. Afferte crucem coram me, & moriamur fortiter pro tuenda fide catholica. Prorupit hæc in verba ante maius altare, resistens immobilis vbi sederat, constantior ante hostes perseuerans, & mortem expectans acriter. Rex vero, cum audijsset quæ peragerentur in ecclesia, fratrem suum principem Antiochenum misit: qui statim conscendens equum, armatus cum multis militibus ad ecclesiam accurrit; ejiciensque foras multitudinem, de hoc periculo D. Petrum Thomam liberauit: qua de re fideles vniuersi gratias Deo retulerunt. Et quamuis hanc capitis aleam incurrerit D. Petrus Thomas, minime destitit a susceptis: nam prædicans Græcis, instruensque eos modo minis, modo blanditijs, diligenter munere functus legationis adeo effecit, vt præcipuum ac primarium illorum episcopum cum alijs, immo etiam &*

Vt in eo itinere, sancto legato valetudo sit diuinitus restituta. b Id. ibid.

Eiusdem studia pro euellendis schismatis reliquijs.

Constantia in spernendis pro fide vitæ periculis.

Plures Græci ab eo conciliati ecclesiæ.

pene

pene omnes Græcos sacerdotes illius insulæ in obedientia ecclesiæ Romanæ confirmarit, quod nullus unquam prælatorum aut legatorum perficere potuerat.

17 Addimus ad huius anni calcem pontificiæ liberalitatis in Ioannem e Brena monumentum: in quo cum de sacris ornamentis agatur, ad veteres ritus designandos pontificias literas a afferemus.

a To. 8. p. 2. ep. secr. pag. 71.

Innocentius &c. dilecto filio nobili viro Ioanni de Brena militi Lemouicensis diœcesis.

Ad nos nuper veniens instituisti, vt infrascriptum furnimentum diuino cultui dedicatum, ad eiusque vsum tibi concedere dignaremur. Tuis ergo supplicationibus inclinati, vt infrascripta, quibus te indigere asseris, fulcimenta, videlicet vnam casulam de syndone aurifrigiatam, & tres pannos integros de syndone rosis seminatos, vnamque albam simplicem cum amictu, zonamque vnicam fili albi cum tribus mappis altaris, & vnam stolam cum manipulo, ac pixide lignea, missale quoq; cum auriculario de serico, & calice argenteo cum patena marcharum quatuor & duarum ponderis vnciarum seu circa; duo quoque vinageria cum patena argenti vnius marchæ dimidij ponderis, seu circa; corporalia quoque cum eorum propitiatorio, duobus quoque candelabris cupreis, atque cruce parua argenti ad vsum huiusmodi habere valeas & tenere, de liberalitate nostra tibi & tuis posteris vniuersis liberaliter elargimur. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. v. kal. ianuarij anno VIII.*

Antiquus sacrorum ornamentorum mos.

IESV CHRISTI
annus 1361.

Innoc. PP. VI. 9. Caroli IV. Imp. Occid. 16. Io. Palæologi Imp. Or. 21.

1 ANnus post Christum natum sexagesimus primus supra millesimum trecentesimum indictione quartadecima epidemiæ sæuitia, incendijs, terræmotibus, ostensis cælo signis, prædonum populationibus, denique tyrannorum ditionem ecclesiasticam laniare ambientium bellis asperrimus fuit: quo maxime Ægidio Cardinali A. S. L. aduersus Bernabonis Vicecomitis, Bononiæ sibi subijciendæ cupiditate insanientis, impetus desudandum fuit. Profectus is in Vngariam est, vt Ludouicum Regem ad capessendam Romanæ ecclesiæ clientelam, tuendaque armis illius iura excitaret: sed alia agitantem consilia ad id adducere non potuit b. At Carolus Augustus noua tyranno dedit imperia; vt a Romanæ ecclesiæ ditione infestanda sibi temperaret, omnibusque honoribus, ac beneficijs Romani imperij liberalitate acceptis exuendum pronuntiauit, ni excurrente viginti dierum spatio pareret. Defixit illum etiam Pontifex apostolica sententia c, atque hæreseos nota ob pertinaciam in auctoritate ecclesiastica contemnenda insignem iussit: sed qui rationes, legum, ac diuini timoris iugum excusserat, his vocibus & minis ludibrio habitis, iactabat arroganter, inuitis omnibus Bononia se potiturum.

Ægidij Card. in Vngariã profectio. b Matth. Vill. lib. 10. c. 41. 45. & 49. Bernabos imperiali defixus sententia. c Ead. c. 49. d Ead. cap. Et pontificia.

2 Nec modo vires suas omnes, quæ erant maximæ, tum ad agrum vastandum, tum ad vrbem oppugnandam effudit; verum periculosissimas coniurationes Foroliuij & Bononiæ, quæ feliciter oppressæ sunt, conflauit e, & Franciscum Ordelaffum f, ac Ioannem Manfredum g, quos legatus ægre antea ad officium coegerat, nouarum rerum spe elatos ad rebellionem concitauit, instruxitque copijs, quibus stipati plura intulere damna. Sed dum in Ariminensem agrum illi excurrunt a, Galeottus Malatesta b Bononiam cum aliquot auxiliaribus turmis noctu venit, ipseq; subinde ac Malatesta nepos, qui pontificijs copijs Bononiæ præerat, vrbe summo mane egressi Bernabonis castra, magna hostium strage edita, ac Ioanne Bilegio duce in vincula abducto, vigesimo iulij expugnarunt, de quibus fuse Matthæus Villanus. Qui etiam narrat c, Nicolaum Turrianum patriarcham Aquileiensem, dum ecclesiæ suæ iura tuebatur, post magnas contentiones cum duce Austriæ conuenisse, vt Caroli Imperatoris sententiæ starent: cumque ad eam excipiendam Viennam fraude ac dolo pellectus fuisset, traditum custodiæ: illum vero ea perfidia cognita, mox arcanis literis clientes omnes suos monuisse, vt fortissime ditionem Aquileiensem defenderent; nec metu cuiuscumque aduersi casus, quem ipse foret subiturus, terrerentur.

Eiusdem molimina. e Cap. 29. & 74. f Cap. 53. 54. g Cap. 42. a Cap. 56. b Cap. 58. 59. Fortiter propulsata. c Cap. 68. Aquileiẽsis patriarcha dolo captus.

2 Quod ad Carolum Imperatorem attinet; suscepit hoc anno e coniuge filium, quem magna pompa sacris baptismalibus a Germanis præsulibus, Vvenceslai nomine indito, initiandum curauit: ad cuius celebritatis augendam lætitiam sacra passionis Christi instrumenta, quæ vna cum alijs imperialibus insignibus asseruantur, populis magno pietatis sensu ex illorum intuitu delibutis ostendit, quæ Rebdorfius horum spectator his verbis prosequitur d: *Hic filius baptizatus est dominica qua cantatur, Misericordia Domini, quæ tunc fuit III. id. aprilis in parochia S. Sebaldi in Nurnberg Babenbergensis diœcesis: & leuatus de fonte per archiepiscopos Moguntinensem, Coloniensem, Pragensem, & per episcopos sex & quinque abbates; & nomen eius Vvenceslaus appellatum: et durauit hæc curia cum magno gaudio per octo dies. Nam & insignia imperialia Imperator iubet deduci de Boemia & solemni apparatu ea ostendit ibidem, & existentibus ibidem denunciantur magnæ indulgentiæ, quas Innocentius VI. Papa tunc gratiose concessit, videlicet easdem indulgentias, quas in Vrbe Romani Pontifices in die cœnæ Domini concedere consueuerunt. Et habita ibi sunt hastiludia, & alia solatia infinita.* Obseruatum autem ferunt e illum baptismales fontes contaminasse lotio, & deinde impositum altari vt corona cingeretur, illud stercore inquinasse: datumque ita exemplo Constantini Copronymi triste præsagium, sub hoc Rege omnia sacra ab hæreticis fœdatum iri. Pergit Rebdorfius: *Post hæc Imperator disponit * habitare limina B. Virginis Aquisgrani: sed deliberat mittere offertorium illuc pro filio suo nato, vnde iubet filium ponderare in statera cum auro, qui ponderauit sedecim marchas auri, quas mittit Aquisgranum: & ipse cum vxore & filio & insignibus suprascriptis in Boemiam est reuersus. Et nota quod insignia imperialia, quæ tunc vidi, de quibus Papa festum indixit, sunt hæc: primum ferrum lanceæ, quæ transfixit latus Christi: item clauus cum aliquali petia ligni sanctæ crucis, qua transiuit manum Christi: item gladius Caroli magni primi Imperatoris Romanorum, quem tunc Imperator tenebat in manibus; & corona, qua coronatus est in Imperatorem a Leone Papa III. item gladius Mauricij martyris: item petia brachij S. Annæ matris Mariæ virginis, & dens Ioannis Baptistæ: item petia cordæ, qua Christus fuit ad columnam ligatus: spongia, qua fuit in cruce*

Vvenceslai ortus. d Rebdorf. in annal. Celebrata magna pompa illius sacra baptismalia. e Dubr. hist. Boem. l. 23. & alij. * visitare. Ostensæ sacræ reliquiæ.

potatus; & alia plures reliquia sanctorum.

a Michou. l.4. c.26.

3 Tradit Michouias a, hoc anno inflictam diuinitus repentinam mortem cuidam Prædicatori, dum e sacro suggestu Virginem peccati originalis labe non caruisse declamabat: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLXI. *quidam lector ordinis Prædicatorum in Cracouia, frater Paulus nomine, coram clero & populo in maiori ecclesia Cracouiensi B. Mariam virginem non absque originali peccato fuisse in Polonico declamans & prædicans, cecidit & expirauit*. Eadem narrantur in fasciculo temporum b ex Henrico de Hassia; ac plures, qui in eo argumento scribebant, exterruisse. Scribit quoque Michouias c, Vratislauiam conflagrasse. Quo anno etiam Gandauum, Brugas, Mechliniam incendijs deformatas refert Meyerus d. Matthæus autem Villanus testatus e Lateranensem ecclesiam cœmentarij incuria, dum plumbo tectum opertum reficiebat, arsisse atque sacella, quæ in ecclesiæ circuitu ornata visebantur, absumpta: reliquias tamen pretiosissimas, quæ in ædicula sancta sanctorum nuncupata conditæ erant, e medijs flammarum globis ereptas: quas etiam in alio incendio, sedente Clemente V. diuinitus seruatas vidimus.

b Fasciculum temp. auctor.
Deformatæ vrbes incendio.
c Michou. super c.26
d Meyer. l.13.
e Matth. Vill. l.10. c.14. & alis.
e Matth. Vill. eod. lib. c.69.

Auxit superiora mala pestilentia sæuissima, quæ præcipue eas partes infecit, quæ in præterita epidemia aeris salubritate potitæ mali vim euaserant. Quam calamitatem ita luget Petrarcha in literis ad Ioannem Bocatium datis f, dum eorum ineptias ac deliria refellit, qui syderum aspectibus, non mortalium sceleribus epidemiam ascribunt: *Annum*, inquit, *ætatis huius vltima* MCCCXLVIII. *luximus: nunc lugendi principium illud fuisse cognoscimus, neque ex illo cessasse vnquam hanc insolitam & inauditam a sæculis mali vim, huc illuc, dextra læuaque, dimicatoris more promptissime ferientem. Itaque toto sæpius orbe transcurso, cum nulla maneat pars immunis, quasdam bis terque repetijt, nonnullas anniuersaria tabe pessumdedit. Mediolanum vrbem Ligurum caput ac metropolim, vsque ad inuidiam hactenus horum nesciam laborum, & cæli salubritate ac clementia & populi frequentia glorientem, sexagesimus primus annus & vacuam fecit & squalidam*. Hæc Petrarcha, cui plures alij auctores consentiunt. Nec Mediolanum modo, verum aliæ multæ Italiæ vrbes afflictæ; inter quas Venetiæ ducem Delphinum hoc oppressum morbo amisere g, cui Laurentius Celsus publicæ rei gubernaculis suffectus. Tum plura Illyrici, Galliarum, & Angliæ loca lue euastata h: immo Syria & Aegyptus, in quibus Damascus & Alexandria morbi eiusmodi contagione grauissime laborarunt.

Pestis Insubriam depascitur.
f Petrarc. l.3. rer. senilium ep. 1.
Et plura occidentis & orientis regna.
g Matth. Vill. l.10. c.64.
h Ead. l.10. c.38. 46. 103.

4 Perijsse Auenione maximam præsulum multitudinem, & plures etiam Cardinales, refert Rebdorfius i; adeo vt maior terror, quam Clementis VI. temporibus ijs, qui in aula pontificia erant, offusus fuerit. Et Cardinales quidem nouem cum magna prælatorum & cleri multitudine pestis sæuitia absumptos hos memorat Matthæus Villanus l, vicecancellarium, episcopum Prænestinum, Cardinalem Cistercienfem, Petrum episcopum Ostiensem, Cardinalem e Culamagna, Andream Tudertinum Florentinum appellatum, Turrianum, tum eum qui supremus olim Minoritarum magister fuerat, atque alium, cuius nomen non exprimit. In quorum locum suffecit Innocentius eodem anno alios viros insignes, cum quibus totius ecclesiæ onera partiretur, atque hos eius vitæ auctor designat m: *Iste etiam eodem anno die* XVII. *septima mensis septembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, præfatus Innocentius Papa fecit ordinationem octo Cardinalium, quinque presbyterorum, & trium diaconorum. Presbyteri autem fuerunt dominus frater* * *Fortaminis Vassalli diœcesis Caturcensis ordinis fratrum Minorum, tunc patriarcha Gradensis: dominus Petrus Itery diœcesis Petragoricensis, tunc episcopus Aquensis: dominus Ioannes de Blandiaco diœcesis Vticensis, tunc episcopus Nemausensis: dominus Aegidius Aysellinus de Montacuta Aruernigena, tunc episcopus Mormensis & cancellarius Regis Franciæ; & dominus Androinus de Roca natione Burgundus, tunc abbas Cluniacensis. Diaconi vero fuerunt, dominus Stephanus Alberti diœcesis Lemouicensis, tunc electus Carcassonensis nepos Papæ: dominus Guillelmus Bragola diœcesis Mimatensis, tunc electus Vabrensis: & dominus Hugo de S. Martiali diœcesis Tutellensis legum doctor præpositus Duacensis.*

i Rebdorf. in annal.
Plures Cardinales peste extincti.
l Matth. Vill. l.10. c.71. Vual. singh. in Eduar. III
m Gesta Innoc. VI. apud Bosq. Consol. in Innoc. VI. & alij.
Nouorū Cardinaliū creatio.
* Fortanerius

5 Quamuis vero pestilentia genus humanum adeo, vt diximus, affligeretur; obseruat tamen Matthæus Villanus a, vitia hominum non emendata fuisse, sed in ijs effrænata licentia volutatos pecudum more, quæ dum socias in lanicena trucidari intuentur, salire ac lasciuire non absistunt; ac rapinis & bello vt antea vacasse. Excusserе cæteris licentius prædones fœderati omnia scelerum genera, qui cum diuturno tempore in castris versari, assuetique armis & rapinis, pristinum vitæ genus abijcere aspernarentur, præfectis sibi ducibus iustos æquarunt exercitus, pluraque regna euastarunt. Luxit sub horum furore præcipue Gallia, inque magnas angustias aula pontificia adducta est, vt narrat Rebdorfius: b *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLXI. *mense ianuario quædam societas armatorum se congregat iterata vt supra circa Auenionem supra Rhodanum, & capiunt castrum Spiritus sancti & pontem Rhodani ibidem, vt prohiberent victualia deferre curiæ Romanæ; ac prædas & cædes faciunt circumquaque. Et sic societas triplex, vna circa Rhodanum ab Aquilone, alia ex parte australi versus Montempessulanum, tertia ab oriente versus Carpentracum; ita quod curia timuit sibi multum: sed tamen asseruerunt, quod Papam & curiam nollent damnificare. Securi autem non patuit introitus curiæ Romanæ; propter quod * magna, quam propter priorem societatem curia est valde turbata, & pro subsidio dominus Papa legationem domino Carolo Imperatori & Alemanniæ principibus dirigit seriosam.*

a Matth. Vill. l.10. c.46.
Prædonū grassationes.
b Rebdorf. in annal. Vualsing. in Eduar. III.
* magis

Confugit itaque ad solitum in extremis rebus perfugium Innocentius & crucis insignia attolli iussit c, ac sacræ expeditioni Petrum Ostiensem episcopum præfecit, præmia indulgentiarum ijs pollicitus, qui ipsum aduersus hostem sequerentur, vt Innocentij vitæ scriptor subiectis verbis exponit d: *Innocentius Papa cum tota sua curia, nec immerito, fuerunt plurimum conturbati: et ob hoc ad obuiandum eorum malitiæ per ipsum Papam tanquam contra hostes Dei, fidei, et ecclesiæ suæ fuerunt facti processus, et data cruciata, concessaque indulgentia plenaria omnibus expugnantibus et persequentibus ipsos. Quibus per varias partes diuulgatis, venerunt quamplurimi crucis signaculo insigniti, aduersus eos dimicare et certare disponentes: quibus idem Innocentius constituit capitaneum et ductorem dominum Petrum Cardinalem Ostiensem superius nominatum. Sicque per Dei gratiam actum est, quod dicti malefici locum prædictum satis cito post dimiserunt.*

Crucesignata militia in eos conscripta.
c Matth. Vill. l.10. c.27.
d Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

runt. Mouisse cursus, postquam Petrus Ostiensis lue extinctus fuit, easdem socias turmas, ac Venusinum comitatum infestasse, donec Marchio Montisferrati ipsas conduxit, vt eas aduersus Vicecomites Mediolanenses immitteret, quarum ope in Pedemontio plura loca expugnauit, e Rebdorfio a & Matthæo Villano b colligitur. Ex ijs vero palabundis copijs, nonnullæ audax facinus intercipiendæ Auinionis diripiendæque sunt meditatæ: atque ideo submissi sunt exploratores, de quibus captis, affectisque supplicio hæc tradit laudatus Rebdorfius c: *Eodem anno mense decembri quidam de societate redeuntes præscriptam clam intrabant ciuitatem Auenionensem, tradere volentes eandem, quorum aliqui deprehensi fuerunt: et vno die decem personæ in fluuio Rhodano suffocatæ, et vndecim patibulo suspensæ*. His consentientia scribit Matthæus Villanus d.

a Rebdorf. in annal. b Matth. Vill. l. 10. c. 43. c Rebdorf. in annal. hoc ann. Intercepti Auinionem prodere molientes. d Matth. Vill. l. 10. c. 82.

Dum tot tantaque mala humanum genus consternebant, ostensa e cælo prodigia impendentium aliorum minaci specie magis terruerunt. Hæc enim inter cætera recenset Thomas Vualsingamus e: *Burgundia accidit pluuia sanguinea et VI. kal. iunij in festo corporis Christi Bolonia apparuit crux sanguinea in aere a mane vsque ad horam sextam, cum multis videntibus: et tunc se mouebat, et in medio mari recidit.* Nonnullisq; interiectis: *In æstiuo tempore huius anni in Anglia et Francia in locis desertis et planis, pluribus sæpe videntibus, subito apparuere duo castella, de quibus duo exercitus egrediebantur armatorum, quorum vnus signis militaribus ornabatur, alter vero nigro colore vestiebatur: et congredientes milites vicerunt nigros. Interim adunati nigri milites superabant, et regredientes in castella omnia disparuerunt*. Non ea vana fuisse, rerum exitus docuerunt: Burgundia quidem defuncto Philippo suo duce magnis calamitatibus implicita est: crucis ostentum secuta est crucesignatorum in Saracenos expeditio: denique in Castella Angli & Franci, secuturis annis aduersorum Petri & Henrici Regum partes ferro defensuri, visa in Gallijs & Anglia castella, commissasque pugnas futurorum fuisse præsagia demonstrarunt.

Crux sanguinea ostensa e cœlo. e Vualsin. in Eduar. III. Exercitus in aere visi.

6 Commigrasse autem hoc anno in Gallias Henricum Trastamaræ comitem atque alios fratres, qui sibi a Regis Castellæ sæuitia male metuebant, vt vagas Gallorum turmas ad Castellam inuadendam ductarent, refert Ioannes Mariana f, cum nimirum initæ inter Aragonium & Castellanum concordiæ occasione ex pacis legibus abire Aragonia iussi essent. Conciliati vero sunt dissentientes Reges præcipua Guidonis episcopi Portuensis opera g, quem ab Innocentio missum vidimus, eaque conditione sancitum fœdus h, vt quæ in eo bello vtrinque capta erant, restituerentur: sed nec diuturnum futurum, nec sinceris animis pactum. Neque recreata propterea est Castella belli metu, sed in maiores instaurando occupata fuit, cum Galli ob Blanchæ Reginæ atroces iniurias regiorum fratrum signis accessuros se, minitarentur.

f Marian. de reb. Hisp. l. 17. c. 4. Pax inter Aragonē & Castellanum inita. g Gesta Innoc. VI. apud Bosq. h Marian. super. c. 4.

Auxisse inde Regem sæuissimum in Reginam odium, ac veneno medici opera propinato illam de medio sustulisse scribit Mariana i: *Detestandam*, inquit, *vesaniam, impium & crudele facinus, puellam insontem regio sanguine nobilissimam, lectissima forma, sanctissimis moribus prudentiaque, vigesimoquinto ætatis anno peremptam*. Et infra: *Sed te, Rex truculente, fera verius immanis, diuina ira manet: tuum caput hoc sanguine consecratur*. Nonnullisque interiectis verbis, quæ sceleris odium ab auctore expressit, subdit: *Fama est, & nonnulli auctores confirmant, Regi ad Assidoniam venanti pastorem occurrisse vultu vestique horridum, capillo barbaque squalidum, extrema comminantem, ni mutata mente Blancæ calamitate moueretur. Missi qui indagarent, an Regina suasu eo pastor renuntiasset, nixam genibus castissimis, precibus vacantem, inuenerunt aditu ita clauso, vt omnis suspicio amoueretur. Opinio hominum magis confirmata, cum pastor e vinculis emissus nunquam comparuisset, aliquo instinctu instatuque diuino prædixisse futura*. Hactenus Mariana.

Regina Castellæ a viro necata. i Eod. cap. Monita a Castellanus immanitatis exitij.

7 Hoc eodem anno liberatus est Anglico carcere Ioannes Francorum Rex, cum prius sacro ritu pacem seruaturum se sanctissime spopondisset, vt describit Vualsingamus a: *Celebrata*, inquit, *missa de sancta Trinitate a Cantuaria archiepiscopo cum magna solemnitate, astante Rege cum filijs suis, & accensis luminaribus & crucibus erectis, super sacrosanctum corpus Dominicum & missale singuli, qui non prius iurauerunt, hoc sacramentum præstiterunt in scriptis, archiepiscopo Cantuariensi incipiente: Nos Nicolaus archiepiscopus Cantuariensis iuramus ad sacrosancta corpus dominicum & euangelia, firmiter seruare penes nos pacem & concordiam firmatas inter Reges, & nullo in contrarium venire. Quibus expletis, singuli suas schedulas regijs notarijs tradiderunt. Rex autem Francorum cum suis nobilibus idem præstitit iuramentum: sicque firmata pace inter duo regna liberatus est Rex Ioannes*.

Ioannes Rex Anglico carcere liberatus. a Vualsin. in Eduar. III.

8 Pandebatur hoc tēpore egregia Christianis rei præclare gerendæ aduersus Saracenos occasio, quorum vires in Syria Damasceno regno & Aegypto ob pestis ferociam, vt supra indicauimus, attritæ admodum fuerunt b. Intestinæ etiam ipsos discordiæ exagitarunt, dumque in rebelles signa attolleret soldanus Babylonius, a coniuratis cæsus occubuit c; fraterque ad solium euectus, qui cum in se nouam coniurationem conflatam accepisset, singulos illius participes varijs occasionibus e medio sustulit: sed demum & ipso ab alijs necato, regnum puero fratri, moderando sceptro impari, traditum est. Schismaticorum porro Græcorum res magis in dies dilapsæ prostratæq; a Turcis: quorum princeps Amurates, vt scribit Matthæus Villanus d, cum ob Ioannis Palæologi cum Cantacuzeni sequacibus dissidia sæpius Constantinopolim tentasset, in spem potiundæ vrbis erectus, si Imperatorem insidijs tolleret, mortem illi inferre est molitus. Qua aperta coniuratione, etsi nefarium consilium non perduxit; cum tamen Gallipolim magnis præsidijs teneret, terra marique grauissimas Græcis clades inflixit. Tradit idem auctor e, eundem barbarum mense nouembri, inito cum sequacibus Cantachuzeni fœdere, Didymotichum amplissimam vrbem Thessalonicam inter & Constantinopolim solo terrore oppressisse. His addūt annales Turcici f, capta Didymoticho Ypsalā & Hadrianopolim ignaua Græcorū deditione ab Amurate in seruitutē redactas.

Syria intestino bello vexata. b Matth. Vill. l. 10. c. 30. Soldanus a suis cæsus. c Cap. 39. d Cap. 40. Tentata a Turcis Constantinopolis. e Cap. 72. f Annal. Turc. n. 31 & 32. & Io. Leuncl. in pan. ded. hist. Turc. ibid.

9 At contra catholicis aduersus infideles feliciter bellicæ res cessere: Sinopenses enim ad Pontum Euxinum, qui Theodosiam Genuensium coloniam, vulgo Caffam, tentarant irrito conatu, a classe Genuensi profligati sunt g. Reportata etiam a Petro Rege Cypri celebris victoria: in spem enim propagandæ rei Christianæ erectus, sancito cum Rhodijs equitibus fœdere, ac magna comparata classe, Sataliam Turcarum

Sinopenses a Genuensibus profligati. g Matth. Vill. l. 10. c. 63. Satalia a Cyprio expugnata.

vrbem opulentam triplici einctam muro aduentu improuiso cepit a. Nec minus in ea defendenda aduersus Turcarum, collectis raptim copijs ingruentium, conatus prudentia Rhodiorum equitum virtusque eluxit. Inde in Candelorium belli molem conuertit Cyprius: cuius terrore barbarus toparcha se illius vectigalem futurum est pollicitus. Nonnullæ etiam aliæ arces ereptæ barbaris a Cyprio, de quibus & Satalia expugnatis extant Vrbani V. literæ b ad Imperatorem ac Reges, quibus amplissimam inde Asiæ debellandæ occasionem affulgere significat, inferius a nobis afferendæ. Porro B. Petrum Thomam creatum ab Innocentio VI. aduersus Turcas in oriente legatum, ad instaurandum religionis cultum mox Sataliam prouolasse, referunt eius acta c: *D. Petrus Thomas, plenissime legationem obiens, maximos animarum fructus faciebat, quot ad viam salutis reducebat. Audiens igitur, quod Petrus Rex Cypri inexpugnabilem vrbem Sataliam vi oppugnando cepisset, nulla mora se illuc contulit, ibique plantauit ecclesiam, instituit sacerdotes & religiosos, qui diuinum officium celebrarent: animauitque vehementer Christianos, quos vrbis custodes in præsidio Rex collocasset, multas eis gratias & priuilegia relinquens. Tum rediens in Cyprum processiones & missas solemnes præcepit pro habendis gratiarum actionibus de victoria, quam Deus Regi contra fidei Christianæ hostes dedisset, & Regem, nobiles, reliquumque populum Cypri in amore diuino confirmauit.* Subdit Philippus e Macrijs testis oculatus Cyprum, cum hoc tempore pestis eam depasceret, ei sdem B. Petro ad Deum precibus non sine insigni miraculo fuisse liberatã.

a Cap. 61.

Candelorij toparcha vectigalis fact.

b Vrban. to. 1. ep. secr. pag. 161.

Satalia religio a B. Petro A. S. L. restituta c.

c Philipp. a Macerijs in vita Petri Thomæ.

Hisce temporibus, inquit, *maxima lues circum Cypri regnum grassabatur: & tandem Famagustam infecit cum tanta furore, vt quicumque inficerentur, vno die aut altero perempti efferrentur. D. Petrus Thomas misericordia motus, salutis populi cupidus, sine vllo pestis timore instituta processione solemni, nudis pedibus in prima & præcipua vrbe Cypri Nicosia nomine, inductoque ad peragendam pœnitentiam populo, Famagustam venit, vbi crescebat in dies, & adeo augebatur pestilentia, vt singulis diebus triginta vel quadraginta homines de medio tollerentur. D. Petrus Thomas, volens iram Dei cohibere, diem dixit, qua solemnis fieret processio; & vnumquemque cohortatus est, vt vellet interesse nudis pedibus, & pararet se ieiunijs & abstinentijs pane & aqua contentus. Die dicta vniuersa multitudo conuenit in ecclesia cum innumeris luminaribus, nudis pedibus, & in aqua & pane ieiunantes. Tunc D. Petrus Thomas pontificalibus vestimentis ornatus processionem instituit, suisque concionibus & cohortationibus eo pietatis & feruoris populum incendit, vt non modo Christiani, sed etiam infideles Saraceni, Turcæ, & Iudæi lachrymas sistere non valentes, nudis pedibus pariter cum alijs incederent. Qua processione finita, contritoque vehementer populo, subito miraculo ciuitas Dei misericordiam experta est per merita serui sui fidelis: nam Deus, populi sui peccata oblitus, omnes vrbis infirmos sanauit, nec vllus occubuit, quamuis peste infecti in ducentis locis mortem expectantes iacerent: quodque miraculum effecit maius, reuolutionem luna peragebat, & tunc pro medicorũ sententia pauci solent euadere: & ab eo die pestis Famagustæ extincta est & in reliquis regni Cypri partibus per Dei misericordiam & per merita B. Petri Thomæ.*

Eiusdem in Cyprios peste laborãtes charitas.

Vt precibus placato Numine eam auerterit.

Commoti ad criminum dolorem infideles.

10 His præmittit idem auctor egregium aliud miraculum non prætereundum silentio, dum nimirũ ad impositæ sibi a sede Apostolica legationis munus strenue obeundũ mare sulcabat, proiecta cruce frementes procellas ipsum compescuisse: *Alias*, inquit, *nauigante D. Petro Thoma Rhodo in Cyprum, tantum incurrit periculum nauis, vt naufragium præsens crederetur. Nautæ, vt mortem rati proximam, omni humano destituti auxilio, clamantes ad cælum, sexdecim anchoras fortissimas in mare proiecerunt: quæ nihil profuerunt, intumescentibus maris fluctibus. Tunc omnes ad D. Petrum Thomam confugerunt, qui in eadẽ naui esset: qui pronus & feruens in orationes a Deo exauditus surrexit & proiecta in mare deuotissima cruce, quam secum gestabat, facta est subito maris trãquillitas maxima. Stupuere vehementer omnes, qui versabantur in naui præ miraculo; qui quidem gratias Deo reddiderunt, qui serui sui meritis ex præsẽti naufragio eripuisset.*

Æstuosũ mare proiecta cruce sedatũ.

IESV CHRISTI
Annus 1362.

INNOCENTII PP.VI. annus 10. CAROLI IMP. OCCID. 17. IO.PALAEOL. IMP. OR. 22.

1 ANnus a Virginis partu millesimus trecentesimus sexagesimus secundus indictione quintadecima, sublato Innocentio Pontifice optimo, magnum ecclesiæ luctum attulit. De cuius obitu antequam dicamus, gesta extremo pontificatu sunt exponenda. Recuperatæ ab ecclesia Bononiæ dolore furens Bernabos Vicecomes, inferendi belli Pontifici causas affectaturus, indignas pacis leges Innocentio proposuit a: vt nimirum filius Mediolanensi archiepiscopatu ornaretur, edictoque apostolico caueretur, vt Mediolanensis archiepiscopi electio ex Vicecomitum voluntate penderet: restitueretur ab Imperatore omnibus honoribus, quibus ob Romanam ecclesiam iniusto appetitam bello exutus fuerat: bellum in quoscumque gerere, excepta ecclesia, posset; ea tamen lege, vt ijs Pontifex non studeret, Bononia vero Pisanorum custodiæ traderetur. Insultantem tyrannum, ac viribus superiorem ecclesia propulsare non poterat, neque iniustis eius postulatis assentiri; cum aliunde turbidis rebus lux affulsit. Magnates enim Itali Bernabonis finitimi Canissignorius Veronensis, Carraria Patauinus, & Atestinus marchio Ferrariæ præfectus, veriti in se belli molem, subacta Bononia, a tyranno versum iri b, Aegidium Cardinalem legatum de faciendo fœdere appellarunt. Ita iunctis horum principum ac Pontificis armis, mox Bernabonis potentia contundi cœpit c. Pœnituit illum, acceptis nonnullis aduersis casibus, pacem respuisse, atque ad eam exorandam oratores Auenionem misit; sed lubricam & inconstantem hominis fidem nouerat Pontifex, atque de inito cum principibus Italis fœdere a Cardinale legato certior factus, non fidendum Bernabonis verbis, sed illius vires, ne postea noceret, infringendas censuit d. Dum itaque arma in eum legatus vna cum socijs expediebat, Innocentius legibus ac iudiciario ordine in illum agere perrexit e, atque anathemate non ipsum modo, sed omnes, qui aduersus ecclesiam auxilio forent, deuinxit. Lata in eum ab Innocentio edicta producere non possum, cum huius & superioris anni regesta non repererim: ex ijs tamen, quæ Vrbanus V. aduersus Bernabonem edidit, constat Innocentium iustissime in eundẽ Bernabonem tanquam impium atheum & crudelem carnificem,

Bernabos Vicecomes ecclesiam vexat.

a Matth. Vill. l. 10. c. 90.

Proposita ab eo indignæ pactiones.

Principes Itali in eũ arma iungunt.

b Cap. 96.

c Lib. 11. c. 4. 9. 14.

d Lib. 10. c. 99.

Lata in ipsum pœnificia sẽtentia.

e Ead. cap.

cem, ac persecutorem ecclesiæ fuisse concitatum, de quibus iterum in Vrbano sermo recurret. Iam quæ sub Innocentio euenere, coniungemus.

Roma ab homine plebeio administrata.
a Matth. Vill. l. 11. c. 25.

2 Rediere ad Pontificis obsequium Romani, qui ob nonnullas intestinas turbas se ab illius imperio subduxerant. Corripuerat a inter ipsos publicæ rei administrationem plebeius vir Lellus Pocadote, qui sutoriam calceorum exercebat. Is inuidia stimulatus nobiles Romanos Vrbe exegerat: qua ipsi iniuria lacessiti recuperandæ patriæ desiderio prædonum societatem conduxere. Horum itaque pauore perculsi Romani, vt periculum imminens depellerent, sese Innocentio subiicere,

Pontifici se subijciunt Romani.

ea tamen lege, ne Aegidius Cardinalis legatus ipsis præesset: frænari enim eius disciplina pertimuerunt, quam ante experti erant: extant enim illius constitutiones, quas pro statu vrbano & Piceno componendo edidit, quibus postea Sixtus IV. Apostolicum robur adiecit b, easq; seruari iussit. Caterum coiuerat memorata prædonum societas exorti Pisanos inter & Florentinos belli occasione, vt refert Matthæus Villanus c, qui fuse in eo bello acceptas illatasque clades prosequitur d.

b Ext. in bullar. to. 1. in Sixt. IV. const. 15.
c Matth. Vill. l. 11. c. 23.
Lud. Regis Neap. mors.
d Lib. 10. c. 2. 17. 18 19. 20.
d Lib. 10. c. 100.
e Summ. hist. Neap. l. 3.
f Matth. Vill sup. c. 100.

Tradit idem auctor d, Ludouicum Siciliæ Regem Neapoli mense maio huius anni letbali morbo correptum obijsse e cum paulo ante, quasi diuino quodam afflatu imminentem mortem præsagijsset, anteactæ vitæ scelera expiaturus peregrinationem ad sacra Apostolorum Andreæ, Bartholomæi, ac Matthei, qui Amalphi, Beneuenti, & Salerni quiescere existimabantur, veneranda sepulchra magno pietatis sensu delibutus cultu modesto admodum suscepisset f. Quo vita functo, Pontifex, ne quid detrimenti regnum ecclesiæ vectigale caperet, neue Fridericus Aragonius, qui partem Trinacriæ retinebat, ex qua proferebat in reliquam imperium, a Petro Rege Aragonum socero adiutus nouas res moliretur, Guillelmum Grimoardum abbatem, qui ipsi in pontificatu successit, Neapolim legauit g; cuius mentionem facit M. S. Vaticani auctor h, dum ait: *Eodem anno mortuus est Ludouicus Rex Siciliæ, cuius exequias fecit fieri dominus Papa de mense iunij die vigesima, mittens ad partes illas nuntium dominum Guillelmum Grimoaldi, tunc abbatem Massiliensem, qui postea electus est, ibidem existens, in Papam, & Vrbanus V. appellatus*. Hæc ibi.

g Ib. l. 11. c. 26. & gesta Vrb. V. apud Bosq.
Guillelmus Grimoaldus abbas in Siciliam missus.
h M.S. bib Vat. sign. n. 3765.
Innocentij Papæ obitus.

Regio funeri pontificium adiungimus, nimirum Innocentij Papæ, de quo idem auctor subdit: *Post hæc dominus Innocentius modicum decumbens, cum esset senio & ætate confectus, die* XII. *mensis septembris obijt, &* XIV. *sepelitur in ecclesia D. Mariæ de donis, ibique mansit vsquequo translatus fuit*. Eadem confirmat & enarrat ipsius vitæ scriptor i: *Tandem*, inquit, *post labores multos & anxietates innumeras, quas habuit tam in corpore quam in mente propter varias & plurimas infirmitates & turbationes, quæ suo tempore tam sibi quam toti mundo (vt præmittitur) contigerunt, in pace quieuit anno Domini* MCCCLXII. *die* XII. *mensis septembris pontificatus sui anno decimo: fuitque sepultus in ecclesia maiori Auinionis, demum transferendus ad domum Carthusiensem Villanouæ, in qua viuens suam perpetuam elegerat sepulturam, vacauitque sedes diebus quadraginta quinque*. Quod vero ad diem obitus attinet; duodecimum septembris fuisse confirmatur etiam ex Vrbani successoris literis encyclicis paulo post

i Gesta Innoc. VI. apud Bosq.
Sepultus apud Carthusianos

afferendis, qui Innocentium pridie idus septembris mortuum testatur: cui adstipulatur Rebdorfius a eius temporis auctor: *Qui*, inquit, *decessit Auenione anno Domini* MCCCLXII. II. *id. septembris, qui fuit feria secunda ante festum exaltationis sanctæ Crucis*. Ex quibus corrigendus error, qui in Matthæum Villanum b irrepsit, dum loco XII. XI. collocatur. Sedit annos nouem menses octo dies viginti sex, ac laudibus ab omnibus tum ob vitæ integritatem, tum ob pontificatum egregie administratum cumulatur. Ab eodem Pontifice affirmat Petrarcha c se rogatum, vt ei ab epistolis esse vellet: sed vitæ pristinæ studium ac senectutem excusasse, eum etiam apud prædecessores Pontifices, atque Imperatorem Regemque Francorum, qui ipsum magnis promissis allicere contendebant, eadem excusatione vsus esset. Et quidem Innocentium politioribus literis excultos honoribus & beneuolentia prosecutum, refert eius vitæ scriptor d, ex quo decerpenda, addendaque hic nonnulla Innocentij gesta insignia putamus.

a Rebdor in annal.
b Matth. Vill. l. 11. c. 26.
c Petr. rer. senil. ep. 2. & 3.
d Gesta Innoc. VI. apud Bosq.

3 *Dictus*, inquit, *Papa suo tempore fecit claudi & circuiri totam ciuitatem Auenionem muris & turribus altis & fortissimis, ac vallibus seu fossatis ab extra: ex quibus dicta ciuitas, quæ per prius erat omnino aperta, effecta est fortissima, & ad resistendum quibuscumque eam expugnare volentibus multum bene disposita & parata: voluitque, quod clausura huiusmodi haberet magnum ambitum ad hoc, vt processu temporis infra ipsam possint fieri noua ædificia, ex quibus dicta ciuitas ampliaretur, includerentur etiam infra eam multa viridaria & loca amœna circa ipsam tunc existentia, ac etiam hospitale miræ pulchritudinis pro tunc nouiter ibidem ædificatum & dotatum per Bernardum Rascasij legum doctorem ciuem Auenionensem. Aedificauit insuper idem Pontifex & dotauit in Villanoua prope Auenionem domũ Carthusiensem, Vallis benedictionis nominatam, constituens in ea certum numerum fratrum seu monachorum eiusdem ordinis, pro quorum sustentatione sufficienti multa bona deputauit. In Tholosa vero, vbi a principio studuerat, fundauit nobile collegium pauperum scholarium, quod sancti Martialis voluit appellari, pro cuius dotatione multa bona exposuit a Deo sibi data*.

Cincta ab eo muris Auenio.
Carthusianum monasterium Villanouæ positum.
Collegiũ pauperũ Tolosæ excitatum.

Ipse fuit valde solicitus & curiosus circa recuperationem terrarum ecclesiæ in partibus Italiæ existentium, pro qua expendit & exposuit pecunias infinitas; & per Dei gratiam non in vanum: nam, vt supra tangitur, pro maiori parte suo tempore recuperata fuerunt, & in ipsis pro earum tuitione multa castra seu fortalitia nouiter instructa, & antiqua reparata. Circa etiam bonam & debitam expeditionem & prosecutionem aliorum sibi incumbentium, ac pertinentium ad officium sibi creditum, cum magna diligentia vacauit & intendit: processitque in omnibus cum deliberatione & consilio tam Cardinalium quam aliorum peritorum, nihilque de contingentibus omisit, quandiu potuit laborare. Fuit tamen multum oppressus & grauatus gutta & podagra, propter quod multoties fuit impeditus in prædictis, & præsertim in suis vltimis diebus, in quibus fuit admodum debilitatus & valetudinarius, cum esset satis annosus, immo & senio confractus: semper tamen habuit bonam intentionem in suis omnibus agendis. Dilexit etiam pauperes, & eis libenter subuenit. Viros insuper litteratos fouit, eisque benefecit & multos promouit. Iustitiam manutenuit & conseruauit, & in curia specialiter

Recuperata ab eo ditio ecclesiastica
Literas & iura coluit.

veluit & ordineuit ma'os & infalsntes puniri. Suo enim tempore insurrexit in Auenione quadam societas, qua Damperica vocabatur, cuius sectatores de nocte insedintes furta, stupra, & malesicia multa committebant: de quibus idem Papa iustitiam satis rigidam fieri mandauit; sic quod multi ex eis etiam, qui se nobiles astimabant, erantque apparenter satis magni status, submersi fuerunt aut alias trucidati; quorum exemplo aly perterriti aut fugerunt, aut de prædictis destiterunt: & sic dicta societas euanuit satis cito. Plures ex suis tam nepotibus quam consanguineis in ecclesia promouit & exaltauit: ad quod faciendum caro ipsum aliqualiter traxit & inclinauit, tamen vt plurimum boni & sufficientes fuerunt, & in statu eis dato bene & laudabiliter se habuerunt. Paucos habuit in statu laicali sibi multum propinquos, illis tamen sic benefecit, quod post ipsum bene & honorifice cum eorum potentijs viuere & stare potuerunt: non tamen alias ipsos magnis dignitatibus aut honoribus sublimauit. Hactenus Innocentij Papæ gestorum auctor.

Sontea repressit.

In suos fuit indulgentior.

4 Sepulturæ tradito Pontifice, Cardinalium collegium Ægidium Card. Albornotium episcopum Sabinensem Apostolicæ sedis in Italia legatum de communis parentis obitu certiorem fecit a.

a Apud Vrb.VI. to 1 ep. secr. pag. 1.

Miseratione diuina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales, venerabili fratri Aegidio, Dei gratia episcopo Sabinensi A. S. L. salutem in Domino.

Cardinalium literæ ad Ægidium de morte Innocentij.

Lacrymantibus oculis, profundisque suspitijs fraternitati vestræ cogimur intimare, quod Altissimus, cuius pietas confert laborantibus requiem, & infirmantibus perpetuam sanitatem, felicis recordationis domino Innocentio Papæ VI. multis laboribus & infirmitatibus iam confracto, sua benignitate compatiens, eius animam benedictam, post deuotam susceptionem ecclesiasticorum sacramentorum, pridie ad cælestem patriam, vt pie creditur, euocauit; hodieque in ecclesia Auinionensi solemnibus pro ipso exequijs fuit depositum honorabile corpus eius. Vestram igitur fraternitatem, quam gratiarum Dominus dotauit patientiæ munere, muniuitque clypeo fortitudinis in aduersis, hortamur & rogamus attente, quatenus de tam flebili casu, & damno tam grandi ecclesiæ sanctæ Dei, prout decet vestram prudentiam, & male conditiones temporum exigunt, consolationis & confortationis spiritum assumatis, &c.] Rogant eum, vt clientes ecclesiæ omni studio in officio contineat. *Dat. Auin. XVIII. kal. octobris dicta Romana ecclesia pastore vacante.* Scriptis eodem die literis b Cardinales hortati sunt Bononienses, quos Bernabonis sæuitia infestabat, vt vrbem strenue contra illius impetus tuerentur, ac legati imperijs obtemperarent. Quo etiam argumento ad Nicolaum, Hugonem, & Albertum Atestinos marchiones; tum ad Canemsignorium & Paulum Albuinum fratres Veronenses, tum ad Franciscum Carrariam Patauinum fœderatos datæ literæ c, ac de subrogando breui optimo Pontifice spes ipsis datæ.

b Ead. pag.

c Ead. pag.

Orta lis an Cardinalis, cui nondũ os apertum, collaturus sit suffragium.

5 Dum conclaui de more Cardinales includebantur, suborta est controuersia, an Androinus ad electionem vna cum alijs celebrandam admittendus esset, de qua hæc Vrbani gestorum scriptor d: *In hac electione*, nimirum Vrbani, *fuit præsens tanquam in ipsa vocem habens admissus, & in conclaui cum alijs Cardinalibus introductus dominus Androinus de Racha prius abbas Cluniacensis, qui per dictum Innocentium Papam VI. factus fuerat presbyter Cardinalis; cum tamen nondum haberet titulum: nec viuente dicto Innocentio in consistorio fuerat installatus: intrauit enim primo curiam dum dictus Innocentius laborabat in extremis, immo & quasi hora, qua moriebatur. Quod ideo hic notanter inserendum duxi, vt appareat, quod sola assumptio seu promotio ad Cardinalatum dat vocem in electione Papæ & non tituli assignatio: & hoc expresse denotat regularis seu communis obseruantia, quæ habet, quod nouiter promoto ad dictum statum per Papam clauditur os antequam sibi titulus assignetur, sicque manet ore clauso, & vocem in nullo habens, donec demum sibi aperiatur: & tunc sibi titulus assignatur, & vt in posterum loquatur, vocemque liberam habeat tam in dicta electione, quam alijs actibus ad statum huiusmodi pertinentibus, tribuitur & conceditur facultas, quæ per dictam oris clausuram suspensa fuerat & effectualiter interdicta. Hoc etiam denotat verbum claudere, quod non potest locum habere nisi in re iam aperta: & ita pro vero & indubitato & de iure tunc tentum, habitum, & determinatum extitit concorditer per dominos Cardinales.* An vero postquam os clausum est, nec dum apertum, suffragium in creando Pontifice ferre possit, certatum inferius visuri sumus.

d Gesta Vrb.V. apud Bosq.

6 Agitata pontificia electione, Cardinales in contrarias distracti sunt sententias; cum alij Lemouicensem natione, cuius gentis imperium recens ad Anglum traductum erat, euehere ad solium affectarent, repugnarent alij, nec in aliquo e collegio consentirent; demum Guillelmum Grimoaldum (de quo in regnum Neapolitanum legato ab Innocentio meminimus) genere Gallum, patria Belliquadrensem, abbatem S. Victoris Massiliensis ordinis S. Benedicti, sexagenarium vt ait Matthæus Villaneus a, honestate morum, rerum peritia insignem (quem narrat, audita Innocentij morte, Florentinis, a quibus magnificentissime erat exceptus, dixisse, si aliquando Pontificem, qui sedem Apostolicam in Italiam reduceret, ac tyrannos edomaret, intueri se contingeret, magna cum lætitia sequenti die mortem obiturum) ecclesiæ catholicæ præfecerunt.

Grimoaldus abbas eligitur Pont.

a Matth. Vill. l. 11. c. 26.

De eius primordijs, ac gestis ante pontificatum muneribus, vitæ genere, & electione anonymus scriptor hæc narrat b: *Vrbanus Papa V. natione Gallicanus de loco de Grisaco diœcesis Mimatensis post dictum Innocentium VI. Auenione fuit electus in Papam die XXVIII. mensis octobris anno Domini MCCCLXII. & die VI. mensis nouembris immediate sequentis consecratus & coronatus. Hic prius vocatus est Guilielmus Grimoardi, cuius pater fuit Grimoardus miles: & in adolescentia sua sub habitu monastico Domino voluit famulari, fuitque receptus in monachum in prioratu de Chiriaco dictæ diœcesis, a monasterio S. Victoris Massiliensi dependente: vbi postquam fuit instructus in regularibus obseruantijs, se transtulit ad studia literarum, in quibus adeo diligenter insistit & insudauit, quod demum fuit effectus solemnis doctor decretorum; legitque ex tunc multis annis tam in Montepessulano, quam in Auenione. Tandem vero, suis suffragantibus meritis, primo ad monasterium S. Germani Antissiodorensis, postea vero ad monasterium prædictum S. Victoris Massiliensis, sub quo primitus ordinem S. Benedicti professus extiterat, promotus fuit, & abinde assumptus in Papam.* Et infra: *Modus autem sua assumptionis seu electionis magis a Deo, quam ab homine videtur processisse; attento præ-*

Illius primitiæ.

b Gesta Vrb.V. apud Bosq.

Vt diuino nutu vocatus sit ad pontificatum.

præsertim, quod dicta sede Apostolica tunc vacante, erant in collegio Cardinalium multi valentes & sufficientes viri, qui tamen (vt creditur) Deo sic disponente, concordare nequiuerunt, vt ipsorum aliquis eligeretur: sed post satis diuturnam vacationem, habentes aspectum ad merita, virtutes, & sufficientiam, de quibus magnam experientiam habuerant, cum inter ipsos in plerisque officijs deputatus longis temporibus fuisset conuersatus, in eum pro tunc absentem, & in partibus Neapolitanis pro negotijs ecclesiæ Romanæ existentem, sua vota direxerunt.

a Petrarc. rer. senil. l. 7. ep. 1.

Adorat inter alios diuinæ prouidentiæ consilia arcana Petrarcha a in euehendo ad pontificatum Vrbano, præsagiuitq; ideo cœlesti notu factū, vt Italiæ sedem Apostolicam restitueret; ita enim in scriptis postea ad eum literis ipsū compellat: *Attendisti acriter, certus sum, seruasque memoriter quibus vijs ad hoc culmen ascenderis: neque enim in Deum fas est ingratum suspicari eum, qui gratissimus in homines sis. Non est quidem potestas nisi a Deo: non mentitur Apostolus, qui hoc ait. Verum hæc potestas, quæ aliunde vtique non est, aliter atque aliter hinc est: sæpe enim diuina sapientia ad suæ voluntatis effectum humanis actibus vtitur successione, electione, donatione, acquisitione, & si qui alij sunt modi, quibus homines ad aliquam potestatem perueniunt. Vbi humanorum actuum vestigia atque effectus apparent, voluntas, ac dispositio Dei latet: doctis tamen ac fidelibus non ignota. Et hoc calle ad papatum ante te nostra memoria peruenerunt omnes. Est vbi ipsa Dei voluntas tam euidenter emineat, vt lippis quoque cæcisque etiam nota sit: sic si Deus per seipsum sine medio velle aliquid ostendat, vt nullæ ibi partes hominum videantur, quorum linguis aut manibus pro organo quodam instrumentoque vtitur, illis ipsis quid per eos fiat ignorantibus, factumque mirantibus, ac fortasse dolentibus. Hoc tu nostra ætate solus tramite conscendisti. Nemo te fallat, pater prudentissime: nemo tibi persuadeat esse aliquem tuorum Cardinalium, qui vel semel vnquam cogitauerit te ad papatum, non dicam promouere, sed poscere: si quis forte tibi aliud insusurrat, verba dat, te sibi mendacio obligatum cupit. Deus te profecto, Deus (inquam) solus, & nemo mortalium elegit, linguis licet illorum (vt dixi) vsus, quas ad aliud dispositas ad suum vertit obsequium quodque ipse volebat (dictu mirabile!) per volentes fecit. Hoc tibi acutissimo hominum quomodo rear incognitum, quod nemo fere vulgarium ignorauit?*

Expenditur res a Petrarcha

Sed si nunc etiam notius fieri vis, quorum electus es vocibus, mores atque animos tibi notissimos contemplare. Pone ante oculos fastum illum: nusquam tanta rerum suarum existimatio, parque contemptus alienarum. Alta loca assueti omnes, ad summum singuli aspirant, quo vix est, qui alium quam se vnum dignum censeat: se quoniam nominare alios est necesse, quisque se cogitans, alium nominat, vicissim ab alijs nominandus; ita neque quisquam nominare potest, neque alium vult, nisi ex eodem numero, vnde tanti beneficij vicem speret. Quando ergo illi hoc iudicio & his moribus, quamuis vita conspicuum, literis excellentem, humilis abbatem cœnobij nominassent, aut tanta rei idoneum iudicassent? aut quomodo illis in animum venisset, quod sibi quisque suis optabat, cæteris dare; seu quem ex alto despicerent, supra se cernere; seu quo ministro vsi essent, dominum habere? Audacter forsan, sed (ut fallor) vere dixerim, nunquam quo sunt animo tale aliquid sponte pati, ne dicam facere, potuissent. Non refert autem quid homines velint, sed quid Deus: is te vero, non alium volebat, consiliumque suum vltra non consensuris occultabat: quibus, scrutinia profunda versantibus, sic clanculum tuum nomen inseruit, vt ex tot nominibus Romano cardine fulgidis, cum solus abbas Massiliæ sonuisset, dolor & timor malos, gaudium & spes bonos, admiratio ac stupor omnes arriperet; omnes tamen vna voce, varijs licet affectibus, in laudem Dei, qui facit mirabilia magna solus, stupentia ora resoluerent. Et si tanto de re sententiam meam vis audire, quantum sub solem vespertilio, seu peccator homuncio diuinum consilium intueri potest dicam. Et infra: Incipit, credo, Christus Deus noster suorum fidelium misereri. Vult, vt arbitror, finem malis imponere, quæ multa per hos annos vidimus. Vult pro aureis seculi principio ecclesiam suam, quam vagari propter culpas hominum diu sinit, in antiquas & proprios sedes suas, & pressa fides statum reuocare. Non fefellit sua Petrarcham spes, reuocatam enim ab eo in Italiam sedem, prænuntiatamque mortem, si redires in Gallias, visuri sumus.

Præsagit vel e Deū vt Vrbanꝰ sedem Apost. restituat Italiæ.

7 Obseruat porro Vrbani vitæ auctor, Cardinales non promulgasse designatum illum Pontificem, donec ad ipsos Auenionem accessisset: quamquam ad eum decretum electionis transmissum, M.S. Vaticani auctor refert his verbis a: *Peractis exequijs domini Innocentij more solito nouem diebus, die decima Cardinales numero viginti intrauerunt conclaue, die videlicet B. Mauritij: & cum inter se concordare non possent, in dominum Guillelmum Grimoaldi, tunc abbatem S. Victoris Massiliensis absentem in regno Siciliæ nuntium sedis Apostolicæ, vota sua maior & sanior pars direxit. Qui, decreto electionis accepto, in vigilia omnium sanctorum reuersus est Auinionem. Interim vero quod Cardinales erant in conclaui, prælati quolibet die missas celebrabant, & sermones faciebant, rogando Deum pro felici & celeri Pontificis prouisione, quodam speciali officio missæ ad hoc ordinato, quod incipit: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, &c. Die vero xxvii. cum D. Guillelmus Papa futurus applicuisset Massiliam, eadem die misit dominis Cardinalibus consensum electionis de se factæ.* Tum describit, vti solemni ritu in sacrosancto solio sit collocatus: *In vigilia, inquit, omnium sanctorum inthronizatus fuit: & facta insinuatione ad populum, quod Vrbanus V. vocaretur, mox ab omnibus cantatum fuit, Te Deum laudamus. Die quoque dominica sequenti, videlicet in festo sancti Leonardi post festum omnium sanctorum, fuit in palatio apostolico coronatus per dominum Magalonensem, qui tunc erat Ostiensis episcopus: sed post coronationem non equitauit per villam, vt moris est, licet omnia parata fuissent.*

Accedente Auinionem Vrbano, patefacta electio
a M.S. bib. Vat. sign. n. 3575.

8 Initiatus itaque sacris pontificalibus Vrbanus de susceptis a se ecclesiæ catholicæ gubernaculis post Innocentij VI. obitum omnes orbis Christiani præsules certiores fecit, atque ad coniungenda cum ipso ad populum Christianum optimis institutis informandum, sustentandamque apud Deum precibus ipsius imbecillitatem de more est adhortatus. Inscriptæ sunt ex b Aegidio episcopo Sabinensi Apostolicæ sedis in Italia legato, patriarchæ Aquileiensi, Rhemensi archiepiscopo, alijsque antistitibus, tum religiosorum ordinum supremis magistris, quorum omnium texitur catalogus, conceptæque fuit ijsdem pene verbis. Nobis ex visæ sunt adducen-

b Vrban. 1. ep. sec. pag. 3. 4. 5. 6. 7

cen-

cendæ, quæ primæ occurrunt ad Aegidium Cardinalem datæ a.

a Sad. pag. 3.

Vrbanus, &c. venerabili fratri Aegidio episcopo Sabinensi A. S. L.

Encyclicæ Vrb. literæ de adepto pontificatu.

Nuper, videlicet 11. idus septembris proxime elapsi, piæ recordationis Innocentio Papa VI. prædecessore nostro viam vniuersæ carnis ingresso, eiusque corpore cum solemnibus exequijs in ecclesia Aueuionensi deposito, ad locum alium, quem ipse (dum ageret in humanis) elegerat, postmodum transferendo, venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, tempore debito secundum præcepta canonum missarum solemnijs in honorem Spiritus sancti in electionem summi Pontificis, quæ facienda imminebat, eisdem per suam affuturi gratiam, deuotissime celebrantis, conuenerunt insimul in palatio apostolico Auinionensi, in quo idem prædecessor tempore sui obitus habitabat, de substitutione einsdem Pontificis tractaturi. Aliquibusque tractatibus in hoc præhabitis, prout tanti negotij qualitas requirebat, tandem ijdem fratres ad nos, qui tunc in minori constituti officio certæ nuntiationis ministerium a præfato prædecessore nobis iniunctum gerebamus in partibus Italiæ, intuitum dirigentes, nos in summum Pontificem & pastorem vniuersalis ecclesiæ concorditer elegerunt. Nos autem, qui sumus cinis & puluis, ex hoc fuimus non immerito stupefacti, cum oculi nostri imperfectum nostrum euidenter cernerent, & nec vires corporis, nec virtutum merita, nec scientiæ donum nobis suppeterent ad apostolici culminis speculam conscendendam, & grauissimam totius orbis sarcinam nostris debilibus humeris perferendam. Cogitantes tamen quod ecclesiæ prædictæ diuturna vacatio, præsertim diebus istis, quibus (peccatis exigentibus) totus fere orbis in maligno est positus, magna posset pericula generare; ac confidentes in Deo, qui nos, licet indignos, ad pascendum oues vniuersi sui gregis elegit, quod sua consueta misericordia ad ipsius laudem & gloriam, ac nostram & totius populi Christiani salutem in eiusdem populi salubri regimine dabit fortitudinem debili, indigno virtutem, & scientiam ignoranti; cum timore ac tremore diuinæ voluntati paruimus, ac eorumdem fratrum desiderijs annuentes, fragilitatis nostræ colla iugo submisimus apostolicæ seruitutis, & hesterna die octauo idus nouembris consecrationis & benedictionis munus & coronationis insignia recepimus, vt est moris.

Qua die sacratus sit Pontifex.

Ad præmissa itaque nobis necessaria obtinenda facilius tuarum orationum suffragijs indigentes, fraternitatem tuam hortamur ac obsecramus in Domino, quatenus debilitatem nostram apud Altissimum tuis deuotis precibus adiuuans, iniunctum tibi ab Apostolica sede legationis officium solitæ tuæ prægrandis prudentiæ solicitudine prosequaris in terris tuæ legationis, charitatiuo comportans studio impositam nobis vniuersalis oneris grauitatem, vt mediantibus tuis auxilijs de grege nobis a superno episcopo & pastore commisso bonam eidem rationem reddere valeamus. Cæterum prægrauem tuorum laborum sarcinam, solicitudinis indefessæ solertiam, & variarum cogitationum amfractus ætatis tuæ grauedine cumulatos, quibus pro felici statu & honore sanctæ Romanæ ecclesiæ, cuius honorabile membrum existis, adeo vexaris assidue, quod dulcedinem quietis ignoras, per experientiam, qua illos tecum quandoque communicauimus in minori officio constituti, certa scientia cognoscentes, tibi de illis pateruæ compatimur, & maioris adstringimur vinculis charitatis; gerentes in votis ac proposito illa (Domino adiuuante) peragere, quæ tuis consolationi ac desiderijs reddantur accepta, honorem einsdem fraternitatis adaugeant, ac nostris & ecclesiæ prædictæ subiectis, quos prouide regis & protegis, expectatæ quietis tribuat incrementum. *Dat. Auin. vi. id. nouembris anno 1.*

9 Excitatis itaque vniuersis præsulibus ad munus strenue obeundum, Imperatorem ad explicandam sedi Apostolicæ opem, coercendos improbus, æquitatem tuendam, atque ecclesias ex impiorum iniurijs vindicandas prouocauit a: *Lætificat*, inquit, *non modicum mentem nostram, & releuationis impositi nobis oneris spem etiam repromittit celsitudinis tuæ deuota sinceritas, per quam te cælesti Regi reddis acceptum, & cunctis præbes amplectenda imitationis exemplum. Quare imperialem serenitatem paternis affectibus hortamur in Domino ac rogamus attente, quatenus perseueranter in Domini timore persistens, ipsius studeas custodire mandata, colens iustitiam & diligens æquitatem; virtuosos exaltans & reprimens contumaces; memor, quod ad extollenda bonorum præconia, & refrænandas insolentias transgressorum, accepisti a Domino potestatem: pacemque, prout tibi possibile redditur, studiose procures vniuerso populo Christiano. Præfatam quoque Romanam ecclesiam, cuius es specialissimus protector & filius, aliasque ecclesias & personas ecclesiasticas, tuo indigentes præsidio, præcipuis habeas fauoribus commendatas, &c. Dat. Auin. vii. idus nouembris anno primo.* Inuitati ijsdem ferme sententijs Christiani Reges b Ioannes Francorum, Eduardus Angliæ, David Scotiæ, Petrus Castellæ, Petrus Lusitaniæ, Carolus Nauarræ, Petrus Aragoniæ, Ludouicus Vngariæ, Casimirus Poloniæ, Vvaldemarus Daniæ, Magnus Sueciæ, Aquinus Norvvegiæ, Petrus Cypri, ac Robertus dictus Imperator Constantinopolitanus, vt sceptra iuste moderarentur, ac populum Christianum in mutua pace & conspiratione voluntatum fouerent. Quo argumento extant etiam ad Elisabetham Vngariæ & Ioannam Galliarum Reginas c: tum ad d. Carolum Nurmanniæ, Ludouicum Andegauiæ, Ioannem Biturigum, Philippum Turonum, Philippum Aurelianensium duces, & alios Angliæ, Hispaniarum, Italiæ, ac Siciliæ principes: præterea ad Romanos, & alios ecclesiæ clientes insignesque populos datæ literæ, quibus omnibus studia apostolica est pollicitus.

a Eod. to. 1 ep. secr. pag. 8.

Rogatus Imperator ad fulciendam ecclesiam cæsareo subsidio.

b Ib. pag. 8 & 9.

c Ibid.

d Pag. 11. 12. 13. 14.

10 Significauit Vrbano Ioannes Francorum Rex, summam se ex eius creatione lætitiam percepisse, ipsiusque conueniendi consilium sumpsisse. Cui Pontifex peramanter ipsū a se exceptum iri respondit e: *Nos*, inquit, *prout intelleximus per earumdem literarum subsequentiam, personaliter visitare proponis. Super ijs igitur, fili charissime, serenitatis tuæ, quem mentis oculis intuemur & videre corporeis oculis ardenti desiderio expectamus, te plene confidere volumus, quod nos, qui de tuo regno existimus oriundi, ad ea, quæ tuum regnique præfati honorem, statum, & incrementa concernant, mentem intentam habebimus. Dat. Auin. vii. id. nouembris anno 1.* Meminit de illius aduentu (præter Matthæum Villanum f, & alios) M.S. Vaticani auctor g his verbis: *Idem Rex mensis huius*, nempe nouembris, *die xx. intrauit curiam*. Et infra: *Eo præ-*

e Ib. pag. 20.

f Matth. Vill. l. 11. c. 31. 32.

g M.S. bib. Vat. sign. n. 3765.

Gallorum Rex Vrbanum adit.

præsente & tota frequentia curiæ corpus domini Innocentij fuit portatum ad monasterium Carthusiense, ibique tumulatum in die S. Catisia. Refert Villanus a inter cætera postulasse Regem ab Vrbano, vt filius Ioannæ Reginæ viduæ connubio iungeretur: ac Pontificem subiecisse, rem sibi gratissimam fore ea lege, vt in regno versaretur, ac fidem sedi Apostolicæ obstringeret, annuumque vectigal penderet. De Philippo filio Turonum duce natu minimo sibi charissimo, vtpote qui in acie nunquam a paterno latere diuelli potuisset, dum alij filij ac frater ipsum vna cum copijs deserere, ad Siculum regnum euehendo agitabat: atque ad illius gratiam Pontifex, sine cuius auctoritate Ioanna Regina virum ducere non debebat, eam est adhortatus b, vt ex regia Francorum familia, ex qua genus traxerat, virum sibi matrimonio iungeret. At illa Iacobum Balearicæ stirpis principem inopem & profugum despondit, atque hæc conuenta c cum ipso inijt.

a Matth. Vill. l. 11. c. 32.

De filio Turonum duce Ioannæ Reginæ despōdendo agitat.

b To. 1. ep. secr. pag. 17. & 18.

Ioanna Baleari nubit.

c Ext. apud Vrb. an. 1. ep. diuers. form. 1.

11 *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo secundo indictione quintadecima, die mercurij, quartadecima mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Vrbani, diuina prouidentia Papa V. anno 1. Vniuersis præsens instrumentum publicum inspecturis, pateat euidenter, quod dudum de contrahendo matrimonio inter serenissimos principes Iacobum, Dei gratia Regem Maioricarum, comitem Rosilionis & Certaniæ, ac Montispessulani dominum, & dominam Ioannam, eadem gratia Reginam Ierusalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Prouinciæ, & Folcarquerij ac Pedimontis comitissam, certis tractatibus habitis hinc inde, tandem diuina fauente clementia de huiusmodi inter eos matrimonio contrahendo per ipsos concordato his pactis & conditionibus inter eosdem conuenientis & initis, quæ talia sunt.*

Conuenta inter eos inita.

Primo quod sufficiat domino Regi Maioricarum intitulare se titulo regni sui Maioricarum, & non titulo regni Siciliæ; nec debeat nec possit petere coronationem nec inunctionem, ac ligium homagium a comitibus, baronibus, & regnicolis alijs, cuiuscumque conditionis, status, & gradus sint, tanquam Rex Siciliæ vir dictæ Reginæ, sed solum habeat sacramentum assecurationis: nec de administratione dicti regni ac comitatuum Prouinciæ & Folcarquerij se quomodolibet intromittet, sed penes ipsam dominam in solidum debeat remanere.

Prohibitū Iacobo ne Regis Siciliæ nomen affectet. Ne Siculos in sua verba sacramento adigat.

Secundo quod non tractet, nec debeat habere seu tenere, vel haberi seu teneri facere per se vel concurrentes cum voluntate sua, cuiuscumque nationis, fortalitia vbicumque per regnum: nec prætextu aliquorum sumptuum, quos subire ipsum forsan prætenderet, vel contingeret in defensione regni vel recuperationis insulæ Siciliæ seu alio modo quocumque, competat seu competere possit tenuta ipsorum fortalitiorum vel terrarum & locorum regni: sed semper remaneant in dispositione dominæ, & ad suam prouisionem atque mandatum.

Ne præsidia imponat arcib'.

Tertio quod si contingeret dominam prædecedere, superstitibus filijs ex vtroque, & ipso Rege superstite, filios ipsos siue infra legitimam siue post quandocumque præcedere sibi nullum ius vendicet vel acquirat in successione regni & hereditate materna ipsorum filiorum: sed deuoluatur successio ad illos de genere dictæ dominæ, ad quos deferri contingeret secundum tenorem conuentionum regni, legibus seu viribus quibuscumque in contrarium loquentibus nullatenus obstituris.

Ne succedat filijs e Ioanna susceptis.

Quarto quod idem Rex Maioricarum semper concurrat & teneatur concurrere cum ipsa domina Regina in reuerentia & obedientia sanctæ matris ecclesiæ & Apostolicæ sedis, & quibuscumque aliud dicere vel audire suadentibus non acquiescet: at pure & simpliciter assistet, & fauebit toto posse circa satisfactionem census impendendam eidem ecclesiæ seu Apostolicæ sedi pro regno Siciliæ annis singulis, & circa ipsam ecclesiam perpetuo contentandam.

Persiet in obseruantia sedis Apost.

Quinto quod de præmissis, sicut præcedentibus, si forte contingat in posterum super illis difficultatem aliquam exoriri, vel forsitan hæsitari, ipsa difficultas & hæsitatio declaranda remaneant in iudicio domini summi Pontificis, qui pro tempore erit; & ad eum spectet declaratio eorundem, interpretando sicut sibi consulte & libere visum erit: cuius iudicio & interpretationi sine replicatione alia stetur & stari debeat, & pars vtraque reputare se exinde contentam, &c. His Vrbanus pontificium robur adiecit 12. kal. maij anni proximi, quo Iacobus Neapolim applicuit. At de Iacobo hactenus: nunc ad Gallicas res sermonem traducimus.

Si quæ lis de iis emerserit, pontificio iudicio dirimenda.

12 Flagitarat ab Vrbano Ioannes Rex a, vt Bernabonem Mediolanensem in gratiam restitueret: veniam enim ille, acceptis aliquot a fœderatis cladibus, deprecabatur, atque oratores ad Vrbanum miserat b, tum vt de adepto pontificatu ei gratularetur, tum iuste ob scelera iratum mulceret. Quibus responderat Pontifex, vt Bernabos erepta ecclesiæ loca redderet, scelerumque pœniteret; ac tum rite in gratiam admissum iri. Quo etiam responso importuna Ioannis Regis postulata (quadringenta aureorum millia sibi Bernabonis nomine ad prætensa in Bononiam iura abijcienda dari poscebat) elusit. Cumque Bernabos ab ecclesiæ iniurijs sibi temperare abnueret, immo tyrannidem in dies magis proferre niteretur, Vrbanus in primis Ægidij Cardinalis auctoritatem confirmauit c, monuitque d xvi. kal. decemb. de missis a Bernabone oratoribus factisque ab eo promissis: sed breui se diligenterque discussurum, an vere illum scelerum pœniteret, an dolis & artibus consuetis sedem Apostolicam deludere meditaretur: rem vero cum fœderatis principibus communicari iussit. Iudiciariam demum in Bernabonem actionem instaurasse Vrbanum, refert subiectis verbis M. S. Vaticani e auctor: *Dominus Papa citari fecit coram se dominum Bernabonem, termino sibi præfixo ad primam diem martij ad audiendum sententiam condemnationis.* Extat in pontificio regesto ad Vrbani edictum f ad præsules transmissum, vt promulgaretur, quo gesta in Bernabonem ab Innocentio ordine iudiciario complectitur, reque altius repetita, exponit vt certissima fama ad sedem Apostolicam, viuo adhuc Innocentio VI. perduxisset, Bernabonem calcata omni officij religione defecisse ab ecclesia, seq; hæreseos crimine irretijsse, suscepto hæreticorum patrocinio ac Francisci Ordelaffi damnati de heresi arreptis partibus, vetuisse sacram in ijs locis, quæ obtinebat, expeditionem pro concione aduersus illum promulgari. Vt vero tantum scelus nouis sceleribus cumularit, ita enarrat.

Bernabos ecclesiæ gratiam flagitat.

a Matth. Vill. supra c. 32.

b Cap. 31.

Datum ab Vrbano responsum.

c To. 1. ep. secr. pag. 44.

Districta in Bernabonem leges.

d Ib. pag. 31.

e M. S. bib. Vat. sign. n. 3765.

f To. 1. ep. secr. pag. 21.

Iudiciaria in eum acta.

Vt fauerit Ordelaffo.

Insuper suam, quam contra Deum & præfatum prædecessorem, aliosque Dei ministros, ac prædictam Romanam & alias ecclesias repletus diabolico spiritu diutius gesserat, prout gerebat, in mente perfidam voluntatem, per subsequentia execranda

fati-

Mediolanensem archiepiscopum iniurijs affecerit.

facinora deducens in publicam notitiam, bonæ memoriæ Robertum archiepiscopum Mediolanensem, pro eo quod quemdam monachum monasterij Claræuallis ordinis Cisterciensis Mediolanensis diœcesis noluerat, prout nec debebat, ad præsentationem cuiusdam intrusi in eodem monasterio ad ordinem promouere, ad suam præsentiam accedere compulerat, omnique reuerentia Dei & officij pontificalis abiecta, eidem archiepiscopo sermonibus contumeliosis, multis ibidem præsentibus, dixerat: Genuflecte ribalde; & cum sic genuflexus existeret, adiecerat:

Atheum se professus est.

Nescis pultrone, quod ego sum Papa & Imperator ac dominus in omnibus terris meis, & quod nec Imperator, immo (vt verbis sacrilegis & profanis asseruerat) nec Deus posset in terris meis facere, nisi quod vellem, nec intendo quod faciat? ipsumque archiepiscopum deinde post multa ignominiosa opprobria sibi dicta in quadam camera recludi ausu sacrilego fecerat. Et virgam sui furoris contra eumdem prædecessorem & dictam ecclesiam præsumptuosius extendens, per eadem ciuitates, castra, villas, & loca, quæ (vt præfertur) tenebat, fecerat etiam publice proclamari, quod nullus de ciuitatibus, ca-

Regosec ecclesiæ pastoribus interdixerit.

stris, villis, & locis eiusdem sub pœna concremationis ad dicti prædecessoris, seu etiam venerabilis fratris nostri Aegidij episcopi Sabinensis in partibus illis Apostolicæ sedis legati curias præsumeret accedere, aut inibi gratiam vel aliud impetrare; seu etiam eidem prædecessori, aut dicto legato de aliquibus ipsis prædecessori & Romanæ ecclesiæ vel eidem legato debitis aliquatenus respondere, aut dare consilium, auxilium, vel fauorem: quodque absque eius vel eiusdam sui familiaris Gerardolo nomine, quem

Contulerit ecclesiarum monasteriorumq. administrationē.

vulgus Papam nominat, licentia nulla electio, postulatio, supplicatio, seu prouisio fieret in ecclesijs ac monasterijs & locis ecclesiasticis (etiam mulierum) ciuitatum, castrorum, villarum, & locorum prædictorum: ordinarios quoque & alias, qui aliquos ad monasteria, ecclesias vel alia beneficia ecclesiastica absque ipsius Bernabonis licentia receperant, grauiter puniri, & quæ super ijs fecerant reuocari; nec non apostolicas & legatorum Apostolicæ sedis ac in-

Pontificiā læserit maiestatem.

quisitorum hæreticæ prauitatis literas & processus, ac etiam literas clausas, quæ iam dicto prædecessori & eisdem Cardinalibus & alijs de Romana curia de diuersis mundi partibus mittebantur, aperiri, legi, & sæpissime lacerari, eorumque latores capi & carceribus mancipari.

13 Addit Pontifex varia crudelitatis genera a Bernabone in sacerdotes & viros religiosos iniuste exercita: alios in cauea ferrea flammis exustos: alios in equuleo discruciatos: alios amputatos capite: eiectum e ciuitate Brixiensem episcopum: Minoritam spectatæ virtutis auribus ardenti ferro perforatum; pluresque ecclesiasticos viros in carcerem coniectos, & exquisitissimis supplicijs per nefas discruciatos: contemptas ab ipso ecclesiasticas censuras, quibus se deuinxerat, atque ad ecclesiæ coniunctionem redire neglexisse: eo etiam prorupisse, vt Parmensem sacerdotem turrim conscendere, atque ex ea Innocentium VI. & Cardinales anathemate defixos proclamare cogeret: ad suam vero ac suorum satellitum auaritiam satiandam in bona ecclesiastica adeo grassatum, vt plures sacerdotiorum vectigalibus exuti diuina ministeria abiecerint, cultusque religionis in ijs partibus admodum exoleuerit: tum pro libidine alios in sacerdotia intrusisse, deturbasse alios, sacrorum locorum vectigalia ad suum ærarium deriuasse; multaque alia patrasse, ob quæ iusta hæreseos infamia

Horrenda Bernabonis tyrannis.

ac suspicione aspersus esset. Licet vero hæc adeo conspicua & explorata essent, vt latere neminem possent, Innocentium tamen Guillelmo S. Mariæ trans Tyberim presbytero Cardinali, vt de ijs inquireret, partes demandasse: qui eum officio perfunctus commissa a Bernabone scelera retulisset, Innocentium Bernaboni non immerito de fide suspecto VIII. kal. septembris pontificatus sui anno VIII. denunciasse, vt quarta die mensis nouembris imminente, apostolico tribunali se sisteret, ipsiusque securitati, ne inanes causas prætenderet, cauisse: cumque stata die non comparuisset, Innocentium ipsum Raynaldo S. Adriani & Ioanni S. Georgij ad velum aureum diaconis Cardinalibus præcepisse, vt ad portam palatij apostolici Bernabonem alta voce appellarent: nec Bernabone, alioue pro ipso se sistente, pronunciatum in causa fidei contumacem, atque anathematis sententiam in eum vibratam fuisse, ac sancitum, vt ad distringendas alias in ipsum pœnas iuris ordo seruaretur. Tum subdit Vrbanus, licet ecclesia Bernabonis ad sanitatem mentis reuocandi desiderio ducta diutius ipsum expectarit, vt crimina expiaret; nedum tamen ad pœnitentiam frangi potuisse, sed biennio, clementia apostolica atque eius auctoritate spreta, in pertinacia obduruisse atque: ideo eum iure velut hæreticus damnandus sit, ac membrum putridum, ne sua labe cætera inficiat, amputandum, e Cardinalium consilio peremptorie eidem Bernaboni indicere, vt die prima imminentis mensis martij hora consistoriali coram apostolico tribunali ad excipiendam in causa fidei sententiam compareat: quæ literæ exaratæ *Auin. 11. kal. decembris anno 1.* Iussi [a] vero sunt patriarchæ, archiepiscopi, & episcopi, huiusmodi edicta in Bernabonem lata diuulgare: ac Matthæus Villaus sequenti anno Florentiæ XXIX. ianuarij die populo fuisse denuntiata testatur [b], atque hæreseos & schismatis criminibus Bernabonem in ijs fuisse notatum, interque alia obiectum impium ab hoc atheo dictum, non alium in ipsius terris Deum, quam ipsummet Bernabonem existere: tum ob atrocia flagitia diem ad hæc diluenda illi constitutum.

Vt iudicium hæreseos illi intentatū fuerit.

Vrgetur summo iure.

[a] To 1. ep. secr. pag. 21. & 36.

[b] Matth. Vill. l. 12. c. 38.

Bernabos habitus Atheus.

14 Frangenda erat armis tyranni, qui iura legesque audacia proterebat, pertinacia: atque ideo Vrbanus vndique subsidiaria arma conquisiuit. Cumque Ludouicus marchio Brandeburgensis ad centum equites egregie armis instructos pro expiādo scelere ob secutū paternū schisma oppugnatamq; ecclesiam suis sumptibus in pontificijs castris anno integro in Italia sustentandos se obstrinxisset, Pontifex Ægidio Cardinali legato partes imposuit [c], vt Ludouici marchionis iam extincti heredes ad exoluendum id officium cogeret. Quas literas afferemus, cum ex ijs Ludouicum Brandeburgensem tite paternum schisma damnasse ostendatur, emendandusque sit Rebdorfius, dum tradit [d], Ludouicum prius vita functum, quam ecclesiæ conciliatus esset.

Comparata in eū arma.

[c] Ib. pag. 33.

[d] Rebdorf. in annal. sub an. 1349.

Vrbanus, &c. venerabili fratri Aegidio episcopo Sabinensi A. S. L.

Dudum, cum quondam Ludouicus de Bauaria marchio Brandeburgensis, quondam Ludouici de Bauaria pro Romanorum Imperatore, dum viueret, se gerentis, sed ecclesiæ Romanæ iudicio reprobati, primogenitus pro eo, quod dicto suo patri de hæresi & schismate per Romanam ecclesiam condemnato adhæserat, fauerat, & ex alijs ipsius marchionis culpis & ex-

excessibus, diuersarum esset excommunicationum sententijs irretitus & pœnis subiectus, cuperetque, vt dicebat, ad ecclesiæ gremium redire humiliter & deuote; ac felicis recordationis Innocentio Papæ VI. prædecessori nostro per certos suos procuratores & nuncios fecisset offerri, se acturum omnem pœnam & pœnitentiam, quæ sibi imponeretur per prædecessorem eundem; prædecessor ipse; more pij patris salutem filiorum desiderans, eundem Ludouicum ad gratiam reconciliationis & absolutionis admisit, eique fecit beneficium absolutionis impendi, ac interdicta (quibus ecclesiæ, monasteria & loca ecclesiastica, ac ciuitates, oppida, castra, villæ, & loca de terris eiusdem marchionis propter huiusmodi culpas eorundem Ludouici patris & Ludouici marchionis & aliarum quarumcunque de terris ipsis personarum, quæ dictis Ludouico patri & Ludouico marchioni adhæserant contra Romanam ecclesiam supradictam, ac dederant auxilium, consilium, vel fauorem, erant supposita) relaxari: ipsumque marchionem, ac eius filios & nepotes ad quæsumque beneficia ecclesiastica obtinenda, & ad omnia & singula, ad quæ per sententias, quas idem marchio incurrerat, ipse ac eius filij & nepotes inhabiles reddebantur, habilitari & habiles reddi, & ad omnia priuilegia, indulgentias, gratias, & immunitates reales & personales, ipsi marchioni per dictam sedem concessa; nec non ad feuda, honores, officia, bona, iura, & iurisdictiones, quæ obtinebat, & ad statum & famam, in quibus erat, antequam excederet in præmissis (dummodo in eisdem feudis, honoribus, officijs, bonis, iuribus, & iurisdictionibus, tempore restitutionis faciendæ, non esset alij seu alijs specialiter ius quæsitum) in integrum restitui. Ipseque marchio solemniter promisit, ac iurauit ad sancta Dei euangelia pro satisfactione iniuriarum irrogatarum, & damnorum illatorum per eum Romanæ ecclesiæ prælibatæ, quandocumque per dictum prædecessorem, seu officiales ipsius Romanæ ecclesiæ, in partibus Italiæ constitutos, foret requisitus, infra vnum mensem, a requisitione huiusmodi computandum, centum armigeros galeatos (viros fideles, ac in equis & armis bene munitos, quorum quilibet haberet vnum socium bene armatum & tres equos, ad quascunque partes Italiæ eidem ecclesiæ contra rebelles & hostes ipsius, & alias, prout foret expediens, fideliter seruituros) destinaret, eosque per duodecim menses integros continuos vel interpolatos secundum eorundem requirentium voluntatem (inchoandos a die, qua ijdem galeati intrarent terras præfatæ Romanæ ecclesiæ) in huiusmodi seruitio retineret, eisque de stipendijs & emendis, ac pagis duplis, si faciendæ occurrerent, prouideret suis sumptibus & expensis. Dictusque prædecessor voluit, ac in huiusmodi absolutione, relaxatione, restitutione, & alijs supradictis apponi fecit specialiter & expresse, quod si præfatus marchio eadem promissa & iurata per eum non faceret & non adimpleret, seu contra ea aut eorum aliquod veniret, eo ipso in easdem pœnas & sententias relaberetur, eiusque ciuitates, oppida, castra, terræ, villæ, & loca, ac ecclesiæ, monasteria, & loca ecclesiastica eorundem interdictis huiusmodi subiacerent vt prius, ac habilitatio, & restitutio supradictæ haberentur ex tunc penitus pro non factis, prout in dicti prædecessoris literis, & publicis instrumentis exinde confectis plenius continetur, &c. *Dat. Auin. IX. kal. decembris anno 5.* Successisse parenti Ludouico Meinhardum filium adolescentem, refert Rebdorfius a; ac de tutela illius gerenda, cum magnis opibus viribusque polleret, grauem controuersiam Bauarus duces Rupertum ac Stephanum seniorem ac iuniorem fœderatos inter, ac Ludouici marchionis consiliarios & amicos exarsisse.

Ludouic. Brandeb. ab Innoc. VI. conciliatus ecclesiæ.

Liberatus censuris omnibus pœnis.

Quæ promissa ab ipso profarciendis ecclesiæ iniurijs.

Meinard. Ludouico Brandeburg. succedit.

a Rebdorf. in annal.

15 Nondum autem vniuersi Germani, qui ob Ludouici Bauari amplexam factionem desciuerant ab ecclesia, ad eius gremium fuerant reuocati: nam licet Guillelmus, Albertus, & Otho Ludouici exauctorati Cæsaris filij a Petro Cameracensi episcopo sacrorum communioni fuissent iussu pontificio restituti; non tamen clerus, qui in eorum ditione versabatur, censurarum nexu solutus fuerat: nec, quamuis Stephanus dux eiusdem Ludouici filius ab Innocentio VI. flagitasset, vt in piorum cœtum admitteretur, postulatu beneficio erat potitus. Vrbanus itaque cum Bauari prioribus precibus insisterent, Innocentij diploma extremo illius pontificatu editum b subiectis conceptum verbis instaurauit c.

De alijs Lud. Bauari filijs.

b Ext. apud Vrb. an. 1. ep. com. 219.

c Bzo. ap.

Innocentius, &c. venerabilibus fratribus Augustensi & Ratisponensi ac Gurcensi episcopis.

Nuper pro parte nobilis viri Stephani ducis Bauariæ nati quondam Ludouici de Bauaria, pro Romano Imperatore dum viueret se gerentis, sed iusto Romanæ ecclesiæ reprobati iudicio, fuit nobis expositum reuerenter, quod idem Stephanus post & contra processus quorumdam prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, aduersus dictum Ludouicum factos & habitos, ipsum Ludouicum scienter habuit & reputauit, nominauit & recognouit pro Romano Imperatore, eumque tanquam Romanorum Imperatorem ad inuadendum & occupandum ac detinendum Romanum imperium eiusque terras, loca, iurisdictiones, & iura, easque & alias terras, loca, & bona, quæ iure hereditario seu alias quomodolibet dum viueret possidebat, etiam post reprobationem huiusmodi, defendendo cum suis persona, gentibus, & facultatibus pro viribus adiuuit, eiusque requisitionibus, mandatis, & beneplacitis (quantum in eo fuit) efficaciter obediuit, & alias multipliciter eidem adhæsit, obsecutus fuit, & dedit consilium, auxilium, & fauorem; ipsumque ac eius consiliarios, auxiliatores, fautores, & complices, ac eidem in rebellione ipsius contra dictam ecclesiam adhærentes grauibus sententijs & pœnis, a dicta ecclesia propterea prolatis & inflictis, multipliciter irretitos receptauit, fouit, & defendit, & eum eodem suo genitore diuinis officijs, quamquam ipsi ambo essent diuersarum excommunicationum vinculis irretiti, scienter & temere interesse præsumpsit; illaque sic ligatus in terris & locis suæ iurisdictioni subiectis, licet ea sciret ecclesiastico fore (prout erant) interdicto supposita, celebrari quinimmo (quantum in eo fuit) profanari ausu temerario mandauit & fecit; & in multis guerris ac prælijs, in quibus nonnullæ ecclesiæ ac ecclesiasticæ personæ in eorum bonis & iuribus grauiter molestatæ & damnificatæ fuerunt, personaliter extitit, & ad ea frequenter suos subditos destinauit: & quod alias multipliciter contra processus prædictos Deum verum patrem & dominum, ac præfatam Romanam matrem & magistram fidelium, aliasque ecclesias & ecclesiasticas personas offendit, & non-

Stephani ducis veniam poscentis confessio.

nonnullarum ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum bona & iura indebite recepit, & etiam occupauit; propter quæ diuersarum excommunicationum, priuationum, inhabilitationum, in dictis & alijs apostolica seu alia quauis auctoritate factis & habitis processibus contentas, seu alias ab homine & a iure, ac constitutionibus prouincialibus & synodalibus ob præmissa latas & inflictas sententias atque pœnas, &, infamiæ notam damnabiliter incurrit, a quibus feruentibus votis absolui & liberari desiderat, ac ad eiusdem Romanæ ecclesiæ gremium (a quo imprudenter exciderat) reuocari, in eo tanquam deuotus filius perpetuis temporibus permansurus: & quod idem Stephanus non credit nec vnquam credidit, quod Romanus Imperator, etiam per dictam Romanam ecclesiam approbatus, Romanum Pontificem possit deponere, & eidem alium subrogare; immo credit & reputat, hoc asserere esse hæresim damnatam, ab ecclesia reprobatam: & quod nulli personæ vnquam consensit nec consentit, nec in futurum consentire intendit in aliqua hæresi: & quod paratus est omne schisma in persona propria abnegare, & tanquam de commissis huiusmodi vere pœnitens & contritus omnes pœnitentiam, satisfactionem, & emendam, quas sibi propter præmissa per nos vel alium seu alios duxerimus imponendas, pure, deuote, ac sincere acceptabit, aget, & perficiet cum effectu.

Damnat hæresim, quod Papa à Cæs. se exauctorari possit.

Ac insuper pro parte dicti Stephani nobis fuit expositum & oblatum, quod bona & iura, ac iurisdictiones quarumcumque ecclesiarum ac monasteriorum & ecclesiasticarum personarum, per eum seu eius nomine, mandato, auxilio, & fauore quomodolibet occupata & detenta illis, ad quos spectant, plene, libere, & expedite, ac realiter & effectualiter, omnibus dolo & fraude remotis, infra tempus per nos seu alios a nobis in hac parte deputatos seu deputandos præfigendum assignabit, restituet, tradet, & dimittet, ac per suos subditos & sequaces assignari, restitui, tradi, & dimitti faciet; nec ea vel eorum aliqua in posterum occupabit, nec per suos subditos aut alios suo consilio & fauore aliquo vel quæsito colore directe vel indirecte occupari permittet: & quod super omnibus & singulis præmissis deuote & efficaciter parebit mandatis ecclesiæ atque nostris: quodque nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, tanquam verus & catholicus Christianus, fidelis & obediens erit: & quod nullo tempore erit in liga, societate, seu confœderatione cum quibusuis hæreticis per dictam Romanam ecclesiam denotatis, seu etiam denotandis; nec eis seu eorum alicui per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, dabit aliquod auxilium, consilium, vel fauorem: & quod de terris suis, & eius administrationi subiectis & subijciendis vniuersos hæreticos per eandem Romanam ecclesiam vel eius auctoritate denotatos & denotandos exterminare & expellere pro viribus procurabit: & quod omnia & singula præmissa, pro eius parte nobis exposita & oblata & ex certa scientia & expresse ante absolutionem sibi ab huiusmodi processibus, pœnis, & sententijs impendendã, personaliter ratificabit, & in omnibus & per omnia approbabit, & de nouo confitebitur, recognoscet, promittet, & iuramento confirmabit: & quod præmissa oblata faciet & cõplebit, ac pro illis faciendis & complendis se & suos successores & bona efficaciter obligabit, & instrumentum publicum de huiusmodi ratificatione, approbatione, confessione, recognitione, & promissione, ac iuramento & obligatione, & alijs, quæ fieri contigerit in hac parte, totum tenorem præsentium continens, confici faciet, eisq; sigillo communiri; illudq; sic munitum statim, cum super hoc ex parte nostra fuerit requisitus, tradet & assignabit illi seu illis, quos in hac parte duxerimus deputãdos.

Bauaria damnanda spondet.

16 Quibus quidem expositione & oblatione (vt præmittitur) factis, & per nos benigne auditis & admissis, dicti Stephani, nec non dilectorum filiorum Guillelmi & Alberti ac Othonis fratrum ducum Bauariæ natorum dicti quondam Ludouici parte fuit nobis humiliter & reuerenter supplicatum, vt cum ipsi Guillelmus, Albertus, & Otho olim per venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Cameracensem auctoritate apostolica, sibi in hac parte commissa, a dictis sententijs & processibus, quibus ligati erant, fuerint absoluti; sed ex certis causis ecclesiarum & monasteriorum prælati, aliæque personæ ecclesiasticæ seculares & regulares, ac nobiles alijque laici terrarum de dicto ducatu, ad ipsos Guillelmum, Albertum, & Othonem spectantium, huiusmodi absolutionis beneficium non fuerint consecuti, & interdicta, quibus ecclesiæ, monasteria, & ciuitates, castra & alia loca dicti ducatus non fuerint relaxata; nos ipsi Stephano, nec non omnibus & singulis episcopis, abbatibus, alijsque ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum ecclesiasticorum prælatis seu rectoribus, ac clericis & ecclesiasticis personis secularibus & regularibus, nec non capitulis, collegijs, & conuentibus ecclesiarum & monasteriorum quorumcumque ordinum existant; nec non comitibus, baronibus, militibus, alijsque personis secularibus, cuiuscumque status & conditionis extiterint, ac communitatibus & vniuersitatibus ciuitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, & locorum prædicti ducatus, & aliarum quarumcumque terrarum ad ipsos fratres communiter vel diuisim spectantium, qui & quæ propter huiusmodi processus, contra iam dictum Ludouicum eiusque fautores & complices ipsisque adhærentes, obsequentes, & participantes factos & habitos, & eorum occasione sententias & pœnas in eis contentas seu alias quomodolibet incurrerant (qui similiter optant ad nostram & Apostolicæ sedis humiliter redire obedientiam & mandata) absolutionis, relaxationis, dispensationis, abolitionis infamiæ, & habilitationis, restitutionis, & alijs opportunis circa hæc beneficijs prouidere misericorditer dignaremur.

De reliquis sequacibus conciliandis ecclesiæ agunt Bauari.

Nos igitur, qui more pij patris emendationem & salutem semper appetimus delinquentium filiorum, dictorum fratrum nobis in hac parte humiliter supplicantium precibus inclinati, fraternitati vestræ, de qua in his & alijs specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus vestrum præfatum Stephanum, postquam ipse confessiones & promissiones suprascriptas in præsentia vestra seu alicuius vestrum personaliter & humiliter fecerit, & iuramento firmauerit, vt præfertur, & schisma quodlibet abnegauerit; ac etiam postquam ab eodem Stephano, quod ecclesias, monasteria, canonicatus, præbendas, & alia beneficia ecclesiastica, & alia omnia & singula castra, terras, villas, loca, iurisdictiones, iura, & bona quarumcumque ecle-

Data à Pont. venia.

clesiarum, monasteriorum, & aliorum ecclesiasticorum & piorum locorum, & ecclesiasticarum personarum, per eum seu eius nomine, mandato, promissione, consensu, auxilio, & fauore quomodolibet occupata seu detenta, ipsis ecclesijs, monasterijs, & locis seu personis, ad quæ seu quas spectant, plene, libere, & expedite ac realiter ad mandatum nostrum assignabit, restituet, tradet & dimittet, & assignari, restitui, tradi, & dimitti faciet, & ea redintegrari faciet ad illa, & de fructibus, redditibus, prouentibus, & bonis ex eisdem ecclesijs, monasterijs, canonicatibus, præbendis, & beneficijs, ac castris, terris, villis, & locis alijs occupatis & detentis occupationis & detentionis eorum tempore per eum vel alios suo nomine, mandato, promissione, consensu, auxilio, & fauore perceptis, & habitis, illis ad quos pertinent satis faciet, & satisfieri faciet, seu concordabit cum eis; & quod pro satisfactione iniuriarum irrogatarum, & damnorum per dictum Stephanum ac suos, & præfatorum Guillelmi & Alberti ac Othonis subditos de præfato ducatu Bauariæ Romanæ ecclesiæ prælibatæ illatorum, quandocumque per nos seu officiales ipsius Romanæ ecclesiæ in partibus Italiæ constitutos ijdem Stephanus & alij sui fratres fuerint requisiti, infra vnum mensem a requisitione huiusmodi computandum, ducentas barbutas seu armigeros equites, viros fideles & in equis & armis bene munitos, quorum medietatem dictus Stephanus & eius subditi, & alteram medietatem dicti sui fratres & eius & eorum subditi de præfato ducatu ad quascumque partes Italiæ eidem ecclesiæ contrarebelles & hostes ipsius & alias, prout fuerit expediens, fideliter seruituros destinabunt, eosque per sex menses integros & continuos vel interpolatos secundum eorumdem requirentium voluntatem, inchoandos a die qua ijdem armigeri intrabunt terras præfatæ Romanæ ecclesiæ, in huiusmodi seruitio retinebunt, eisque de stipendijs & emendis ac pagis duplis, si faciendæ occurrerint, prouidebunt suis sumptibus & expensis; & quod ipse Stephanus infrascriptis nostris mandatis faciendis eisdem deuote parebit, & ea inuiolabiliter per se obseruabit, & per suos posteros & subditos bona fide mandabit & faciet obseruari efficaces & solemnes promissiones & obligationes ac iuramenta nomine nostro & dictæ Romanæ ecclesiæ, & omnium quorum interest seu intererit receperitis, *& infra*, auctoritate nostra iuxta formam ecclesiæ absoluatis, imposita præfato Stephano, vltra prædictum subsidium militare, & singulis alijs, quos absoluendos duxeritis, prout eorum culparum & excessuum grauitas exegerit, & vestræ circumspectioni videbitur, pro modo culpæ pœnitentia salutari, ac iniunctis eis quæ de cætero de iure fuerint iniungenda, &c. *Dat. Auin. non. iulij pontificatus nostri anno x.*

Ducenti equites subsidiarij ab ijs exacti.

Alteritas pœnæ irrogandæ potestas episcopis delegatis reseruata.

Confirmata sunt hæc ab Vrbano datis ad eosdem præsules alijs, quibus superiores fuere insertæ, litteris, quibus hæc temporis nota adiecta est: *Dat. Auin. vi. kal. decembris pont. nostri anno I.*

Conciliatis ita ecclesiæ Bauaris omnibus, qui ob Ludouici partes secutas se schismate vel hæresi, varijsue censurarum nexibus irretierant, reliquiæ hæreseon Marsilij, Ianduni & Okami hæresiarcharum pestiferæ penitus euulsæ fuerunt, discissæque ecclesiæ partes felicissime redintegratæ coaluerunt, conferente Deo Christi meritis ecclesiæ Rom. triumphũ de hostibus, qui armis scriptisq; hierarchiã ecclesiasticam oppugnarant.

17 Implicito mutuis bellis occidente, ad promouendam expeditionem Asiaticam concitandosque Europæos Reges Petrus [a] Rex Cypri, partis de Turcis Asiaticis victorijs illustris, tertia decembris die Auenionem accessit. Venit etiam vna cum Cyprio B. Petrus Thomas gesta in oriente apostolica legatione amplificatoque Christi cultu clarissimus, quo hortatore Petrum Regem Ierosolymæ ab infidelium seruitute liberandæ pium ardorem concepisse, refert Philippus Maserius [b] regij scrinij præfectus: *Comitante*, inquit, *Rege Cypri, Auenionem reuertitur, vbi esset curia papalis, inuenitque Vrbanum eo nomine V. qui recenter fuisset creatus Pontifex: cui declarauit quemadmodum persuasisset Regi Cypri vt bellum moueret pro recuperanda Ierosolyma & sanctum eiusdem propositum. Hæc valde fuit cordi Papæ: & ille considerans recte viuendi consuetudinem, & melius institutum D. Petri Thomæ, summosque sumptus, quos in legatione fecisset, archiepiscopatum Cretensem ei contulit in sui status augmentum.* Subdit auctor, vt ad Italiæ pacandos motus, quo arma Christiana in hostes fidei auerterentur, adhibitus fuerit: de cuius laboribus eam ob causam susceptis, dicetur inferius. Offusus autem ingens terror est Saracenis ex hac Cyprij Regis in occidentem peregrinatione, & Christianos in Syria, Damasco, & Ægypto grauissimis malis affecere, ac plures in vincula coniecerunt. Ex quo, vt obseruat Matthæus Villanus [c] docetque experientia, elicitur huiusmodi sacræ in Mahometanos ineundæ expeditionis consilia ex arcano agitanda, ne pro vano terrore infidelibus tantum incusso veræ ab ijs clades Christianis, qui inter ipsos agunt, inferantur. De cætero huius cruceatæ expeditionis supremo duce Francorum Rege sequenti anno dicendum erit; nunc Granatensis belli historiam percurramus.

Regis Cypri in occidentem aduentus.
a Matth. Vill. l. 11. c. 34. Gesta Vrb. V. apud Bosq.
B. Petrus Thom. ex peditione in terram sanctam auctor.
b Epitoma M. S. gestor. B. Petri Th. ex Philip. Mazerio.
B. Coronensi episcopatu ad archiepiscopatum Cretensem translatus.
c Matth. Vill. super cap. 34.

18 Accepit hoc anno ineunte Petrus Castellæ Rex magnam a Ruffo Mauro Granatensi tyranno cladem [d], cum quo bellum gerebat, vt Mahomadem pulsum regno restitueret. Qua victoria elatus Ruffus excursiones in Castellam egit. At efferatus his iniurijs Castellanus, mox eluendæ susceptæ ignominiæ cupiditate potentissimo succinctus exercitu, in quo ad decem equitum & triginta peditum millia recensebat, irrupit [e] in Granatense regnum, ac pluribus oppidis est potitus. Quocirca terrore percussi barbari, ne Christianorum iugum subire cogerentur, Mahomadem suis vrbibus exceperunt [f]: ea rerum conuersione attonitus Ruffus Mahomadis æmulus deliniendum muneribus & obsequijs Castellæ Regem putauit; collectoque ingenti thesauro, Petro significauit [g], se in illius obsequium procumbere paratum: acceptoque, vt plerique aiunt, incolumitatis sacramento, Hispalim accessit: quem Petrus humaniter, vt visum est, fallaci eblandito vultu excepit. Tũ vna cum proceribus conijci in vincula iubet atque opibus ingentibus, ad octingenta enim aureorum millia attulerat, spoliat: ac nullo iudiciorum seruato ordine, vt erat ad insaniam sæuus, impositum asino, sequentibus illum pone quatuor proceribus, ac deinde alios vnum & quadraginta Mauros consiliorum participes fune ligatos in campum Hispalensem adduci iussit: in quos ipse carnificinam exerciturus vna cum suis cataphractus impulsis equis irruit; suaque manu Ruffum lancea transfixit, cæteri equorum pedibus momento obtriti. Tam sæuum & horridum spectaculum, violato gentium iure, Petrus

d Idem Vill. l. 10. c. 88. Marian. l. 17. de reb. Hisp. c. 5. Surit. 19. annal. cap. 37.
Castellæ Regis in Granatenses expeditio.
Mahomades ab ijs solio restitutus.
e Matth. Vill. l. 10. c. 89.
f Eod. cap.
g Cap. 97. Marian. l. 17. c. 5.
Petri Castellani immane facinus.

ludi specie dedit. Paulo vero post Mahomades Petri fiduciarium se professus a est, oblatis de Saracenorum more vrbium suarum signis, & Christianos omnea libertate donauit.

a Marib. Voll.l.10. cap.98.

Confecto ita bello Granatensi Petrus, cuius causa fœdus cum Aragonio pepigerat, contra iura gentium initam anno superiori pacem violauit b, traxitque in suas partes finitimos Reges ac principes. Carolus quidem Nauarræ Rex inferendi Aragonio belli eam occasionem obtendit c, sibi affini & fœderato in turbis Gallicis aduersus delphinum non lata auxilia. Vt vero imparatum Petrum Aragonium occuparet Castellanus, contracto exercitu Calataiubam obsidione cinxit: quam cum ciues strenue sustinerent, sæuus tyrannus demum ea potitus, ad sex & eo amplius hominum inermium millia trucidauit d. Cum tacentem in se ferrum eiusmodi vidisset Aragonius, a qua ob pactam Guidonis Cardinalis legati opera pacem se tutum putabat e, Henricum & Tellium Castellani fratres spurios vna cum Gallorum vagia turmis exciuit; de quibus hæc M.S. Vaticani auctor refert f: *De mense augusti societas prædicta, quæ depopulata est Franciam & Burgundiam, recepta pecunia a Rege Franciæ recesserunt de Francia, & transitum faciebant per Villamnouam Auinionensis diœcesis, ituri in auxilium Regis Aragonum contra Petrum Regem Hispaniæ: contra quem fuerunt eodem tempore processus publicati & portis ecclesiarum affixi, quos dominus Bononiensis Cardinalis fecerat, eo quod pacta per ipsum Cardinalem, cum esset legatus, ordinata non seruauit.* De horum in Castellam irruptione inferius disseremus: nunc claudemus hunc annum nonnullis ab Vrbano gestis, quæ silentio non sunt visa prætereunda, ex vitæ illius scriptore g in medium adductis.

b Lib. 11. c.11 Marian.l.17. c.6.
c Sur. l.9. annal. c.40.
Aragoniũ bello appetit.
Carnificinam exercet in innocentes.
d Vill. super c.18.
e Marian. sup.c.6.
f M.S bib. Vat. sign. n.3765.
Socialis exercitus in Castellam e Gallia eductus, Iudicio postulat° Castellanus.

19 *Dictus*, inquit, *Vrbanus Papa modo præmissa electus, consecratus, & coronatus, satis cito dominum Guillelmum Bragose S. Georgij ad velum aureum diaconum Cardinalem ac maiorem pœnitentiarium, virum vtique satis grandæuum, qui per prius in studio Tolosano doctor solemnis decretorum existens omnibus cathedram doctoralem ad peritiam instructionem seu informationem plurimorum rexerat, in presbyterum Cardinalem ordinauit, sibique titulum presbyteralem assignauit, videlicet S. Laurentij in Lucina: ad quod faciendum præcipue motus extitit Romano officio pœnitentiariæ, quod presbytero magis quam diacono conuenire iudicauit. Ad ecclesiam insuper Auenionensem, quæ diu pastore caruerat, cum per duos prædecessores suos pro suis & ecclesiæ necessitatibus vacans continue retenta fuisset, promouit dominum Anglicum Grimoardi priorem Dignensem fratrem suum de quo quasi communiter dicebatur, quod in omni probitate, honestate, religionis obseruantia, ac discretione seu circumspectione naturali cum literatura conuenienti ordo sunt, scilicet canonicorum regularium, etsi sibi pares haberet paucos, tamen excedentes vero nullos. Qui etiam suo tempore & successiue vltra bona multa, quæ fecit in ecclesia memorata, in Auenione a solo ædificauit monasterium cum officinis & habitationibus necessarijs pro monialibus de Furnis ordinis S. Benedicti, quæ prius erant ab extra collocatæ in suo loco campestri & aperto: deditque eis multa bona, & reliquias aliquarum sanctorum, specialiter S. Luciæ * munitum & incassatum in argento. In Aptensi etiam ciuitate a solo ædificauit & dotauit monasterium monialium ordinis Cisterciensis, & in Montipessulano monasterium canonicorum regularium sub nomine S. Ruffi, in quo constituit certum numerum canonicorum, qui Deo ibi seruirent, & nihilominus intenderent circa studia literarum; dotauitque collegium huiusmodi de redditibus & prouentibus satis sufficientibus ad sustentationem dictorum canonicorum, quibus etiam prouidit de pluribus bonis, libris, ac alijs ornamentis pro diuino seruitio, & sui continuatione studij necessarijs & opportunis.*

g Gesta Vrb. V. apud Bosq. Guill. Bragose presbyter Cardinalis.
Anglicus Grimoaldus Pont. frater creatus episc. Auenion.
Pia eiusdem opera.
*munitas & incassatas

IESV CHRISTI

Annus 1363.

VRBANI PP.V. annus 1.	CAROLI IV. IMP. OCC. 18. IO. PALAEOL. IMP. OR. 23.

1 OBscuratæ religioni pristinum splendorem restituere meditatus Vrbanus Pontifex, Italicos tyrannos, nullo discrimine sacra profanaque euertentes, domandos suscepit anno humanæ salutis millesimo trecentesimo sexagesimo tertio indictione prima. Quod consilium Germaniæ episcopis, a quibus subsidiarium aurum expectabat, his verbis patefecit a: *Prædecessore, sicut Domino placuit, de hac luce subtracto, ad apicem (licet immeriti) summi apostolatus assumpti, volentes & etiam non valentes huiusmodi prauitatem hæreticam, ac cleri & aliorum fidelium ac ecclesiarum oppressiones, iniurias, offensas, ac excessus & alia scelera, quæ etiam, dum essemus in minoribus constituti, oculate cognouimus, quæque in tantam diuinæ maiestatis offensam, dictæ sedis contemptum, catholicæ fidei præiudicium, ac enormissimam eiusdem Romanæ ecclesiæ læsionem cedere dignoscuntur, sub dissimulatione transire, prædictos cœpimus continuare processus, ipsosque sub potentia diuina fiducia intendimus, prout ex debito tenemur pastoralis officij, viriliter prosequi, & ad laudem diuini nominis ac exaltationem ipsius catholicæ fidei recuperationem iurium eiusdem ecclesiæ, cunctorum exultationem fidelium, & ipsorum hæreticorum exterminium, Deo faciente, salubriter terminare, &c. Dat. Auin. III. kal. februarij anno 1.* Attriuerat inter alios Bernabos Vicecomes grauissimo iugo Insubres, & cum Bononiam atroci bello peteret, officiorum tamen signis inanibus dolos subornabat: vocatus enim in ius, Auenionem oratores amplissimos miserat b honorem impensuros, qui nouis Pontificibus a Christianis principibus exhiberi consueuit, pangendæq; pacis specie adhibuit iterum Ioannem Francorum Regem, vt concordiæ interpretem ageret c; quas partes Bernabonis mendacijs ac dolis circumuentus idẽ Rex suscepit. E quibus vt se Pontifex expediret, Aegidium Cardinalem in Italia legatum hoc responso docuit d: *Solitas Mediolanensium malitias cognoscentes, tam loquentibus pro parte dicti Regis, quam ambassiatoribus respondimus, quod nullum tractatum vellemus audire, nisi castra districtus Bononiensis prius libere restituantur ecclesiæ prælibatæ, ac idonee caueatur, quod de clericis & ecclesiasticis personis terrarum, quas regunt & eorum bonis se nullatenus intromittent: & eo casu omnem tractatum concordiæ ad tuam, & dilectorum filiorum colligatorum cum dicta ecclesia prouidentiam remittemus, &c. Dat. Auin. kal. februarij anno 1.* Aspernatus est Bernabos iusta Pontificis postulata, quippe qui non iniuste occupata dimittere, sed proferre vlterius ambitionem meditaretur.

Vrbani curæ ad reprimẽdos tyrannos.
a An.1.ep. com.9.
Bernabos de pace colloquiũ redintegrat.
b Tom.3. ep.secr. pag.82.
c Ibid.
d Ibid.
Exigit Vrbanus, vt ecclesiæ fœderatorumq. ditione abstineat.

2 Indicta superiori anno excisse, vt vidimus, Bernaboni die, cũ spargerent in vulgus eius oratores, ip-

ipsum ad causam suam defendendam accessurum, atque ideo iudiciarius ordo fuisset extractus, demum cum dies adesset a, purpuratorum patrum sacer senatus coactus est; ac Stephanus S. Mariæ in Aquiro & Hugo S. Mariæ in porticu diaconi Cardinales ad fores palatij missi a Pontifice, qui Bernabonem, vt se apostolicis subsellijs sisteret, appellarent: tumque Gualdisius Louixellius se Bernabonis procuratorem esse affirmauit, vt in iudicio responderet. Sed eum eam auctoritatem sibi collatam non probaret, atque exceptiones excusationesque inanes afferret, Vrbanus hac Bernahonem pœna defixit b.

Viget in eum iudiciorum seueritate.
a Vrb. to. 1 ep. secr. pag. 215.
b Matth. Vill. l. 11. c. 41. Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Quia idem Bernabos in reprobum sensum datus, imitatus Pharaonis duritiam cor saxeum sibi fecit. spernens ad gremium ecclesiæ præfatæ redire, ac mala malis accumulans, claues ecclesiæ ausu temerario contemnendo; non tantam diuinæ maiestatis offensam, tantumque clauium prædictarum contemptum nequeuntes salua conscientia amplius tolerare, Christi cuius, licet immeriti, vices in terris gerimus nomine inuocato, de dictorum fratrum consilio eundem Bernabonem, sicut prædicitur, per dictum prædecessorem nostrum citatum, vt de fide responderet, necomparere curantem, & propter eius contumaciam in dicta causa fidei excommunicationis vinculo innodatum (quam per annum & annos, vt præfertur, animo sustinuit pertinaci) per hanc nostram sententiam dicta auctoritate apostolica velut hæreticum condemnamus, decernentes & declarantes ac nunciantes eundem Bernabonem militari cingulo ac omnibus honoribus, priuilegijs, libertatibus, immunitatibus, bonis, & iuribus suis vniuersis & singulis fore priuatum, ac vniuersis pœnis & sententijs per sanctiones canonicas & ciuiles promulgatas aduersus hæreticos subiacere, & eum velut hæreticum & ab ecclesia Dei præcisum ab omnibus Christifidelibus euitandum. Omnes insuper & singulos, qui in posterum ipsi Bernaboni fauebunt, ipsumque defendent seu receptabunt, tanquam fautores, defensores, & receptatores hæreticorum esse censendos, ac pœnis & sententijs, quibus subijciuntur fautores, defensores, & receptatores hæreticorum existere obnoxios & subiectos, &c. Actum & datum Auin. in palatio apostolico v. non. martij pontificatus nostri anno 1.

Damnatur hæreseos nota.
Constitutum ei pœnę hæreticis incussæ.

3 Transmissa est c huius sententiæ formula ad Italiæ, Germaniæ, & Galliarum præsules, vt eam in templis coram circumfusa populi multitudine diuulgarent, cuius perstringit præcipua capita Matthæus Villanus d: ac narrat, Pontificem ea pronuntiata assurrexisse e solio, atque in genua procubuisse, iunctisque & sublatis in cælum manibus, orasse Christum, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, atque vniuersam cælestem aulam, vt quibus vinculis crudelem & infidelem tyrannum ipse tanquam Dei vicarius constrinxerat in terris, illum in cælis illigarent, opemque ecclesiæ e cælo explicarent. Nec secuti successus iniectas a Pontifice spes fefellere. Meminit de eo M.S. Vaticanum e his verbis: *Martij die tertio in consistorio publico declaratus fuit hæreticus dominus Bernabos Mediolanensis, & non longe post perdidit conflictum prope Bononiam.* Ad Mutinam Bernabonem magna clade a fœderatis ecclesiæ principibus mense aprili profligatum, narrat Matthæus Villanus f; de qua parta victoria Pontifex Nicolao marchioni Atestino, quem tyrannus opprimere in eo bello affectabat, his literis est gratulatus g:

c To. 1. ep. secr. pag. 215. & 251.
Petitum ad sententiam mandandam operi Idiuinū præsidium.
d Matth. Vill. super c. 41.
e M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765.
Magna clade profligatus Bernabos.
f Matth. Vill. l. 11. c. 44. Pigna de Aest. princip. l. 5.
g To. 1. ep. secr. pag. 143.

Dilecto filio nobili viro Nicolao marchioni Estensi, in ciuitate Ferrariensi & eius districtu pro nobis & ecclesia Romana vicario, salutem.

Grandis lætitiæ iubilum transmissæ nobis tuæ nobilitatis literæ continentes victoriam, quam nuper gentibus sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac tuis & aliorum cum ipsa ecclesia ligatorum de illo hæretico Bernabone de Vicecomitibus, suisque sequacibus & defensoribus exercituum Dominus sua pietate concessit, nobis & nostris fratribus attulerunt. Licet enim de strage redemptorum Christi sanguine non lætemur, sed potius doleamus ab intimis; de confusione tamen dicti Bernabonis impœnitentis & perfidi, suorumque sequacium, quorum fretus auxilio contra Deum & fidem catholicam præfatamque ecclesiam elationis suæ non veretur erigere cornua, merito in Domino gratulamur. Proinde itaque laudes & gratias referentes Altissimo, potentiæ suæ mirabilis dextera dispergenti superbos, & suam ecclesiam eiusque deuotos filios exaltanti, diligentiam tuam de celeri notificatione dictæ victoriæ commendamus, ac deuotionem tuam aliorumque colligatorum huiusmodi hortamur & rogamus attente, vt tu & ipsi colligati contra dictum hæreticum & defensores eiusdem cum gentibus præfatæ ecclesiæ ac vestris tanto promptius procedatis, quanto ipsos hostes existimare deberis magis esse attonitos, & ipsorum potentiam vergere in ruinam; quantoque de prosperis futuris successibus amplius in humilitatis spiritu sperare debetis, brachium Domini vobis assistere certiori experientia sentientes. *Dat. Auin. v. kal. may anno 1.* Affectus ea clade Bernabos ambiendæ ecclesiæ gratiæ speciem præ se tulit a: quare Pontifex ad illum, si pœniteret scelerum, in sinum ecclesiæ admittendum paratissimus legatum Cardinalem spondendæ vis auri, & ecclesiastica vectigalia & oppida pignori subijciendi potestate auxit, pacisque leges ex fœderatorum consilio constituendi b; ea tamen conditione, vt Bononiensis comitatus oppida a Bernabone occupata ecclesiæ restituerentur c: sed fractus tyrannus blandiebatur his artibus, vt opportunius noceret: dolosque struxit, vt fœderatos ecclesiæ ab illius societate diuelleret, belloue implicaret.

Partam victoriam Atestino gratulatur Pontifex
a To. 1. ep. secr. pag. 175.
b Ib. pag. 146.
c Pag. 147.

4 Indixit itaque, vt ante decreuerat d, Vrbanus crucesignatam aduersus Bernabonem expeditionem, ac breui verborum compendio immania illius flagitia, atheismum scilicet, vt qui Numinis diuini potentiam sibi in Mediolanensi principatu arrogaret; impietatem in præferenda sua auctoritate pontificiæ in conferendis sacerdotijs, & crudelitatem in sacerdotibus nouis suppliciorum generibus excarnificandis, afficiendo atrocibus iniurijs Mediolanensi archiepiscopo, fouendis ecclesiæ hostibus, & expugnanda eius ditione tyrannidem in luce collocauit e. Neque in Italia modo, verum in Germania quoque & alijs regnis sacrum illud bellum promulgatum: & concionatores, quo maius subsidiarium æs in belli Mediolanensis sumptus a fidelibus possent elicere, insignibus prærogatiuis sunt instructi; de quibus hæc ad Ægidium legatum scripsit f: *Negotium prædicandi verbum crucis contra eum incœpimus recensere, ac de prædicatoribus deputandis in Alamannia primo, & deinde in alijs partibus ordinare: tuaque fraternitas in totius Italiæ partibus secundum commissionem nostram, quam eidem fraternitati direximus, procedat ad prædicationem huiusmodi, cum videris expedire: nosque alias literas super certis casibus, de quibus prædicatores,*

Indicta in Bernabonē expeditio.
d Pag. 98.
e An. 1. ep. com. 6.
f To. 1. ep. secr. pag. 214.

absoluere poterunt, de proximo transmittemus: nec ad prædicationem crucis in negotio vltramarino permittemus procedi, sicut hoc charissimis in Christo filijs nostris Ioanni Franco & Petro Cypri Regibus illustribus prædiximus, nisi dicti hæretici negotio per bellum vel conuersionem expedito, quorum alterum dignetur concedere misericordia Saluatoris. Dat. Auin. v. id. iulij anno 1. Censebat Pontifex, non successuram e sententia orientalem expeditionem, nisi pacata esset Italia; atque, ecclesia Bononiēsi bello libera, illi vacare posset.

Sacrum bellum in Asiaticos dilatum donec Bernabos redactus foret ad officium.

Frācus vero & Cyprius Reges recuperādæ Syriæ cupidissimi oratores ad Bernabonem misere, qui illum ab infestanda ditione ecclesiastica renocarent; sed ipsos flectere tyrannum ad æquitatem non potuisse, Ioanni Regi Francorum significauit a subiectis literis Pontifex.

a Eod. to. 1. ep. secr. pag. 209.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Ioanni Regi Franciæ illustri.

Dilecti filij nobiles viri Rogerius de S. Seuerino Comes Mileti, ac Philippus de Molinis licentiatus in legibus ambaxiatores tui ad partes Italiæ destinati, nuper ad nostram venientes præsentiam retulerunt, quod ipsi, & alij ambaxiatores charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Cypri illustris, ad illius maledictionis alumni, & hæretici detestandi Bernabonis de Vicecomitibus primo, & deinde ad venerabilis fratris nostri Aegidij episcopi Sabinensis A. S. L. præsentiam accedentes, eis illa, quæ super negotio reconciliationis dicti Bernabonis ambaxiatoribus ipsis sua & dicti Regis Cypri celsitudo commiserat, fideliter exponere curauerunt. Sed idem Bernabos in sua obstinatus duritia regiam benignitatem, quæ suam hominis vtriusque salutem, ac status prosperitatē solicitis procurabat studijs, non agnoscens; immo ex hoc vnde humiliari debuerat, spiritum maioris elationis assumens, vt bene ageret intelligere noluit, & quæ sibi tua & dicti Regis suadebat serenitas, facere recusauit: dictusque legatus ordinationem tuam & eiusdem Regis libenti animo, ac promptis effectibus se obtulit impleturum, prout venerabilis frater noster . . episcopus Niuernensis etiam ad hoc ambaxiator tuus tibi latius forte iam retulit, & idem Philippus referet oraculo viuæ vocis.

Gallus & Cyprius Reges flectere ad officium Bernabonem tentant.

De eius superbia.

Ex præmissis igitur, fili charissime, potes agnoscere, quod ea, quæ dicti Bernabonis nuntij tibi, dum tu & ipsi aratis apud Romanam curiam, regiæ sublimitati obtulerunt, & etiam suggesserunt, fuerunt ipsorum & dicti Barnabonis, a quo emanabant, deceptiones & mendacia consueta; & quod idem peruersus hæreticus, Deum & sanctam ecclesiam sponsam suam perfida temeritate contemnens, etiam illustribus Regibus illudere non veretur: & quod eandem ecclesiam matrem tuam & vniuersorum fidelium, quam sponsus eius dominus noster Iesus Christus non dereliquit hactenus, nec relinquet in posterum, nititur (licet incassum) suis prauis conatibus subiugare. Nos autem tuæ deuotæ magnitudini, quæ in hac parte fidelibus studijs laborauit, proinde multiplices grates referimus: & sicut per nos & dictum legatum non stetit, quin impleta fuerint & impleantur illa, quæ tua & dicti Regis circumspectio in huiusmodi pace facienda prouidit; sic nec stabit etiam in futurum. Cæterum quia sic sæui hostis superbia semper ascendit, & eius exterminationi locus relinquitur, cum ab ipso indurato qualibet prædicatio contemnatur, & per ipsum Bernabonem, in sua proteruia & potentia consistentem, negotium vltramarini passagij, quod promptis ac deuotis affectibus assumpsisti, impediatur indubie; serenitatem eandem rogamus attente, quatenus ecclesiæ prædictæ negotia contra dictum hostem Dei & ipsius ecclesiæ tanto habere digneris fauorabilius commendata, quanto ipsius hostis superbam nequitiam plus agnosces. *Dat. Auin. non. augusti anno 1.*

Illusisse Regibus ostēditur.

6 Tulit grauate Ioannes Francorum Rex Bernabonis affinis improbitate expeditionem Asiaticam, cui se deuouerat, disturbari; viresque omnes, vt concordiam redintegraret, contulit. Coniunxit etiam operam Cyprius Rex sacri belli auctor, quibus alij Christiani Reges fauebant, ac pertimuit Mediolanensis, ne vniuersorum Christianorum odia & arma in se concitaret. Egit itaque de concordia cum Vrbano, qui ea de causa Andruinum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem, ob pacem Anglos inter & Gallos firmatam clarissimum, Apostolicæ sedis legatum in Insubriam vergente anno misit a; instruxitque auctoritate, vt Bernabonem omnibus cēsuris ac pœnis, quibus erat deuinctus, exolueret. De pace cum Bernabone ineunda moniti sunt nonis decembris principes fœderati b Scaligeri Veronenses, Gonzagæ Mantuani, marchiones Atestini, & Carraria Patauinus; si vero pax exitu carebit, pontificias omnes vires in Bernabonem conuersum iri: qui etiam, vt Andruino legato animis coniuncti essent ac iussis parerent, rogati c. Vtque facilius Andruinus sancire cum Bernabone fœdus posset, pluribus a Pontifice est ornatus priuilegijs d, ac Bononiensis legatio, quam Aegidius Albornotius maxima laude hactenus gesserat, in eum transfusa e, vt Bernaboni, qui ab Aegidio vehementer abhorrebat, id daret: extantque ad Bononienses literæ f, vt Andruino obsequantur. Aegidius etiam Cardinalis quos in vinculis hostes tenebat, illi tradere iussus g. Vt vero feliciter præcipua Francorum & Cypri Regum contentione, quo occidentis arma in Syriam traducerentur, pax reuocata sit, sequenti anno dicetur.

De Bernabone cōmunibus armis ob ruendo agitatum.

Missus in Ital. Andruinus Card. legatus.

a To. 2. ep. secr. pag. 28. & 30.

b Ibid. pag. 32. 33. 34. & 43.

c Ib. pag. 38. & 39.

d An. 1. ep. cur. a. ad 24. & a 22. ad 34.

e To. 2. ep. secr. pag. 37. & 38.

f Ibid.

g Ib. pag. 42.

Incubuit eandem ob causam Vrbanus summo studio ad alia Italica bella pacanda: vtque a Patauino ducamus exordium, de quo superius est facta mentio; exortum illud fuerat Mediolanensis occasione, cum nimirum Bernabos in Franciscum Carrariam Patauij præfectum Venetos exasperasset: intentata enim a Venetis Francisco lis est de certis salinis, quas mox ij armis occuparunt. Lacessitus vero a Venetis Carraria causæ suæ æquitate fretus, se ad experiundum iudicio ius, ac legibus cōtrouersiam dirimendam paratum obtulit. Cui Pontifex non defuturum est pollicitus h: ac Laurentium Celsum, qui Delphino in Venetæ publicæ rei administratione successerat, est adhortatus i, ne ad Bernabonis gratiam Franciscum Carrariam bello appeteret, iniustamue causam contra dignitatis suæ decus susciperet, obscuraretue veteres Venetorum laudes, quas paucis hisce verbis delibat: *Inter omnes populos, qui sub professione Christiana censentur, populus cui præes de zelo sacræ fidei, deuotione ad sanctam Romanam ecclesiam, cultu iustitiæ, singularique in suis actibus grauibus grauitate, ac prudentia commendatur: de patientiaque tanta laudatur, quod dicatur, potius sustinuisse aliqualiter prius lædi, quam lædere inceps-*

Patauinis & Venetis conciliandis data opera.

h To. 1. ep. secr. pag. 223.

i Pag. 198

Venetorū laudes.

pisset. Ex harum siquidem præconialium agro virtutum, a bonis seminato veteribus, & vsque ad nouissimos bene culto, non solum odor bonæ famæ progreditur; sed, vt pie ac probabiliter existimatur, fructus pacis, libertatis vbertas, potentia magnitudo, et diuitiarum copia eidem populo singulariter prouenerunt, vt de ipso merito dici possit, quod sit populus, cui Dominus benedixit. Tum repetitis *a Pag. 218* literis exposuit a, vt ipsos a cœptis reuocaret: non tutum, neque ipsorum gloriæ congruum, tuendi hominis hæretici causa ecclesiam lacessere nullum ad ipsos commodum ex illius patrocinio atque aucta potentia deriuatum iri: patere Bernabonis ambitiosa consilia, qui tyrannidem proferre, & finitimos quosque sibi subijcere meditetur: si in eius potestatem veniret Bononia, ipsum in Ferrariam belli molem versurum; qua expugnata Venera respublica in discrimen adduceretur: addiditque preces, ne expeditionem Asiaticam, quam promouere deberent, disturbent: neque ita virium magnitudini præfidant, vt iustitiam violare, partesq; ecclesiæ oppugnare, vel Carrariam quamuis imparem ipsorum potentiæ opprimere aggrediantur. *Sopita lis Patauina.* Assensit amantissimis & prudentibus consilijs senatus Venetus, ac pacem cum Francisco Carraria Patauij Caroli Imperatoris nomine præfecto composuit: de qua certior factus a Laurentio Celso duce Vrbanus, summas illi gratias egit b.

b Eod. to. 8. ep. secr. pag. 243. c Ib. pag. 255. & 256. d Pag. 255 e Pag. 254 et 260.

Interpositum pariter studium ab Vrbano est, pro discordia inter Galeatium Vicecomitem Bernabonis fratrem, & Ioannem marchionem Montisferrati sopienda; ad quos hortatoriæ ad pacem extant datæ literæ c: tū ad Amedeum d Sabaudiæ comitem & Marcum supremum Minoritarum præfectū e, vt fœderis interpretes inter ipsos agerent. *Pacandis alijs Italorū principum dissidijs insudatum.* Data etiam eidē Marco prouincia, vt Galeatium cum episcopo Vercellensi, cui Burgellę & S. Agathæ oppida ad Vercellensem episcopatum spectantia eripuerat, in concordiam adduceret: tum etiam inter dictum Amedeum comitem g & illius auunculum marchionem Motisferrati, quos ad mutuum amorem est adhortatus, dissensiones extinguere studeret: *f Pag. 264 g Pag. 205. & 215. h Pag. 221* Exagitabat atrocior discordia Florentinos & Pisanos, atque Etruriam ferro, flamma, rapinis fœdabat, h de qua Matthæus Villanus i, Leonardus Aretinus l, & alij pluribus agunt. *Florentinos inter ac Pisanos discordia. i Matth. Vill. l. 11. c. 37. 39. 40. 45. ad 53.* Quæ mala vt tolleret Pontifex, Petrocini archiepiscopi Rauennatis & Iacobi Muti opera vsus est m.

7 Augebat belli calamitates epidemiæ sæuitia quæ Pisanos ac Florentinos depascebatur: atque ex ea Pontifex ad vtrumque populum in concordiam reuocandum occasione sumpta obiecit Florentinis, n si nō ex belli cladibus ad ponendas iras flecterentur, saltem ne diuinas in se amplius exasperarent iras, pestilentiæ atrocitate terrendos: *Epidemia vexatur Etruria. l Leonard. Aret. l. 8. m To. 2 ep secr. pag. 206. 93. et 270. n Ib. ep. 593.* quid enim de ambobus populis olim florentissimis sperandum, si dum morbus ipsos absumit, in ancipiti mortis periculo, laxatis furori habenis, se mutuis cædibus conficiant? cum maxime alia bella, in quibus diuina propaganda gloria & cœlestes coronæ acquirendæ, a fidelibus suscipienda sint.

Vrbanus, &c. regiminis & consilio & communi ciuitatis Florentiæ.

Hæc si eorundem malorum punctura considerare non excitet, saltem diuinæ flagellationis iudicium, epidimiæ scilicet depopulatricis humani generis, quæ tam vestros quam eorundem Pisanorum fines inuasit, deberet induratos ani- *Suadendæ pacis inde sumpta occasio.*

mos terrore concutere, & a sua pertinacia reuocare: alia nempe bella, vtique grata exercituum Domino, & opportuna fidelibus, modernis temporibus sunt gerenda, in quibus deuoti Christiani pro Deo & statu fidei tota deuotione totisque debent nisibus laborare, ac exponere se & sua, insurgendo videlicet contra hæreticos, aut contra infideles persecutores nominis Christiani, quorum alios sancta mater ecclesia de præsenti persequitur, & alios persequi cum potenti brachio Regum & principum aliorumque fidelium prouida ordinatione disponit. *Vertenda in Saracenos arma.* Istisque bellis dominicis pendentibus, magis pudere debet sanguine redemptos Iesu Christi agitare se inuicem congressibus bellicosis, ac non pugnare pro illo, qui pro saluatione totius humani generis pugnauit contra hostem, a quo idem genus tenebatur miserabiliter captiuatum, & de ipso triumphauit in cruce per proprij sanguinis sparsionem. Cauete igitur, filij, ne verbum Altissimi dictum per prophetam, videlicet, *Dissipati sunt, nec compuncti*, sub comminatione tremenda de vestra duritia repetatur, &c. *Dat. Auin. kal. iunij anno 1.* Fuisse Florentiam pestilentia hoc anno admodum diuexatam, refert Matthæus Villanus a; in qua idem auctor perijt, vt ipsius filius Philippus b narrat, qui paternum opus perducere aggressus est ad Pisani belli exitum: at historiæ scribendæ peritia parenti Matthæo, & Ioanni consanguineo impar admodum fuit. *a Matth. Vill. l. 11. c. 37. b Philip. Vill. super lib. c. 60.* Neque Etruria modo, verum Veneta etiam ditio, Istria, Dalmatia, ac præcipue oriens, Syria, & Aegyptus funeribus oppletæ sunt. Meminit de ea lue ac Florentino bello Petrarcha his verbis c: *Tertius hic annus*, nempe a sexagesimo supra millesimum trecentesimum, *ex ordine ab initio malorum sextusdecimus, multas quidem vrbium nobilium, inter quas & Florentiam, reinuasit: quam sic præsens æstas exercuit & afflixit, vt parum sextadecima retrocedat æstati, cui accessit ad domesticam cladem belli furor externi: quod varie cum Pisanis gestum magna partis vtriusque pernicie & maiore periculo, nunc maxime dubijs pendet euentibus.* *c Petrarc. l. 3. rer. sen. ad ep. 1. Florentia grauibus cladibus atterita.* Hæc Petrarcha mense septembri huius anni scribebat. De conciliatis porro post acceptas illatasque plures clades Florentinis & Pisanis agemus inferius.

Cæterum impulerat Pontificem inter cæteras causas grauissimas ad pacandam Italiam transferendæ in Vrbem sedis desiderium, quod Romanorum id flagitantium oratoribus aperuit, datisque etiam ad senatum populumque litteris commendauit d: *Restituere Vrbi sedem meditatur Vrbanus.* *Super aduentu*, inquit, *nostro ad Vrbem desiderium nostrum, prout latet in corde, ipsis ambassiatoribus aperuimus confidenter: quod impleretur celeriter, si quædam ingruentia impedimenta non modica, quæ eisdem ambassiatoribus diximus &, vt speramus, tollet Altissimus, non obstarent. Dat. Auin. x. kal. iunij anno 1.* *d To. 3. ep. secr. pag. 150.*

8 Decreuit ad Vrbanum hoc anno Ioanna Regina Siciliæ oratorem Nicolaum Vrsinum comitem Nolanum, vt vectigal penderet, censurisque, quibus ob illud non solutum nec præstitam clientelatem sponsionem erat irretita, solueretur. *Ioanna Regina Sic. censuris soluta.* In quam Pontifex clementiam explicuit d. Tum ad Siciliæ alendam pacem Iacobum Baleares sine re titulos gerentem, qui Ioannam vxorem acceperat, initasque antea cum ea pactiones de non affectanda Neapolitana corona, neque imponendis arcibus præsidijs seruare detrectabat (ex quo illum inter & Gallicæ stirpis *d An. 1. ep. com. 195. Iacobus Balearis cum ea dissidet.*

prin-

principes seditionum discrimina impendebant) admonuit a, ne assentatorum susurris subornari se pateretur: *Serenitatem*, inquit, *tuam paterna charitate monemus, ac hortamur & rogamus attente, quatenus prudenter attendens, quod adulator est blandus hostis, quodque huiusmodi assentatorum peruersa malitia habet iucunda principia, sed exitus solet parere tristiores; & quod contra promissiones easdem absque graui scandalo venire non posses; quodque si aliquid contra premissa huiusmodi attentares, sedes prædicta exinde grauiter læderetur, & forsan vnde tui status sperares augmentum, sinistro euentu sentires verisimiliter detrimentum; suggestores eosdem non audias, sed repellas, ac de statu tibi a Deo concesso sic humiliter contenteris, quod ille, qui exaltat humiles, prout iam in persona propria probausti, & alta cognoscit a longe, eorum videlicet superbiam supprimendo, statum tuum iusta & honesto incremento, quod patienter expectes, augere sua largitatis dextera voluntur. Dat. Auin. III. non. septembris anno 1.* Non demisit in animum hæc monita Iacobus, sed postea vxorem deseruit, abijtque in Hispanias sub Petro Rege Castellæ stipēdia facturus, captusq; ab hoste vinculis traditus est, vt suo loco dicetur.

a To. 1. ep. secr. pag. 144.

Monitus, vt inita pacta seruet.

9 Cum vero is paterni regni ex Aragonum Regis manibus vindicandi causa Vrbanum communem omnium Christianorum parentem ac iudicem appellasset, vt causæ suæ æquitatem tueretur; Pontifex ad extinguenda bellorum semina Aragonium hortatus est, vt cum nepote, qui acceptas iniurias ex animo delere paratus erat, concordiam componeret.

Intendit litē apud Pont. de regno Balearico.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

Dilectus filius magnificus vir Iacobus infans Maioricarum illustris, nepos tuus, nuper nobis fecit exponi, quod cum ipse inimicitiarum, quæ inter tuam serenitatem, ac claræ memoriæ Iacobum Regem Maioricarum genitorem suum illas (satore zizaniæ seminante) fuerunt, ac pœnarum carceris, aliarumque iniuriarum, quas a te asserit recepisse, dispositus sit obliuisci totaliter, illasque ex toto remittere, si tuæ beneuolentiæ gratiam valeat obtinere, geratque in votis, te non solum vt auunculum, sed vt patrem charissimum filialiter reuereri, & cum amicis suis tuæ sublimitati fideliter adhærere; apud serenitatem eandem dignaremur nostras partes apponere, vt eum ad gratiam, & beneuolentiam tuam reciperes, ac regnum Maioricarum, & comitatum Rossilionis & Ceritaniæ ad ipsum spectantia, quæ tenes, sibi restituere dignareris. Nos autem inter omnes Christi fideles, præsertim inter principes, & potissima iunctos sanguinis vinculo, vigere charitatem & pacem præcipuis desiderijs affectantes; ac firmitati & prosperitati eiusdem tui culminis expedire credantes, quod idem infans ad tuam beneuolentiam reducatur, & quod ex contrario (quod absit) maiora possent scandala prouenire; magnitudinem tuam rogemus attente, quatenus prouide, menteque quieta præmissa considerans, eidem infanti te reddas placabilem, benignum, ac etiam gratiosum, dando viam & ordinationem, quibus de prædictis, vel alijs rationabilibus & vtilibus circa ea tractari commode valeat, eaque feliciter, Domino adiuuante, disponi: nos enim pro bono & pace vtriusque vestrum, quia vtrunque brachijs sinceræ charitatis amplectimur, in his offerimus paternis studijs laborare. *Dat. Auin. kal. decembris anno 1.*

Monitus Aragon. vt litem cōponat.

10 Recrudescenti etiam veteri discordiæ Petrum Regem inter ac Genuenses occurrere Vrbanus studuit, illumque vt oratores ad sedem Apostolicam pro ea componenda mitteret, est adhortatus a. Vertebatur de Alguerio Sardiniæ arce controuersia, quam a Ioanne marchione Mōtisferrati superioris initi fœderis arbitro, lata Astæ sententia adiudicatam Genuensibus contendebat Gabriel Adurnius dux: restituendam vero negabat pluribus de causis Aragonius. Ne itaque res in bellum erumperet, Pontifex Gabrieli, senatui, populoque Genuensi, se pacis interpretem obtulit b, cum etiam causæ cognitio ad ipsum vt supremum Sardiniæ dominum spectaret: *Offerentes nos*, inquit, *inter dictum Regem & vos (si iustam querelam contra eum habeatis) amicabilem concordiam tractaturos, vel etiam, de iure, cum ratione feudi cognitio quæstionis feudalis ad nos feudi dominum pertinere noscatur, et cognitio rei, &c.* Assentiebatur Rex Aragonum, vt controuersia Pontifici dirimenda permitteretur: at Genuenses Vrbano respondere c, perspicuo & explorato iure Alguerium Sardiniæ ad ipsos ex lata ab arbitro sententia spectare, neque iterum iudicio veluti de re ambigua experiendum videri: & ad comparandam classem ad inuadendam Sardiniam incubuere. At Pontifex iterum ipsos etiam atque etiam VI. kal. decembris rogauit, ne prosilirent in arma: cum negarent Aragonij, oratores Alguerium ipsis adiudicatum, rem in controuersiā vocari, quæ iura discutienda & dirimenda esset, iteque vel eo magis armis temperandum videri, quo Rex Aragonum se æquitati accommodaret.

Oborta inter Genuensem & Aragonem lis de Alguerio.

a To. 1. ep. secr. pag. 230.

b Ib. pag. 234.

Illam vt supremus Sard. dominus dirimere vult Vrb.

c To. 2. ep. secr. pag. 12.

Implicitus is erat alio grauiore bello, cuius molem ægerrime sustinere poterat: Petrus enim Castellæ & Legionis Rex, deuinctis sibi fœdere Lusitaniæ, Nauarræ, Angliæ, nec non Granatæ & Africæ Regibus, infesta in Aragoniam signa vna cum Carolo Rege Nauarræ intulit: neque agri modo vastati, verum plures nobiles vrbes occupatæ, de quibus Mariana d, ac Surita e fusius agunt, vtque de pace & iungendis affinitatibus habita fuerint colloquia. Sanciendæ vero erant hæ affinitates alieno sanguine, seque Aragonius ad fratrem Ferdinandum, atq; Henricum Trastamaræ comitem Castellani fratrem spurium trucidandos obstrinxisse ferunt. Ita Ferdinandus, ad quem ex omnium consensu Castellæ & Legionis sceptra si Petrus Crudelis nullos relinqueret liberos legitimos, spectabant, a fratre Aragonio cæsus f, eiusque dirio proditionis impacto crimine occupata. Adibat idem periculum Henricus, sed vir prænobilis Nauarrus, cuius fidei cōmmissa erat arx, in qua tum Henricus versabatur, pluris integritatem conscientiæ, quam duorum Regum indignationem fecit g: ex quo Petrus Crudelis cum promissa ab Aragonio non impleri obtenderet, redintegrare bellum est meditatus. Quæ vero ex his sint secuta, dicetur inferius.

Castellanus Aragonum bello vrget.

d Marian. l. 17. c. 8.

e Surit. l. 9. ann. c. 43. 44. 45.

Expertus a Castellano hostium sanguis.

f Cap. 47. et Marc. 6.

Fugit Henric. Transtamaræ comes.

g Mar. eod. c. 6.

11 Conflabatur etiam tum bellum rei Christianæ periculosissimum inter Carolum Imperatorem, cuius partibus marchio Morauiæ adhærebat, & Ludouicum Regem Vngariæ ac Rodulphum Austriæ ducem fœderatos, nisi Vrbanus Papa illud apostolica solicitudine extinguere studuisset. Missus est eam ob causam Petrus episcopus Vulteranensis Apostolicæ sedis internuntius in Vngariam ac Germaniam: de qua imposita prouincia subiectum diploma exaratum. h

Iacta inter Cæsarem & Vngarum belli semina.

h To. 1 ep. secr. pag. 69.

Vrbanus, &c. venerabili fratri Petro episco-

pe

po Vulterranensi Apostolicæ sedis nuncio salutem.

Præsentata pontificio studio.

Nuper in nostræ promotionis ad apicem summi apostolatus exordio, de imperij Romani, ac Regum & principum aliorumque Christi fidelium tranquillitate soliciti, de ipsorumque statu paterna inuestigatione quærentes, admodum dolenter audiuimus, quod quædam discordia dudum inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum Ioannem de Boemia marchionem Morauiæ fratrem suum ex parte vna, & charissimum in Christo filium nostrum Ludouicum Regem Vngariæ illustrem & dilectum filium nobilem virum Rodulfum ducem Austriæ ex altera, procurante satore zizaniæ suscitata, nondum fuit, prout sperabatur, ad finem optatæ pacis adducta; quamuis sub penduto sufferentiarum deducatur in longum. Nos igitur timentes, ne scintilla tenuis non extincta, in flammam (quod absit) transeat destructiuam, apostolicæ prouisionis remedium in hac parte prouidimus adhibendum: & de zelo pacis, ac circumspectionis industria tuæ fraternitatis in his & alijs gerentes in Domino fiduciam pleniorem, te velut pacis angelum, de fratrum nostrorum consilio, ad præfatorum discordantium partes, ac præsentiam propterea duximus destinandum, &c. *Dat. Auin. xx. kal. februarij anno 1.*

a To. 1. ep. secr. pag. 70.
b Pag. 71.
c Ead. pag.
d Pag. 72.
e Pag. 91.
f Pag. 70.
& 71.

Solicitati sunt pluribus hortatorijs literis Imperator a & Morauiæ marchio b illius frater, vt a bello temperarent: tum Arnestus c Pragensis, Gerlacus d Moguntinus archiepiscopi, Albertus Zvverinensis episcopus, alijque plures præsules ac principes, vt sopiendæ exortæ dissensioni operam darent. Paritérque Rudolphus dux Austriæ e, ac Ludouicus f Vngariæ Rex moniti, vt faciles se ad controuersiam ex consilio internuntij apostolici componendam præberent; quo etiam argumento ad Reginas matrem & coniugem datæ literæ g xx. kal. februarij. Sed iam Elisabetha senior e viuis excesserat: cuius rei audita fama, Vrbanus Ludouicum Regẽ amissæ matris dolori indulgentem ad Christianam constantiam spe immortalitatis erexit h. Initam porro eiusdem internuntij apostolici opera inter Vngarum ac Germanum pacem, tradunt Poloni scriptores i hoc anno; quam ad sequentem conferendam ex pontificijs literis visuri sumus. Nunc res Polonicas perstringemus.

g Pag. 72.
h Pag. 75.
i Mich. l. 4. c. 20. Crom. l. 12.

Casimiri Regis Pol. vesania.

22. Volutabatur in libidinum cœno Casimirus Rex Poloniæ, qui vt licentius fræna intemperantiæ laxaret, Adleidem Reginam thoro regio repulerat: quem adeo ad obscœna prostratum, referunt auctores Poloni, vt Esthere Iudæa abuteretur, ex qua susceptas filias ad cumulum impietatis in Iudaica superstitione educari sit passus. Vt vero vesanum Regem ex flagitiorum volutabro erigeret Pontifex, ad quem de Reginæ Adleidis diuortio controuersia erat delata, Casimirum paterno amore est adhortatus l, vt Reginam ad se reuocaret. Ex his vero auctores Polonicos emendes, qui longe ante hæc tempora Adleidis Reginæ mortem collocant, deque alijs Casimiri nuptijs agunt, quæ nonnisi adulterinæ esse potuerunt. Cæterum posceuti apostolicam opem aduersus Lithuanos & Tartaros Casimiro Regi, Pontifex veniæ spem fidelium pollicitus est m, qui in pugnæ aduersus fidei hostes ardore caderent, vel ex acceptis vulneribus mortem obirent.

l To. 1. ep. secr. pag. 103.
m An. 1. ep. com. 443.

Vrbanus, &c. vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis.

Petitio pro parte charissimi in Christo filij nostri Casimiri Regis Poloniæ illustris nobis nuper exhibita continebat, quod ipse pro regni sui Poloniæ, quod prope nationes peruersas infidelium consistit, defensione fidelium eget subsidijs adiuuari. Nos itaque ipsius Regis in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi; & illa, quam dominus noster Iesus Christus (licet indignis) ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus Christifidelibus, qui eidem Regi pro defensione dicti regni, contra Lithuanos, Tartaros, & alios infideles ac schismaticos auxilium dabunt infra duodecim annos, a data præsentium computandos, & inibi pro defensione huiusmodi insultum, guerram, vel bellum faciendo decesserint, seu fuerint vulnerati, si alibi vbicumque de talibus vulneribus decedere eos contingat, suorum de quibus fuerint veraciter corde contriti & ore confessi, plenam remissionem peccaminum indulgemus. *Dat. Auin. VIII. id. iulij anno 1.*

Notarum venia Polonis in bello contra impios morientibus proposita.

23 In Suecia Magnus Rex, imbutus in episcopum Lincopensem maleuolentia, ipsum apud sedem Apostolicam multis criminibus onerauit a: nefarias nimirum in regiam dignitatem, ac Suecum regnum coniurationes meditatum; orabatque vt deturbaretur episcopali sede, & ad eam Gotscalis familiæ Dominicanæ alumnus, qui ipsi a sacris confessionibus erat, transferretur. Sed cum obiecta crimina non probaret, Pontifex ne ad regiam gratiam iustitiæ lãcem inflecteret, hæc Regi rescripsit: *Quia idem episcopus secundum iura a dicta sua ecclesia, cui alligatus existit, absque rationabili causa probata amoueri non debet, & priuationem ipsius non seruato iuris ordine iuste ac honeste facere non possemus, tua deuota prudentia moleste non ferat, si (vt petistis) tuam petitionem huiusmodi non duximus adimplendam. Verum si aliquis vel tuo nomine, vel alias velit eundem episcopum accusare, accusationemque prosequi secundum viam iuris, & consuetudinem Romanæ ecclesiæ, parati sumus in hac parte, quanto citius poterimus, facere iustitiæ complementum. Dat. Auin. kal. septembris anno 1.*

a To. 1. ep. secr. pag. 242.
Suecus Lincopensem episc. exauctorari a Pont. postulat.
Negat Pont. non probato crimine deturbandum transferendumue.

De Nicolao episcopo Lincopensi agit Suecarum rerum auctor b, ac tradit, ipsum vna cum alijs proceribus tyrannidis a Magno exerceri solitæ odio Albertum Magnopolensis ducis filium ex sorore Magni nepotem ad Gothorum Suecorumq; solium communibus suffragijs vocasse hoc anno; ipsoque ad Stocholmiam Suecorum regiam deducto, populos acceptis a Magno iniurijs fessos eius iugum excussisse: ac præsulum & aliorũ regni ordinum habitis conuentibus, eidem Magno publicæ rei male administratæ, spretæ ecclesiæ auctoritatis ac fidei Christianæ, sacramenti in solemni regia iounctione dati ludibrio habiti, violatarum legum omnium, populorum nimijs vectigalibus oppressorum iudicium intentatum: cumque non compareret, a senatu Sueco indignum regia dignitate pronuntiatum: atque ita Albertum Regem creatum, tradit idem auctor: Albertum deinde in eam concordiam consensisse, vt regni partem, nimirum Gothiam Magno permitteret c: neque ita multo post, dum Albertus Finlandico bello esset implicitus, Magnum Haquini filij, qui Norvvegianum regnum tenebat, ac Vvaldemari Regis Daniæ auxilijs fre-

Euersus regno Suecus a Lincopensi episc.
b Magnus l. 21. c. 9. et 10. Albert. Crant. Suec. l. 5. c. 30. 31. 32.
Quæ obiecta illi fuerunt crimina.
Gotiæ restituitur.
c Magn. c. 10. Crant. c. 31.

Captus in acie a nepote carceri traditur. Liberatur a filio, & demum aquis perit.

fretum, recuperare regnum pertentasse: sed deletum prælio a nepote Alberto coniectum in vincula, in quibus septennio fuit, donec filius Haquinus fortissimo succinctus exercitu ad Stocholmiam vsque regiam peruagatus, e carcere eripuit parentem: qui demum infeliciter aquis mersus perijt. Hæc licet temporibus discreta, hoc tamen loco coniungenda visa sunt.

Danus Pontificem adire cogitat. a To. 2. ep. secr. pag. 42. Datum illi a Pont. responsū.

14 Agitabat hoc tempore Vualdemarus Daniæ Rex adire sedem Apostolicam, piumque desiderium Vrbano significauit. Cui Pontifex amantissime a se exceptum iri rescripsit his verbis a: *Gratanter recepimus, valdeque lætanter audiuimus, quod tua persona magnifica & deuota intendit de proximo sedem Apostolicam visitare: proindeque tuæ deuotionis plenitudinem commendantes, te sicut charissimum filium nostrum, quem iucunde videbimus, desiderabiliter expectamus, petitasque literas de secura conductu pro te ac gentibus tuis concessimus incunctanter. Dat. Auin. xi. kal. ianuarij anno* 1. Extat in pontificio regesto huiusmodi liberi commeatus syngraphæ formula data b ad eundem Regem, quem quidem postea ad sedem Apostolicam accessisse, vt de instruenda expeditione pro recuperando oriente consilia conferret, mox visuri sumus.

b Ib pag. 52.

c To. 1. ep. secr. pag. 190. Gallus & Cyprius Reges de bello in oriente gerendo paciscuntur.

Conuenerant c antes Vrbanum verno tempore Ioannes Francorum & Petrus Cypri Reges, vt vniuersos fideles accenderēt ad delendam infamiam, qua Mahometani Christianum nomen inusserant, occupato oriente, suæque subiecta seruituti Palæstina dominico olim cruore consecrata: Ioanneque Francorum Rege (qui vereretur religioni ac diuinæ vindictæ ob neglectas belli sacri a patre voto suscepti curas omnia mala, quibus fuerat obrutus) Christianas copias cruce insignitas ductare in Saracenos spondente, Vrbanus vniuersorum fidelium, qui ex omnibus regnis ad Iesu Christi signa accederent, expeditionem aduersus Saracenos Asiaticos indixit, cui memoratum Francorum Regem præfecit; de quo hæc M. S. Vaticanum refert d: *Eiusdem mensis*, nimirum martij huius anni, *die mercurij xxix. dominus Petrus Rex Cypri intrauit curiam, & in die veneris sancta cruce signatus est per dominum Papam vna cum filio Regis & multis nobilibus contra Turcas. Aprilis die xt 1. Papa prædicauit crucem contra Turcas, ordinans passagium generale, cuius capitaneum constituit Ioannem Regem Franciæ tunc præsentem, qui ibidem iurauit passagium facere a martio præterito infra duos annos.* Eadem confirmat vitæ Vrbani auctor e. *Post dictam*, inquit, *promotionem Vrbani Papæ ad ipsum satis cito venerunt Ioannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges causa ipsum visitandi, sibique reuerentiam exhibendi: qui demum cum suis voluntate & deliberatione & consilio ad faciendum generale passagium vltramarinum, & specialiter contra Turcos, se mutuo astringunt; fueruntque cum multis alijs magnis & notabilibus viris crucesignati per dictum Papam: qui etiam pro tunc crucem contra Turcos prædicauit, ordinans dictum generale passagium, cuius capitaneum constituit præfatum Ioannem Francorum Regem, personaliter onus huiusmodi in se suscipientem.*

Indictum ab Vrbano sacrū bellum.

d M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765.

e Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Rex Francorū creatus expeditionis dux.

f An. 1. 27. tom. 26.

15 Extat de his pontificium ad Francorum Regem diploma f, quo exercitus crucesignati dux decernitur. Indictæ vero expeditionis tres causæ afferuntur: indignitas rei, vt consecrata Christi vestigijs redemptionisque mysterijs loca a Mahometanis contaminari ferant Christiani: recuperandæ Syriæ eximia occasio, cum pestilentia exhaustæ sint Saracenorum vires: ingrauescentis Turcicæ tyrannidis reprimendæ necessitas, cum proximi discriminis terror impendeat, ne Christiana respublica a Turcis opprimatur, ni mature eorum grassationes coerceantur.

Vrbanus, &c. Ioanni Regi Franciæ illustri.

Pontificis ea de re literæ.

De Saracenorū Turcorūque grassationib⁹.

Dolenter referimus, quod olim peccatis exigentibus terram sanctam Agarenorum gens perfida, eiusdem Saluatoris & suæ orthodoxæ fidei inimica, a longis retro temporibus non absque damnosa negligentia Christiani populi occupauit; prout detinet occupatam, eam polluendo abominandorum patratione scelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ domina gentium debet esse. Accedit quoque ad huiusmodi infelicitatis augmentum illa ærumnosa calamitas, quam ex oppressione Turcorum crudelium patitur Christianus populus orientis, & quæ tanto grauior redditur, quanto ijdem Turci viciniores fidelibus extiterint, grassantur sæuius & facilius in eosdem: quantoque ipsorum rabies semper excrescens, & cruorem Christianum aspirans effundere, maius potest Christianitati generare periculum, nisi eorum, qui in sua feritate confidunt, præsumptuosa temeritas per ipsorum fidelium potentiam reprimatur. Quæ omnia nuper diuino spiritu, (vt pie credimus) inspirante, charissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cypri illustris prudenter considerans, & his maiora pericula toti Christianitati, si opportunum in præmissis non apponatur remedium, probabiliter prouentura formidans; de statu dictorum infidelium, (quem ex ipsorum mortalitatibus & discordijs debilitatum & prostrationi dispositum asserit, præsertim ex captione ciuitatis Sataliæ, ac nonnullorum castrorum & locorum, quæ idem Rex suis prouidentia personalibusque laboribus & expensis de manibus infidelium prædictorum eripuit, ex quo infideles ipsos multus, vt asseritur, timor inuasit) plenarie informatus, sicut princeps magnanimus & deuotus, non vitatis pro Dei seruitio itinerum longorum periculis, ad Apostolicam sedem se transtulit, nobis & fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac tibi & alijs catholicis principibus & magnatibus, alijsque fidelibus populis vias ac modos viuæ suæ vocis oraculo prudenter ostendens, per quos istis temporibus potest faciliter eorundem Agarenorum & Turcorum elidi potentia, & fieri recuperatio dictæ terræ.

Vi pestilentia debilitatæ sunt eorū vires.

Contremiscunt panore. Expositus a Cyprio eorum status.

Hæc siquidem tu, fili charissime, deuote ac gaudenter accipiens, desiderium transfretandi, quod asseruisti diutius in tuo corde gessisse, nunc in lucem deuotius produxisti: nam tu & præfatus Rex Cypri alijque multi nobiles cum tuis & eorum potentia pro recuperatione terræ sanctæ prædictæ promisistis personaliter transfretare, ac recepistis de manibus nostris venerabile signum crucis, quod multi nobiles & magnates ad sedem venientes eandem, cum deuotionis plenitudine quotidie postulant, & recipiunt reuerenter: nosque præmissa cum ingenti considerantes lætitia, cupientesq; tam tuam sublimitatem & eundem Regem Cypri, quā alios feruore huiusmodi deuotionis accensos in tanto Saluatoris nostri prædicti promouendo negotio spiritualibus & temporalibus auxilijs confouere, matura super his deliberatione præhabita, de dictorum fratrum consilio

Gallus & Cyprius a Pont. crucis symbolo insigniti.

in-

indiximus ad dictam terram sanctam & alias partes infidelium orientis passagium generale, omnibus qui ad hoc transfretabunt, indulgentias & priuilegia, transfretantibus in dictæ terræ subsidium consueta concedi, auctoritate apostolica concedentes; ac te ipsius passagij & totius exercitus Christiani, qui transfretabit in illo, rectorem constituimus & capitaneum generalem: ac nihilominus alias nostras literas inde confectas verbum crucis cum certis gratijs & indulgentijs in regno Franciæ mandauimus prædicari: & tam tibi quam cæteris crucesignatis & crucesignandis kal. martij anni Domini millesimi trecentesimi sexagesimi quinti proxime secuturi pro termino ad transfretandum in dicto passagio duximus assignandas. Tuque huiusmodi capitaneatum reuerenter acceptans, personaliter in eisdem nostris manibus ad sancta Dei euangelia iurauisti, quod in eisdem kalen. vel ante, dicti passagij iter arripies, illudque deinde, iusto & legitimo impedimento cessante (sub certis tamen conditionibus, modis, & formis in alijs *a* nostris litteris a super hoc confectis seriosius annotatis) realiter & personaliter prosequeris, &c.] Adduntur plura de colligendo auro subsidiario ad belli sacri instruendum apparatum, sumptusque conficiendæ expeditionis sustentandos. *Dat. Auin. 1. kal. aprilis anno 1.* Initas porro inter Pontificem Gallumq; Regem pactiones pro sacra expeditione promouenda silentio prætermis, cum ob Ioannis intempestiuum obitum irritæ ciderint.

- Constituta expeditionis dies
- *a* Ext. ib. ep. 17.

26 Demandatum vero est legationis apostolicæ munus Talayrando Cardinali, vt veteri more sacris rebus in oriente præesset, ac necessaria ad diuinæ amplificationem gloriæ vrgeret; de quo refert hæc Urbani vitæ auctor *b* *Adunauit dominum Talayrandum de Petragorijs episcopum Albanensem Cardinalem, quem legatum de latere ordinauit secum profecturum.* Præterea fuere imperatæ sacerdotibus decumæ *c*, aliæque pro conficiendo bello sacro rationes conquisitæ. Tum præsulibus data imperia *d*, vt indictam religiosam militiam e sacro suggestu promulgarent, eamque professuros crucis symbolo distinguerent. Tum intentatum anathema ijs omnibus, qui Gallum Regem a suscepto pio consilio restituendæ Syriæ religionis reuocare molirentur: quo argumento transmissæ encyclicæ litteræ, precesque solemnes ad optimum diuinam conciliandam indictæ *e*.

- Talayrandus Card. creatus in exercitu legatus.
- *b* Gesta Vrb. V. apud Bosq.
- *c* Ant. 1. ep. com. 17.
- *d* Ib. ep. 18 vsq. ad 36
- *e* Ead. ep. 36.

Vrbanus, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Rhemensi & suffraganeis.

Prouidere volentes, ne dictus Rex Franciæ malitiosis aliquorum suasionibus vel inductionibus a tam sancto proposito quomodolibet retrahatur, sub anathematis pœna districtius inhibemus; ne quis Regem ipsum a proposito prosequendi & perficiendi dictum sanctum passagium malitiose retrahere seu reuocare præsumat. Et quia nemini venit in dubium, decimam & alia subsidia memorata ad tanti prosecutionem negotij non sufficere, ipsumque negotium longe maioris subuentionis beneficio indigere, & ad illud coadiuuandum cunctorum fidelium grata subsidia existere opportuna; fideles eosdem ad hoc quibusdam spiritualibus munificentijs, indulgentijs videlicet & remissionibus prouidimus inuitandos.

- Obiectu anathemat Gallã a bello reuocantus

27 Quocirca fraternitati vestræ de dictorum fratrum consilio per apostolica scripta committimus & mandamus, vos nihilominus obsecrantes per aspersionem pretiosi sanguinis Iesu Christi, quatenus commemorantes attente statum lugubrem dictæ terræ, ac prouide considerantes, quod cum fidelium suorum regimini vos velut in solicitudinis partem assumptos præfecerit Dominus, ad promotionem huiusmodi sancti negotij plus cæteris tenemini ex officio pastorali tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei contra prædictos perfidos hostes Christi, singuli videlicet vestrum in singulis vestris ciuitatibus & diœcesibus per vos & alias personas ecclesiasticas seculares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore videritis, cunctis Christi fidelibus iuxta datam vobis & eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum crucis; & venerabile signum eius quibuscumque fidelibus illud suscipere deuote volentibus (quos ad hoc vtiles fore credideritis) concedatis, ipsorumque humeris imponatis; fideles eosdem, quos ad audiendum propositionem ipsam, quoties expedierit, ad locos idonea conuocare possitis, solicitis exhortationibus & opportunis instantijs inducentes, vt suscipientes cum reuerentia signum crucis, ipsumque suis cordibus imprimentes, contra hostium prædictorum perfidiam, & ad eiusdem terræ sanctæ succursum assurgant viriliter, ac negotium ipsum feruenter assumant, & feruentius prosequantur, &c. [Interiectis pluribus de habendis sacris concionibus ad fideles in sacram militiam alliciendos, proponenda ijs venia spe, recipiendis in clientelam apostolicam bonis eorum, qui Francorum Regem stipaturi essent in Asiatica expeditione, hæc decernit ad contrarios obices discutiendos].

- Iussi præsules e suggestu fide les incitare ad pia arma.

Cæterum quia cursarij & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo & spoliando transeuntes ad illam & redeuntes ab ea, ipsos quoque & principales adiutores & fautores eorum excommunicationis vinculo curabimus denuo innodare, sub interminatione anathematis inhibendo, ne quis scienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu; ac iniungendo rectoribus ciuitatum, & locorum suorum, vt eos ab huiusmodi iniquitatione reuocent & compescant: alioquin in personas & terras eorum per ecclesiarum prælatos volumus feueritatem ecclesiasticam exerceri. Quia vero ad hoc negotium exercendum est permaxime necessarium, vt principes & populi Christiani ad inuicem astringantur vinculo charitatis & pacis, iniungimus ecclesiasticis prælatis, vt discordantes ad veram pacem reducere studeant, aut ad firmam treugam inuiolabiliter obseruandam: & qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terris eorum arctissime compellantur; nisi forte tanta fuerit inimicorum malitia, quod ipsi non debeant tali pace gaudere. Quod si forsan censuram ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem ecclesiasticam contra eos tanquam turbatores negotij Crucifixi secularis potentia inducatur, &c. [Paucis interiectis de truncis concauis tribus clauibus obserandis, in quos fideles stipem in sacri belli vsum vertendam demitterent, subdit].

- Piratis eo rumq; participibus pœnæ intentatæ.

28 Porro desiderantes, quod huiusmodi negotium optatum sortiatur effectum, & eiusdem Regis & aliorum Christi fidelium pia deuotio orationum adiuta suffragijs circa prosecutionem dicti negotij efficacius roboretur; suciositate præsentium ardinamus, vt in singulis supra-

- Indictæ solennes preces pro felici successu.

di-

dictis & alijs etiam regularibus ecclesijs dicti regni qualibet hebdomada semel certa die, pronuntianda populo, vnam missam pro liberatione dictæ terræ de manibus hostium prædictorum, præfata prosecutione durante, cum infrascriptis orationibus solemniter celebretur; ita tamen, quod in prima de Trinitate, in secunda de cruce, & in tertia hebdomadis de beata Maria virgine, & sic deinceps missæ huiusmodi debeant celebrari; nisi forsan id festiuitatis alicuius solemnitas impediret: quo casu post orationes festi ordine suo semel in hebdomada dicantur orationes huiusmodi, vt præfertur. Cunctis vero fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui durante prosecutione dicti negotij pro ipsius consummatione felici deuote ad Dominum preces effundunt, decem dies, videlicet diebus singulis, quibus orauerint, de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus. Prædictæ autem orationes sunt illæ: *Deus qui admirabili prouidentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus; vt terram, quam Vnigenitus tuus proprio sanguine consecrauit, de manibus inimicorum crucis eripias, & eam in Christiana religione tuo nomini seruire concedas. Per eundem, &c.* Oratio secunda: *Sacrificium Domine, quod immolamus intende, ac propugnatores tuos ab hostium malignitate custodias, & in tua protectionis securitate conserues.* Alia post communionem; *Protector noster aspice Deus, & fideles tuos ab hostium defende periculis, vt ab omni perturbatione securi libera tibi mente deseruiant. Per Dominum nostrum, &c. Dat. Auinion. 11. kal. aprilis anno 1.*

Propositæ eas fusuris indulgētiæ.

His ita decretis, nō modo sacri concionatores Christianam iuuentutem armis idoneam ad sacrandas Christo vires accendere aggressi sunt, verum etiam ad vrgendam magis eam expeditionem visum est, vt Petrus Rex Cypri, partis de Turcis triumphis clarissimus, occidentis regna obiret, principesque ad tantæ gloriæ societatem alliceret, vt narrat Vrbani vitæ scriptor a: *Pro passagij*, inquit, *huiusmodi prosecutione fuit pro tunc de consensu vnanimi prædictorum missus dictus Petrus Rex Cypri ad partes occidentales causa exhortandi & inducendi earum principes, vt vellent se astringere ac disponere ad passagium memoratum.*

a Gesta Vrb V. apud Bosq.

19 Cum vero Ioannes Francorum Rex nisi vertente biennio iter aggredi non posset, vt labefactatum superioribus bellis regni statum componeret, necessariumque apparatum instrueret, Petrus Rex Cypri vniuerso crucis symbolo insignito exercitui præire constituit, vt illi viam muniret; cui Pontifex auxilia e regnis elicienda attribuit b: *Quia*, inquit, *Rex Franciæ, prout nobis asseruit, commode nequit nisi circa præfatum terminum, nimirum biennalem, versus dictas terras & partes arripere iter suum; & tu, qui es ad præsens apud sedem constitutus eandem, ad succurrendum eisdem fidelibus & conatus eorundem infidelium deprimendum velut athleta Christi ac præcursor intrepidus proponis, prout nobis asseruisti, satis ante dictum terminum cum auxilijs citramarinorum fidelium transfretare; nos tibi certa subsidia fidelium in Gradensi, Salzeburgensi, Strigoniensi, Colocensi, Iadrensi, Spalatensi, Ragusinensi, Antibarensi, Duratensi, Patracensi, Corinthiensi, Athenensi, Neopatrensi, Patrensi, Colossensi dicta Rhodo, Cretensi, Corfiensi, & Nicosiensi; Panormitana, Messanensi, & Montisregalis ciuitatibus, diœcesibus, & prouincijs; ac etiam in Aquileiensi, Concordiensi, Tergestina, Iustinopolitana, Polensi, Parentina, Emonensi, Petenensi, ac Pecensi & Cassensi ciuitatibus & diœcesibus, cæterisque partibus vltramarinis duximus concedenda, &c.* Tradita etiam eidem Regi pia legata, quæ sexennali flexu pro terra sancta liberanda relinquerentur. *Dat. Auin. 11. kal. aprilis anno 1.*

Cyprius Rex præire Gallo constituitur.

b Eod. an. 1. ep. com. 58 & 10. 2. ep. secr. pag. 170.

In quibus prouincijs decreta illi subsidia.

Deriuatæ a etiam in eiusdem belli sumptus omnes mulctæ, quæ a fœneratoribus raptoribusq; repeterentur cum de dominis, quibus rapta restituenda essent, non constaret, tum eleemosynæ, quæ a fidelibus in capsas in locis sacris expositas demitterentur. Concessum b etiam ius, vt quantas posset maximas in ijsdem regnis & prouincijs copias contraheret. Ex alijs vero regnis duo millia equitum, peditum sex millia conscriberet, excepta Gallia, e qua ducentos equites cataphractos educeret: *Tibi*, inquit c, *concedimus, quod ducentos nobiles equites armatos de dicto regno Frāciæ, ac duo millia equitum, & sex millia peditum cum eorum comitiuis, familiaribus, commensalibus de quibuscumque mundi partibus, excepto regno Franciæ, & quascumq; gentes armigeras de quibuscumq; societatibus vbilibet constitutas; nec nō vniuersos et singulos de Aquileiensi, Gradensi, et Salzeburgensi prouincijs, ac Vngariæ & Cypri regnis, & partibus Sclauoniæ, ac insula Siciliæ & insulis ei adiacentibus, nec non Romaniæ et cæteris alijs partibus vltramarinis ducere seu mittere & tenere valeas etiam ante terminum memoratum, &c.* Proponit indulgentiarum præmia Petri Cypri Regis signa secuturis, ac præsules auctoritate instruit, vt sacrum crucis symbolum ijs imponant. Quibus literis VIII. kal. iunij adiecta. Vt vero Cyprius Rex plures trahere ad sacrum bellum posset, & conficere exercitum, multis eum Vrbanus apostolicis beneficijs & priuilegijs auxit d.

a Eod. an. 1. ep. com. 59

b Ib. ep. 60.

c Ib. ep. 58. & 10. 1. ep. secr. pag. 170.

Comparādi exercitꝰ data ei potestas a Pont.

d Eod. 10. 1 ep. secr. pag. 173.

20 His de gemina expeditione a Cypri & Francorum Regibus conficienda constitutis, Dei vicarius alios Reges ac principes ad tanti operis & gloriæ societatem pellicere apostolicis adhortationibus, atque in primis Carolum Imperatorem Romanorum eundemque Regem Boemiæ pio studio accendere ad sacra arma corripienda, ac nunquam intermorituras palmas colligendas annisus est e. Exposuit, vt Cyprius Rex iam Turcas edomare cœpisset: Sataliam ac plures arces alias eripuisset Turcis: Mahometanos pestilentiæ flagello attritos adeo, vt sustinendis Christianorum armis pares esse non possent: liberandæ ex impiorum seruitute Syriæ tempus, continentibus tot ætatum votis flagitatum, appetijsse.

Admoniti Reges de sacro gerendo bello.

e Ib. pag. 161.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto salutem.

Descendens a Patre luminum Spiritus mentium illustrator mirificus, datorque optimus gratiarum, vbi & quando vult catholicorum principum aliorumque suorum fidelium cordibus illa inspirat cupere & cupita proficere, quæ sint ad Dei laudem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, eiusque hostium repressionem, ac salutem eorundem fidelium animarum: datque tempus acceptabile, & dies salutis indulget, quibus proprium exequendo debitum sicut filij benedictionis & gratiæ, Patris & domini nostri vlciscantur iniurias, vt digni reddantur hereditatem paternam & dominicam possidere; tollantque Christianitatis opprobrium, adeo iam quasi dimissum, quod infideles illud existimant sempiternum. Sane dolenter referimus, quod olim, peccatis exigentibus, terram illam, quam salua-

Vrbani ad Carolū Imp. literæ.

tor

tor noster Dei Filius dominus Iesus Christus, suæ præsentia conuersationis illustrans, in ipsa pro nostra redemptione mortem nostram moriendo destruxit, & vitam suæ resurrectionis gloria reparauit, Agarenorum gens perfida, eiusdem Saluatoris & suæ orthodoxæ fidei inimica, a longis retro temporibus non absque damnosa negligentia Christiani populi occupauit, prout detinet occupatam, eam polluendo abominandorum patratione scelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ domina gentium solet esse. Accedit quoque ad huiusmodi infelicitatis augmentum illa ærumnosa calamitas, quam ex oppressione Turcorum infidelium pariter Christianus populus orientis, qui tanto grauior redditur, quanto ijdem Turci, viciniores fidelibus existentes, grassantur sæuius & facilius in eosdem, quantoque ipsorum rabies semper exercescens, & cruorem Christianorum aspirans effundere, maius potest Christianitati generare periculum, nisi eorum, qui in sua feritate confidunt, præsumptuosa temeritas per ipsorum fidelium potentiam reprimatur.

Argumenta pro suscipiendo bello sacro. Petita ex Palæstinæ seruitute,

Ex tyrannide Turcarum.

21 Quæ nuper, diuino Spiritu inspirante, charissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cypri illustris, cuius regnum est in ipsorum infidelium faucibus constitutum, prudenter considerans, & maiora pericula toti Christianitati, si opportunum in his non apponatur remedium, probabiliter prouentura formidans, de statu dictorum infidelium (quem ex ipsorum mortalitatibus & discordijs debilitatum, & prostrationi dispositum asserit; præsertim ex captione ciuitatis Sataliæ, ac nonnullorum castrorum & locorum, quæ licet admodum fortia idem Rex suis prouidentia, personalibus laboribus, & expensis de manibus infidelium prædictorum eripuit, ex quo infideles ipsos multus, vt asseritur, timor inuasit) plenarie informatus, sicut princeps magnanimus & deuotus, non vitatis pro Dei seruitio itinerum longorum periculis, ad partes occidentales, & demum ad Apostolicam sedem accessit, nobis ac fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, & catholicis principibus ac magnatibus, alijsque fidelibus populis vias & modos prudenter ostendens, per quos istis temporibus potest faciliter eorundem Agarenorum & Turcorum elidi potentia, & fieri recuperatio terræ sanctæ.

Ex imminenti discrimine ni bellum illis inferatur. Ex pronis in exitiũ eorum rebus.

Hæc siquidem charissimus in Christo filius noster Ioannes Rex Franciæ illustris gratanter accipiens, desiderium transfretandi, quod diutius (vt asseritur) gessit in corde, produxit in lucem: nam ipse ac prælatus Rex Cypri, alijque multi nobiles cum eorum potentia, pro recuperatione terræ sanctæ prædictæ promiserunt personaliter transfretare, ac receperunt de nostris manibus venerabile signum crucis: quod multi magnates, & nobiles ad sedem venientes eandem, cum deuotionis plenitudine quotidie postulant, & recipiunt reuerenter. Nosque præmissa cum ingenti lætitia intuentes, & cupientes tam dictos Reges, quam alios in tanto Saluatoris nostri prædicti promouendo negotio spiritualibus & temporalibus auxilijs confouere, matura super ijs deliberatione præhabita, de dictorum fratrum consilio indiximus ad dictam terram sanctam & alias partes infidelium orientis passagium generale, inchoandum kalen. martij anni natiuitatis Domini millesimi trecentesimi sexagesimi quinti proxime secuturi; & consueta indulgentiam ac priuilegia omnibus ad hoc transfretaturis duximus concedenda: & deinde diligentius attendentes, quod idem Ioannes Rex eximiæ deuotionis ardorem, quem claræ memoriæ nonnulli Reges Franciæ pro ipsius terræ sanctæ recuperatione hactenus habuerunt, pie memorans, illum in se virtuosæ successionis salutari funiculo deriuauit; prouida super ijs cum eisdem nostris fratribus deliberatione præhabita, eundem Ioannem Regem præfati passagij & omnium, qui transfretare voluerint, capitaneum constituimus generalem. Quæ omnia magnitudini tuæ, alijsque catholicis Regibus atque principibus, ac magnatibus & populis decreuimus intimanda, vt tempus illud acceptabile datum a Domino in humilitatis spiritu cognoscentes, interim si qui eorum habeant cum alijs Christianis discordiam, pacem & concordiam, sine quibus negotium ipsum prosperari non posset, pro Dei reuerentia studeant firmis stabilitatibus inuicem reformare, ac ad prosequendum huiusmodi Dei & fidei præfatæ negotium magnifice se accingant, illud in personis proprijs vel alias, prout eis possibile fuerit, prosequendo.

Ex Galli & Cyprij iurata societate.

De indicta expeditionis die.

Gallorum Rex cruce signatorum dux creatus.

22 Inter alios autem principes, quos plus deceat ad huiusmodi tam salubre negotium excitari, & ad ipsius prosecutionem plenis effectibus dare opem, imperiali celsitudini conuenire prospicimus, vt ad hoc tanto feruentius animeris, quanto ab excellentia tua hoc magis exigitur inter omnes principes orbis terræ; quantoque Regi regum, domino dominantium, qui magna potentia & gentibus aptis ad bellum dominicum te vallauit, exinde maius præstabis obsequium, & ab ipso præmium prosequeris. Eapropter imperialem sublimitatem paterna charitate requirimus, & affectuose rogamus, eidem pro sua salute, suique culminis gloriosius extollendo præconio suadentes, quatenus præmissa de forte considerans, ad assumendum cum tua præcellenti potentia tam pium tamque acceptum Deo negotium, per quod contenditur certius ad excelsa, more Christianissimi ac potentissimi principis ardentius inducaris; & ad prosecutionem ipsius tam magnifice te disponas, quod alijs Christianis principibus & magnatibus gloriosum exemplum tribuas similiter faciendi, teque securius imitandi. Quis enim poterit diffidere vel trepidare fidelium huiusmodi sancto se dedicare negotio, vbi potentiæ tuæ robur adesse præsenserit, & tam magnanimi principis firmissimum fundamentum? Profecto si, prout indubia credulitate tenemus, præfatum negotium feruenter ac potenter assumpseris, multos & magnos principes, aliosque fideles ad tui imitationem allicies, & allectos in sancti propositi perseuerantia conseruabis: ex hoc enim tibi & alijs fructuosus existes, & ex aliorum operibus, quæ tuo causabuntur exemplo, multiplicabitur tibi meritum apud Deum. Vt autem ad assumptionem & prosecutionem huiusmodi eo libentiuate disponas, quo de gratia & fauoribus dictæ sedis te senseris certiorem, eidem sublimitati in omnibus, quæ ad ipsius honorem & commodum nouerimus cedere, promptis affectibus, & prone cum Deo poterimus, gratis effectibus assistemus. *Dat. Auin. VIII. kal. iunij anno primo.*

Rogatus Carolus vt sacrum bellũ promoueat.

Cæteris principibus exemplo prælu-ceat.

a Eod. to. 8 ep. secr. pag. 163.
b Ib. pag 166.

23 Conceptæ sunt simillimis sententijs pontificiæ adhortationes ad præpotentes duos Reges partis victorijs clarissimos Eduardum a Angliæ & Ludouicum b Vngariæ, vt armorum potentiam bel-

Anglus & Vngarus ad eandẽ gloriam excitati.

bellandique peritiam ad comparandam Christo Asiam explicarent. Vocauit etiam Vrbanus ad sacrum fœdus in Christianæ religionis hostes Carolum Regem Nauarræ a, vt soceri, Ioannis nimirum Regis Francorum pium ardorem imitaretur, ac si quod in illum ob superiores simultates odium concepisset, deleret ex animo, ac vel acies e regno educeret, bellicos pro Christo suscepturus labores, vel auxilia communicaret.

a Pag. 157

Nec hos modo & alios Reges ad religionem in oriente instaurandam prouocauit Vrbanus b, verum etiam singulos principes dignitate, opibus armisue florentissimos: in Germania quidem Ioannem marchionem Morauiæ, Vvenceslaum Lucemburgi ducem Imperatoris fratres, Rodulphum Austriæ, Rodulphum Saxoniæ, tum singulos Bauariæ duces c ad id excitauit: quod de pluribus alijs præterimus. Solicitauit etiam d ad consecranda Christo arma vagas turmas, quæ Gallias depascebantur: extincto enim Regum bello, dissolutisque exercitibus, ad latrocinia se conuerterant: precibusque contendit, vt bellicum furorem non in Christi, sed Mahometi cultores exercerent, diuinique nominis opprobrium (purgata superstitione Palæstina) vindicarent. Parandæ verso classi daturus operam summus Pontifex, ad Venetos ac Genuenses e spes suas precesque conuertit f, ac Laurentium Celsum & Gabrielem Adurnium duces, vt triremes ac naues instruerent ad transportandas quas Cypri Rex copias adduceret. Subiectis vero sententijs conceptæ sunt, quæ duci Venetorum, qui cum Cyprio Rege fœdus in hostes fidei percusserat, inscriptæ g.

b Ib. pag. 163. 164. Prouocati Germani principes ad bellū Asiaticū. c Ibid. d Pag. 168. Et sederati vagorum militum exercitus. Veneti & Genuenses ad classem instruendā excitati. e Ib. pag. 164. f Pag. 165 g Super. pag. 164.

Vrbanus, &c. Laurentio Celsi duci Venetiarum.

Nobilitatem tuam paterna charitate requirimus & rogamus, ac pro sua salute suademus eidem, quatenus præmissa deuote considerans, ad assumendum cum tua grandi potentia tam pium tamque acceptum Deo negotium, per quod certius ad excelsa conscenditur, animeris: ac ad ipsius prosecutionem tam prudenter, prout negotij qualitas exigit, quam libenter expedientia nauigia virosque idoneos & necessarios in eisdem, ac arma, victualia, & alia opportuna disponas, quod Christianis principibus atque magnatibus gloriosum exemplum tribuas dictum negotium audacius prosequendi. *Et infra*: Profecto indubia credulitate tenemus, quod si præfatum negotium feruenter & potenter assumpseris, multos ac magnos fideles allicies, & allectos in sancti propositi perseuerantia cōseruabis, qui sine tua potentia (quod absit) deficerent in negotio memorato. *Et infra*.

Ad Venetum ducē ea de re hortatoriæ literæ.

Cæterum quia præfato Regi Cypri, qui tanquam præcursor magnificus satis ante dictum terminum cum auxilio fidelium, quos habere poterit, ad partes vltramarinas remeare proponit, viam tutam & dispositionem accōmodam populo Dei cum ipsius assistentia paraturus, certa subsidia gentium armigerarum nonnullarum partium (inter quas locus Venetiarum cum suis terris existit) & inter alia quod iruri cum ipso etiam ante præfatum terminum indulgentiam huiusmodi consequantur, duximus concedenda; nobilitatem eandem, a qua idem Rex in præfato negotio grandia promissa se recepisse lætatur, rogamus attente, quatenus huiusmodi nauigia, viros, arma, victualia, & alia necessaria ad tantum negotium studeas præparare, ac eidem Regi & nuncijs suis, prout tantæ rei vtilitas suadet, efficacibus fauoribus in terra tui dominij deuote assistere non postponas, &c. *Dat. Auin. vi 11. kal. iunij an.* 1.

24 Ingeminatæ sunt ab Vrbano deuexo iam anno eædem preces apud eundem Venetorum ducem, vt classem pro reducendo Cypri Rege transportandoque exercitu ipsum secuturo citissime compararent. Saraceni enim, captata a illius absentiæ occasione Cyprum inuadere moliebantur, ac Sataliam insignem vrbem, quam paucis ante annis Christiano imperio adiunxerat, obsidione cinxerant. Ne itaque adduceretur in discrimen in oriente Christiana res, Vrbanus Petrū Cypri Regem literis iussit b, vt Regibus quos adire constituerat, salutatis excitatisque ad Asiæ expugnationem, reditum in Cyprum maturaret. Fessos interea Cyprij cunctatione proceres crucesignatos, qui Venetias confluxerant recessione, quæritur Philippus e Mazerijs.

Rogatur, vt classē pro reducendo Cypri Rege comparet. a To. 2. ep. secr. pag. 34. b Ib. pag. 13.

Meminere auctores de Petro Cypri Rege Italiam c Gallias, Angliam d, Germaniam, Poloniam, Vngariam obeunte, vt Reges ad sacrum bellum inflammaret. Qui cum proximo anno appetente vere traducere copias in Asiam cogitaret, Pontifex Ludouicum Vngariæ Regem exorauit e, vt quæ subsidia Cyprio conferre decreuerat, mature ac diligenter instrueret: *Quia*, inquit, *postmodum idem Rex, prout nobis notificare curauit, nonnullas partes fidelium peragrauit, & præsentiam aliquorum Regum & principum adijt, multosque magnates & potentes ad transfretandum secum, Domino cuius negotium agitur inspirante, induxit; & tempore veris proximi futuri sperat cum multitudine nobilium, & aliorum fidelium esse Venetijs, & interim, vel postquam inde recesserit inclytam tuam videre personam; sublimitatem tuam solicitam reddimus & attentam, eamque cordialiter deprecamur, quatenus ea, quæ eidem Regi Cypri in galeis vel alias pro dicto subsidio exhibere volueris, studeas præparare. Et quia dicto Regi aliqua subsidia in tuo regno concessimus, in eorum receptione nuntijs & procuratoribus suis ad hoc deputandis velis fauorem regium exhibere. Dat. Auin. non. decembris anno* 11. Non respondisse Vngarum, neque alios Reges Pontificis Cyprijque Regis votis, deplorat laudatus Philippus e Mazerijs. f

c Foliet. l. 7 hist. Gen. l. 7. d Vvalsin. in Eduar. 111. Mechou. l. 4. c. 10. Cromer. l. 12. e To. 2. ep. secr. pag. 31. Exoratus Vngarus, vt subsidia conferat.

25 At ne, dum hæc gerebantur in occidente, infideles quos Sataliam adortos vidimus, Smyrnam etiam, quæ magno labore etiam tum retenta a Christianis erat, opprimerent; Vrbanus ad illam muniendam incubuit, eiq; Petrum Racchanellum patria Genuensem præfecit, a quo hæc sacramenti forma exacta est g: *Ego Petrus Racbanelli ciuis Ianuensis capitaneus & custos ciuitatis Smyrnæ pro sancta Romana ecclesia deputatus, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro sanctaque Romanæ ecclesiæ, ac domino meo Vrbano Papæ V. eiusque successoribus canonice intrantibus.* Et interiectis nonnullis: *Papatum Romanum & regalia S. Petri & omnia iura Romanæ ecclesiæ, quæ habet vbique, & specialiter in ciuitate prædicta, manutenebo totis viribus, & defendam. Dictam ciuitatem per me, vel alium, seu alios fideliter custodiam ad opus sacræ fidei & dictæ ecclesiæ: ipsamque ciuitatem cum pertinentijs suis non resignabo nisi legato Apostolicæ sedis, si fuerit in partibus illis, aut alteri per dominum Papam vel eundem legatum ad hoc deputato. Supradicta omnia & singula promitto & iuro attendere & obseruare sine omni dolo & fraude ac malitia. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.*

f Philip. a Mazer. in vita B. Petri Th. apud Io. Bolland. to. 2. die 29. ian. Smyrna a Turcis tētata. g To. 2. ep. secr. pag. 139. Præfectus illius custodiæ in pontificia verba adactus.

Illu-

26 Illustrabatur hoc tempore Prouincia ingentibus miraculis, quæ Deus ad B. Delphinæ preces imploratamque opem edebat: neque enim modo pluribus ægris valetudo restituta, verum cœci oculorum, surdi aurium, paralytici membrorum vsum illius suffragijs receperunt: & reuocati etiam ad vitam mortui. Quibus permotus Pontifex, ac piorum precibus exoratus, Aquensi archiepiscopo ac Vasionensi & Sistariensi episcopis mandauit, vt de miraculis eiusdem Delphinæ beneficio editis cognoscerent, eorumque testes in religiosum examen vocarent. Extant enim pontificiæ ad ipsos datæ eo argumento literæ a, in quibus vbi paucis est præfatus de illius patria, stirpe, nimirum e Podio Michaele in Prouincia oriundam ex prænobili familia, ac nuptam Elzeario e Sabrano Ariani comiti, subijcit: *Omnipotens Dominus per eiusdem Dalphinæ sancta merita in ciuitate Aptensi, vbi corpus requiescit eiusdem, plures suscitauit mortuos, cæcos illuminauit, mundauit leprosos, surdis auditum restituit, mutis loquelam, & paralyticis & contractis restituit sanitatem: eandem Dalphinam honorat in terris, quam (vt pie creditur) coronauit in cælis. Quare nobis pro parte dictorū clericorum, laicorum, & vniuersitatum fuit humiliter supplicatum, vt cum de prædictis vita, meritis, & miraculis, quæ in dictis prouincijs & comitatibus quasi notoria & manifesta fore dignoscitur, possit fieri per fide dignos & solemnes viros ac factorum euidentiam plena fides super eis, per aliquos probos viros mandaremus inquiri, & demum veritate comperta, & certitudine habita præmissorum, cum non deceat apud homines sine veneratione relinqui, quam merita & miracula sanctam monstrarunt, ipsam dignaremur sanctorum catalogo aggregare.*

a An. 1. epist. diuers. form. pag. 15.

De ea sanctor. catalogo aggreganda actum.

Nos igitur, quos non festinos sed graues conuenit in dubijs inueniri, de prædictis notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ, de quorum circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio committimus & mandamus, quatenus vos vel duo vestrum ad dictam ciuitatem Aptensem vos personaliter transferentes, de vita & meritis dictæ Dalphinæ, ac miraculis & cæteris circumstantijs iuxta interrogatoria, quæ vobis sub bulla nostra transmittimus interclusa, veritatem diligentius inquiratis: & quæ super hac inueneritis scripta, fideliter sub vestris sigillis cum vestrarum literarum, habitam seriem continentium, testimonio nobis intimare curetis. Datum Auin. III. non. martij anno 1. Fuerat Delphina & nupta & virgo; coluerat enim, vt suo loco diximus b, vna cum viro S. Eleazaro virginitatem S. Chunegundis Imperatricis exemplo: de quibus sanctis coniugibus vitæ illorum auctor c admiranda recenset.

b Annal. to. XV. an. Chr. 1323 n. 51.
c Apud Sur. to. 5. die 27. septemb.

27 Dum vero diuina gloria in ijs regionibus tot miraculorum splendore efflorescerет, ac populi ad pietatem allicerentur, non deerat dæmon solitis artibus, vt religionem obscuraret, simplicesque erroribus inficeret. Ad tuendum itaque fidei decus, euellendasque serpentis mali fibras Vrbanus censorem fidei Vgonem Cardinalem Minoritam creauit d in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, & Viennensi archiepiscopatibus: earumque prouinciarum præsules ad porrigendam illi aduersus impie sentientes opem excitauit. Infecerat vero præcipue hæreseos lues Ebredunensem diœcesim, vt queritur his verbis Vrbanus: *Cum, sicut displicenter accepimus, in quibusdam partibus diœcesis & prouinciæ Ebredunensis huiusmodi prauitas sic abundet, sicque multitudo hæreticorum excreuerit in eisdem, quod fidelibus circumposita patria pestilens eorum virulentia quæ serpit vt cancer & interficit vt venenum, grauia pericula comminatur.*

Creatus censor fidei aduersus hæreticos.
d To. 1. ep. secr. p. 13. 205.

IESV CHRISTI
Annus 1364.

VRBANI PP. V. annus 2. | CAROLI IMP. OCCID. 19. IO. PALAEOL. IMP. OR. 24.

1 ANno a virgineo partu millesimo trecentesimo sexagesimo quarto indictione secunda, Romana ecclesia post tot a tyrannis eius ditioni inhiantibus excitatas tempestates, reuerso ad sedis Apostolicæ obsequia Bernabone Vicecomite omnium tum procellarum auctore, optata quiete potita est. Adegit ad id Mediolanensem non officij religio, quam suis vtilitatibus metiebatur, sed principum Christianorum terror qui eum vrgebant precibus ac minis, vt turbare Italiam desineret, quo expeditio orientalis superiori anno decreta confici posset. Et quidem cum hactenus Bernabos obduruisset in perfidia, Carolus Imperator ecclesię patrocinium suscepturus, in illum, ni legibus pareret, signa imperialia attolli iussit. Quæ res Pontifici gratissima fuit, vt ipse testatur in literis XI. kal. martij ad Petrum Florentinum episcopum Apostolicæ sedis in Germania internuntium his verbis a: *Quod idem Imperator fecit de capitaneo & vexillo suis contra hostes eiusdem ecclesiæ transmittendis valde gratum habuimus, sibique propterea referimus multas grates.* Data etiam ab eodem erant imperia illius in Italia præfectis, vt pontificiam causam omni contentione defenderent; qua de re ipsi ab Vrbano actæ gratiæ b.

Susceptū ab Imperatore ecclesiæ patrocinium.
a An. 2. ep. cur. pag. 100.

2 Ludouicus etiam Vngariæ Rex, quem ab Innocentio Romanæ ecclesiæ creatum signiferum vidimus, Vrbano ad Bernabonis tyrannidem prosternendam regias vires offerebat: cuius officiosa promissa, cum magnifica & istis ætatibus inaudita dicat Vrbanus, facile colligitur, illum ad ducendum exercitum in Mediolanensem ac labores castrenses suscipiendos paratum fuisse: cui grates amplissimis exornatas elogijs persoluit Vrbanus. c

b To. 2. ep. secr. pag. 992.
Vngarus ad debellandum Bernabonem paratum se offert.

Ludouico Regi Vngariæ illustri.

O princeps deuotissime, ac præcharissime fili ecclesiæ sanctæ Dei, qui ardore pietatis ignitus vehementer matri compateris indigenti, qui cælestis Regis obsequijs deuote militare desideras, & eius sponsam a malignorum incursibus defensare! Tu es vere gratitudinis filius, qui datam tibi a Deo potentiam in humilitatis spiritu recognoscis, dum eam in suis beneplacitis nunc contra Christianos iniquos hostes ecclesiæ, nunc contra schismaticos & hæretica fœditate respersos, nunc contra infideles & ethnicos satagis exercere. Tu vere Rex & princeps Christianissimus, qui non vacas vitiosis delitijs, sed iugiter laboras pro tui nomine Redemptoris, terrenum regnum in cæleste cupiens laudando commercio commutare. Tua siquidem oblatio prædicta magnifica, seculis inaudita modernis, mentem nostram consolationis plenitudine recreauit: & licet ipsius effectu non indigeamus ad præsens, quia hostes olim ecclesiæ sunt ad gratiam reconciliationis admissi; oblationem tamen ipsam multi-

c Ib. pag. 203.
Actæ illi ab Vrbano gratiæ.

pliciter habentes acceptam, eam in necessitatibus eiusdem ecclesiæ, quæ pro tempore possent occurrere, pro thesauro pretiosissimo retinemus: & proinde regiæ liberalitati copiosas gratiarum referimus actiones, rogantes Deum, quod in salute & prosperitate votiua multiplicet dies tuos. *Dat. Auin. v. kal. martij anno* II. Nec Ludouicus modo & Carolus contundere Bernabonem meditabantur, verum etiam Francorum & Cypri Reges, alijque plures principes pro conficienda pace intercesserant, quos sine ingenti periculo, nisi fureret Bernabos, contemnere non poterat. Pontificem vero non modo pacandæ Italiæ, atque arma in Mahometanos conuertendi desiderium incitabat; verum perpendebat, Bononiam diuturno fessam bello, aliasq; Æmiliæ vrbes oppressas diutius auxilia præstolari non posse: Carolum Imperatorem & Ludouicum Regem Vngariæ mutuis dissensionibus impliciros; seque ob eas causas ad pacis fœdera cum Bernabone sancienda descendisse Carolo Imperatori significauit. a

Sancita cum Bernabone pax.

a Ib. pag. 99.

3 Firmata est pax Androini A.S.L. opera b, quem superiori anno deuexo in Italiam missum vidimus. Extant eius fœderis formulę in publicis actis c Bononię tum confectis, quę insertę sunt collectaneis Platinæ tribus ingentibus voluminibus distinctis in tabulario Vaticano asseruatis, ex quibus atque ex duobus M.S. Vallicellanis hęc decerpsimus.

b Gest. Vrb. V. apud Bosq.

c Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to. 3. pag. 188. & M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 15. pag. 41. & seq. & sign. lit. D n. 1 pag. 30.

Primo quod dominus Bernabos libere, pure, sine vlla exceptione, & cum effectu ad omnem requisitionem dicti reuerendi patris domini Andruini A. S. L. restituet, seu restitui faciet castra Lugi & Crepacorij, & quacumque alia castra, fortalitia, rochas, & bastitas, quæ per ipsum dominum Bernabonem vel eius nomine tenentur in districtibus Bononiensi & Mutinensi, ac prouincia Romandiola, dicto domino Andruino legato & in eius manibus, vel illi seu illis, cui vel quibus idem dominus Andruinus Cardinalis mandabit, & quos deputabit, ad receptionem & custodiam dictorum castrorum, fortalitiorum, rocharum, & bastitarum; custodienda expensis ecclesiæ a die habita realis & efficacis restitutionis & traditionis dictorum castrorum, fortalitiorum, rocharum, & bastitarum. Item quod per dominum nostrum Papam vel per eum, cui mandabit, vel per dictum dominum Andruinum legatum nominibus antedictis dabunt dicto domino Bernaboni vel eius heredibus, si contingeret ipsum hoc medio deficere (quod absit) libere, pure, & sine vlla exceptione & cum effectu infra annos octo a die prædictæ efficacis restitutionis castrorum, fortalitiorum, rocharum, & bastitarum prædictorum, proxime futuros vel ante, quingenta millia florenorum boni auri & iusti ponderis secundum cursum ciuitatis Florentiæ, videlicet quolibet anno sexaginta duo millia & quingenta florenos, &c. Adiunctæ plures aliæ pacis formulæ ad hæc firmanda, adiectaque est his verbis dies. *Dat. Bononiæ, &c. anno Domini* MCCCLXIV. III. *mensis martij*.

Præcipuæ fœderis leges. Restituenda a Bernabone erepta pręces ecclesiæ eiusq. fœderatis

Pendenda illi per certis vicibus quingenta aureorũ millia.

4 Datæ postea fidei, quam suis commodis tantum metiebatur, immemor Bernabos in ecclesiæ fœderatos minas vertit; sed ijs repressis nonæ ipsum inter & illos pacis formulæ sancitæ, ac subiectis verbis conceptæ fuerunt d.

d M.S. bib. Vat. sign. n. 1671. Aliæ fœderis tabulæ.

In nomine Domini. Amen. Suborta dudum inter reuerendissimum in Christo patrem & dominum dominum Aegidium episcopum Sabinensem A S L. nomine Romanæ ecclesiæ occasione vicariatus ciuitatis Bononiensis eiusque districtus & ex alijs certis causis, & magnificum virum dominum Bernabonem de Vicecomitibus Mediolan. *grauis & nociua dissensio; & deinde inter eandem ecclesiam & magnificos viros dominos Franciscum de Carraria ciuitatis Paduanæ imperialem vicarium, & Nicolaum, Hugonem, & Albertum marchiones Estenses ciuitatis Ferrarien. pro ecclesia præfata vicarios, & Canemsignorium & Paulum Albuinum de la Scala Veronen. dominos, &c. nec non Guidonem, Ludouicum, & Franciscum ciuitatis Mantuæ, ac Feltrinum* de Gonzaga *ciuitatis Rhegij imperiales vicarios, eidem ecclesiæ colligatos, suosque colligatos, subditos, sequaces, officiales, & gentes ex parte vna; & præfatum dominum Bernabonem suosque colligatos, subditos, sequaces, officiales, & gentes ex altera, guerra pestifera inde secuta, quasi totam prouinciam Lombardiæ ac partes vicinas in discrimine posuerunt. Et tandem pro huiusmodi guerra sedanda, & quæ ex illa prouenerant & prouenientebant continue summa rerum & personarum discrimina remouenda, quamplures compositionis & pacis habiti fuerunt hinc inde tractatus: super quibus interuenientibus inuictissimo domino domino Carolo IV. diuina clemẽtia Romanorum Imp. semper Augusto & Boemiæ Rege, ac serenissimis dominis dominis Ioanne Franciæ, Ludouico Vngariæ, ac Petro Ierusalem & Cypri illustribus Regibus, qui per eorum ambaxiatores & literas apud partes prædictas pro pace huiusmodi sæpius institerunt; & deinde huiusmodi pacis tractatum cõtinuantibus incessanter ambaxiatoribus dicti domini Regis Cypri, videlicet reuerendo in Christo patre domino Petro archiepiscopo Cretensi, & egregio milite domino Philippo de Maserijs cancellario regni Cypri, qui ad Romanam curiam propterea pluries accesserunt & redierunt ab inde (prout hæc omnia asseruntur plurium testimonio esse vera) demum, cooperante pacis principe redemptore nostro domino Iesu Christo, partes ipsæ super concordia & pace huiusmodi conuenerunt.*

Qui fuerint ecclesiæ socij.

Qui Reges concordiæ interpretes.

Ad gloriam igitur Dei, & laudem B. Mariæ virginis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omniumque sanctorum, ad honorem quoque sanctissimi patris & domini nostri domini Vrbani diuina prouidentia Papæ V. sanctæq; Romanæ ecclesiæ ac reuerendissimorum patrum & dominorum dominorum sacri collegij Cardinalium, ac sacri imperij Romani & serenissimorum dominorum dominorum Imperatoris & Regum prædictorum; & ad exaltationem, commoditatem, & statum pacificum & tranquillum partium prædictarum, ac ciuitatum, terrarum, & subditorum ipsorum, & cuiuslibet eorundem, &c.

Subdunt hæ tabulæ, vt Androinus Cardinalis A. S. L. ac fœderatorum principum oratores necessaria instructi auctoritate conuenerint: vtque Veronenses oratores sint contestati, Mantuam & Rhegium ipsis iure fiduciario obnoxia; idemque Bernabos ius sibi asserere contenderit: aduersati vero vtriq; Gonzagæ fuerint, adstipulante ijs legato, sua omnia salua esse debere contenderint. Demumq; subiecta capita seruare spoponderint. Remissæ in primis inde acceptæ illatæue iniuriæ: omnibus, qui se aduersis partibus implicuissẽt venia data; ac singuli pristinis iuribus restituti. Quod vero sequitur hac forma conceptũ est: *Item quod dictæ partes, seu aliquis prædictorum, non occupabunt aut occupabit per se vel alium seu alios ciuitates, terras, castra, rochas, villas, & fortalitia subiecta mediate vel immediate ecclesiæ Rom. seu dominis supradictis, seu etiam colligatis,*

Præteritarum iniuriarum imperata obliuio. Obstrictus Bernabos ad non inuadendos fœderatos ecclesiæ.

ad-

adhærentibus, sequacibus, seu subditis eorundem vel cuiuslibet eorum, vel quæ per se vel alios eorum nomine tenentur & possidentur; nec se de illis quomodolibet per se vel alium seu alios impedient, vel intromittent. Quod si quis contra fecerit (quod absit) eo ipso habeatur pro pacis violatore, saluis & reseruatis declarationibus, & pronuntiationibus fiendis per dictum dominum legatum vigore compromissi in eum facti. Sancitum præterea, vt iudiciaria acta in eos edita, qui parti aduersæ adhæsissent, rescinderentur in primis ab eo tempore, quo Bernabos copias aduersus Bononiam immisit mense septembri anni MCCCLIX. tum nonnulla alia ad horum gratiam sancita. Decretum etiam, vt Canisignorius & Paulus Albuinus Sealigeri ereptas Bernaboni in agro Brixiensi arces & alia in litore lacus Gardæ occupata restituarent. Si qua oriretur de fœdere fracto controuersia, eaque illustris forat, liceret læso vim vi repellere, nulla denuntiatione præmissa: si anceps ac dubia, duo equites hinc inde de ea pronuntiaturi deligerentur. Quæ ad Bononiam & castrum Lugi spectabant, eadem, quæ antea sancita erant, confirmata. Pergunt publicæ tabulæ.

Dissoluta iudiciaria in eum acta.

Constituta in Bononiensi re confirmata.

5 *Item promiserunt & iurauerunt dicti procuratores dicti domini Bernabonis nomine, & in animam ipsius, quod ipse dominus Bernabos libertatem ecclesiasticam pro posse suo, quantumcumque poterit, fideli studio conseruabit & faciet conseruari: quodque prælatos præfectos & præficiendos, ac clericos institutos & instituendos per dominum nostrum Papam vel eius auctoritate, aut ordinarios quoscumque libere admittet & permittet, & (si expedierit) faciet admitti ad ecclesias, dignitates, & beneficia sua: nec eis vel personis ecclesiasticis quibuscumque grauamina vel collectas imponet, nec eos arrestabit, nec in suis carceribus detinebit: quinimmo ipsos prælatos, clericos, & personas ecclesiasticas, eorumque ecclesias, res, & bona in ciuitatibus, terris, castris, & locis, quas seu quæ gubernat & tenet, ac tenebit ac gubernabit fauorabiliter pertractabit, & pertractari faciet, eosque in sua libertate restituet & dimittet & restitui faciet, & admitti efficaciter & pura fide: & quod quoscumque officiales & nuncios domini nostri Papæ ac sedis Apostolicæ & Romanæ ecclesiæ, vel legatorum ipsius sedis, in terris suis prædictis & alias vbicumque gratiose recipiet & admittet, & ipsos permittet & permitti faciet libere commissa eis officia exercere.*

Cautum immunitati ordinis ecclesiastici.

Item præfatus dominus noster Papa & sacrum collegium Cardinalium, & successores eorum curare & facere debeant pura fide, quod dominus Imperator redintegrabit & in integrum restituet dictum dominum Bernabonem ad titulum & honorem vicariatus Mediolanensis, & aliarum ciuitatum & terrarum, quos tenet, sicut ipse dominus Imperator alias eum constituit; & ad omnia priuilegia, literas, iura, honores, & bona, quibus dictus dominus Imperator eundem Bernabonem priuauit, & ad statum & gradum in quo ipse dominus Bernabos erat ante præsentem guerram inchoatam: & quod ipse dominus Imperator per omnia reducet ad suam gratiam ipsum dominum Bernabonem. Item quod prædicta omnia & singula locum habeant, vt præfertur, saluis & reseruatis declarationibus, pronuntiationibus, & definitionibus fiendis per præfatum dominum dominum Andruinum legatum semel & pluries vigore compromissi in eum facti per partes prædictas. Hactenus publica documenta.

Restituendus a Pont. pristinis iuribus Bernabos.

Dirimenda a legato dubia in his obortura.

6 Quod vero in ijs de Petro Cretensi archiepiscopo pacis interprete fit mentio: non prætermittimus fuisse illum B. Petrum Thomam Carmelitam, sanctitate & rebus in oriente gestis celeberrimum, quem illius socius Cypriæ regiæ scrinij præfectus in pacanda Italia summos labores pro ecclesia exantlasse, insignique prodigio ex insidiatorum, qui a pace abhorrebant, manibus euasisse, narrat a: *Foret referre difficillimum quot labores susceperit, quas operas posuerit, quam fortiter & quanto animo se gesserit Bononiæ, Venetijs, & alijs pluribus in locis pro tuendis ecclesiæ partibus, & conseruandis sanctis aditibus & vijs multis se exponens vitæ periculis & casibus: quorum aliquot ad maiorem Dei gloriam & honorem eius sancti referemus. Namque principes bene multi, castellani, et tributarij, desiderantes continuari bellum, et ex eo viuentes, quærebant nos quotidie interficere. Cum aliquando de castro ad castrum transiremus, ecce triginta circiter Vngari et alij tributarij, qui pacem abhorrentes, et a nobis vindictam sumere volentes, incitatis equis ex improuiso incursionem in nos fecerunt districtis ensibus, et minantibus gladijs, vt nos perimerent. Sed D. Petrus Thomas, spem omnem in Deo reponens, firmior et constans restitit. Tum versus ad hostes grauiter eis dixit: Quid vultis? Ipsi vero, hanc vocem audientes, quasi de cælo percussi, gladios subito in vaginas recluserunt: et sic nos dimiserunt retrocedentes. Accidit sæpius, dum belli horror vehementius ingrueret, quod nos procedentes et equitantes per medias hostium acies armis omnibus destituti, vt pacem tractaremus, videremus continuo ante et retro spoliatos homines, et suo sanguine cruentatos: et tamen per medios illorum transibamus ab omnibus periculis immunes per merita D. Petri Thomæ. Tandem ex multis casibus et dispendijs diuinitus ereptus, multis petitus insidijs spiritualibus et corporeis, pluribusque perfunctus laboribus et ærumnis, pluribus probris oneratus, dum procuraret vnitatem ecclesiæ et pacem, interclusosque terræ sanctæ aditus aperiens, in curiam papalem redijt, et a Cardinalibus et amicis tanquam e cælo progressus aliquis exceptus est. Summus Pontifex ad eius aspectum valde gauisus est, laudans magnopere probansque labores eius et opera, etc.* Addit ab Vrbano creatum patriarcham Constantinopolitanum & legatum in crucesignato exercitu: at de eo fuse inferius agetur. Nunc ad res Italicas, a quibus digressa est, reuocanda oratio.

De B. Petro Thoma archiep. Cretensi.

a Gesta M.S. B. Petri Thomæ ex Phil. a Mazeriis.

Vt ad Italicam pacem conficiendam desudarit.

Circumsessus ab hostibus eos sola voce fugat.

Conficiendæ sacræ expeditionis iter pandit.

7 Pertinacissimo odio bellum inter se gerebant Florentini ac Pisani, cum vtrinque prædonum societates, id est carnifices, ad mutuum supplicium conduxissent; de quorum excursionibus hostilibus fuse Philippus Villanus b: additque c, Pontificem legasse Marcum patria Viterbiensem supremum Minoritarum præfectum ad concordiam agitandam, de quo nos anno superiori meminimus: extant vero plures ad ipsum datæ hoc anno literæ d ad illius studia accendenda. Elusa demum diligentia Marci ac Petrocini archiepiscopi Rauennatis, quem quoque ad id muneris adhibuerat d: ob odiorum pertinaciam Vrbanus, qui etiam Florentinos & Pisanos ad mutuam concordiam hortari non desinebat e; atque Ægidium episcopum Sabinensem f, & Andruinum presbyterum g Cardinales Apostolicæ sedis legatos cõferre ad eosdem in concordiam reuocandos industriam ac solertiam iussit: *Quia, inquit, ijdem nuncij, licet fideliter & solerter in hac parte studiorum suorum labores impenderint, & adhuc duo ex eis impendere non desistant, nondum peccatis exigentibus profece-*

b Philip. Villan. append. ad l. 11. Matt. Vill. c. 79. 81. 82.

Florentini & Pisani bello implicati.

c Super. cap. 82. Vuad. in annal. hoc ann. n. 2. & seq.

d To. 2. ep. secr. pag. 95. 149. 150. 210. 349. & to. 3. ep. secr. pag. 4.

e To. 2. ep. secr. pag. 210. 349.

Duo Cardinales ad eos transmissi.

f Ib. pag. 249.

g Ibid. pag.

re potuerunt; cogitauimus de fortiori remedio, videlicet quod tu, Aegidium alloquitur, *& dilectus filius noster Andruinus tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis A.S.L. vel saltim alter vestrum, ad dictas ciuitates vos personaliter conferentes, præfatam concordiam longis iam ruminatam tractatibus cum Auctoris pacis auxilio completuri*. *Dat. Auin. VII. id. iulij anno II.*

a Philip. Vill. append. l. 11. c. 85. ad 89.
b To. 2. ep. secr. pag. 285.
Pisani fusi
c Phil. Vill. c. 97. Leon. Aret. l. 8.
Reuocata pax.

Cum vero accenso in dies bello a, funesti alicuius congressus terror immineret, Pontifex Petrocino archiepiscopo Rauennati imperia dedit b, vt dirimere acies, ne ferro decernerent, omni studio conaretur. At nō potuere Florētinorum & Pisanorum ira ardentes animi mulceri: atque ad Cascinam collata signa: post atrox prælium Florentini, qui sociales turmas a Pisanis abstraxerant, demum victoria potiti c. Concidit ea clade Pisanis animus, ac Bernabonem in belli societatem vocauerunt; demumque internuntiorum pontificiorum opera Florentini Bernabonis metu, ne ex eorum discordijs Etruriam sibi subijceret, fœdus cum Pisanis honestissimis sibi legibus percusserunt d: quibus appendicem ad Matthæum Villanum patrem Philippus absoluit. Agunt etiam de his pluribus Leonardus Aretinus e, & S. Antoninus f. Vbi vero Pontifex de redintegrata, Deo auctore, inter Florentinos & Pisanos concordia certior factus est, ingenti gaudio delibutus, Petrocini & Marci internuntiorum labores commendauit g, atque vtrique populo e bello emersisse est gratulatus h, eosque excitauit alijs literis, vt ad purgandam prædonum turmis socialibus Etruriam vires coniungerent i, ac dictos internuntios apostolicos ad id magno studio iussit incumbere l; exhauriri enim huiusmodi hominum sentinam, vt tuta foret innocentia, ac tranquillitas restitueretur Italiæ cupiebat: quos ipsum in Gallijs insectatum, ac feliciter deleuisse, visuri sumus.

d Phil. Vill. append. l. 11. c. 102.
e Aret. l. 8. hist. Flor.
f Ant. 3 p. tit. 21. c. 9. & 10.
g To. 2. ep. secr. pag. 312.
h Ib. pag. 314.
i Ib. pag. 340.
l Pag. 342.

Solicitati Genuenses ad subijciendā sibi Cretā

8 Eluxit etiam pontificia diligentia in auertendo bello, quod Genuenses inter ac Venetos exoriundum timebatur: solicitati enim fuere Genuenses a Cretensibus, qui Venetorum iugum excusserant, de eoripiendo Cretæ imperio, quo ab ijs auxilia elicerent. At Vrbanus legatum apostolicum ad Cretanses misit m, vt eos ad Venetorum obsequium reuocaret, & Gabrielem Adurnium ducem cæterosque Genuenses anixe rogauit, ne vlla perduellibus auxilia submitterent, cum ea discordia grauissima exitia ipsis ac Venetis, vniuersæque rei Christianæ parera posset, ac Petri Cypri Regis redituri in orientem prudentia breui Cretensis res componenda esset: *Speramus*, inquit, *in diuina gratia ac discretione dicti legati nec non prouidentia charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Cypri illustris, qui in eisdem cismarinis partibus adhuc constitutus ad dictas vltramarinas partes de proximo cum potentia fidelium in subsidium præfati passagij conferre se debet, quod cito fiet reconciliatio memorata. Dat. Auin. IV. non. iunij anno II.* Dum traijcere Cyprius Rex parabat, cum quo sumptum erat consilium, vt orientem repetens, præteruecturus eum exercitu Cretam, insulanos vel vi vel officijs ad Venetum imperium redigeret. Reportata a Venetis clarissima victoria, ac fractis perduellibus, vniuersam insulam ad obsequium redijsse increbuit. Celebrat confectæ tantæ expeditionis gloriam inter alios a Petrarcha eleganti oratione, nuntiosque de parta victoria pridie non. iunias portu Venato exceptos, refert his verbis o:

m Pag. 206
Admoniti a Pontifice ne illi tutelam suscipiant.
n M. S. diar. Venet. & M. S. appe. ad hist. And. Dan. et alio.
Creta ad Venetum imperium reuocata.
o Petr. l. 4. senil. ep. 2.

Vbi in terram egressi nuntij verba in consilio fecere, supra spem supraque fidem læta omnia; victi enim cæsi, capti, fugatique hostes: ciues vinculis eruti: vrbes ad obsequium reuersæ: reimpositum Cretæ iugum: posita arma victricia: peractum denique sine cæde bellum, & pax parta cum gloria. Quibus cognitis dux Laurentius, vere Celsus, vir (nisi me forsitan amor fallit) & magnitudine animi, & suauitate morum, & virtutum studio, superque omnia singulari pietate atque amore patriæ memorandum sciens, nil rite vsique feliciter fieri, nisi sumptum fuerit a religione principium, in laudes Dei & gratiarum actiones toto cum populo se conuertit, perque vrbem omnem, sed conspectius in basilica B. Marci Euangelistæ (qua nulla, vt reor vsquam pulchior facta est, quantum fieri per hominem Deo potest) sacris celeberrimis, & processione insigni ante & circa templum habito: vbi non solum populus clerusque omnis affuit, sed prælati etiam externi, quos hic vel casus, vel videndi amor, vel vulgata deuotio detinebat.

Actæ Deo a Veneto duce solēni ritu gratiæ.

9 Huius quidem triumphi laudem Veneti non suæ, sed diuinæ virtuti ascripsere: in quo ipsorum virtutem bellicam coniunctamque pietatem Vrbanus gratulatorijs hisce datis ad Laurentium Celsum ducem literis commendauit a.

a Eod. to. 2 ep. secr. pag. 230.

Vrbanus, &c. dilecto filio nobili viro Laurentio Celsi duci Venetiarum.

Gratulatoriæ de parta victoria Pōtificis literæ.

Nobilitatis tuæ literas continentes nouum, prosperum, & vniuersitati Christianitatis acceptum, de vestra recuperatione vidalicet insulæ Cretensis (cuius rebellionem inimicus pacis & impeditor sancti passagij suscitarat) nuper recepimus, ac perlegimus cum immensa lætitia cordis nostri: Deoque grates referimus, a quo tantum donum noscitur prouenisse, quique non solum impedimentum præfati passagij misericorditer sustulit; sed illi ex hoc, de gente tua videlicet, vt audiuimus, numerosa existente in dicta insula, validum præbuit sua prouidentia fundamentum. Ex eoque nostrum gaudium cumulatur quod, prout nobis significare curasti, tu tuusque populus tantam victoriam non a vestris meritis, potentia, vel virtute; sed solum a diuina clementia recognoscitis processisse: proindeque vos gratitudinis filios & humilitatis alumnos, in conspectu tantæ gratiæ largitoris acceptos, ac digniores huiusmodi munere reputamus. Eosdem itaque nobilitatem & populum paternis exhortamur affectibus, vt huiusmodi recognitionem humilem semper in vestris cordibus & actibus conseruantes, in subsidium dicti passagij vestram subuentionem magnificam pro illo, qui vobiscum magnificauit suam misericordiam, augmentantes gentem eandem in dictum passagium, prout poteritis, conuertatis. *Dat. Auin. v. kal. iulij anno secundo.*

10 Redacta ad officium Creta, meliores orientalis rei tuendæ amplificandæque spes illuxere, solutis belli Cretensis cura Venetis: auctæque sunt ex instaurato inter Imperatorem ac Regem Vngariæ ineunte anno fœdere, sarciente b nimirum Carolo inimicitiam, qua Elizabethæ Reginæ Vngari matris nomen affecerat. Functus est egregie suis partibus in extinguendo periculosissimo bello, quod ex leui scintilla susurronum flabello ventilata ad Germaniam, Vngariam, Poloniam, Daniamque depascendas incendio exardescebat, Petrus episcopus Florentinus c, cui Guido Aquensis episcopus & Prædicatorum supremus magister adiuncti d fuere. Adstricta est

b Michou. l. 4. c. 20. Crom. l. 12.
Inter Imper. & Vngariā fœdus medio internūtiorū pontificiorū opera.
c Ann. 2. ep. cur. pag. 100.
d Ibid.

est affinitate ea concordia, solemnesque habiti Cracouiæ conuentus, quibus Imperator & quatuor alij Reges, Vngariæ scilicet, Poloniæ, Daniæ, & Cypri præter alios insignes principes interfuere. Tradunt plura de conuiuiorum egregio apparatu, & hastiludiorum magnificentia Polonici scriptores a. Gratulatus vero Vrbanus Papa internuntio Petro episcopo Florentino mandauit b, vt Imperatori eiusque fratri Ioanni marchioni Morauiæ, tum Ludouico Vngaro Regi & Rodulpho duci Austriæ fœderatis ob positas inimicitias diremptasque arbitrorum iudicio lites pontificio nomine gratias ageret: tum ad promouendam in Saracenos Asiaticam expeditionem concitaret. Accesserat vero Cyprius Rex ad memoratos cœtus, vt præsens Reges principesque ad tanti facinoris gloriam accenderet. His compositis, Petrus Florentinus episcopus redire e Germania iussus c Auenionem ad aulam pontificiam accessit, & sancitæ pacis capita publicis monumentis consignata attulit d: quibus visis Vrbanus magno affectus est gaudio. Scribebant etiam de his ad Pontificem Carolus e Imperator & Ludouicus f Vngariæ Rex, atque mutui belli cura exonerati armorum potentiam aduersus ecclesiæ hostem Bernabouem pollicebantur: sed is periculi imminentis præscius, in Vrbani gratiam redierat hoc ipso tempore, vt diximus. Praeterea Carolus promittebat, Vrbano, sedem Romam transferre meditanti, se in eo itinere illum stipaturum: de quibus ei Pontifex hisce literis gratias egit g.

Solemnes Regum conuent' Cracouiæ habiti.

a Michou. / uger c. 20 Crom. l. 12
b An. 2. sup par. ep. cur pag. 100.
c Ead. ep.
d To. 2. ep. secr pag. pag. 192.
e Ead. pag 192.
f Pag. 203

Cæsar offert se paratum ad stipandū Pont. vt redeat in Italiam.
g Super pag. 192.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto.

11 Nuper venerabilis frater Petrus episcopus Florentinus, a tua reuersus præsentia, capitula pacis, quæ cum charissimo in Christo filio nostro Ludouico Rege Vngariæ illustri, ac dilecto filio nobili viro Rodulpho duce Austriæ tua fecerat magnitudo (de qua pace, toti populo Christiano perutili, sicut per alias literas imperiali serenitati scripsisse meminimus, habuimus & habemus plenitudinem gaudiorum) & ea, quæ imperialis magnificentia nobis & Romanæ ecclesiæ obtulit, si discordiæ, quas habebat cum eisdem Rege & duce, & quibus durantibus nequibat eidem ecclesiæ, quę tunc agitabatur bellorum impetibus, in potenti subuenire brachio, sedarentur; & etiam illam oblationem magnificam multiplici deuotione præclaram, quam nobis persæpe fecisti de comitando nos ad Vrbem, vel alias partes Italiæ, ad quas gressus nostros dirigi pie cupias; nobis retulit fideliter, & prudenter. Hæc igitur oblata grandia, quæ a radice deuotionis eximiæ prodire conspicimus, merito habentes accepta, prouidæ tuæ sublimitati referimus gratiarum multiplices actiones.

Aguntur illi a Pont. gratiæ.

13 Et licet non solum desiderium, sed etiam propositum habeamus, Vrbem & alias partes Italiæ visitandi; tamen consideratis malis conditionibus istarum partium propter vicinitatem & hostilitatem prauarum comitiuarum, & periculo, cui ciuitatis Auinionensis & comitatus Venaysini, ad Romanam ecclesiam pertinentes, nondum opportunis fortificationibus communiti, vacuari, ac indefensi propter subitum nostrum recessum, possent verisimiliter subiacere; (de socialibus prædonum turmis, quæ circumpositas Auenioni & comitatui Venusino regiones infestabant, Vrbani studio profligatis, dicendum erit inferius; ne orationem cœptam abrumpamus: adiungit aliam Vrbanus retardati in Vrbem reditus rationem ex Etruriæ motibus peritam) nec non discriminibus partium Tusciæ, nostrum & tuum in hac parte desiderium nondum possumus adimplere: sed expectamus ampliorem Dei gratiam, quæ ista impedimenta submoueat, transitus libertatem tribuens & tutelam. Et licet ad magnum cederet nostræ consolationis augmentum habere in isto itinere imperialis celsitudinis comitatum, ipsius recreari affatibus, multaque simul pro reipublicæ vtilitate conferre, collata disponere, ac disposita (gratia suffragante diuina) executioni mandare; tamen inclytam personam tuam nimia longinquitate distantem, in hoc casu honeste non possumus fatigare, reputantes nihilominus tantæ liberalitatis munificentiam ab Augustali culmine recepisse. *Dat. Auin. x. kal. iunij anno secundo.*

12 Imminebant grauissima mala ex alia discordia, quæ archiepiscopo Salisburgensi ac Rodulpho Austriæ duci intercedebat cum Stephano duce Bauariæ, cum vniuersæ Germaniæ principes ad arma concitarentur. Ad quam compescendam Pontifex, misso episcopo Æsculano a, Ludouicum Vngariæ Regem b & Carolum Imp. rogauit, ne illos infestis signis concurrere paterentur.

Nouæ in Germania turbæ

a To. 2. ep. secr pag. 326.
b Ib. pag. 327.

Vrbanus, &c. Carolo Romanorum Imperatori semper augusto.

Didicimus, quod orta dudum discordia inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Salzburgensem, & dilectos filios nobiles viros Rodulphum ducem Austriæ ex vna parte, ac Stephanum ducem Bauariæ ex altera, procurante zizaniæ satore, sic creuit, sic vtriusque partis animos inflammauit, quod partes ipsæ, propriarum virium terminos excedentes, consanguineos & amicorum quamplurimorum auxilia inuocant, iamque incipiunt congregare; & cum ipsi duces generositate præpolleant, magnaque potiantur gloria facultatum, totam pene Alamanniam & vicinas partes ad mutui congressus excidium trahere moliuntur: ex quo, nisi de festinæ pacis succurratur remedio, cum illarum partium populi sint naturaliter bellicosi, si (quod absit) partes ipsæ ad prælium deueniant generale, Christiani sanguinis grandis effusio, & per consequens mala quamplurima, quæ bellorum calamitas solet producere, probabiliter formidantur. Nos igitur aduersus mala ipsa, ne vires sumant vlterius, cupientes (prout tenemur) opportunam diligentiam adhibere, de tua interpositione adhibenda in hac parte solicite spem præcipuam obtinentes, venerabilem fratrem nostrum Agapitum episcopum Æsculanum A.S.N. *et infra*, duximus destinandum, &c. *Dat. Auin.* III. *non. septembris anno* II. Adhibiti præterea a Pontifice c Ioannes episcopus Olomucensis, ac plures alij præsules & principes ad discordiam componendam: tum Stephanus Bauariæ ac Rodulphus Austriæ duces & archiepiscopus Salisburgensis a bello grauissimis sententijs deterriti d. Perstringunt huius belli causas historici e, nimirum de Maynardi filij Ludouici marchionis Brandeburgensis superiori anno vita functi successione certatum: additque f Philippus Villanus, eum a matre Margareta Tirolensi veneno extinctum, cum illi filius patrem ab ipsa sublatum toxico obiecisset. Quæ si vera sunt, insigni exemplo esse possunt, qui fructus ex præsumpta a Ludouico Bauaro soluendarum cano-

Pontificię de ipsis sedandis lit.

c Ib. pag. 328.
d Ead. pag. & pag. 327.
e Rebdorf. in annal. Phil. Vill. in append. ad l. 11. c. 78. Auent. hist. Bauar. l. 7.
f Phil. Vill. sup. c. 78.

pi-

nicarum legum de coniugijs auctoritate fint consecuti. Cęterum comitatus Tirolensis, cuius cupiditate facinus a Bauaro patratum vidimus, non ad Bauaram stirpem, sed in Austriacam transmissus a Margareta fuit: bellumq; ea de causa susceptum Cæsaris & Vngari studio pacatum est c.

Austriac' Tirolensi comitatu auctus.

c Id. ibid. Rebdorf. in annal.

13 Neque augere modo principatum Rodulphus annitebatur, verum etiam literis exornare; flagitauitque ab Vrbano b, vt Viennæ academiam institueret, in qua Austriaci scientijs expolirentur; dataque est a Pontifice Ioanni tit. S. Marci presbytero Cardinali prouincia, vt exploraret, an ea vrbs apta in id esset. Quo referente, idoneam videri, rescripsit Rodulpho Pontifex se, antequam de ea condenda diploma apostolicum ederet, habere in votis, ab ipso certiorē fieri, quibus priuilegijs eam academiam ipse ac fratres decorare vellent. Rogauit etiam Pontificem Casimirus, vt cum Poloni ab academijs celebrioribus tanto locorum essent interuallo dissiti, vt plures a literarum studio ob viarum discrimina abducerentur; atque inde pauciores in eo regno literati viri essent, tum etiam alij grauissima pericula adirent, in vrbe florentissima Cracouiensi academica studia excitaret, vt tanquam ex fonte perēni in totam Poloniam ac vicina regna scientiarū riui dimanarent. Cuius petitis morē gessit Vrbanus, exarato ea de re ad e perpetuam rei memoriā apostolico diplomate, cuius præcipuā partem subijcio: *Non solum*, inquit, *ad ipsorum, sed etiam aliarum regionum circumiacentium incolarum commodum et profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Regis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica statuimus et etiam ordinamus, vt in dicta ciuitate Cracouiensi de cætero sit studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat tam in iuris canonici et ciuilis, quam alia qualibet scientia, præterquam in theologica facultate: et quod legentes et studentes ibidem omnibus priuilegijs, libertatibus, et immunitatibus concessis doctoribus legentibus, et commorantibus in studio generali gaudeant, et vtantur, etc. Dat. Auin. kal. septembris anno 2.*

b To. 2. ep. secr. pag. 310.

De Viennensi academia instituenda actum.

e An. 2. ep. sec. 113.

Instituta Cracouiensis.

14 Ornata est Dania sanctorum reliquijs, quas in pluribus templorum regni Daniæ sacellis collocandas Vrbanus Regi Vualdemaro contulit. Ad cuius etiam gratiam ac preces, vt populos ad eas venerandas pelliceret, Pontifex nonnulla indulgentiarum præmia ijs est impertitus d, qui ea sacella statis diebus pie obirent: *Cum*, inquit, *sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Vualdemarus Rex Daciæ illustris de B. Mariæ virginis gloriosæ crinibus et vestibus, et ligno S. Crucis, et de B. Ioannis Baptistæ, S. Georgij et S. Vincentij, sanctorum Nerei et Achillei sacris reliquijs certas particulas, nuper eidem Regi per nos traditas et concessas, in capellis sanctorum Mariæ de Vvermburght et Iacobi de Gorne et Georgij in Kalmgeburgh et Christophori de Syburg castris Roskildensis diœcesis proponat cum deuotione debita collocare, &c.* Affecit etiam Christi vicarius nonnullis indulgentiarum præmijs e pios Danos, qui pro Rege Vualdemaro sacras apud Deum preces funderent: tum etiam ipsum ac regnum in B. Petri sedis Apostolicæ clientelam accepit f: tum omnium piorum operum, quæ in ecclesia fiunt, singulari quadam prærogatiua participem esse voluit g; qua de re datum diploma asserimus, [illegible]

Dania sanctor. reliquijs exornata.

d An. 2. lit. diuer. sec. pag. 24.

e Ib. ep. 17.

Daniæ Rex in clientelā Apost. sedis acceptus.

f Ib. ep. 19.

g Eadem an. 2. lit. diuer. sec. pag. 102.

Vrbanus, etc. charissimo in Christo filio Vualdemaro Regi Daciæ illustri.

Eximiæ affectionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geris ecclesiam, promeretur vt Apostolica sedes, quam nuper ex immensæ deuotionis affectu personaliter visitasti, celsitudinem tuam maternæ dilectionis brachijs & singularibus gratijs amplectatur. Hinc est, quod nos, votis tuis in hac parte affectu beneuolo concurrentes, te cum regno tuo & alijs omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, sub B. Petri Apostoli & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Et insuper vt ex præmisso tuæ visitationis labore & alijs tuis deuotis operibus aliquod spirituale præmium digne reportes, te bonorum omnium, quæ in Dei ecclesia, ipsius operante clementia, ex nunc fieri contigerit, te participem esse volumus; idque tibi apostolica auctoritate concedimus de munere gratiæ specialis. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. vii. id. martij anno* 2.

Omnium piorum operum singulari priuilegio fit particeps.

De Vualdemari Regis Daniæ ad Pontificem accessu agit Vrbani vitæ scriptor a: atque vna cum Rege Cypri de Asiatica expeditione conficienda sacramento se obstrinxisse, cuius verba inferius adducemus. Consentit etiam in historia b Danica Crantzius de Vualdemari ad aulam Auenionensem aduentu, & quadragesimæ tēpore rosa aurea ab Vrbano ipsum donatum tradit. Suscepti vero itineris causas Vuandalicarum vrbium defectionem fuisse indicat, cum quibus graue antea bellum gessisse scribit c vario euentu: in quodam prælio filium Christophorum lapide ictū ab hoste amisisse: potitum fœderata rebellium classe: deinde, alternante victoria, in portu Vismariensi ipsius classis præfectum profligatum. Neque a Crantzij dictis dissonant pontificiæ literæ, cum ostendant grauissimas querelas fudisse Vualdemarum apud sedem Apostolicam in plures proceres, vrbiumque ac prouinciarum extra Daniam sitarum magistratus, qui cum Vualdemaro fidei sacramento sese obstrinxissent, ab eo desciuerant, ac iurata obsequia præstare abnuebant; implorasseque pontificiam opem, vt apostolica auctoritate ad officium cogerentur. Cuius iustis querelis permotus Pōtifex, Caminensi, Lincopensi & Lubicensi episcopis prouinciam dedit d, vt censurarum ecclesiasticarum incussa religione perduelles comprimerent. Reuerso in Daniam Vualdemaro, concitatos maiores motus refert Crantzius e. Hæ vero Danicæ turbæ magnum rei Christianæ in Asia detrimentum attulere, cum ab obeunda sacra profectione, votoque religionis in Asia instaurandæ distraxerint. Nec minus sacri illius fœderis ducem Ioannem Regem Francorum improuisi casus, nouæ scilicet cum Rege Nauarræ discordiæ, sociarum turmarum latrocinantium excursiones in Gallijs, placandi Regis Angli curæ, denique mors pium consilium obruerunt. Vtque de suborta cum Nauarro controuersia primum dicamus,

a Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Vualdemar' Rex rosa aurea donatus a Pont.

b Albert. Crantz. Dan. l. 7. c. 39.

c Ead. lib. c. 38.

Varij in illius regno mot'

Obiectæ perduellibus censuræ.

d An. 2. di uers. secr. ep. 22.

e Crantz. l. 7. Dan. c. 39.

15 Vertebatur illa de Burgundiæ ducatu inter Reges, extincto duce puero: cum Ioannes principatum Gallicæ coronæ beneficiarium ad se deuolutum contenderet, Carolus vero Rex Nauarræ iure hereditario illum ad se deriuaret. Ad quos Reges arctissima affinitate coniunctos, paratos bello decernere, in concordiam reuocandos Pontifex Guidonem episcopum Portuensem, & Aegidium tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinales legatos in Gallias misit f, ampli-

De Burgūdia inter Francum, & Nauar. rum certatum.

f To. 2. ep. secr. pag. 124.

Prædatrices turmę a Gal. pag. b An.2.ep.cur.32.33 34.& 132. & ep.diuerf ferm. 127.396. Plangit earũ crudelitatem impietatemque Pont.

plissimaque instruxit auctoritate a. Augebant porro eius discordię formidinem vagę ac palabundæ cohortes, quæ regnum illud vastabant. Ad quas comprimendas corripi a fidelibus arma iussit Christi vicarius, grauissimis edictis b IV. kal. martij promulgatis, horrendaq; ab ijs patrata flagitia ita deplorat: *O quantus dolor sensibus nostris ex facinoribus tam horrendis ingeritur, cum videmus tantam multitudinem gregis dominici in luporum feritatem & rabiem conuerti! O quantus luctus sanctæ matris ecclesiæ, quæ dilectos filios, quos contra omnes barbaricas nationes habere debet defensores & pugiles, nunc tortores atrocissimos quasi ethnicos experitur! O quanta fidelium inundatio lachrymarum, dum se talibus interius hostilitatibus debilitari conspiciunt, & infidelium quorum incursus sunt formidandi plus solito sanguine redemptorum: nam illi, in potestate sathanæ constituti, quæcumque ille suggerit adimplere contendunt; & bestiali quadam ignorantia licitum ab illicito non discernunt, &c.* accendit fideles proposita veniæ spe ad arma aduersus intestinos hostes expedienda. Nec mora: Galli Narbonenses consurrexere in arma aduersus fœderatos prædones, qui eorum sanguinem lambebant, ipsosque locis munitissimis diuino pene miraculo, quod optimi Pontificis meritis ascriptum, deturbarunt: pars celeri ac rapida fuga aut armis domita aut iusto oppressa supplicio, aut vitæ incommodis attrita euanuit, vt Vrbani vitæ auctor describit c.

c Vrb.vit. script. apud Bosq. d Phil Vill append.ad l.11.c.76. Froiss. hist. l.1. Paul. Aemil. in Io.Gaguin in eod. Regum conuent' Londini habiti. e Vualsing in Eduard III. Ioannis Fräc. Regis mors.

16 Hæc magna ex parte sub primis noui Regis Francorum Caroli V. initijs gesta, cum Ioannes pater in Anglia obijsset: cuius profectionis in eam insulam causam illam afferunt d, vt filij obsidis abitionem excusaret, liberaretque cęteros. Nec modu contendisse in Angliam Ioannem, vt de initæ pacis legibus implendis ageret; verum factæ expeditionis vna cum Cypri Rege adornandæ studio, indicat Vualsingamus e, dum tradit quatuor Reges, Francũ, Anglum, Cyprium, Scotum Londini conuenisse. Addunt plura scriptores de magnifico apparatu, quo Francorum Rex fuit exceptus. Verum inter hæc lethali morbo correptus, extinctus est corpusque relatum in Gallias regio more conditum. Cuius exequiæ a Cyprio Rege ex amisso expeditionis Asiaticæ socio dolore graui affecto cohonestatæ. Quatuor relicti sunt a Ioanne superstites filij, nimirum Carolus delphinus idemque Normanniæ dux, Ludouicus Andium & Cœnomanum comes, Ioannes Biturigum, & Philippus Burgundiæ duces: quorum maior natu Carolus eius nominis V. sceptrum Gallicum de more sacratus f Rhemis suscepit; de quo hæc M.S. Vaticani auctor g: *Anno Domini* MCCCLXIV. *mensis ianuarij die* XVII. *dominus Ioannes* Rex *Franciæ reuersus ad captiuitatem in Anglia obijt, & fuerunt eius exequiæ in capella Papæ celebratæ die martis* VII. *maij. Die* XVIIII. *dominica Trinitatis coronatus fuit in Regem Carolus primogenitus domini Ioannis Regis Franciæ supradicti defuncti*. Ad eum Vrbanus mox atque de Ioannis Regis obitu certior est factus, datis literis omni refertis officio, ingentem e tanti principis desiderio dolorem percepisse significauit h; verum acerbitatem doloris successoris virtutum memoria temperasse, quarum ornamentis, nimirum pio iustitiæ ardore, clementiæ suauitate, optimæ mentis nitore, egregio erga Romanam ecclesiam studio, grauitate morum, cæterisque eximijs animi dotibus instructum,

Succedit Carolus Rex. f Phil.Vill c.93. Froissard. l.1. Paul. Aemil. in Io.& alij. g M.S. bibl Vat. sign. n.3765.

Excitatur a Pont. ad regias virtutes. h To.2 ep. secr. pag. 161.

optime regnum administraturum speraret...

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Franciæ illustri.

17 Lugubris rumor plurium fidedignorum iam assertione firmatus, obitum claræ memoriæ Ioannis Regis Franciæ tui genitoris insinuans, nostram & fratrum nostrorum mentes grauit doloris aculeo sauciauit, dum charissimum filium subtractum conspicimus, qui feruens plenitudine deuotionis ad Deum honorabat ecclesiam, & libertatem ecclesiasticam conseruabat, ardoreque diuinæ charitatis ignitus, zelo sacræ fidei, qua saluamur, se militem Regis Regum prompta pollicitatione constituit, crucem suam humeris baiulans, redemptorem suum (pro cuius reuerentia paratus erat proprium fundere sanguinem) sicut princeps Christianissimus secututus! O quantus dolor totius sui populi, tam prudentis & magnanimi principis regimine destituti! O quantus mœror Christiani exercitus, ad recuperationem terræ sanctæ profecturi de proximo, tenentis se ducis tam prouidi tamque strenui amisisse ducatum. Profecto cum ijs dolentibus merito condolemus, & dolere debet vniuersa ecclesia sancta Dei, quia nullus fidelis expers potest esse mœroris, cum constat generale dispendium accidisse. Verum quia non est instandum doloribus, vbi præsertim consolationis remedia diuinæ bonitatis gratia, quæ nunquam deest in se sperantibus, tribuuntur, de tanta merito consolamur mœstitia, pie credentes, quod iustus iudex, bonas considerans & præmians voluntates, eiusdem tui genitoris transfretandi propositum pro facto clementer recipiet, eumque certantis athletæ diademate cum secum regnantibus coronabit. Dumque tuæ magnitudinis circumspectionis industriam, iustitiæ zelum, magnanimitatis animum, clementiæ benignitatem, conscientiæ nitorem, ac deuotionis intimæ ad Romanam ecclesiam puritatem, aliorumque morum regalium grauitatem eximiam paterna consideratione pensamus, tristitiæ nebulas digne abijcimus in successore sic laudabili recreati: digneque tui nobiles & plebeij, & præcipue personæ ecclesiasticæ, quas in sua libertate, dextera Domini tibi assistente, tueberis &. (vt speramus) regalibus fauoribus prosequeris, possunt mœrorem deponere, & in regimine tam virtuosi principis iucundari.

Pont. lit. consolatoriæ.

Eapropter, fili charissime, in Domino conforteris, præmissarum & aliarum virtutum exercitio studiosius intendens, tuumque populum, longorum bellorum impetibus conquassatum coneris, prout in te fuerit, tranquillitatis & pacis dulcedine resonare. Et quia honor Regis iudicium diligit, & firmatur iustitia thronus eius, illam amplexeris deuotius, nullo tempore relinquendam: ac eandem Romanam & alias ecclesias, & personas ecclesiasticas, ob illius reuerentiam, per quem, ipso propitio regnabis feliciter, habeas commendatas; nos velut patrem beneuolum, qui tuam sublimitatem ac regnum in visceribus charitatis habemus, ad ea, quæ tuam & eiusdem regni prosperitatem respiciant, requirens cum fiducia filiali. *Dat. Auin.* II. *kal. maij anno secundo*.

a Tom. 2. ep. secr. pag 177. Instauratalis de Burgundia.

18 Recruduit a mox a suscepta Gallicæ rei gubernaculis ipsum inter ac Regem Nauarræ superior de ducatu Burgundiæ Philippo fratri attributo controuersia, quæ Ioannem exercuerat; im-

immo in apertum bellum erupit a r in cuius initijs nonnulla loca, quæ obtinebat in Gallijs Nauarro erepta: fusus b etiam a Bertrando Gesquinate, bellicis facinoribus clarissimo duce, Nauarræ Regis copiarum præfectus: ac subinde plura ad victorem prona fuere. Horum motuum fama ingentem dolorem Pontifici Christiana arma in hostes fidei auertendi cupidissimo attulere: abbatemque monasterij e Clusa diœcesis Taurinensis ad bellum nascens extinguendum vi. kal. septembris misit c; ac Reges ad concordiam adhortatus, controuersiam æquitate se dirempturum d est pollicitus. Implicitus erat Carolus Nauarræ Rex alio grauissimo bello, quod magna contentione inter Aragoniæ Castellæq; Reges gerebatur: ac renouatum e inter eundem Carolum & Aragonium atque Henricum Trastamaræ comitem fœdus kal. martij de Castella inter ipsos diuidenda, vt nimirum Cantabria citeriorque Castella Nauarro, Murcia Toletumque Aragonio, reliqua Castella Henrico cederent. Cæterum in hoc bello Castellanus, cum mari periclitatus esset, quassata vi tempestatis, classe pietatis specimen edidit, visusque scelerum pœnitere: *Veti enim reus*, vt ait Mariana, *vicinum D. Mariæ templum, reliquis indumentis detractis, in linea tunica adyt, reste etiam collum implicitus*, non tamen propterea bello abstitit.

a Phil. Vill append. ad l. 18 Mat. Vill. c. 83. Paul. Æmil. in Carol. V. Froiss. hist. l. 1.
b Phil. Vill c. 92.
Illis sopiendæ data a Pont. opera.
c To. 2. ep. secr. pag. 293.
Nauarræ alio in Castellanum bello implicitur.
d Ib. pag. 8.
e Marian. l. 17 c. 7. Surit. l. 9. c. 52.
Castellanus mari periclitatur.
Pietatis specimen edit.

Ex funestis Regum congressibus, quibus res Christiana deprimebatur, ingenti affectus dolore Pontifex Petrum abbatem S. Michaelis ordinis S. Benedicti diœcesis Taurinensis abbatem, quem ad Nauarrum Regem pro eo cum Gallo conciliando missum vidimus, tractandæ Aragonium inter & Castellanum concordiæ munere & auctoritate instruxit f: de quo ad Petrum Castellæ Regem hasce literas dedit g.

Internuntius a Pont. ad eum missus.
f To. 3. ep. secr. pag. 188.
g An. 3. ib. eur. pag. 190.

Vrbanus, &c. Petro Regi Castellæ illustri.

Cum de tuo ac magnifici principis Petri Regis Aragonum illustris bello grauissimo toti Christianitati damnoso, doleamus ab intimis, sæpeque non absque multa mœstitia memoremus, quod remedia, quæ prouidentia Apostolicæ sedis adhibuit hactenus, vt te Regemque præfatum ad concordiam reuocaret, ad tuum ac eiusdem Regis regna bina vice legatos de latere destinando, morbo tam grauis dissidij hucusque minime valuerunt; nos gerentes in votis per nosipsos in præfato laborare negotio, si forsan Altissimus dignetur concedere, quod illud ad finem optatum perducere valeamus, serenitatem tuã requirimus & rogamus, ac etiam obsecramus instantius, quatenus aliquos ambaxiatores discretos & fideles, Deum timentes, & appetitores pacis huiusmodi, de tuis iuribus & intentione plenius informatos cum plenaria potestate in dicto negotio, quamcito commode poteris, ad nostram non omittas præsentiam destinare; interim firmando treugas congrui temporis, quod pro tractatu tanti negotij fuerit opportunum. Super quibus dilectum filium Petrum abbatem monasterij S. Michaelis de Clusa Taurinensis diœcesis Apostolicæ sedis nuntium latorem præsentium, virum vtique fidelitate præclarum, ac circumspectione & scientia decoratum, ad tuam & iam dicti Regis, cui super ijs similiter scribimus, præsentiam destinamus, &c. *Dat. Auin. XVIII. kal. ian. anno* III. Conceptæ h sunt eadem verborum formula aliæ ad Regem Aragonum literæ, ita ob contractas ab eo censuras inscriptæ: *Magnifico principi Regi Aragonum illustri spiritum consily senioris*. Sed antequam de contractarum ab Aragonio censurarum causis agamus, coniungendum superioribus videtur; cum noui belli inter ipsum ac ducem Venetorum discrimen emergeret ob enatas mutuas simultates illatasque vicissim iniurias, actas nimirum mari in mercatores prædas, Pontificem alendæ pacis inter principes Christianos solicitum a Petro a Rege Aragonum ac Laurentio Celso duce Venetorum contendisse b, vt ipsi quoque oratores pro componendis ipsorum controuersijs ad aulam apostolicam legarent.

Solicitatur ad pacem cum finitimis.
h Ead. pag. De eadẽ etiam postulatus Aragonius.
a Ead. pag. & pag. 191.
b To. 2. ep. secr. pag. 197.

19 Dum ita Vrbanus ad Regis Aragonum salutem ac publicam populorum pacem incumberet, non leues ille Dei vicario iniurias reposuit: inuasit enim pontificia vectigalia c, quæ a pontificijs quæstoribus cogebantur: tum etiam Cardinalium, ac præsulum, vel sacerdotum, qui in ecclesijs ad diuinum cultum præsentes non incumberent. Hic rapinarum exercendarum speciosus color fuit, repetito Regis Angliæ, de quo alias dictum est, peruerso exemplo; neque enim Regis Aragonum erat sacras ob id opes diripere. Neque ab æquitate dissonum erat, vt Cardinales, ac præsules, sacerdotesue, qui Apostolicæ sedis obsequijs atque adeo publicæ vtilitati insistebant, vectigalibus suis spoliarentur. Vrbanus itaque ne ecclesiasticam libertatem opprimi sineret, Aragonium qui sacerdotum absentium a suis ecclesijs bona sub hasta diuendi iusserat, ac bonorum proscriptionem necisque discrimen repugnantibus intentarat; paternis primum literis monuit, vt sacras restitueret opes, iniustaque edicta reuocaret. Qui rem se ex sapientum suorum consilio sanxisse respondit, visamque iustitiæ consentaneam ob temporum difficultatem; licet minus idonee de ijs restituendis bonis caueret, cum exhaustum ærarium refecisset. Quibus acceptis Dei vicarius ad regiam pertinaciam edomandam, consiliarios improbos reprimendos, ac iura ecclesiastica ex deprædantium manibus vindicanda iudicium Petro Regi apud subsellia apostolica intendit III. id. martij, ni occupata bona bimestri excurrente dimitteret: obiectaque illi & consiliorum eiusmodi participibus anathematis religio. Quod edictum in arcis Adrianæ tabulario reconditum, & inter insignia monumenta Sixti IV. imperio a Platina d collecta extat.

Sacerdotales census occupati ab Aragonio.
c Ib. pag. 353. & M.S. bib. Vall sign. lit. B. n. 12. pag. 339.
Intentatũ illi iudiciũ.
d Collect. M.S. Plat. to. 3. pag. 167.

20 Accersitus etiam est in Sardiniæ & Corsicæ causa Petrus Rex in iudicium e, ob intermissam annis decem annui census solutionem, nec præstitam Vrbano clientelarem sponsionem minatusque est Pontifex a se Sardiniæ regnum ad ecclesiasticum imperium reuocatum iri, si officio ille deesset.

Sardicum vectigal ab eod. intermissũ.
e To. 2. ep. secr. pag. 381. et an. 2. lit. cur. pag. 371. ext. etiam in arce S. Ang. et inter collect. Platina to. 3. pag. 171. et lib. priu. rom. eccl. to. 2. pag. 354. et in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 310.

Vrbanus, &c. ad futuram rei memoriam.

Olim, cum in concessione per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, claræ memoriæ Iacobo Regi Sardiniæ & Corsicæ de regno Sardiniæ & Corsicæ, quod Romanæ ecclesiæ iuris & proprietatis existit, cum omnibus iuribus & pertinentijs suis dicto Regi, & suis heredibus ex suo & ipsorum corporibus legitime descendentibus vtriusque sexus, natis tunc & etiam nascituris, in perpetuum feudum sub modo, forma, tenore, conditionibus, & conuentionibus in eiusdem prædecessoris literis declaratis, ab ipso prædecessore

Pontificiũ in eum edictum.

fuis-

Quibus legibus tradita fit Sardinia.

suisque successoribus canonice intrantibus, & dicta Romana ecclesia tenendum gratiose facta; inter alia contineretur, quod tam ipse Rex, quam quilibet suorum heredum in dicto regno pro ipso regno dicto prædecessori & eidem Romanæ ecclesiæ præstaret seu præstare tenerentur, prout idem Rex & nonnulli sui in eodem regno successores præstiterunt, ligium homagium, vassallagium plenum, & fidelitatis iuramentum sub certa forma in eiusdem prædecessoris literis annotata: & quod ipse Rex similia fidelitatem, vassallagium plenum, & homagium ligium, & iuramentum renouaret, faceret, & præstaret vnicuique Romano Pontifici & dictæ ecclesiæ infra annum a die, quo electus esset in Romanum Pontificem computandum; & similia præstaret & faceret, & similiter renouaret, & facere, præstare & renouare teneretur vnusquisque heredum suorum in dicto regno vnicuique Romano Pontifici, qui esset pro tempore & ipsi Romanæ ecclesiæ secundum formam eandem, nomen Romani Pontificis, qui tunc esset, & suum proprium exprimendo: sed postquam ipse Rex & heredes sui in regno Sardiniæ & Corsicæ supradicto præstitissent & fecissent personaliter iuramentum, fidelitatem, vassallagium secundum prædictam formam vni Romano Pontifici, non astringerentur personaliter præstare & facere, dummodo illa præstarent & facerent infra annum per idoneum vel idoneos substitutos, ad hoc plenum mandatum habentes: & si plus placeret Romano Pontifici vel Romanæ ecclesiæ supradictis, iuramentum, fidelitatem, vassallagium, & homagium prædicta præstarent & facerent ipse Rex, & heredes sui, nomine summi Pontificis & Romanæ ecclesiæ illi vel illis, quæ vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex vel sedes Apostolica deputaret: & pro eodem regno tam dictus Rex, quam quilibet suorum heredum in regno Sardiniæ & Corsicæ pro ipso regno censum duorum millium marcharum argenti bonorum & legalium sterlingorum, vbicumque Romano Pontifici, qui esset pro tempore, vel eidem ecclesiæ, vbi ipsa esset sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, & pro portione collegium ipsius ecclesiæ Cardinalium contingente, in festo beatorum Petri & Pauli annis singulis integraliter pro dicto regno Sardiniæ & Corsicæ persoluerent; ad quem censum, vt præmittitur, persoluendum tam idem Rex, quam quilibet heredum suorum in dicto regno tenerentur & essent astricti: & quod si Rex idem vel quicumque suorum in dicto regno heredum in præfato statuto termino non soluissent integre (vt præmittitur) dictum censum, expectati per quatuor menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfacerent, eo ipso essent excommunicationis vinculo innodati: quod si secundo termino infra subsequentes quatuor alios menses eundem censum sine diminutione qualibet non persoluerent, totum regnum Sardiniæ & Corsicæ esset ecclesiastico suppositum interdicto; si vero nec in tertio termino, nec infra alios quatuor menses proximos per plenam satisfactionem eiusdem census idem Rex & sui heredes sibi non ducerent consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino & quatuor proxime sequentibus mensibus non esset de huiusmodi censu primi termini, ipsi ecclesiæ integre satisfactum; ab eodem regno Sardiniæ et Corsicæ ipso iure caderent ex toto, et regnum ipsum ad dictam Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere et expedite reuerteretur: nihilominus pro singulis duobus millibus marcharum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessarent, vel illa non soluerent, idem Rex aut quiuis suorum heredum in dicto regno Sardiniæ et Corsicæ pœnas similes incurrerent, saluis alijs pœnis, processibus, et sententijs, quæ vel qui de iure inferri vel haberi seu proferri possent per Romanum Pontificem vel sedem eandem specialiter in hoc casu.

De clientelari sponsione præstanda.

Soluendo censu.

Obiecta pœna, si uncio de fuerit.

Quam quidem concessionem seu infeudationem sub huiusmodi forma, tenore, conditionibus, et conuentionibus ipsi Iacobus Rex et sui in dicto regno successores acceptarunt, et ratas et acceptas etiam habuerunt, prout hæc et alia in dicti prædecessoris eius bulla, et etiam in præfati Iacobi et nonnullorum suorum successorum Regum Sardiniæ et Corsicæ, et specialiter magnifici principis Petri Regis Aragonum illustris, qui eidem Regi Iacobo in dicto regno Sardiniæ et Corsicæ postremo successit, ipsorum aureis bullis munitis literis plenius continetur. Et cum idem Petrus Rex in solutione huiusmodi census annis quamplurimis cessauisset, felicis recordationis Innocentius Papa VI. prædecessor noster eiusdem ecclesiæ dispendijs occurrere, ac præfati Regis saluti et statui prouidere paterna solicitudine cupiens, super hoc fratrum suorum S. R. E. Cardinalium frequenti querela pulsatus, per diuersas solemnes personas ac per apostolicas literas Regem ipsum salutaribus monitis excitauit, et hortatus fuit beneuole more patris, attente rogans eundem, vt ipse considerans pericula grauia, quibus propter non solutum censum huiusmodi subiacebat; et attendens prouide quam benigne ipse prædecessor secum egisset, eum de militari seruitio, in quo etiam eidem ecclesiæ pro dicto regno tenebatur, multo tempore expectando, eisdem periculis per debitam solutionem occurreret, ac commissam in ipsa solutione dicti census moram satisfactione celeri compensaret; ita quod, incumbenti circa hoc sibi debito reali exhibitione soluto, idem prędecessor (suadente iustitia) aliud contra Regem eundem non compelleretur in hac parte remedium adhibere. Sed idem Rex, exhortationes et preces pręfati Innocentij pręedecessoris obaudiens; post primum annum pontificatus dicti Innocentij pręedecessoris de censu pręfato quidquam soluere non curauit.

Vt Petrus Rex pactis non steterit.

De iudicijs in eum actis Innocentij.

25. Postremo vero pręfato Innocentio pręedecessore, sicut Domino placuit, viam vniuersę carnis ingresso, cum nos (diuina fauente clementia) ad apicem summi apostolatus assumpti, memoratum Petrum Regem de solutione dicti census expectauissemus de benignitate paterna; ipseque patientiam et benignitatem dictę sedis in augumentum suę conuertens duritię, quam debuerat emollire, nihil de dicto censu soluisset; nec etiam nobis infra primum annum nostri pontificatus, nec etiam postea fidelitatis iuramentum per se vel alium pręstitisset, nec fecisset homagium prælibata (propter quod, quod iam fluxissent decem anni a tempore vltimæ solutionis dicti census factæ Innocentio prædecessori præfato secundum præmissa, ipse Petrus Rex dictam sententiam excommunicationis, dudum per eundem Bonifacium prædecessorem in concessione dicti regni in Regem Sardiniæ & Corsicæ,

qui

qui esset pro tempore, si in terminis ad hoc ordinatis dictum censum non solueret, vt præmittitur, promulgata incurrerat, & totum regnum prædictum erat ecclesiastico suppositum interdicto; & idem Rex a dicto regno ex toto ceciderat, illudque ad dictam Romanam ecclesiam & eius dispositionem integre & libere reuersum erat) nos attendentes, quod quanto Apostolica sedes præfato Petro Regi se reddidit proniorem ad gratiam, tanto eum (quod displicenter referimus) reperimus ad solutionem dicti sui debiti tardiorem, cum de culpa dicti Petri Regis commissa in huiusmodi negligentia non factæ solutionis dicti census appareat manifeste; hac prælatorum & aliorum fidelium in publico consistorio præsente multitudine copiosa præfatum Regem auctoritate apostolica præsentium tenore peremptorie citamus per hoc publicæ citationis edictum, cuiusmodi citandi modum ex certis rationabilibus causis elegimus, vt tertia decima die mensis maij proxime futuri, si consistorium erit, alioquin prima die consistoriali ex tunc proxime sequenti hora consistorij, quam sibi pro peremptorio termino assignamus, compareat legitime coram nobis auditurus declarationē nostrā super incursione dictarum sententiarum excōmunicationis in eius personam, ac interdicti in præfatum regnum Sardiniæ & Corsicæ; ac super amissione dicti regni & reuersione ipsius ad Romanam ecclesiam prælibatam, & ad liberam & expeditam dispositionem ipsius, per nos (auctore Domino) prout de iure fuerit, faciendam; aperte prædicentes eidem, quod siue compareat siue non compareat in termino memorato, nos contra ipsum ad declarationem huiusmodi faciendam, vel alias, prout iustum fuerit, & nobis videbitur expediens, procedemus ipsius Petri Regis absentia, seu contumacia non obstante, &c. *Dat. & actum Auin. in palatio apostolico III. id. martij anno II.*

Instauratus ab Vrbano iudiciorum ordo.

Intentata regni priuatione.

22 Defecisse mox a Petro Rege regulum Arboreæ, scribit Surita, atque* ingentes in vniuersa insula Sardiniæ motus concitatos: quibus vt occurreret, Aragonium missis oratoribus pontificias iras mulcere pertentasse ait, ac non soluti census causam retulisse ad summas regij ærarij difficultates in tot bellorum periculis, non quod se vectigalem sedis Apostolicæ negaret. Et quidem extat in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ a Petri Regis Aragonum ad Vrbanum literæ XV. augusti die Cæsaraugustæ regni anno XXIX. consignatæ, quibus pacta inter Iacobum & Bonifacium VIII. olim conuenta religiose seruaturum se profitetur, ac diplomatis Bonifacij VIII. seriem vniuersam inserit, admittitque.

Arboreæ regulus Aragonijs bellum mouet.

Aragonius Sardiniam sese tenere vtitur.

a Lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 427. Ext. etiam in arce S. Angel. & inter collect. Plat. to. 3. pag. 207.

Sanctissimo, & beatissimo in Christo patri & domino domino Vrbano, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ & Corsicæ, comesque Barchinonæ, Rossilionis, & Ceritaniæ, eius humilis filius & deuotus, pedum suorum oscula beatorum.

Eius ad Vrbanum literæ.

Sanctitati vestræ, tenore literarum nostrarum præsentium pateat, quod viso & plenarie intellecto papali rescripto super collatione, concessione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædecessor vester fecit illustrissimo domino Iacobo eximiæ recordationis Regi Aragon. auo nostro, suisque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corsicæ cum iuribus omnibus & pertinentijs suis sub certo seruitio certisque conuentionibus, largius scriptis in prædicto papali rescripto, cuius series sic se habet: *Bonifacius episcopus, &c.* a Super Reges &c. [Inseruntur Bonifacianæ literæ suis conceptæ verbis, quas cum antea suo loco attulerimus, repetendæ non sunt, quibus subiungit Petrus Rex:]

Ideo ad memoriam reducto dictum dominum Regem auum nostrum, cuius successores in dicto regno existimus, tempore præinsertæ concessionis, memorato domino Papæ Bonifacio iuxta continentiam dicti rescripti ex causis in eo scriptis iuramentum, fidelitatem, homagium, & vassallagium personaliter præstitisse; & postmodum nos & nostri, vt tenebamur, iuxta formam dicti papalis rescripti post celebrationem nostræ coronationis, vni Romano Pontifici iuramentum, fidelitatem, homagium, seu vassallagium supradicta, & etiam postea per dilectos consiliarios nostros Lupum de Gortea tunc camerlengum, & Bernardum de Thous milites, procuratores, ambaxiatores, & nuncios speciales, olim per nos ad Romanam curiam destinatos, iuramentum, fidelitatem, & homagium prædicta renouasse, fecisse, & præstitisse domino Innocentio felicis recordationis antecessori vestro, & per eosdem nuncios eidem domino Innocentio summo Pontifici dedisse literas nostras aurea bulla nostra bullatas recognitionis & acceptationis contentorum in rescripto papali prædicto iuxta eiusdem tenorem; considerato etiam nos nunc ex eiusdem rescripti supra inserti serie inductos, dilectos Franciscum de Perilionibus militem camerlengum, & Franciscum Romę legum professorem viceecancellarium, consiliarios nostros & procuratores solemnes ad eadem iuramentum, fidelitatem, vassallagium & homagium vestræ sanctitati præstanda & facienda constituisse cum publico scripto nostro; prouidimus propterea sanctissime pater has fieri literas bulla aurea nostra bullatas sanctitati vestræ per prædictos procuratores nostros tradendas & dandas, prout fieri debere iam dicti superius inserti rescripti apostolici tenor inducit.

a Extr. in annal. to. XIV. ann. Chr. 1297 n. 2. &c. Auitas conuentiones instaurat.

Per quas siquidem literas nunc vt ex tunc modos, conuentiones, conditiones, tenores, & formas in ipso papali rescripto cōscriptos acceptamus expresse: & per quas etiam fatemur & recognoscimus expresse dictum Sardiniæ & Corsicæ regnum a domino summo Pontifice & Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conuentionibus, modo, & forma atque tenore, qui in dicto papali rescripto continentur: quos tenorem, modum, conditiones, conuentiones, & formam, promittimus nos inuiolabiliter seruaturos. Pro quorum obseruantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ, iura & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis Conditor & redemptor personam vestram ad sua sancta seruitia conseruare dignetur per tempora longiora. *Datum Cæsaraugustæ quintadecima die augusti anno a natiuitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, regnique nostri vigesimo nono.* Verum cum Aragonius verba in opus non perduceret, iterum V. id. octobris Vrbanus iudicio illum ob non solutum censum postulauit, pœnisque grauioribus deuinxit b.

Sardiniam refert acceptam Pontifici.

23 Tuendæ etiam libertatis ecclesiasticæ studio permotus Vrbanus, Eduardum iuniorem

b To. 2. ep. secr. pag. 383.

prin-

principem Aquitaniæ plura aduersus illam nouantem repressurus, Florentinum episcopum, legatione Germanica clarum, ad eum misit a: cum enim numquam antea Galliæ vel Angliæ Reges præsules, qui nullas possessiones regio beneficio obtinebant, sacramento in sua verba adegissent b; Eduardus tamen Aquitaniæ princeps ipsos in sua verba iurare compulerat, detrectantesque sacramentum fidei nuncupare bonis spoliarat. De his itaque Pontifex ipsum c ac Regem patrem monuit, vt quæ nouata erant reuocarent: ac Petrum Florentinum episcopum d pluresque alios præsules ad tuendam ecclesiasticam dignitatem iussit incumbere.

a Pag. 203. Eduardus iunior nouas contra ecclesiasticam libertatem. b Pag. 190. c Ib. pag. 192. d Pag. 193.

Ad asserendam vero disciplinam ecclesiasticam plura hoc anno edicta ab Vrbano sunt promulgata, atque ad prauas consuetudines excindendas nauata opera: & in primis ad coercendam clericorum auaritiam, qui varijs artibus potirentur pluribus sacerdotijs, Cantuariensi archiepiscopo in Anglia ac suffraganeis data prouincia e est, vti coacta synodo omnes ecclesiasticos monerent, vt scripto traderent, quæ sacerdotia possiderent. Renouata f etiam Innocentij VI. constitutio, qua data præsulibus imperia, vt execurrente trimestri ex aula Auenionensi abscederent: pariterque archiepiscopis & episcopis munus iniunctum, vt parochos ac sacerdotes alios diuino cultui in suis ecclesijs insistere cogerent, ex literis ad Aquensem archiepiscopum sequenti ineunte anno datis g, quibus ea repetita sunt imperia, colligitur. Iussi præterea archiepiscopi synodos cogere, atque in ijs leges optimas ad cleri excolendos mores animarumque salutem promouendam condere: quæ imperia magis anno sequenti vrsit. Ad inferendam etiam euangelij lucem barbaris nationibus, atq; errorum, quibus erant inuolutæ, tenebras discutiendas Raphaeli episcopo Nebiensi auctoritatem contulit h, vt vna cum quatuor ordinis Prædicatorum religiosis viris ad gentes transmarinas diuinæ legis expertas se conferret.

Iudictæ prouinciales synodi. e Pag. 340. f Ann. 3. lit. cur. pag. 174. Ecclesiarum pastores ad eas abire iussi. g Ib. ep. cur. 26. pag. 226. Missi ad gentes concionatores. h An. 2. ep. de diuers. for. pag. 38.

24 Delapsi sumus ad res orientales, de quarum instaurandarum suscepto consilio sacræque expeditionis apparatu dicendum est. Extant i ineunte hoc anno ad Ioannem Regem Francorum expeditionis ducem Vrbani literæ, quibus diploma apostolicum de bello fidei hostibus inferendo confici significat, monetque vt prius sacramentum nuncupet ea conceptum formula, quo vna cum Philippo Rege patre olim se obstrinxerat. Sed paucis post mensibus Ioannes Rex, vt in rebus Gallicis diximus, sublatus est, pariterque Talayrandus episcopus Albanensis, Apostolicæ sedis legati partes in crucesignatorum castris obiturus, e viuis excessit: quorum mors ingentia illa consilia admodum fregit. Ad quæ tamen promouenda Dei vicarius in locum Talayrandi, cui insigniendarum crucis symbolo copiarum demandata erat prouincia, B. Petrum Thomam Carmelitani ordinis, bellique huius sacri auctorem, ex Cretensi archiepiscopo creatum patriarcham Constantinopolitanum subrogauit, clarissimum doctrina, sanctitate, miraculis, gestisque apostolicis legationibus l modo ad Neapolitanum Regem, vt salubria consilia suggereret, modo ad Rascium, vt schisma extingueret: nunc ad Vngarû, vt illi Romanæ ecclesiæ vexillum ad fidei hostes proterendos traderet: modo ad Venetos, vt pacis consilia ipsis suaderet: modo ad Imperatorem Constantinopolitanum, vt coniunctionem orientalis ecclesiæ cum Romana promoueret: nunc in Asiæ & Europæ fines, vt Turcas, schismaticos, atque hæreticos comprimeret; nunc in Italiam, vt tyrannos ad officium ac pacem reuocaret. In quibus tanta laude se gessisse refert illius vitæ auctor, vt Pontifex cælestem in eo vim admiratus, honorum incrementa ei detulerit a: *Tum*, inquit, *Vrbanus Papa cognoscens diuinam in Petro Thoma virtutem elucere, ex sententia Cardinalium maximam post papatum totius ecclesiæ militantis dignitatem ei solemniter contulit, videlicet patriarchatum Constantinopolitanum: præterea adiecit ei Coronæ & Nigripontis ecclesias ad vitæ sustentationem, & insuper eum constituit recuperandæ terræ sanctæ legatum, & decem ei florenos quotidianos impertitus est.* Addit auctor, sanctum virum amplissimis priuilegijs ab Vrbano affectum; cuius dictis regesti pontificij literæ omnino consentiunt b: e pluribus autem ex c tantum delibandæ visæ sunt, in quibus decretæ expeditionis sacræ, demandatæque illi legationis causas perstringit.

Vt inopinate bella sacra apparatus discussus. i Lib. 2. ep. se. r. pag. 6. Talayrandi Card. legati mors. Suffectus illi in mortuali legatione Petrus patriarcha Constantinopol. l Philip. e Mazeriis in vit. B. Petr. Tho. De varijs legationibus ab eo gestis. a Ib. b An. 2. ep. com. 63. vsq. ad 79. 84. & ep. cur. 241. 242. & 253. c Eod. an. 2. ep. com. 62. & ep. 81. et to. 2. ep. secr. pag. 271.

Vrbanus, &c. Petro patriarchæ Constantinopolitano A. S. L.

Dudum attendentes, quod peccatis exigentibus terram sanctam Agarenorum gens perfida, saluatoris nostri domini Iesu Christi & suæ orthodoxæ fidei inimica, a longis retro temporibus non absque damnosa negligentia Christiani populi occupauerat & detinuerat, prout detinet occupatam, eam polluendo abominandorum patratione scelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ domina gentium debet esse; quodque ex oppressione Turcorum crudelium multas calamitates patiebatur, prout patitur, Christianus populus orientis, charissimo in Christo filio nostro Petro Rege Cypri illustri (cuius regnum est in ipsorum infidelium finibus constitutum, de statu dictorum infidelium, quem ipse Rex ex ipsorum mortalitatibus & discordijs debilitatum, & prostrationi dispositû asseruit, præsertim ex captione ciuitatis Sataliæ ac nonnullorum castrorum & locorû, quæ idem Rex suis prudentia personalibusq; laboribus & expensis de manibus infidelium prædictorum eripuerat, ex quo infideles ipsos multus, vt asseritur, timor inuaserat) plenarie informato nobis ac fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, ac nonnullis catholicis principibus & magnatibus, alijsq; fidelibus populis vias & modos, per quos tûc temporis poterat, prout potest, faciliter eorundem Agarenorum & Turcorum elidi potentia, & fieri recuperatio terræ prædictæ, ostendente prudenter oraculo viuæ vocis; de dictorum fratrum consilio ad eandem terram sanctam & alias partes infidelium orientis passagium generale auctoritate apostolica indiximus; ac bonæ memoriæ Talayrandum episcopum Albanensem ad partes illas, commisso sibi plenæ legationis officio in eisdem, prouidimus destinandum: & tam claræ memoriæ Ioanni Regi Franciæ capitaneo & rectori ipsius passagij per nos constituto, quam præfato Petro Regi Cypri ac alijs multis nobilibus qui cum eorum potentia pro recuperatione terræ sanctæ prædictæ promiserunt personaliter transfretare, ac receperunt de manibus nostris venerabile signum crucis; ac etiam cæteris crucesignatis & crucesignandis kal. martij anni natiuitatis Domini millesimi trecentesimi sexagesimi quinti proxime secuturi pro termino ad transfretandum in dicto passagio duximus assignandos,

Vrbani diploma de legatione orientali.

De Cypri Regis expeditione.

Cum autem idem Rex Franciæ & episcopus, sicut Domino placuit, sint viam vniuersæ carnis ingressi, & dictus Rex Cypri ad succurrendum eisdem fidelibus, & conatus eorundem infidelium reprimendum, velut athleta Christi & præcursor intrepidus proponat in breui cum auxilijs citramarinorum fidelium transfretare; nos attendentes, quod vrgens & euidens prædictarum vltramarinarum partium, quas fideles inhabitant, necessitas exigit ad eas a nobis destinari legatum, qui vice nostra dirigat & disponat negotium passagij prælibati; & ad te virum vtique secundum cor nostrum, honestate conspicuum, religione probatum, præclarum scientia, humilitate sublimem, mansuetudine generosum, multa prouidentia circumspectum, & in lege Domini ipsaque fide catholica admodum eruditum, qui alias commissum tibi in partibus illis legationis officium laudabiliter exercuisti, nostræ considerationis intuitum dirigentes, deliberatione super hoc cum fratribus nostris præhabita diligenti; tibi in patriarchatu Constantinopolitano ac regno Cypri, & in Cretensi, Smyrnensi, Patracensi, Atheniensi, Thebano, Corinthiensi, Colossensi dicto Rhodo, ac Nixiensi, Corphiensi, Duracensi, Neopacensi, & Neopatrensi archiepiscopatibus: & eorum, dicti patriarchatus prouincijs & alijs vltramarinis partibus, ad quas per nos est indictum passagium supradictum, pro subsidio eiusdem Regis Cypri & aliorum transfretantium ad Christi fidelium partes eiusdem, plenæ legationis officium auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio committimus per præsentes, [Interiectaque consueta formula ipsius auctoritatem ita amplificauit:] Præsentium tibi auctoritate concedimus, vt in patriarchatu ac regno, archiepiscopatibus, prouincijs, & terris supradictis super huiusmodi, ac vniuersis & singulis alijs negotijs, de quibus expedire videris, agere, disponere, statuere, ordinare, ac præcipere; & inter Imperatores, & Reges, ac principes, aliasque personas ecclesiasticas & seculares, in eisdem partibus consistentes, ad vtilitatem, commodum, & effectum negotiorum ipsorum ligas, confœderationes, societates, seu vniones statuere, firmare, ac facere, & per te vel alium seu alios, quacumque auctoritate factas, initas, tractatas, seu firmatas tractare, & executioni mādare ac mandari facere; & inter dissidentes seu discordes pacē & concordiam reformare, treugas seu inducias inire & firmare, & reformatas, initas, & firmatas obseruari facere; nec non contradictores & rebelles cuiuscumque dignitatis & status vel conditionis existant, etiamsi episcopali vel maiori aut regali vel imperiali præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellere valeas; fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præsentium concedimus potestatem, &c. *Dat. Auin. vi. id. iulij anno* II.

Quæ potestas legato demandata sit.

25 Commendauit legatum Vrbanus Petro [a] Cypri Regi, Laurentio Celso Venetorum duci [b]; Amedeo [c] comiti Sabaudiæ, ac pluribus alijs principibus: tum præsules orientales illius dictis obtemperare iussit [d]. Vniuersos vero fideles ad dandum sacræ militiæ nomen in Turcas inflammare annisus, pluribus indulgentiarum præmijs profecturos ornauit [e]. Fœderatas etiam Anglorum copias, quæ ab Eduardo Rege dimissæ post redintegratum cum Franco fœdus alpes transcenderant, & in Insubria, deinde in Etruria stipendia fecerant, hortatus est, vt crucis symbolo insigniti tuendæ religioni arma consecrarent, nec tela Christiano amplius, sed infideli sanguine tingerent. Extant huiusmodi argumento ad eorum ducem [a], & alios [b] scripta. Datam omnibus præsulibus crucis symboli ijs conferendi potestatem: in qua quidem induenda quantum gloriæ decus sibi Christianus comparet, cum se ad Christi exemplum, qui eam primus suscepit, formet, his verbis exponit [c]: *Ipse quidem Saluator prædicauit & docuit, quod suam odiens in hoc seculo animam in vitam æternam custodit eandem: vt abnegans semetipsum crucem propriam tolleret, & ipsum Dominum sequeretur. Hoc profecto nemo perfectius videtur implere, quam qui pro Dei amore, terrenis delectationibus abdicatis patrem et matrem, sororem & filios, ac amicos & patriam derelinquens, crucemque tadij, periculi, & laboris assumens, Christum intrepide sequitur in eius, suaque orthodoxæ fidei seruitio militando proprias facultates expendere, & cruorem effundere pro illo, qui eum redemit sui sparsione sanguinis, non formidans, &c.* Plura addit de sacris indulgentiarum atque immortalitatis præmijs, quæ signa Regis Cypri secuturi, ac vitam pro Christo in bello sacro profusuri, adipiscentur. *Dat. Auin. xv. kal. maij anno* II.

a An. 2. lit. cur. pag. 241.
b Ead. pag.
c Pag. 242
d Pag. 273.
e An. 2. lit. cur. pag. 238.
Anglicæ copiæ ad transfretandū sollicitata.
a Ib. pag. 166.
b Pag. 169 & 171.
c Sup. ep. pag. 166.
Ad crucis symbolū suscipiendum adhortatio.

26 Dum hæc in occidente agitantur, Mahometani Græciam & Cyprum infestabant: qua de re certior factus a Rhodiorum equitum magistro Vrbanus Papa Petrum Cypri Regem exstimulauit [d] III. non. iunij, vt reditum in regnum maturaret, tum ob imminens Cypro discrimen, tum ne mora nimia eum ipso transfretaturos fatigaret. Adurnium vero Genuensium ducem, qui aliquas cum Cyprio Rege simultates exercebat, exorauit [e] vt ab inferendo Cyprijs bello absisteret, ne transmarina expeditio dissolueretur. Propulsati Cypro feliciter fuere Saracenorum conatus. At non ita Turcarum in Græcia: infuderunt enim se magno terrore in eas oras, quas Latini obtinebant, ac Thebas occuparunt, pluresque alias Achaiæ principatus terras inuasere. Ex qua clade magno affectus dolore Christi vicarius Latinos in vrbe Nigropontensi degentes [f], archiepiscopum [g] Patracensem, tum plures alios [h] antistites & proceres, vt fortiter in Turcas dimicarent, excitauit: *Cum nuper*, inquit, *audiuerimus fidedigna relatione quamplurium, non sine amaritudine cordis nostri, quod in ciuitate Thebano & alijs circumuicinis partibus infidelium Turcorum profana multitudo moretur, ac terras fidelium principatus Achaia & circumstantium partium impugnare assidue molitur; vniuersitatem vestram hortamur & rogamus attente, vobis nihilominus iniungentes, quatenus zelo Dei eiusque fidei feruore succensi, aduersus ipsos Turcos sic exurgatis viriliter & pro vestro facultate potenter quod, Dei dextera vobiscum & cum alijs suis famulis faciente virtutem, dicti Turchi per vestram et aliorum partium illarum fidelium laicorum, quibus similiter scribimus, diligentiam de dictis partibus repellantur, &c. Dat. Auin. v. kal. iulij anno* II. Aucti sunt fideles, qui in hosce barbaros arma corriperent, pluribus sacris beneficijs, atque inter alia, vt expiandis anteactæ vitæ sceleribus, quem optarent, sacerdotem adhiberent [i].

d To. 2. ep. secr. pag. 208.
e Ib. pag. 319.
Turcarū in Achaiā excursiones.
f Pag. 238
g Pag. 240
h Ead. pag.
Fideles ad eos reprimendos excitat.
i Pag. 343

27 Intulerant alijs schismaticis Græcis longe grauiores clades Turcæ, imperiumque Constantinopolitanum miserrime deformarant: quare Ioannes Palæologus Imperator sacræ expeditionis in-

indictæ ab Vrbano, quæ parabatur in occidente, fama permotus illi misso Malaspina oratore significauit, se ad vires suas aduersus infideles coniungendas paratissimum; rogauitque vt Latinis commendaretur, ne qua ipsi Græcos iniuria afficerent. Excepto Palæologi oratore, grates illi de promissorum amplitudine egit Pontifex a, monuitque vt Græcos ad redintegrandam cum Romana ecclesia coniunctionem, & arctissime vinciendam perpelleret; ex qua hostis fidei debellandi spes certissima affulgeret: sublatum iam e viuis Ioannem Francorum Regem, quem vniuersæ expeditionis ducem crearat, necdum se id munus in alium principem transfudisse.

Palæologus societatem in Turcas armas spondet.

a Eod. to. 1. ep. secr. pag. 348.

Magnifico viro Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Vrbani ad eum literæ.

Imperialis celsitudinis literas, per dilectum filium Michaelem Malaspinam ciuem Ianuensem nuncium tuum latorem præsentium, nostro apostolatui destinatas, paterna benignitate recepimus; & tam contenta in eis, quam illa quæ dictus nuncius nobis pro tui parte curauit exponere, intelleximus diligenter: admodumque gratum redditur nostris affectibus, quod tua lætetur sublimitas, quod ad recuperationem terræ sanctæ, ac impugnationem hostium superborum sacratissimæ fidei, ad cuius defensionem & propagationem nos, licet indignos, diuina dignatio in culmen summi Pontificatus euexit, indiximus passagium generale: quodque in tanto nostri Saluatoris obsequio, & Christianitatis commodo & honore nobiscum & cum orthodoxis principibus, alijsque Christi fidelibus ingenti, prout tua indicabat epistola, deuotione concurras, ad hoc tua & tuorum subditorum auxilia prompta liberalique magnificentia offerendo.

Nos itaq; proinde tuam magnitudinem multipliciter commendantes in Domino, & ad continuationem tam laudandi propositi, paternis consilijs animantes, eam rogamus & hortamur attente, quatenus cum Christi fideles in præfato profecturi passagio, ad partes tui imperij declinabunt, eis pro reuerentia Dei, cuius prosequentur negotium, tui fauoris præsidia largiaris. Nos enim gerentes in votis, te ac populum tuum ab infidelium Turcorum incursibus & tyrannide liberari, ac per beneficia nostra & Latinorum corpori sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ (a qua discedentes, lacrymabiles potius quam enarrabiles miserias animarum & corporum, ac detrimenta bonorum temporalium, & antiquæ Græcorum gloriæ toti orbi opinatissimæ incurristis) ad Dei honorem ac cælestium ciuium de tantarum ouium perditarum reductione ad ouile Dominicum, ac ad gaudium vniuersalis ecclesiæ, hostiumque ipsius mœstitiam & terrorem, indissolubiliter reuniri, Apostolicæ sedis legato, ad partes vltramarinas cum gentibus dicti passagij profecturo; nec non Christiani exercitus generali capitaneo, de quo post obitum claræ memoriæ Ioannis Regis Francorum, quem dicti exercitus capitaneum feceramus, nondum deliberauimus, cum tempus erit transfretandi, mandare curabimus, quod te ac subditos tuos habeant commendatos, a tuis & tuorum offensis penitus abstinendo. *Dat. Auin. xvii. kal. nouembris anno secundo.*

Nulla a Latinis Græcis damna illatum iri spondet.

Porrexerat Ioannes Palæologus alias preces Pontifici, vt nimirum Annam consanguineam dimitteret in Græciam. Exculta illa erat, orthodoxa fide, cuius ne discrimen forte adiret, retinendam in occidente censuit Pontifex, ac Palæologo Imperatori respondit a, illam sibi curæ fore: *Nos*, inquit, *pro ipso quidquid boni poterimus curabimus operari, & speramus sic agere, quod ipsa remanebit (auctore Domino) consolata.*

a Eod. to. 1. ep. secr. pag. 348.

IESV CHRISTI
Annus 1365.

VRBANI PP. V. annus 3.	CAROLI IV. IMP. OCC. 20. IO. PALÆOL. IMP. OR. 25.

1 SVperiori trium Regum Galliarum, Cypri, ac Daniæ exemplo Carolus Romanorum Imperator Christi vicarium salutaturus, ac de rebus maximis, ad Christiani nominis amplitudinem spectantibus, colloquium initurus, anno Seruatoris millesimo trecentesimo sexagesimo quinto indictione III. Auenionem accessit, regioque apparatu exceptus die sancto Spiritui in Apostolos igneis linguis deuoluto sacro, operante diuinis mysterijs Pontifice, imperialibus insignibus redimitus pie, interfuit; de quo hæc Vrbani vitæ scriptor tradit b: *Anno* LXV. nimirum excurrentis seculi, *mense maij Carolus Romanorum Imperator venit in Auenionem ad Vrbanum Papam cum magna comitiua principum & nobilium Alamannorum, & ornatus insignijs imperialibus, per ipsum Papam & Cardinales fuit valde & honorifice receptus: & die sancto pentecostes tunc occurrente, dicto Papa solemniter celebrante, assistit in habitu imperiali, diademate coronatus, in manu dextra sceptrum gestans,* * . . . *Tandem vero, habitis multis colloquijs inter Papam & ipsum tam super factis ecclesiæ quam imperij, rediit ad propria cum bonis pace, amore, & fauore Vrbani Papæ prædicti.* Quæ in arcano eo colloquio Pontificem inter atque Imperatorem fuerint agitata, ex Pontifice ipso accipimus: nimirum de instauranda in Asia religione, abigendisque prædonum turmis socialibus, quæ Gallias maxime & Italiam atterebant, ac traducendis in orientem, vt arma verterent in Turcas feliciore pugnandi genere, Christi athletæ ex latronibus euasuri: ac si Rex Vngariæ ipsis aditum per regnum præbere vellet, necessarios cômeatus se daturum spondebat Imperator: si vero arceret aditu, vt conscensa classe nauigarent in Asiam, illam suis sumptibus in Veneto & alijs Italiç portubus côducturum pollicebatur. De quibus Vrbanus Carolum Francorum Regem, vt fœderatas copias ad id inflecteret cogeretue, certiorem fecit c.

b Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Cæsar Auenione Vrbanum adit.

Imperiali cultu celebranti sacra Pontifici assistit.

* fenestra pomum

De re Christiana augenda colloquia miscent.

De vagis turmis in Turcas auertendis actum.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Francorum illustri.

c To. 3. ep. secr. pag. 114.

2 Sicut nouit regia celsitudo, charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imp. semper Augustus & Boemiæ Rex, vt Christianissimus princeps, nuper ad Apostolicam sedem accedens, nobis sui sancti propositi, quod habet ad pacem & tranquillitatem totius populi Christiani, & specialiter regni tui, & ad depressionem infidelium, exaltationemque catholicæ fidei, & recuperationem etiam Terræ sanctæ, & alia ad bonum publicum arcana detexit: nosque cum ipso super ijs votis ardentibus concurrentes, & pluries conferentes, communi voluntate decreuimus, vt ad prauarum comitiuarum, deuastantium dictum regnum & nonnullas alias partes

Patefacta Gallo Regi consilia

eiusdem Christiani populi, totalem exterminationem de dicto toto populo prius efficaciter intendatur; ita quod voluntarij pergant, vel inuiti cogantur ad partes Turcborum eel aliorum infidelium proficisci. Præfatusque Imperator credens indubie, quod charissimus in Christo filius noster Ludouicus Rex Vngariæ illustris per suum regnum gentibus dictarum comitiuarum tutum dabit transitum, offert easdem gentes a terminis sui regni vsque ad ingressum dicti regni Vngariæ proprijs expensis, quantum ad victualia pro hominibus dumtaxat, ita quod ipsæ gentes de earum animalibus sibi prouidere habeant conductuam: sic tamen, quod gentes ipsarum ad suum conductum non recipiet, donec de voluntate præfati Regis Vngariæ habeatur certitudo plenaria, & fidancia opportuna. Pro quibus habendis nos & Imperator præfatus dilectum filium nobilem virum Arnulfum dominum de Audentia marescallum tuum ad iam dictum Regem Vngariæ pro habendo eius in hac parte consensu, ac fidancia dictis gentibus tribuenda prouidimus de proximo destinandum. Si vero idem Rex Vngariæ in transitu dictarum gentium per idem suum regnum minime consentiret, ordinauimus nos & Imperator præfatus, quod gentes ipsæ per mare ad partes vltramarinas orientis per Venetorum & aliorum de partibus Italiæ nauigia (quod tamen erit tardius & difficilius) conducantur: & pro expensis conductionis huiusmodi Imperator iam dictus magnifice offert medietatem omnium prouentuum sui regni Boemiæ obuenturorum tribus annis proxime secuturis. Quare præmissa duximus tuæ serenitati intimanda, vt interim sic te cum ipsis gentibus in tuo regno existentibus studeas concordare, ipsosque ad recessum disponere quod, redeunte marescallo præfato, gentes ipsæ versus Alamaniam, si dictus Rex Vngariæ ad hoc consenserit; alioquin versus Italiam arripiant iter suum. *Dat. Auin. v. id. iunij anno* III.

Oblatus a Cæsare per Germaniā iter commeatus.

Negante iter Vngaro classe transportande.

3 Quanta porro infligerent mala Gallijs fœderatæ copiæ, deplorat Pontifex in literis ad Gallicanos præsules, quibus pium eorum studium ad effrænatam improbitatem coercendam inflammat a; tum in decreto, quo vniuersi fideles ad dissipandas huiusmodi prædatrices turmas consurgere iussi sunt b.

a Eod. to. 3 ep. secr. pag. 283. b Ib. pag. 340.

Vrbanus, &c. ad futuram rei memoriam.

Clamat ad nos de terra multorum fidelium effusus sanguis innoxius, clamat pupillorum & viduarum ac aliorum exulantium & spoliatorum miserabilis multitudo; clamant violatæ & succensæ ecclesiæ ac monasteria derelicta, simulque nobiles & plebeij, ac diuites & pauperes regni Franciæ, vt aduersus alienatos filios de gremio sanctæ matris ecclesiæ, per opera detestanda prolapsos in fratres proprios, populos videlicet Christianos more infidelium sæuientes, vt ad eorum reprimendas nequitias, ne grassentur vlterius, per auctoritatem sedis Apostolicæ (quæ vbi correctionum locum non esse prospexerit, debet actibus nefandis obsistere, & oppressorum, prout potest, subuenire miserijs) exurgamus. Dudum siquidem, cum esset notorium omni fere populo Christiano, quod quidam maledictionis alumni, qui arma sectantes se societates appellabant, prout appellant, facibus cupiditatis accensi currebant ad malum, vt bona raperent aliena, & effunderent sanguinem innocentem, quem vt crudelissimæ belluæ rabida dilaceratione spargebant; datique in sensum reprobum non videbantur agnoscere nec sentire, quod ipsi insidiabantur contra sanguinem proprium, fraudes contra suas animas molientes, aduersus Deum & eundē Christianum populum velut ethnici ausibus detestandis surrexerant. & de diuersis nationibus in dicto regno non in fomentum, sed dissolutionem societatis humanæ, ac detrimentum Christianæ fidei in multitudine congregati, qualiter iusta causa cessante omnibus se exhibentes hostes acerrimos, & in omnes crudeliter debaccbantes, vt pecunias, quas insatiabiliter sitiebant, & cum quibus in perditionem cadere nō pauebant, aliaq; bona fidelium habilius extorquerent, segetes & domos cremare, vites & arbores incidere, ac animalia & quidquid aliud poterant in prædam abducere conabantur, pauperesque plebeios solo timore compellebant a proprijs laboribus exulare; nec non ciuitates, castra, & alia loca nonnullorum ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum, nec non nobilium & communitatum dicti regni, hostilibus aggrediebantur insultibus, obsidebant, inuadebant, spoliabant, & incendebant: ac superbiam sectantes luciferi, & in sua peruersa multitudine gloriantes, fatueque putantes, quod nulli possent eorum ausibus furibundis obsistere, quoscumque terrarum dominos inuadere, ac eos spoliare suis terris, ac in illis suas impias sedes ponere minabantur; & vt viros sanguinum, immo cruentas bestias se patenter ostenderent, & cuncti eorum potentiam & sæuitiam perhorrerent, quos poterant in miseriam captionis abducere, et extorquerent ab eis pecunias, immaniter cruciabant varijs & incredibilibus generibus tormentorum; temerarioque inebriati furore, omnisque pietatis exortes, non parcentes conditioni, ætati, vel sexui in captionibus terrarum & locorum, non solum viros se suasque familias & patrias iustissime defendentes, sed mulieres, nec non senes & iuuenes ac in cunabulis vagientes truculenta rabie perimebant, stuprabantque virgines, etiam dicatas Altissimo, & maculabant etiam coniugatas, quarum nonnullas, quantacumque nobilitate fulgerent, post delusionem frequenter publicam ad abusum continuum, & vt eis ancillarentur in campis & alibi, secum ducebant, ac contra muliebrem morem & miserandam possibilitatem earum ipsas armis onerabant, ac si essent vilia mancipia masculina: in omni etiam sacrilegij specie prouocare non verentes Altissimum, ecclesias & monasteria, aliaque pia loca frangere, spoliare, & frequenter incendio concremare, ac personas ecclesiasticas capere, vinculare, torquere, & interdum morti tradere non formidabant: ac de proprijs potentia & iniquitatibus sumentes audaciam, tam terrarum dominis, quam populis nonnullarum ciuitatum & locorum dicti regni, vt eos certo tempore non offenderent, importabiles tallias & redemptiones imponebant, *& infra*, processus fecimus. a

Illatæ a cagis exercitibus clades.

Eorum sæuitia.

a Ap. ep. diuers. for. pag. 127. 323. 365. & 463.

4 [Addit, vt eos apostolica auctoritate impias societates dissoluere, seque ad expianda scelera in fidei hostes arma conuertere iusserit: ij vero, contemptis saluberrimis monitis, furori fræna effuderint: qui cum nefaria facinora iustitiæ colore oblinerent, in eos iuris ordinem se seruare decreuisse, ac statis diebus huiusmodi copiarum ductoribus, præfectis, vexilliferis octauo mensis septembris præterito die edixisse, vt eas dimitterent, occupata restituerent, quos tenebant in

Vt intentatum ijs iudiciū fuerit.

vin-

vinculis relaxarent, illata sarcirent: tum locorum magistratibus ac viris auctoritate pollentibus prohibuisse, ne fœderatorum huiusmodi armis ad inferendam vastitatem vterentur, sc ne quis eos commeatu, armis, nauibus, equis, alijsue necessarijs instrueret iuuaretue; sententiaque anathematis eos deuinxisse, qui nefarijs ipsorum partibus se irretirent, interdictoque ecclesiastico loca, quibus insiderent, subiecisse: quia vero ad crudeles prædones tutus accessus non pateret, sanxisse valituram in eos legis seueritatem, quamuis in Auenionensi palatio tantum defixa ad ipsorum cognitionem non dimanaret: cumque impij homines neque ijs coerceri potuerint, expeditionem sacram disturbarent, malaque ingentia inferrēt, ac maiorum terrorem incuterent, promulgasse propositis in eos pœnis deuinctos teneri: atque ad frænandam ipsorum improbitatem pœnarum acerbitatem in posteros fœderatorum huiusmodi propagasse, vt nec paternæ hereditati succedere, neque ad publica munera vel sacerdotia admitti possent. Omnia vero huiusmodi hominum bona, quos etiam infamiæ nota inustos declarat, fisco addici, domos euerti, aliasque possessiones pessundari iubet. Denique omnes alios fideles vrget, vt ad perdendam huiusmodi hominum colluuiem initis mutuis fœderibus se comparent: subdit enim.]

Concitati fideles ad iungenda in eos arma.

Vniuersos Christifideles requirimus, monemus, & hortamur, & per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus, eis in remissionem suorum peccaminum iniungentes, quatenus ex aliorum periculis & iacturis cautiores & feliciores effecti prouide velint attendere, quod vicini res agitur, dum paries proximus concrematur; & quod hic morbus sic est contagiosus & pestifer, quod nisi ei debitum apponatur antidotum, poterit inficere omnem terram; & propterea eorum statui prouide consulentes, & aliorum fidelium tot & tantis calamitatibus, quas huiusmodi prauarum societatum sæua pestis induxit, pijs compatientes affectibus, ad illum, qui dixit, *Clamabit ad me, et ego exaudiam te*; in cordibus puris & deuotis orationibus pro tantæ pestis amotione clamitare non cessent. Et nihilominus, cum sit scriptum, quod stultis sit secundum eorum stultitiam respondendum, quilibet secundum potentiam sibi concessam a Domino contra huiusmodi viros nefarios & profanos hostes Dei & humanæ generationis, quam depopulare & extinguere tyrannicis conatibus moliuntur, conflatis viribus magnanimiter exurgant, potenter se accingant, strenue dimicent, transitus eorum impediant, ac de auxilio dexteræ Domini confidentes ipsos acriter persequantur, & contra tales insensatos pugnare non desinat totus orbis, &c. *Dat. Auin. VI. id. aprilis anno III.* Partim emollitæ monitis vel promissis delinitæ, partim intentato armorum terrore perculsæ fœderatæ turmæ, expeditionem se suscepturas in Turcas pollicitæ sunt: vtque in itinerum sumptus subsidiarium æs contrahi ipsisque suppeditari posset, Vrbanus Caroli Regis precibus permotus sacerdotiorum biennales decumas in id attribuit [a]: & Cœnomanensem episcopum instruxit auctoritate [b], vt sacræ militiæ in religionis hostes accessuros, vel militares societates dissipaturos censuris apostolicis exolueret.

Profitentur vagæ turmæ vertere arma in Turcas.

a To.3. ep. secr. pag. 145. & an. 3. ep. cur. pag. 320. & 321.
b Ib. pag. 283.

5 Erupere tum e Gallijs plures sociales turmæ in Alsatiam, eamque vastitare & rapinis fœdare cœperunt duce Arnaldo Seruola, de quo hæc in Vrbani gestis referuntur [c]: *Paulo post recessum dicti Imperatoris Arnaldus de Seruola vulgariter archipresbyter de Vernys nominatus, natione Vasco, adunatis sibi alijs quamplurimis tam propria quam aliarum diuersarum nationum tanquam sociales * Alcouriam partem Alamanniæ intrauerunt, personas captiuando, igne & gladio omnia consumendo: ex quo inter principes & incolas Alamanniæ commotio seu turbatio fuit non modica exorta; præsertim aliqui suspicati sunt, quod hæc faciebāt de consensu seu conniuentia dicti Imperatoris.* Hæc falso ab ijs iactata, vt incautiores obruerent terrerentque: vel inde captata est occasio, cum arcano consilio deliberatum ab Imperatore cum Pontifice fuisset, vt per Germaniam & Vngariam iter in orientem arriperent: Sed non data ijs erant imperia, vt inferrent agris vastitatem: immo Carolus sumptus ijs suppeditare decreuerat, ne penuria ipsos ad rapinas alliceret. Vt vero Germani ijs strenue obstiterint, subdit gestorū Vrbani auctor: *Aggregatique fuerunt se ad inuicem viriliter resistendum, ac impediendum, ne vlterius progrediendo flumen Rheni possent transire. Quod prædicti audientes, scientesque aduersus eos se præualere non posse, retrocesserunt multis tamen damnis illatis & etiam receptis, & ad partem Galliæ redierunt: vbi satis cito post per aliquos ex suis crudeliter interfectus est archipresbyter memoratus, prout etiam eius demerita bene exigebant. Et hic notanter inferendum est, quod capitanei talium societatum vt plurimum morte simili aut crudeliori tam per prius quam ex post mortui fuisse referuntur.* Primum quidem latrocinantium copiarum auctorem Montem regalem, nimirum Romæ carnificis manu necatum vidimus: successorem illius Landum comitem, de quo sæpius mentio facta est, transfixum hasta in quodam certamine in Insubria refert Matthæus Villanus [a]; iusta diuini Numinis vindicta, vt qui tantum fuderat cruorem, suo terram aspergeret. Subiungit hanc sententiam Vrbani vitæ scriptor: *In quo Deus signanter ostendit, quod malam vitam sectantes, seu ducentes ad eam similiter finiendam disponuntur iuxta illud euangelicum: Qui gladio ferit, gladio peribit.*

c Gesta Vrb. V. apud. Bosq.

Arnaldus e Seruola in Alsatiā irrumpit.

*al. Alsatiam

Eam vastat.

Propulsatur a Germanis.

A suis necatur.

a Matth. Vill. l. 11. c. 44.

Vagi exercitus in Italia.

6 Nec Germaniam modo aut Gallias, verum Italiam quoque vagæ palantesque militum cateruæ rapto viuere assuetæ infestabant, atque etiam Anichino e Bongardo duce in Romanos infesta signa conuertere. Ad quas reprimendas Pontifex & pœnis grauissimis ipsarum fœderatos ac studiosos constrinxit [b], & præmia indulgentiarum in ipsos arma sumpturis proposuit [c]: Ægidium & Androinum Cardinales legatos Romanis subsidio iussit [d] accurrere: intendit studia [e] ne Germanici prædones Anglicis se coniungerent: Ioannam Reginam Siciliæ, Franciscum Carrariam Patauinum, Nicolaum marchionem Atestinum, Canemsignorium Scaligerum Veronensem, Feltrinum Gonzagam Mantuanum, Laurentium Celsum Venetorum, & Gabrielem Adurniū Genuensium duces, Ioannem marchionem Montisferrati, atq; insignium vrbium ciues, Romanos, Florentinos, Pisanos, Senenses, Aretinos, Cortonenses & alios, tum apostolicis adhortationibus, tum nuntiorum & legatorum opera solicitauit, vt mitterent Bononiam oratores pro cocundo in palabundas turmas fœdere, vt ipsas vel maritimo itinere in Turciam, vel terrestri per Vngariam proficisci cogerent [f]: ita enim non modo liberare Italiam prædonibus, sed eorum arma in fidei hostes exacui, & latrones in Christi pugiles vel martyres transfundi cupiebat. Vtque pium &

b To. 3. ep. secr. pag. 240.
c Ib. pag. 30.
d Pag. 91. et 113.
e Pag. 186.

Principes Itali ad iūgendas in eos copias excitati.

f Ibid. ep. secr. pag. 116.

prudens consilium felicius perduceret, Carolum Romanorum Imperatorem, eundemque Boemiæ Regem, atque imperij principes electores Cunonem Treuirensem, Engelbertum Coloniensem, Gerlacum Moguntinum archiepiscopos, Robertum ducem Bauariæ & comitem Palatinum, marchionem Brandeburgensem, ac Rodulphum ducem Saxoniæ ad meditatum fœdus adducere studuit a.

a To. 4. ep. secr. pag. 19.

Turmæ Gallicæ fingunt in Granatenses signa attollere.

7 Imminebat etiam discrimen Hispanijs a fœderatis militum turmis, quæ rapto viuere assuetæ e Gallijs Bertrando Guesclino duce trans Pyrenæos signa traducturæ erant. Eæ vero Auenioni appropinquantes, maximo terrore Pontifici & Cardinalibus iniecto, ingentem ab ijs auri vim extorsere, quæ stipendiorum honesto nomine, cum se in Granatenses Mauros ituros præseferrent, erogata est. Qua accepta fama, Petrus Castellæ Rex se suaque defendendo Pontifici addixit, atque vltro magnifice obtulit vel terra vel mari cum exercitu prouolaturum: cui actæ his literis ab Vrbano gratiæ.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Castellæ illustri salutem, &c.

Deuotionis regiæ literæ nobis per dilectum filium nobilem virum Aluarum Lupi militem & ambassiatorem tuum diebus nuper præteritis præsentatæ, mentem nostram ineffabili lætitia perfuderunt. Nos siquidem cernentes in te dilectissimo filio sic erga nos & Romanam ecclesiam dilectionis & reuerentiæ gratiam abundare, quod præ cunctis orbis principibus magnificentiam tuam reperimus dispositam ad nostra & eiusdem ecclesiæ honores & commoda ac beneplacita præparatam; ac considerantes, quod regiæ coronæ potentiam, tuum thesaurum, ac personam propriam contra quoscumque iniquitatis filios aduersus statum & iura eiusdem ecclesiæ præsumentes aliquid attentare, etiam proprijs tuis prætermissis negotijs (si vrgeret necessitas) tam per mare quam per terram pro reuerentia Dei & Apostolicæ sedis nobis & eidem ecclesiæ feruentissima deuotione duxeris offerendas; merito debemus & possumus de tanti filij tam laudabili dispositione lætari, & in te nostræ spei ponere firmamentum. Proinde itaque non valentes tuæ largitati promptissimæ gratiarum condignas reddere actiones, quas possumus tamen tibi paterne referimus; magnificentiam tuam, quam in feruida voluntate fundatam reputamus facto completam, apostolicæ commendationis præconio commendantes; ac rogantes Deum, quod mentem tuam de bono in melius semper disponat ad sua beneplacita exequendum, tibique dies adaugeat in pacis & prosperitatis plenitudinem perducendos. *Dat. Auin. kal. martij anno* III.

Rex Castellæ nus Pontifici armorum vim spondet.

Actæ illi gratiæ.

8 Cæterum ex illius iniuriæ atrocitate, qua Christi vicarius ad redimendam ex prædonum furore libertatem adactus est, sumpsit occasionem Petrarcha, vt Vrbanum ad deserendas ingratas Gallias, restituendamque Italiæ sedem Apostolicam excitaret b: *Dum hæc*, inquit, *impia ac odibilis Deo ac mundo prædonum manus, quæ nunc miseras Christianorum regiones terribiliter peruagatur, ad eam te necessitatem deduxisset, vt omni alio cessanti remedio, tua & Romanæ curiæ libertas ac requies multo auro redimenda esset, multa (nec immerito) super hoc cum fratribus tuis questus, inter cætera iniuriam bonæ Bonifacij iniuria non æquasti tantum, sed etiam prætulisti*. Recte id quidem ac veraciter. Et infra: *Nec ea res sine magni alterius hostis auxilio ac fauore: nec tunc etiam aperta vi, sed nocturnis insidijs acta est. At tu hominum innocentissimus, qui nulli vnquam malefeceris, nec optaueris quidem hac tua humanitate, & hac rerum & verborum humilitate (quantum potes) Dominum tuum sequens, non subito, non occulte, sed instructa acie vilissimorum furum circumuentus (o indignum ac scelestum facinus!) te ipsum pecunia redemisti: ad quod Bonifacium nec coactum certe nec requisitum scimus. Itaque sanctissima querimonia tua Spiritu sancto plenus illud vltimum addidisti, hæc mala omnia hinc maxime prouenire, quod Petri sedem tuamque desereres; teque in dies grauiora metuere, si obstinatis nunc etiam animis desereretur sedes illa, quam sponsæ suæ Christus elegerat. O te dignam vocem! O vaticinium veri plenum! O sermonem cui merito & terrenum concinat & cæleste collegium! Vere enim ita est, propter hanc summæ sedis viduitatem, atque hunc contemptum & curia tua nunc & totus insuper Christianus orbis affligitur, & cito, nisi prouides (si quid præsagire homini licet) affligetur asperius*. Non vana proposuisse Petrarcham docuit exitus.

b Petrar. l. 7. rer. senil. ep. 1.

Romana curia a prædonibus coacta se redimere.

Iniuriam diuinæ vindictæ ob sedem translatã scribit.

Præsagit Petrarcha translationem sedis Christianæ rei ingens damnum allaturam.

9. Inter hæc vrgebant continentibus votis ac precibus summum Pontificem Romani, vt Vrbi sedem Apostolicam reduceret: quorum auditos humaniter oratores vitæ illius auctor meminit a; quod & confirmant pontificiæ literæ, quibus hoc responsum redditũ: *Tam super aduentu nostro ad Vrbem (quem Deus concedat prosperũ vt optamus) quam super alijs responsum benignũ præbuimus ambaxatoribus memoratis, prout ab ipsis, cum ad vos redierint, audietis. Dat. Auin. IX. kal. decembris anno* IV. Iniunxit ea de causa munus Vrbeuetano episcopo b suo in Vrbe vicario, vt palatium apostolicum instauraret. Increbuerat iam ante rumor, illum lustrandæ Vrbis pio teneri desiderio: ex quo Senenses magno delibuti gaudio obsequia in id Pontifici detulere, vt ex pontificijs literis c constat. Cæterum munierat iter Pontifici restitueratque ecclesiæ pristinum imperium Aegidius Cardinalis, quem tamẽ aliqui adducere in inuidiam nisi sunt, nonnulla nimirum aduersus Bernabonem & alios, cum quibus bellum ecclesia gesserat, contra inita fœdera pertentasse, ac suos in vsus pontificia vectigalia auertisse: adeo vt cum Pontifex Siculam illi legationem imponeret id onus excutere, atque ad aulam apostolicam, vt aduersarios præsens refelleret, se conferre niteretur. Adhærescit semper inuidia magnis virtutibus: ac nonnullos gloriæ viri præstantissimi in recuperata ditione ecclesiastica partæ splendor perstrinxerat. At Vrbanus beneficiorum memor, optime de ecclesia meritum Ægidium ad spernendos leues rumusculos erexit d, nec se ijs fidem adhibuisse professus est: pergeret modo in Siciliam, ac legationem strenue obiret.

Romanorum ad Vrbanum legatio.

a Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Pontificiũ palatium in Vrbe instaurari iussum.

b To. 3. ep. secr. pag. 147.

c Ib. pag. 98.

Ægidius Cardinalis.

Accusatur ab inuidis

d Eod. to. 3 ep. secr. pag. 36.

Vrbanus &c. Aegidio episcopo Sabinensi *A. S.* L.

10 Negationes & responsiones tuas super ijs iam factas admittimus tanquam veras, scientesque tuæ conscientiæ puritatem, & exquisitam prudentiam ac zelum, quem habes ad eandem, (pro cuius honore & statu, & terrarum ipsius liberatione & defensione magnificis, sicut pugil Christi bellum suæ ecclesiæ gloriose gessisti, tyrannos plurimos conculcando, vt subditi eiusdem ecclesiæ olim attriti iugo seruitutis tyrannicæ pace votiua similiter fruerentur) nunquam credidimus, nec credimus huiusmodi obloquentium (quos satis cognoscimus) maledicta. Et propterea

Illius fama a Pōt. defensa.

rea

rea miramur non modicum fortitudinem tui cordis magnanimi sic impatientiæ cedere, vt inuictus in factis arduis, immo vincens hostes fortissimos, a verborum iaculis supereris; & quem æmulorum potentia nequiuerit expellere, ora mendacium & iniqua loquentium procul pellant. Quis vnquam, quæsumus, virtutibus clarens, & meritis fungens honoribus, & in magnalibus gloriosus carere potuit detractionibus inuidorum, & querelas miseras euitare? Profecto non potestates, non iudices, non Reges, non principes, non cuiuscumque status pontifices, non etiam ipse Christus: & si huiusmodi cederetur sermonibus, raro vel nunquam esset legatus vel præses prouinciæ, qui in commisso sibi regimine posset diutius commorari. [Adiecerat alias experiti e prouincia reditus causas: se multorum odia, quorum tyrannicam potentiam deiecerat, partisque male opibus exuerat, odia incurrisse: tum senio grauatum quietis dulcedinem exoptare. Ad quæ Pontifex magni interesse respondet, vt improbis suæ seueritatis terrore frænum inijciat, dissolutisque vagantium militum cateruis, pacem adducat, atque ab omnibus vt concordiæ publicæ auctor colatur. Ad subeundos vero nouos labores, quamuis annis prouectus esset, his verbis incitauit.]

Excitatur ad cœpta egregie vrgenda.

Scimus, te competenter adhuc corpore compotem & animo vigorosum: sed si beati Hilarionis, qui quanto magis accelerabat ad senium, tanto plus pro Dei amore pœnitentiales labores & abstinentias augmentabat, memoreris exemplum, vigorem pro certo recipiet tuæ debilitas senectutis: &, si (vt firmiter credimus) apud Deum mereri desideras, cum nos B. Petri populo re admodum necessarium reputemus, cum agonizante Martino laborem impositum non recuses: sicque cum Apostolo glorieris in Domino, quod plus omnibus, præsertim propter bonum obedientiæ, quod præfertur victimis, laborasti. Adhæc nos & nostri tuique confratres multa admiratione mouemur, & non possumus non turbari pro eo, quod præfatam petis licentiam, cum a sex mensibus citra legationem ad regnum Siciliæ acceptaueris reuerenter, & de ipsa multæ factæ sint apostolicæ literæ, & fiant etiam omni die: &, si reuenires ad curiam, idem regnum tuæ reformationis, qua indiget, beneficio frustraretur, non absque graui præfatorum regni & ecclesiæ detrimento: aliasque rationes habemus consultius non exprimendas ad præsens, propter quas pro nunc licentiam non concedimus prælibatam.] Adiungit preces & imperia, vt impositę legationis in Siciliæ regno & vicariæ præfecturæ munus admittat. *Dat. Auin. III. kal. februarij anno III.*

Sicula legatio illi demandata.

Adire iubebatur Siciliã Aegidius, vt Ioannam Reginã fidei sacramento in Vrbani verba adigeret, sceptrumq; Siculum Apostolicæ sedis liberalitati acceptum referenti assereret a: de qua legatione Aegidio Cardinali data extant b commendatitiæ ad Ioannam Reginam Siciliæ, Iacobum Balearem Regem illius maritum, Philippum Imperatorem Constantinopolitanum, Mariam Imperatricem, ac plures viros prænobiles, vt missum pro Neapolitani regni componendo statu honoribus & obsequijs meritis prosequerentur. Paritum Pontifici est ac magni honores Aegidio Cardinali legato, Siciliam ingredienti, præstiti c. Denique Ioanna, ab eo fidei sacramento adacta, Vrbani V. beneficiariam se professa est, vt vetera monumenta testantur. d

a To. 3. ep. secr. pag. 66
b Ib. pag. 135.
c To. 4. ep. secr. pag. 7
d Lib. priu. Rom. eccl. to. 3. pag. 183.

11 Hoc anno vrsit repetitis vicibus, nimirum pridie idus martij & v. idus iunij Vrbanus iudiciorum ordinem aduersus Petrum Regem Aragonum a ob intermissas Sardici census solutionem clientelaremque sponsionem; ac regna Sardiniæ & Corsicæ reuocanda ad sedis Apostolicæ imperium intentauit: ac post repertam edicti superiori anno allati formulam, narratosque ritus iudiciarios seruatos, demum addidit: *Inspecto dicti Petri Regis contumacia, vt præmittitur, non comparentis, ipsum Petrum Regem reputamus (prout est) & pronuntiamus (prout ratio exigit) contumacem. Et licet nostram declarationem huiusmodi super incursione prædictarum pœnarum, & amissione dicti regni Sardiniæ & Corsicæ, & reuersione ipsius ad nos & Romanam ecclesiam supradictam facere iuste possemus; tamen erga ipsum Petrum Regem volentes adhuc benignius agere, de clementia dictæ sedis eundem terminum, ad hodie prorogatum seu statutum, de speciali gratia ad diem decimum octauam mensis augusti proxime futuri, si consistorium fuerit, alioquin ad primam diem ex tunc immediate sequentem, qua ipsum consistorium fuerit, auctoritate apostolica de dictorum fratrum cõsilio tenore præsentium prorogamus.*

Vrbani clementia erga Aragonium in extrahenda pluries decretoria sententia.

a To. 2. ep. secr. pag. 274. extat etiam in arce S. Angeli et inter collect. Plat. to. 3. pag. 175. et in M. S. bibl. Vall. sign. lit. n. n. 12 pag. 310.

Intentata iactura Sardici regni.

Et ad maiorem cautelam ipsum diem ad omnia, ad quæ idem Rex hodierna die comparere debebat, ipsi Regi pro peremptorio termino assignamus: eumque nihilominus per hoc publicum citationis edictum, cuiusmodi citandi modum ex certis rationabilibus causis eligimus, præsente hac multitudine copiosa fidelium peremptorie citamus, vt dicta die XVIII. eiusdem mensis augusti, si consistorium fuerit (vt præfertur) alioquin prima die, qua idem consistorium erit, coram nobis in ipso consistorio legitime comparere procuret, auditurus dictam declarationem nostram super incursione dictarum sententiarum seu pœnarum, excommunicationis videlicet in eius personam, ac interdicti in præfatum regnum Sardiniæ & Corsicæ, & super amissione dicti regni, & eius reuersione ad nos & Romanam ecclesiam supradictam, & ad liberam & expeditam dispositionem ipsius per nos (auctore Domino) prout de iure fuerit faciendum; aperte prædicentes eidem, quod siue compareat siue non compareat in termino memorato, nos contra ipsum ad declarationem huiusmodi faciendam & alias, prout iustum fuerit & nobis expedire videbitur, procedemus, ipsius Petri Regis absentia seu contumacia non obstante. Et infra: *Cæterum volumus, & auctoritate prædicta decernimus, quod citatio, requisitio, & monitio supradicta proinde Petrum Regem artent eundem, ac si ei personaliter insinuata & intimata fuissent, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c. Datum & actum Auinione in palatio apostolico hora consistoriali v. id. iunij pontificatus nostri anno III.*

12 Meminit Surita b de intentata Petro Regi Aragonum iuris in Sardicum regnum priuatione, & obiectis censuris ecclesiasticis; ac Ferdinandum Herediam Petri in aula pontificia oratorem prudentia sua discrimen auertisse: pertimuisse vero Aragonensem, ne Vrbanus Sardiniæ iura in Arboreæ regulum conferret, qui facile ad suas partes Sardos esset pellecturus. Excitatus itaque ijs stimulis Petrus, Sardici nimirum regni ad sedem Apostolicam deuoluendi iacturæ metu, Franciscum Romæ iurisperitum oratorem legauit, instruxitque auctoritate, vt regio nomine Sardiniæ & Corsicæ regna Pontificis beneficio accepta profiteretur: qui cum coram Cardinalium se-

b Surit. annal. l. 9. c. 53.

Metuit Aragonius Sardicis iuribus excidere.

Mittit oratorem ad clientelarem sponsionẽ exhibendã.

senatu injunctis sibi partibus esset perfunctus, Vrbanus publico diplomate a rem gestam præsenti ac secuturis ætatibus voluit commendatam.

a To. 1. ep. sec. pag. 77

Vrbanus &c. ad perpetuam rei memoriam.

Præsentium tenore testamur, quod constitutus in præsentia nostra & fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in publico consistorio, astante etiam aliorum fidelium multitudine copiosa, dilectus filius magister Franciscus Rome legum doctor, ac consiliarius, ambaxiator, & procurator charissimi in Christo filij Petri Regis Aragonum, ac Sardiniæ ac Corsicæ illustris, ad hæc specialiter ordinatus (prout constat publico instrumento inde confecto, ac præfati Petri Regis sigillo in cera rubea pendenti munito) recognoscens, quod idem Rex ratione regni Sardiniæ & Corsicæ, ad Romanam ecclesiam pertinentis, quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster claræ memoriæ Iacobo Regi Sardiniæ & Corsicæ auo dicti Regis Petri, & heredibus suis sub certis modis & conditionibus in perpetuum feudum concessit. Cuique idem Bonifacio prædecessori idem Iacobus Rex personaliter pro eodem regno vassallagium ligium, & homagium fecit, & iuramentum fidelitatis præstitit per seipsum, & tenebatur cuilibet Romano Pontifici infra annum post creationem suam per procuratorem seu procuratores ad hoc legitime constitutos similiter pro eodem regno vassallagium ligium, & homagium facere, & iuramentum fidelitatis præstare, &c.] Adducit Vrbanus Petri Regis literas, quibus Sardiniam & Corsicam sedi Apostolicæ acceptas refert; ac leges a Bonifacio VIII. Iacobo Regi dictas, insertia illius literis b, idem Aragonius admittit; denique subdit, se ad clientelarem sponsionem præstandam oratorem auctoritate instruxisse, Pontificijs vero literis ascripta est dies xv. *kal. septembris anno* 1. 2.

Publicis monumẽtis Sardiniam & Corsicam Pontifici acceptas refert.

b Annal. to. XIV. an. Chr. 1287 n. 2. & seqq.

13 Ne obsolescere etiam alia Romanæ ecclesiæ in Angliam & Hiberniam iura pateretur Vrbanus, cum ab euolutis retro annis triginta ab Eduardo Rege census mille marcharum solutus non esset, grauissimis literis Eduardo Regi Romanæ ecclesiæ expertam mansuetudinem exposuit c, quæ eum ipsum bellis implicitum cerneret, ad eundem censum pendendum non compulerit: iam vero, cum ipse diuitijs affluerét regnum felici pace potiretur, admonuit officij: cum etiam suaderet pietas, vt laboranti ecclesiæ subueniret.

Angliæ & Hiberniæ census repetitus.

c Eod. to 3. ep. secr. pag. 124.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Si discretionem eximiam & benignam patientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ, quas retroactis temporibus (dum implicatus propter bella, quæ gerebas, expensarum oneribus grauabaris) erga tuam celsitudinem supportatione maternæ pietatis adhibuit, te in solutione census mille marcharum sterlingorum, in quo pro tuis regnis Angliæ ac Hiberniæ ipsi teneris ecclesiæ (quamquam ipsa foret in indigentia constitura multiplici) expectando, in libra regiæ considerationis appendas; nos & fratres nostri eiusdem ecclesiæ Cardinales certa reddimur opinione securi, quod tu sicut princeps prudens, iustus & gratus, atque magnificus liberalitatem ipsius ecclesiæ prudenter agnoscas, & debita gratitudine recognoscas. Nosti siquidem, fili charissime, quod censum huiusmodi ab anno natiuitatis Dominicæ millesimo trecentesimo trigesimo tertio die septima mensis iulij citra præfatæ ecclesiæ non soluisti; & quod ipsa ecclesia, sentiens tuam magnitudinem in actibus bellicis inuolutam, cessationem solutionis eiusdem census cum multa patientia supportauit, expectans tempus, quo ipsum posses commode soluere, vt teneris. Et quia tempus tuæ tranquillitatis ac prosperitatis aduenit, quo per Dei gratiam regnas feliciter, & habes abundantiam facultatum, celsitudinem tuam requirimus & rogamus attente, quatenus ea, in quibus pro dicto censu ecclesiæ præfatæ teneris, velis benigne soluere, prout serenitatem tuam decet, solutionem continuaturus huiusmodi temporibus successuris, quibus Auctor pacis, & largitor felicitatis optatam quietem, & prosperitatis augmentum regiæ dignetur celsitudini elargiri: super quo, & nonnullis vrgentibus & magnis necessitatibus (quibus ecclesia prædicta præsentialiter premitur) eidem serenitati viuæ vocis oraculo latius exponendis, dilectum filium Ioannem abbatem monasterij S. Bauonis Gaudensis ordinis S. Benedicti Tornacensis diœcesis Apostolicæ sedis nuntium, latorem præsentium, ad tuam præsentiam destinamus, cui super ijs velis fidem credulam adhibere. *Dat. Auin. id. iunij anno* 3.

Vrbani ad Eduardũ de ea re literæ.

14 Nec modo a Regibus ecclesiæ iura Vrbanus repetijt, verum de vitijs, quæ exemplo nefario transfundebant in subditos, corripuit. Commonitus a in primis Petrus Castellæ Rex, de quo antea memorauimus, vt sæuitiæ modum poneret, ne diuinas in se iras asperaret: sub eo enim militea furori licentiam adeo laxabant, vt penitus non a Christiana modo mansuetudine, sed ab humanitate quoque abessent: *Cum relatione*, inquit, *percepermus fide digna, quod gentes tuæ guerram contra magnificum principem Petrum Regem Aragonum illustrem tuo nomine prosequentes, in nobiles et plebeios dicti Regis subditos nimis sæuiant, post eorum miserabilem captionem eos sæpius suspendentes, comburentes, cæcantes, ac eorum manus & pedes inhumaniter amputantes; clementiam regiam (quam decet erga fideles quamuis hostes, præsertim postquam capti fuerint, pro illius saltem reuerentia, in cuius sunt nomine baptizati, humanitatis gratiam exhibere) rogamus & obsecramus in Domino, quatenus (si est ita) ob reuerentiam Regis regum, & nostrarum cordialium precum intuitum, easdem gentes tuas taliter vel aliter sæuientes a tanta crudelitate compescas, proinde a pio & misericordia domino Deo tuo in extremo iudicio indubie consecuturus misericordiæ gratiam, & nihilominus in præsenti seculo vbertatem felicium successuum recepturus. Dat. Auin. x. kal. aprilis anno* 3. Crudeli peremptum morte Petrum visuri sumus, nec misericordiam promeruisse, qui misericordiam omnem exuerat.

Petr. Rex Castellæ de crudelitate corripitur.

a Eod. to. 3 ep. secr. pag. 64.

Obiecta diuina ira.

15 Perstrictus b vero est a Christi vicario alterius vitij, nimirum impudicitiæ, Casimirus Rex Poloniæ; vtque a se & Polonico populo diuinas iras auerteret excitatus: cui etiam, nisi e libidinis cœno emergeret, vxoremque Alcidem Henrici Hassiæ principis filiam ad se reuocaret, ecclesiasticas censuras ab Ægidio tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinale infligendas obiecit.

b Ibid. ep. ep. secr. pag. 156.

Increpit. Rex Poloniæ de adulterijs.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Casimiro Regi Poloniæ illustri.

Grauis doloris aculeus his diebus nostra viscera penetrauit, multorum fide dignorũ relatione fideli, & fama quasi publica intellecto, quod tu,

qui

qui dudum charissimam in Christo filiam nostram Alheidim Reginam Poloniæ illustrem consortem tuam contra regiæ honestatis debitum a tuo reiecisti consortio pro libito voluntatis (super quo ipsa Regina contra te in Rom. curia iustitiam suam prosequitur) mala malis accumulans, & inuerecunde obnubilans sereniratis regiæ claritatem; nuper, asserens pro te in huiusmodi causa in dicta curia fore diffinitiuam sententiam promulgatam, & certam dispensationem obtinuisse ab Apostolica sede, quod cum alia contrahere posses in gradu prohibito (quamuis præmissa omnia careant veritate) cum quadam tua consanguinea de facto matrimonium contraxisti, eamque tanquam tuam vxorem ad amplexus nefarios admisisti in damnationem animæ tuæ, plurimorum scandalum, tuorum consanguineorũ & deuotorum tristitiam, ac grande opprobrium regiæ dignitatis. Quare nos, qui tuos salutem & honorem paterna charitate zelamur, tam horrendum facinus, quod nisi celeriter emendetur, damnabiliter exempli perniciem effundet, in tuo regno & nonnullis alijs partibus Christiani populi tolerare sub patientia salua conscientia nequeuntes; magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino, nihilominus tibi per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus eisdem tuis saluti & honori (quos negligis) consulens, incunctanter eandem superinductam ex toto dimittere, præfatamque Alheidim, præcedentibus securitatibus debitis, ad tuam cohabitationem recipere, eamque tractare maritali affectione & congruis honoribus nõ postponas. Alioqnin dilecto filio nostro Aegidio tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinali, coram quo dicta prima causa pendet, nos commisisse cognoscas, vt super huiusmodi tuo excessu contra te procedat, prout iustitia suadebit. *Dat. Auin. III. kal. octobris anno III.* Contendente præterea Casimiro Rege, vt designati episcopi in Polonia ad sedem Apostolicam accedere non tenerentur, sed procuratores tantum mittere obstricti essent, eius postulata reiecta sunt a. Quod cum ille Caroli Imperatoris consilijs negatũ atque eiusdem studijs & contentione Vratislauiensem ecclesiam a Gnesnensi archiepiscopatu diuulsam ac Pragensi subiectam putaret, graues in eum iras concepit: quas Vrbanus mulcere literis studuit, & Casimiro suasit, hæc non ad Caroli gratiam ac preces, sed iustis de causis constituta.

Intentatæ illi censuræ.

Poloni episcopi designati ad sedem Apost. adeundam obstricti.

a Bod. to. 3 ep. secr. pag. 53.

16. Restituendæ in ecclesia catholica pristinæ sanctitatis sacro desiderio incitatus Pontifex, vniuersis archiepiscopis imperia dedit b, vt in singulis prouincijs concilia cogerent, in quibus de euellendis vitijs & Christiani populi excolendis moribus saluberrimas sanctiones ederent. Quo argumento hæ ad Rhemensem archiepiscopum, deuexo anno superiore datæ literæ c.

Indictæ synodi prouinciales.

b An. 3. ep. cur. 319. & 320.

c Ib. pag. 319.

Vrbanus, etc. venerabili fratri.. archiepiscopo Rhemensi.

Sanctorum canonum testatur auctoritas, quod olim sancti patres tam Romani Pontifices, quam alij ecclesiarum prælati curam solertem super gregem Dominicum exercentes, de celebrãdis concilijs (in quibus de extirpandis vitijs, & plantandis virtutibus tam in clero quam populo, ac de conseruanda libertate ecclesiastica, de statu quoque ecclesiarum & piorum locorum dirigendo salubriter agebatur) fuerunt plurimum studiosi: ex ijsque status ecclesiasticus in spiritualibus & temporalibus multum creuit. Sed, proh dolor! succrescente paululum prælatorum desidia, omissaque continuatione conciliorum huiusmodi, pullulant vitia, crescit indeuotio populi, præfata libertas imminuitur, cultus diuinus negligitur, irrogantur a laicis clero grauamina, & in temporalibus bonis ad diuinum deputatis obsequium sentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur quod tantis malis in tua prouincia per salubrem tuam & tuorũ fratrum prouidentiam occurratur, eandem fraternitatem apostolicæ solicitudinis studio excitamus, ac requirimus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus concilium tuæ prouinciæ (in quo de ijs, quæ pro laude Dei, & vtilitate ecclesiarum & piorum locorum, nec non cleri & populi fuerint vtilia & opportuna, prouida examinatione tractetur, & prouideatur) quam cito commode poteris, studeas conuocare; nobis de conuocatione huiusmodi, cum eam feceris, & demum de gestis in eodem concilio rescripturos, &c. *Dat. Auin. VII. kal. decembris anno III.* In ijs prouincialibus concilijs agitatum iussu Vrbani, vt clerici, qui plura sacerdotia gerebant, vno contenti essent: qua de re Tolosano & Narbonensi archiepiscopis data imperia a. De nauata ab Vrbano opera, vt corrupti mores ad primæuam sanctitatem reuocarentur, disciplinaque ecclesiastica restitueretur, meminit Petrarcha ad eũ scribens b.

Disciplina Christiana restitui iussa.

a To. 3. ep. secr. pag. 61.

Obseruator sum, inquit (*fateor*) *magnus illustrium, quorum ex actibus atque exemplis pendere rempublicam existimo. Te igitur obseruabam, & qui a minimis tam laudabiliter incepisset, quis esses in maximis expectabam. Audiebam te prælatos ecclesiarum, qui Romanam curiam frequentabant, ad sedes proprias remisisse: optime, inquam, ac magnifice. Quid ineptius enim, quasa, propiusque naufragio est, quam si nautæ omnes remis atque rudentibus abiectis, velicta nauis prora nudatisque lateribus, graui fasce puppim premant, clam rectorem opportuna ambiant suisque muneribus desertis, illius officium interpellent? Audiebam te ambitioni antiquæ, quæ priorum licentia in immensum creuit, frænum ponere, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutis ac scientiæ beneficijs contenta esset edicere: iuste inquam grauiterque. Nam quid turpius, quam vnum aliquem parta forsan fœdis artibus copia nauseantem cernere multis hinc inde melioribus penuria fameque laborantibus? Audiebam circa habituum honestatem multam te curam, multumque studium impendere: laudabam. Nam quis oculus pati potest hæc ludibria, quæ nostra ætas infelix sibi finxit, dum formosa vult videri, manibus se deformans suis, ac turpissime dehonestans? Quæ stomachum monstra hæc conspecta non quatiant, cornuti calcei, pennati vertices, caudata cæsaries & in tricam torta, frontes virorum muliebriter discriminali eburneo sulcata?* Et infra. *Audiebam denique te licentiam pestilentem salubri falce rigoris æquissimi præcidisse: illam dico, quæ scelestos homines, grauissimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere solitos legum nodis ac digno supplicio eximebat. Et hoc ipsum singulari laude dignum, maximeque tuum indicabam, ab illius scilicet vicario, qui Sol iustitiæ verus est, defensam & in suum ius repositam esse iustitiam, pessimamque consuetudinem, qua nihil infestius est virtuti, tuis vel abscissam manibus vel conuulsam; nec iam amplius, vt solebat, apud exemplares iustitiæ magistros iniustitiæ refugium, asylumque iniquitatis reperiri, &c.*

b Petrar. rer. senil. l. 7. ep. 1.

Præsules ad ecclesias suas amandati.

De luxu corrigendo.

De-

Aduersus Beguardos distringi leges iussæ.

17 Defixum etiam a Christi vicario apostolicum studium est in euellendis erroribus, quibus pietas omnis extinguitur: cum enim Beguini siue Beguardi, quos in concilio œcumenico Viennensi damnatos a Clemente V. vidimus, in Gallijs præcipue, falsarum opinionum virus spargerent; Vrbanus Parisiensem episcopum ad eos delendos auctoritate instruxit [a] atque alios archiepiscopos & episcopos eodem pio ardore iussit accendere. Quo quidem argumento tum ijs, tum alijs sacræ fidei censoribus datæ sunt hæ literæ [b].

a To. 3. ep. secr. pag. 345.

b An 3. lit. cur. pag. 309.

Vniuersis archiepiscopis, episcopis, & inquisitoribus hæreticæ prauitatis per regnum Franciæ constitutis, ad quos præsentes peruenerint.

Datæ de eo ad præsules literæ.

Ad audientiam nostram fide digna relatione peruenit, quod quidam filij Belial vtriusque sexus, qui Begardi seu Beguini vulgariter nuncupantur, & sub ouina pelle lupinam feritatem abscondunt, multis erroribus detestabilibus inuoluti, in diuersis ciuitatibus, castris, villis, & locis regni Franciæ latitantes, nonnullos fideles (præsertim simplices) a via veritatis auertere, & secum in gehennam trahere moliuntur. Nos igitur cupientes, quod aduersus talium nefandorum versuriam periculosam nimium opportunis remedijs celeriter occurratur, discretioni vestræ tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, quatenus receptis præsentibus, omni mora sublata, contra Begardos eosdem & credentes ipsorum erroribus, nec non fautores, defensores, & receptatores eorum, cum omni diligentia, appellatione postposita, vestri officij debitum exequi studeatis, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Sic igitur super hoc vos reddatis solicitos & intentos, quod præter retributionem diuinam, nostram & Apostolicæ sedis gratiam mereamini vberius obtinere. Vt autem de talium locis, vita, conuersatione, ac erroribus sitis plene informati, & contra eos procedere melius valeatis, quandam informationem, super ijs nobis traditam, venerabili fratri nostro episcopo Parisiensi sub bulla nostra transmittimus, cuius copiam singuli vestrum recipiant ab eodem. *Dat. Auin.* 111. *non. septembris anno* 111. Iniunctum est similiter in alijs regnis munus, vt in pseudomonachos, qui errores disseminabant, animaduerterent: quæ provincia Golferio abbati S. Seuerini maioris Neapolitani & Bernardo electo Boianensi data [c].

c Eod. an. 3. lit. cur. pag. 229. & 230.

18 Claudamus huius anni periodum orientalibus rebus, in quarum instaurandarum consilijs defixus Pontifex, cum vereretur, ne ex dissensione, Genuenses inter & Petrum Regem Cypri coorta, noua pericula conflarentur, operam nauauit egregiam, vt eos in concordiam reuocaret: hærebat quippe Genuensium animis veterum iniuriarum in Cypro acceptarum dolor, quem Petri in ijs sarciendis negligentia auxerat, parabantque bello eas vlcisci. Quas vt auerteret Venetorum dux, studia sua contulit, & Vrbanum periculi fecit certiorem: qui mox Cyprium est adhortatus [d], vt læsis Genuensibus faceret satis, ne belli causa ipsi ascriberetur, vtque pax & amor mutuus inter ipsos coalesceret: ac B. Petrum Thomam patriarcham Constantinopolitanum Genuam proficisci, atque ad redintegrandam concordiam, quam Veneti conciliare non potuerant, iussit incumbere [e]. Gabrielem Adurnum ducem ac senatum populumque Genuensem apostolicis precibus vrsit [f], vt iras ponerent: sarciendas superiores iniurias; nec tantum in se admitterent flagitium, vt expeditionem aduersus infideles disturbarent: sancirent cum Petro fœdus, antequam ab occidente discederet, mitterentque [a] pro eo paciscendo instructos auctoritate oratores. Contendit B. Petrus Thomas Genuam, & indigne a ciuib[u]s habitus est adeo, vt saxis illius familiam appeterent, furerentque animis ad bellum Cypro inferendum. Demum seditione sedata, diuina clientela fultus legatus apostolicus efferatos Genuensium animos quaminis qua precibus ad consilia pacis adduxit, interque Ligures & Cyprios vetera fœdera instaurauit. Narrat hæc pluribus Philippus e Mazerijs [b] in vita B. Petri Thomæ: a quo mox Pontifex certior factus, incredibili gaudio delibutus, Cyprio Regi felices successus est comprecatus.

Nititur Vrbanus Genuensium lites cum Cyprijs componere.

d To. 3. ep. secr. pag. 56.

e Ead. pag. & pag. 67

f Ib. pag. 58.

a Pag. 66.

Opera B. Petri Th. redintegrata pax.

b Philip. e Mazer. c. 35. in vit. B. Petri Tho. apud Bolland. to. 2. die xxix ianuar.

Vrbanus &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Cypri illustri.

Cyprio gratulatur Pont.

Per literas venerabilis fratris nostri Petri patriarchæ Constantinopolitani A. S. L. nuper non absque multa nostri cordis exultatione percepimus, inter sublimitatem tuam, & dilectos filios nobilem virum Gabrielem Adurnum ducem & commune ciuitatis Ianuensis fore concordiam reformatam, magnamque multitudinem nobilium & aliarum armigerarum gentium, tecum transfretaturarum contra hostes fidei, ad te de Alamanniæ alijsque partibus aduenisse nouissime, ac iugiter aduenire: propter quod, si veritas suffragetur relatis, spem iam deficientem resumimus de vltramarinis negotijs feliciter processuris. Et quia instat tempus tui & gentium prædictarum recessus, Domino fauente, feliciter; hortamur te, quod vlterius illum non differas, ne gentes ipsæ nimia expectatione grauentur, & (quod absit) a transfretandi proposito resipiscant, dictisque negotijs ex dilatione proueniat detrimentum. Nos siquidem speramus in Domino, qui gratia sua desideria deuota prosequitur, quod iter & actus tuæ celsitudinis & dictarum gentium prosperabit, nosque prout honeste poterimus, tibi fauoribus apostolicis assistemus. *Dat. Auin.* 11. *kal. maij anno* 118

Cyprius parat iter in orientẽ.

Liber a belli Genuensis metu Petrus Rex, ad tundendum Mahumeticum fastum confirmato animo conceptoque voto, in Cyprum non appellere decreuit, ni prius in Saracenorum imperium cum exercitu irrupisset, vt refert Philippuse Mazerijs, a quo tãquam oculato teste crucesignatæ huius expeditionis accuratam descriptionem delibabimus: *Rex*, inquit, *de pace propter passagium gauisus fideles, quos habere poterat, congregauit in expensis proprijs & sine adiutorio alicuius principis vel communitatis Christianorum. Legatus vero exercitum Regis in ministerium crucis & dominicæ passionis pie confortabat, omnibus transfretãdis venerabile signum crucis dabat, peccatores absoluebat, & orationibus continuis & diuino officio mediantibus institutiones diuinas transferendis pie & deuote declarabat. Rex vero pietate & deuotione motus, & verbis legati continue admonitus & consolatus, de Deo confidens, publice votum emisit; videlicet se nunquam in regnum suum intrare, nisi prius cum exercitu suo in terram inimicorum fidei personaliter intraret, etiam si mori deberet. Tunc detractores passagij, videntes Regis apparatum & legati firmum propositum, confusi sunt, & aliqualiter tacuerunt. Noua tunc ad principes Christianorum volauerunt, ipsos ad bellum*

Concepti ab eo votum de inuadendis Saracenis.

Dei

Dei satitando: sed ipsi, tanquam crapulati a vino dormientes, de passagio parum curantes, nullum adiutorium dederunt, nec salum pedem inde mouerunt, veniendo ad passagium Regis inchoatum, & per summum Pontificem publice iam indictum. Rex autem, Deo operante & legato consulente, pluribus nauibus armatorum, & fere quingentorum equorum oneratis, in Rhodum ante præmissis, in tertio anno a recessu regni sui cum duabus galeis solis de Venetijs versus plagam orientalem recessit, & omnia nauigia sui exercitus sexcenti ferme armati, & marinarij omnes, & equi prædicti in expensis & stipendijs Regis erant omnes, vna sola galea excepta a dominatione Venetorum Regi a communi donata.

Præmissæ plures copiæ nauales.

Recessu Cyprij Regis e Veneto portu audito, Pontifex supplices apud Deum preces fudit, vt suis pro religione pugnaturis triumphos conferret, ac Regem Cypri ad gloriosa perficienda consilia inflammauit hisce literis a. *Recessum tuum de Venetijs cum copiosa, vt scripsisti, comitiua pro Christi seruitio bellatorum illo, pro quo militas, fauente felicem lætitia percepimus expectata: Deumque rogamus suppliciter, vt iter & actus tuos ac bellatorum huiusmodi sic dirigat & in salutis prosperitate disponat, ac optatos successus illis adijciat, quod inde vniuersalis lætetur ecclesia, & gemat infidelitas perfidorum, multisque Christi fidelibus tuam sequendi deuotam magnificentiam desiderium ingeratur. Age igitur fili charissime bellum dominicum magnanimiter, & deuote, tuosque commilitones, quos ad hoc de diuersis nationibus fidelium congregasti, ex parte nostra intentius exhortare. Nos etiam, vt huiusmodi prosperari possit negotium fautorem apostolicum in ijs, quæ poterimus paternis affectibus impendemus. Dat. Auin. xiv. kal. augusti anno III.*

a To.3 ep. secr pag. 231. i.3.

Monetur a Pont. vt ad diuinā gloriam omnia referat.

Appulisse primum Rhodum crucesignatam classem, moxque Cypriorum & Rhodiorum exercitu auctam, narrat memoratus Philippus e Mazerijs, ac numerum copiarum nauiumque recenset, vt Turcarum duo Asiatici principes, Cyprij Regis vectigales se professi sint, vtque B. Petrus Thomas Apostolicæ sedis legatus omnes fideles sacramentis communiuerit, ac sacra prece arma, classem, & mare lustrarit. Pergit enim auctor. b

Rex vero legato associatus, vento prosperante, in satis breui tempore Rhodum applicuit, & a magistro hospitalis magnifice receptus fuit. Rex vero pluribus mensibus ante principi Antiochiæ fratri suo regenti Cypri regnum in mandatis scripserat, vt exercitus regni sui Cypri, regno in bona custodia permanente, obuiam sibi Rhodum veniret: quod & factum est. Nam Rege in Rhodo aliquo tempore expectante, venit exercitus Cypri, videlicet sexaginta nauigia inter galeas, huisserio, & alia nauigia militum armatorum, sagittarum, ballistarum in bona quantitate onerata. Quæ tunc patrem meum gaudentem, exercitum benedicentem, & Deum glorificantem vidisset, in deuotionem & inimicorum fidei destructionem conuersus fuisset. Illico tunc magister Hospitalis in seruitio Dei & adiutorio Regis centum milites ordinis sui elegit, & nauigia sua armari præcepit & fecit: & Rex & omnis exercitus in Domino lætatus & de bello confortatus, inimicos fidei inuadere desiderabant. Legatus autem ad artem suam diuinam cum lætitia manum fortem posuit, legem dando, prædicando, cruces nostris peregrinis & etiam schismaticis dando, confessiones audiendo, peccatores absoluendo, & reconciliando. Modo in consilio Regis, modo inter marinarios & pauperes, modo inter barones & milites, modo ad magistrum Rhodi & suos milites in humilitate & diuina admonitione laborabat. Nunc infirmos visitando, nunc rumores pacificando, nunc inter Anglicos, Cyprienses, Gallicos, & Theutonicos conuersabatur: semper vnitatem, charitatem, & bellum Dei hortabatur.

b Mazer. eod. c. 16. Rhodum applicat.

Classis e Cypro veniens illi se coniungit.

Pia legati Apost. opera in crucesign. exercitu.

Quid plura? Tantam gratiam effudit Deus in patre meo legato, quod omnes in exercitu quasi ipsum adorabant: & qui manum suam in die osculari poterat, vel etiam benedictionem receperat, securus de omni casu periculi se reputabat. Quales processiones deuotas & solemnes, missas personaliter celebrando, quales prædicationes de cruce faciebat? Nam in prædicationibus suis omnes ad lachrymas prouocabat, mentes omnium eleuabat, & vsque ad mortem sustinendam pro Christo omnes animabat & præparabat. Tantum laborauit, & ita ardens erat, quod vix comedebat, & parum quasi nihil dormiebat, exaltationem crucis & fidei catholicæ desiderando, & exercitum informando & illuminando: & breuiter, laboribus & verbis suis sanctis mediantibus, & sancta sua conuersatione coram omnibus lucente, tantum fecit, quod paucis diebus ante recessum Regis a Rhodo Rex & omnes barones & nobiles de manu legati deuotissime & catholice sacratissimum corpus dominicum receperunt, & in exercitu non remansit fidelis catholicus, qui ante recessum corpus dominicum non reciperet. Sed etiam infideles Christianis seruientes in magnam deuotionem conuersi sunt, pœnitentiam agentes. Quot & quanti erant illi homines armorum, qui antea confessi non fuerant in decem vel viginti annis plus aut minus? Quanti etiam illi, qui deuotionis causa ad passagium non venerant, sed causa vanitatis & auaritiæ & beneficij Regis? Certe maior pars exercitus. Veraciter Deo misericorditer inspirante, & legato informante, omnis vallis impleta est, & omnis mons humiliatus est. Sed quid fecit Deus in exercitu suo paruo? Nam, Regis potentia inter Turcos volante, Deus tantum timorem & terrorem in cordibus Turcorum incussit, quod maiores principes Turcorum, videlicet dominus de Altologa & ille de Palatio ambassiatores suas solemnes in Rhodum miserunt, Regi & castra sua, homines, & victualia, & amicitiam Regi præsentauerunt per nuntios, & sibi seruire sub tributo obtulerunt: quod & factum est. Magna est potentia & Dei bonitas, qui seruum suum Regem sic honorauit, & corda inimicorum eius ad pacem conuertit.

Milites Eucharistia communiti.

Duo Turcarū principes Cyprij vectigales facti.

Adueniente autem termino recessus, Rex de loco inimicorum fidei inuasura secrete in consilio ventilato, Deo consiliante, legato benedicente, proposuit soldanum Babyloniæ, sanctam ciuitatem Ierusalem & eius hereditatem occupantem, non ad caudam, sed ad caput inuadere, & versus Alexandriam suam Dei exercitum dirigere: & valefaciens magistro hospitalis, galeam ascendit. Legatus vero & omnis exercitus galeas & nauigia ascenderunt, & in portu Rhodi iuxta galeam Regis mutuo se congregauerunt. Mira res a Deo, mirabilis, & narranda: magna est gloria Domini & mira, qui ponentes manum ad aratrum in fidei catholicæ multitudine retro non respicientes fortificat, augmentat, & roborat. Nam Rex Cypri a principibus & Christianis occidentalibus derelictus & despectus, nunc a Deo fortificatus & a legato diuinitus instructus contra opinionem quasi omnium passagium prosecuturus,

Actum de Soldano Babyl. inuadendo.

adeo

*adre se potentem inuenit: nam inter galeas, buiserïa, ligna, naues, & alia nauigia fere centum secum habuit in expensis proprijs, quatuor buiserijs & alijs paucis nauigijs *. Erant circa mille nobiles armati: balistarij, sagittarij, & marinarij erant omnes ad bellum parati. Totus autem exercitus Regis fuit circa decem millia bellatorum, & circa mille & quadringenti equi. Sed ij quid erant contra soldanum & tantos Saracenos? Certe satis, quia dominus Iesus nobiscum erat, & cruce præcedente, viam nostram in omnibus præparabat.*

* excepsis

Copiarũ numerus.

Legatus autem, personis ecclesiasticis totius exercitus associatus, in galeam Regis ascendit pro benedictione generali exercitus Dei fienda: & ascenso in eminentiori loco galeæ, vt ab omni exercitu videri posset, Rege prope ipsum stante, & omnibus stantibus & legatum respicientibus, omnibus signis & vexillis galearum & aliorum nauigiorum depositis, legatus quandam largam & inauditam atque pulcherrimam benedictionem a Spiritu sancta incepit, antiquum testamentum & nouum in benedictione allegando: modo nauigia, modo arma, modo personas, modo mare, modo totum exercitum benedicendo in honorem crucis, & Saracenorum destructionem, auxilium Dei inuocando. Rex vero & omnis exercitus, legato ad omnes benedictiones capitibus inclinatis, respondebant & in magna deuotione erant. Finita autem benedictione, signum regale, videlicet quendam leonem rubeum magnum in galea Regis subito leuauerunt, & tubis omnis exercitus insonantibus, & vexillis infinitis leuatis, vna voce terribili in cælum clamauerunt, Deo regratiando, clamantes & dicentes: Viuat, vincat, Petrus Ierusalem & Cypri Rex contra Saracenos infideles. Tunc legatus Regi valefaciens, & ipsum benedicens, reuersus est ad galeam suam, me semper in omnibus associante.

Sacra prece lustrata classis a legato.

Rhodo soluit.

19 Direxit in Turciam classis vela aquationem factura: moxque vbi altum mare tenuit, Cyprius Rex consilium de inuadenda Alexandria suis aperuit; vtque diuino miraculo vrbe florentissima diuitijs, murorum amplitudine, ciuium numero, vnius horæ spatio, nemine Christianorum cæso, vi expugnata fuerit, quamuis Saraceni innumeras copias ad nostros exscensione in litus arcendos eduxissent, narrat laudatus auctor a: *Adhuc*, inquit, *nesciebat exercitus vbi Rex ire volebat, vel in Turquiam vel in Syriam vel in Aegyptum. Legatus vero & consilium secretum Regis eius voluntatem & propositum sciebant. Rex autem, a portu Rhodi recedendo, sapienter surgendo totum exercitum versus Turquiam duxit, & in Turquia aqua dulci, quantum volebant nostri leuata, Rex versus altum pelagus viam fecit. Elongatis ab omni terra omnibus nauigijs, voluntatem suam omnibus manifestari fecit; videlicet, quod versus Alexandriam, Deo permittente, tendebat; & quod omnes galeas suas, signa ordinata seruando, sequerentur: hoc in mandatis dabat. Tunc omnes nauigij Alexandriam clamantes vociferabant: quasi esset quoddam castrum paruum vel oppidum, ipsum captum reputabant. Sed quid fecit Deus mirabile in oculis nostris, ne manus nostra hæc, & ne opus humanum videretur? Eundo & Regem præcedenda in via nauigia separata ab inuicem, vt pluribus diebus non visa, ventum prosperum omnibus habentibus, & cælo in altum quasi nobis ludentibus, Deus mirabiliter in quarto die a recessu terræ bene mane totum exercitum in portu Alexandriæ congregauit.*

a Phil. e Mazer. cod. c.16.

In Turcia aquatio facta.

Petita bello Alexandria.

Mira res a Deo: nam marinarij de via Aegypti consueti, velut admirantes facti, nunquam talia viderunt, & remotius valde esse credebant. Saraceni vero, exercitum Christianorum in portu ipsorum respicientes, non modicum admirati & turbati fuerunt. Exeuntes autem Saraceni de ciuitate Alexandriæ cum multitudine infiniti populi, vt portum nobis defenderent, in campa phalangas suas coram nobis ordinauerunt. Erat autem dies iouis, & hora quasi sexta. Sed Rex, vt distincte & ordinate inimicos crucis inuaderet, signa sua daret, & modum bellandi & quæ pertinebant ad militiam ordinaret consilio ventilato, illa die iouis requieuit, & in terram non descendit. Videntes autem Saraceni, quod exercitus Christianorum ad terram non descendebat, animati ad terrorem nobis reputauerunt. Sed Deus, nobiscum existens, hoc manifeste fecit ad maiorem victoriam & gloriam sui nominis habendam.

Accincti ad prælium Saraceni.

*Stantibus nobis sic, strenuitatem patris mei legati, & martyrij eius ardentem voluntatem tacere non possem: nam Saraceni, in turmis suis multiplicatis sapienter & strenue in litore portus ordinati vociferantes, nos ad terram descendere * expectantes. Legatus, adhuc causam nesciens nostræ retardationis inimicos inuadendi, mihi cum magno feruore desiderij clamando, dixit: O frater mi dulcissime cancellarie, in memoriam passionis Domini eamus cum galea nostra, eamus ad terram: tantum vituperium sustinere non possum. Inuadamus Saracenos, cruce præcedente, & sequantur crucem omnes galeæ nostræ. Ego autem audaciam eius & voluntatem ipsius pro Christo moriendi considerans, & non modicum admirans, ridendo sibi respondi: Pater mi, adhuc non est hora mortis nostræ: non est hora ad terram descendendi. Cum reuerentia hoc non faciam. Ipse vero tantum tristabatur, quod ego scribere non valerem: ego enim Regi meo * patris mei habebam galea & ordinationibus regularibus obtemperare, cui omnes obedire habebamus. Tunc Saraceni tota die ac nocte ciuitatem fortificantes, et sine numero exercitum suum in litore multiplicantes, de exercitu nostro parum curare videbantur: et cum buccinis, vexillis erectis, et luminaribus infinitis in litore portus tota nocte super nos vigilauerunt, ciuitate circumuallata super muros custodibus et infinitis luminaribus.*

* expectabant

Pius ardor legati ad irruendum in hostes.

* non

Rex autem et omnis exercitus Christianorum ad tractum ballistæ fere cum dimidio iuxta Saracenas in portu stabant, et in Domino quiescebant, diem futurum cum gaudio expectantes, et victoriam a Deo sperantes. Mane autem facto, et sole in clypeis, armis, galeis Christianorum in terrorem crucis inimicorum resplendente, definitum fuit per Regem et consilium, Deo auxiliante, hora tertiarum in terram descendere debere, et bellum Dei incipere. Qui tunc vidisset patrem meum interius et exterius nobiliter armatum super eminentiorem locum galeæ nostræ stantem, crucem cum ligno Domini in manibus tenentem, et exercitum a dextris et sinistris benedicentem! Alta voce omnibus dicendo clamabat: O milites Dei electi, in Domino et sancta cruce eius confortamini, inimicos eius non formidantes, victoriam a Deo sperantes: bellum Dei viriliter agite, quia hodie paradisi porta sunt aperta. Tantum benedixit et clamauit, quod omnium audientium corda confortauit. Sed bello adueniente, et sagittis pluentibus timuit ire? Certe non. Nouit Deus: faciem eius non mutatam, nec aliquod signum timoris vnquam nec in mari nec in terra vidi in eo; et tantum ardorem descendendi in terram habebat,

Crucem præferens lustrat sacra prece pugnaturos cruce signatos.

Illius sacra adhortatio.

bat, quod a sagittis infinite volantibus cooperire se cum clypeo, me pluries admonente, nolebat. Pulsante vero Regis buccina, gradatim et paulatim secundum ordinem datum galea et alia nauigia versus terram remigare incœperunt; et appropinquantibus terram, Saracenis vltra quam credi possit viriliter portum defendentibus, nauigia sagittis cooperuerunt: tanta enim multitudo sagittarum super Christianos tunc cadebat, sicut pluuia super terram. Sed contra consuetudinem humanam Deo defendente, paucos & quasi nullos ledebant, psalmista dicente a: Cadent a latere tuo mille, &c.

Telorum nimbus iactus a barbaris in irritū.

a Psal. 90.

Galeis autem terram appropinquantibus, scalas, vt in terram descenderent, in mari iuxta litus vi armorum proiecerunt. Sed Saraceni balistas nostras non timentes in mari vsque ad pectus intrabant: clypeis eorum cooperti exitum nostrum viriliter defendebant. Tandem, bello quasi hora durante, & Deo benedicente legato, modice de nostris in terram descenderunt, & forti bello terram acquirendo, victoriam habere incœperunt. Tunc Christiani nostri, qui citius poterant in terram descendebant, & Saraceni versus ciuitatem fugientes terga verterunt: nostri vero, persequentes & ipsos occidentes, vsque ad portam ciuitatis ipsos persequebantur. Saraceni vero cum difficultate portas ciuitatis contra nos clauserunt: & tunc pro defensione super muros ascenderunt. Magna est gloria Domini, & misericordia & victoria eius vsque in æternum. Certe hic vnus ex nostris persequebatur mille, & duo fugabant decem millia. Quid plura? Dominus noster Iesus Christus propter nomen suum nobis ostendit maiora & inaudita: nam Rege, armatis fidelibus circumuallata, muro ciuitatis appropinquante, ciuitate sine ingenio & ordine aliqualiter debellata, ad portas ferreas igne modico posito infra horam Saraceni a Deo percussi muros et turres reliquerunt, et animis deficientibus, ciuitate relicta, versus Babylonem fugerunt. Tunc nostri Christiani cum vexillis muros libere ascenderunt, et portis adeo combustis, sine impedimento cum paruo damno et quasi cum nullo Rex, legatus, et omnis multitudo Christianorum (cruce præcedente) ciuitatē intrauerunt: et capta est ciuitas magna Alexandria a Christianis (Deo operante) quasi hora nona die veneris, octobris mense, anno sexagesimo quinto, nimirum excurrentis seculi, *quarta die. Quis loquetur potentias Domini? (Timuerunt aures infidelium) Notas facite in populis potentias eius, et mirabilia, quæ operatus est in Aegypto coram nobis, vt enarretis in progenie altera. Recedant vetera de ore vestro, quia dominus Iesus nostris temporibus populum suum Christianum exaltauit, et odientes eum in fugam conuertit.*

Deuicti vnius horæ prælio.

Incensæ Alexandriæ por.

Quarta die octobris expugnata Ægypti regia.

Sed va, va, va: quomodo dolorem patris mei et meum, nec non vituperium Christianorum narrare incipiam, scribere nescio. Arida est manus nostra, quia vires mihi deficiunt. Gaudium et honor Christianorum versa sunt in vituperium, exaltatio sanctæ crucis in ignominiam lachrymarum et mœroris: paradisi porta per misericordiam Dei et mysterium sanctæ crucis omnibus aperta, est per auaritiam, vanam gloriam, et modicam fidem iterum clausa. Pro tali dolore quid clamabo, quid plorabo, et lamentabor? Percussit Moyses lapides et fluxerunt aquæ, et Deum non sanctificauit: et ideo terram sanctam a Deo sibi ostensam intrare non meruit. Sed heu, heu, non aquam, sed omnia bona mundi a Deo Christianis tradita, et via paradisi patefacta, dominium Aegypti Christiani possederant: sed Deum non glorificauerunt, et ideo meruerunt tantum boni perdere, et ciuitatem Alexandriæ viliter relinquere. Nam, ciuitate capta, victoriosissimus Rex pro custodia ciuitatis tenuit consilium generale: sed adiutores et Dei seruitores paucos aut nullos inuenit. Rex vero cum lachrymis milites magnos, paruos, et mediocres, vt secum remanerent, pie implorabat: sed ipsi de hoc Regi excusantes, et crucem sanctam relinquentes, de recessu promptos inueniebat. Qui tunc patrem meum legatum dolentem, lachrymantem, et quasi desperatum in cælum clamantem, et vt remanerent milites admonentem vidisset, et ipsos renuentes audisset, certe de scandalo fidei doluisset, quomodo honorem Dei, vtilitatem Christianorum, et ciuitatem Ierusalem iam acquisitam in retentione Alexandriæ clare ostendebat; et damnum et vituperium Christianis inde secuturum ipsam relinquendo infinitis argumentis demonstrabat. Aliqui vero de exercitu nostro remanere cum Rege et legato prompte offerebant: sed, diabolo instigante, maiores ipsorum impediebant. Quid plura? Corda indurata, et iniquitate percussa fuerunt, et Regem dolentem et legatum præ dolore quasi morientem reprobi vicerunt, de recessu concludendo, de Deo desperando, et de potentia eius non confisi; et victorias eius inauditas prorsus fuerunt abliti. Damnum enim Christianorum, et nostrum vituperium scribere non vellerem, et meam tristitiam renouarem: sed in quadam epistola autentica manu patris mei legati scripta, Papæ et Imperatori dirigenda, cuius tenor infra sequitur, id clarius potest intueri.

Onusti præda milites de recessu cogitant.

Eos Cyprius Rex & legatus retinere tentant.

*Rex vero in concilio suo victus, Deo permittente, Alexandriam relinquens, nemine inimicorum persequente, in galeam quiete ascendit, et noster exercitus in nauigijs se collegit versus Cyprum tendentes: paradisum relinquentes, in pelagus nauigauerunt. Sed quid fecit Deus nobis? Tantam fortunam in mari misit, quod omnia nauigia nostra diuisit, fortunam fugiendo, et quasi periclitando. Sed qui antea timore percussi sine causa Alexandriam reliquerunt, tantum timorem in mari habuerunt, quod respirare quasi non poterant. Tantum mare timebant, remansisse in Alexandria affectantes, et peccatum cognoscentes. Pater meus mihi quotidie dicebat: Ista fortuna est Dei vindicta, quia relicta est Alexandria: maiora enim videbitis in tempore, non dubitetis. Mira res! nam fortuna intumescente, et nemine se * posse iuuare, pater meus tactus dolore epistolam prædictam manu propria scripsit, et ad finem vsque perduxit, et mihi ostendit: cuius tenor sequitur in hæc verba a.*

Relicta infeliciter Alexādria a Christianis.

Procella iactantur.

* valente

Epistola S. Petri ad Papam et Imperatorem de successu expeditionis.

In medio illius furore scripta a B. Petro epistola ad Pont. & Imp.

20. Licet communis dolor planctu dignoscatur communi, verum quod plus tangit plus communicat mœrorem & viscera compunctionis inducit. Et * quia ego vsque in senectam & senium laboraui, & clamans raucus factus sum, frequenter lingua percutiens (cum armis non valerem) vt Christo fideles milites pugiles Iesu Christi arma sumerent, scuto protecti fidei procederent, & Ierusalem matrem nostram, diu sub Agarenorum ritibus, immo potius fæcibus detentam magna Christianorum negligentia & desidia pertinaci; cum nunc in nouissima hora & in fine seculorum ac in termino temporis, illustrissimo principe Petro Rege Ierusalem & Cypri discursu laborioso & impensis grauissimis cum sanctissimo domino Vrbano Papa V. passagium procurante, cuius indignus legationis functus sui officio, cum multitudine copiosa venissemus, armato Rege

a Phil. e Mezer. in vita B. Petri Th. c. 17. apud Bolland. to. 2. die 29. ianuar.

* quidem

Quantus ab eo cōceptus dolor de re male gesta.

ca-

capitaneo præsidente cum deuotionis affectu, velis instaris, mari quieto, & vento prospero, quem Deus de thesauris suis produxerat, vt non per mare ire viderentur, sed potius & manu Dei portari sine impedimento; diuersa nauigia nocte ac die diuisa, & ab inuicem non visa, vna die in portu Alexandriæ inclusa nutu potius illius, qui Petrum fecit ambulare in mari, quam regimine humano. Quiete indicta a meridie vsque ad tertiam alterius sequentis diei ante maris egressum, multitudine infidelium pro egressu resistente, vt probaret Dominus vires nostras, sua virtute paucos de nostris deduxit in litore, quibus terga vertunt infideles, quibus fuga fuit remedium, & inclusio intra muros. Et ex tunc satis cito secuta sunt vaticinia Ezechielis prophetæ, vt fierent iudicia in Alexandria: iudicia, inquam, Dei hominibus ignota, Deo cognita; vt non possent aggrauati armis pergere, muros ascendere, lapides proijcere, nec sagittas balistis trahere, quibus * inimici vbique tam in muris quam in turribus, quam in hospitijs inuenti sunt vltra modum. Sed non fuit pugna nostra, sed Domini, qui omnibus mirabilibus hic mirabilior extitit: narrabitur in æternum.

V. Deus exercitū singulari prouiden. in Alexādriam perduxisset.

* muniti

Pugnault populus Israeliticus contra Amalech, qui non tuebatur muros, Moyses fatigabatur, & moriebatur populus, cum manus deponebat: & hic lassari non potuit nec sacerdos nec populus; quia vix extitit vnius horæ pugna, nec in bellando aliquis de nostris extitit mortuus, cum essent inexpugnabiles [paucisque interiectis quibus deserto res sugillat, subdit.] Pugnante Iosue franguntur muri, & intrat populus: sed hic, o Deus, relinquuntur turres vt castra, muri vt castra relinquuntur: vacua intrant promiscua. Quis scripturarum discursus? Nullus fuit infidelium occursus, ferreæ comburuntur portæ, gentes traduntur in morte, quas non seruauit Deus fugæ sorte: & sic capitur ciuitas vt Parisius habitata, vt Venetiæ grata, vt Ianua rara; plena diuitijs, iucunda delitijs, fœcunda fructibus, irrigata fluminibus paradisi, frequentata mercatoribus: quæ erat Aegypti Regina, baculus infidelium, & porta fidelium si tenuissent.

Debellasset cælesti vi infideles.

Sed nostrum gaudium versum est in luctum: vnde & conturbatus est venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Patior, patior vehementer: & non est, qui compatiatur afflicto. Diu laboraui, laboraui in gemitu meo: sed nunc materiam deduco gemitus, in publicū profero. Ideo verba mea dolore sunt plena: exitus aquarum deducent oculi mei, & torrentes effluent lacrymarum: sagittæ enim Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Sed torrentes iniquitatis alienæ conturbauerunt me. Vtinam aperiantur cataractæ miseri spiritus mei, & totus in lacrymas fluam; multis enim solatio sunt lacrymæ: dolor siquidem speciem ignis gerit, quia, dum plus tegitur, plus reuiuiscit.

Victoriæ gaudia aliquorum ignauia confusa.

Si me Dominus in amissione rerum temporalium aut amicorum morte, aut in afflictione proprij corporis flagellasset, æquanimiter sustinerem: sed plagam sentio, quæ ad interiora mea penetrat: nec minus crucior, quam si quis viscera mea a me violenter auellat. Et quid mirum? immo miror si non morior, quia vidi illata vulnera, ablata fœdera, prolata scelera. O illata vulnera! vulnus & liuor & plaga tumens; vulnus in facie, liuor infamiæ, plaga tumens cum insanie. O vulnus in facie! vulnerati enim fuerunt principales consilium facientes in vnum milites, qui videbantur potiores, summi, fortiores vt facies in corpore, qui ante vt Petrus Christo Regi dicebant a: *Si oportuerit nos mori tecum, non te dimittemus;* sed timora percussi non ancillæ voce, quia non assitit, nec aduersariorum posse, quia nullus potuit nocere, reliquerunt enim eam, de Deo non confisi, in nullo prouisi; sed ex toto diffisi, ac si Deus, qui iam introduxerat, fortis non esset pro custodia; non attendentes, quod super muros eius posuit custodes. O liuor infamiæ, nonne dicent gentes vbi est Deus eorum? Quæ ante dicebant (vt vero percepi relatu) Deus pugnat pro eis: noster Machometus victus est. Deus Christianorum magnus & fortis est deridens qui apparebat gloriosus in militibus suis. Et reddebant testimonium, qui non nouerunt nec exquisiuerunt nomen tuum. Gloria nostra versa est in ignominiam: dies festi conuersi sunt in luctum: sabbatum in opprobrium: homines eius in nihilum: secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: sublimitas eius conuersa est in luctum. Et ego vidi, heu, & vt quid est mihi viuere, cum sit tantus liuor infamiæ, plaga tumens cum insanie?

a Matth. 26.

Barbari fatebantur Mahometem a Christo victum.

O plaga ecclesiæ cum insanie, quæ sanari non potest medicamine. Heu, quis medebitur incantatori a serpente percusso? Qui debebant modo incantatores serpentinos homines membra serpentis, qui nostros decepit parentes, obmutescere facere, veneno percussi, dicatis, in animo, non potuerunt stare, quibus maledixit Dominus. O genti peccatrici, filijs sceleratis, semini procerum, populo graui iniquitate. Dereliquerunt te, alienati sunt retrorsum, & fit magnus planctus in ecclesia, quia vidit vulnera; nec minor quia attendit ablata fœdera. Heu dolor intolerabilis, nunquam auditus similis: quod Deus coniunxerat, vt caperetur ciuitas, diuisit iniquitas: vnus recedit ab alio, & facta est diuisio & contentio inter principes, & recesserunt Anglici, qui videbantur fortiores, facta coniuratione cum principe, cuius ex parentela & dolosa sequela nomen tacere debeo; sed doleo quia super eo est querela. Semper carebit medela, quia narratur & vulgatur, quod ipse fecit talis, vt sit relicta Alexandria: ei maledicunt catholici multi (credaria) & Gallici quamplures, Theutonici & omnes Italici, clamantes: Væ homini illi, per quem scandalum venit: melius erat si natus non fuisset homo ille: quia cum voluisset caput Rex resumere vires velut probus miles, noluerunt hi resistere, sed cum suis Anglicis, qui nolentes in ciuitate in crastinum pernoctare deuicta, se absentauere, & omnino segregauere a Regis consortio. [Meminit Vvalsingamus b Anglos & Aquitanos Cypriū Regem in Alexandriæ expugnatione stipasse: *Referentes*, inquit, *tam in Angliam, quam in Aquitaniam pannos aureos et holosericos, splendoresque gemmarum, exoticos in testimonium tantæ victoriæ illic factæ.* Onusti nimirum illi spolijs pretiosissimis, spreta fidei & diuini Numinis causa, aufugere mox prædonum instar, vt qui ad latrocinia, quam ad sacram militiam aptiores essent.] Pergit B. Petrus.

Angli auctores deserendæ Alexandriæ.

Cyprij Regis pro ea retinenda studia.

b Vvalsin. in Eduar. III. sub an. 1365.

O dolor in medio cum cancellatis manibus vna cum cancellario, milite vero, strenuo, docto consilio, Philippo de Mazerijs dolente pro miserijs Christianorum atque suspirijs, qui

se

se prompte offerebat pro custodia turris, quæ erat magis dubia cum * brachijs quinquaginta cum socijs quadraginta in expensis proprijs instantissime & cum fletu, vt staremus sine metu inducendo cum exemplis & hoc multis argumentis, quod poterat custodiri locus noster, & murus; & instabat apud Regem, custodiendi, dando legem. De nostris verbis non fuit cura, sed sequuntur nimia dura. Nulla confidentia de Dei potentia, immo incœperunt contra fari admirati, & murmurare. Sed non fuit murmur contra me, de quo tristor maxime, sed contra Dominum: de quo credo est iratus Deus ipse & turbatus, & sentiet admiratus hospitalis militiæ, qui peius nec sententijs neque verbis alijs hic induci potuitr, quod remaneret pro custodiæ ordine, nisi in Regis agmine, & concedendo negaret, & sic fugam impetraret. Et quia solus ille plures habebat quam mille, turbauit non immerito plures a proposito: & sic totus exercitus, eius verbis agitatus, recessit quasi fugatus: ipsis enim timorem incutiens prædixit multoties, quod veniret soldanus sine mora, quasi captans horam. Et tamen, licet stantes verecunde ante muros, non iucunde die sexta recessimus, nec venisse quemquam percepimus; immo nec intrare muros audebant: tantum nostros ij timebant. Sed quia scribitur a, *Fugit impius nemine persequente*; verum dixisse nouimus, & in nostris percepimus.

*Balistariis

Iactæ ab ignauis in Deum voces blasphemæ.

Præfectus Rhodiorum equitum nostris metus inanes obiecit. Nullo hoste comparente fuga correpta.

a Prou. 28

Vidimus sic rupta fœdera, & monstrata scelera in egressu. Vidimus vanitatem; sed percussit eos Deus: & marinarij præcedebant in hymnis in illo egressu tripudiantes; sed percussit eos Deus, vt quasi cœci palpantes parietem pretiosa non inuenerunt, & quæ erant sua reliquerunt alienis in egressu in infidelitate, quia non cognouerunt Deum; & ideo conqueritur ipse Deus b: *Audite cæli & auribus percipe terra, quia os Domini locutum est: Filios exaltaui & enutriui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit, videns Deum Israel*; scilicet populus Christianorum, qui viderat mirabilia in mari sine periculo, in exitu deuicto populo in captione ciuitatis quasi sine obstaculo: *Audite cæli, & auribus percipe terra*; id est præsidentes, prælati in ecclesia; *& terra*, id est principes terreni, *quanta fecit nobis Dominus*; & præcede tu, summe Pontifex, populum exhortando, indulgentiis concedendo, thesaurum ecclesiæ exponendo, quia tibi quasi imponitur plaga præsens, quia si venisset populus in sufficientia, & prouidisset de aliquo ecclesia, nulla excusatio fuisset de tanti loci custodia. Vide, domine, opprobrium nostrum in loco relicto, & attende Dei virtutem, quia cum paucis & quasi cum nullis inimicorum comparatione tradidit tibi Deus ciuitatem muris circumdatam, turribus ornatam, vbi Aegypti diuitiæ, vbi Aegypti delitiæ, vbi timor est inconcussus Agarenorum, qui nunquam est discussus. Insta opportune & importune, quia non restat aliquid aliud, nisi vt oculos nostros ad te leuemus, vt subuenias, & subito cum gente Agarenorum confligas, quia timor debilitat eos, & Deus nos adiuuat.

b Isai 1.

Legati adhortatio ad Pontificem.

Et tu, inuictissime Imperator, ad quem respiciunt oculi totius Israel, vt incipias tu Rex regum & dominus dominantium, cui Deus plus Salomone sapientiam, plus Pharaone potentiam, & (vt fama habet) satis pecuniam concessit: cui præbebunt Reges auxilium, Veneti & Iannenses, & maritimi sufficiens nauigium: dominus Papa indulgentiarum suffragium, & vacabit populus affectus deuotione clerus ieiunijs & oratione, totus mundus in collatione. Ostende, domine, potentiam tuam & veni, & libera nos. Libera sanctam ciuitatem Ierusalem, quæ tanto tempore fuit ancilla. Ad te clamauit, & clamor eius vsque ad aures peruenit Domini sabaoth: quia si non exaudieris & audieris, timeo (& non ego solus sed multi mecum) vt irascatur Dominus contra te, & pereas ante tempus: insigniuit enim te Dominus tot insignijs, dotauit te tot priuilegijs vltra & supra prædecessores, vt merito & ex debito recognoscere debeas & in illo quod est sibi magis gratum, vt recuperes locum suum de Ierusalem, & ibi fiat sacrificium illibatum & vespertinum: quod tibi concedatur per Deum vnum & trinum. Amen].

Et ad Imperatorē ad redintegrandū bellum sacrum.

21 Ex his non auscultandus videtur, qui nostrorum ex Alexandria turpem recessum ob exiguum copiarum numerum excusat: ac potius audiendus Petrarcha qui in literis ad Ioannem Boccatium scriptis a collectitios transalpinos carpit, qui Regem Cypri in medio victoriæ cursu deseruerint: *Petrus*, inquit, *Cypri Rex Alexandriam cepit in Aegypto: magnum opus & memorabile, nostræque religionis in immensum amplificandæ fundamentum ingens, si quantum ad capiendam tantum ad seruandam vrbem animi fuisset. Qui sibi certe non defuit, vt fama est, nisi quod comitatus eius ex transalpinis maxime gentibus collectus melioribus semper ad principia rerum quam ad exitus, illum in medio præclarissimi operis deserentes; vt qui pium Regem non pietate sed cupiditate sequerentur, collectis spolijs abiere, pijque voti impotem auari voti compotes fecere*.

a Petrar. l. 8. senil. ep. 8. & l. 13. ep. 2. Vvalsing. in Eduar. III. Bos. hist. Hosp. p. 2. l. 3. Dub. l. 22. & alij.

Quorum culpa dimissa sit Alexand.

Detergit idem auctor a Cyprio Rege inconstantiæ maculam, illiusq; sententiam de Alexandria contra soldanum propugnanda in bellico consilio victam queritur numero eorum, qui ex auaritia capta ab hoste spolia eripi metuebant, quique inopes magnanimi, sed redditi opulenti ignaui euaserant: quorum culpa quanta fuerit amissa, ita deplorat in literis ad Philippum e Mazetijs Regis Cypri scribarum princeps datis b: *Iam*, inquit, *non tantum Alexandria, sed Memphis & Antiochia & Damascus & Babylon Christianorum essent: Christi nempe sunt omnia, nec Deus noster bonorum indiget nostrorum. Nobis quærebatur, & quæsitum nobis quidquid id erat, & nobis amissum est: Christo enim præter cor humanum, quod vnice concupiscit, nihil dari potest, nihil eripi: nobis, inquam, paucorum virtute, quorum tu etiam pars fuisti, illa nobilis ciuitas data erat: nobis multorum seu ignauia seu perfidia erepta est; nec minus pudoris attulit amissa, quam capta decoris attulerat. Sed sic eunt fere res mortalium: raro sanum consilium contradictore caruit. Ita dum in suam quisque libidinem non in commune bonum nititur (quotidianum in consilijs malum) melior pars mutare, & numero veritas victa est. Vicit auara barbaries, vicit vilis amor prædæ, vicit interrumpendæ paululum metus voluptatis: virtus nuda & incomitata succubuit. Itaque onusti præda, ad quam solam venerant religione simulata, onerati autem obrutique dedecore abierunt, amissa neglectoque fidei negotio, quo nescio an vllum gloriosius ab annorum memoria cogitatum sit huchactenus*: Hæc Petrarcha: sed de ea expeditione iterum sequenti anno, quo gesta ab Vrbano, vulgata harum rerum in occidente fama, prosequemur. Nunc vero addimus

b Petrar. l. 13. senil. ep. 2.

Armeni ad excutiendum Saracenorum iugū excitati.

a An. 3. ep. cur. pag. 139.

Pontificem Armenos apostolicis adhortationibus concitare conatum a in sacri huius belli ardore, vt Saracenicæ seruitutis iugum e suis ceruicibus depellerent, ac Liuonem Petri Regis Cypri consanguineum principem catholicum, ad quem Armeniæ sceptrum iure hereditario pertinebat, Regem sibi præficerent, deiecto iniquo eorum dominatu, qui regia insignia contra fas corripuerant.

Venerabilib. fratribus archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filijs alijs ecclesiarum & monasteriorum prælatis, ac rectoribus & personis ecclesiasticis; nec non magnatibus, alijsque nobilibus & populis catholicis vniuersis regni Armeniæ salutem, etc.

Dum in apostolicæ considerationis memoriam reuocamus, quod regnum Armeniæ fuit olim latissimum, affluebat diuitijs, & erat potentia gloriosum, in eoque splendebat orthodoxæ fidei claritas, & feruebat deuotio populorum; ac ex eo terræ sanctæ dicto regno vicinæ, in qua saluator noster dominus Iesus Christus dignatus est salutem humani generis operari, liberationis a iugo Saracenicæ seruituris, ac magnæ defensionis auxilium præbebatur; tangimur dolore cordis intrinsecus, & profundis anxiamur suspirijs, quod regnum ipsum fere totum conspicimus infidelium Agarenorum seruituti suppositum & tributarium Saracenis, ac in eo diminutum esse cultum eiusdem fidei, aliaque bona spiritualia & temporalia nimium defecisse; gerimusque in votis, vt populus dicti regni catholicus a tantarum miseriarum incommodis cum auxilio diuinæ dexteræ liberetur; nosque ad hoc apostolici fauoris præsidium, si nostris paternis acquiescitis consilijs, intendimus exhibere.

* vestræ

Verum quia huiusmodi * nostræ liberationis, & recuperandæ prosperitatis effectus non potest verisimiliter euenire, nisi vero domino vestro, & principi catholico fideliter & vnanimiter pareatis; & ad audientiam nostram peruenit, quod dictum regnum ad dilectum filium nobilem virum Liuonem de Lusignano consanguineum charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Cypri illustris, virum catholicum, & sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ deuotum de iure dignoscitur pertinere; vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus (si est ita) dictum Liuonem reuerenter recipiatis in vestrum dominum ac Regem, eidem coronam & alia insignia regalia dicti regni exhibentes, seu facientes, prout in vobis fuerit, per illos, qui ea detinent, exhiberi; ac ei parentes humiliter & deuote, vt sub eius felici regimine ad antiqua vestræ libertatis & prosperitatis reduci commoda valeatis; nosque vestras fidelitatem & obedientiam intuentes, nostra & Apostolicæ sedis fauores & auxilia dicto Liuoni ac vobis liberalius & efficacius impendamus. *Dat. Auin.* III. *non. aprilis anno* III.

Liuonem Lusinianū Regem agnoscat.

Prædicatorum in Armenia socij labores.

b Io. pag. 180.

Incumbebat ad tuendam fidei catholicæ dignitatem in minori Armenia piorum virorum societas, quam Pontifex ad acuendum ipsorum pium studium ijsdem prærogatiuis, quibus Prædicatores in Saracenorum imperium missi potiebantur, exornati sunt b: quo argumento inscriptæ extant literæ: *Gubernatori et fratribus de maiori Armenia vnitorum nuncupatorum*.

Græci ad coniūctionem ecclesiarum prouocati

22 Neque Armenis modo, sed etiam Græcis ad sinum ecclesiæ catholicæ reuocandis nauata opera: & Vrbanus Ioannem Palæologum illorum Imperatorem auxilia occidentalium flagitantem aduersus Turcas, qui ipsius imperium vastabant, pellicere ad fidem orthodoxam studuit a, sumpta ex malis ingentibus, quæ inuexerat schisma orientali imperio, occasione. Circumferebat enim latius victorias Amurates primus Turcarum Imperator, quem annales Turcici Gasem Muratem Chan vocant, & Scachinis, quem Europæ præfecerat, opera hoc anno Zagoram & Ischebolem sibi subiecit b. Cuius progressibus territi Seruij ingentem exercitum confecerunt: sed is proximo anno apud Adrianopolim infeliciter profligatus est. Idē porro sęuissimus Christianorum hostis Amurates ab impostore subornatus sacerdoribus Mahumeticę superstitionis quintam spoliorum partem addixit c: posteaque vrgente Eurenoses Bego, cum innumera Christianorum multitudo quotidie ex Europa in Asiam captiua abduceretur, sanxit vt ex puerorum numero quintus quisque forma elegans Imperatori offerretur, vt eiurato Christi cultu, inque Mahumetica superstitione educatus, Genizarorum ordini adlegeretur, ad exercendam postea in Christianos carnificinam: *Deinceps ille mos inoleuit*, inquiunt Turcici annales d, *vt ex omni mancipiorum numero liberalioris forma pueri pro sultano delecti retinerentur: quæ quidem in hunc modum exacta tenerioris ætatis mancipia deinde ad Imperatoris portam deducta Murati offerebantur: is vero pueros in Anatoliam transportatos inter Turcas distribui iubebat, vt apud eos disciplina pariter ac laboribus adsuescerent, & Turcice discerent. Exactis autem duobus apud illos vel tribus annis, iam ad labores condocefacti, linguaq; Turcica periti ad portam reducebantur Genizarorum ordinibus adscribendi.* Eiusmodi vectigal etiam in Christianos Turcicæ ditioni subiectos, quamuis ex fœdere iugum subijssent, postea propagatum est, dissimulantibus tantum nefas principibus catholicis, nullamque expetentibus vltionem. Dum ita Turcæ per obtritos Græcos penetraturi essent ad catholicos, Vrbanus cum perpenderet superiora eorum consilia, qui censuerant nulla Græcis præstanda auxilia aduersus Turcas, nisi schisma prius damnassent, funestos habere exitus, Palæologo quamuis nondum ad ecclesiæ sinum reuerso, ope se non defuturum, est pollicitus. e

a To. 3 ep. sec. pag. 78

Amuratis in Græcia progressus

b Annal. Tur. n. 34

c Ib. n. 34.

d Ib. n. 35. Adolescētes Christiani eiurata fide, Genizaris adscripti.

e An. 3. ep. secr. pag. 78.

Magnifico viro Caloioanni Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futurum.

Palęologus ad ecclesiarum cōiunctionē promouēdam solicitatus.

Licet tua serenitas ac clerus & populus Græciæ a gremio sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ, extra cuius obedientiam non habetur salus, damnabiliter deuietis; nihilominus tamen, quia censemini eiusdem ecclesiæ filij, quamuis salutis propriæ prodigi in regionem longinquam per inobedientiam abeuntes, vestrum omnium filialem reditum ad dictam matrem vestram & cunctorum fidelium tanto desiderabilius affectamus, quanto remotiores ab illius vberibus facti estis: ad hocque non solum vos inuitamus eloquijs, sed & factis inducimus, prout nobis ab illo, qui omnium habet potentiam, possibilitas ministratur. Cogitamus siquidem sæpius, & cogitata in deliberationem & factum producere procuramus, quomodo infidelium præsertim Turcarum abominabilium, qui tuum pene totum destruxerunt & occupauerunt imperium, impietati & potenti tyrannidi resistatur; quomodoque inclyta ciuitas Constantinopolitana præcipue & aliæ partes Græciæ, adhuc

Retundi nisi eiurato schismate Turcarum tyrannidem non posse.

tuo parentas imperio, ab eorundem impiorum incursibus defendatur. Et quia ex certis impedimentis generale passagium occidentis Christianorum non potest moderno tempore (quod dolenter referimus) prosperari, certam vnionem quorumdam fidelium cum apparatibus galearum & armigerarum gentium, præsertim ad informationem & supplicationem dilectorum filiorum magistri & conuentus hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, ac nobilium virorum marchionis Montisferrati & ducis & communis ciuitatis Ianuensis, ad expellendos eosdem Turcos de dicto imperio prouidimus faciendam: eamque de proximo, certis receptis responsionibus, vt inter charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Cypri illustrem dictosque ducem & commune discordantes inuicem concordia reformetur, firmari & ad actum duci, Auctore pacis adiuuante, speramus. [Compositam tum temporis fuisse, iam ante diximus]. Ea propter celsitudinem tuam hortamur in Domino, quatenus prudenter recogites, quantarum miseriarum calamitas Græcis euenerit, postquam ab vnitate dictæ vniuersalis ecclesiæ discesserunt: in quantisque tu & ipsi sitis spiritualiter & temporaliter periculis constituti: & tu ac ijdem Græci disponatis firmiter vniuersitati fidelium aggregari, quorum orationum suffragia & auxiliorum remedia proculdubio sentietis. Et si pro hoc, vt te optare percepimus, ad Apostolicam sedem accederes (quod vtinam facto perficias, tantumque bonum & gaudium sit ad nostra tempora reseruatum) lætificabis profecto ecclesiam vniuersam, nosque personam tuam inclytam lætantissime videbimus, & congruis honoribus curabimus honorare, ac de conseruatione & augmento imperialis sublimitatis & status tui imperij studebimus prouidere. *Dat. Auin. xiv. kal. iulij anno III.*

Instinct Genuensium & Rhodiorū classem in barbaros.

23 Obstrinxerat [a] se in eo sacro aduersus Turcas fœdere Gabriel Adurnius Genuensium dux pro fulciendo Constantinopolitano imperio ad decem triremes primo anno instruendas, deinde secuturis annis singulis ad centum millia Yperperorum conferenda: Galatæi vero, vulgo Perenses nuncupati, nobilis Genuensium colonia, parem auri vim in bellicos sumptus primo anno erogandam spoponderant. At marchio Montisferrati mille & trecentos equites armis egregie instructos ducturum pollicebatur. Hospitaleriorum vero præfectus castrorum, vulgo marescallus appellatus, mille equites sustentaturū se, adornaturumq; quatuor triremes annis singulis labente quadrimestri promiserat. Sed a suscepto gloriosissimo consilio Genuenses maximo rerum suarum damno resilierant: ad quod promouendū sollicitus Vrbanus Gabrielem Adurniū ac senatum populumq; Genuensem grauissimis precibus vexit, vt quæ oratorum opera essent polliciti, magna sui nominis gloria implerent.

a Ib. pag. 324.

Quæ cōparata auxilia.

IESV CHRISTI
annus 1366.

VRBANI PP. V. 4. CAROLI IV. IMP. OCCID. 22. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 26.

1 EXplicuit apostolica studia Vrbanus Pontifex anno Seruatoris sexagesimo sexto supra millesimum trecentesimum indictione quarta in reuocandis ad ecclesiæ sinum Græcis, quos suscepta a catholicis in fidei hostes expeditio spe metuque percellebat: timebant enim ne schismatis odio ipsos catholici obruerent, cum ad id plerique, vt e Petrarchæ ad Pontificem literis [a] colligitur, propenderent: hinc mulcebat spes, ipsos catholicorum virtute ex sæua Turcarum tyrannide vindicatum iri. His igitur ac religione, erga quam egregie affectus visus est Ioannes Palæologus, adductus cœpta de redintegranda cum Romana ecclesiæ orientalis coniunctione colloquia promouit: missisque oratoribus, significauit paratum se in Pontificis obsequium procumbere. Ex quibus magna deliburus lætitia Vrbanus, qui non ad Græcorum euertendum imperium, vt suadebant aliqui, sed instaurandum potius, ac Turcarum excindendam tyrannidem aspirabat, Palæologum ad pia consilia perducenda vrsit [b], propositis Apostoli verbis: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Vngariæ enim Regem terrestri itinere subsidio iturum, signaque victricia conuersurum in Turcas: maritimo autem itinere Cypri Regem & Amedeum affinem cū lectissimis copijs in barbaros prouolare: si vero pergerēt Græci in impietatis cœno sordescere, spretum iri ab ecclesia Romana tanquam ethnicos & publicanos, & infidelium sæuitiæ exponendos.

a Petrar. l. 7. ep. ad Vrban.

De Græcis ad eccles. Rom. gemmum traducendis actum.

b To. 4 ep. sec pag. 34

Magnifico viro Caloioanni Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futurum.

Si antiquæ tuæ deuotionis propositum feruore charitatis ignitum, de reductione videlicet populi tui ad obedientiam & vnitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ (quod per imperiales nuntios & literas sedi Apostolicæ reserasti) adimplere desideras, & tua verba operum efficacia demonstrare, tempus congruum, quo Latinorum potentia imperij tui finibus appropinquat, & hostium Christi sæua tyrannia incipit conculcari, miseratione illius, qui non vult populo tuo irasci perpetuo, cernimus aduenisse. In hoc quippe, vt eædem literæ innuunt, tuus æstuabat animus, tua hoc supplicatio postulabat. A parte siquidem terræ charissimum in Christo filium nostrum Ludouicum Regem Vngariæ illustrem, deuotissimum & potentissimum vtique principem, ad eorundem hostium exterminium aspirantem, eisdem finibus vicinasse cognoscis: & charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Cypri illustrem eum nonnullorum nobilium Latinorum auxilio competentem in mari habere potentiam, & iam mirabiliter triumphare de hostibus non ignoras: & (quod tuo culmini æstimamus fore gratissimum) dilectus filius nobilis vir Amedeus comes Sabaudiæ consanguineus tuus lator præsentium, de quo merito confidere poteris, multa nobilium comitiua stipatus ad illas partes spiritu deuotionis accedit, ad nostri militaturus obsequium Redemptoris. Per quorum Regum & nobilium, ac aliorum occidentalium, qui verisimiliter imitabuntur eosdem, gesta magnifice & deuota speramus in illo, cuius negotium agitur, fidem exaltari catholicam, & impiorum Saracenorum & Turcorum abominabilium, tuorum capitalium hostium, ceruicosam superbiam edomari.

Pontificię ad Io. Palæol. literę

Promissa terra Vngarica auxilia.

Mari Cyprium & Sabaudū ituros in Turcas.

2 Quid ergo tu tuusque populus expectatis, cum acceptabile tempus & dies salutis vobis misericorditer indulgentur, quibus vestrarum animarum salus, quæ extra vnitatem vnius sanctæ apostolicæque ecclesiæ non habetur, prouenies,

niet: & Græcorum libertas & gloria, potentia & diuitiæ, quæ post inobedientiæ deuium miserabiliter corruentes nunquam in eo potuerunt resurgere, illo iuoante, qui est trinus & vnus, vnitatemque tenatorum in sua fide diligit & iniungit, instaurationis suscipient felix initium & stabile firmamentum. Reuertimini itaque in sinceritate cordium & voluntate non ficta ad gremium ecclesiæ prælibatæ, tempusque vobis datum a Domino agnoscatis: nos enim (si hoc feceritis) in charissimos habebimus filios, & deuotionem vestram apostolicis fauoribus & auxilijs, prout poterimus, paterna diligentia prosequemur: ne si (quod absit) in obstinata duritia elegeritis perdurare, cogamur secundum Apostolum vos habere vt publicanos & ethnicos: & si a quocumque fideli vel infideli vos molestari contigerit, abscissos ab vniuersalis ecclesiæ corpore non poterimus, sicut nec debebimus, adiuuare. Super quibus, imperiali magnitudini plenius exponendis, dicto comiti fidem velis plenariam adhibere. *Dat. Auin. VIII. kal. februarij anno IV.*

Vrbani adhortatio ad perficiendam coniunctionem.

3 Subesse in Græcis dolum veritus Pontifex, cum sedi Apostolicæ sæpius illusissent, consueuissentque pietatem simulare, quoties e re ipsis videretur; prudentia vtendum ratus, prius eosdem Græcos ad Romanæ ecclesiæ obsequium reuocandos censuit, quam Ludouicus Vngariæ Rex Turcico bello se accingeret: atque ideo significauit Ludouico a, se illius sacramentum de expeditione suscipienda ad gratiam Græcorum in annum proximum extrahere, & interea, vt alio arma traduceret, persuasit.

Retardat Vngarus a Turcica expeditione.

a To. 4. ep. secr. pag. 310.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri salutem &c.

Licet, fili charissime, plurimum habeamus acceptum, quod negotium defensionis Græcorum, ad finem reductionis eorum ad sanctæ Romanæ ecclesiæ vnitatem, modis debitis prosequaris; decet tamen & expedit, hoc ita prudenter & mature fieri, vt non tendat ad noxam, quod agitur ad salutem. Sane cum, sicut in antiquis chronicis & scripturis alijs reperitur, ijdem Græci cum dicta ecclesia in tractatibus per eam cum eisdem habitis dolose ac fraudulenter incesserint, illudendo fallaciter ecclesiæ memoratæ; & ex huiusmodi præteritis, de similibus futuris sit verisimiliter præsumendum (præsertim quia ijdem Græci non videntur ex deuotionis zelo & pura voluntate, sed coacti pro habendo tuo succursu venire velle ad huiusmodi vnitatem) cum eis est cum multa maturitate, & cautelæ studio procedendum. Et quia de re ardoa agitur, & ipsius executio est adeo difficilis & prolixa, quod infra modicum tempus compleri non poterit, vt optatur; si tua celsitudo vouisset, seu iurasset prædictis Græcis seu eorum Imperatori, infra certum terminum venturum de proximo præstare succursum, nos præmissorum consideratione inducti votum & iuramentum huiusmodi vsque ad annum, a data præsentium computandum, auctoritate apostolica tenore præsentium suspendimus ad cautelam. Placet tamen nobis, quod dicto Imperatori ac eius filijs, reductis ad huiusmodi vnitatem eis, interim de aliqua armigera gente succurras, si tibi expediens videatur: tuaque magnificentia, bonis operibus semper intenta, interim vacare poterit alijs operibus pietatis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. II. kal. iulij anno IV.*

Causa ex Græcis petita.

4 Contulit vero se Palæologus Budam ad Ludouicum Regem Vngariæ, spopunditq; sacramento, se vna cum filijs ecclesiæ catholicæ aggregatum iri, omnibusque apostolicis imperijs pariturum, si Græcorum imperium aduersus Turcarum sæuitiam defendendum susciperet. Quibus egregijs promissis pius princeps delinitus, diuinæ propagandæ gloriæ studio accensus, ad retundendos Turcarum impetus, ac vicissim Palæologus ad fidem catholicam amplectendam se obstrinxere a, atque oratores misere ad Vrbanum, vt hæc apostolica auctoritate confirmaret, promoueretque. De quibus certior ab ijs factus Pontifex, Palæologum vehementius hortatus est b, vt tam gloriosum opus, quo constabiliret imperium & immortalitatem consequeretur, amplius non extraheret; ac fidei orthodoxæ formulam, quam esset professurus, ipsi misit.

Io. Palæolog. in Vngariam profectio.

a To. 4. ep. secr. pag. 114. & 124.

b Ead. pag. 114.

Magnifico viro Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, qua perducat ad gloriam in futuro.

Radicatum in corde tuo pijssimæ intentionis propositum de reductione tua tuorumque populorum Græcorum ad sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ vnitatem, argumentis probabilibus euidantius agnoscentes, lætamur nimium in Domino: & proinde sibi gratiarum actiones referimus, qui animo tuo sic abunde gratiam suæ benedictionis infudit, vt feruore desiderij tui laudabilis semper cum tempore suscipiat incrementum, dum vias & modos adinuenire conaris accommodos, quibus impletionem eiusdem desiderij consequaris: hoc enim tua ingens deuotio diuinæ claritatis lumine illustrata solicitare cœpit apud Apostolicam sedem plurium annorum curriculis iam elapsis, & vt præsidium ad hoc efficacissimi mediatoris haberet, proprij limites excessit imperij, Christianissimum & Deo amantissimum principem, charissimum videlicet in Christo filium nostrum Ludouicum Regem Vngariæ illustrem in eius regno personaliter adeundo. Quis ergo non speret exitus felices succedere, dum talia conspexerit primordia præcessisse? Quis credulas aures non præbeat, quis manus ad operam non extendit, vbi tanti negotij, diuinæ pietatis miseratione dispositi, fictionem deceptoriam non formidat? Tanto enim nos per hoc ad Latinorum & Græcorum vnionem felicissimam delectabilius animamur, quanto id nostris implendum temporibus specialius a Deo recognoscimus reseruatum.

Gratulatur illi de hoc Vrbanus.

5 Sane tam tu per nobilem virum Georgium Magnicarthes militem Cõstantinopolitanum cancellarium suum, quam præfatus Rex, gloriosus sacratissimæ fidei propagator, Regis regum beneplacitis se coaptans, per venerabilem fratrem nostrum Stephanum episcopum Nitriensem ambassiatorem suum nobis significare curastis, quomodo tu eundem Regem in sua ciuitate Budensi fraternis affectibus personaliter visitasti, & de reconciliatione tua tuique populi cum præfata Romana ecclesia, matre omnium fidelium & magistra, a cuius sinu dicti populus pacis æmulo & inuido charitatis longissimis deuiarunt temporibus, motois studijs & affectibus tractauistis: ac tu eidem Regi promisisti solemniter, & iuramento firmasti, quod tu & nobiles viri Manuel & Michael nati tui acceptaretis, faceretis, & adimpleretis ad honorem dictæ Romanæ ecclesiæ ac augmentum catholicæ fidei omnia, quæ super reconciliatione præfata tibi & eisdem tuis filijs mandaremus. De quo tam nos quam fra-

Quæ Vngaro Græcus Imp. sit pollicitus.

tres

tres nostri eiusdem ecclesiæ Cardinales ac Romana curia multo fuimus gaudio recreati, & ei, qui vbi vult spirat & dat spirituales fieri homines, deuotas gratiarum agimus actiones.

Eia ergo, fili, & illi gratias reddas humiliter, qui vota tua pijssima gratiose præueniendo aspirat, & prosequitur adiuuando, ista humiliter precibus & opere satagas, vt currens in stadio brauium apprehendas, & indutus talari perseuerantię tunica perseuerantium premium nanciscaeis, ac tui nominis glorieris effectu, si Domini gratia in te tantum exuberet, quod velut alter præcursor perfectam plebem parare Altissimo comproberis. O quanta Christianorum felicitas, quam nec lingua narrare sufficit, nec capere intellectus, si tuis deuotis & continuatis operibus scissus templi Dei paries vniatur; si per te quasi alterum lapidem angularem fiant vtraque vnum, Latinorum videlicet & Græcorum populi reuniti, & oues errantes reducantur ad caulam dominicam, quæ (proh dolor!) luporum spiritualium & temporalium morsibus fuerunt hactenus nimium laceratæ, sub vniusque pastoris custodia in vno ouili, extra quod non est salus, se gaudeant salubriter gubernari! O quantus timor & tremor veniet supra corda sæuissima ferocium ethnicorum, quando post reconciliationem prædictam dicto Rege alijsque fidelibus in suum adiutorium assurgentibus, videbunt resurgere conculcatam iam per eos Grecorum potentiam, & extinctam pene gloriam celebrius renouari! Profecto sperandum est, quod ijdem hostes ante tuam & dicti Regis, athletæ Christi fortissimi, facies non subsistant; sed aut, inspirante Deo, conuertentur ad fidem, aut iusto Dei subuertentur iudicio, vt cedant locum cultoribus Trinitatis. O quantum denique præmium animæ tuæ comparabis in cælis, si de talento tibi credito tantam tamque gratam reddes Altissimo rationem, vt in extremo iudicio reperiaris lucrifactor tuæ & aliarum innumerabilium animarum! sicque duplici immo omnimoda felicitate læteris, vt in terris gloriose impetes, regnaturus demum cum beatissimis spiritibus in excelsis. Hæc tibi nota plenissime ideo apostolicæ charitatis diligentia tuo intellectui sub compendio repræsentat, vt certius noscas, tanto gratiorem nobis esse reconciliationem huiusmodi, quanto plura bona spiritualia & temporalia ex ea coniecturis verisimilibus prospicimus euentura, & vt imperialis serenitas ad consummationem tam sancti negotij eo animetur ardentius, quod ad ipsam per Christi vicarium se nouerit clementius exhortatam; & vt tu tuusque populus eo reuerentius suscipiatis instructiones, monita, & mandata salubria, quo vtiliora in conspectu omnium luculentius apparebunt.

Adhortatio ad redintegrandum ecclesiarum fœdus.

Quanta ex ea coniunctione bona obuentura.

6 Ecce igitur quod corde firmiter credimus, & quod ore simpliciter confitemur, quodque per sanctam sedem Apostolicam alias fuit tuis prædecessoribus intimatum, tibi plene proponimus & exponimus: nec in velamentis ænigmatum dogmata nostra tegimus, sed omnino verbis explicitis & apertis notam esse volumus vniuersis professionem fidei, quam tenemus, quamque a te, clero, & populo tui imperij exigimus; vt eandem tu & ipsi profiteamini, si ad nostram, vt desideramus, redire volueritis vnitatem: ea insuper quæ circa eiusdem ecclesiæ Romanæ primatum a te ac ipsis clero ac populo recipi & acceptari volumus, plenius & apertius explicantes. Et quidem credimus sanctam Trinitatem, &c. [Eadem est fidei formula, quam in hoc tomo a Benedicto XII. suis conceptam verbis Alanorum principibus, atque antea a Ioanne b XXII. Osinio Armeniæ Regi, & a Clemente c IV. Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori propositam repetiuimus vsque ad hæc verba, *semper salua*, quibus subiungit Vrbanus.] Quare tuæ deuotionis ardorem, & solicitudinis studium in præmissis adhibitum dignis laudum præconijs in Domino commendantes, te paterna charitate rogamus, hortamur, & obsecramus in Domino, quatenus quod ardenter exoptas & auide postulas, cum effectu suscipias, receptum in æternum custodias, & custoditum populis tuis studeas pure, sincere, ac simpliciter acceptandum, & perpetuis temporibus obseruandum. Cæterum quia omnia in præmissis tam arduis non possunt sufficienter literis explicari, aliquos viros discretos ad dictum Regem transmittimus, qui Regem ipsum super prædictis & alijs, quæ idem Rex tecum quam cum clero & populo Græcorum habebit agere, plenarie informabunt. *Dat. Auin. kal. iulij anno* IV. Demissa hac fidei formula ad Palæologum certiorē fecit Pontifex Vngarum Regem, rogauitque d vt regia studia, quo Græci eam profiterentur, conferret. His autem Vrbanus addidit e sacramenti formam, suis conceptam verbis, ex qua Palæologus & alij Græci schisma damnaturi essēt.

Proposita fidei orthodoxæ formula. a An Chr. 1335. n. 78. b To. XV. an. 1318. n. 10. c To. 14. an. 1265. n. 73.

Missi in Vngariam internuntij.

d To. 4. ep. secr. pag. 118. e Ib. pag. 117.

Vrbanus, &c. magnifico viro Ioanni Palæologo, &c.

7 Circa prosecutionem salubris negotij reconciliationis tuæ tuorumque natorum, nec non cleri & populi Græcorum, cum sacrosancta Romana & vniuersali ecclesia cum diuinæ propitiationis gratia faciendæ, paterna solicitudine intendentes, professionem sacræ fidei, quam tenet & docet eadem ecclesia, quamque a te alijsque Græcis exigimus, hodie per alias nostras literas duximus destinandam. Et quia ad soliditatem & firmitatē eiusdem negotij expedit, quod tu alijque Græci post professionem eandem præstetis debitū iuramentum, & abiuretis omne schisma; formas huiusmodi iuramenti & abiurationis, olim per claræ memoriæ Michaelem Palæologum Imperatorē Græcorum prædecessorem tuum in simili reconciliatione præstiti ac factæ, & per te ac eosdem natos, nec non clerum & populum supradictos præstandi & faciendæ ad tuam ac eorum natorum, nec non cleri ac populi certitudinem fecimus præsentibus annotari. Forma siquidem dicti iuramenti talis est.

Ego Ioannes Palæologus Imperator Græcorum suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, sanctam, & orthodoxam fidem esse recognosco: eam accepto, & corde ac ore profiteor, ipsamque prout veraciter tenet & fideliter docet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inuiolabiliter seruaturum, & in ea omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, quoquo modo deuiaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor & recognosco, accepto ac sponte suscipio: & me omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Romanæ ecclesiæ primatum & ipsorum recognitionem, acceptionem, susceptionem, obseruantiam, & per-

Formula nuncupandi sacramenti.

seuerantiam seruaturum, præstito corporaliter iuramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hac sancta Dei euangelia. Quodsi aliquid contra hæc sentire, confiteri, aut alias agere præsumpsero, me schismaticum & anathematizatum eo ipso recognosco, ac seueritati sacrorum canonum subiacere. Huic autem scripto de mea recognitione, acceptatione, professione, susceptione, promissione, ac iuramenti præstatione sponte mea facta, lecto, & perlecto sponte subscripsi, & sigillum meum apponi feci. Porro a prælatis erunt prædicta & alia exigenda, videlicet manualem obedientiam & reuerentiam exhibeant, & se ab illa nullo vnquam tempore recessuros, præstito iuramento, promittant: & nihilominus in eorum promissione veniat, quod nec contra suam professionem aliquid publice prædicare, vel occulte suadere præsumant. Forma vero abiurationis schismatis talis est.

Et schismatis eiurandi.

8 *Ego Ioannes, &c. Omne schisma prorsus abiuro, & suprascriptam fidei veritatem prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse recognosco: eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inuiolabiliter seruaturum, me ab ea vllo vnquam tempore recessurum, vel quoquo modo deuiaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio: & omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam ac perseuerantiam seruaturum, præstito in animam meam corporaliter iuramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. Dat. Auin. kal. Iulij anno IV.*

9 Ad promouendam cœptam orientalis ecclesiæ coniunctionem Christi vicarius, cum Georgium Magnichartem imperialis scrinij præfectum ad Palæologum dimissurus esset, Guillelmum Noleti causarum sacri palatij auditorem, ac Rodulphum Augustinianum Apostolicæ sedis internuntios adiunxit a, qui omnia Palæologo gerenda ordine referrent. In pontificia porro liberi commeatus syngrapha, qua præsulibus catholicis sunt commendati, indicatur non modo ipsos in Græciam, verum in Germaniam, Boemiam, Vngariam, Bulgariam, Rasciam, aliasque prouincias pro arduis consilijs ad fidei amplificationem spectantibus missos b. Ex quibus colligitur ad conflanda ingentia auxilia pro Turcarum tyrannide delenda iussos incumbere: extantque ad Carolum Romanorum Imperatorem datæ literæ c, quibus eum rogat Pontifex, vt profecturis Constantinopolim internuntijs fidem adderet, ac studia sua in propaganda religione traducendisque ad ecclesiæ obsequium Græcis collocaret. Quo etiam argumento aliæ ad Regem Vngariæ scriptæ sunt d. Impulerat virum ad Græcorum tutelam arripiendam, ipsosque e Turcarum seruitute vindicandos Regina Elisabetha, cui amplificandæ religionis studio succensæ Pontifex gratias egit e, vitæque anteactæ noxas, vt eo sacro premio pios eius labores afficeret, condonauit.

a Ead. to. 4 ep. secr. pag 153. In quibus regnis cogendus fuerit exercitus. b Pag 252 253. 254. 255. c Super. pag 133. d Ead. pag. Elisabetha Regina Vngariæ pios viro stimulos addidit. e Pag. 129.

10 Incendit etiam Vrbanus Apostolicis adhortationibus plures principes f, interque alios Contum palatinum comitem, Nicolaum Strigoniensem, Thomam Colocensem archiepiscopos, vt pium ardorem in reuocandis ad fidem orthodoxam Græcis, belloque Turcis inferendo explicare pergerent. Encyclicis etiam literis fideles ad sequenda Regis Vngariæ signa, propositis indulgentiarum præmijs, inflammauit a: ac ditionis Vngaricæ præsules omnes, vt e sacro suggestu de induenda cruce pro eripiendis e Turcarum tyrannide Græcis verba facerent, ac beneficia apostolica, quibus daturi sacræ militiæ nomen essent potituri, percenserent. De quibus etiam meminit in literis, quibus postulatam de Græcis in Turcas defendendis facultatem Ludouico Regi concedit, sacrique ipsum exercitus cruce insigniti imperatorem aduersus Amuratem creauit.

f Ead. pag.

Fideles ad glomerandas in Turcas copias sollicitat. a Ib. pag. 121.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

In publicam notionem omnium pene Christi fidelium, præsertim orientalium, noscitur deuenisse, quod impiorum Turcorum sæuissimorum hostium Christiani nominis rabies, ipsos fideles in eadem vnitate dictæ ecclesiæ persistentes impugnantium, retroactis temporibus sic exercuit, sic feritatem sui furoris armauit, quod eorum viribus, quas fortiores fecit sua crudelitas, conglobatis, nonnulla insulas, ciuitates, castra, villas, casalia, & loca eorundem fidelium præsumptuosis conatibus occuparunt, & nonnulla ex eis detinent occupata; alia vero cremarunt incendio, seu alias crudeliter destruxerunt, eorum incolis vtriusque sexus professoribus sacratissimæ fidei alijs inhumaniter ferro peremptis, alijs profugatis, & alijs in miseriam infelicissimæ captiuitatis abductis, & adscriptis tam abominabilis nationis perpetuæ seruituti: depopulatisque nonnullis insulis, alijsque terris de partibus vltramarinis, in quibus ijdem fideles degebant, sic eorum semper ascendit superbia, sic ausus detestabiles, non inuenientes validum obicem, augmentantur assidue, quod a certis citra temporibus regnum Cypri, quod colitur a fidelibus prælibatis, ingredi & prædari tentarunt, nonnullos vtriusque sexus exinde Christicolas asportantes, & quasi licenter & intrepide cursitantes per maria, nonnullis remotorum ab eis fidelium finibus appropinquant, suam extollentes damnandam audaciam, & cultorum Christi nomen & gloriam deprimentes in grauissimam nostri Redemptoris iniuriam, ac inæstimabile damnum, & nisi talibus obsistatur conatibus, in magnum periculum populi Christiani.

De Turcarum grassationib.

Quæ omnia tu acceptissimus Deo princeps, quem Deus igne deuotionis accendit, illustrauit victorijs, & potentia roborauit, pie considerans, ac in tanta miseria & periculo constitutis charitatiua tua humanitate compatiens, spiritu consilij & fortitudinis inductus & etiam confortatus (sicut per venerabilem fratrem nostrum Stephanum episcopum Nitriensem, ambaxiatorem tuum propter hæc specialiter ad sedem Apostolicam destinatum, nobis significare curasti) ad vlciscendum tot & tantas dicti Redemptoris iniurias, ac subueniendum eisdem fidelibus, qui persecutiones & impugnationes dictorum Turchorum iugiter perferunt, & eorum præsumptuosa molimina reprimendum, & exterminandum eos, si cum Dei auxilio poteris, disposuisti cum beneplacito & licentia dictæ sedis pro illo, qui pro te dignatus est mori, te tradere periculis & labori, ac largitam tibi a Deo potentiam in obsequium exponere Largitoris, cum grandi multitudine tuorum subditorum, & nonnullorum aliorum fidelium contra Turcos eosdem magnifice proces-

Paranda in eos ab Vngaro expeditione.

cessurus: nobisq; humiliter supplicasti, vt tibi assumendi cum forti brachio huiusmodi negotiũ, & illud, prout deuotioni tuæ ministrabit Altissimus, prosequendi licentiam, ac omnibus & singulis Christi fidelibus, qui tecum vel ducibus seu capitaneis a te contra præfatos Turcos, qui eosdem fideles in eadem vnitare dictæ ecclesiæ persistentes (vt præfertur) impugnant, mittendis deuote accesserunt, vt in huiusmodi bello dominico, eo promptiores reddantur, quo maiori gratia se prospexerint præmiandos, illam plenam indulgentiam, quę per dictam sedem dari solet transfretantibus in terræ sanctæ subsidium, concedere dignaremur. Nos igitur lætati ab intimis de tua deuotione & magnanimitate tam grandi, ac huiusmodi tuum sanctum propositum apostolicis coadiuuare fauoribus intendentes, tuis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio dictam licentiam auctoritate apostolica tenore præsentium elargimur: indulgentiam vero præfatam concessimus, prout in alijs nostris literis inde confectis plenius continetur. Nulli ergo, &c. *Datum Auin. kal. iulij anno IV.*

Veniæ spes piæ arma sorrepturis ostensa.

11 Non penetrauit in Græciam Ludouicus Rex, vt sumpta erant consilia, cum Vrbanus prius Græcos in Romanæ ecclesiæ obsequium adducendos censeret. Florebat vero maxima virium potentia, recentibus victorijs adiuncta ditioni suæ Bulgaria, ac Stratimiro Rege in vincula abducto; vnde maximus Græcis finitimis incussus terror, ne ipsos solita felicitate protereret: atque ideo Palæologus studia omnia ad illum sibi deuinciendũ contulit. De Bulgaria parta bello a Ludouico nonnihil Vrbanus indicat in literis ad Palæologum, dum eundem Regem ad confinia ipsius imperij accessisse ait [a]. Tantæ vero in Bulgaros expeditionis successus perstringit Bonfinius his verbis [b]: *In Bulgariam ditioni Pannonicæ subiectam, reluctante Stratimiro eorum principe, exercitum Rex eduxit, vbi bellum e sententia gestum est: siquidem Bodonium eorum vrbem primo impetu obsessam perbreui obsidione occupauit: Stratimirum cepit, qui se vulgo Imperatorem appellari iusserat, deinde vix trium mensium spatio vniuersam Bulgariam in suam potestatem redegit. Stratimirus in Vngariam ductus ad Gemlechium Zagrabiensis episcopi castellum aliquandiu adhibitis custodibus relegatus est. Deinde, cum in manus Ludouici iurasset, se perpetuam fidem & obsequium Regi Pannoniæ præstiturum, magnifice donatus, reddito regno, dimissus est: qui, recepta Bulgaria, quoad vixit, pactas conditiones imperataque seruauit.* Maximam in expugnata Bulgaria gloriæ partem sibi Christus asciuit. Affluebat ingens in eo regno Patarenorum & Manichæorum colluuies apud quos baptismi facer vsus, quo ritu a Christo est institutus, obsoleuerat: cumque Ludouicus religiosos viros pietate ac zelo conspicuos in eam amplissimam messem immisisset, ducenta hominum millia bimestri nondum exacto baptismalibus sacris fuerunt initiata, ac multitudini populorum ad fidem orthodoxam confluentium defuerunt sacerdotes. Cuius successus magnitudine perculsus Minoritarum Vngarorum præpositus eum, qui vniuerso ordini præerat, literis [c] solicitauit, vt sociorum supplementa submitteret.

De Regis Vngariæ progressibus.

[a] Ib. pag. 34.

[b] Bonfin. decad. 2. l. 10.

Bulgaria ab eo domita.

Patareni & Manichæi ad fidem conuersi.

[c] Ext. apud Vuad. in annal. Minor. hoc an. n. 16. Plat de bono reg. stat l. 2 c 30.

Ad petitionem, inquit, *Christianissimi ac deuotissimi Regis Vngariæ vicarius, meus Bosnæ ad illam patriam*, nimirum Bulgariam, *regno ac vicariæ contiguam octo fratres nostri ordinis sibi subditos destinauit, qui infra quinquaginta dies vltra ducenta millia hominum baptizarunt: & ne forte de numero scrupulus oriatur, iussu Regis omnes baptizati in scripturam publicam sunt redacti. Illius tamen regionis vt scribitur necdum partem tertiam conuerterunt: sperant tamen firmissime aperiri eis ostium fidei, domino Iesu Christo quidquid residuum fuerit in caulam dominicam congregante. Currunt cum suis gentibus principes infideles, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus turmatim confluunt ad baptisma. Hæretici similiter & schismatici ad veritatem fidei orthodoxæ ac vnitatem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ reuertuntur. Ipsorum etiam sacerdotes atque calogeri sub iugo fidei efficiuntur humiles. Qui in sua hæresi nimis antea fuerant pertinaces, ædificare voluerunt loca nostræ religionis quamplurima, vt fructus virtutis, vnitatis, & fidei perseueret. Igitur lætentur cæli & exultet terra, & omnis lingua Dominum glorificet.* Et infra: *Mihi intimatum cum fletibus, quod si numerus fratrum non augeatur, immensus fidei fructus negligitur atque dimittitur, & perduntur animæ, pro quibus Saluator pretiosum sanguinem suum fudit: perditur tota illa Bulgaria populosa, quam Rex ille inuictissimus Vngarorum dudum potenter obtinuit, & præcipue ciuitas illa Bindin famosa nostris & magna, & vbi fratres in copiosiore numero destinantur. Patareni & Manichæi sunt amplius solito dispositi baptizari, & ad Christum verum lumen conuerti, si non deficerent, qui viam huius luminis demonstrarent, &c.* De insigni adeo tot animarum conuersione, expugnationeque Bulgariæ consentanea tradit S. Antoninus [a]. At eos successus aduersi postea confudere, illatamque hoc anno quinquaginta Seruiorum millibus, qui ad recuperandam Adrianopolim castra erant metati, nocturna eruptione miserandam cladem memorant annales Turcici. [b]

Ad ducenta millia baptismo lustrati.

[a] Ant. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 20.

[b] Annal. Tur. n. 37 sub ann. 1366.

12 Inter hæc parabat Amedeus Sabaudiæ comes in Palæologi Imperatoris auxilium traijcere exercitum aduersus Turcas, aliosque fidei Christianæ hostes: ad cuius gratiam Vrbanus Marco Cornelio, qui Laurentio Celso in reipublicæ Venetæ administratione successerat, ac Gabrieli Adurnio Genuensium duci scripsit [c], vt classem pro Sabaudi copijs traducendis instruerent. Confecisse autem illum strenue expeditionem, & Gallipolim Turcis eripuisse, eamq; Græcorum Imperatori consanguineo tradidisse, refert Vrbani vitę scriptor [d] diceturq; inferius [e]. Solicitabãtur porro Veneti ac Ligures ab Ægyptio soldano, vt initum fœdus cum Petro Cypri Rege dissoluerent. veritusque Pontifex, ne munerum magnitudine aurique fulgore a barbaro perstringi se finerent, grauissimis literis vtrosque mouuit [f], ne fidei causam desererent, eo præcipue tempore, quo reuiuiscere Christiani nominis gloria in Asia & Africa cœperat, atque ex felicibus initijs ingentium successuum spes affulgeret: & quicquam eos cum barbaria inconsulta sede Apostolica statuere vetuit.

Instructa a Sabaudo classis in Turcas.

[c] To. 4. ep. secr pag. 56. 68.

[d] Gesta Vrb V. apud Bosq.

[e] An. seq. n. 8.

[f] To. 4. ep. secr. pag. 35.

Vrbanus &c. dilecto filio nobili viro Marco Cornario duci Venetiarum.

Ad apostolatus nostri peruenit auditum, quod ille abominabilis hostis Dei & suæ sacratissimæ fidei soldanus Babyloniæ ex primo insultu charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Cypri illustris, tuarumque ac aliarum gentium Christiani populi territus, & de suo ac imperij Saracenici vulgi casu, vel saltem debilitatione Dei iudicio pertimescens, conatur sua fallaci versutia Christi seruos esca mundani lucri decipere,

Babylonij soldani terror.

te, quorum potentiæ diuina gratia communitæ viribus resistere non confidit; nuper quendam suum ambaxiatorem, immo verius seductorem, ad tuam præsentiam destinauit ad tractandum aliqua, quæ præsumuntur esse in suum & Saracenorum fauorem, & impedimentum dicti Regis & aliorum fidelium, qui transfretauerunt cum eo, & transfretaturi sunt in posterum, Domino concedente; & per consequens in detrimentum fidei supradictæ. Licet igitur de tuæ nobilitatis & populi tui, qui hostes crucis feruido zelo consueuit horrere, ac persequi fideli constantia & deuota prudentia, nullatenus hæsitemus, quod cum eodem soldano (ad cuius exterminium de finibus terræ sanctæ, quam in iniuriam nostri Saluatoris, qui eam sibi in hereditatem elegit, in opprobrium totius Christiani populi ancillariam sibi tenet, ex bono principio & mirabili dicti Regis victoria speramus catholicorum principum, ac tuum & aliorum orthodoxorum animos excitati feruentius, et potentiam adhiberi) absque consultatione ac licentia sanctæ sedis Apostolicæ, præsertim pendente inchoato negotio passagij, nil tractabis; nihilominus tamen ad cautelam ad obstruendum ora inique forsan loquentium, et potius quæ sua sunt quærentium quam quæ Christi, te paterne hortamur, tibique districtius inhibemus ne cum dicto soldano vel eius nuncijs quibuscunque tractatum incipias, vel prosequaris inceptum aut (quod absit) obserues, absque dictæ sedis licentia speciali. *Dat. Auin. VIII. kal. februarij anno IV.* Imposita est prouincia a Nicolao episcopi Castellani vicario, vt Marcum Cornelium; & Guidoni archiepiscopo Genuensi, vt Gabrielem Adurnium in sacro fœdere confirmarent, atque apostolica imperia ipsis denuntiarent.

Excitatus Venetus, vt illius munera respuat.

a Ead. pag.

13 Quæ fuerit admiranda illa victoria parta de fidei hostibus a Petro Cypri Rege, ex dictis superiori anno de Alexandria vrbe clarissima, Aegypti regia impetu expugnata, Pontificem loqui constat b: sed vastam murorum ambitu vrbem soldano Aegyptio ingruente tueri non ausis crucesignatis, ij conatus in nullam Christiani nominis vtilitatem, sed damnum potius ac dedecus cesserunt. Afflixere enim Christianos grauissimis cladibus Saraceni, et Armeniam vastarunt: quorum tyrannidis metu plures Armeni in Græciam, Mytilenem, ac Rhodum transfugere c: tum soldanus qui in Syriæ ora plurima a Cyprijs et Rhodijs, qui etiam Tripolim impetu captam euastarant d, damna acceperat, ad Cyprum et Rhodum inuadendas consilia conuertit. Significauit Vrbano imminens discrimen Cypri Rex missis oratoribus, ac precibus contendit, vt subsidiarium aurum, exercitumque submitteret: cui Pontifex tristem rerum occidentalium statum exposuit e: infestata esse armatis latronibus regna, atque ita ecclesiasticos et laicos horum direptionibus exhaustos, vt exigua auxiliorum spes adesset: indulgentiarum tamen præmia ijs, qui crucem ad ferendam ipsi opem induerent, se propositurum: denique suasit, vt si qua se offerret occasio, aut fœdus aut inducias cum barbaro perceret.

b Philip. a Mazer. in vit. S. Pet. Tho. c. 16 & 17. & alis.

Lacessiti Saraceni vastant Armeniã.

c Bos. hist. equit. Ierosol. p. 2. l. 3.

d Id. ibid.

Petita a Cyprio subsidia.

e To. 4. ep. secr. pag. 163.

Vrbanus &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Cypri illustri.

Literas tuas et dilectos filios .. ambaxiatores tuos, apostolica benignitate recepimus, et tam scripta quam narrata pleno suscepimus intellectu, ea quæ pro implendis votis tuis desiderabamus admittere, sed non absque multo nostro dolore repugnabat impossibilitas, sæpius per nos ipsos et cum nostris fratribus recensentes. Scimus enim, fili charissime, quod contra Saracenos impios hostes sacræ fidei cum tuis grauibus sumptibus, propriæque personæ periculo, magnifice processisti; et in eorum multitudinem, Saluatoris nostri, cuius agebas causam, gratia confortatus, velut leo fortis et athleta intrepidus irruisti: obtentaque de ipsis victoria, sic in te vires proprias magnanimitas superauit, quod captam per tuam strenuitatem ciuitatem Alexandriæ, nequiuisti, quod dolenter referimus, præ multæ molis magnitudine retinere. Nec ignoramus quod præfatæ sedis et cunctorum fidelium, tanto amplius mereris auxilia, quanto regnum tuum in maiori est propterea constitutum periculo, et quanto per primordia prospera sperarur certius optata felicitas successuum futurorum. Sed sicut ambaxiatoribus constat eisdem, occidentales partes sic sunt prauarum comitiuarum incursibus, & aliorum bellorum fremitibus extenuatæ in viribus, et etiam implicatæ, quod ex eis pro moderno tempore opportuna et festina tibi subsidia nec a clericis nec a laicis possunt præsentialiter exhiberi. Propter quod tibi et dicto regno expedire putamus ac consulimus, & nostræ deliberatæ intentionis existit, quod cum, prout nobis asseritur, honorabilem & alias congruam concordiam vel treugam habere valeas cum soldano, ne tua magnitudo dictumque regnum, & per consequens aliæ terræ vltramarinorum fidelium maioribus discriminibus exponantur, alteram recipias earundem.

Alexandria infeliciter ab eo dimissa.

Datũ eidẽ consilium vt pacem cũ Soldano ineat.

Et vt huiusmodi concordiam vel treugam meliorem obtineas, certas gratias, quas dilectis filijs Venetis & Ianuensibus de nauigando ad terras eorundem Saracenorum ante dictorum ambassiatorum nimium retardatum aduentum (non absque ipsorum Venetorum & Ianuensium, quos sincere diligimus, & quorum seruitio cito egebimus, multo grauamine) ad nostrum beneplacitum duximus suspendendas: nihilominusque nonnullis Regibus & magnatibus rogatoria & exhortatoria scripta nostra secundum inclusam formam direximus, vt pro defensione dicti regni velint tuæ serenitati subuenire celeriter de aliquo subsidio militari; & venientibus, & mittentibus indulgentiam secundum etiam inclusum tenorem duximus concedendam. Conforteris igitur, fili charissime, & de nostra bona voluntate, quæ maiori non potest fulciri præsidio de præsenti, discrete ac humiliter contenteris, tenens indubie, quod quicquid pro tua & dicti regni defensione ac exaltatione poterimus, paternis affectibus ac promptis effectibus exequemur. *Dat. Auin. X. kal. nouembris anno IV.*

Cogenda interim in occidẽte subsidia.

14 Inter hæc Ægyptij, Syri, ac Babylonij Saraceni vna cum Turcis ad Cyprum & Rhodum Christianis eripiendas fœdus iniuere. Quibus acceptis, Dei vicarius literas ad patriarchas, archiepisc. & episcopos Italiæ, Siciliæ, Dalmatiæ, Germaniæ, & Galliarum diuulgandas misit, vt fideles ad sacra arma corripienda incenderent, quæ patriarchæ Aquileiensi, ac suffraganeos episcopos sunt inscriptæ a: *Fraternitati*, inquit, *vestra per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium, seu alios vniuersos Christifideles vestrarum ciuitatum & diœcesum in ecclesijs, dum populi ad diuina conuenerint, & in prædicationibus ex parte nostra exhortari & secundum prudentiam vobis datam a Domino inducere studeatis, vt pro dicto-*

a To. 4. ep. secr. pag. 164.

rum

rum Regis & fratrum, suorumque populorum ac insularum & terrarum, ad eas in eisdem partibus vltramarinis spectantium, defensione ab hostilitatibus & persecutionibus infidelium, & securitate maris, vt sit tutus accessus fidelium ad insulas & terras easdem, pro reuerentia Dei, cuius negotium agitur, & ipsorum exhortandorum salute velint aut in eorum personis, aut in bonis eis a Deo collatis, tribuere auxilium & iuuamen, &c. Ad pelliciendos vero ad suppeditanda crucesignatis stipendia, vel arma pro nomine Christiano corripienda fideles indulgentiarum præmia e sacro ecclesiæ ærario, ac diuinæ gratiæ & gloriæ æternæ incrementum pollicetur, additque.

Proposita indulgentiæ stipē in bella orientalia sumptus erogantis.

Pœnitentias vero omissas, seu recte non factas per aliquos ex prædictis, ije nimirum, qui vel opes contulerint, aut bello sacro se deuouerint, *nisi peregrinationem aliam aut aliud pium opus, vel restitutionem seu aliam realem præstationem aut erogationem concernerent, eisdem misericorditer remittentes omnibus ipsis concedimus, quod per confessionem generalem peccatorum, de quibus memoriam non habuerint, quæ tamen si de illis in speciale recolerent, confiterentur libenter, indulgentiam plenam obtineant taliter confitentes; ita tamen, quod si postmodum ad eorum memoriam huiusmodi peccata redierint, illa teneantur specialiter confiteri, etc.* Non expertes etiam cœlestium præmiorum fore promittit eos omnes, qui consilio, opera, aut aliate fideles orientales iuuerint. *Dat. Auin. 11. non. octobris anno 1v.* Verum irrepsere in tam sancto opere abusus graues: ausi enim sunt nonnulli impostores corradendarum pecuniarum gratia e sacro suggestu sine pontificia auctoritate de induenda cruce verba facere, & Christi fideles sacro symbolo insignire, turpem nimirum quæstum indulgentiarum specie facturi: quos Pontifex a præsulibus in vincula conijci iussit a.

Hac occasione turpia lucra corradūt impostores.

a Ead. to. 4 ep. secr. pag. 233.

15 In promissa vero ope apparanda, conciliandaque Cypri Regi solicitus, concitare hortatorijs literis Carolum Francorum Regem nisus est b, vt paternum pium studium æmulatus Cypro ac Rhodo in maximum periculum adductis opitularetur: quo facto veniam criminum apud diuinum Numen promereretur.

b Pag. 189

Gall. Rex ad subsidia orientis impertienda solicitatus.

Vrbanus, etc. charissimo in Christo filio Carolo Regi Franciæ illustri.

Ad serenitatis tuæ notitiam non ambigimus deuenisse, quod charissimus in Christo filius noster Petrus Rex Cypri illustris eiusque subditi, ac fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani pugiles Christi, & athletæ fidei Christianæ, nonnullorum fidelium adiuti auxilio, de Apostolicæ sedis licentia aduersus Saracenos impios Christi blasphemos, & hostes nominis Christiani, detentoresque terræ sanctæ ad Christianos spectantis (in qua saluator noster Dei filius Iesus Christus dignatus est humani generis operari salutem) ciuitatem Alexandrinam de manibus dictorum Saracenorum (dextera Domini cum eis faciente virtutem) vi armorum ceperunt: licet postmodum (quod dolenter referimus) paucis diebus eam potuerint retinere: ipsique Saraceni ac nefanda natio Turcorum, inimicorum & sedulorum persecutorum fidei prælibatæ, insulas Cypri & Rhodi, aliasque terras ad dictos Regem & fratres in vltramarinis partibus pertinentes minantur inuadere, de illisque delere (quod absit) gloriosissimum nomen Christi.

Proposita ei Cypro & Rhodo imminentia pericula.

Nos igitur considerantes, quod si præfatæ insulæ & terræ, per quas ad dictam terram sanctam, ad cuius recuperationem pro eiusdem Saluatoris reuerentia & deuotione ac honore fidelium tota debet Christianitas anhelare, quasi per quandam scalam habetur accessus, auferretur spes recuperationis huiusmodi, multi populi renati fonte baptismatis perderentur, & in orientalibus partibus Christianum nomen & gloria verisimiliter delerentur, aliaque pericula & detrimenta grauissima, & dedecus ac confusio occidentalibus fidelibus prouenirent; & propterea dictos Regem & fratres, eorumque populos in vltramarinis partibus constitutos, isto præsertim tempore auxilio præfatorum principum, aliorumque fidelium indigere cernentes; deuotam magnificentiam tuam affectuose rogamus & hortamur attente, quatenus præmissa pie considerans, ad obuiandum huiusmodi periculis ac damnis pro reuerentiæ summi Regis, per quem regnas, animæque tuæ salute, pro dictorum Regis & fratrum suorumque populorum, & insularum ac terrarum ad eos in eisdem vltramarinis partibus spectantium, defensione ab hostilitatibus & persecutionibus infidelium prædictorum, ac securitate maris, vt sit tutus accessus fidelium ad insulas & terras easdem, de aliqua gente armigera velis eisdem Regi & fratribus celeriter subuenire; sciturus quod tam ituris, quam missuris auxilium pro huiusmodi nostri Redemptoris obsequio indulgentiam, quæ datur transfretantibus in terræ sanctæ subsidium, duximus concedendam. *Datum Auinioni 11. non. octobris anno 1v.* Eodemque argumento apostolicæ literæ datæ a ad Carolum Romanorum Imperatorem, Ludouicum Vngariæ, Eduardum Angliæ, Dauidem Scotiæ, Petrum Aragonum, Vualdemarum Daniæ, Casimirum Poloniæ Reges, Ioannam Reginam Siciliæ, Albertum & Othonem Austriæ duces, & Eduardum iuniorem Aquitaniæ ac Vualliæ principem. Verum pontificias preces surdis auribus exceptas, neque vlla supplementa sacro exercitui submissa, refert Bosius b.

Promeritorum diuinam gratiam.

a Ead. pag.

Solicitati ad pium idem opus alij Reges.

b Bos. hist. equitum hospit. p. 2. l. 1.

16 Non impetratis ita ab ijs auxilijs, non minus incumbendum fuit Pontifici c, ne saltem vires hosti ex Venetorum d, Genuensium e, & Hispanorum f mercatorum commercio adderentur. Molitos ex ijs nonnullos, lucri illecebra delinitos, priuata cum Ægyptijs fœdera ad merces commutandas percutere; ac tum B. Petrum Thomam patriarcham Constantinopolitanum, eundemque sedis Apostolicæ in oriente legatum anathema id ausuris intentasse, & facinus ausos impune illud non tulisse, refert Philippus Mazerius in præsulis sanctissimi vita g: *Falsi, inquit, & auari mercatores Alexandriam ire volebant, & pacem singularem cum soldano facere proponebant: legatus vero, ista audiens, aggrauatus & fortiter dolens, generaliter omnes mercimonia facientes in terra soldani excommunicauit. Sed vide magnum miraculum inde cito secuturum: nam quidam Venetus, parui pendens sententiam legati, cum vna galea versus Alexandriam viam arripuit: sed tantam fortunam a Deo habuit, quod reuersus est in Cyprum, & ibi periclitauit naufragium faciens, galeam & quidquid habebat perdidit, & vix euasit, & vsque hodie, sententia prædicta operante, plura & plura nauigia vndique venientia Alexandriam causa mercimonij iuerunt, & quasi omnes periclitauerunt; & illorum, qui viuus euasit, a Saracenis captus fuit.*

c To. 4. ep. secr. pag. 240.

d An. 4. ep. cur. pag. 255. & 256.

e Ead. pag.

f Ibid.

Obiecta a legato anathema cōmercium habituris cum Ægyptijs.

g Philip. Mazer. c. 18.

Illud sperneutium infelices casus.

Aliud miraculum mirabile: nam pater meus in fortuna magna mihi dixerat, quod maiora

vi-

viderem de illis, qui fuerunt causa, quod relicta sunt Alexandria: nam illi, a regno Cypri versus Pontum redeuntes, fere per mille milliaria nauigauerunt, & adeo fortuna percussi & ipsa durante coram Alexandria iterum iuerunt, & Cyprum pro salute reuersi illi, & post ter quaterue de Cypro recesserunt: sed fortuna inualescente, & Deo mare tribulante, & furorem suum prædictis ostendente, iterum Cyprum reuersi sunt. Tantum timorem & tanta pericula adeo transierunt, quod prius Alexandriæ remanere, sicut credo, septem annis in cordibus suis elegissent: & vix in quatuor mensibus a regno Cypri omnino recedere potuerunt: nec lætitiam cordialem credendum est, conscientia remordente, vnquam habebunt. Ista memoria duxi scribendum, vt opera Dei manifestentur, & quærentes Deum & crucis mysterium toto & puro corde (sicut pater meus legatus suo tempore fecit) exaltentur, & in Deo glorificentur.

Diuina in eos, qui Alexandriam deseruerant vltio.

Vetitum cum Saracenis commercium.

Factus de his certior Vrbanus, cum animaduertisset Venetos, Genuenses, Aragonios, & alios proprijs inescatos commodis priuata cum soldano fœdera inire, cum ex aromatum commercio magnas opes cogerent, edixit a vt abscisso proprij commodi respectu fideles vniuersi mutua animorum consensione in defendendo nomine Christiano consentirent: non enim Cypro vel Rhodo ausuros Ægyptios bellum inferre, dum vniuersas Christianorum vires se lacessituros perpenderent: atque ideo concessas antea Regi Aragonum permutandarum cũ soldano mercium facultates rescidit: *Nos*, inquit, *de versutia, fallacitate, ac infidelitate infidelium non immerito dubitantes, ac tolerare nolentes (sicut nec debemus) quod tuis serenitate ac subditis vel alijs Christianis, habentibus concordiam seu treugam cum ipsis infidelibus (qui ex hoc fierent fortiores) in guerra & periculo destructionis & perditionis remaneant insulæ prælibatæ*, nimirum Cyprus, Rhodus, aliæque adiacentes, *intendimus, quod si ijdem tui subditi aliique fideles concordiam vel treugam, seu facultatem & licentiam mercandi cum gentibus soldani Babyloniæ habere velint, ijdem Rex*, scilicet Petrus Cypri, *ac fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani qui ad inuadendum Saracenos occupatores terræ sanctæ cum nostra licentia, immo indulgentia processerunt, concordia seu treuga huiusmodi similiter potiantur: sic tamen, quod in futurum fiat etiam e conuerso: super ijs obedientia, voluntate, & mandato Apostolicæ sedis omni tempore reseruatis; ita quod fideles infideles non timeant, sed ab eis propter vnitatem & charitatem mutuam potius timeantur. Quare, ne Saraceni, propter trafficum seu mercationem eorundem subditorum tuorum aliorumque Christicolarum confortati pariter & elati, ad habendam cum dictis Rege & fratribus honorabilem ac bonam pacem difficiliores se reddant, quod verisimiliter est credendum; post multam deliberationem super his habitam suspensionem gratiarum apostolicarum de nauibus & galeis omnibus Christi fidelibus concessarum fecimus secundum tenorem præsentibus interclusum, &c.* Addit preces, vt subditos ab infidelium commercio deterreat, vt Rex Cypri atque Hospitalarij honorificas pacis leges adipiscantur: quas si repudient Saraceni, apostolicas curas ad defendendam fidei causam se conuersurum. Dat. Auin. *xvi. kal. septembris anno iv.*

a Vrb. an. 4. ep. cur. pag. 256.

Commēdata fidelibus animorum consensio.

17 Infecta ea fidelium vecordia, quos priuati commodi amor a propaganda religione & communibus imperij Christiani vtilitatibus diuulserat legatus apostolicus sacro mœrore intabuit; cumque nanim instrui iussisset, vt cum Pontifice de expeditione dissoluta, eaque redintegranda conferre posset, ad referenda laborum præmia a Deo est vocatus a, de quo hæc fasciculi temporum auctor consignat historiæ: *S. Petrus Thomæ ex Carmelita Pactensis episcopus & patriarcha Constantinopolitanus, doctorque præcelebris, summique Regis signifer bellicosus, post innumeras, quas habuit nedum cum spiritualibus, sed & corporalibus crucis inimicis victorias, post quamplures conscriptos libros, ac patrata miracula in Famagusta regni Cypri ciuitate corpus exuit in festo epiphaniæ.* Scripsere plures de illius vitæ gestis commentarios, atque inter recentiores Lucas Vvadinghus accurate illius historiam typis mandauit. Tum Ioannes Baptista Lezana Carmelita theologiæ in publico Vrbis gymnasio magister, qui annales sui ordinis conscribit, manuscriptum mihi communicauit, e quo nonnulla suo loco libauimus. At e veteribus omnium diligentissime Philippus e Mazerijs, qui sanctissimo viro comes & amicitia coniunctissimus hæsit, quæ vel ab eo acceperat, vel oculis auribusue a socijs hauserat, monumentis propagauit b, quæque Ioannes Bollandus Societatis Iesu theologus recenter excudenda typis curauit; e quibus hæc decerpimus: *Deus laborem patris mei legati pie respexit, velut alter Paulus nomen suum coram regibus, & principibus strenue portauit, crucem sanctam, & ecclesiam suam multiplicando exaltauit: nam, peccatis nostris imminentibus, & gratias Dei non cognoscentibus, patrem nostrum a nobis leuauit.* Interiectis multis de singulari illius pietate, qua pontificali ornatu rituque solemni natalitiorum Domini sacra celebrauit, subdit vt ex nimijs laboribus & voluntaria maceratione corporis morbum contraxerit, pieque ad mortem se compararit: *Familiariter*, inquit, *mihi dixit: Frater mi, ego sum peccator magnus: sed habeo bonum iudicem; pium, & misericordem Deum meum, ad quem recurro & de venia non despero.* Et infra c.

a Philip. a Mazer. c. 18. Petrus in nouo catal. 8. ianuar. & alii.

B. Petri Tho. patriar. & legati mors

b Philip. a Mazer. c. 18. apud Bolland. to. 2. die 29. ian.

Insignis illius pietas.

c Cap. 19.

Adueniente die dominica, circa horam tertiam fratrem Arnoldum de Sol'ina ordinis sui confessorem suum vocauit, & cum magna diligentia, contritione mirabili, & lachrymarum effusione longam, generalem, & particularem confessionem fecit. Postea ab ipso suo confessore missam deuotissime audiuit, & totam familiam suam coram eo communicari fecit, eisque quandam admirabilem prædicationem fecit, & quod bene cum Deo starent dulciter admonuit. Sed quis verba sua diuina scribere valeret? Certe impossibile foret. Sermone vero ad familiam omnibus flentibus completa, iussit apportari vnum saccum vilem & abominabilem, & cum clara voce dixit: Ista est vestis candida & iucunda, cum qua Christiani sepeliri debent; saccum quasi stolam super caput eius ponens, tanta mirabilia deuotionis & contritionis dicendo, quod omnes inundatione lachrymarum fluerent: & tunc ipse pietate humana coactus fortissime fleuit. Deinde coram omnibus fecit afferri vnam chordam, & eam posuit ad collum suum, ligando & stringendo chordam per os eius, cum magna contritione dicendo: Non sufficit ista corda tali peccatori, sicut ego sum: parua est enim ad castigandum talem peccatorem. O quoties, ait, cum lingua mea falsa offendi Deum meum! Tunc iussit seipsum deponi in terram: & in terra iacens, familiæ suæ alium fecit sermonem, mirabiliter semper concludendo, quod cum Deo bene essent; & quod si hoc facerent, Deus eos bene prouideret, dulciter eis promittebat.

Noxas exhomologesi expiat

Insigne pœnitentiæ animi exemplū.

Tunc

Tunc ad lignum crucis se conuertit, adorando, osculando, & mirabilia dicendo: & manibus iunctis, veniam deuotissime petijt omnibus familiaribus suis. Et infra.

Euchari-stia recipitur.

18 Tunc iussit sibi afferri sacratissimum corpus Domini, quod erat super altare coram ipso, per confessorem suum; & manibus iunctis coram sacramento istam orationem legit: Deus propitius esto mihi peccatori. Et deuotissime dixit postea articulos fidei sigillatim, mature, & cum quadam magna reuerentia alte confessus est cum contritione ardenti & flendo, dicendo quod si in aliquibus dogmatizasset, vel aliquam quaestionem siue dicta aliqua contra fidem catholicam,* praecepta sanctae ecclesiae, disputando, loquendo, conferendo, vel alio quocumque modo causa vanitatis * simplicitatis, coram Deo suo toto corde reuocabat. Quibus dictis ait: Domine non sum dignus, &c. Aue salus, &c. quae omnia cum magna deuotione dixit, & reuerenter & deuotissime in fide non ficta communicauit. Quo facto satis cito ipsum super lectum suum sedendo reposuerunt.

* proposuisse

* vel

Confessor vero suus, & nobilis vir Hugnellus de Maymon patris mei magister hospitij ipsum patrem meum legatum consolantes, chordam siue funem de collo sua leuare voluerunt; quibus dixit: Absit, absit: non leuetis eam. Ista non est condigna retributio peccatis meis. Si non timerem Deum meum, bene facerem aliud cadaueri meo, quod tantum peccauit contra Deum suum; iussitque familiae, vt aliquantulum requiescere dimitterent, & quod optime stabat: quod & factum est. Ab illa hora semper tenebat oculos suos sursum contemplando, dixitque: Heu, quare recessit cancellarius? Tunc venerunt ad eum duo sacerdotes deuoti causa visitandi, dominus scilicet Bernardus Grossarius Papa, & dominus Petrus eius socius, quibus pater meus dixit: Bene sto: sed oretis Deum pro me, & quod sibi placeat me liberari ab istis latrunculis, id est daemonibus. Hos videbat in aere aduersus pedes lecti. Rursus dixit: Beata virgo Maria ipsos terruit, orate pro me. Iussit igitur accipi crucem suam, quae portabatur coram eo ad caput lecti existentem, & fecit eam poni ad parietes lecti, vbi videbat latrunculos, & statim recesserunt ab oculis eius. Interiectis nonnullis de extrema de rebus suis voluntate, subdit.

Pij eius actus.

Daemones ope B. Virginis & cruce fugat.

Quid ordinauit de sepultura sua, humiles audite. Ille, qui ab omnibus Christianis orientalibus velut Papa, si fas est dicere, quia locum eius tenens, propter sanctam suam conuersationem reputabatur & quasi adorabatur, humilis semper in vita, humilitatem non modicam in fine ostendit; pomposam sepulturam abominando, dicens: Sepelite me in introitu chori, vt omnes homines cadauer meum calcare possint & debeant, & etiam (si possibile est) caprae & canes. O quanta humilitas! Et infra: O quoties Deo verbum B. Martini dixerat! Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem. O quoties cum multis consolantibus a Spiritu sancto confortatus, & mortem corporalem parui pendens, dicebat! Eadem est mihi mors & vita: si enim Deo necessarius sum pro passagio, & laborare debeo, contentus sum viuere: & si non sum necessarius, de morte contentor: mihi idem est. Fiat voluntas Dei mei Iesu Christi. Illa die tamen incepit horas suas dicere, & infirmitate inualescente, intellectu claro semper remanente, complere non potuit: dixitque confessori suo, quod horas suas pro ipso & coram ipso diceret; quod & fecit: & cum quadam dolore palam confessus est, quod a die professionis suae in ordine suo B. Mariae Dei genitricis de monte Carmeli, nunquam horas suas praetermisit, nec in terra, nec in mari, nec pro aliquo imminenti periculo.

Singularis illius demissio quoad sepulturae locum spectat.

Transacto illo die, sequenti nocte circa horam quintam duas candelas albas benedictas coram eo accendi fecit. Hora vero sexta noctis misit confessorem suum pro episcopo Laudunensi vicario in Famagusta, vt cum omni clero ecclesiae maioris ad eum veniret, & sacrum oleum indutus pontificalibus secum apportaret. Interim vero omnem familiam suam coram se vocari fecit, & praecepit omnia ostia domus & camerae aperiri. Ille tunc iussit sibi afferri pontificale, & quasi infirmitatem nesciens, cum manu propria officium vnctionis quaesiuit, & inuenit: fecitque totum officium vnctionis distincte legere antequam episcopus vicarius veniret, & fecit se deponi in terra cum sacco praedicto super caput, in pace expectans episcopum. Cum autem aduentum episcopi audiret, praecepit omnia luminaria domus accendi, & fecit sibi afferri aquam benedictam iuxta se & crucem. Adueniente autem episcopo cum omni clero, sicut praeceperat, & in camera intrantibus, episcopus genibus flexis dominum legatum salutauit: pater meus vero non respondit. Incepit quasi alta voce totus sanus dicere: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. & solus, alijs respondentibus, vsque ad medium septem psalmorum dixit, & intellectu animi clarescente & vigente: sed potentia humana aliqualiter deficiente, fecit signum manu sua domino episcopo, vt secum diceret: quod & fecit. Et sic cum multis lacrymis & deuotione inaudita compleuit omnes septem psalmos cum litania, omnibus gementibus & lamentantibus. Tunc episcopus solemniter & complete ipsum inunxit, domino legato respondente sibi, & illam tunicam vilem & immundum scapulare, quibus indutus erat ad carnem, ne homines viderent, pro posse suo cooperiebat & abscondebat. Officio vero vnctionis completo, pater meus deuotissime dixit, Confiteor, & episcopus fecit sibi absolutionem. Episcopo, clero, & familiae & omnibus tunc humiliter veniam petijt dicens. Si aliquando vos aggrauaui, vel displicui officium mihi commissum exercendo, parcatis, parcatis, parcatis; & omnibus existentibus in Cypro & alibi, secundum quod vobis occurret, nomine meo veniam petatis. Quibus auditis confessor suus & omnes astantes sanctum patrem audientes, lacrymis fluentes, vnanimiter clamare coeperunt, dicentes: Pater, pater da nobis benedictionem tuam. Ipse vero, episcopo & omnibus astantibus in terram genibus flexis, sanctam benedictionem dedit, dicens: Benedictio Dei Patris, omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper, & aqua benedicta manu propria aspersit.

Religio mira in extrema vnctione suscipienda.

Sacra prece adstantes lustrat.

Tunc episcopus cum lacrymis non modicis patrem meum exhortatus est, vt supra lectum portari se iuberet, qui respondit alta voce, & quasi cantando dicens: Non decet hominem Christianum mori nisi in cinere & cilicio; & hoc bis dixit. Postea dixit episcopo. Recedatis, quia consolatus sum, & bene sto; leuauitque oculos suos sursum, & signum cum manu fecit, & dixit: O vos alij maledicti, modo non habetis potestatem mecum, quia nunc bene sto cum creatore meo Iesu Christo. Pluribus interiectis, vt dominicae passionis historiam conscriptam ab euangelistis coram se legi iusserit, additur: Venit magnificus dominus Iacobus de Rubeis eius dilectus, fletitque coram eo. Pater vero meus ipsum Iacobum tristem sui causa respiciens, dixit sibi: O fili, bene sto, ne doleas. Multi sunt vocati, pauci vero electi: ego vero sum vocatus, & de electis, Christus vocat me. Ego vado ad Christum, ne doleas, fili

In cinere & cilicio mori vult.

Felicis immortalitatis certam spem praegustat.

fili mi, ne doleas. Deditque sibi suam benedictionem, & recessit. Pluribus adiectis, concludit Philippus Mazerius, cuius aduentum sanctissimus legatus expectarat, vt extremam illi voluntatem suam patefaceret: *Me coram eo astante tradidit spiritum ad Deum, qui fecit illum, anno natiuitatis eiusdem Domini* MCCCLXVI. *mensis ianuarij die* VI. Fulsisse eum miraculis post mortem, sacrumque corpus non obriguisse, sed molle ad tactum mansisse, ac suauissimum efflasse odorem, refert idem auctor; ac schismaticos, qui antea eius sanguinem auide hausissent, singulari pietate delibutos sacra illius lipsana veneratos.

Pius eius obitus.

Claret miraculis.

19 Erepto e viuis B. Petro Thoma Apostolicæ sedis legato, afflictæ magis fuere spes restituendæ Asiæ religionis: quinetiam hoc ipso tempore discordia rem Christianam consuderat, cum veterani milites tractendis armis assueti, pontificijs adhortationibus spretis, non modo ferrum euertere in fidei hostes detrectassent, sed illud in viscera fidelium conuertissent: viresque bonorum inde admodum fractæ ac debilitatæ; qui enim propagandæ religionis studio tenebantur ad retundendos illorum conatus distinebantur. Proiectaque adeo & effrenata erat eiusmodi latronum audacia, vt nec pontificiam maiestatem venerarentur, circumiectasque Venusino comitatui regiones infestarent. Ad quos pœnarum magnitudine a scelere reuocendos tum in eos tum in alios, qui alique iure adiumento ipsis forent, pronuntiata acerbissima ab Vrbano sententia a, quæ ab episcopis in Italia b, Galliæ c, & Germania diuulgari iussa est. Studebant his prædatricibus turmis plures magnates, cum eorum armis ad priuatas iniurias vindicendas inferendasue vterentur: atque in Burgundia & Sabaudia nonnulli claris maioribus orti, qui simultates mutuas exercebant, magnum earum copiarum numerum contraxere, in mutuum exitium ruituri: tantaque inerat animis vindictæ cupiditas, vt prælio se non abscessuros nisi aduersarijs penitus excisis sacramento sponderent. Ex quo cum maxima pericula imminerent, Pontifex Lugdunensi archiepiscopo, & Cabilonensi & Bellicensi episcopis partes dedit d, vt prouinciarum proceres vrbiumque magistratus excitarent, vt impendentia mala anteuerterent.

Stringunt mutuo in se fideles arma.

Obiectæ vagis turmis pœnæ.
a To. 4. ep. secr. pag. 275.
b Ib. pag. 73.
Nonnulli proceres ijs studét.
c An. 4. ep. cur. pag. 190. & 243.
d To. 4. ep. secr. pag. 23.

20 Exercebat Italos similis furor, ac Bernabos Vicecomes subijciendæ sibi Liguriæ cupidus plures vagas eiusmodi turmas assuetas latrocinijs conduxerat, quibus Ambrosium filium suum non legitime natum præfecerat. Ab hoc Genuensis respublica in extremum discrimen coniecta e, cum nonnulli ciues honorum auidi maleuolentiaque in Gebrielem Adurnium ducem imbuti, cum externo hoste sentirent. Certatum ad palatium: sed demum seditionis auctores prostrati, pulsiue. Quos motus, superiori anno concitatos, vbi accepit Vrbanus, magno dolore affectus Agapito Brixiensi episcopo Apostolicæ sedis internuntio repetitis imperijs præcepit f, vt omni virium contentione ad redintegrendam inter ciues concordiam incumberet. Nec minores in reliqua Italia tumultus ab alijs palabundis turmis commoti, quæ etiam infesta signa ecclesiasticæ ditioni intulere, & ad Vrbis direptionem ac vastitatem aspirarunt g: in quos Pontifex censuras apostolicas exeroit, ijsdemque omnes, qui cum illis sentirent, ipsisque commeatu, armis, equis, iuuarent, deuinxit: præmia vero indulgentiarum alijs, qui bello aduersus fœderatos hosce prædones sese accingerent, impertitus est a.

Bernabos prædones fœderatos conducit.

Genuæ trepidatũ.
e Eizar. hist. Genuen. l. 7. Foliet. l. 8.
f To. 4. ep. secr. pag. 32.
Pontificia ditio in discrimen adducta a latronib⁹.
g An. 4. ep. cur. pag. 207. & to. 4. ep. secr. pag. 156. & 157.

21 Ad infringendam porro facilius eiusmodi sicariorum vim non Italos modo principes b, verũ Imperatorem, Reges, principes alios, ac populos mutuo fœdere in illos obstringere constituit Vrbanus c: misitque ea de causa Petrum episcopum Olyssipponensem d ad Carolum Imp. vt apostolice ipsi auxilia ad oppugnandos fœderatos grassatores polliceretur, in eosq; edicta pontificia exponeret e, incitaretque Cunonem Treuirensem f & Gerlacum Moguntinum g archiepiscopos, Vvenceslaum Regem Boemiæ, Ropertum seniorem comitem Palatinum Rheni, Rodulphum Saxoniæ ducem, Othonem marchionem Brandeburgensem, atque alios imperij principes h. Cæterum adeo profecit, vt Carolus in Francorfordiensi conuentu ad perdendas sociales turmas sese deuinxerit, vt Pontifex ipse testatus i: *Charissimus*, inquit, *in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper augustus & Boemiæ Rex illustris, zelo Dei & oppressorum populorum accensus aduersus nonnullos impietatis alumnos, depopulatores humani generis in vna crudelitate, sed in diuersis nationibus congregatos, qui comitiuæ vocantur, terras Romanæ ecclesiæ ac imperij, prout est notorium, hostiliter inuadentes, occupantes, destruentes, & homicidia, sacrilegia, adulteria, incendia, rapinas, aliaque nonnulla genera scelerum abominandorum impudice ac immaniter more infidelium committentes, eliminandos de finibus terrarum huiusmodi intendit de proximo in propria persona cum manu forti procedere, sicut hoc per imperiales literas & solemnes ambassiatores, nuper ad nostram præsentiam destinatos, se de consilio & assensu prælatorum ac principum & magnatum Alemanniæ ac Boemiæ in generali parlamento, in oppido Frankefordiæ Maguntinensis diœcesis per eum nouiter celebrato; se deliberate firmasse nostro apostolatui reserauit, &c. Dat. Auin.* XII. *kal. nouembris anno* IV. Carolus pariter Francorum Rex ad latrones, qui grassabantur in Gallijs, edomendos se obstrinxit l, eiusque ac ducum signa secuturis proposita indulgentiarum præmia.

a Ibid.
Cæsar & alij principes in eos solicitati.
b To. 4. ep. secr. pag. 22. 31. 36. 40.
c Ib. pag. 72. 73. & 258.
d Ibid. pag. 51. & 98.
e Ib. pag. 96.
f Ead. pag.
g Pag. 166
h Ead. pag
i An. 4. ep. cur. pag. 271.
Decretũ in Francofordiensi cœtu in hos bellũ.
l Pag. 243

22 Contendebat Vrbanus vires omnes ad confirmendum hoc fœdus, vt protritis sæuis prædonibus pacem, iustitiam, sedisque Apostolicæ ornamentum restitueret Italiæ: quod eo magis temporum conditio exigebat, cum fides plurium populorum nutaret, & in Campania pleræque vrbes e Ioanne Guidotto præside defecissent m, ac Romani oppressi ab Anglis auxilium pontificium implorarent n; quare Petrarcha hoc Vrbano consilium suggerebat o: *Latus sedem tuam*, inquit, *repete, quam cum semel attigeris, & fortis armatus atrium tuum custodieris, omnia erunt in pace quæ nunc ideo sunt in bello, quia tuum principale atrium non custodis. Et quid multa? perproprie tibi conueniet, quod de tuo atque omnium Domino dictum est: pax enim erit in terra dum veneris, dum loqueris pacem gentibus: et potestas tua a mari vsque ad mare. Nec te terreat quod Roma quoque per hoc tempus suas prædonum molestias est passa: cadet nempe barbarica, quæ nunc sacram vrbem tentat acephalam, mox vt suum caput illa receperit, non dicam Romam, sed Italiæ claustra prospicere non audebit.* Lubet hic alia annectere, quæ idem auctor magno eloquentiæ apparatu ad transferendæ sedis implendum consilium proponebat p: *Totus pene orbis, summe patrum, qui Christianus est, vno tibi nunc ore blanditur. Si tua vera est, quæ fertur integritas, euenturum spero, vt inter tot adula-*

Vrbanus sedẽ Romæ restituere parat.
m Pag. 99.
n Pag. 156 157.
o Petrar. rer. senil. l. 7.
Petrarchæ ad eãdem facinus adhortatio.
p Id. ib.

latores non patienter modo, sed late unum audias reprehensorem; etsi forte aliquid plus minusue quam deceat audieris, fidem laudes, ignorantiam excuses. Hac spe fretus incipio. Cuncta quidem apud Auinionem prospere, magno cuncta consilio geruntur. Dixi: iam laudo. Sic te decet, ut vbicumque fueris, bene ac feliciter vniuersa succedant, et præsentiam tuam virtus ac prosperitas comitentur. Sed dic, oro, quid agit interim sponsa tua? quo consule regitur? quo duce defenditur? quibus comitibus consolatur? Respondebis: immo non tu quidem, qui interrogationem meam, non dubito, placatus atque æquanimis accipis; sed aliquis unus minor et impatientior respondebit: Tu Romano Pontifici legem ponis, aut unam illi sponsam tribuis, cui sponsa est non ea sola, quam intelligis, sed vniuersalis ecclesia? vbicumque ille sibi moram eligit, illic sponsa, illic sedes propria sua est. Non inficior, pater beatissime, neque angusto tibi sedem tuam. Et infra. *Vbicumque rite colitur Christi nomen, illic sedem tuam esse, nec nego nec dubito. Illud mihi non negetur, quod inter omnes alios singulare tecum aliquid, immo quamplurimum habeat urbs Roma: cætera enim omnes suos habent sponsos, tibi quidem uni subditos, sed suis ecclesijs præsidentes, illa vero nullum habet nisi te. Itaque summus in reliquis, in Romana vrbe solus et Pontifex solus sponsus.*

Pontificia sedes vbique statui potest.

Singulari titulo Romæ debita.

23 *De illa tua igitur, nec alterius sponsa nexu coniugij spiritualis te interrogo: Quid nunc agit? quo in statu est, quave in spe? Si tu taces, ipse mihi respondebo: Aegra, inops, vidua, miserabilis, sola est; et vestem viduitatis induta diebus ac noctibus flens propheticum illud a canit: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo: totumque per ordinem a principio in finem flebile illud carmen ingeminat. Illic vero mæstius fracta voce singultibus fessa subsistit, vbi scriptum est b: Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Et iterum c: Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator conuertens animam meam. Hic inquam illum profundius suspirat, te significans: nam quis alius consolator, quis conuertere animam suam potens, nisi tu, cui & prompta remedia, & sponsæ necessitates ac miseria notæ omnes? Et, si quid forte notitia defuerit, scito quoniam te absente abest requies, pax exulat, bella adsunt & ciuilia & externa: iacent domus, labant mœnia, templa ruunt, sacra pereunt, calcantur leges, iustitia vim patitur, luget atque vlulat plebs infelix, tuumque nomen altis vocibus inuocat: neque tu illam audis, neque malorum piget miseretque tantorum, neque venerabilis sponsæ pias lachrymas vides, teque illi debitum restituis, qui vt alijs minus dignis ac minus egentibus suos redderes, curiam tuam prouidentissime vacuasti. Ita populus quilibet suum habet episcopum, populus Romanus suum Pontificem non habebit? & paruæ vrbes suorum in amplexibus requiescent, regina vrbium semper vidua erit? quodque viduitate peius dixerim, sponsum suum semper cum alijs habitantem, captumque peregrinis amoribus audiet, nec tenere illum poterit nec videre, qui sui præsentia se & illam gloriosos faceret ac felices.*

a Thren. 1. 1.

b Ibid.

c Ibid.

Vt ex Pontificum absentia vrbs fuerit deformata.

24 *Sed quo animo (da, quæso, misericors pater temerariæ deuotioni meæ veniam) quo, inquam, animo tu ad ripam Rhodani sub auratis tectorum laquearibus somnum capis, & Lateranum humi iacet, & ecclesiarum mater omnium tecto carens & ventis patet ac pluuijs: & Petri ac Pauli sanctissimæ domus tremunt, & Apostolorum quæ nunc ædes fuerat, iam ruina est informisque lapidum aceruus, lapideis quoque pectoribus suspiria extorquens? Si responsum ad hæc omnia non meretur humilitas mea, an non saltem Aggæo prophetæ, immo sancto Spiritui per illius os loquenti respondebitis tu & fratres tui? quidue omnino respondere poteritis? Nunquid tempus, inquit, est vobis, vt habitetis in domibus laqueatis, & ista domus deserta?* Nota sunt & terribilia quæ sequuntur. Illud in primis: *Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam, &c.* Et infra: *Denique (quod non caruit euidenti miraculo) egit Christus, vt in Italia esses, dum te absentem nominantibus, sed præsentem sibi vicarium ordinaret, ne quis dissimulationi locus esset; sed tibi & omnibus appareret, decere te summi pontificatus officium exercere ea potissimum in parte terrarum, in qua ille tibi nec speranti vtique nec optanti, nec opinanti equidem, non suffragijs hominum sed sola Dei prouidentia contigisset: atque vbi ex humili ad summum sine medio conscendisti, illic e summo humilibus sine medio consulendum, insolentibus resistendum: quod nec vsquam terrarum melius fieri potest, nec alibi; quam in sua vrbe gloriosius Romanus Pontifex in actum largitori placitum datam sibi diuinitus transferre potentiam: quamuis enim bonum opus vbique laudabile, nusquam tamen aptius fieri constat, quam dum in sua sede sedet opifex. Tu quidem orthodoxæ fidei magister, actuumque opifex piorum: sedes tua obuius; sed antiqua, vt dixi, & vera & propria, & publice vtilis & vniuerso expediens Roma est. Itaque huc rem verto, longumque sermonem ad hunc exitum deduco, vt Vrbanus Vrbem, Romanus Pontifex Romam petas: locum Deo gratum, hominibus venerandum, pijs optabilem, rebellibus (dum tu ibi fueris) formidandum, reformando orbi & regendis rebus idoneum.* Et infra: *Mentem subeat esse te quidem episcopum vrbis Romæ, illos autem,* nimirum Cardinales, *vel Romanæ telluris episcopos, vel in Romana vrbe presbyteros aut diaconos: nec decere ecclesiam Petrique sedem originibus vestris, sed origines vestras illi cedere, illamque sequi: nec honestum catholicis atque ecclesiasticis viris esse, carnalium vinclis affectuum ab officio retrahi, quos pagani fregerint ac spreuerint. Proinde persuade illis (nam tibi iam persuasum spero) Romam petere, vbi & rerum copia & qualitas ea est, quæ facile impetret, vt externa non cupiant.* Et infra.

Templa diruta.

25 *Vnum silui, siue ad extremum distuli, quod primum esse potuerat. Nosti quo in statu Christiani tui sint per orientem: quin & propinquius malum est. Non audisti vt inermes Asiæ populi, quos nostra desidia fortes facit, atque in primis olim Phryges, Turci hodie, miseram Græciam sine fine diripiunt, & Ægæo sparsas Cycladas populantur? quæ & si longis erroribus obstinata peruicacia iustas pœnas dent, inde tamen ad nos verosque catholicos est transitus. Iam Cyprus, Creta, Rhodus, Eubœa, vicinior que nobis tentatur Achaia & Epirus: iam Calabrum littus, flentis Græciæ mœstissimas voces trepidis auribus accepit. Si nunc itaque fides Christi, vt vides, ad orientem periclitatur: tu ad occidentem sedes. Adhuc, o maxime dux nostrarum & Pontifex animarum, qui vt tuum munus impleres (nisi fallor) pridem surrexisse debueras, teque vel solum difficultatibus obuium ferens non Romam modo, sed Constantinopolim perrexisse. Quamquam solus esse non potes, Christus ipse, cuius res agitur, tecum erit, & Christi acies quocumque*

Propositum discrimen a Turcis imminens.

Per Græcos calcatos transituros ad Latinos.

leris te sequetur. Et infra: *Vbique (fateor) vtilis, sancta vbique & venerabilis præsentia tua est. Sed quid quæso, quid Rhodanus, quid Sorgia, & Ruentia tui egent? quis tibi tuorum protegendus? quis hostium comprimendus? egent tui Ionium & Aegæum & Hellespontus & Propontis & Bosphorus. Quid hic igitur monstri est, non possum satis hoc quærere. In oriente pugnatur: tu quid agis in occidente spiritualium dux bellorum?* Et infra. *Certe nisi iam bene prospicis, nisi occurris, actum est: pudendam nobis Christiani nominis illis in partibus ruinam, & prorsus indignam ac miserabilem audiemus: quæ (vt dixi) non Christi, qui est iniuria inaccessus; sed nostra iactura est: nostra socordia, noster pudor, qui iam tantus ibi est, vt an maior esse possit, in dubio sum.*

Nescio an peius sit amisisse Ierusolem, an ita Byzantium possidere: ibi enim non agnoscitur Christus, hic læditur, dum sic colitur. Illi hostes, hi schismatici peiores hostibus. Illi aperte nostrum imperium detrectant, hi verbo Romanam ecclesiam matrem dicunt: cui quam deuoti filij sint, quam humiliter Romani Pontificis iussa suscipiant, tuus a te ille datus patriarcha. Illi minus nos oderunt, quia minus metuunt: isti autem totis nos visceribus & metuunt & oderunt: constat, quia nos canes iudicant, & si loquendi libertas affuerit; canes vocant. Interfui ego solemni die, dum Romano ritu missa celebraretur: Græcus quidam homo non illiteratus, sed multo maxime stultus, atque arrogans exclamauit: Ego non possum pati, inquit, Latinorum nugas. Quod verbum intellectum si fuisset a populo, non impune, vt auguror, tulisset. Sed sic est, sic de nobis sentiunt; & basilicas suas si quis e nostris introierit, quasi humano sanguine aut fœdo facinore violatas reconciliant & expurgant. Et hæc quidem Romana ecclesia diu nouit & passa est: quod an dici torpor, an patientia mereatur, cum iam facile diluj possit hoc dedecus, iudicandum lingua alijs. Certe nos nostrosque hostes, a quibus nunc Ierosolyma detinetur, magnum æquor interiacet: itaque cum illis, vt res nostræ & illorum sunt, non paruus est labor; vnde fit, vt dilationem nostram impotentia fortassis excuset, quamuis impotentia non nisi ex nostris dissensionibus exorta excusatio nulla sit: inter nos autem & hos Græculos nihil est medium nisi noster sopor ac nostra segnities, quibus vt odij plurimum, sic nihil est virium, nilque ibi volentibus negotij est. Duobus Italiæ populis sponsor sim, si tu bene velle cœperis, breui eos non iunctos modo, sed vnumquemque per se vel imbelle illud imperium euersuros, vel ad iugum matris ecclesiæ deducturos: quo magis magisque conniuentiam hanc stupeo, nec satis intelligo quid ita res maxima negliguntur, cum minimarum tanta solicitudo sit hominibus: & licet hic omnium Christianorum publicus pudor sit, tamen in omni exercitu male rem gerente ducum pudor est maximus. Et infra.

Græcorũ in Latinos infanda odia.

Petrarchę consilium de Græcis subijciendis.

Romane Pontifex dux Christianorum, Roma te suum sponsum, Christianitas suum ducem vocat altis vocibus non ad requiem, sed laborem, ad quem homo nascitur; neque ad pacem, sed ad bella reposceris, in quibus tamen bellis temporalibus æterna pax animæ & multorum salus & gloria tua est. Tuum est eligere quo in statu mori velis. Tui prædecessoris Auinione sibi sedem elegere: quo consilio, ipsi viderint. Et infra. *Quod si eos natalis zonæ vicinitas mouit, fuit in illis forsan excusabile terram spectantibus, & terrena meditantibus: tibi autem longe aliter nutrito, longeque aliter assumpto, longe aliter sentiendum: cui non hæc aut illa pars terrarum, sed totus orbis est patria, imino exilium, vt dixi: patria autem cælum, huius tamen exilij sedes Romæ non quidem sola, sed sanctior gratiorque illi, qui te bene dum volet, in patriam reuocabit.*

Assurge animis, & vilia disce contemnere. Magna recepisti, nec parua (fateor) repetuntur. Apertum tibi miraculum diuinitas fecit: unus tu illi miraculum fac apertum, vt de tam profundo ecclesiam suam eruas: neque enim parui miraculi res fuerit, tot tam radicatos animos inde conuellere: fiet autem haud difficile, nisi tu ibi etiam radicatus sis. Et infra: *Fama est, esse palatij tui partem, quæ Roma dicitur, quam ingressus sponsa te reddidisse, totumque prorsus impleße Romani Pontificis officium videare. Noli cum domino tuo ludere, frustra fallaciunculis tentatur.* Et infra.

De palatio Auinionen.

Cum ad tribunal Christi ventum erit, vbi non tu dominus & nos serui, sed vnus ille dominus & nos conserui omnes erimus, & infra, *quid responsurus es Domino? aut quid dicturus Petro? Ego, inquiet, iusto metu crudelissimi Neronis fugiens, Domini increpantis occursu Romam redij ad supplicium & ad mortem: te quis Nero, quisue Domitianus expulit? quis mortis aut supplicij metus tamdiu exulem fecit? quid, quæso, nunc Roma fit? quid mea domus? quid sepulchrum? quid populus meus agit? An mihi non loqueris? an qua te percunctor ignoras? vnde vero mihi nunc redis, an & tu ad Rhodanum exulasti? qui si te ibi forsitan natum dicas, an non ego natus alibi? sed vterque nostrum aliam nascendo, renascendo aliam patriam nactus erat? itaque conscius ego dominicæ voluntatis Romæ postposui Galilæam, at tu Romæ Rhodanum prætulisti?*

Patriæ amor Numinis amore excidẽdus.

Hæc ego, pater clementissime, fide pura, stylo humili dictauerim, ſisus tibi amariusculam veritatem, quam melliculas blanditias chariorem. Si erraui, aut si sanctitatem tuam mea libertas offendit, flexis animæ poplitibus veniam peto. Tu vero nunc, reiectis consultationibus vanis, tecum cogita, tecumque delibera, an quod superest temporis, in cæno Auinionensi agere malis; an Romæ, quæ tota caro & sanguis est martyrum: an in saxo illo & in illa ventorum patria, quam nunc colis; an in Vaticano potius sepeliri eliges, locorum omnium nostri orbis sine vlla comparatione sanctissimo? Ad extremum in die vltimi iudicij an resurgere ames inter Auinionenses peccatores famosissimos nunc omnium, qui sub cælo sunt; an inter Petrum & Paulum, Stephanum & Laurentium, Siluestrum & Gregorium & Hieronymum & Agnetem & Cæciliam & tot millia sanctorum, vel in Christi confessione feliciter quiescentium, vel pro Christi fide feliciter peremptorum, &c.]

Vt Roma Auenioni præferenda.

26 Non his modo stimulis Petrarcha Vrbanum vrgebat, vt Romæ sedem Apostolicam redderet, verum etiam nonnulli viri sancti diuino instinctu afflati id suadebant a. Quibus excitatus, demum publico edicto abitum e Gallijs promulgauit, vt narrat his verbis eius vitæ auctor: *Per idem tempus præfatus Vrbanus Papa publicauit seu manifestauit suam intentionem super accessu suo & translatione curiæ versus Romam, destinauitque certos nuntios tam Viterbium, vbi primo declinare & aliquandiu morari intendebat, quam Romam causa disponendi & ordinandi necessaria, & reparandique sua palatia, & libratas pro dominis Cardinalibus diuidendi: & ad hæc assignauit seu ordinauit terminum, tempus paschale immediate post se-*

a M.S. arc. Vat. de schis. to. 4. pag. 125. et Vuad. hoc ann. in annal. num. 15.

Promulgat Vrbanus repetẽtum ſe Romam.

fecuturum. Extant de his literæ Vrbani a tum ad Ægidium Cardinalem legatū scriptæ b, vt Viterbiensem arcem necessario apparatu instrueret, & Gancelino de Pradalho pro instantando palatio Romano misso adesset c, quo argumento ad patrimonij B. Petri præsidem, ad canonicos basilicæ Vaticanæ, ad senatum populumque Romanum aliæ sunt datæ d. Proruperc his auditis Romani e in festas lætitiæ voces, conceptumque pectoribus gaudium multis significationibus profudere, misereq; oratores, vt promptissima pollicerentur obsequia.

a To.4.ep. secr. pag. 265.
b Ib. ep. secr. pag. 131.
c Pag. 135
d Sup. pag. 145.
e Pag. 167.

Italorum erga illū officia.

Obtulerūt vero insignes Italiæ populi, qui maritimis viribus prestabāt, Vrbano triremes, vt ipsū reueherent. Marcus quidem Cornelius dux Venetorum decem apparaturum se pollicebatur, (sed ex ijs tantum quinque Pontifex admisit) f tres Ioannes e Comitibus Pisarum g, Gabriel Adurnius Genuensium h duces plures alias ornaturos spondebant: quibus a Pontifice actæ gratiæ. Parati erāt etiam Galli Christi vicariū cum egregio comitatu terrestri itinere in Romanas sedes reducere: ac Ioannes Armaniaci comes i alterius eius nominis comitis filius operam suam supplex deferebat. Certabant quoque officijs in Vrbanum duo Imperatores, Carolus nimirum Romanorum & Philippus princeps Tarentinus hereditario Balduini II. iure Constantinopolitanus, ac Pontificem se stipaturus pollicebantur: in quos Pontifex ita se gessit, Philippum quidem vlterius progredi vetuit, vt ipsum tamen Romam ingressurum conueniret, permisit l.

f Eod.to.4. ep secr.pag 243.
g Ib.pag. 265.
h Pag. 158
i Pag. 168
Duo Imperatores illū se stipaturos pollicētur
l Pag. 147

Commendanda vero Caroli Romanorum Imperatoris studia in Vrbanum fuere: cum enim is in colloquio Francofurtensi de publica pace restituenda Italiæ sumpsisset consilium, a Pontifice flagitauit, an mallet, vt præiret eum exercitu, an sequeretur. Cui respondit Vrbanus m satius videri, vt viam ipsi muniret, atque Italiam prædonibus purgaret.

m Pag. 166

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto salutem, &c.

Caroli ad eundem legatio.

Venerabiles fratres nostros Petrum Vlixbonensem & Lambertum Spirensem episcopos, ac dilectum filium Ioannem cantorem Vvratislauiensis ecclesiæ, a tua reuersos præsentia admodum læranter recepimus, tanquam nobis expectatam lætitiam reportantes. Ab ipsis quidem audiuimus votiuam deliberationem imperialis sublimitatis, suorumque principum, ac aliorum nobilium factam in parlamento in Franckefordia celebrato; quam tanto lætiori mente suscepimus, tantoque proinde deuotiores gratias ei, qui vbi vult spirat, exoluimus, quanto deliberationem ipsam Deo magis acceptam, ac reipublicæ magis vtilem & necessariam existimamus. Cum itaque restet super ipsius deliberationis executione procedi, tuaque magnitudo deuota nostrum beneplacitum duxerit requirendum, verum velimus, te cum tua potentia in Italiam præcedere nos, vel sequi; nos, ignorantes quo tempore imperialis magnificentia ad hoc possit esse parata, licet expedire credamus, quod nos præcederes, si posset esse, vt tutum & pacificum faceres iter nostrum, & propterea certum tempus tibi præfigere non audentes, serenitati tuę, deliberatione matura præhabita, nostrum propositum reseramus, videlicet nos firmiter deliberasse, impedimento cessante, de mense maij proximo secuturi arripere iter nostrum, illudque versus ciuitatem Viterbiensem adeo assiduis continuare dietis, quod infra ipsum mensem speramus nos ad ciuitatem eandem, vbi aliquandiu manere proponimus, duce Domino, peruenturos: & tam in ciuitate ipsa, quam in Vrbe multa facimus præparari, ac etiam reparari: & hic per nostros officiales & familiares, ac alios de Romana curia disponi facimus disponenda. Tua vero pietas circumspecta consideret grauissima mala, quæ per illas gentes comitiuarum nequissimas perpetrantur, ac pericula multa & merito formidanda, quibus terræ Romanæ ecclesiæ & imperij, & inter alia ciuitas Ianuensis, cuius statui per tuam vicinam & festinam præsentiam poterit facilius subueniri, dignetur iter suum, quod Deus prosperum faciat, quanto cito magis poterit festinare. Nos enim illa, per quæ dictum iter tuum ad præsens iuuare possumus, videlicet de indulgentia & decima, nec non requisitione auxilij charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regis Vngariæ illustris, ac exhortatione quorundam tuorum maiorum principum duximus concedenda, per dictosque episcopum Spirensem & cantorem confectas super ijs litteras apostolicas destinamus. *Dat. Auin. 11. kal. nouembris anno IV.*

Datum illi consiliū vt præiret cum exercitu.

27 Perculit non leui terrore is Caroli Imperatoris apparatus Bernabonem Vicecomitem Mediolanensem, qui proferendæ tyrannidis desiderio nouas assidue turbas miscebat: vtque arrogantia erat turgidus, superbas in Imperatorem voces, a quo Mediolanensi præfectura deturbari metuebat, profudit. At Pontifex, ne hominis rabiem efferaret, suasit Carolo a, vt prætermissis Bernabonis ampullis minacibus, non phaleratis, sed nudis ac simplicibus verbis de Pontifice ad Vrbem redeunte stipando consilium exponeret, atque interea fœdera cum vrbibus imperio obnoxija de excindendis prædonibus confirmaret. Bernabonem vero Pontifex ipse, vt auctor Imperatori fuerat, tuendæ inter Christianos pacis studio, cum non vlciscenda armis Mediolanensis tyranni arrogantia, sed dissimulanda iniuria esset, vt religioni ac diuini Numinis gloriæ consuleretur, blandis literis mulcere studuit b, ne publicam pacem nouo bello turbaret: de missis ab eo obsequijs gratias egit: laudauit Ambrosium nothum filium a turmis prædatricibus abduxisse: significauit Caroli Imperatoris eximia studia, qui vicarium Christi ad Vrbem redeuntem stipare cuperet: oblatum liberum per Mediolanensem principatum commeatum gratissimum se habere addidit; denique professus, se pro redintegranda ipsum inter & Genuenses amantissimi arbitri partes suscipere paratum, non leui dolore, affectum se innuit, cum nondum iustis votis aduersæ partes respondissent.

Bernabos exinde terrorem cōcipit.
a Eod.to 4. ep. secr. pag. 153.
b Ib.pag. 160.
Leniter cum homine esse actum.

28 Nec Liguriæ modo tumultus ob Bernabonis Genuensem rempublicam sibi subijcere molientis, cuius dominatu ipsum antea potitum vidimus, ambitionem nondum sopiuerant; verum Galeatius illius frater, subacta Pedemontij parte, ad reliquam occupandam inhiabat: quæ ditio cum ad Ioannam Reginam Siciliæ spectaret, Pontifex Imperatorem rogauit c, vt illi veluti clienti suæ, Prouinciæ scilicet, Pedemontij, & Folkarquerij nomine, subsidio accurreret: *Imperialem*, inquit, *excellentiam affectuose rogamus, quatenus præfata Reginæ, quæ pro dicto*, nimirum Pedemontij, *ac Prouinciæ, & Folkarquerij comitatibus tua vassalla existit, digneris de opportuno remedio*

Galeatius Pedemontium occupat.
c Ib.pag. 98.

prouidere. Dat. Auin. III. non. iunij anno IV.

Nec defuere pontificiæ curæ tuendæ Siculi regni amplitudini, quæ cum ob prodigas eiusdem Ioannæ ac Ludouici olim viri donationes imminuta ac labefactata fuisset, Vrbanus illas omnes rescidit a, atque perperam alienata ad Siculam coronam reuocauit, cum hæc, vt ait, iniuste attentata essent. Gerebat porro tum in Siciliæ regno legati apost. partes Ægidius Cardinalis b, cuius legatio ad annum est extracta c isque plures ad componendum Siciliæ statum sanctiones edidit: quæ cum inuidorum maleuolentia spernerentur, Pontifex Ioannam Reginam monuit, vt eas seruandas curaret d, atque ad publicam rem constituendam incumberet e, ac prudentia insignes viros, rerumque gerendarum peritia exercitatissimos ad consilia sanctiora adhiberet f.

a An. 4. ep. cur. pag. 219.
b To. 4. ep. secr. pag. 23.
Editæ in Neapolit. regno ab Ægidio constitutiones.
c Pag. 92.
d Pag. 84.
e Ib. pag. 93.
f Pag. 92.

29 Hoc anno confecta expeditio ab Rege Poloniæ in Russiam, qua illius pars magna Lithuanis erepta est, vt hisce verbis refert Michouias g: *Rex Casimirus, valido exercitu ex vniuerso regno Poloniæ generali expeditione contracto, anno Domini* MCCCLXVI. *post festum Ioannis Baptistæ terras per Lithuanos quindecim annis occupatas recuperauit Brestensem, Lucensem, Chelmensem, & Belsensem.* Subdit auctor, ducem Georgium, qui Belsensem ditionem occuparat, fregisse blanditijs Casimiri arma, ac non modo illius liberalitate Belsensem ditionem accepisse, verum Chelmensem etiam præfecturam obtinuisse. Eadem Crometus h: qui addit, Casimirum Regem promonisse exercitum in Volyniam siue Vvaldimiriam; cumque nemo illius conatibus se opponeret, Luscum, Vvladimiriam, & Olescum arces in suam potestatem redegisse. Similiter duxere in Lithuanos infideles Christianas acies equites cruciferi i duce Vinticho ordinis magistro, geminaque excursione populatio late hostium agris illata: sed Kevstutus dux silenti agmine onustos præda milites abeuntes secutus, amissorum partem recuperauit. Ac tum Vinrichus contractis copijs tertiam irruptionem fecit in Lithuaniam, eamque late ferro flammaque est peruagatus. His alijsque egregijs facinoribus in fidei hostes editis promeruere Cruciferi, vt ipsos Pontifex Carolo Imperatori commendaret k: *Quid* inquit, *amoris, quidue fauoris & gratiæ ordo B. Mariæ Theutonicorum murus Christianitatis tutissimus & Christianæ fidei propagator mirabilis, & infidelium impugnator magnificus in conspectu catholicorum principum & totius Christiani populi mereatur, prudentissima tua serenitas. gesta grandia personarum eiusdem ordinis rumoribus frequentibus audiens, agnoscit plenius & discernit: & propterea super ipsius ordinis commendatione & recommendatione apud te sermonibus nostris insistere superfluum reputamus, &c.*

g Michou. l. 4. c. 21.
Polonorũ in Lithuaniam expeditio.
h Cromer. l. 12. in Casimir.
i Michou. l. 4. c. 28.
Cruciferorum ingentia facinora.
k To. 4. ep. secr. pag. 47.
Eorum elogium.

30 Eodem anno reducendi in concordiam Castellæ & Aragoniæ Reges studio permotus Dei vicarius, Guillelmum episcopum Cicestrensem Apostolicæ sedis internuntium in Hispaniam misit m, instruxitque auctoritate ad dissoluendas sententias, inducias imperandas, pacta ad belligerandum fœdera rescindenda, aduersantes quacumque dignitate præditi essent comprimendos: vtque illi finitimorum Regum gratiam in perducenda re ardua conciliaret, Petro Lusitaniæ n, Carolo Nauarræ o Regibus, Eduardo Aquitaniæ & Vvalliæ principi eundem internuntium commendauit, rogauitque vt vna cum ipso ad conciliandum Castellanum inter & Aragonium pacem operam nauarent. Superior quidem viribus Castellanus, qui ingenio præferox, & vindictæ cupidus inaudita crudelitate hostilis sanguinis siti ardebat. Aragonius vero vna cum Henrico Trastamaræ comite Castellani Regis fratre spurio colluuiem militum, quæ Gallias diu vexarat, spe prædæ alliciebat in auxilium. Pontifex itaque Petrum Regem Aragonum ad pacis amplectenda consilia solicitauit a, atque Alienoram Reginam b & Ioannem maiorem natu filium ducem Gerundensem c, vt Petrum ad ea impellerent, vrsit: tum etiam Petrum Castellanum ad clementiam inflectere hisce literis nisus est d.

Internuntius in Hisp. missus.
m To. 4. ep. secr. pag. 42.
n Ib. pag. 44.
o Ead. pag.
De pace agitur.
a Ead. to. 4. ep. secr. pag. 43.
b Ead. pag.
c Ead. pag.
d Ead. pag.

Vrbanus &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Castellæ illustri salutem, &c.

Tangat, fili charissime, cor regium dominus Deus tuus, vt post tot strages, ærumnas, & calamitates, quas amara dissensio inter te & charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Aragonum illustrem continuata diutius iam produxit, ad pacis dulcedinem reuertaris. Mitiget amodo tuæ mentis pietas & filialis deuotio dolores immensos sanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ, quæ diu sentiens, duos tam magnificos filios, quos habere debet contra hostes Christi & Christianæ fidei pugiles, inuicem collidentes, eo grauioribus dolorum stimulis pungitur, quo ex remediorum salubrium, quantum ad ipsam pertinuit, medela sæpe adhibita optatæ curationis effectus, quem expectabat desiderabiliter, non aduenit. Eapropter pietatem tuam rogamus, hortamur, & obsecramus per aspersionem sanguinis domini Iesu Christi, quatenus diligenter attendens, quod omnia bona in pace concrescunt, quodque in tranquillitate eius deuotius colitur Actor pacis; ac conuertens ad mansuetudinem quod videtur dispositum ad vindictam, animum regium ad pacis bonum & vnitatem concordiæ cum præfato Rege Aragonum habilites & disponas, totque malorum cumulis velis pacificum finem dare. Vt autem quod auide cupimus, facilius Domino præstante proueniat, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum episcopum Cicestrensem Apostolicæ sedis nuncium, virum vtique circumspectum & fidelem, ornatum scientia & pacis amicum, de cuius fide merito confidere poteris, ad tuam & eiusdem Regis Aragonum præsentiam destinamus, vt tanquam pacis angelus vice nostra a te præfatoque Rege causas irarum & odiorum euellat & auferat, & pacis optatæ fœdera salubriter interponat, &c. *Datum Auinione non. februarij anno IV.*

Ad eam Castellanus solicitatus.

31 Non vsus est apostolicis consilijs Rex Castellæ, seque in exitium coniecit, vt videbimus. Cæterum traductæ sunt ineunte anno e Gallijs in Aragoniam fœderatæ veteranorum militum turmæ, ducibus Bertrãdo Guesclino Armorico bello clarissimo & Hugone Carbolaio Anglo, conuersuræ ferrum in Granatenses Mauros, si Castellanus pacem cum Aragonio constitueret; vel si respueret, illius scelera vlturæ, ac præcipue Blancæ Reginæ necem. His succinctus Henricus comes Trastamaræ irrupit e magno apparatu in Castellam, & Calagurrim deditione cepit. Quo successu elatus Bertrandi Guesclini consilio regium nomen arripuit, suosque duces magnis præmijs petendis ex hoste affecit. Concitati tum nouarum rerum studio Castellani, ac sui Regis crudelitatem exosi, spurij fratris imperijs sese addixere f. Quibus de causis perturbatus Pe-

Spreto cõsilio pontificio sibi parit exitium.
Gallorũ in Hispan. expeditio.
e Bar. l. 9. annal. c. 163. Marian. l. 17. c. 7. Vvalsin Eduar. Froiss. hist. l. 1. & alij.
Henricus comes Regem se Castellæ dicit.
f Ib. c. 8.

trus,

trus, iam amissis amicis, quotum plerosque necauerat, vagus & anceps an suorum fidei an virtuti crederet, nec tamen sæuitiæ immemor Ioannem Touarium illius fratrem, qui Calagurtim dediderat, interficit; ac præsidia omnia ex vrbibus & arcibus, quas Aragonio multis laboribus eripuerat, detrahit & ad se redire iubet: atque ita momento amissa, quæ scelere pluribus annis parta.

Castellanus momento deserit quæ tot bellis eripuerat Aragonio.

Recepit sua ea ratione Aragonius, coniecto in Castellam ciuili bello, ac felices successus Pontifici significauit: de quibus illi Vrbanus gratulatus, vt gratum Deo animum præstaret, regijsque virtutibus exornaret, hortatus est a: *Lætanter*, inquit, *admodum intelleximus, serenitatem tuam suorum bonorum recuperatione lætari: id enim optare debemus, vt quisque teneat quod suum est, & suis finibus contentetur. Sed tu, fili charissime, successus prosperos tuos a diuina gratia recognosce, Deo vero non nomini tuo gloriam dando, & te illi gratum & humilem exhibendo, vt semper serues & seruari facias iustitiam & æquitatem, & veram pietatem & misericordiam non relinquas: & Romanæ ecclesiæ matri tuæ semper te reuerentem exhibeas & deuotum, eius & aliarum ecclesiarum libertates & iura effectualiter conseruando & etiam adaugendo: vt ille, in cuius manu sunt omnia regna, solium tuum in hac vita solidet & confirmet, & tandem cælestis regni te faciat participatione gaudere, etc. Datum Auinione x. kalendas iulij anno* IV. Sperabat Aragonum Rex partem Castellæ adiungere ditioni suæ, vt cum Henrico conuenerat: sed officiorum verbis, extrahente rem eodem Henrico, atque idoneo tempore id se præstiturum spondente, delusus est.

Aragonensi gratulatur Vrbanus.

a To.4.ep. secr.pag. 110.

32 Quod ad Petrum Castellæ Regem attinet; destituentibus omnibus quem cælestis fauor deseruerat, thesauris vna cum filijs triremibus impositis, in Lusitaniam abscessit. Cum Henricus Trastamaræ comes matris ac fratrum necem vindicaturus, suscepta Olgis regni corona, populos in sui obsequium adegit b, ac Petrum Regis Lusitani filium sibi deuinxit adeo, vt longinquiora perfugia quærere Petrus Rex extorris coactus sit. In Gallæciam profectus, Compostellam Sueri archiepiscopi & Petri Toletani decani sanguine manus cruentauit: classeq; instructa Baionam Anglica, Aquitanica, Nauarrica auxilia conquisiturus applicuit; de quo hæc tradit Vrbani vitæ auctor anonymus c: *Per eadem tempora, cum Petrus Rex Castellæ in suos inhumaniter deseuiret, nunc vnum iugulando, & quemque suis bonis spoliando, & alios generaliter eos persequendo; ipsiusque furore perterriti quamplurimi a suo regno exularent, essetque odium innatum immo irradicatum inter eos saltem pro maiori parte, fuit tractatus habitus, vt expelleretur a regno suo: in quo cōsentientibus multis tam nobilibus quam ecclesiasticis & particularibus, fuit vocatus, introductus, & admissus in Regem Henricus comes de Trastamara suus frater naturalis, qui pro tunc, a facie eius fugiens, tanquam profugus hinc inde vagabatur. Qui satis cito sequaces multos habuit, & quasi ex toto obtinuit dictum regnum: & eum dictum Petrum Regem persequeretur, & ille pro tunc non haberet, ad quē confugeret, eum per prius fuisset omnibus plusquam hostis & capitalis inimicus, clam habuit regnum ipsum deserere: venitque ad Regem Angliæ & Odoardum principem Vvalliæ ac Aquitaniæ primogenitum suum, thesauros innumerabiles secum ferens, petens eorum consilium & iuuamen*. Henricus vero æmulus

Petri Regis fuga in Lusitaniam.

b Marian. sup.c.17.

c Gesta Vrb.V. apud Bosq.

Deinde ad Aquitanum profugit.

Lusitanum & Granatensem Reges sibi obstrinxit: tum, celebratis regni conuentibus, perfecit, vt si quid sibi humanitus accideret, Ioannes filius paterni regni heres pronuntiaretur. Hactenus de Castellæ turbis, quæ iterum recrudescent.

Henricus Rex filiū suum firmat.

33 Claudimus huius anni periodum ijs, quæ de creatis ab Vrbano Papa Cardinalibus traduntur in memoratis eius vitæ gestis a: *Eodem*, inquiunt, *anno, qui pro tunc currebat* MCCCLXVI. *dictus Vrbanus Papa die* XVIII. *mensis septembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, tres creauit nouos presbyteros Cardinales, videlicet dominos fratrem Guillelmum Sudoris diœcesis Tutellensis ordinis Prædicatorum, tunc episcopum Massiliensem: * Angelicum Grimoardi fratrem suum, tunc episcopum Auenionensem supra nominatum; & fratrem Marcum de Viterbio Italicum, tunc generalem magistrum ordinis Minorum*. At Felix Contelorius b, quod ad Anglicum attinet, e fratre nepotem ex libro obligationum affirmat: verum constat Cardinalium, qui defuncto Vrbano ad eum scripsere, testimonio c illius germanum fratrem extitisse.

a Gesta Vrb.V. apud Bosq.

Cardinales creati ab Vrbano.

* Anglicum

b Contel. in elench. Card.

c Ext. ep. lit. in reg. lit. Card. sede vac. Vrb.V. pag.1.

IESV CHRISTI

Annus 1367.

VRBANI PP. V. annus 5.	CAROLI IMP. OCCID. 22. IO.PALÆOL. IMP. OR. 27.

1 Illuxit annus salutis humanæ millesimus trecentesimus sexagesimus septimus indictione quinta Romanæ ecclesiæ totique Italiæ summi Pontificis aduentu felix: in cuius describendis itineribus gestorum ipsius auctorem ducem sequemur. Inuisere prius constituit Vrbanus Montempessulanum, in qua primum vrbe humanioribus literis fuerat perpolitus, eamque magnificis religiosis ædibus ornauerat, vt laudatus scriptor narrat d: *Circa principium*, inquit, *anni* LXVII. labentis nimirum huius seculi, *iuit ad Montempessulanum causa videndi & visitandi monasterium, quod in honorem sanctorum Benedicti & Germani a solo suis magnis sumptibus ædificauerat, & solemniter dotauerat pro sustentatione certi numeri monachorum, tam per eum ibidem institutis & ordinati partim vt diuinis insistant officijs, & partim in literarum studijs vacent pariter & intendant. Ipse enim pro tunc in propria altare maius ecclesiæ huiusmodi monasterio consecrauit, magnis priuilegijs decorauit, & multis reliquijs, ornamentis, & iocalibus pretiosis adornauit*. De SS. Benedicti & Germani reliquiarum portione eo transferenda extant literæ pontificiæ e, meminereque publicæ tabulæ monasterij S. Victoris f de constructa ad Vrbano apud Montempessulanum ecclesia sanctis Benedicto & Germano sacra, atque ara illius principe sacrata solemni pompa, excitatoque in eadem vrbe collegio duodecim medicorum, ac magnis vectigalibus aucto.

d Gesta Vrb.V. apud Bosq.

Vrbanus Montempessulanū adit.

e An.3.ep. cur. pag. 198. & 199.

f Tab. monast. S. Victoris, apud Mass. & gesta Vrb.V. apud Bosq.

2 Lustrato Montepessulano Auenionem reuersus Pontifex, itineri ad Vrbem se accinxit: nec leues illi difficultates in contrarijs Regum & principum, ac præcipue Caroli Regis Francorum, Cardinalium, & aulicorum voluntatibus superandis se obiecere, quas describit Petrarcha g: *Ante alios*, inquit, *inclytus Rex Francorum ecclesiæ filius, qui deuoto quidem, sed iuuenili amore matrem cupiens propinquam, nec considerans quanto honestius ac melius absfutura esset, ad te abitum meditantem quot potuit laqueos direxit, quibus sacros*

Redit Auenionē.

g Petrarc. sen. l.9. ep.1.

Conueni tur a Frāco Rege.

pedes apostolicos ad omne pium sanctumque opus paratissimos impliçaret; doctum scilicet ac disertum vt perhibent quemdam virum, qui coram te ac fratribus tuis cupide nimis audientibus verba faciens, in ea partem maximam suæ orationis assumpsit, vt collatenus suam Galliam attolleret, Italiamque deprimeret. Refregit hominum voluntates Pontifex contrariis diuinæ voluntatis indicijs, aptilique exeunte se ab Auinionensibus amplexibus diuulsit.

Tentatur, vt Gallijs hereat.

Eodem anno, scilicet LXVII. inquit vitæ Vrbani scriptor a, *die vltima mensis aprilis præfatus Papa recessit de Auenione, gressus suos dirigens versus Romam.* Quinque Cardinales hæsisse Auenione, sed nulla exornatos auctoritate a Pontifiçe, refert auctor, qui ad Guillelmum Nangium appendicem adiecit. *Et cum applicuisset Massiliam, declinauit ad monasterium S. Victoris, cui dudum præfuerat, quod cum prius esset vetustate consumptum, minaréturque ruinam in multis, a quo ad papatum assumptus fuerat, multimodis fecerat renouari & reparari, murisque ac turribus altis circuiri & fortificari: magnis etiam priuilegijs decorauerat, & multis adornauerat reliquijs, iocalibus, & ornamentis pretiosis. Ibidem insuper existens, die videlicet duodecima mensis may anni prædicti, assumpsit in presbyterum Cardinalem Guillelmum de Agrifolio decretorum doctorem, tunc sedis Apostolicæ notarium, iam sacerdotem: de quo non modicum quamplurimi fuerunt admirati, cum esset iuuenis, nondum attingens annum XXVIII. ætatis suæ & de eius promotione saltem ad illum statum pro tunc nullatenus sperabatur. Sed ad hoc faciendum motus fuisse dicitur consideratione domini Guillelmi de Agrifolio senioris tit. S. Mariæ in Transtyberim presbyteri Cardinalis, cuius ipse Papa socius & familiaris fuerat, cum in minoribus existebat; & qui post Deum suæ dictæ assumptionis dicebatur fuisse præcipuus promotor & auctor, cuius dictus dominus Guillelmus nepos existebat: qui etiam in studio in quo a sua adolescentia vsque tunc versatus fuerat, bona fama, vitæ laudabilis, & conuersationis honestæ, & inter alios suos coætaneos satis esse sufficiens communiter ferebatur, eratque speciosus formæ, statura decorus, & alias bene dispositus ad omne bonum.* Si quas tum is virtutes præ se ferebat, diro postea flagitio labefactauit: inter præcipuos enim schismatis antesignanos Clementem pseudopontificem secutus, Dei ecclesiam acerrime oppugnauit, vti suo loco lugebimus. Quanto vero magnificentiæ apparatu effusaque ciuium gratulatione Vrbanus Massiliæ fuerit exceptus, ac memorabile in ea ipsius dictum, e Petrarcha libet decerpere, qui hisce verbis Pontificem alloquitur. b

a Gesta vrb V. apud Bosq. Massiliam petit.

Monasterium S. Victoris ab eo instauratum.

Guillelmus de Agrifol. creatus Card.

b Petrarc. rer. senil. l. 7.

Nuper dum Massiliam peteres, pietate non dubitem vrgente, ac desiderio reuidendi religiosum illum atque humilem nidum, vnde hinc cælesti prouidentia, hinc tua virtute quasi duabus alis ad superos euolasti, teque plebs deuota & tui in primis amantissima non vt hominem, sed vt Deum, quem officio repræsentas, summo gaudio atque ingenti veneratione susciperet, tam pio spectaculo permotus, nescio an lacbrymas, sed certe verba non tenuisti, quæ in nostris gratius etiam fortassis quam multorum, qui aderant, auribus sonuerunt. Dixisti autem inter multa, quod nisi esset alia causa Romam atque Italiam petendi, nisi vt deuotionem fidelium excitares, abunde quidem hæc sola sufficeret. O sanctum & æterna memoria dignum verbum! Et infra; *Si tolis occurrit tibi Massilia, quam obsequiosa, quam deuota, quam reuerens Roma occurret? Non affusum modo, & præ gaudio lacbrymantem, sacramque tellurem pijs fletibus irrorantem populum, sed ipsos Dei angelos in limine obuios habebis, qui vicarium sponsamque sui Domini in sedem atque in thalamum proprium redeuntes ineffabili gaudio, & prædulcibus hymnis excipient.*

De Massiliensium in Vrbanum studio.

3 Narrat etiam Petrarcha ad Brunum c, qui Pontifici ab epistolis erat vt Vrbanus classem, quam Italici principes certatim submiserant, Massiliæ conscenderit, auersis adeo Cardinalium voluntatibus, vt hæc de ijs scribat: *Vnum de multis interseram, fuisse ibi nonnullos ex illo etiam venerabili ordine, qui confestim vt ventus classem terris eripuit, ceu tacti acriter muliebri eiulatu omnium in se nautarum simul vectorumque ora conuerterent; quin & conuitijs, ne quæ stomachi esset excusatio, blasphemijsque non parcerent: O malum Papam, o patrem impium, exclamantes; quonam terrarum miseros filios rapit? non quasi ad Christianitatis vnicam ac supremam arcem vrbem Romam sua in sede catholicæ futuri Reges ecclesiæ, sed quasi Ctesiphontem aut Memphim Saracenorum in carceres traherentur. Vere ergo miseri filij sic affecti: vere autem felicissimus pater ac pijssimus (si latine dicitur) qui nolentes etiam ac luctantes filios ad salutem ducit.* Et infra.

Italicæ classis ad eũ excipiendũ instructa.

c Petr. rer. senil. l. 9. ep. 2.

Effœminatæ nonnullorum Cardd. Gallorum voces.

*Merito itaque Deus illi, qui in his maledictis acerrimus omnium fuit, manifestum ac terribile signum fecit, vt scilicet ex quo sanctam ciuitatem attigit, illico moereretur: qui cum morti proximus esset, ad summum Pontificem destinasse traditur, qui dicerent, persuasum sibi a medicis, vt si saluus esse vellet, ad suum aerem atque patriam * remaneret, commeatumque deposcerent. Quod audiens Papa quid responderit, vt mi penitus illustrium latet, vsque huc fama relatibus insonuit, quæ an vera sint, tu ad sacros pedes assistens indicabis; ego enim rei nesciens rem scienti narro: sed id facio, vt si in manus fortassis alterius hæc venerint, responsum omnibus notum fiat, marmoribus insculpi & præ foribus vrbium ac templorum legi dignum, atque æterna omnium, sed præsertim doctorum sanctorumque hominum memoria celebrari. Cum enim mandato nuncij peregissent, ille subito: Ite, inquit, & domino vestro, amico meo & schola socio dicite: Cura in patriam eundi bona est, modo nouerit quænam patria sit sua; nam terrenam patriam cogitare in hoc statu intempestiuum ac mortiferum: cælestis illa Ierusalem vere patria nostra est. Ad hanc ergo suspiret, ad hanc animum attollat: cuius tamen in limine duos se maximos potentissimosque hostes quæsiuisse meminerit Apostolos Christi, Petrum scilicet & Paulum, quorum voluntati summa vi restitit, neque illius executorem præ cunctis dissuasoribus omni quo quiuit ingenio retardauit. Illos ergo dum adhuc licet, compunctione cordis & lacbrymis ac precibus mitiget, vt eos sibi propitios nec obstrusum patriæ limen inueniat: hic insistat, hoc cogitet, omissisque curis inanibus, viam hanc arripiat, qua placati Apostoli Christum placent, lætamque illi ianuam regni cælestis aperiant. Euntes hæc sibi meis verbis nuntiate. O responsum vere angelicum!* &c. Pluribusque interiectis addit: *Cardinalem illum, de quo sigillatim supra dixi, sic in morte contritum, vt donatiuo nihil; atque ita prioris pœnituisse pertinaciæ, vt alium nullum sibi vellet heredem nisi solam tituli sui ecclesiam, quam præ cunctis horruerat, cuius in refectionem omne suum patrimonium iussit expendi, atque ibi sepeliri mortuus voluit. Valuisse illi consilium apostolicum intellige; immo Christi* con-

Horum intemperantior a Deo castigatus.

* remaneres

Reditum in patriã exposcenti datum ab Vrbano responsum.

Mira illius Card. mutatio.

consilium vicarij sacro ore prolatum, quo sera licet, tamen efficax illius animæ mutatio facta est: & hinc sibi provideant collegæ eius, vt (dum datur) obstinatos animos ad amorem suarum sedium inflectant, nec expectent pro sanioribus consilijs diem mortis. Obijsse memorant e hoc anno quinque Cardinales, nimirum Aegidium Albornotium Sabinensem, de quo inferius b, Eliam e S. Etedio Ostiensem, Petrum Iterium Albanensem episcopos, Eliam minoritam tit. S. Vitalis & Guillelmum Bragosium tit. S. Laurentij in Lucina presbyteros; atque e duobus postremis alterum indicasse videtur Petrarcha, cum illum presbyterum Cardinalem extitisse significet. Sed ad intermissam de maritimo Vrbani itinere narrationem redeamus, quam vitæ auctor ita describit. c

Qui Cardin. hoc anno obierint.
a Contel. in elenc. Cardd. b Vide ann. 15.

4 *Die vigesima dicti mensis*, nimirum maij, *idem Vrbanus Papa de Massilia exiens intrauit mare cum mirabili apparatu galearum & aliorum nauigiorum, de quibus honorifice valde sibi prouiderant Ioanna Regina Siciliæ, Veneti, Ianuenses, & Pisani: iterque suum persequens, die quarta sequenti prospere applicuit Ianuæ, vbi fuit tam in portu, quam ciuitate per ducem & ciues solemniter receptus, & debite honoratus. Et quia pro tunc erant dies rogationum, instabatque dies ascensionis Domini, ibidem per illos remanere decreuit: & interim, equitando per dictam ciuitatem, ecclesiam maiorem visitauit, & demum pro sua mansione descendit ad domum S. Ioannis Ierosolymitani, in cuius ecclesia in dicta die ascensionis Domini solemniter celebrauit: & in crastinum, iter suum continuando, abinde discessit, missa ibidem domino fratre Marco de Viterbio tit. S. Praxedis presbytero Cardinali pro sedandis guerris & dissensionibus, quæ pro tunc vigebant inter dictam ciuitatem & Bernabonem de Vicecomitibus Mediolani: & (diuino sibi assistente præsidio) peruenit feliciter ad portum seu plagam Corneti die quarta mensis iunij subsequentis circa ortum solis. Vbi mari exiens, sibi obuiam habuit dominum Aegidium Aluari Hispanum episcopum Sabinensem Cardinalem, tunc sedis Apostolicæ legatum in prouincijs illis, comitatum fere omnibus nobilibus & magnatibus terrarum ecclesiæ ac prælatis, & alijs quampluribus armatis aut inermibus, prout eorum cuiuslibet conditio seu qualitas exigebat. In litore autem parata fuerunt tentoria tam de pannis sericeis, quam frondibus seu ramis arborum virentium magna amœnitatis decora: quæ cum dictus Pontifex fuisset ingressus, ac in ipsis aliqualiter conuenisset, parato ibidem altari missam cum nota solemniter fecit coram se decantari. Qua finita, equum ascendit, venitque Cornetum hora prandij, ad domum Minorum declinando*. Consenti Feus Belcarius in actis B. Ioannis Columbini d, conditoris Iesuatorum ordinis ita dicti, quod nomen Iesu coclamarent. Vrbanum Cornetum feria sexta die iulij quarto appulisse, ac Ioannem ipsum suis stipatum alumnis omni officiorum & obsequij genere, gaudio ingenti summo Pontifici famulatum, atque ab illo exceptum benigne e; dum vero Ioannes Senis redibat, pie obijsse f, claruisseque miraculis. g

c Vrb. gesta apud Bosq.
De Vrbani in portum Genuen. appulsu.
Legatum decerunt pro reuocanda pace inter Genuenses & Bernabonem.
Ab Ægidio legato excipitur.
In litore diuinam rem solemni ritu peragit.
d Fous in vita B. Io. Columb. c. 64.
B. Io. Columbini in Vrb. obseruantia.
e Ib. c. 64. 65.
f Cap. 74.
g Cap. 85. &c. & Martyr. Rom. die vlt. iulij.

5 Pergit anonymus vitæ Vrbani auctor his: *Vbi*, nimirum Corneti, *mansit vsque in crastinum diei instantis pentecostes, in qua ipse ibidem solemniter celebrauit: veneruntque ad eum solemnes nuncij Romanorum, pro eorum parte sibi plenum dominium Vrbis offerentes, ac claues S. Angeli per ipsos prius detenti secum deferentes. Abinde autem recedens die nona dicti mensis intrauit Viterbium, vbi fuit cum magno gaudio & solemnitate receptus. Venerunt ad eum ibidem paulo post tam domini Cardinales, qui post eum per terram iter suum profecti fuerant, quam vniuersaliter nobiles & magnates, prælati & communitates partium Italiæ de suo aduentu gaudentes*. Decreuisse Vrbanum aliquandiu hærere Viterbij, vt Carolum Imperatorem expectaret, quo vna cum ipso Romam ingrederetur, ex literis pontificijs superiori anno allatis vidimus: sed Carolum nouæ difficultates ab Italiæ ingressu retardarunt. Dum vero Viterbij morabatur Vrbanus, seditio in aulicos a ciuibus concitata est a, moxque sontium supplicio sedata. De eadem seditione meminit Petrarcha b, quam motiunculam vocat, queriturque nonnullos nefarias spes concepisse, Pontificem ea populari insania exasperatum, sedem in Gallias reducturum.

h Gesta Vrb. V. apud Bosq.
Romanorum ad Vrbanum legatio.
Viterbij ingenti lætitia exceptus.
Ab Italorum oratoribus conuenitur.
Carolum Imp. frustra opperitur.
a Ead. gesta.
Mota seditio & mox repressa.
b Petrar. l. 9 rer. senil. ep. 1.

Nondum Pontifex Viterbio mouerat, cum Ioannis Palæologi Græcorum Imperatoris oratores vna cum Amedeo Sabaudiæ comite ipsum conuenere, vt de orientalis ecclesiæ cum Romana coniunctione agerent, atque auxilia ad retundendos Turcarum impetus elicerent, vti laudatus Vrbani vitæ auctor subiectis verbis enarrat c: *Dicto Vrbano adhuc Viterbij existente, venerunt ad ipsum memoratus Amedeus comes Sabaudiæ, patriarcha Constantinopolitanus, & aliqui alij viri notabiles missi pro parte Imperatoris Constantinopolitani, pro sui parte eidem Papæ promittentes, ipsum rediturum ad Romanæ ecclesiæ vnitatem; & super hoc breuiter personaliter venturum ad ipsum Papam. Qui Papa de Viterbio recedens die decima sexta mensis octobris Romam intrauit, occurrente sibi clero & populo Romanis, ipsumque solemniter recipientibus cum magno gaudio, ac demum laudantibus de iucundo aduentu suo. Postquam vero in ecclesia B. Petri suam fecit orationem, in cathedra papali fuit more solito collocatus: declinauitque ad palatium suum dictæ ecclesiæ contiguum, quod prius vetustate ac inhabitatione quasi consumptum & diruptum saltem quoad tecta, opere mirabili fecerat renouari*.

c Gesta Vrb. V. apud Bosq.
Imp. Constantinopolitani insignis ad Vrb. legatio.
Pontificis in Vrbem ingressus.

6 Scripsit Petrarcha panegyricam epistolam ad Vrbanum d inter effusas principum ac populorum Italiæ gratulationes, ex qua hæc decerpsimus: *O iterum te felicem! O felicem diem, qui te matris ex vtero in lucem edidit, & ceu benignum sydus aliquod mundo dedit! Nunc verus, mihi vere summus ac Romanus es Pontifex, vere Vrbanus, vere Petri successor, vere vicarius Iesu Christi. Eras & ante (non inficior) potestate, dignitate atque officio: nunc (quod est optimum) voluntate, pietate, atque exercitio. Neque enim aut voluntas sanctior, aut purior pietas esse potest homini, quam tibi est semper quæ fuit, vt puto: sed nunc ita rebus ipsis eminuit, vt iam nemini esse possit occulta: neque a quoquam promptius posset aut cautius in actum deduci, sine quo quidem sterilis est voluntas. Quinque Pontificum statu parium, non animis, & sexaginta vel eo amplius annorum negligentias vnus tu diebus paucissimis emendasti*. Et infra: *Redue ecclesiam tuæ creditam custodiæ in antiquos mores, quam in sedes pristinas reduxisti, vt vndique fiat irreprehensibilis: & qualis olim fuit toto orbe, venerabilis esse rursus incipiat ac dilecta*. Et infra: *Doce fratres ac filios tuos spernere quæ amabant, amare quæ metuunt quæue oderunt: odisse seipsos, qui tamdiu aderint quod amandum erat. Dignum literis aureis Augustini verbum est: Nemo potest perfecte diligere quo vocatur, nisi aderit vnde reuocatur. Et post pauca. Nec fiet quisquam*

Petrarchæ ad illum panegyrica gratulatio.
d Ead. l. 9. ep. 1.

qua-

qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est.

Ostende sensibus vagis, adhuc malas domos Rhodani & palustria rura quærentibus, loca illa salubria vbi effectum est, quod ianitor cæli doctor orbis pariter, vt de vtroque canit ecclesia, iudices sæculi, vera mundi lumina, per crucem alter, alter ense triumphans vitæ senatum laureati possident. Ostende illis digito non procul inde ab illius ingentis ac deuota foribus basilica vbi Simon Petrus ascendit in crucis patibulum, vnde clauicularius regni gaudens migrauit ad Christum. Ostende paululum distantius, vbi Paulus Apostolus lumen orbis terra inclinato capite pro Christi nomine martyrio coronatus est. Hæc enim sæpe de suis ducibus cecinerunt ac legerunt; loca sancta (vt arbitror) non viderunt: quæ cum viderint hæserintque animis, pudebit (vt spero) profanorum & infamium locorum, ad quæ non recto iudicio, sed obliquo affectu & longo vsu amorem immeritum conceperunt. Iube illos cogitare, atque interius spectare oculis venerandum ac sanctissimum senem Petrum non peregrini viui cupiditate, sed iusto metu mortis absterritum abire, dehinc calle medio Christum illi obuium: quo conspecto statim verbo vnico, vt aiunt, ad certam mortem intrepidus remeauit. Videant illum ipsum mox in cruce pendentem, per quem ipsi sedibus aureis ac scabellis eburneis insistentes accepisse se sentiunt (nisi ingrati sint) quidquid habent excellentia, quidquid opum, quidquid gloria. Post aspiciant mentibus gloriosissimi Pauli truncum caput, vas electionis, doctrina cælestis armarium, limpidissimum fidei nostra solem: illum cordis auribus audiant ipsa de morte altis Iesum vocibus nouissimisque suspirijs inuocantem. Miraculi testes eximij fontes ibi sunt totidem, quot saltus dedisse sacrum caput fama est. His ipsis in locis, quæ casa ceruix attigerat, si deuote voces illas audierint, deque his fontibus pio haustu biberint, & symphonias transalpinas spernent, & siticulosos modo fonticulos, qui sunt ad Rhodani angulos, non requirent. Hactenus Petrarcha.

De sacris Vrbis locis.

Actum de Græcor. ad Romanam eccl. reditu.

7 Vbi suas sedes in basilica S. Petri fixit Vrbanus, primas curas orientalis ecclesiæ ad Romanæ obsequium reditura coniunctioni consecrauit: qua de re dicturi rem paulo altius repetemus. Legarat iam ante decennium Innocentius VI. Constantinopolim Petrum Thomam tum Pactensem episcopum ad Ioannem Palæologum Imperatorem, qui ad Romanæ ecclesiæ gremium se recipiendi pium studium ostenderat, vti suo loco meminimus a. Gesta autem adeo strenue res est a legato sanctissimo, vt Palæologus Romanum Pontificem summum ecclesiæ toto orbe diffusæ antistitem agnouerit b, pollicitus c se Græcos, acceptis auxiliaribus copijs, ad ecclesiæ Romanæ obsequium adducturum, seque filium obsidem missurum ad Apostolicam sedem, quam etiam ipsemet adire peteuperet, vt Christi vicarium meritis honoribus prosequeretur. Nulla porro multorum annorum flexu submissa fuerant idonea auxilia, quibus Turcica tyrannis posset comprimi, principibus nimirum Christianis perpetuis ciuilium bellorum turbinibus agitatis. Quinimmo Orchanes ob Cantacuzenum & Matthæum, quibus arctissimo erat iunctus fœdere, tyrannide depulsos, deinde Amurates maximas clades Græcorum imperio intulerant, donec anno superiori Amedeus comes Sabaudiæ, Vrbani auspicijs collecto crucesignato exercitu, laturus consanguineo suppetias, Gallipolim Græciæ portum munitissimum, in quem ex Asia Turcæ traijcere & Christianorum Europæorum tristia spolia connehere soliti erant, expugnauit: de quo etsi sileant annales Turcici, meminit tamen Vrbani vitæ scriptor hisce verbis a: *Amedeus comes Sabaudiæ Gallipolim ipsam eripuit de manibus Turcorum, quam demum tradidit Imperatori Græcorum consanguineo suo.* Recuperata Gallipoli, Ioannes Palæologus in spem obterendæ Latinorum auxilijs Amuratis Turcorum principis potentiæ, qui imperium in Græcia iam late protulerat, erectus est: misitque ad Vrbanum octo oratores amplissimos, quibus Amedeus Allobrogum princeps, de quo paulo ante memoraui, & Paulus ex Smyrnensi archiepiscopatu ad patriarchatum Constantinopolitanum post B. Petri Thomæ mortem euectus, socios se addiderant, pollicitus expetitam tot annorum continentibus votis orientalis ecclesiæ coniunctionem se perfecturum, Romamque vere proximo accessurum. Audita eius legatione Viterbij, vt antea indicaui, Vrbanus perficiendæ tantæ rei sollicitus, ne qua Palæologo mare Siculum sulcaturo iniuria inferretur, Ioannæ Reginæ Siciliæ imperia dedit b, vt regio edicto suos a quauis inferenda illi offensiuncula contineret.

a An. Chr. 1356. n. 34

Vt Palæologus iam ante schisma damnarit.

b Posling. e Mazer. in vit B. Petr. Tho. c. 5

c Extat de re imperial. lit. data 7. nouemb. an. 1357. apud Philip. e Mazer. ead. c. 7.

Amedei Sabaudi comitis opera Gallipolim receperit.

a Gesta Vrb. V. apud Bosq.

b To. 6. ep. secr. pag. 3

Vrbanus, &c. charissima in Christo filia Ioanna Regina Sicilia illustri.

Ad notitiam tuæ serenitatis deducimus, quod magnificus vir Ioannes Palæologus Imperator Græcorum illustris, necnon prælati, clerus, calogeri, nobiles, & populi Græciæ cupientes, vt asserunt, ad obedientiam & vnitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ remeare, octo ambassiatores solemnes statuum diuersorum vna cum venerabili fratre nostro Paulo patriarcha Constantinopolitano, & dilecto filio nobili viro Amedeo comite Sabaudiæ, propter hoc ad nos venientibus, ad sedem Apostolicam destinarunt: obtulitque ac pollicitus est Imperator præfatus, se in mense maij proximo futuro, pro facienda sua suique populi reconciliatione cum dicta ecclesia ad sedem præfatam cum nonnullis prælatis, alijsque clericis & religiosis, ac nobilibus & plebeijs personaliter accessurum, vel eo impedito (quod absit) suum primogenitum transmissurum. Quare cum ex dicta obedientia & reconciliatione, si eam fieri contingat Domino iuuante compleri, salus multarum alias pereuntium animarum, Christianitatis augmentum, & tutela fortissima, infidelium repressio, aliaque multa spiritualia & temporalia bona sint probabiliter prouentura; omnesque fideles Christi, præsertim personas sublimes, ad hoc deceat fauores, & auxilia impertiri; serenitatem tuam rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus vigilanter prouideas, quod dictis Imperatori & eius primogenito, alijsque Græcis & gentibus, qui cum eis vel eorum altero ad sedem venient memoratam, per terram vel mare regni Siciliæ nulla iniuria, damnum, aut impedimentum aliud irrogetur; super hoc publicam proclamationem grauium bannorum, & pœnarum comminatione ac inflictione per dictum regnum, vbi expedire cognoueris, fieri faciendo, &c. *Dat. Romæ apud* S. *Petrum* VIII. *id. nouembris pontificatus nostri anno* VI. Rogatus quoque Philippus princeps Tarentinus c dictus Imperator Constantinopolitanus, Balduini II. a Michaele olim Palæologo Constantinopoli pulsi materno iure heres, ne ob veteres simultates optatissimam Græcorum coniunctionem disturbaret, tutumque ac liberum cõmeatum venienti Imperatori daret. Latini etiam alij d, qui in orientalibus oris princi-

Vt Palæolog. Imp. spopenderit Romã se accessurum.

Monita Regina Siciliæ nec eã lædat.

Monitus æmulus Philip. Imp. de eodem.

c Ead. pag.

d Ead. pag.

Moniti etiam alij principes.

cipatus amplos obtinebant, vt Rhodiorum equitum magister, Marcus Cornelius Venetorum & Gabriel Adurnius Genuensium duces, tum Aegæi maris insulani, vt Chienses Eubœique, solicitati a vt Imperatorem studijs suis ad sedem Apostolicam proficiscentem prosequerentur: *Nobilitatem & discretionem vestram*, hos posteriores alloquitur, *rogamus & hortamur attente, quatenus tam ipsi patriarchæ, quam magnifico viro Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri & suis gentibus, pro dicta reconciliatione ad fidem profecturis eundem, in eundo et redeundo ob reverentiam dictæ sedis et nostram, ac augmentum fidei Christianæ si requisiuerint, vestra tribuatis auxilium, consilium, et fauorem.*

a Red. to. 6 pag. 1.

Excitati ad confitentiam Io. Palæologi filij. b Red. pag. 5 c Red. pag. 2.

9 Vt foueret autem in suscepto pio redintegrandæ orientalis ecclesiæ & schismaris damnandi consilio Græcos, Pontifex excitauit Ioannis Palæologi Imperatoris filios b, Andronicum, Manuelem, & Michaelem ad Romanæ ecclesiæ obsequium pronos, vt constantes persistarent, ac paternam pietatem æmularentur. Quo etiam argumento subiectas ad Helenam ipsorum matrem literas dedit. c

Vrbanus, etc. illustri principissæ Elenæ Imperatrici Græcorum gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Pontifex ad Elenam Imp. adhortatio, nec.

Lætati sumus ab intimis in ijs, quæ venerabilis frater noster Paulus patriarcha Constantinopolitanus & ambassiatores magnifici principis Ioannis Palæologi Imperatoris Græcorum illustris, consortis tui, ad sedem Apostolicam destinati nobis de tua prudentia alijsque virtutibus retulerunt. Illudque lætificauit præcipue mentem nostram, quod (prout a patriarcha & ambassiatoribus præfatis audiuimus) non solum optas Latinorum & Græcorum sanctissimam & amabilissimam vnionem; sed ad hoc deuotæ tuæ operationis studium ardenti animo impendisti, præfatum Imperatorem & assistentes eidem ad prosequendum & perficiendum vnionem huiusmodi pronidis tuis persuasionibus inducendo. Gaudemus itaque quod in te mulierem fortem inuenimus, in qua cor merito potest confidere viri tui, cuius vtriusque hominis salutem & gloriam ardenter desideras, & studiosa procuras. Epropter tuam excellentiam & prudentiam attentius exhortamur in Domino, quatenus in huiusmodi tua laudabili voluntate & operatione persistens, præfatum consortem ac inclytos natos tuos (quibus prudenter satagis regnum recuperare ac stabilire terrenum) & nihilominus acquirere sempiternum, ac clerum & populum Græcorum solicitare non desinas, vt negotium vnionis præfatæ puris animis, & efficacibus studijs prosequatur. Nam sacrosanctam Romanam ecclesiam, quæ non claudit redeuntibus gremium, reperient non solum iustam & piam, sed (quantum secundum Deum poterit) fauorabilem, & etiam gratiosam. *Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. id. nouembris pontificatus nostri anno VI.*

Io. Cantacuzen. ad rem promouendā solicitat.

Pollebat multa auctoritate in Græcorū clero ad perficiendā hanc coniunctionē Imperatricis pater Ioannes Cantacuzenus, quem antea cum Clemente sexto de adducendis ad Romanæ ecclesiæ obsequium Græcis egisse, dum sceptris vi & tyrannide arreptis potiebatur; sed cum rem segnius tractaret, atque in Turcis, quorum prædæ ac furori Græciam sua ambitione exposuerat, spes suas collocaret, imperio deturbatum, mortisque metu ad monachorum S. Basilij instituta confugisse vidimus. Ipsum ergo Pontifex hortatus est d,

d Red. to. 6 ep. secr. sup. pag. 1.

vt partes suas in clero ad Romanæ ecclesiæ obsequia reuocando adhiberet.

Vrbanus, etc. prudenti viro Catacusino ordinis S. Basilij olim Imperatori Græcorum gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Audiuimus sæpius, te fore virum multa prudentia, & etiam literarum diuinarum scientia redimitum, olimque Græcorum imperium multo tempore gubernasse, & post relictam eorum coronam imperij ad austeritatem vitæ, ordinem videlicet S. Basilij transmigrasse; multamque calogerorum, ac cleri & populi Græcorum habere sequelam: propter quod in perfectione tractatus vnionis eorundem Græcorum & Latinorum præ cæteris post imperiale culmen potes existere fructuosus; sicut in ijs, quæ in tractatu prædicto apud Constantinopolim gesta sunt vltimo, asseris extitisse. Quare discretionem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus magnificum virum Ioannem Palæologum Imperatorem Græcorum illustrem generum tuum, ac calogeros, nec non clerum & populum prælibatos ad faciendum vnionem præfatam, ex qua innumera spiritualia & temporalia bona prouenient, dictumque Imperatorem ad veniendum propterea ad sedem Apostolicam, vt promisit, pronidis tuis consilijs & inductionibus iugiter exhorteris; proinde dictorum Imperatoris, & imperij statui in præcipitium cadenti, quotidie succursurus, ac gloriosum nomen in seculo & in excelsis etiam præmium recepturus. *Dat. vt supra.*

10 Comparati egregie visi sunt ad schisma vetus damnandum tum religiosam vitam professi, tum alij seculares clerici, cum nimirum extremæ calamitates exceptæ a Turcis, atque aliarum imminentium terror superiorem pertinaciam molliuissent, quibus hæc rescripsit Vrbanus a. a Red. to. 6 pag. 20.

Prudentibus viris vniuersis archimandritis alijsque calogeris Græciæ gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Vt Græcanicus clerus ad obsequium Pont. procubuerit

Audiuimus iucundanter [nempe ex oratoribus] quod vos seu magna pars vestrum, non absque gratia diuinæ inspirationis inducti, iamdudum de reconciliatione ac vnione Græcorum facienda cum sacrosancta Romana ecclesia matre ac magistra cunctorum Christi fidelium apud Constantinopolim ageretur, præfato Imperatori & alijs tractatoribus huiusmodi sancti negotij fideli ac prouido consilio suasistis, vt omnino præfatam facerent vnionem: propter quod ipse ac vos, nec non clerus & populus ciuitatis Constantinopolitanæ eosdem & alios ambassatores ad sedem Apostolicā destinastis: & idem Imperator obtulit se cum pluribus vestrum ac prædictorum cleri & populi ad dictam sedem de mense maij proxime futuro personaliter accessurum, &c.]

Addicti illi Pontifici.

11 Assenserant redintegrandæ felici illi ecclesiarum coniunctioni Philotheus Constantinopolitanus, Nison Alexandrinus, & Lazarus Ierosolymitanus patriarchæ, ac suas ad Pontificem literas, quibus se illius obsequio addixere, transmiserant: quos hortatorijs literis excitauit Christi vicarius, vt gregem dominicum sub vno supremo pastore congregarent significauitque, si vna cum Imperatore Romam accederent, dsbita ipsos beneuolentia ac officijs se complexurum.

Prudentibus viris Philotheo Constantinopolitanum, Nison Alexandrinum, & Lazaro Ierosolymitanum patriarchales ecclesias more Græcorum regentibus, gratiam in præsenti, per quam obtineant gloriam in futuro.

Sa-

Ad patriarchas hortatoriæ literæ.

Saluraris intentionis vestræ propositum, super reductione Græcorum ad sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ vnitatem nobis tam per literas vestras, quam per venerabilem fratrem nostrum Paulum patriarcham Constantinopolitanum, ac prouidos viros Nilos Metropolitis & Theodorum * Megatarstophilatas nuntios vestros latores præsentium referatum audiuimus cum multa lætitia. Proinde deuotas gratias referentes Altissimo, qui tam laudandum propositum vestris mentibus inspirauit, rogamus vos & hortamur in domino Iesu Christo, quatenus in dicto proposito immobiliter persistentes lumen, quod in vobis est, in cognoscendo vtilitatem vestram & aliarum innumerabilium animarum & corporum, ex reductione præfata indubie prouenturam, non abscondatis sub modio, sed super candelabrum vestræ sinceræ prædicationis & operationis cunctis Græcorum populis ostendatis, vt in ipsius claritate per semitam mandatorum Domini gradiantur; vosque tanto plus apud ipsum Dominum laudari, ac altius super plura constitui mereamini, quanto plures manipulos de credito vobis agro collegeritis, & ad arcam Domini afferetis, quantoque de datis vobis talentis datori reportabitis maius lucrum.

*Megacartophylaces.

Cæterum valde gratum habebimus, quod cum magnifico viro Ioanne Palæologo Imperatore Græcorum illustri, & cum alijs multis viris literatis & autenticis de clero & populo Græcorum ad sanctam sedem Apostolicam matrem & magistram cunctorum fidelium, ad quam idem Imperator venturum se obtulit, veniatis: vbi vos libenter videbimus, & condignis honoribus prosequemur; ac (dante Deo) tollentur schismata, & alias saluti dictarum prouidebitur animarum. *Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. id. nouembris pontificatus nostri anno VI.* Prouocati etiam apostolicis adhortationibus fuere a ciues Constantinopolitani, imperijque totius proceres: nec non Latini, qui in oriente plura obtinebant, commonitis vtijs non deessent.

a Eod. pag. & pag. 2.

12 Quod ad Paulum patriarcham Constantinopolitanum (Latinum scilicet) spectat; is, dum pontificia legatione Constantinopoli fungebatur, cum Ioanne Cantacuzeno, ad quem ante Vrbanum scripsisse vidimus, congressus illum excussit, an Palamæ distinctionem realem inter diuina attributa actionesue diuinas & diuinam essentiam fingentis, pluresq; comminiscentis diuinitates, increatũ lumen, quo in monte Thabor Christus circumfulsit, increatum fuisse delirantis hæresibus contaminatus esset: demumque post concertationes varias, a Cantacuzeno expressit, diuinam essentiam eiusque actionem immanentem non re, sed ratione distingui. Postea tamen Cantacuzenus nonnulla scripta edidit, quæ distinctionis realis ambiguitatem iniecere, ac fœdissimũ Palamæ dogma de increato lumine Thaborio asserere cõtendit; quæ Paulus patriarcha subiectis tabulis promulgauit b, professus illa se Romano Pontifici delaturum: *Paulus miseratione diuina patriarcha Constantinopolitanus, omnibus in Christo fidelibus.* Et infra. *Ne posteros veritas rerum prætereat, oportere censui, quæ inter Imperatorem Cantacuzenum & me disputari contigit, scripturæ tradere. Quoniam enim ad dominum Papam Vrbanum V. & eius Cardinales nonnulli Græci retulerunt, commemoratum Imperatorem Cantacuzenum & ecclesiam Græcorum multas suo dogmate diuinitates inducere supereminentes & remissas, eo quod asserant, quæ Deo insunt realiter inter se differre, & vnumquodque horum deitatem distinctam in infinitum a diuina substantia distare; cum nosse verum huius doctrinæ cuperem, Constantinopoli degens, quando ad Imperatorem Palæologum a commemorato summo Pontifice missus fui, quæsiuimus istud scire. non autem potuimus verbo velre aliquid certi de hac opinione & impia doctrina comprehendere: quapropter & coactus sum verbis asperis eos insectari, & veluti quibusdam argumentis prouocare. Tandem Imperator ipse Cantacuzenus de hac opinione mecum verba fecit: Quamuis autem a principio videretur mihi non recte sentire, qui ex suis verbis eum distinctionem realem ponere suspicabar; tamen post aliquos dies sermone protracto dixit, se non sentire realem distinctionem inter ea, quæ Deo insunt, sed tantum ratione & conceptu mentis. Tunc veluti gauisus dixi, bene eum dicere, & cum B. Ambrosio conuenire. Postea dicta colloquia scriptis mandauit, quibus nonnulla inseruit, quæ dubitationem pariunt, vtrum rationis tantum, an etiam realem distinctionem esse cõtendat: quæ profecto scripta summo Pontifici ostendam, vt ea vel improbet vel confirmet.*

Vt Cantacuzenum excusserit an Palamæ hæresibus inquinatus esset.

De Paulo patriarch. Constantinop.

b Ext. inter opusc. aurea posteriorum Græc. insa Romæ pag. 405. Delatum id Pontifici fuerit.

Professus sit demũ Cantacuzenus in Diuina natura distinctionẽ rationis, non rei. Dein suspicionem scriptis iniecerit, an distinctionem realem poneret.

. Deinde scripsit de lumine, quod apparuit in monte Thabor, asserens illud esse increatum, et non esse Dei essentiam, sed quandam diuinam operationem, quod ne auditu quidem ferendum est: nihil enim est increatum præter diuinam essentiam, & omne increatum sempiternum est: nullum porro sempiternum visibile est, quæ enim cernuntur temporanea sunt. Quare si diceret, illud visibile lumen symbolum fuisse inuisibilis & increati luminis, vtique recte saperet: dicere autem lumen, quod corporalibus oculis visum est esse increatum, omnino extra terminos fidei est contra omnem rationem. Hæc igitur volumus præsenti scripto esse manifesta, vt rei veritas in posterum conseruetur. Hæc de Cantacuzeno vere promulgata a Paulo patriarcha ostendit ipsius Cantacuzeni historia a, in qua ipse eos errores de thaborio lumine vt fidei dogmata proponit. At de his hactenus.

Lumen Thaborii increatũ fuisse esseruerit.

a Canta. cuz. lib. 2. c. 40.

13 Cæterum dum Græci Constantinopolitani e schismate emergere cogitabant, nonnulli schismatici præpotentes suæ tyrãnidi Catharenses catholicos Rascijs & Albania schismaticis circumfusos subijcere sunt moliti, qui cum ad communem parentem ac religionis defensorem Romanum Pontificem opem flagitaturi confugerent, Vrbanus Venetorum ducem, qui ob maritimas vires, quibus pollebat, facile ijs subsidio accurrere poterat, excitauit b vt in retundendis schismaticorum conatibus potentiam explicaret, & Catharenses tueretur.

Catharenses catholici oppressi a schismaticis.

b Tom. 6. ep. 5. secr. pag. 7.

Marco Cornario duci Venetiarum.

Dilectorum filiorum ciuium & communis ciuitatis Catharensis piam querelam audiuimus cum amaritudine mentis nostræ, continentem quod licet ipsi sint inter hæreticos & schismaticos Albaniæ & Rassiæ constituti, tamen prout notorium est, sunt catholici, in vnitate & obedientia sanctæ Romanæ ecclesiæ persistentes: quodque nonnulli nobiles & alij ex dictis hæreticis & schismaticis eos subiugare, & ad damnabilem ipsorum ritum adducere hostilibus aggressibus moliuntur; & quod, nisi a te & alijs Christi fidelibus adiuuentur, sunt in maximo animarum & corporum ac rerum periculo constituti: quare super hoc apostolici fauoris præsidium implorarunt. Nos igitur eisdem ciuibus & communi paterno compatientes affectu, nobilitatem tuam denote requirimus, rogamus, & hortamur attente, quate-

Solicitatĩ ad ferendam ijs opem Veneti.

tonus omnibus subditis tuis districte præcipias, ne præfatis hæreticis & schismaticis per mare vel terram contra iam dictos ciues & commune præbeant aliquod auxilium vel fauorem; quinimmo ipsos ciues & commune pro eorum defensione ab huiusmodi hostibus facienda velis ob reuerentiam Dei, suæque fidei, ac Apostolicæ sedis & nostram in tantæ necessitatis articulo charitatiuis auxilijs & fauoribus, de quibus eis commode subuenire poteris, adiuuare; proinde a Deo præmium & a nobis dictaque sede pleniorem beneuolentiam obtenturus. *Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. kal. decembris*. Accensi pariter a Iadertini, Ragusini, Dyrrachini, atque Appuli, vt religionis studio Catharenses orthodoxæ fidei cultores ab impiorum seruitute vindicarent.

Prouocati ad id alij populi.

a Ib. pag. 6 & 7.

14 Neq; ad tuendos modo orientales catholicos aduersus hostiū arma & potentiam Vrbanus incubuit, verum etiam e vitiorum seruitute eripiendos. Victus a mollissima voluptate in adulterij cœno iacebat Petrus Rex Cypri, qui antea armatos Saracenorum cuneos vicerat, partarumque victoriarum gloriam obscurabat: nec leue aberat periculum, ne ab impijs, quorum spurcitias imitabatur, clientela diuini Numinis destitutus, vexaretur. Ipsum itaque Christi vicarius, cui Reges regere cœlitus datum est, subiectis literis ad puriora consilia reuocare nisus est b.

Petr' Cypri Rex adulterio contaminatus.

b Red. to. 6. ep. secr. pag. 22.

Charissimo in Christo filio Petro Regi Cypri illustri.

Amara nimis, & horrenda relatio, apostolicis auribus sæpius inculcata, nostro patefecit auditui, quod tu, propria abiecta consorte illustri genere ac morum elegantia decorata, non erubescis quandam adulteram publice retinere: ex quo Deum creatorem tuum institutorem sacri matrimonij offendis grauissime, animam tuam laqueo damnationis inuoluis, regiam claritatem obnubilas, & populum tuum, qui iucundatur in multiplicatione regalis sobolis, tristem facis, ac hostes crucis & tuos, quorum es persecutor acerrimus, ex eo lætificas, quod Regem regum, qui contra ipsos tibi largitur victorias, offendere non pauescis, ac de propitio, tuis culpis constituis offensorem; & meritum ac gloriam, quæ pugnando strenue contra dictos hostes assequeris, proh pudor! causa vnius impudicæ mulieris amittis. Quare celsitudinem tuam, cuius salutē & gloriā paternis zelamus affectibus, monemus ac rogamus attentius & hortamur, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus si est ita (quod vix credere possumus) ad quantū & quam detestabile prolapsus sis facinus, in humilitatis & contritionis spiritu recognoscens, & omni tempore, præsertim isto, quo magnifice prosequeris causam Dei, te ab eius offensione custodiens, festines reatum tuum celeriter emendare, eandem adulteram abijciendo prorsus & eminus, ac præfatam tuam consortem affectu coniugali tractando, & condignis honoribus prosequendo; sic perfecte errata corrigens, quod Deo, & hominibus fias correctus placidior, quam esses primitus non excedens. *Dat. Romæ apud S. Petrum IV. non. decemb. anno VI.* Admonuit etiam ad tantum dedecus e Cypria regia remouendum Pontifex Raimundi archiepiscopi Nicosiensis curas, quem iussit opportune & importune precibus, imperijs, blanditijs, minis, incumbere apud Petrum Regem c, vt coniugem reciperet atque ab occidente repetendo, ad committendam monomachiam cum Florimundo Spartæ regulo deterreret, cum id ab ipsius dignitate & salute abhorreret. Traiecit porro sequenti anno in occidentem Cyprius Rex, sed vt auxilia in Saracenos eliceret, ac Pontificem in Vrbe salutauit: de quo suo loco. Nunc reliqua ab Vrbano Romæ gesta prosequamur.

Commonitus vt e cœno sese eruat.

c Ib. pag. 22.

A monomachia cum Spartæ regulo abstineat.

15 Sacratum ab ipso Sabinensem episcopum omnium sanctorum peruigilio, narrat vitæ illius auctor a: *Die*, inquit, *vltima dicti mensis, quæ fuit dies dominica in vigilia omnium sanctorum primum in altari B. Petri solemniter celebrauit, & ibidem consecrauit in episcopum Sabinensem prænominatum dominum Guillermum de Agrifolio, qui longis temporibus ante non consecratus tit. S. Mariæ trans Tyberim presbyter extiterat Cardinalis. In dicto autem altari a tempore Bonifacij Papæ VIII. non fuerat celebratum propter summorum Pontificum, qui in ipso tantum sunt soliti celebrare, absentiam diutinam.* Suffectus est Guillelmus de Agrifolio in Sabinensis ecclesiæ administratione Ægidio Albornotio pacis bellique artibus clarissimo, cuius virtute ditio ecclesiastica a tyrannorum cruentis manibus erepta, ac via venturo Pontifici structa fuerat: Viterbij vero præsente iam Pontifice quasi suo functus munere, ac lauream immortalitatis collecturus obierat, relicto omnibus, ac maxime Vrbano ingenti sui desiderio; de quo hæc eiusdem Vrbani vitæ auctor tradit b:

a Gesta Vrb. V apud Bosq. Sabinensis episc. sacratus ab Vrbano.

Die XXIV. mensis augusti immediate suum dictum aduentum subsequentis obijt in Viterbio præfatus dominus Aegidius Albari episcopus Sabinensis Cardinalis, vir vtique memoria laudabilis, immo etiam indelebilis in æternum. Fuit namque legatus in dictis partibus continue fere per quatuordecim annos: & licet a principio reperit ciuitates, loca, castra, & terras, quæ ad dominium, ius, & proprietatem Romanæ ecclesiæ spectabant, sub manibus * *consistere, Montisflasconis & de Montefalco duntaxat exceptis; tamen diuino fretus auxilio sic operatus est nunc per tractatus amicabiles, nunc vero per insultus hostiles, quod fere omnia ad obedientiam dictæ ecclesiæ suo tempore suoque ministerio reducta: in quibus etiam castra, roccas, & alias munitiones vt plurimum aut noniter fecit ædificari, aut quæ hactenus, in posterum in defensionem fidelibus, rebellibus vero ad offensionem & terrorem. Fuit insuper homo admodum virtuosus, literarum scientia præditus, in agibilibus multum circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, ac in factis armorum, non omissa pontificali decentia, valde edoctus & expertus: sciuitque in omnibus sic & taliter se gerere, quod in tota Italia viuens amabatur, aut saltem timebatur. Ipse de bonis a Deo sibi datis constituit, dotauit, ac fundauit Bononiæ vnum solemne collegium pro pauperibus scholaribus regionis suæ. Plura alia bona fecit pro salute animæ suæ. Eius obitus fuit multum toti ecclesiæ damnosus, & præfato Vrbano Papæ displicibilis & dolorosus, præsertim in sui dicti aduentus principio, cum speraret in suis agendis per eum in plurimum dirigi & iuuari.* Ex his constat errore lapsos, qui Aegidij obitum ante hunc annum collocant. Cineres Assisij temporario sepulchro in ecclesia S. Francisci conditos, Toletum postea translatos, vti ab ipso in vltimis tabulis cautum fuerat, ad templum S. Ildefonsi; cumque Vrbanus indulgentiarum amplissima præmia funus cohonestaturis, ac feretro subcollantibus largitus esset, Toletum vsque certatim populis occurrentibus piorum humeris delatum esse referunt scriptores Hispanici c: cum ta-

b Gesta ead. apud Bosq. Ægidij Card. mors.

* tyrannorum

Eius elogium.

Sui ingēs desideriū reliquit.

Eius cineres Toletum relati piorum humeris.

c Io. Mar. l. 17. c. 3. & alii

tamen Bergomensis affirmet a non corpus, sed cor in Hispanias delatum.

a Bergom. hist. l. 13.

Guillelmo de Agrifol. legatio Siculа demandata.

16 Non successit modo Ægidio Guillelmus in Sabinensi episcopatu, sed in Siciliæ etiam citerioris legatione, ipsique partes demandatæ sunt b, vt Beneuentani agri, ad sedem Apostolicam spectantis, ex Clementis VI. repetito diplomate circumscriberet limites, quorum designandorum auctoritas ex pactis cum Carolo I. initis ad ecclesiam spectabat, cũ ea res extracta hactenus fuisset. De misso in citeriorem Siciliam Guillelmo episcopo Sabinensi meminit Vrbani vitæ auctor, ac præcipuam mittendi illius causam ad sopiendum ciuile inter principes bellum fuisse obseruat: extantque Vrbani literæ c, quibus eum ad pacem inter Philippum Tarentinum Constantinopolitanos gerentem titulos, & Franciscum e Baucio Andriæ ducem conciliandam iussit incumbere: *Non absque multa*, inquit, *cordis nostri amaritudine attendentes, quod bellicosa & iamdiu protelata discordia charissimi in Christo filij nostri Philippi Imperatoris Constantinopolitani illustris, ac dilecti filij nobilis viri Francisci de Baucio ducis Andriæ, non solum ipsis eorumque subditis, sequacibus, & terris; sed toti pene regno Siciliæ & terra citra pharum, in quibus superius dominium obtinemus, & in quibus ijdem Imperator & dux morantur, produxit hactenus & producit assidue animarum & corporum atque rerum grauissima detrimenta: & efficax via pacis quæsita sæpius nondũ potuit (quod dolenter referimus) inueniri, etc. Dat. Romæ apud S. Petrum 11. non. decemb. anno VI.* Adiuncti d postea sunt Guillelmus Ostiensis episcopus & Petrus S. Mariæ nouæ diaconus Cardinales controuersiæ arbitri, demumque lis Vrbani studio sopita. Cæterum ex ijs intestinis bellis citerioris Siciliæ Fridericus Aragoniæ stirpis vires collegit in Trinacria, illiusque sibi subijciendæ concepta spe, qui antea missis ad sedem Apostolicam oratoribus ad concordiam pronum se ostenderat, & censuris ob retentam auitam tyrannidem exolui supplex flagitarat, pristino abiecto consilio, præfractiorem se ad illius leges exhibuit: cui Pontifex rescripsit e, vt si pacem optaret, idoneа instructos auctoritate oratores mitteret, neque inani specie Apostolicæ sedis expectationem deluderet.

b To. 6. ep. secr. pag. 16. & an. 3. ep. com. 20.

c An. 6. ep. com. 12.

d To. 6. ep. secr. pag. 129.

Fridericus Trinacr. princeps censuris solui flagitat.

Dein a concordia auertitur.

e Ibid. ep. secr. pag. 34.

17 Tuendæ in reliqua Italia pacis studio idem Pontifex vt facilius tyrannicam Bernabonis & Galeacij ambitionem, ac fœderatorum Veronensium reprimeret, fœdus ad septennium cum Carolo Imperatore, Ludouico Rege Vngariæ vtpote ecclesiæ signifero ac defensore, Frãcisco Carraria Patauino, Atestinis marchionibus Ferrariẽsibus, ac Gonzagis Mantuanis, Arnaldi Auxitani archiepiscopi præfecti ærarij opera percussit: cuius initi consilium in publicis ea de re tabulis tum conscriptis illlustratur f, quæ ab his verbis ducunt exordium.

Pontificẽ inter & Imp. & Vngarum fœdus aduersus tyrannos.

f Lib. priu. Rom. eccl. ob 2 pag. 227. & M.S. bibl. Vall. sign. n. 12. pag. 181. ad 186.

In nomine Domini nostri Iesu Christi & gloriosæ virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & totius curiæ triumphantis: ad honorem, statum, & exaltationem sanctissimi in Christo patris & domini nostri Vrbani, diuina prouidente clementia Papæ V. sanctæque Romanæ ecclesiæ, & reuerendissimorum in Christo patrum dominorum S.R.E. Cardinalium, & gloriosissimi ac inuictissimi principis domini Caroli, Dei gratia Romanorum Imperatoris semper augusti & Boemiæ Regis: nec non serenissimi principis domini Ludouici, Dei gratia illustris Regis Vngariæ, & ad conseruationem & statum magnifici & potentis domini Francisci de Carraria pro sacro Romano imperio Paduæ, Feltri, Beluni, &c. vicarij generalis, & dominorum Nicolai, Vgonis, & Alberti fratrum illustrium marchionum Estensium, ac dominorum Guidonis de Gonzaga, Ludouici, & Francisci fratrum & filiorum eiusdem Mantuæ, &c. pro sacro Romano imperio vicariorum generalium. Adiunctæ sunt leges, quibus mutua ope hostium conatus propulsaturi sint, atq; inuicem mutua auxilia in Italia sibi præstituri, ac demum tabulæ pactionis locorum ac temporis testiumque circumstantijs ita consignatæ: *Singula suprascripta acta fuerunt, lecta, & firmata in præsentia reuerendissimi in Christo patris & domini domini Anglici tit. S. Petri ad vincula presbyteri Cardinalis, præsentibus nobili viro domino Nicolao de Spinellis de Neapoli legum doctore cancellario regni Siciliæ, domino Ioanne de Cabrespina decretorum doctore, & domino Ioanne de Senis licentiato in iure ciuili testibus ad prædicta vocatis specialiter & rogatis, anno Domini* MCCCLXVII. *indictione quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Vrbani, diuina prouidentia Papæ V. anno V. præfati die vltima mensis iulij in palatio apostolico Viterbiensi, &c.* Confirmatæ sunt hæ pactionis tabulæ, atque insertæ apostolicis literis, quibus dies ascripta his verbis. *Dat. Viterbij nonis augusti pontificatus nostri anno V.* Anglicum porro, de quo in his tabulis fit mentio, creatum episcopum Albanensem, ditionique ecclesiasticæ præfectum, iussumque Bononiæ consistere, vt nimirum eam vrbem in officio aduersus Vicecomitum insidias contineret, tradit Vrbani vitæ scriptor. a

Alij principes socij.

Anglicus Card. præfectus Bononiæ.

a Gesta Vrb. V. apud Bosq.

18 In Polonia Numinis iustitiæ in diuinorum beneficiorum immemores homicidas editum hoc anno insigne exemplum refert Michouias b: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLXVII. *Bithomienses eius furore acti plebanum & prædicatorem submerserũt, et ex hoc vena argenti & plumbi cessauerunt.* Subdit plures excursiones in Lithuaniam a magistro equitum Prussiæ factas.

Diuinæ iustitiæ exemplũ insigne.

b Michou. l. 4. c. 28. Crom. l. 12.

Dum vero hi bellum in septentrione pro tuenda fide gerere pergunt, ad meridiem Hispani, qui pariter exercere vires in Christi hostes consueuerant, in mutuas neces ferrum strinxerant Henrico Trastamaræ comite Gallicis fulto copijs arreptum regium decus defendente, ac Petro Castellæ Rege Eduardi Aquitaniæ principis viribus instructo regnum repetente. Perstringit Vrbani vitæ auctor c pactiones inter Castellanum & Aquitanum initas, partumque de hostibus triumphum: *Mediantibus thesauris prædictis*, de ijs loquitur, quos Petrus Rex Castellæ auexerat in Aquitaniam, *secum confœderati sunt, sibique fauoribus & auxilijs opportunis assistere promiserunt: pro quorum maiore firmitate dedit duos filios suas, quas secum duxerat, in coniuges duobus filijs Regis Angliæ memorati, ordinauitque earum primogenitam, quam recepit Ioannes dux Lencastriæ, sibi debere succedere in suo regno, vbi ipsum decedere contingeret sine masculo legitimo & naturali. Quibus peractis Odoardus princeps prædictus cum magno exercitu armatorum, ipsum secum ducens, dictum regnum intrauit: dictoque Henrico victo in prælio, fuga tamen præsidio liberato, vi armorum intra paucos dies ipsum ad statum suum dictique regni sui regimen restaurauit: & sic ipso ibidem relicto, triumphator gloriosus ad propria remeauit.* Hæc breuiter auctor, quæ fusius a scriptoribus Hispanicis recensentur.

Castellæ ciuili bello ardet.

c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Petr. Rex ad Aquitaniæ principẽ confugit.

Ab eo regno restituitur.

Non

Non diu reportatæ victoriæ fructu potitus est Petrus Rex: nondum enim confirmato regno, Aquitaniæ a principe Eduardo spe promissorum delusio, atque irarum pleno abscedente, Henricus Trastamaræ comes Gallorum, quibus Eduardi ingrata erat felicitas & amplificatio principatus exosa, auxilijs animatus, in Castellam est reuersus, cum plures adhuc vrbes insignes in ipsius perstarent fide: Iberoque traiecto, crucem in arena expressit, eamque deosculatus vouit, e prouincia non nisi victorem se discessurum; atq; ad cam ceremoniam, vt studia inflammaret, suos astrinxit. Inde concurrentibus ad eum copijs auctus Burgos contendit, & ciuium cupida voluntate acceptus, Iacobum Regem Balearem, qui Petri Castellæ Regis partes secutus, illius ope Balearico regno restitui sperabat, intercepit vinculisque tradidit. Commotus est Iacobi Balearis calamitate Pontifex, ac literis vi. kal. ianuarias datis, Henricum sollicitauit b, vt infelicem Regem, qui diutius in carceribus Aragonicis elanguisset, restitueret libertati: qui postea multa auri vi a Ioanna Regina Siciliæ redemptus est. Reliquas Castellæ conuersiones suo loco prosequemur: nunc Lusitanas adiungimus.

a Marian. l. 17. c. 11. Henrici comitis in Castellã secunda irruptio. Gallicis auxilijs iuuatur.

Iacobus Balearis captus.

b To. 6. ep. secr. pag. 32. Redimitur a Ioanna Neapol.

19 Luxit hoc anno Lusitania Petri Regis obitum, quem sui incredibile desiderium reliquisse, refert Mariana c, ac iustitiæ laude floruisse, sceptrumque annos nouem, totidem menses, dies viginti octo tenuisse: familiarem illi hanc vocem fuisse, indignum regio nomine videri principem, quo die nemini beneficium contulisset. Successit in regno Ferdinandus filius, qui cum oratores ad sedem Apostolicam misisset, vt Christi vicario regia obsequia de more deferret, Vrbanus gratias ei hisce literis egit d, ac pontificia studia est pollicitus.

Petri Regis Lusit. mors. c Marian. l. 17. c. 9. et alij. Insignis illius iustitia. Succedit Ferdinandus filius. d To. 6 ep. secr. pag. 9.

Charissimo in Christo filio Fernando Regi Portugaliæ illustri, salutem, &c.

Serenitatis tuæ literas nuper grataunter recepimus, per quas te excusasti humilitate deuota, quod propter certa impedimenta notoria, postquam fuisti sublimitate regia decoratus, nobis per proprios ambaxiatores eas reuerentiam, obedientiam, & subiectionem filiales, quas vniuersi catholici principes, præsertim in regiminum suorum primordijs Apostolicæ sedi consueuerunt impendere, minime impendisti; ipsasque per easdem suppleuisti literas, te ad nostra beneplacita filialiter offerendo, ambaxiatores eosdem, cum facultas aderit, ad dictam sedem nihilominus transmissurus. De his itaque tuam reuerentiam & deuotam magnitudinem multipliciter commendantes, tuis zelo ad fidem catholicam, ac deuotione præcipua ad Romanam ecclesiam, & alijs virtutibus intellectis, de tua sublimatione regali ingenti lætitia gratulamur, intendentes te brachijs paternæ dilectionis amplecti, ac regium solium & regnum tua prosequi dictæ sedis fauoribus in casibus opportunis, in quibus ad nos recursum habeas cum fiducia filiali. Confortare igitur, fili charissime, Deum time, & omnia bona adijcientur tibi: fidemque catholicam, velut pugil Domini tuearis: cole iustitiam, qua thronus regius stabilitur, agnoscens te ad vindictam malorum, & laudem bonorum fore super alios sublimatum: defende libertatem ecclesiasticam, ia qua Rex regum & dominatium Dominus honoratur; & in deuotione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ sicut amantissimus filius, cui Dominus ad sui laudem & gloriam dies bonos super dies adij-

Pontifici regia obsequia defert.

Ad virtutes sectandas excitatur.

ciat, perseueres. *Dat. Romæ apud S. Petrum iii. kal. decembris anno vi.*

20 Addimus ad huius anni calcem, Vrbanum restituendæ disciplinæ ecclesiasticæ cupidum, cum cæteris præsulibus egregium exemplum curandi sui gregis explicuisset, dedisse operam, vt constitutio apostolica de ecclesijs pastorum præsentia non destituendis seruaretur; data enim ea de re Bernardo Neapolitano & Pino Brundusino archiepiscopis hæc imperia a: *Mandamus, quatenus vos vel alter vestrum omnes & singulos archiepiscopos, episcopos, & abbates aliosque ecclesiarum prælatos, quos in ciuitate Neapolitana, quam mutorum frequentare dicuntur, residere compereritis, ex parte nostra moneatis & inducatis, vt ad eorũ ecclesias seu diœceses residere procurent. Dat. Romæ apud S. Petrum iv. kal. ianuarij anno vi.* Versari etiam in eadem regia aula viri religiosi consueuerant, illecti nimirum rerum caducarum amore, quos magis in suis monasterijs animum rebus diuinis transfundere decuisset: de quibus etiam ad sua cœnobia reuocandis eisdem archiepiscopis partes demandatæ. b

Pastores ad ecclesias redire iussi.

a ib. pag. 47.

Cœnobitæ ad sua monasteria abire imperati.

b Ead. pag.

IESV CHRISTI annus 1368.

VRBANI PP. V. 6. | CAROLI IV. IMP. OCCID. 23. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 28.

1 Sexagesimo octauo huius seculi anno Indictione sexta Bernabos Vicecomes primum fraudibus, deinde aperto furore in ecclesiam grassatus, nouos concitauit motus in Italia, summique Pontificis pium ardorem in reprimenda ipsius tyrannide exercuit. Crescebat in dies tyranni improbitas, ac proferre latius flagitio; principatum moliebatur: atterebat populos vectigalibus: stupris virginum, ac nuptarum mulierum adulterijs erat inquinatissimus: non tuta erat ab eius sæuitia religiosorum virorum innocentia, quos necabat: episcopos aliosque Dei administros eius ambitio conculcabat, indixeratque Romanæ ecclesiæ bellum; denique violatis humanis iuribus, blasphemis vocibus diuinum Numen impetere non perhorrescebat. Ad coercendum itaque furentem hominem arma exercitus Christi vicarius, ve eorum æquitatem illustraret, seruato iudiciorum ordine, legum seueritate tum Bernabonem ipsum, tum omnes eius sequaces constrinxit c: implorauit Caroli Imperatoris vt ecclesiæ defensoris potentiam, cuius etiã ea de causa aduentum anno superiori vrsit, ac fideles ad sequenda eius signa concitauit præmia indulgentiarum amplissima ipsis impertitus, hoc edicto apostolico proposito d.

Bernabos vexat ecclesiam.

In eum districta leges.

c To. 6. ep. secr. pag. 110. 112. & 141.

d An. 6. ep. cur. pag. 207.

Vrbanus, &c. ad futuram rei memoriam.

2 Cogit nos temporis qualitas, & illius profani hostis, & impij Bernabonis de Vicecomitibus militis Mediolanensis nequitia detestanda solicitat, ve eius diris conatibus, quos aduersus Deum & Christi fideles ingeret emolitur, in virtute diuinæ dexteræ obsistentes, prædictorum ecclesiæ & fidelium illatum partium prouidere quieti cautius studeamus. Ipse namque Bernabos, sanctæ matris ecclesiæ viscera semper corrodere satagens, illius alleuatus a ventre, inter cætera eius non facile numeranda facinora ex multo iam tempore ecclesias & ecclesiastica loca, ac Romanæ ecclesiæ & impe-

Proposita eius scelera.

Ccc tij,

rij, de quorum adipe impinguatus & dilatatus existit, & aliarum etiam ecclesiarum ciuitates, terras, & loca per violentiam occupare, & occupata sub seruitute tyrannica detinere, ac ipsarum ciuitatum, terrarum, & locorum cleros & populos, habitatores & incolas tallijs, impositionibus, collectis, & alijs intolerabilibus extorsionibus fatigare, omnemque quasi ipsorum substantiam rapere, & innumeros ex ipsis etiam clericos & religiosos trucidare crudeliter, proscribere, & in exilium relegare; virginum raptus, adulteria, & stupra, sacrilegia & alia nefaria multiplicia perpetrare; ecclesiasticas censuras contemnere, diuinique cultum Numinis impedire; episcopos & alios prælatos, ac ministros Dei capere seu capi, detineri, & arrestari facere, & tam suis, quam suarum ecclesiarum castris, locis, juribus, iurisdictionibus, honoribus, & alijs bonis spoliare, & ne in suis ecclesijs residere, suumque officium ibidem exercere valeant prohibere; libertates & immunitates ecclesiasticas violare, & quasi totaliter absorbere (propter quod, maxime in illis partibus, hæreses pullularunt & schismata, creuit indeuotio populi, diuinus diminutus est cultus; fidelium animæ perditionis exponuntur periculis, iniurijs licentia præstita, & scandala suscitata fuerunt) præterea dictos fideles cleros & populos tot & tantis pressuris afficere, flagellis cædere, & tot miserijs indesinenter affligere (vt in solo fidelium deterior sit conditio, quam olim esset populi Dei sub iugo Pharaonicæ seruitutis) insolenter præsumpsit hactenus & præsumit animo obstinato; quinimmo nouiter in tantam prorupit præsumptionis audaciam, quod gentes & terras ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ pollutis labijs diffidare, & contra eam & eius gentes & terras guerram mouere temere comminatur: nonnullas terras eidem ecclesiæ confœderatorum, eique fidelium & adhærentium per gentes suas hostiliter inuadere non expauit.

Vt bellū indixerit ecclesiæ.

3 O ferum animum, & derelictum ab humanitate virum! O perditionis filium, & damnationis alumnum! Quomodo potuit tanta temeritate repleri, vt nec Deum timeat, nec suos veros in terra dominos recognoscat? Sed prodeat de throno Dei iudicium, & cunctorum fidelium oculi videant æquitatem. Exurgat Deus, & suos dissipet inimicos: exurgat & veniat, vt fidelem populum suum saluet. Exurgat & ipse populus catholicus & fidelis contra tam infructuosum palmitem, pestiferum, & nociuum, nescientem in semitis iustitiæ dirigere gressus suos; sed potius ipsam matrem ecclesiam Romanam, quæ omnium fidelium caput est & magistra, suosque fideles venenosis persecutionibus offendentem. Nosque nihilominus præmissa omnia tam perniciosa exemplo (quæ adeo sunt notoria, & per Italiæ partes omnibus manifesta, quod nulla possunt tergiuersatione celari) diligenter attendentes; ac volentes huic morbo pestifero, per quem magna pars dominici gregis inficitur, de celeri & salubri prout expedit, quantum cum Deo possumus, remedio prouidere; nec non charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum ac Boemiæ Regem illustrem, nobis & sanctæ Romanæ ecclesiæ vinculo speciali coniunctum, ac peculiarem eiusdem ecclesiæ promptissimum defensorem, pro ipsorum ecclesiæ & imperij terris, iuribus, honoribus recuperandis & etiam defendendis, ac vtilitate & quiete publica ad partes Italiæ præsentialiter descendentem, non solum temporalibus sed etiam spiritualibus auxilijs specialiter (cum spirituales & temporales gladij consueuerint, exigente necessitate, sibi adinuicem suffragari, & in iuuamen alterius subuentione mutua frequentius exerceri) prout decet & expedit, adiuuare; dignumque censentes, quod per suffragium mirificæ crucis, quam ipse blasphemus abhorret & despicit, & passum in ea saluatorem nostrum dominum Iesum Christum in suis ministris persequitur, & in ipso domino Iesu Christo omnium fidelium capite ac solido fundamento ministros eius, & sua membra corporis perturbat & lacerat, adiuuetur; ipsos Christi fideles ad huiusmodi iuuamen eidem Imperatori, vt præmittitur, Deo propitio feliciter impendendum, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio decreuimus inuocandos, &c.] Addit indulgentias easdem consecuturos, qui imperialia castra anno integro secuti fuerint, vel subsidiarijs opibus bellicos sumptus iuuerint, atque illi, qui in Syriam pro religione propaganda se conferrent. *Datum apud Montemflasconem Balneoregiensis diœcesis* III. *kal. iunij anno* VI.

Vocatus in auxiliū Imperator.

Proposita eius castra secuturis indulgentia.

Transmissum est hoc diploma a ad archiepiscopos & episcopos in ecclesijs diuulgandum, ac præcipue id muneris Anglico Cardinali Albanensi pontificio in Flaminia legato demandatum b: successerat is in prouincia Andruino Cardinali Cluniacensi, ex qua ille, non nisi ægerrime decedere voluit; adeo vt ab Vrbano acerrime fuerit increpitus c, intentatumque illi anathema, nisi mox gubernacula publicæ rei arciumque custodiam Anglico tradidisset.

a Bod. l.6. ep. cur. pag.148.

b Ib. super pag.107.

c Ib. pag. 84.

4 Ingressurus vero Italiam Carolus Imperator Petrum episcopum Curiensem oratorem ad Vrbanum misit, vt armorum imperialium potentiam illius obsequijs contra hostes addiceret: ad quem Vrbanus refertas hasce pluribus paternæ beneuolentiæ signis litteras dedit d, ac vicissim ad recuperanda imperij iura se non defuturum est pollicitus.

Carolū Imp. in Vrbanum officia.

d Tom. 6. ep. secr. pag.103.

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto.

Bonum nuntium de terra longinqua, videlicet venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Curiensem ambaxiatorem tuum latorem præsentium eo iucundius vidimus & audiuimus diligentius, quo tam literæ tua manu conscriptæ, quam idem episcopus expectatum diutius felicem celsitudinis augustalis aduentum ad partes Italiæ, tuæque personæ sanitatem, & lætum promptumque animum veniendi certius nuntiarunt: & illa eximiæ tuæ deuotionis immensitas ex eo nostram lætitiam augmentauit, quod (prout continebant dictæ litteræ, & præfatus episcopus retulit) ad seruiendum Deo secundum beneplacitum nostrum venis sanus & lætus; & quod per omnia secundum nostram te vis regere voluntatem. Hæc, fili charissime, verba sunt Christianissimi principis, & deuotissimi Romanæ ecclesiæ filij, tui sancti propositi demonstrantia puritatem, vt ad seruitium tui Saluatoris, cui sacrificium debet voluntatis impendi lætanter, accedas per eius in terris vicarij regimen dirigendus. Et licet tali directione non egeas, cum sis magna prudentia redimitus; nihilominus tamen, vbi fuerit expediens, tibi sicut dilectissimo filio sinceris affectibus paterna impendemus consilia, & fauoribus apostolicis assiste-

Vt illi futurit obsequentissimus.

De mutuo pontificatus & imperij fœdere.

stemus; intendentes vice versa tuis prouidis vti consilijs, ac sperantes eandem ecclesiam in suis opportunitatibus imperialibus fauoribus adiuuari sic, quod mutuus amor ecclesiæ & imperij prædictorum solidatus conctis appareat, ac nostra & tua, sicut nunc est, sic semper perseueret identitas voluntatum, prout idem episcopus, qui imposita sibi per te apud nos fideliter & prudenter impleuit, plenius referre poterit oraculo viuæ vocis. *Dat. Romæ apud S. Petrum IV. non. maij anno VI.*

a Ead. pag.

b Ib. pag. 159.

5 Stiparunt in ea expeditione Italica Carolum Henricus Goritiæ comes & Salisburgensis archiepiscopus, alijque proceres, quibus actæ ab Vrbano gratiæ a. Secutus etiam esset imperialia castra Rodulphus dux Saxoniæ b ob eximium in ecclesiam studium; sed implicitus ægritudine Saxonicis copijs Albertum nepotem præfecit. Antequam vero ingrederetur Italiam Imperator, a Petro Caselio Apostolicæ sedis internuntio solicitatus, vt vetera Romanæ ecclesiæ iura, ab Henrico auo Imperatore confirmata, sua etiam auctoritate corroboraret, cum ab Henrici temporibus Pontifices in Italia non fuissent versati, ac plures rerum conuersiones essent exortæ tyrannique ditionem ecclesiasticam inuasissent, ac parta scelere deinde iuris inani colore affectarent; nec deessent qui superiores imperium inter & ecclesiam discordias accendere molirentur, vt eximio in ecclesiam studio affectus erat, mox assensit; atque amplissimo diplomate c, in quod geminas Henrici Imperatoris de iuribus ecclesiæ Romanæ literas retulit, singulas illius prouincias, vrbesque insignes atque earum agros maiorum pietate collatos pari liberalitate Romanæ ecclesiæ asseruit.

Romanę ecclesiæ priuilegia instaurata a Carolo.

c Ext. in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2 pag. 153. & in MS. bibl. Vallicell. sign. lit. B. n. 12 pag. 107. illius publica documenta.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter. Amen. Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus & Boemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Literas celebris & recolendæ memoriæ D. Henrici Romanorum Imperatoris semper Augusti aui & prædecessoris nostri charissimi, quas sacrosanctæ sedi Apostolicæ deliberatæ prouisionis officio erogasse noscitur, pro sedis ipsius reuerentia rite vidimus, ac ipsas de nostris imperialibus registris extrahi, & coram nobis aperte legi mandauimus, quarum tenor per omnia sequitur in hæc verba: *Sanctissimo in Christo patri & domino suo domino Clementi sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici Henricus, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus cum reuerentia debita pedum oscula beatorum.* Dudum, antequam suscepimus imperij diadema, &c. [Subijcit Henrici Imperatoris literas d Clementi V. postquam Romæ solemni ritu insignibus imperialibus fuit redimitus, transmissas anno huius seculi duodecimo pridie nonas iulias regni anno IV. imperij I. quæ a nobis suo loco historiæ insertæ sunt e. Ijs vero profitetur Henricus, vt nuncupati antea sacramenti religione se exoluat, imperij iam conscenso apice omnia ecclesiæ Romanæ iura confirmare, quæ cum primum Rex Romanorum est designatus agnouisset; affertque in medium datas ea de re Lausanæ literas, transacto ante biennio, nimirum anno a Virginis partu millesimo trecentesimo decimo V. id. octobris regni anno II. His subdit Carolus].

Repetitæ Henrici literæ.

d Ext. etiā in lib. priu. Rom. eccl. to. 3. pag. 139.

e Annal. to. XV. an. Chr. 1312 n. 40.

6 Verum quia propter absentiam dominorum summorum Pontificum partium Italiæ, ac etiam nostram multę nouitates in terris prædictæ ecclesiæ ac terris nostris Romani imperij sunt exortæ, multæq; rebelliones factæ sunt hinc inde tam per populos terrarum prædictarum, quam etiam per tyrannos in illis partibus, quæ contra Romanam ecclesiam & imperium perperam rebellarunt post concessionem & datam literarum prædictarum, cum tempore illo nullus Romanorum Pontificum in partibus Italiæ fuerit commoratus; & ideo propter lapsum temporis nouitatesque & rebelliones prædictas posset pro tempore de iuribus Romanæ ecclesiæ esse dissensio inter Romanum Pontificem, & occupatores terrarum prædictarum, ac eas in futurum occupare volentes; nec non quæstiones & scandala inter Romanam ecclesiam & imperium prætextu dictarum terrarum propter diuersas adinuentiones, opiniones, & oblocutiones æmulas tyrannorum, ac etiam rebellantium populorum posset futuris temporibus suboriri & etiam generari; nos volentes prædictis obuiare periculis, pacemque inter Romanam ecclesiam & imperium perpetuis temporibus nutrire ac etiam confouere, & omnia tollere, per quæ possit oriri dubietas occasione terrarum, & prouinciarum prædictarum, indemnitatique & securitati Romanæ ecclesiæ prouidere, pro parte domini nostri summi Pontificis super hoc per venerabilem Petrum de Caselio præpositum Nemausensem nuncium suum cum instantia requisiti, quia tam per registra prædicta, de quibus tenorem dictarum literarum de verbo ad verbum extrahi & superius inseri fecimus, quam per concessionem dicti Henrici aui & prædecessoris nostri factam Romano Pontifici, de qua nobis est plenius facta fides, sumus de iure Romanæ ecclesiæ plenarie informati, ideo dictas literas & contenta in eis priuilegia, prouinciasque & terras in eis nominatas, & prout singulariter in eis describuntur, cum omnibus iuribus & iurisdictionibus, limitibus, terminis, & confinibus earundem ex certa scientia pro nobis & successoribus nostris ratificamus & confirmamus, ac etiam innouamus, & ipsas recognoscimus ad ius & proprietatem Romanæ ecclesiæ cum omni plenitudine pertinere. Et nihilominus de nostræ imperialis maiestatis plenitudine dictam marchiam Anconitanam cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus suis integraliter & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem, exarchatu Rauennæ & Pentapoli, ac Romandiolæ & Bertinorij comitatibus cum ciuitate Bononiensi, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus suis integraliter & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem; vallem quoque quæ Spoletana dicitur, siue ducatum cum comitatibus Perusij atq; Castelli cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem: Massam quoque, quæ Trabaria nuncupatur, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem; Patrimonium etiam B. Petri in Tuscia cum ciuitatibus Tuderti, Narniæ, Vrbisueteris, & Reate, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem; comitatum quoque Sabinæ cum ciuitate Interamnensi cum arce Cæsarum & terra, quæ di-

Obsoleuerant ecclesiæ iura ob Pōtificum absentiā.

Prouinciæ iuris ecclesiastici.

eitur Arnulphorum cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem; comitatum quoque Campaniæ & Maritimæ cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem; nec non Romam & Ferrariam cum omnibus etiam ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem sententiamus, decernimus, pronunciamus, ac etiam declaramus & recognoscimus ad Romanam ecclesiam, iusque & proprietatem ac possessionem ipsius ecclesiæ plenissimo iure spectare, ac omnimode pertinere.

7 Et insuper, sicut prædictus Henricus auus & prædecessor noster ex abundanti dictas terras & prouincias donasse dicitur sanctæ Romanæ ecclesiæ prælibatæ, propter multos curiosos in partibus Italiæ constitutos, qui inter se disceptant de his, quæ ad eos non pertinent, de iuribus sanctæ Romanæ ecclesiæ & nostri sacri imperij contendentes, conantes (quantum in eis est) inter dominum summum Pontificem & nos & sacrum imperium zizaniam & discordiam seminare, & etiam inuenire, vt eorum rebelliones & malitias valeant palliare; ideo dictas prouincias, loca, ciuitates, & terras, prout supra plenius declarantur, cum omnibus limitibus, terminis, & confinibus suis integraliter & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem, Romanæ ecclesiæ ac domino nostro Vrbano Papæ V. eiusque successoribus Rom. Pontificibus ex superabundanti quitamus libere & dimittimus ac renunciamus omnino; nec non ad omnem scrupulum & ambiguitatis dubium remouendum, prout melius & efficacius fieri & intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus, & donamus de nouo; promittentes & obligantes nos (prout melius possumus) quod nullo vnquam tempore occupabimus vel occupari (quantum in nobis est) permittemus ciuitates, loca, castra, terras, & prouincias supradictas, vel aliquam ipsarum, aut earum partem, nec in ipsis vel aliqua ipsarum aut earum parte ius aliquod reclamabimus in futurum, & omnia alia promittimus, quæ in prædictis literis Henrici per ipsum fuerunt promissa; & contra ipsa vel eorum aliqua non facere, vel attentare, aut venire per nos vel alium quomodolibet in futurum, quocumque colore quæsito, seu quacumque occasione captata; alias literas nostras quascumque sub quacumque verborum expressione super præmissis vel aliquibus eorum alias per nos datas per concessionem præsentium nullatenus reuocantes: immo ipsas in eorum vigore volumus penitus remanere. *Signum serenissimi principis & domini domini Caroli IV. Romanorũ Imperatoris inuictissimi et Boemiæ Regis. Testes huius rei sunt venerabiles Albertus Pataviensis, Lambertus Spirensis, Ioannes Brixinensis, Gerardus Nuemburgensis, & Otho Mindensis ecclesiarum episcopi; illustres Albertus & Leopoldus fratres Austriæ & Carinthiæ duces, Ioannes Iodocus eius filij marchiones Morauiæ, spectabiles Ioannes de Habesburg, Burchardus Burgrauius Magdeburgensis, Ioannes & Burgardus de Retz comites, &c. sub bulla aurea typario imperialis nostræ maiestatis impressa testimonio literarum. Dat. Viennæ anno Domini MCCCLXVIII. indictione VI. III. id. aprilis regnorum nostrorum anno XXII. imperij vero XIV. Ego Ioannes Dei gratia Olomucensis episcopus sacræ imperialis aulæ cancellarius vice reuerendi in Christo patris domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi, sacri imperij per Italiam archicancellarij, recognoui.*

Cedit Carolus prætensis in eas iurib.

8 Ex Austria paulo post in Italiam irrupit, vt quæ edictis iura ecclesiæ more maiorum confirmauerat, etiam armis aduersus tyrannos tueretur: ac primum Veronam se contulit a, & Scaligeros Bernabonis fœderatos plurima auri vi mulctatos gratiæ restituit. Dein copias in Bernabonem eduxit, vt elatos illius spiritus compesceret, ac Mantuanos, quos inuaserat Bernabos, defenderet quibus tempore ecclesiæ fœderatis subsidio accurrere rogatus erat b: sed nil magnum in ea expeditione explicuit. Pacem cum Bernabone ipsum confecisse antequam Italiam ingrederetur, refert Mutius c: in quo admodum a vero abhorret. Id autem constat, Bernabonem vt seruiret tempori, ne ardui cum Imperatore belli periculis se committeret, pacem poposcisse ab Vrbano d, ad cuius preces Carolus in Italiam accesserat; ac Pontificem Anglico episcopo Albanensi in Flaminia legato, qui Mediolanensi bello præerat, prouinciam XI. kal. septembris dedisse, vt ex sociorum consilio fœdus redintegraret, ac solemnibus missis oratoribus a sede Apostolica flagitaretur, vt pactionis tabulæ ab ipsa confirmarentur.

Caroli in Italiam expeditio.

a To. 6. ep. secr. pag. 93.

b Dubr. l. 22. hist. Boem.

c Mutius l. 25.

Bernabos pacem a Pontifice efflagitat.

d To. 6. ep. secr. pag. 145.

Non leues tum in Etruria excitati motus: quibus sedandis Pontifex curas applicuit, atque in primis fluctuantes Senenses confirmauit in Caroli amicitia e, ac sinistras suspiciones ex eorum animis detersit, iique inita cum Imperatore pacta seruare decreuerunt. Tum dedit operam f, vt Florentinos, qui plura aduersus imperialem dignitatem ac vetera pacta patrarant, ad officium reuocaret: ipsosque grauissimis literis monuit, vt illatas sarcirent iniurias, futurum se pacis interpretem pollicitus: hortatusque est, vt mitterent oratores, cum Imperator æqui & concordiæ amantissimus controuersiam omnem sedis Apostolicæ arbitrio permitteret. Iussi quoque Pisani g erepta Lucanæ ecclesiæ restituere; ac misso Nicolao Pisauriensi episcopo internuntio ad pacem cum Florentinis ineundam redacti h. Cohibere etiam ipsos admodum potuit præsentia in Italia Caroli Imp. cuius iura inuaserant. Is vero vt pronus erat ad pacis consilia, ita imperij iura in Etruria asseruit, vt controuersias sine fuso cruore diremerit i. Conuenit dein Vrbanum Carolus Imperator, vt non modo cum ipso de Christiana re amplificanda tuendaue ageret, verum Imperatricem etiam Elisabetham, (cuius nuptiarum occasione accessum in Italiam retardasse, refert Dubrauius l) insignijs imperialibus a Pontifice exornandam adduceret. Agit ea de re Vrbani vitæ scriptor m, ac narrat Carolum Imperatorem equitaturo Christi vicario Romæ stratoris officium exhibuisse, ac peditẽ rexisse equi lora: *Eodem* inquit, *anno de mense octobri Carolus Romanorum Imperator venit Viterbium ad dictum Vrbanum Papam*. Nonnullisque interiectis de illius in Insubria gestis, quæ aurea attulimus, subijcit: *Quum enim Viterbij (vt præmittitur) adijsset, ex ordinatione mutua versus Romam eum præcessit, ipsumque post sequentem expectauit in introitu Vrbis: ibi scilicet in porta, quæ est iuxta castrum S. Angeli, de suo equo descendens, stratoris vicem gessit, ac vsque ad basilicam B. Petri pedester equi Papæ frænum tenens, ipsum dextrauit, ac demum vsque ad altare maius deduxit; mansitque in Roma ex-*

e Ibid. ep. secr. pag. 103. 104. 164. & 177.

Moniti Florentini vt restituant imperij iura.

f Ib. pag. 176.

g Pag. 159.

h Ib. pag. 54.

Composita a Carolo Etruria.

i Mutius ver. Germ. l. 25.

l Dubrau. hist. Boem. l. 22.

m Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Caroli cũ Vrbano colloquiũ.

Ingredienti Romã Pontifici stratoris munus exhibet.

Imperatrix tituli solemni corona redimita.

expectando aduentum Imperatricis. Quam demum die omnium sanctorum in altari B. Petri dictus Vrbanus Papa per prius inunctam per episcopum Ostiensem Cardinalem, prout moris, coronauit. Quo facto dictus Imperator satis cito post recessit de Vrbe, versus Bononiam dirigens gressus suos, secumque duxit ex ordinatione Papæ dominum Guidonem de Bolonia episcopum Portuensem Cardinalem, quem descendendo de Italia suum vicarium constituit, & in Luca suam mansionem ordinauit. Quod factum ad Pontificis gratiam videtur, vt si Bernabos vel alij, reuerso in Germaniam Imperatore, iterum iura ecclesiæ inuaderent, Guido Cardinalis vires imperij in eos conuerteret.

Franciscus e Ceccano Campaniam vexat.

Ante eiusdem imperatoris in Vrbem aduentum, Franciscus e Ceccano tumultibus Campaniam & Maritimam impleuit, ac rapinis, sæuitia, stupris, ferro ac flamma eas prouincias fœdauetat. Ad quem comprimendum Vrbanus legum seueritatem exercuit, ac fideles ad corripienda in eum arma, vti in Bernabonem egerat, propositis indulgentiarum præmijs, inflammauit [a] breuique redactus ad officium est vir improbus, quem etiam Imperatoris accessus merito terrere potuit: ac veniam deprecaturus liberi commeatus syngrapham postulauit, obtinuitque a Pontifice [b]. Agebat tum apud Montemflasconem Pontifex, vbi æstatem duxit, clementiorem aerem collecturus: quod oppidum sede episcopali ac pluribus alijs ornamentis decorauit, vt narrat ipsius vitæ auctor [c]: tam addit excessisse in eadem vrbe Cardinalem Capocium, qui multarum virtutum laude florebat; cuius insignia elogia ex eodem decerpemus.

a An. 6. pag. 121.

Repressus.

b Pag. 130 & 135.

Monsflascone sede episcopali insignitus.

c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Nicolai Capocij Card. obitus.

Illius in pauperes benignitas.

9 *Eodem anno die XXVI. mensis iulij obijt in dicto loco dominus Nicolaus de Capocia episcopus Tusculanus Cardinalis Romanus, vir vtique magnæ literaturæ, zelator maximus iustitiæ, & pauperum continuus sustentator: diebus enim singulis per hospitalia panem, vinum, & alia cibaria in domo sua præparata abundanter faciebat distribui & pauperibus ministrari. Vltraque de ipso duo laudabilia notanter referuntur, primo quod in consistorijs & concilijs sic libere & intrepide locutus est, quod propter neminem siue præsentem siue absentem omisit dicere illud, quod sua conscientia sibi dictabat. Secundo cum esset valde practicus in decisione & prosecutione causarum, amore Dei & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos sciebat iustas fouere causas, consilia dabat, eorum processus videbat, positiones & articulos ac alia eis ad hoc opportuna dictabat, formabat, & ordinabat, salaria etiam notariorum procuratorum, aduocatorum de proprio ministrabat, & etiam quæcumque victus necessaria, secundum quod eorum inopia exigebant. De bonis etiam a Deo sibi datis in studio Parisiensi fundauit & dotauit nobile collegium pauperum scholarium, quod S. * Sophoniæ voluit nominari, fecitque etiam multa bona ecclesiæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, vbi iacet miraculis coruscando.*

Extructũ ab eo collegium Parisijs.

*al. Sophia

Auctum est haud multo post Cardinalium collegium, viris insignibus ad eam dignitatem vocatis, quorum nomina atque munera idem auctor percenset: *Eodem anno die XXII. mensis septembris, quæ fuit feria sexta quatuor temporum, præfatus Vrbanus Papa in Monteflascone dominos Guillelmum Iudicis S. Mariæ in Cosmedin & Stephanum Alberti S. Mariæ in Aquiro antiquos diaconos Cardinales in presbyteros ordinauit: & etiam die septima alios in presbyteros Cardinales noniter assumpsit, videlicet dominum Philippum Cabacola Aucitonensem, tunc patriarcham Ierosolymitanensem: Simonem de Langars Anglicum, tunc archiepiscopum Cantuariensem monachum ordinis S. Benedicti: Bernardum de Bosqueto Caturcensem, tunc archiepiscopum Neapolitanum: Ioannem de Normannis Gallicum, tunc episcopum Beluacensem & cancellarium Regis Franciæ: Stephanum de Parisijs Gallicum tunc episcopum Parisiensem, Petrum de Banbaco diœcesis Lemouicensis abbatem Montismaioris: & Franciscum de * Cabaldesis Romanum tunc priorem basilicæ S. Petri de Vrbe.* Agit de ijs Contelorius a præter alios in suo Cardinalium elencho.

Purpuratorum pa[t]rũ creatio.

*Tebaldeschius

a Consel. in elench. Card.

Cum vero ægre ferrent Romani se Pontificis præsentia destitui, missis oratoribus ipsum sollicitarunt, vt in Vrbem rediret: quibus, exaratis apud Montemflasconem kal. octobris literis, breui eos se aditurum respondit [b]: ac mox Viterbium se contulit, vbi ac postea Romæ maximo Carolum Imperatorem honore excepit, atque Imperatricẽ solemni ritu imperiali diademate cinxit, vti antea diximus, cum cœpta de Carolo oratio abrumpenda non esset.

b To. 6. ep. secr. pag. 174.

10 Neque ab Imperatore solum hoc anno Pontifex Romæ salutatus est, verum etiam antea a Petro Rege Cypri ac Ioanna Siciliæ Regina: quorum aduentum Vrbani vitæ scriptor narrat his verbis [c]: *Præterea eodem mense*, martij scilicet, *ad ipsum Romam venerunt Ioanna Regina Siciliæ & Petrus Rex Cypri superius nominati: & cum tunc occurrerit dominica, Lætare Ierusalem, in qua consueuit dari per Papam rosa aurea viro nobili, tunc in curia existenti, dictam rosam memorata Ioanna tanquam nobiliori, maiori, & excellentiori, licet vir non existeret, dedit; Regi prædicto ipsam in hoc præferendo: quæ more solito demum cum Cardinalibus & alijs nobilibus per Vrbem equitauit.* De Petro Cypri Rege inferius, cum de rebus orientalibus agemus: nunc cœptam de Ioanna Siciliæ Regina orationem prosequimur. Flagitauit illa pontificiam opem, cum Ludouicus Audium comes, expugnata Tarrascona, immissoque vagorum militum exercitu Prouinciæ inhiaret. Neque Ioannæ Vrbanus defuit, Carolum enim Gallorum Regem rogauit [d], vt fratrem a cœptis reuocaret: tum Caroli Imperatoris supremi Prouinciæ domini clientelam Reginæ conciliauit [e]. Deterritum itaque comitem cœptis destitisse, scribit Vrbani vitæ auctor [f]. At Ludouicus Vngariæ Rex, qui Prouinciam ac Siciliæ regnum iure hereditario ad se suosque deuoluenda contendebat, missis oratoribus, Vrbanum deprecatus est, vt curas apostolicas intenderet, ne regnum illud ad exteros deuolueretur: cui hæc rescripsit Pontifex [g].

c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Regina Siciliæ & Cypri Rex Vrbanum adeunt.

Prouincia ab Andiũ comite affectata.

d To. 6. ep. secr. pag. 54.

e Eod. pag.

f Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri salutem &c.

g To. 6. ep. secr. pag. 147.

Dilectos filios nobiles viros, Ioannem de Ludbreg olim Dalmatiæ & Croatiæ banum, ac Ioannem Teeutel de Nenna milites ambaxiatores tuos latores præsentium ad nostram præsentiam destinatos, & dilectum filium nobilem virum Stephanum Francisci militem Iadrensem eorundem ambaxiatorum interpretem gratanter recepimus, in eis quodammodo tuæ celsitudinis præsentiam contemplantes; dictumque Stephanum prudenter ac facunde proponentem, quod regnum Siciliæ tuæ serenitati debetur, & quod moleste ferres, si ad extraneos deueniret, & quod licet charissimam in Christo filiam nostram Ioannam Reginam Siciliæ illustrem in vita sua turba-

Regis Vngari ad Vrbanum legatio.

te minime intenderes, tamen congruis remedijs prouidere volebas periculo, quod posset post dictæ Reginæ obitum euenire; multaque prudenter referentem, quę ad hæc regium animum inducebant, concludentemque vt dignaremur eandem tuam iustitiam condignis habere commendatam fauoribus, sæpe audiuimus diligenter. Ad quæ, præmissis laudum præconijs, quibus tuam deuotam magnificentiam merito possumus & debemus extollere, sincerissimoque affectu, quem ad te gerimus, duximus respondendum, quod in ministratione iustitiæ, in qua sumus omnibus debitores, non erit (Deo iuuante) defectus, nec etiam in gratijs & fauoribus, in quantum patiatur conscientia, & ius alterius non lædatur. Hæc igitur, fili charissime, tam exposita, quam secundum decentiam apostolicæ grauitatis responsa, ad maiorem tuam certitudinem tuæ sublimitati præsentibus duximus intimanda. *Dat. apud Montemflasconem VI. kal. septembris anno VI.*

Poscit cōsuli suis suorumq; in Siciliā iuribus.

Promissū illi aurita iura illibata fore.

11 Instituta est ab Vrbano religiosa actio de Carolo e Blesis sanctorum catalogo apponendo, cum sanctitate vitæ & miraculis floruisse increbresceret; scriptæque eo argumento extant XVII. kal. septembris literæ a ad Ioannem ducem Britanniæ, qui ipsum in acie, dum certabat de principatu, necarat b. Cum vero nonnulli religiosi viri sanctorum honores illi deferrent, cui decreti ab ecclesia non fuerant, ab Vrbano acerrime perstringi meruerunt c.

Carolus e Blesis opinione sanctitatis floret.

a To. 6. ep. secr pag. 160.
b Gesta Vrb V I. apud Bosq.
c Lib. 6. ep cur. pag. 171.

Vniuersis episcopis per ducatum Britanniæ constitutis.

Molesta significatio ad nostrum perduxit auditum, quod quidam religiosi etiam ordinum mendicantium Carolum de Blesis, tanquam pro iustitia mortuum, martyrem & sanctum in ecclesijs, in prædicationibus, & alias astruere moliuntur; ac singulis annis in eius anniuersario in diuinis officijs solemniter efferunt, prout de sanctis ab ecclesia Romana approbatis in eorum solemnibus festiuitatibus per ipsam ecclesiam obseruatur: personisque sepulturam ipsius Caroli visitantibus quædam signa plumbea tradunt, sicut euntibus ad sepulchra sanctorum in certis tradi partibus consueuit, & aliter eum venerari non verentur, ac si foret vt sanctus per sedem Apostolicam approbatus. Cum itaque talia sint a iure prohibita, nec debeant sub dissimulationis pallio tolerari, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris ciuitatibus & diœcesibus præmissa vel similia per eosdem religiosos, etiam si Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum ordinum existant, aut alias quascunque personas de cætero attentari districte prohibere curetis; contradictores cuiuscunque status, ordinis, sexus, vel conditionis existant, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, &c. *Dat. apud Montemflasconem XVII. kal. octobris anno VI.*

Obiurgati qui sine iudicio sedis Apost. SS. honores illi exhibuerūt.

12 Induxerant quoque in Italia nonnulli religiosi viri similes corruptelas, ac duobus sodalibus suis defunctis, quos beatos temere vocitabant, sanctorum honores contulerant: quorum audaciam Pontifex repressurus, Petrocinum archiepiscopum Rauennatem eiusque suffraganeos episcopos eiusmodi abusum remouere iussit d.

Nonnulli religiosi temere suorū sodalium memoriā consecrāt.

d Ib. pag. 161.

Venerabili fratri Petrocino archiepiscopo Rauennati, eiusque suffraganeis.

Molesta significatio ad nostrum perduxit auditum, quod quidam fratres Prædicatorum & Eremitæ S. Augustini ordinis, in prouincia Rauennate degentes, ac eandem legi facere non verentes, Prædicatores videlicet quemdam Iacobum Prædicatorum, Eremitæ vero fratres prædicti quemdam Francischinum Eremitani ordinis percussum ictu fulminis & extinctum non sanctos, cum sit eis sub tali vocabulo a iure prohibitum, sed beatos publice in plateis & eorum ecclesijs in prædicationibus, & alias astruere moliuntur; ac singulis annis in anniuersarijs seu diebus obitus eorundem in diuinis officijs solemniter efferunt, prout de sanctis ab ecclesia approbatis in eorundem etiam solemnibus festiuitatibus per ipsam ecclesiam obseruatis: ac populos fideles inducunt, vt in ipsis anniuersarijs seu diebus ab operibus manualibus abstineant, & (quod quæstus suspicione non caret) vt ad ecclesias, in quibus eorundem Iacobi & Francischini humata sunt corpora, catervatim pergant, ac solemnes oblationes faciant verbis persuasiuis inducunt. Altaria quoque sub prædictorum Iacobi & Francischini vocabulis in suis ecclesijs præsumpserunt erigere, ac si forent vt sancti per sedem Apostolicam approbati, &c.] Dat Rauennati archiepiscopo ac suffraganeis prouinciam, vt incussa censurarum religione, ac implorata magistratuum potentia, eos religiosos viros, nisi parerent, a superstitiosis ausis abducerent. *Dat. apud Montemflasconem kal. septembris anno VI.*

Subornāt simplices.

Cohibiti.

13 Vt autem data opera coercendæ superstitioni, quæ immeritis afficiebat honoribus defunctorum animas, de quibus in cælū receptis conspicuis miraculis ab ecclesia Romana, qua par est, diligentia discussis non constaret, ita de augendis sanctorum honoribus, quorum cultum & venerationem ecclesia suscepisset, Vrbano cura fuit. De ostensis enim ab eo magna veneratione & pompa sanctorum Petri & Pauli Apostolorum capitibus hæc tradit eiusdem Pontificis vitæ scriptor a: *Anno Domini MCCCLXVIII. iam inchoato, die prima mensis martij dictus Vrbanus Papa venit ad ecclesiam Lateranensem, vbi cum in crastinum in sancta sanctorum missam celebrasset, capita sanctorum Petri & Pauli, quæ annis multis fuerant recondita, & sub altari in quo missam celebrauerat clausa seruata, ascendens amphitheatrum dictæ ecclesiæ ad communem plateam aspectum habens toti Romano populo sibi astanti exhibuit & ostendit: & cum thecæ seu capsæ, in quibus pro tunc erant reposita, essent satis modica & parui valoris, ex tunc alias nouas ordinauit fieri pretiosiores.* Subiungit, interiectis pluribus, idem auctor, altero post sequentem anno conflata magno sumptu duo Apostolorum signa, ac lapillis pretiosis ornata, in ijsque sacra illorum capita recondita: *Eodem*, inquit, *anno*, scilicet MCCCLXX. *cum dictus Vrbanus Papa iam fecisset fieri seu fabricari imagines seu statuas pro conseruandis capitibus beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ erant de auro & argento mirabiliter operatæ, ornataque multis gemmis & lapidibus pretiosis, valorque earum communi æstimatione esset ad triginta millia florenorum & vltra; deuote & solemniter astantibus multis personis, magnis, & notabilibus, capita dictorum sanctorum reponi & includi fecit infra ipsas: quæ etiam demum fuerunt processionaliter & publice, vniuersis clero & populo Romanis ad hoc conuocatis, præsentibus etiam aliquibus dominis Cardinalibus & prælatis, per Vrbem deportata, & demum collocata supra altare Lateranense in loco seu alto & eminenti ciborio*

a Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Capita Apostolorū Petri & Pauli ostensa populo.

Argenteis signis ab Vrbano inclusa.

rio, super quatuor columnas marmoreas ad hæc specialiter miro opere præparato, magnisque & fortibus cannis ferreis circumdato. Visitur adhuc opus.

14 Confirmantur superiora de ijs sanctorum Petri & Pauli signis pretiosissimis apostolico diplomate post biennium edito a, in quo Pontifex ad coercendam hominum non modo ex auaritia ecclesiarum thesauros diripientium, verum etiam e præpostera pietate reliquias sacras expilantium temeritatem, grauissimas pœnas ijs incussit, qui vel capita Apostolorum, aut veræ crucis portionem, vel alia sacra lipsana aut ornamenta ipsorum subriperent.

a To. 8. ep. secr. pag. 155.

Vrbanus &c. ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio in earum reliquiarum direptores.

Sacrilegorum damnanda præsumptio eo est grauior, & durius castigari meretur, quo in locis venerabilioribus rebusque sacrioribus fuerit perpetrata. Cum itaque nos ad reuerentiam Dei & beatissimorum Apostolorum suorum Petri & Pauli duas eorundum Apostolorum imagines argenteas deauratas, ac margaritis & lapidibus pretiosis ornatas ponderis mille ducentarum marcharum argenti, super quarum alteram videlicet verticem B. Petri est vna crux aurea parua gemmis pretiosis ornata, in qua est de ligno crucis domini nostri Iesu Christi, decoro sumptuosoque opere fecerimus fabricari, ac in ecclesia Lateranensi super altare maius venerabiliter collocari, in eisque sacratissima capita dictorum Apostolorum & alias reliquias sanctorum ibidem, ad maiorem venerationem ipsorum Apostolorum & deuotionem fidelium recondi, perpetuis temporibus permansura; dignum & ad cautelam reputamus expediens, quod vt ipsa crux, capita, reliquiæ, & imagines duæ, capsæ paruæ argenteæ, in quibus præfata sacratissima capita olim in ecclesia S. Laurentij ad sancta sanctorum, prope ipsam Lateranensem ecclesiam consistente, retroactis temporibus fuerant conseruata, custodita, & intacta permaneant, pœnas graues contraria præsumentibus inferamus. Omnes igitur & singulos, &c.] Percellit anathemate omnes quacumque, etiam regia, imperiali, vel ecclesiastica dignitate polleant, qui eas reliquias vel ipsarum partem diripere, vel ornamenta earum expilare, vel quacumque alia ratione temerare auderent: tum eius criminis participes iisdem pœnis denincit, & eorum ditionem ecclesiastico interdicto subijcit, adijcitq; alias grauiores pœnas, quas in posteros transfundendas sancit, vt illarum acerbitate improbi submoueantur. *Dat. apud Montemflasconem v. kal. augusti pontificatus nostri anno VIII.* Hæc licet anno huius seculi septuagesimo gesta, congerere tamen hoc loco visum est, ne eadem repetere cogeremur.

S. Thomæ Aquin. corpus Tolosam translatũ.

15 Hoc anno translatæ sunt ex Italia in Gallias S. Thomæ Aquinatis reliquiæ, ac Tolosa tanto ornamento decorata, de quibus Vrbani vitæ auctor hæc scribit b: *Eodem anno ex ordinatione apostolica & voluntate dicti Vrbani Papa corpus S. Thomæ de Aquino, quod a tempore obitus sui tumulatum remanserat in monasterio Fossæ nouæ ordinis Cisterciensis, vbi decessit, translatum fuit ad conuentum Prædicatorum Tholosæ, vbi per ministerium Eliæ Raimundi tunc generalis magistri dicti ordinis*, & interiectis paucis quæ mendo non carent, *fuit sibi sepulchrum miræ pulchritudinis præparatum. Habetur ibi vsque in præsens tempus in magnis deuotione & veneratione.* Certatum de ijs S. Thomæ reliquijs grauissime coram Vrbano fuerat, cum Cistercienses Fossænouæ, quibus sacrum illud pignus fuerat ereptum, reposcerent; Prædicatores vero, vt præcipuum sui ordinis ornamentum optarent. Quam controuersiam S. Antoninus, re altius repetita, latamque ad Prædicatorum gratiam Vrbani sententiam his verbis refert a: *Cum esset in Monteflascone, in vrbe orta est magna altercatio inter ordinem Prædicatorum & monachos Cistercienses de corpore B. Thomæ de Aquino: conquerebantur enim monachi monasterij Fossænouæ dicti ordinis, ab ecclesia sua fuisse eis ablatum corpus B. Thomæ, quod ibi fuerat tumulatum: nam pergens ad concilium generale Lugdunense de mandato domini Gregorij X. infirmatus in via ad dictum monasterium iuxta castrum Piperni situm in Campania declinauerat, vbi in Domino requieuit: & quoniam mandasset dictus sanctus migrans, corpus suum Neapolim ad conuentum Prædicatorum deportari tempore congruo, non adhuc illud fuerat impletum ex causis; sed iacuerat ibi per annos septuaginta quinque a die transitus sui. Quidam enim potentia fretus de castro Piperni tractabat occulte auferre sacrum corpus B. Thomæ ex abbatia, & magnam pecuniam pro traditione eius ab aliqua recipere: sed cum hoc percepisset dominus ciuitatis Fundorum nomine Honoratus, horrens hoc sacrilegium, odians venerabili abbate dicti monasterij & Fundensi episcopo, abstulit ipsum corpus mira redolens fragantia odoris de loco abbatiæ, & detulit in ciuitatem suam Fundorum, cum diligenti custodia & reuerentia illud seruans. Demum cum dictus comes Honoratus Romam pro suis negotijs applicasset, ibique inuenisset generalem magistrum ordinis Prædicatorum Eliam nomine, ad preces eius frequentes (videns se non posse apte illud retinere, cum etiam Rex Apuliæ illud habere peroptaret) eidem patri corpus ipsum & ordini consignauit, in conuentu dicti ordinis Fundensi collatum.*

b Gesta Vrb V. apud Bosq.

a Ant. 3. p. tit. 22. c. 10 in princip.

Vt de ijs Cistercienses contenderint cũ Prædicatoribus.

Interea monachi ordinis Cisterciensis accedunt ad curiam, magnam sibi iniuriam factam prælatis curiæ querulantes in ablatione sancti corporis de monasterio suo; ad pedes etiam Apostolicæ sedis Vrbani, tunc Romæ existentis, vociferantes: super qua curia pene tota commota erat contra ordinem Prædicatorum ex illa querela. Cumque pluribus excursis diebus in hac contentione diutius fuisset exasperata, mutatur Pontificis mens, & superueniente solemnitate corporis Christi, cum sermo fieret coram Vrbano & multis Cardinalibus & baronibus de officio ipso magnifice edito per ipsum beatum Thomam ad requisitionem Vrbani IV. acclamantibus cunctis, dignum fore in munus recompensationis tam diuini operis, ab Vrbano iniuncti, ab ipso Vrbano successore corpus eius ordini concedi; demum Vrbanus sacrum corpus ordini perpetua concessione donauit. Elia ergo generali accedenti, & immensas referenti gratias, ait Vrbanus: Tibi tuoque ordini reddidi sacrum corpus: sed ne tanti doctoris caput a corpore sit diuisum, ipsum tibi caput ecclesiæ gratiæ gazophylacium auctoritate apostolica concedo. Mandauit autem ipsum corpus deferri Tolosam, scribens studio Tolosano, sancti extollens gloriam, & approbans apostolica auctoritate doctrinam.

Velis de tempta...tis.

16 Vsus est Pontifex religiosis eiusdem ordinis viris ad hæreseon subnascentes venenatas stirpes excindendas, ac Simonem ea de causa in citeriori Sicilia censorem fidei creauit b, quem archiepiscopis & episcopis commendauit. Adhibiti etiam ad id muneris in Perusino agro Minoritæ c: tum Gaillelmus Narniensis episcopus

b To. 6. ep. secr. pag. 16.

c Pag. 70.

plu-

plurima auctorirate ad Fraticelles, qui simplicibus prauorum dogmatum virus afflabant, reprimendos instructus a; nondum enim eam lucem extinctam, ex apostolicis querelis constat: *In quibusdam*, inquir Pontifex, *Italia partibus erant quamplurimi a via veritatis prorsus auersi, euntes per deuium falsitatis, ac sub Fraticellorum nomine reprobatos conuenticulos facientes, qui præfata detrahere fidei, & simplicium animas decipere fallacibus argumentationibus, quas pater mendacij antiquus hostis eos docuerat, clandestine conabantur, &c.* At non impune tulere ij hypocritæ flagirium, vinculis enim sunt tradiri Perusij, cuius vrbis magistratus, vt fidei censoribus operam conferrent, solicirari. Grassatos tamen ipsos Perusij aliquot post annis, ac Minoritis conflasse inuidiam, quod sb arctiore panpertatis obseruantia deficerent, refert Lucas Vvadinghus b. Nitebâtur ij hoc errore, Christum & Apostolos proprio caruisse: quem cum Dionysius Minorita Parisijs in suorum schola theologica instauraret, multis inanibus argumentis (præcipuum erar, legem diuini amoris proprietatem & dominium auferre) in ius vocatus ab academiæ Sorbonicæ præsidibus, dicta reuocare iussus est, vt referunt publica ea de re monumenta c, confirmantque pontificiæ in hac controuersia datæ superiori anno extremo literæ. d

a Pag. 62.

Fraticelli errores dissemi nant.

b Vvadin. annal. Minor. to. 4. ann. Chr. 1374 n. 22.

c Extat to. 4 bibl. patr. col. 1337.

d An. 7. ep com. pag. 222.

Dilecto filio Ioanni S. R.E. presbytero Cardinali olim episcopo Beluacensi.

Nuper non sine amaritudine mentis ex insinuationibus percepimus fidedignis, quod olim Dionysius Soulechat ordinis fratrum Minorum professor, tunc in studio Parisiensi consistens, in suo ad commissam sibi lecturam libri sententiarum principio apud dictorum fratrum scholas ex more illorum, qui ad huiusmodi lecturam pro tempore assumuntur, curiositatis (quæ plus nititur sæpe quam oportet) reprobo spiritu, ductus multas conclusiones recitauit & tenuit minus sanas, & sinceritati fidei minime congruentes. Super quibus ipso Dionysio dilectis filijs cancellario & magistris in theologia & studij prædicti delaro, ipsi cancellarius & magistri, suum in hac parte debitum exequentes, super hoc congregati quamplures (quia eis constitit tum ex inspectione dicti principij per ipsum Dionysium propria manu scripti, tum etiam per informationes & probationes mulrimodas super hac eis rite præhabitas, quod Dionysius prædictus conclusiones tenuerat antedictas) præfati cancellarius & magistri conclusionibus ipsis cum exacta diligentia maturoque consilio recensitis, earum aliquas hæreticæ nequitiæ fermento infectas, nonnullas vero ecclesiæ determinationi contrarias, & multas earum scandali causatiuas concorditer decreuerunt. Et vt scandali materia tolleretur de medio, orthodoxæque fidei veritas illibata persisteret, prædicto Dionysio in eorum constituto præsentia inhibuerunt ac interdixerunt, ne legendi exerceret officium, donec per eos super hoc aliud existeret ordinatum. Cuiusmodi quidem inhibitionem & interdictum ipse Dionysius sub quodam fictæ humilitatis prætextu rata (sicut subsequens rei euentus de huiusmodi fictione docuit) se habere asseruit, atque grata; & iuxta certam circa hoc a dictis cancellario & magistris in scriptis traditam ei formam, ac per eum perlectam, & irrefragabiliter acceptatam coram dictis cancellario & magistris præsentialiter congregatis, easdem conclusiones reuocauit. [Addit Pontifex, Dionysium ipsum pollicitum in solemni cœtu eadem se reuocaturum, die imminente subterfugisse; atque ideo delatum de crimine hæreseos apud Stephanum episcopum Parisiensem postea Cardinalem, nec non apud sacræ fidei censores, postulatumque iudicio non comparuisse, sed Auenionem se contulisse, atque in celebri theologorum conuentu dicta reuocasse: at mox, cum se purgare nireretur, nouis erroribus veteres cumulasse, subdir Vrbanus].

Dionysius pseudominorita hæresim eorum disseminans Parisijs.

Academia Sorbonica illi se opponit.

Agitata cōtrouersia in curia Romana.

Dilectum filium nostrum Ioannem tit. S. Marci, & bonæ memoriæ Guillelmum tit. S. Laurentij in Lucina, tunc S. Georgij ad velum aureum diaconum, presbyteros Cardinales ad audiendum declarationem suam super conclusionibus præfatis auditores per nos sibi obtinuit deputari: coram quibus, nec non magistris in facultate prædicta, qui tunc erant in curia memorata, & ad hoc per dictos Cardinales vocati fuerant, idem Dionysius circa huiusmodi declarationis actum, si erroneæ deprauationis augmentum declaratio dici posset, in quosdam alios expresse prorupit errores, detestabiliorem & perniciosiorem, quam conclusiones supradictæ, perfidiam & insaniam continentes secundum eorundem redargutionem & iudicium magistrorum. [Additur, versutum hominem ad alia diffugia mox se conuertisse. Ad quem demum reprimendum comprehendi illum iussit Vrbanus, atque intentato anathemate prima aprilis die Parisijs errores suos publice reuocare, Ioannique Cardinali decidendæ illius causæ auctoritatem contulit]: Circumspectioni, *inquit*, tuæ (de qua in his & alijs fiduciam gerimus in Domino specialem) tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus circa reuocationem errorum prædictorum per ipsum Dionysium assertorum faciendam per eum, ac circa pœnas eidem Dionysio pro iuramentorum & promissionum transgressionibus infligendas, nec non emendam præstandam ab illo & correctionem ipsius, ascitis & in hoc assistentibus cancellario prædicto ac magistris in facultate prædicta, de ipsorum consilio legitimis per dictos Stephanum Cardinalem tunc episcopum & inquisitorem habitis seruatis processibus, appellatione remota, præuia ratione procedas; faciens quod decreueris auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum x. kal. ianuarij pontificatus nostri anno vi.*

Dum se purgare nititur Dionysius errores auget.

Captat diffugia.

Eius causa ad Ioanē Card. & Sorbonicos delata.

17 Damnauit publice proximo anno Dionysius Parisijs, vt sanxerat Pontifex, Ioannis Cardinalis decretoria sententia errores suos, extantq; publica documenta, in quibus hæc inter alia leguntur a: *Tertia conclusio articuli quarti fuit hæc, quod hæc benedicta, immo suprabenedicta lex & dulcissima, videlicet lex amoris de qua loquebar, omnem aufert proprietatem & dominium*. Et infra: *Prædictam conclusionem reuoco tanquam falsam, erroneam, & hæreticam, quia Christus & Apostoli illam legem perfectissime tenuerunt, & adhuc multi tenent, & per Dei gratiam tenebunt, qui proprietatem & dominium habebunt*. Et infra: *Conclusio quarta & finalis mea fuit, quod actualis abdicatio cordialis voluntatis, & temporalis potestatis dominij seu auctoritatis statum perfectissimum ostendit & efficit*. Et infra: *Dicunt hanc conclusionem esse positam vniuersaliter, ideo ipsam vniuersaliter intellectam dico falsam, erroneam, & hæreticam, quia nec Christus nec Apostoli statum perfectissimum ha-*

Reuocata ab eo errores.

a To. 4 bib. patr. pag. 1337.

Christum & Apostolos habuisse dominium profitetur.

Actualem abdicationem dominij perfectissimū statum vniuersaliter non inducere.

habuissent. Et infra: *Ex prædicta conclusione quarta inferebam primum corollarium, quod Christum non abdicasse huiusmodi possessionem & ius in temporalibus, non habetur ex noua lege, immo potius oppositum, quia Matth. VIII. Filius hominis non habet vbi caput reclinet. Item secundum corollarium est istud, quod hanc legem pro regula perfectionis Christus docuit, & exemplo confirmauit. Probaui per regulam nunc dictam: Vade, & vende, &c. Etiam quia vocati omnia dimiserunt, Matthæus teloneum, Petrus & alij retia, Matth. XIX. Ecce nos reliquimus omnia. Ista duo corollaria reuoco tanquam falsa, erronea, & hæretica, & contra decretalē domini Ioannis, quæ incipit, Quia quorundā.* Et infra: *Præterea fuit corollarium quartum, quod intuli, quod abdicatio rerum temporalium secundum animi præparationem nullam aut valde imperfectam & fragilem ostendit & perficit perfectionem. Probaui primo, quia semper habent pauperes. Secundo quia non valet nisi ratione actus, igitur actualis est perfectior. Istum articulum reuoco tanquam falsum & scandalosum, nec probationes sunt ad propositum. Item respondendo ad quemdam baccalaureum de domo B. Bernardi, cum ille dixisset, quod Christus talia non abdicauit; illud negaui, & dixi quod Christus nihil sibi retinuit. Ista duo dicta reuoco tanquam falsa & hæretica, quia Christus loculos habuit propter infirmos, a fidelibus oblata conseruans, quæ & suorum necessitatibus & alys indigentibus tribuebat; vt & Christi euangelium & B. Augustinus, ac etiam determinatio Romani Pontificis hæc testantur.* Et infra: *Item cum debui exponere dicta mea in curia Romana corā reuerendissimis patribus dominis Cardinalibus Nemausensi & Vobrensi, addidi propositiones, quæ sequuntur, videlicet quod Christus in monte omnia simpliciter abdicauit. Istam reputa tanquam falsam, erroneam, & hæreticam. Item dixi, quod quando corpus in sepulchro mansit, ibi charitas abstulit ab eo omnem proprietatem & dominium. Istam reuocaui tanquam falsam, erroneam, & hæreticam, &c.* Hactenus damnatæ hæreseos formula.

De abdicatione secundū animi præparationē

An Christus aliquid sibi retinuerit

18 In Bosnia plures ex fœdissimarum hæreseon erroribus emersere præcipuis Minoritarum laboribus, quos Vrbanus episcopo Bosnensi, vt ipsos sua fulciret auctoritate, commendauit [a]. Neque in Bosnia modo, verum in Rascia quoque & Bulgaria innumera animarum millia ab impietate reuocata Ludouici Regis Vngariæ pio armato studio: egregius enim princeps, vt S. Ludouici episcopi confessoris propatrui precibus diuinitus datus Vngariæ fuerat, ita latissime ad propagandum diuini Numinis cultum arma circumtulit, abducto in vincula Stratimiro, innumerasque animas ad pietatem traxit: in quibus erudiendis Minoritæ plurimum laboris impendere. Gratulatus est Pontifex Ludouico, ac prouinciam Colocensi archiepiscopo & episcopo Cenadiensi se dedisse, vt sacerdotes ad neophytos excolendos legaret, significauit. [b]

a Tom. 6. ep. secr. pag. 131.

Bosnia ab hæresi per purgata.

b Ibid ep. secr. pag. 130.

Charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Repleuit ingenti gaudio mentem nostram acceptissima Deo & nobis relatio, nuper per dilectos filios Ioannem de Rheno & Andream de Perusio ordinis fratrum Minorum de Bulgariæ, Rasciæ, & Bosnæ venientes partibus nobis facta, inter cætera continens, quod inspirante illo, qui vbi vult spirat, ad tuam inductionem & cooperationem pijssimam, ac fratrum dicti ordinis in dictis partibus commorantium prædicationem, multa millia personarum vtriusque sexus, relictis damnabili schismate alijsque erroribus, quibus erant & fuerant omni tempore inuoluti, ad lumen veræ fidei, ac vnitatem & obedientiam sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris & magistræ cunctorum fidelium redierunt. De quo non solum nobis, sed vniuersæ congregationi fidelium talia sentientium, quam tanta multitudine augeri procurasti deuotissimis studijs, & cœlesti etiam curiæ ingentem lætitiam attulisti: nam si testante veritate, quæ Christus est, super vno peccatore pœnitentiam agente angelis Dei sit gaudium, quanto maius illud existimandum existit, quod de tantæ multitudinis conuersione noscitur exoriri? Proinde itaque Deo, a quo omne datum optimum progreditur, gratias referentes, & tuam Christianissimam serenitatem dignis laudum præconijs extollentes, plenis affectibus rogamus & hortamur eandem, quatenus huiusmodi tua studia laudanda continuans, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Colocensi & episcopo Cenadiensi (quibus per apostolicas literas committimus & mandamus, vt de sacerdotibus, qui curam gerant conuersorum huiusmodi solerter prouideant, & eisdem fratribus ad alios cooperante Domino conuertendos assistant) velis pro reuerentia Dei & tuo & nostro ineffabili præmio, ac reuerentia Apostolicæ sedis dare consilium, auxilium, & fauorem; ad conuersionē aliorum schismaticorum & hæreticorum ac infidelium, quibus regnum tuum vicinum existit, omnem (quam poteris) prout de te sperat sancta mater ecclesia, operam præbiturus. *Dat. apud Montemflasconem II. id. iulij anno VI.*

Ludouici Vngari egregia in fide propaganda facinora.

Actæ illi de cōuersis eius beneficio populis gratiæ.

Excussisse postea Bulgariam Ludouici iugum, ac Bassarath Regem schismaticum Bodonio, alias Bindim vrbe regia proditione potitum fuisse, ex Pisano memorat Vvadinghus [a]: captos vero Minoritas quinque in illius vrbis expugnatione atque ob fidem orthodoxam amplificatam a schismaticis supplicio affectos, multisq; cœlestibus prodigijs inclaruisse; adeo vt lapsa cœlo lux ingens eorum corpora circumfunderet & concentus angelici audirentur.

a Vvadin. in annal. Minorit. an. 1369. n. 11.

19 In Albania Strazimirus, Georgius, & Balsa principes damnasunt schisma, atque ad Romanæ ecclesiæ obsequium se contulerunt. Cum vero ij bello vexassent antea Catharenses, quos Romanæ ecclesiæ vidimus adhæsisse, Vrbanus ipsis pollicitus est [b], admissum iri in gratiam, si a Catharensium iniuria sibi temperarent.

Nonnulli Albaniæ principes ecclesiæ se aggregat.

b Tom. 6. ep. secr. pag. 104.

Nobilibus viris Strazimiro & Georgio ac Balsa fratribus Zapanis Zente gratiam in præsenti, per quam obtineant gloriam in futuro.

Spiritus noster exultauit in Domino, qui sicut ex relatione venerabilis fratris nostri Petri episcopi Suacinensis latoris præsentium per vos super hoc ad nostram præsentiam destinati percepimus, misericorditer dignatus est vobis tribuere intellectum, vt relictis schismatis & errorum tenebris & vmbra mortis æternæ, in quibus hucusque mansistis, incipiatis animabus vestris, & subditorum vestrorum prudenter consulere, & lumen agnoscere veritatis; intendentes ad obedientiam & deuotionem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris & magistræ cunctorum fidelium reuerenter, & cordibus sinceris accedere, in eisque perpetuo remanere; ac a nobis qui, licet immeriti, sumus in terris Christi vicarius, instrui qualiter debeatis in via mandatorum Domini ambulare. De ijs igitur laudandis princi-

pijs

pijs Deo, qui vos sua gratia præuenit & (si pura intentio in mentibus vestris vigeat) sequetur indubie, deuotas gratias agimus, & vos plurimum commendamus, intendentes vos, si nostris & dictæ ecclesiæ mandatis deuote parebitis, in filios spirituales recipere & tenere, ac prosequi fauoribus opportunis. Vt autem mereamini ad gratiam reconciliationis admitti, ac obtinere Apostolicæ sedis beneuolentiam & fauorem, a molestijs ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, aliorumque catholicorum obedientium dictæ Romanæ ecclesiæ; præsertim ciuitatis Catharensis, quam iamdiu a vobis, seu te, Georgi, hostiliter molestari percepimus, curetis penitus abstinere, vt in ijs & alijs vestram intentionem purissimam ostendatis. Super quibus & alijs, per vos agendis in dictæ vestræ reconciliationis negotio, præfatum episcopum duximus informandum, cui super ijs quæ vobis ex parte nostra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere. *Dat. apud Montemflasconem Balneoregiensis diœcesis VIII. kal. iunij anno VI.* Extant aliæ ad eosdem gratulatoriæ de schismate damnato literæ a, rogatique sunt, vt episcopi a sede Apostolica missi consilijs obsequerentur.

Monentur, vt a Catarensib. vexandis abstineant.

a Ead. pag.

20 In Cretæ insula, Veneto imperio obnoxia, nonnulli sacerdotes Græci vetus schisma confirmare annitebantur: cuius excindendi solicitus Vrbanus, cum ex superiori bello dux Venetus potentiam suam, profligatis perduellibus, magis constabiliuisset, sanxit Vrbanus b, vt nullus sacerdotio initiaretur, nisi qui Romanæ ecclesiæ obsequio se adhærescere comprobaret, diuinaque Latino ritu peracturum profiteretur: qui vero sacerdos hunc non seruaret, neque exhomologesibus excipiendis, neque habendis concionibus adhiberetur.

Græculi in Candia schisma confirmant.

b An. 6. ep. cur. 75.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Cretensi, eiusque suffraganeis.

Communis habet assertio, & verisimilitudo etiam astruit, quod damnatum schisma Græcorum, ex quo, dum ecclesiam contempserunt, & catholicum correctorem recipere, proh dolor! pullulauit hæresum multitudo & pullulare non cessat, calogerorum & sacerdotum malitia intellectum deprauans laicorum simplicium versuta seductione confouit & adeo confouere non cessat, quod cum aliqui seculares etiam præpotentes volunt ad gremium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris & magistræ fidelium cunctorum accedere, a calogeris & presbyteris impediuntur eisdem, vbi catholicorum temporale dominium non existit. Cum itaque, sicut grate nuper audiuimus, in insula Cretensi, in qua vestræ consistunt ecclesiæ, dilecti filij dux & commune Venetiarum super Latinos & Græcos plenius solito dominetur, & ecclesiastica censura per auxilium brachij secularis possit melius solito executioni debitæ demandari, propter quod dictum schisma de præfata insula, Deo fauente, poterit (vt verisimiliter speratur & creditur) modis accommodis extirpari; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus quilibet vestrum in suis ciuitate & diœcesi auctoritate nostra districte inhibeat, ne aliquis scholaris, seu laicus literatus Græcus de insula supradicta insigniatur de cætero charactere clericali, vel promoueatur de cætero ad quoscumque ordines, nisi per Latinum episcopum aut Græcum catholicum, per cuius literas de sua promotione faciat plenam fidem; & ij, qui ex talibus fuerint in presbyteros ordinati, missas & alia diuina officia iuxta ritum, quem præfata Romana seruat ecclesia, debeant celebrare: adijcientes quoque inhibitioni iam dictæ, quod nullus calogerorum seu sacerdos Græcus, præfatum ritum non seruans, de cætero audeat confessiones audire, vel populo prædicare, &c. *Datum apud Montemflasconem V. kal. augusti anno VI.*

Vrbani in eos decretum.

Promouendi ad ordines esse catholicum profiteri iussi.

Diuina ritu Latino peragere.

Hunc nõ seruantes, concionibus & piaculario munere interdictis.

IESV CHRISTI

Annus 1369.

VRBANI PP. V. annus 7. — CAROLI IMP. OCCID. 24. IO. PALÆOL. IMP. OR. 29.

1 Contulit se ad sedis Apostolicæ obsequium, ac professurus solemni ritu fidem orthodoxam Græcorum Imperator Ioannes Palæologus Romam accessit anno huius seculi sexagesimo nono indictione septima, quem magnis honoribus, omniq; officiorum genere ab Vrbano & collegio Cardinalium exceptũ, refert ipsius Pontificis vitæ scriptor a: *Anno*, inquit, *prænominato, scilicet* LXIX. nimirum excurrentis seculi, *ad dictum Vrbanum Papam Romæ existentem accessit Ioannes Palæologus Imperator Græcorum, fuitque receptus honorifice, ac tractatus per dictum Papam & Cardinales paulo minus quemadmodum si fuisset Imperator Romanorum: qui demum fuit reductus ad Romanæ ecclesiæ vnitatem, iurauitque eidem perpetuo obedire, ac fidem ipsius seruare in futurum; super quo chartam Græce & Latine conscripsit, et sua bulla aurea sigillauit, quam in archiuis ecclesiæ conseruandam dicto Papæ assignauit.* Extant tantæ rei gestæ monumenta b Græcis Latinisque literis consignata, quibus Palæologus diuina se luce collustratum, veteres errores eiecisse affirmat: & ex præscripta a Pontifice formula Romanæ ecclesiæ fidem, atque inter cætera Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, sacramentum Eucharistiæ æque in azymo ac fermentato confici posse, denique Christi vicarij supremum in omnes ecclesias imperium profitetur.

a Gesta Vrb. V. apud Bosq. Imp. Cõstantinop. Vrbanum adit.

Profitetur fidem catholicam.

b Ext. in tabulario arcis S. Ang. & in lib. priuil. Rom. eccl. tom. 2. pag. 270.

2 *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Ego Ioannes in Christo Deo fidelis Imperator & Romæorum moderator Palæologus Spiritus sancti lumine illustratus, volens saluti animæ meæ prouidere, sponte veni ad sacram vrbem Romanam, sanctissimum patrem dominum Vrbanum, diuina prouidentia Papam V. & sanctam sedem Apostolicam visitaturus, ac eiusdem domini Papæ vel alterius seu aliorum ab eo in hac parte deputatorum manibus recogniturus & professurus fidem catholicam, quam sacrosancta Romana & vniuersalis ecclesia profitetur, tenet, & docet; & circa perpetuam obseruantiam einsdem fidei præfati domini Papæ ac suorum successorum Romanorum Pontificum mandatis plenarie & efficaciter pariturus. Ideoque in præsentia vestrum, reuerendissimi patres domini Guilielme episcope Ostiensis & Bernarde basilicæ duodecim Apostolorum ac Francisce tit. S. Sabinæ presbyteri, & Raynalde S. Adriani diacone Cardinales commissarij super hoc a præfato domino Papa deputati, ac venerabiles viri eiusdem sedis notarij & testium infrascriptorum personaliter constitutus, profiteor & credo sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coessentialem & consubstantialem, coæternam & coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis, & maiestatis: creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia,*

Publica de ea re monumẽta.

De Deo vno & trino.

in

in quo omnia, quæ sunt in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia, corporalia & spiritualia. Item credo, singulam quamque in Trinitate personam vnum verum Deum plenum & perfectum.

De Christo.

Credo ipsum Filium Dei verbum Dei æternaliter natum ex Patre, consubstantialem, vnius & eiusdem omnipotentiæ, & coæqualem per omnia Patri in diuinitate, in tempore conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria semper virgine cum anima rationali, duas habentem natiuitates, vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum

Et duplici in ea natura in vnitate personæ.

verum & hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum: non adoptiuum, neque secundum phantasiam; sed verum & vnicum filium Dei in duabus & ex duabus, diuina scilicet & humana, naturis: sed in vnius singularitate personæ impassibilem & immortalem diuinitate: sed in humanitate pro nobis & salute nostra passum vera carnis passione, mortuum, & sepultum: & descendisse ad inferos, & tertia die resurrexisse a mortuis

Et alijs illius mysterijs.

vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, & anima ascendisse ad cælum, & sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique secundum opera, sua siue bona fuerint siue mala. Credo etiam Spiritum sanctum plenum & perfectum, verumque Deum ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coessentialem & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio. Credo hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuisibilem, & incommutabilem.

Credo sanctam catholicam & apostolicam vnam esse veram ecclesiam, in qua vnum datur baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credo veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam. Credo etiam noui & veteris testamenti, id est legis & veteris & noua, prophetarum & Apostolorum vnum esse auctorem Deum & dominum omnipotentem. Credo hanc esse veram fidem catholicam, & quod hanc super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, & propter diuersas hæreses a quibusdam ex ignorantia, & ab alijs ex malitia introductas

De Baptismo non iterando.

dicit & prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos; sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum: quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari; & ad pœnarum huiusmodi

De purgatorio.

alleuiationem & liberationem prodesse eis fidelium viuorum suffragia, scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt secundum ecclesiæ instituta. Credo etiam illorum animas, qui post

Et paradiso.

sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post con-

Et inferno.

tractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus vel eisdem exutæ, prout dictum est superius sunt purgatæ, in cælum mox recipi: illorum autem

Et limbo patrorū.

animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana

Et extremo iudicio.

ecclesia credit et firmiter asseuerat; et quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis proprijs rationem.

Quis sacramentorum numerus.

*Item credo, sicut tenet etiam & docet eadem ecclesia Romana, septem esse ecclesiastica sacramenta: vnum scilicet baptisma, de quo dictum est supra: aliud est sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos: aliud est pœnitentia: aliud est Eucharistia: aliud est sacramentum ordinis: aliud matrimonij: aliud est extrema vnctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo sacrificat ecclesia Romana prædicta, tenens & docens, quod in ipso sacramento panis vere * transmutatur in corpus, & vinum in sanguinem domini nostri Iesu Christi.*

*al. transsubstantiatur. Transsubstantiatio fit in Eucharistia.

De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir simul plures vxores, nec vna mulier simul habere permittitur plures viros: soluta vero lege matrimonij per mortem alterutrius coniugum, secundas & tertias & deinceps nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum & causa alia non obsistat.

De nuptijs.

De primatu Rom. eccl.

Ipsa quoque sacrosancta Romana ecclesia summum & plenum primatum & principatum super vniuersam catholicam ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe sine vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse, veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri: ad quam potest grauatus quilibet in negotijs, ad forum ecclesiasticum pertinentibus, appellare. Sed & in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius recurri potest iudicium, & eidem omnes ecclesiæ sunt subiectæ: ipsarum episcopi obedientiam & reuerentiam sibi debent: apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, patriarchales præcipue, diuersis priuilegijs eadem Romana ecclesia honorauit; sua tamen præcellenti dignitate & superioritate tam in generalibus concilijs, quam in quibuscumque alijs semper salua.

3 *Vnde suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, sanctam, & orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipsamque, prout eam veraciter tenet & fideliter docet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inuiolabiliter seruaturum, & in ea omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo tempore recessurum, seu quoquo modo diuiaturum promitto: & abrenuncio omni schismati. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor & recognosco, accepto ac sponte suscipio, & me omnia præmissa tam circa fidei veritatem quam circa dictæ ecclesiæ Romanæ primatum, et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam & perseuerantiam seruaturum, præstito corporali iuramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. Quod si contra hæc aliquid sentire, confiteri, aut aliud agere præsumpsero, me schismaticum & anathematizatum eo ipso recognosco, & seueritati sacrorum canonum subiacere. Ad certitudinem prædictorum & cautelam maiorem præsens iuramentum exposui, & instrumentum feci bulla aurea munitum. Scriptum in antiqua Roma anno ab incarnatione Domini MCCCLXIX. indictione VII. die XVIII. mensis octobris, suprascripti sanctissimi patris & domini domini Vrbani, diuina prouidentia Papæ V. anno VII. præsentibus domino Nicolao Cardinale & venerandis in Christo patribus dominis Dei gratia Arnaldo archiepiscopo Auxitano camerario & Raimundo de Pratis notario præfati domini Papæ, ac Raimundo*

Huic se subijcit Palæologus.

Fo-

Foroiuliensi, Iacobo Aretino, & Bernardo Marsicano episcopis: ac venerabilibus viris dominis Eblone de Mederio & Petro de Albiartz clericis cameræ, ac Gauselmo de Pradello capellano præfati domini Papæ; nec non nobilibus viris dominis Francisco Cataluisy de Ianua domino insulæ Metelini, & Michaele Strongila milite & Philippo Cichandelli domicello Constantinopolitanis, ambobus vltimis scientibus linguas et grammaticas Græcas et Latinas, testibus ad hæc specialiter vocatis et rogatis. Qui quidem domini Eblo et Petrus clerici cameræ apostolica auctoritate tabelliones seu notarij rogati etiam fuerunt de præmissis conficere publicum instrumentum.

Qui testes interfuerint.

14 Aggregato ita cœtui fidelium Græcorum Imperatore, Pontifex encyclicis literis vniuersos catholicos de re adeo insigni certiores fecit a idibus nouembris, vtque ipsum tanquam catholicum, qua par erat, beneuolentia complecterentur, fulcirentque auxilijs est adhortatus: *Vniuersitatem*, inquit, *eandem rogamus et hortamur in Domino, quatenus præfatum Imperatorem tãquam verum eiusdem ecclesiæ filium, nostris veluti sui patris præceptis in omnibus obedire paratum, in dictis fide et obedientia permanentem reputetis catholicum, sicut nos etiam reputamus; ac ipsum habeatis charitatiuis vestris auxilijs et fauoribus commendatum: nos enim speramus, quod idem Imperator, prout ipse nobis fuit pollicitus, gratia Dei nostrisque fauoribus communitus, circa conuersionem & reductionem aliorum in huiusmodi schismate persistentium talem solicitudinem adhibebit, quod ipsi schismatici allicientur, et dante Deo efficaciter inducentur. Datum Romæ apud S. Petrum anno* VIII. nimirum post VII. id. nouembris a qua die numerantur Vrbani pontificatus anni. Illustres sunt de eodem literæ sequentis anni exordio ad Andream Contarenum ducem Venetorum scriptæ b, quibus Palæologum ingentes sui spes, vt exemplo Constantini magni innumeros populos ad ecclesiam trahat, concitasse ait: rogatque vt validis illum auxilijs ad Turcarum, qui extremum orientali imperio exitium inferebant, retundendos impetus muniat.

a To. 8. ep. secr. pag. 4.

Promulgat Pont. Græc. Imp. esse catholicũ.

b Ib. pag. 34.

Vrbanus etc. Andreæ Contareno duci Venetiarum.

Ad Venetum ducẽ de eo lit.

5 Sacrosancta Romana ecclesia, mater & magistra cunctorum sacra vnda baptismatis renatorum, exemplo illius boni patris vtique sui sponsi, qui filium prodigum a suo gremio deuiantem progressum eminus longoque tempore commoratum in deuio, sed in humilitatis spiritu redeuntem, paterna charitate suscepit, sedula imitatrix, filiorum deuiantium reditum desiderio materno desiderat, anxiaque inquisitione procurat, regressos amplectitur, & circumdat pretiosis fidei vestimentis: lætatur ab intimis, lætantiumque parat conuiuium; cum iustus ex fide viuat, & olim deuius cum alijs domesticis sit in domo Domini conuicturus. Hanc siquidem ingentem lætitiam nuper eadem ecclesia ex diuina miseratione suscepit, cum charissimus in Christo filius noster Ioannes Palæologus Imperator Græcorum illustris ad sanctam sedem Apostolicam in spiritu deuotionis accessit, abiurauit omne schisma, ac fidem catholicam, quam tenet & docet præfata ecclesia, professus est secundum formam, quam sibi fecimus exhiberi; & de parendo deinceps mandatis ecclesiæ corporaliter præstitit iuramentum: pieque speratur, quod sicut quondam Constantini Imperatoris conuersio fuit causatiua conuersionis innumerabilium populorum, sic eius-dẽ Ioannis Imperatoris exemplo & opere, gratia fauente diuina, infiniti populi, schisma & errores Græcorum sectantes, ad caulã Domini reducentur.

Concepta spes de Græcorũ conuersione.

Volentes igitur tuam tuorumque ciuium deuotionem eximiam tantæ alacritatis esse participem, vt cum matre gaudente filialiter gaudeatis, hæc tibi & eisdem ciuibus duximus præsentibus intimanda, vt tu & ipsi de tanti boni principio gratias agatis domino Deo nostro, eum deprecantes humiliter, vt omnes hæreticos & schismaticos eruat ab erroribus vniuersis, & dignetur ad eandem matrem ecclesiam reuocare. Cæterum quia idem Imperator, vtpote princeps catholicus, a cunctis est Christi fidelibus de cætero confouendus, & ipsius imperium ex sæua deuastatione & occupatione Turcorum hostium crucis immanium quasi ad extremum exterminium est deductum, tuo & aliorum catholicorum auxilio noscitur indigere; nobilitatem tuam hortamur in Domino & rogamus attente, quatenus ob reuerentiam Dei fideique præfatæ augmentum eidem Imperatori, in deuotione ac obedientia dictæ ecclesiæ persistenti, contra dictos Turcos velis de possibili tibi auxilio subuenire. *Dat. Romæ apud S. Petrum IV. kal. februarij anno* VIII. Adducere in eiusdem gloriæ societatem annisus est Pontifex Gabrielem Adurnium Genuensium ducem, ad quem conceptæ ijsdem verbis extant datæ literæ, a vt Imperatori Ioanni auxilia submitteret.

a Ibid.

Dum vero Pontifex vindicandi a Turcarum sæuitia Græcorum imperij versabat consilia, fœderatas Anglicas cateruas, quæ Italiam vastabant traducere in orientem est meditatus: ita enim & Italiam ab eorum excursionibus liberandam, & Græcis valida subsidia conciliatum iri, ac pariter vagos milites a latrocinijs abducendos. Apostolico itaque diplomate Ioanni Imperatori permisit b, vt sociales turmas sibi ascisceret duceretque in Turcas; omniaque sacramenta, quibus se mutuo astrinxissent, dissoluit: sed pia Pontificis consilia horum facinorosorum dux Acutus elusit, & Italorum incubare prædæ, seque æterno obijcere exitio, quam conuersis in fidei hostes armis & terrenas opes amplissimas & cælestes palmas consectari maluit: atque ita speratis maximis subsidijs Palæologus nudatus est.

De vagis turmis in Turcas traducendis actũ.

b Ib. pag. 17.

Detrectat eas trajicere in orientem.

7 Afflixit etiam admodum res orientales Petri Regis Cypri inuictissimi infidelium domitoris crudelis mors; de qua hæc Vrbani gestorum scriptor c: *Petrus insuper Rex Cypri supra sæpius nominatus, qui vltra omnes Reges & principes suos contemporaneos ad recuperationem & acquisitionem terræ sanctæ aspirauerat, & ad hoc alios multos incitauerat et induxerat pro viribus suis, quam infideles multis modis expugnauerant; totus etiam bonus, virtuosus, & animosus, velut alter iustus Abel, vel Ioseph innocens per operationem & machinationem fratrum suorum fuit malitiose & crudeliter interemptus.* Permotus in eum iracundia ex acceptis contumelijs, seu ambitione ad capessendam tyrannidem; parasseque Petrinum illius filium opprimere, sed a populo ad arma concurrente flagitio submotos, referunt. d

Petri Regis Cyprij cædes.

c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Petrinus filius periculo ereptus.

d Bosius p. 2. l. 3.

8 Auxit orientis luctum & calamitates occidentalium discordia. Ab Italicis vero turbis ducimus initium: ostentatæ namque pacis specie Bernabos, cum Imperatorẽ Carolum, qui subsidio Romanæ ecclesiæ venerat superiori anno in Germaniam dimisisset, priora inuadendæ pontificiæ ditionis, irarumque in ecclesiæ fœderatos effundendarum consilia vrgere cogitauit, conductis magnis stipen-

Concitatæ a Bernabone turbæ.

dijs

dijs vagis Anglorum turmis. Aduersus quem Pontifex, subsidia sibi conciliaturus, Pisanos a ad suas partes Pisauriensis episcopi opera trahere studuit, & cum Florentinis societatem armorum iniit Viterbij, vt Leonardus Aretinus b, atque ex eo S. Antoninus c tradunt: cuius quidem pactionis tabulæ v. id. decembris confirmatæ sunt d. Cum igitur Florentini ecclesiæ partes defendendas suscepissent, ac legato sedis Apostolicæ submisissent auxiliares copias, tyrannus Mediolanensis furore percitus Agutum Anglicarum copiarum ducem insignem latronem in illos immisit: quibus vt consuleret Pontifex, Ægidium episcopum Tusculanum Patrimonij & Spoletani ducatus præsidem Florentinorum subsidio accurrere iussit: *Quia*, inquit, *sicut dolenter audiuimus, certæ gentes ciuitatis Florentinæ cum Romana ecclesia colligata a gentibus Anglicis Ioannis Agut receperunt conflictum, volumus et tuæ fraternitati districtius præcipiendo mandamus, quod ciuitatibus et terris nostris de gentibus ecclesiæ ad eandem ciuitatem Florentiam in eius auxilium et succursum studeas celeriter destinare.* Dat. *Romæ apud* S. *Petrum* VII. *id. decembris anno* VIII. Similia imperia tum hoc tum insequenti anno alijs data. e

a To.6.ep. secr. pag. 2.
b Leonar. Ar. 6. hist. Flor. l. S.
c Ant. 3. p. tit. 22. c. 10. § 2.
d To.8. ep. secr. pag. 7
Angli Florentinos cædunt.

9 Audita Bernabonis tyrannide, Ludouicus Rex Vngariæ ecclesiæ signifer indignatus, Vrbanum, qui ab Italis ob restitutam Vrbi sedem Apostolicam coli debuerat, vexari bello, ac sacram in fidei Christianæ hostes expeditionem præpediri; ac Pontifici ad coercendum hostem decē millibus ad minus Vngaris succinctum venturum se spopondit certis legibus in Italiam, ac tandiu incubiturum in id bellum, donec Bernabos obtritus esset; de quibus Vrbanus ad Anglicum Cardinalem scripsit f, vt fœderatos de ijs faceret certiores.

e Ead. pag. & pag. 19
Vngarus operam Pontifici defert.
f Ead. to. 8. ep. secr. pag. 9.

Vrbanus, &c. venerabili fratri Anglico episcopo Albanensi in terris Romanæ ecclesiæ immediate subiectis pro nobis & ecclesia ipsa vicario in temporalibus generali salutem, &c.

Deducimus ad tuæ fraternitatis notitiam, quod ambaxiatores charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regis Vngariæ illustris, qui apud nos fuerunt diebus quampluribus, super arduis petitis per eos bene contenti a nostra præsentia discesserunt, dixeruntque nobis, quod ipse Rex, prout ab eo habuerunt, paratus erit ad depressionem hostium Romanæ ecclesiæ & colligatorum ipsius personaliter venire saltem cum decemmillibus armatorum bonorum & non pauciorum, & non recedere, donec dicta depressio esset totaliter terminata: pro quorum tertia parte stipendiorum idem Rex de proprio solueret, ecclesia & colligatis eisdem soluentibus reliquas duas partes, & dantibus gentes ordinatas & taxatas pro liga, vel saltem medietatem earum; & nobilibus colligatis, & melioribus de terris ecclesiæ assistentibus ipsi Regi. Quibus respondimus, quod hoc præfatis ecclesiæ & colligatis omnino impossibile redderetur, & propterea ipse Rex adiuuando ecclesiam & colligatos eosdem, vtique suos amicos, suam vt placeret magnificentiam exhiberet. Cum itaque superbia hostium semper ascendat, & contra eos sit celeriter prouidendum, volumus, & tuæ fraternitati mandamus, quatenus dilectos filios Florentinos & alios colligatos ad prouidendum super his, & offerendum dicto Regi subsidium, quod offerentibus sit possibile ipsique Regi gratum, studeas sine moræ dispēdio conuocare, ac super his tractare & deliberare, quod magis videbitur expedire. *Dat. Romæ apud S. Petrum* XVIII. *kal. ianuarij anno* VIII.

Fœderati ecclesiæ de eo facti certiores.

10 Expetijt porro Vngariæ Rex a Pontifice, vt Poloniæ Regem a barbaris, qui rupto induciarum fœdere irruperant, magnis cladibus attritum apostolica beneficentia iuuaret. Cuius nec non Casimiri votis annuens Christi vicarius, Polonico clero subsidiariam stipem, qua vastatæ a barbaris arces reficerentur ad propulsandas eorum excursiones, ac sustinendam religionis dignitatem imperauit, datis ea de re Gnesnensi archiepiscopo & suffraganeis literis, quibus illatam ab hostibus vastitatem ita describit a: *Nuper charissimi in Christo filij nostri Ludouicus Vngariæ & Casimirus Poloniæ Reges illustres nobis significare curarunt, quod cum nuper inter ipsum Regem Poloniæ ex vna parte, & nonnullos schismaticos ac perfidos infideles ex altera treuga penderent, & seruarentur hinc inde, ipseque Rex Poloniæ nullum eorum infidelium formidaret insultum; ijdem infideles ex innata eis malitia & execranda fallacia in terram eiusdem Regis super hoc improuisi subito clandestine ac hostiliter irruerunt, terras ipsas depopulando, & earum incolas captiuando, necando, & mulieribus abutendo, ecclesias prophanando, ac etiam destruendo. Et inter alia mala & damna, quæ in dicto regno patrauerunt & intulerunt, castra Vurutz, Palonea, Rotemburch, & Poleosko Cracouiensis diœcesis, vtique nobilia ac fortia, occuparunt & funditus destruxerunt, & alia mala innumera commiserunt, &c. Dat. apud Montemflasconem idibus maij pontificatus anno* VII.

Polonia a Tartaris vastata.
a An.7.ep. com. 362.

11 Gestum est in Hispania magno aduersarum partium ardore bellum, quod demum Petri Regis Castellæ sanguine extinctum est. Toletum Henricus Trastamaræ comes obsidione cinxerat, ciuesque in contraria scissi studia, cui se addicerent, fluctuabant: quo cognito Petrus Rex, quamuis externas vires, nimirum Aquitanicas, præstolari tutius foret, ne tamen vrbi amplissimæ deesset, afferre auxilia maturauit. At venienti occurrit Henricus Bertrandi Guesclini auxilijs instructus, collatisque signis pridie id. martij Petrum acie fudit, ac fugientem in vicinum oppidum Montielem nomine castris circumdedit. In eas compulsus angustias Rex infelix, quem diuina vltio ob innumera flagitia manebat, fugam capturus Bertrando Guesclino ducenta aureorum millia, atque amplissimas possessiones est pollicitus, si saluti regiæ viam aperiret: illectusque vana spe in Bertrandi tentorium irrepsit. Cui mox armatus Henricus fratrum ac matris cruorem vlturus affuit, ac Regem eundemque fratrem pugione confodit: *Tetrum*, inquit Mariana b, *spectaculum, Regem Regumque progeniem in suomet sanguine volutari a notho fratre cæsum. Sed cuius funesta Hispaniæ vita fuerat, mors extitit salutaris: grauique documento monstratum, nullis legionibus, opibus, potentia tutam esse improbitatem. Exemplum editum, quod admirentur posteri, perpetuoque exhorreant.* Paucisque interiectis subdit: *Vigesimo tertio martij die interfectus est in ætatis flore annos natus quatuor & triginta, menses septem: regnauit annis decem et nouem tribus minus diebus.* Ita misere perijt, quem toties summorum Pontificum saluberrima monita contempsisse suo exitio, vidimus. Consentit superioribus Vrbani vitæ scriptor, qui tantam Hispanicarum rerum conuersionem narrat c, additque: *Et sic hereditas Isaac ad Ismaelem est perducta; quod an iuste vel iniuste, est* di-

Castellæ motus, Toletum obsessum.
Petr. Rex profligatur.
A fratre spurio necatus.
b Mariana l. 17. c. 13.
c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

discernere cuius iudicia sunt abyssus multa.

Innexit Hispanicum hoc bellum in Gallijs aliorum bellorum semina Gallos inter & Anglos: exacerbatæ enim fuerant veteres inimicitiæ, cum pro Petro Angli, Galli pro Henrico signa conferrent, ac singuli Regem in Castella sibi fœderatum tueri contenderent; facilisque occasio dein ambos in apertum bellum coniecit. Exhaustus ærario Eduardus Vualliæ & Aquitaniæ princeps, quod in restituendo superiori anno Regno Petro effuderat, reficere illud nitebatur, cum maioris belli moles incumberet, vt nimirum Petri regna ipsius filiabus Constantiæ & Elisabethæ prolugis in Aquitaniam, quarum maior natu duci Lanclastriæ desponsa fuerat, iure hereditario assereret. Imperarat propterea acerbiora vectigalia Aquitanis a; tum in nobiles superiorum victoriarum fastu turgidus superbe se gerebat: quod adeo eos populos libertatis cupidos offendit, vt cum Rege Francorum, qui pluribus humanitatis officijs alijsque artibus ipsos sibi deuinciebat, coitiones inierint: & licet Eduardus Rex, rescissis filij de vectigalium impetijs edictis, Aquitanorum voluntates sibi conciliare nisus sit, læsos tamen placare non potuit, quin ex veteri more Regia Francorum vt supremi domini patrocinium experterent, cui tamen iuri ex inito antea fœdere abrenuntiatum a Gallo fuerat. Ita, suscipiente Aquitanorum clientelam Carolo, pluraque amissa a patre recuperante, bellum atrox accensum, vt narrat Vrbani vitæ scriptor b. Percensentur vero eiusmodi funesti belli clades accurate a Frossardo c, qui inter cætera ait, Lemouicum vrbem a duce Biturigum coactam ad deditionem; sed postea ab Eduardo principe recuperatam, qui laxatis furori habenis barbari instar nec sexus nec ætatis misericordia flexus innocuo sanguine ipsam compleuerit. Attulit hoc bellum ingentia mala rei Christianæ, atque Vrbanum illius extinguendi cupidum in Gallias attraxit.

Exorta in Aquitania conuitsiones.

a Frossar. hist. l. 1.

Expetitū ab Aquitanis Galli Regis patrocinium.

b Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Eduardi immanitas.

c Frossar. hist. l. 1.

22 In Bosnia, cum religio catholica in dies efflorescerct, Banus senior schismaticus fratrem Stephanum iuniorem catholicum insectatus est: cuius clientelam suscepturus Pontifex, Ludouico Vngariæ Regi has graues querelas proposuit d: *Banus Bosnæ senior frater eius, sequens suorum progenitorum vestigia detestanda, ac fouens & defendens hæreticas, ad illas partes quasi ad sentinam fœtidam de diuersis mundi partibus confluentes, ipsum Stephanum, abiecto amore fraterno, persequitur; & hactenus grauissimis damnis attriuit, ac partem hereditatis sibi denegauit exhibere, etc.* Adiecit preces vt a fratris hæretici iniurija Stephanum principem vindicaret. Alijs vero literis Stephanum ad constantiam excitauit e, vt fratris odia causa religionis suscepta magno animo toleraret: pati enim pro Christo non calamitati, sed felicitati ac triumpho adscribendum: nec Ludouicum Regem Vngariæ, ad quem literas commendatitias dederat, ipsi defuturum: *Confortare igitur, fili, habeque patientiam in aduersis, quæ sustines amore diuino: nam præter Apostolicæ sedis fauores et præfati Regis auxilium, tibi Deo propitio congruo tempore tribuenda, secundum sententiam Domini dicentis: Beati sunt qui persecutionem propter iustitiam patiuntur, cum nulla sit maior iustitia, quam fidem semper tenere catholicam, ex qua iustus viuit, et pro eius amore mala qualibet æquanimiter tolerare, æterna præmia consequeris. Cæterum si, vt scripsisti, ad sacram vrbem accesseris, videbimus te libenter, etc.* Dat. Romæ apud S. Petrum XIII. kal. iun. anno VIII.

d To. 6. ep. secr. pag. 8.

Bosnia a Manichæis infecta.

e To. 8. ep. secr. pag. 9.

23 Asserendæ etiam suo splendori in Dalmatia religionis solicitus Dei vicarius, cum certior esset factus, plures hæreticos e Bosnia in finitimas prouincias se conferre, neque abesse periculum, vt simplices inficerentur, Spalathensi & Ragusino archiepiscopis eorumque suffraganeis prouinciam dedit, vt anathema incuterent ijs, qui hæreticos Bosnenses exciperent, vel cum ipsis mercium commutationem inirent, ac ne ipsorum fidei commissi greges ea lue inquinarentur, curas intendere iussit a.

Obiecta censuræ cum ijs commercium habituris.

Vrbanus, etc. Spalatensi et Ragusino archiepiscopis, eorumque suffraganeis.

a Eadem To. 8 ep. secr. pag. 3.

Nuper ad nostrum non sine mentis * fidedigna relatione peruenit auditum, quod in partibus Bosnæ, a vestris ciuitatibus & diœcesibus non remotis, quamplures hæretici commorantur, & a multis citra temporibus sunt morati; & quod, licet id in eisdem vestris ciuitatibus & diœcesibus existat notorium, ac illi, qui scienter in domo vel terra sua hæreticos receptare vel fouere præsumunt, excommunicationis sententia in tales a canone lata sint ligati, & prohibitum sit, ne catholici & fideles cum hæreticis negotiationem seu commercium exercere præsumant; tamen ijdem hæretici de partibus prælibatis & alij, volentes ad eas accedere, per vestras ciuitates & diœceses libere transeunt, mercimonia deferunt, & cum vestris subditis, in quorum simplicibus mentibus hæresum semen pestiferum sæpe spargunt, negotiationes exercent: sicque in eorum peruersitatibus confouentur, & seducunt alios damnabiliter dogmate hæreticæ prauitatis. Quod nos, moleste ferentes ac vestræ negligentiæ, qui superintendentes dicimini, & debetis super greges vobis commissos vigilare attentius, imputantes; fraternitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus omnibus & singulis subditis vestris in subiectis vobis ecclesijs & locis publicis, de quibus vobis videbitur, per vos vel alium seu alios districte inhibeatis sub pœna excommunicationis (quam contra huiusmodi inhibitionem facientes, qui alias a canone forsan excommunicati non erant, incurrant eo ipso) ne hæreticos huiusmodi scienter in domibus vel terris eorum receptare vel fouere, aut cum eis negotiationem seu commercium exercere præsumant: ac omnes & singulos, qui contra huiusmodi inhibitionem fecerint, excommunicatos fore, prout iustum fuerit, declaretis.

* dolore

Pontificię de eo illecræ.

Et ne a fidei vnitate præcisi sub prætextu fidelium in eisdem Bosnæ partibus commorantium, qui tales perfidos inter se morati permittunt, ac fouent sæpius & defendunt, ac seipsos cum eis in præcipitium damnationis immergunt, taliter foueantur; sub dicti anathematis pœna publice in eisdem ecclesijs prohibeatur, ne quis ad dictas partes Bosnæ, vbi dicti hæretici notorie confouentur, quæcunque res seu mercimonia audeat mittere vel portare, in contrarium facientes similem sententiam proferentes; & eos, quos sententiam ipsam incurrisse repereritis (de quibus simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura iudicij ex vestro officio vos informetis) denuntietis dicti anathematis sententia irretitos, ac * incitentur & mandentur ab alijs euitari. Ad captionem vero hæreticorum huiusmodi, cum ad vestras ciuitates & diœceses declinauerint, & ad ministrandum iustitiam de eisdem, prout ad vestrum spectat officium, similiter procedatis, & si opus fuerit, inuocetis auxilium seculare, &c.

* euiteris & mandetis

Dat.

Dat. Romæ apud S. Petrum idib. nouembris anno VIII.

Minoritæ ad gentes missi.

a Apud Vvad. hoc ann. n.3.

14 Proferendæ vero apud exteras gentes, Christianæ fidei expertes, religionis studio Pontifex plures Minoritas ad euangelium ijs inferendum misit, quos instruxit auctoritate a, vt catholicos, quos ipsis molestiam facere contingeret, in iudicium apud sedem Apostolicam vocarent: *Cum vos*, inquit, *ad terras Saracenorum, paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mothitorum, aliarumque non credentium nationum orientis et Aquilonis, seu quarumcumque aliarum partium pro magnis arduisque negotijs respicientibus exaltationem et augmentū catholicæ fidei destinemus, etc. Dat. Romæ apud S. Petr. non. decembris anno VIII.* Cæterum affectos martyrio nonnullos Minoritas a Saracenis, memorat Lucas Vvadinghus b hoc anno, atque inter eos Antonium e Rosato inter duos asseres medium dissectum, ac Franciscum a Christo Damiatæ mortem acerbissimam Saracenorum delitijs prætulisse.

b Ibid.

c An.7.ep. com. 383.

Data etiam Barchinonensi & Dertusensi episcopis imperia c, vt viginti religiosis viris ex ordinibus mendicantium, tum presbyteris secularibus permitterent, vt in Canariam & alias Fortunatas insulas se conferrent ad collustrandos euangelij luce eos populos, quos astrorum superstitione inuolutos acceperat: *Nuper*, inquit, *dilectis filijs Bertrando de Marmando et Petro de Strata ciuibus Barchinonensibus nobis referentibus percepimus, quod in Canaria et alijs eis adiacentibus insulis, quæ insulæ Fortunæ nuncupantur, sunt personæ vtriusque sexus nullam legem tenentes, nec aliquam sectam sequentes; sed dumtaxat solem et lunam adorantes, quæ per prædicationem verbi Dei ad fidem Christi de facili conuerti possent; quodque nonnulli religiosi mendicantes huiusmodi fidei Christianæ zelo accensi, et clerici seculares de misericordia Dei omnipotentis confidentes ad prædicandum fidem ipsam, et ad eam prædictos homines conuertendum (si tamen nobis et Apostolicæ sedi placeat) ad dictas insulas accedere sunt parati, etc. Dat. Viterbij 11. kal. septembris anno VII.*

Canarij adorant astra.

Ad eos sacri concionatores missi.

15 Neque silentio prætereundum videtur, Pontificem optimum ad gliscentes in religiosis familijs corruptelas, quæ in pecunijs ac muneribus ab ijs, qui ad sacra admittebantur sodalitia, abradendis instruendisque magnificis conuiuijs inoleuerant, abolendas hanc constitutionē tulisse d; ne scilicet quis a sacrarum familiarum ingressu absterreretur.

d Ext. apud Greg. XI an. 1. ep. com. pag. 23.

Vrbanus etc. ad perpetuam rei memoriam.

Corruptelæ in religiosis ordinibus gliscentes emendatæ.

Ne in vinea Domini, nostræ (licet insufficientibus meritis) commissæ custodiæ, nascentes vepres & spinæ adeo conualescant, quod speratam fructificationem ipsius valeant præpedire, diligentiæ nostræ incumbit officio, vt illas extirpare radicitus solerti studio procuremus. Sane multorum fidedignorum relatione didicimus, quod in nonnullis ecclesijs, monasterijs, prioratibus, & alijs locis religiosis tam virorum quam mulierum ordinum & religionum partium diuersarum ille detestabilis, & a canonibus reprobatus seruatur abusus, quod cum personæ aliquæ recipiuntur in eis, obseruantiam regularem professuræ, ipsæ circa sumptuosa pastus seu prandia capitulis & conuentibus ecclesiarum ipsarum, monasteriorum, prioratuum, & locorum facere, aut pecunias vel iocalia, siue res alias ipsis ecclesijs, monasterijs, prioratibus, & locis seu præsidentibus eis ex statuto vel consuetudine, quæ corruptela dicenda est potius, tribuere compelluntur: ex quibus decori sanctæ & immaculatæ religionis detrahitur, quamplures tam execratione huiusmodi consuetudinis quam expensarum onere a sacræ religionis proposito retrahuntur, ipsaque ecclesiæ & monasteria & loca famulantium Deo consuetis muneribus maneant destituta, & in multorum fidelium mentibus scandalum generatur. Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere medelam, & alijs pœnis in talia præsumentes inflictis a iure, in suo robore duraturis pœnam adijcere grauiorem; vniuersis & & singulis abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, & magistris, & abbatissis & priorissis, alijsque prælatis, quouis nomine nuncupentur, & eorundem officialibus quorumcumque ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, domorum, & locorum quorumcumq; ordinum & religionum, etiam militantium, tam exemptarum quam non exemptarum, quocumque nomine censeantur; & capitulis & conuentibus, & singularibus personis eorum tenore præsentium auctoritate apostolica, quamuis sit eis a iure inhibitum, districtius inhibemus, ne a personis tam maribus quam mulieribus volentibus ingredi eorum religiones, ecclesias, monasteria, prioratus, domos, seu loca, in earum personarum receptatione, aut ante vel post illam, quæcumque pastus, prandia siue cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias, etiam ad ecclesiasticum seu quemuis pium locum alium deputata seu deputanda, de cætero directe vel indirecte petere quoquo modo præsumant: sed eas potius cum omnimoda puritate recipiant, ac in victu & vestitu, sicut alias personas suarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, domorum, & locorum sincera charitate pertractent; illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes pure ac sponte ac plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre ecclesijs, monasterijs, prioratibus, domibus, & locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi.

Vetitum ne quid a religiosa sodalitia ingredientibus exigatur.

Permissæ, vt sine pactione sint oblationes.

Nos enim eos, qui secus egerint, si seculares personæ, tam dantes quam recipientes huiusmodi, excommunicationis; si vero capitula seu conuentus fuerint, suspensionis sententijs eo ipso decernimus subiacere, a quibus præterquam in mortis articulo absolui nequeant absque sedis Apostolicæ licentia speciali. Cæterum personis illis vtriusque sexus, quæ iam labe huiusmodi sunt fœdatæ, earum prouidentes saluti, de benignitatis gratia vberanti concedimus, quod per suos locorum diœcesanos hac vice dumtaxat a crimine huiusmodi & nota infamiæ inde contracta auctoritate apostolica absoluantur, imposita proinde ipsis pœnitentia salutari, de qua ipsorum discretioni videbitur expedire; & demum cum ipsis, vt in eorum ecclesijs, monasterijs, prioratibus, dignitatibus, & locis licite remanere valeant, misericorditer dispensetur. Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccauisse noscuntur, volentes nos reddere gratiosos, omnia recepta huiusmodi, ad communem vsum monasteriorum seu locorum applicata, ea ad dictum vsum licite concedimus retineri: si vero ad specialem vsum abbatis, abbatissæ, prioris, priorissæ,

Obiecta contratendentibus pœnæ.

aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. Nulli ergo &c. *Datum Romæ apud S. Petrum* II. *non. aprilis pontificatus nostri anno* VII. Repetita postea instaurataque a Gregorio XI. hæc constitutio Auenione XII. kal. mart. pontif. anno secundo.

16 Addimus ad huius anni calcem, Vrbanum nonnulla Vaticanæ basilicæ priuilegia, quibus a nonnullis Regibus annuis vectigalibus in aliquibus regnis donata fuerat, confirmasse. Affert idem Pontifex inter alia vetus Iacobi Regis Aragonum monumentum, quod ille post acceptum in eadem basilica Sardiniæ & Corsicæ diadema edidit subiectis conceptum verbis a.

a Ext. apud Vrb. V. an. 8. ep. com. 47. Iacobi Regis Arag. priuil. datum Vaticanæ basilicæ.

*In nomine Domini. Amen. Nouerint vniuersi, quod nos Iacobus, Dei gratia Rex Aragonum, Maioricarum, Valentia, Murcia, Sardinia & Corsica, comesque Barchinonensis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ vexillarius, amiratus, et capitaneus generalis, considerantes quod dextera Domini nobiscum faciente virtutem, nosque clementer ad regnorum Sardinia & Corsica fastigia sublimando, apud principis Apostolorum & cælestis regni clauigeri sacratissimam de Vrbe basilicam per regnorum ipsorum inuestituram solemnem, nobis a sanctissimo patre & domino domino Bonifacio VIII. sacrosancta Romana & vniuersalis ecclesia summo Pontifice gratiose concessam, primum diuulgata nostri honoris insignia claruerunt, ac deinde prædictorum regnorum suscepimus diadema; nec non & in dicta basilica idem sanctissimus pater prædicta sancta Romana ecclesia in multitudine copiosa, nos magnifice honorante, fecit vexillarium, amiratum, & capitaneum generalem; dignum fore prouidimus, vt eidem basilica pijs & promptis semper famulemur obsequijs, & illi velut matri strictius obligemur ex debito, a cuius vtero per cælestis adoptionis gratiam quasi noua progenies * dignoscitur prodijsse. Hinc est quod nos archipresbytero & capitulo eiusdem sacrosancta basilica, & canonicis tam præsentibus quam futuris in perpetuum donamus, concedimus, et assignamus annuum redditum triginta vnciarum boni auri ad generale pondus regni Sicilia de nostra camera, cum dicta regna fuerimus assecuti, persoluenda per officiales nostros, qui erunt pro tempore, quocumque nomine censeantur, procuratori vel certo nuntio capituli supradicti in festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum annis singulis, donec in prædicto regno Sardinia dictis archipresbytero & capitulo certum et determinatum locum, vbi in perpetuum prædictum percipient redditum, duxerimus assignandum, etc.* Describit fusius quibus sanctorum festiuitatibus missarum solemnia celebrari velit. *Actum Romæ apud præfatam basilicam* VIII. *id. aprilis anno Domini* MCCXCVII. *decima indictionis*. Corroborata etiam ab Vrbano plura Ioannæ Ierusalem & Siciliæ Reginæ, eiusdemque Prouinciæ, Folkalquerij, & Pedemontij comitissæ diplomata b, quibus illa quinquaginta auri vncias annuas a Carolo I. atauo attributas Vaticanæ basilicæ post acceptum Siculi regni insigne beneficentia apostolica, totidemque alias a Carolo II. proauo eidem basilicæ collatas confirmarat: quibus etiam ipsa annuas quinquaginta vncias carlenorum argenti pro diuino cultu amplificando addiderat, cum superiori anno ad Vrbem pietatis ergo accessisset.

* dignoscimur

Regum Neap. munificentia in basilic. Vaticanā.

b Ext. apud Vrb. an. 8. ep. com. 156.

IESV CHRISTI

Annus 1370.

VRBANI PP. V. annus 8. | CAROLI IV. IMP. OCC. 25. IO. PALAEOL. IMP. OR. 30.

1 CONfirmare in obsequio Romanæ ecclesiæ Græcos, & Valachos, Moldauos, Lithuanos, Macedones, Russos & Georgianos ad eam allicere, ac Tartaros collustrare euangelij luce nisus est Vrbanus anno humanæ salutis septuagesimo supra millesimum trecentesimum indictione octaua; dumque Anglorum ac Francorum cruenta bella sua præsentia dirimere meditatur, contra sanctorum hominum, quos diuinus instinctus agebat, consilia sedem Apost. Auenionem retulit; ac mox, vt diuinitus illi fuerat intentatum, viuere desijt. De quibus singulis dicturi, a Græcis rebus exordiemur. Ne facile ij a promissis deficerent, vel inanibus effugijs gesta cum Pontifice eluderent, dū se Romanos vocant; tum ad adstringendum arctiori nexu sacrum fœdus visum est, vt Palæologus Imperator nouis publicis monumentis palam euulgaret, non aliam se catholicæ ecclesiæ nomine, quam Romanam agnoscere, cui Vrbanus omnium fidelium supremus in terris pastor præesset. Edimus ex veteribus monumentis confecta tanti ponderis scripta a: *Nos Ioannes in Christo Deo fidelis Imperator, ac Romæorum moderator Palæologus notum facimus vniuersis præsentes literas inspecturis, quod cum die decimaoctaua mensis octobris proxime præteriti in sacra Vrbe Roma professionem catholica fidei, per reuerendissimos patres dominos Guillelmum episcopum Ostiensem, et Bernardum basilica duodecim Apostolorum, ac Franciscum tit. S. Sabina presbyteros, et Rainaldum S. Adriani diaconum Cardinales, per sanctissimum patrem dominum Vrbanum, diuina prouidentia Papam V. ad hæc specialiter deputatos, nobis exhibitam, sponte fecerimus sub certa forma, prout apparet per publicum instrumentum nostra propria manu subscriptum, nostraque bulla aurea communitum; et in eadem professione inter alia contineatur talis articulus, videlicet Credo hanc esse veram fidem catholicam; et quod hanc super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, &c. dicimus ad omnem ambiguitatem tollendam, nos credere & intelligere Romanam ecclesiam, cui nunc præest præfatus dominus Papa & sui prædecessores Romani Pontifices præfuerunt, prout credimus, intelliguntur catholici Christiani in occidentis partibus constituti. In cuius rei testimonium præsentes literas nostra aurea bulla munimine fecimus communiri, & nos hic nostra manu subscripsimus, vt est moris. Dat. Romæ die .. mensis ianuarij anno a natiuitatis Domini* MCCCLXX. *indictione* VIII. *pontificatus dicti domini Papa anno* VIII.

a Ext. in arce S. Angel. & in eo collect. Plat. to. 3. pag. 219. et lib. priu. Rom. eccl. to. 3. pag. 246. & in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 191.

Declarat publicis lit. Græc. Imperator quæ sit catholica ecclesia.

2 Egregie adeo ad ecclesiæ Romanæ venerationem affecto Palæologo Imperatore, cum spes ampla affulgeret tam illustre exemplum Græcos secuturos, Vrbanus Constantinopolitanum clerum ad schisma solemni damnandum ritu his literis pellicere conatus est. b

Græci sacerdotes ad Rom. eccl. obsequium sollicitati.

b To. 8. ep. secr. pag. 15.

Vniuersis ecclesiarum & monasteriorum prælatis quocunque nomine nuncupantur, ac clero & calogeris Constantinopolitana ciuitatis, cæterarumque partium Græcia gratiam in præsenti, per quam obtineant gloriam in futurum.

Lætata est sacrosancta Romana ecclesia

ma-

mater & magistra cunctorum fidelium, quod charissimus in Christo filius noster Ioannes Imperator Græcorum illustris ad maternum accessit gremium, a quo deuiabat per damnabilis schismatis execrabilem scissionem: pieque sperat, quod sicut inclytus Constantinus Christianissimus Imperator, qui Constantinopolitanam vrbem gloriose construxit, per suæ conuersionis exemplum & studium fidem catholicam in occidentis primò, & orientis demum partibus dilatauit; sic idem Ioannes eius (Deo fauente) erit & operum laudabilium imitator. Sed maioris gaudij esset dicta ecclesia exultatione perfusa, si vos, qui estis ad animarum curam & alias ad Dei obsequium deputati, pollentes scientia & religioni vacantes, derelicto inueterato schismate, cui damnabiliter & pertinaciter innitimini, ad vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, extra quam non est salus, & ad vicarij Christi & successoris Apostolorum principis veram & puram obedientiam rediretis, vt sicut ipse vnus & principalis est pastor, sic vnum esset ouile, cuius oues eum cognoscerent, & audirent amabilem & salutiferam vocem eius, in illoque tute reconditæ a lupinis morsibus indubitabili custodia seruarentur. O si Deus tantam gratiam concessisset nostris diebus, vt orientalis & occidentalis ecclesiarum vnitatem longissimis, proh dolor! scissam temporibus videremus! Tunc clauderemus consolabiliter dies nostros, & cum beato Simeone diceremus: *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*; cum desiderabiliter fuissemus intuiti innumeros Græcorum populos diabolica fraude deceptos & deuios in rectam semitam mandatorum Domini dirigere gressus suos, & eliminatas hæreses in nonnullis sic deuiatibus, vt dolenter audiuimus, ex huiusmodi schismate pullulantes; oppressosq; Græcos ab impia & fœda natione Turcorum (iuuantibus spe probabili fratribus occidentalibus) liberari, exterminari eosdem Turcos de vniuersis partibus Romaniæ, & aut ad Christum conuerti (quod nobis esset acceptius) aut digna cóculcatione subuerti, & terreri omnes ethnicas nationes, sicque Græcas potentiam & gloriam, iam pene deletas, ad Dei laudem & dilatationem eiusdem fidei reparari.

Quam benigne & amanter sint excipiendi.

Conuertendos euertendosue Turcas.

3 Hæc siquidem ineffabilia bona spiritualia & temporalia probabiliter euentura speramus, si cordibus puris, conscientijs bonis, & fide non ficta (a quibus aberrantes secundum Apostolum quidem in vaniloquium sunt conuersi, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant) ad dictum gremium redeatis, & salubris imitationis exemplum commissis vestræ solicitudini populis præbeatis: quod feruenter & prompte debetis efficere, cum non solum eadem ecclesia vos ad hoc non absque tædio dilationis expectet, verum etiam materna benignitate foras progrediens ardore charitatis inuitet. Cognoscatis igitur pietatem ipsius, & amplectimini charitatem ad eius magisterium & debitam obedientiam filiali confidentia venientes; vt cum catholicis occidentalibus vnanimes in domo Domini existatis, & (vt speramus in Deo) eius & Apostolicæ sedis & occidentalium super vos & greges vestros spiritualiter & temporaliter auxilium sentietis. Cæterum synodum Latinorum & Græcorum ecclesiasticorum præsulum, quam multi (vt audiuimus) superuacue postulant, ex pluribus

Proposita ex ea coniunctione bona obuentura.

causis rationabilibus non concessimus ordinari; ne illa, in quibus ab occidentalibus & nonnullis orientalibus fidelibus dissidetis (cum, secundum quod tenet & docet sancta Romana ecclesia, certa fore noscantur, vtpote sacræ scripturæ testimonijs, & sanctorum doctorum Latinorum & Græcorum eloquijs & sententijs, & per fidem apostolicam comprobata) in dubietatis & curiosæ disputationis scrupulum deducantur, & veterem fidem quasi nouellam superuacuis discussionibus supponamus. Benigne tamen parati erimus quoslibet dubios, venientes ad dictam sedem humiliter, de huiusmodi testimonijs, eloquijs, & sententijs informare. *Datum Romæ apud S. Petrum* VIII. *kal. martij anno* VIII.

4 Adornabat reditum in Græciam Palæologus, & copiss, quas in Italia pontificijs studijs collegerat, traducere in orientem parabat: vtque eas per Siciliam tuto ductaret, Pontifex Ioannam Reginam, ac Philippum Tarentinum principem Imperatoris Constantinopolitani gerentem nomen permouit a, vt sacramentum incolumitatis & liberum commeatum traderent ac rationem his subiecit verbis: *Apud sedem Apostolicam existens abiurato quolibet schismate, fidem catholicam secundum formã per nos sibi traditam est professus, et iurauit in obedientia Rom. ecclesiæ sicut princeps catholicus permanere.* Ipsum vero Regi Vngaro cõmendatum b pluribus affectũ a Pontifice beneficijs lætumq; ab eo abscessisse, indicat Vrbani vitæ scriptor c: *A quo*, inquit, *gratias & fauores multos reportauerat, valde consolatus & contentus.* Extat inter alia diploma, quo Vrbanus illi aræ subductilis vsum permisit d, concessitque vt sacris ante lucis ortum a sacerdore, Latino ritu duntaxat, peragendis interesset.

Reditus in Græciã Palæolog. commendatus principibus.
a Ib. pag. 37. & 38.

b Ib. pag. 50.
c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

d An. 8. ep. com. 72.

Vrbanus, &c. charissimo in Christo filio Ioanni Imperatori Græcorum illustri.

Eximiæ deuotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, vt petitionibus tuis (illis præsertim, quæ ex deuotionis feruore prodire conspicimus) quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis deuotis supplicationibus inclinati, vt liceat tibi habere altare portatile cum debita reuerentia & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis possis per proprium vel alium sacerdotem, Latinum duntaxat & alias idoneum, missam & alia diuina secundum ritum, quem eadem Romana seruat ecclesia, sine iuris alieni præiudicio in tua præsentia facere celebrari, deuotioni tuæ tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum id. februarij anno* VIII. Concitauit Palæologi exemplum pios adeo in animis aliorum Regum ac principum, qui tenebris Græci schismatis fuerant inuoluti, motus vt ex ijs plures redire ad Romanæ ecclesiæ obsequium constituerint, ac pariter populi eorum imperio obnoxij Christi vicarium agnoscere, & veteribus abiectis erroribus incorruptam fidem profiteri cum catholicis constituerint. Quibus ne deesset Pontifex, apostolicis literis fidei orthodoxæ formulam comprehensam edidit e, ex quã Romanæ ecclesiæ gremio aggregandi sacramentum nuncuparent.

Ara subductilis permissa.

Sacra ante lucem Latino ritu audiat.

Plures Græci cõparatos se ad schisma eiurãdum exhibent.
e To. 8. ep. sec. pag. 259.

Vrbanus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Ad propagationem catholicæ fidei, super cuius custodia fuimus (licet insufficientibus meritis) a Domino deputati, & quorumlibet gloriantium

tium nomine Christiano, sed deulantium a gremio sacrosanctæ Romanæ ac catholicæ & apostolicæ ecclesiæ matris & magistræ cunctorum Christianorum fidelium, cui auctore ipso Domino præsidemus, reductionem ad obedientiam & reuerentiam ipsius ecclesiæ pastorali solicitudine intendentes, viam & formam omnibus huiusmodi deuiis tenemur ostendere, per quas salubriter ad dictum gremium possint accedere, in eoque perpetuo commorari. Sane cum, sicut lætanter audiuimus, nonnulli Reges, principes, & alij Christiani tam clerici & ecclesiasticæ personæ religiosæ & etiam seculares, quam laici, qui extra obedientiam dictæ ecclesiæ, extra quam non est salus, damnabiliter permanserunt hactenus, & permanere noscuntur, ad dictæ ecclesiæ redire seu venire desiderent vnitatem, ac obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam; nos volentes eos dictæ fidei professionem, quam debent facere, salutari edocere doctrina, infrascriptam formam, quam in talibus seruare consueuit dicta ecclesia, præsentibus fecimus annotari; volentes ac mandantes, quod quilibet, qui fuerit seu est schismaticus & præcisus a præfatæ ecclesiæ vnitate, & ad eam redire voluerit, dictam professionem in manibus alicuius prælati vel clerici aut religiosi catholici, & præfatæ ecclesiæ communionem habentis faciat in ipsa forma, quæ talis est.

Propositą ijs ab Vrbano fidei formula.

Ego talis &c. profiteor et credo sanctam Trinitatem etc. eadem est fidei forma, quam superiori anno Palæologo Imperatori præscriptam attulimus a vsque ad has voces, *semper salua. Vnde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta & lecta est, & fideliter exposita veram, sanctam, & orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto, et corde et ore profiteor; ipsamque, prout eam veraciter tenet & fideliter docet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inuiolabiliter seruaturum, & in ea omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum & quoquo modo deuiaturum promitto: & abrenuncio omni schismati. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor & recognosco, accepto & sponte suscipio: & me omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem ecclesiæ Romanæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, & perseuerantiam seruaturum, præsito corporaliter iuramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Quod si contra hæc aliquid sentire, confiteri, aut alias agere præsumpsero, me schismaticum & anathematizatum ea ipsa recognosco, ac seueritati sacrorum canonum subiacere.* Nulli ergo, etc. *Dat. apud Montemflasconem kal. augusti anno VIII.*

a Anno Chr. 1369 n. 2. Alia eiusdem schismatis.

Vvalachiæ principis vidua conuersa.

5 In Vvalachia Alexandri olim principis vidua ad Romanæ ecclesiæ gremium se contulit, atque etiam filiam Bulgariæ Imperatricem ad orthodoxum ritum pellexit. Cui Pontifex, de egregio in alijs ab erroribus abducendis nauato studio gratulatus b, de missis ornamentis sacris & calicibus ad apostolorum basilicas gratias egit: tum adiecit stimulos, vt filiam alteram Reginam Seruiæ suis adhortationibus ad fidem catholicam traduceret.

b To. 8 ep. secr. pag. 39.

Vrbanus etc. nobili mulieri Claræ relictæ quondam Alexandri Vveyda in Vlachia viduæ salutem, etc.

Lætamur in Domino, dilecta filia, tibique gratias agimus ex intimis nostri cordis, quod sicut fidedigna relatione didicimus, tu Spiritus sancti lumine illustrata, & per eximiæ deuotionis opera, & multiplicium virtutum exercitium iugiter Altissimo famularis: & inter alia charissimam in Christo filiam nostram Imperatricem Bulgariæ illustrem natam tuam a schismate ac erroribus hæreticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxisti. Verum quia habere diceris alteram natam, videlicet Ancham Reginam Seruiæ illustrem, adhuc in similibus schismate ac erroribus permanentem, charitatem tuam excitamus, ac hortamur attentius & rogamus, quatenus vt multos lucrifacias domino Iesu Christo, dictam Reginam aliasque vtriusque sexus personas schismate ac hæresibus maculatas ad præfatæ fidei, extra quam non est salus, coneris conuertere puritatem. Cæterum deuotionem tuam ex eo, quod beatos Apostolos Petrum & Paulum, eorumque basilicas & nos etiam de calicibus aureis & paramentis pretiosis pro diuinis obsequijs honorasti, dignæ commendationis attollere præconio liberalitati tuæ prouidæ gratiarum referimus actiones. *Dat. Romæ apud S. Petrum XIIII. kal. februarij anno VIII.*

Bulgariæ imperatrix ab schismate reuocata.

Sacer ornatus & calices ad Pont. missi.

6 Sordescebat adhuc in veteri schismate Latislaus Vvalachus princeps, de quo ad pietatem reuocando solicitus Christi vicarius eximium quidem eius studium in Amuraris Turcarum Regis conatibus repellendis laudibus extulit a; errores vero, quibus esset irretitus, atque a salutis via deflecteret, aperuit, ipsumque excitauit, vt ijs abiectis, fidem orthodoxam coleret.

Latislaus princeps Vvalachiæ.

a Eod. to. 8 ep. secr. pag. 70.

Vrbanus etc. nobili viro Latizlao Vvayda Vlachiæ gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futurum.

Fide dignorum relatione percepimus, quod licet eiusdem pastoris, videlicet domini nostri Iesu Christi fidem profitearis, tamen extra ouile præfatum, scilicet gremium & obedientiam sacrosanctæ Romanæ ac catholicæ & apostolicæ ecclesiæ matris & magistræ cunctorum fidelium, extra quam non est salus, ex antiquo schismate in te a tuis antiquis prædecessoribus deriuato moraris, & multiplicibus erroribus inuolutus existis. Nihilominus, quia credens forte, te in statu salutis existere, impios Turquos catholicæ fidei hostes pro Dei & præfatæ sedis reuerentia persequeris, & tuos reputas inimicos. Sed dolemus ab intimis, si non certas legitime, cum non nisi certamen exercenti legitimum corona æterni præmij secundum decorem gentium tribuatur: tantoque feruentius tuam salutem hisce mus, quanto si in toto corde tuo conuertaris ad Dominum, futurus victoriosior Christi pugil verisimiliter existimaris. Quare magnificentiam tuam hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus relictis schismate & erroribus vniuersis, per instructionem catholicorum & religiosorum virorum (quorum multi in tuo dominio, præsertim ex operatione dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Claræ nouercæ tuæ non solum catholicæ, sed claris dictæ fidei & virtutum meritis insignitæ, moram trahere asseruntur) ad ouile præfatum securus aduenias, in eo eum alijs Christi fidelibus perpetuo permansurus, & salutis æternæ præmia recepturus: nos enim, si hoc fideliter & sincere effeceris, te vt filium dilectissimum habere proponimus, ac tibi in tuis & terræ tuæ negocijs Apostolicæ sedis fauoribus assistere gratiose. *Dat. Romæ apud*

Contra Turcas decertat.

Solicitatur ad schisma vetus damnandum.

Moldau' ad Rom. ecclesiæ obsequiū traductus

apud S.Petrum vi. id. aprilis anno viii. Allici ad id poterat, egregijs Latzkonis initiati principis Moldauiæ exemplis, qui vna cum suis a nonnullis sacris concionatoribus vera fidei luce collustratus, schisma damnarat, flagitaratque a Pontifice, vt ad religionis cultum propagandum episcopalis sedes in Ceretensi oppido Haliciensis diœcesis institueretur. Cuius pijs votis assensit Vrbanus, atque eam prouinciam Pragensi archiepiscopo, & Vratislauiensi Cracouiensique episcopis demandauit. a

a Eod. to. 8 ep. secr. pag. 129.

Vrbanus, etc. archiepiscopo Pragensi, et Vratislauiensi ac Cracouiensi episcopis.

7 Nobilis vir Latzko dux Moldauien. partium seu nationis Vvalachiæ nobis per dilectos filios Nicolaum de Melsac & Paulum de Svvidnicz ordinis fratrum Minorum professores notificare curauit, quod ipse & suus populus ducatus seu terræ Moldauiensis, licet Christianitatis nomine gloriantur; tamen ipsi & eorum progenitores schismatici fuerunt hactenus & existunt: sed quorumdam fratrum Minorum prædicationibus & doctrinis inducti abnegare volunt omne schisma, profiterique sanctam fidem, quam catholica & apostolica ecclesia tenet, docet, & prædicat; ac nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus, & sanctæ Romanæ ecclesiæ humiliter obedire ac intendere de cætero, prout alij catholici principes & populi obediunt & intendunt; nobisque idem dux humiliter supplicauit, quod oppidum suum Ceretense Halecensis diœcesis spatio magno terrarū diffusæ (cui præest episcopus schismaticus, cuius ecclesia Halecēsis est in Russiæ partibus schismaticorum videlicet cōstituta, vtique insigne ac incolarum multitudine copiosum, & alias aptum decorari insignibus ciuitatis) in ciuitatem erigere, ac ciuitatis insignire vocabulo, & eidem episcopum præficere catholicum, qui ipsos ducem & populum instruat & conseruet in dicta fide catholica, & alia opportuna circa hæc facere dignaremur.

Expetit episcopalē sedem in Ceretensi oppido ex citari.

Nos igitur ad salutem animarum prædictorum ducis & populi, contra crucis hostes asserentium iugiter se pugnare, quos ab erroribus & schismate prædicto reuocare cupimus; augmentumque præfatæ fidei plenis affectibus aspirantes sed de præmissis nobis expositis notitiam non habentes, fraternitati vestræ, de quorum fidelitate & circumspectione in his & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus vestrum per vos vel alium seu alios viros fideles, catholicos, & prudentes, si præfatos Latzkonem & populum repereritis velle firmiter, pure, simpliciter, humiliter, & reuerenter fidem catholicam suscipere prælibatam (quos, si oporteat, ad hoc vestris doctrinis & prædicationibus inducatis, & per alios viros catholicos in ipsa fide peritos procuretis induci) postquam ipsi seu aliqua pars eorum, de qua vestræ discretioni videbitur expedire, abnegauerint omne schisma, & eandem fidem deuote susceperint, & eam professi fuerint secundum formam, quam vobis sub bulla nostra transmittimus; dictum oppidum Ceretense ac totam prædictam terram seu ducatum Moldauiensem ab omni potestate, dominio, superioritate, & iurisdictione ordinaria, & diœcesana, & subiectione episcopali præfati episcopi Halecensis, seu gerentis se pro episcopo Halecensi, ac ecclesiæ Halecensis, & cuiuslibet alterius personæ ecclesiasticæ, in ipsius oppido & terra seu ducatu quamcumque spiritualem seu ecclesiasticam potestatem siue iurisdictionem prætendentis se habere, & eius ecclesiæ seu dignitatis totaliter in perpetuum eximatis & etiam liberetis; constituentes & ordinantes, quod solum & immediate sanctæ Apostolicæ sedi in spiritualibus subsit: & deinde præfatum oppidum in ciuitatem erigatis & ciuitatis vocabulo decoretis, ac totam dictam terram seu ducatum Moldauiensem, in quantum ad præfatum ducem pertinet, eidem ciuitati pro diœcesi assignetis & etiam deputetis, & ipsam diœcesim certis terminis limitetis; & si ecclesia ibidem sit ad hoc congrua, illam in cathedralem & episcopalem etiam erigatis, &c.] Addit, vt si ecclesia excitata in eodem oppido non fuerit, magnifico opere extrui, atque B.Petri Apostoli vel alterius sancti, vt Moldauis visum fuerit, nomine insigniri curent; permoueantque Latzkonem, vt sacerdotia in ea instituat, congruisque ad diuinum cultum sustinendum vectigalibus locupletet. *Dat. apud Montemflasconem ix. kal. augusti anno viii.*

Demandata prouincia nonnulis præsulibus Moldauos instruendi.

Et Moldauia ab episcopatu Halecensi separanda.

8 Iniunctæ etiam ijsdem episcopis partes a, vt Andream e Cracouia Minoritam diuinarum literarum eruditione ac pietate insignem Moldauiæ episcopum præficerent. Missi b quoque sunt ex eodem sacro ordine quatuor episcopi religionis latius proferendæ cupidissimi, paratique ad fundendum pro Christo sanguinem in Albaniam aliasque vicinas prouincias, vt schismaticos ad gregem dominicum adducerent: quos archiepiscopo Dyrrachiensi, ac Strazimiro, Georgio, & Balsæ Zupania Geuciæ c, quos fidem orthodoxam amplecti ante decreuisse vidimus, tum vniuersis Albaniæ catholicis commendauit. Missus est similiter Nicolaus e Melsac ad Russos d, instructusque auctoritate, vt vigintiquinque Minoritas per Lithuaniam & Vvalachiam spargeret, qui populos orthodoxa fide informarent. Alij quoque vigintiquinque ex eadem S. Francisci familia præcones euangelici Antonio episcopo Mileuitano eiusdem ordinis, in Georgiam atque alias prouincias schismaticorum legato e, socij laborum & gloriæ adiuncti f, vt Georgianos, aliosque remotissimarum regionum Christianos vel illaqueatos schismate aut erroribus varijs infectos ad caulam dominicam cogerent, ac vera & incorrupta pietate excolerent.

Minoritæ missi ad schism. cōuertēdos.
a Eod. to. 8. ep. secr. pag. 131.
b Pag. 142.
c Ead. pag.
d Pag. 157
e Pag. 146
f Pag. 154

9 Ad Tartaros pariter a veteri superstitione abducendos, & catholicorum reliquias pastoribus, qui e viuis excesserant, destitutas excolendas Guillelmum archiepiscopum Cambaliensem creauit g, multisque Minoritis stipatum h in Tartariam misit. Instruxit vero eosdem religiosos viros pluribus prærogatiuis i, vt ea auctoritate ad neophytorum gratiam ac solatium vterentur, connubia nimirum in gradibus diuina lege non vetitis permitterent l, *iuxta constitutionem*, inquit, *Innocentij Papæ II. quæ incipit, Gaudeamus*; schismaticos autem ad gratiam ecclesiæ redeuntes in contractis in quarto gradu matrimonijs permanere finerent: baptismalibus sacris & sacerdotio initiatos, cum graue dubium subesset, an ea sacramenta vero ritu fuissent collata, certis legibus iterum baptismo lustrarent m sacrarentue sacerdotes: vt facilius etiam ij præcones euangelici vitam inter infideles sustentare possent, atque alia ad diuinum cultum, promulgationemque euangelicam necessaria haberent, remisit Pontifex nonnihil ex arctiori seruandæ ab ipsis paupertatis disciplina; non solum enim libros gesta-

Tartariæ ecclesiam curat Vrbanus.
g Pag. 67.
h Ead. pag.
i Pag. 57.
l Pag. 60.
m Pag. 61.

re

re a, sed etiam in terris, quæ a Constantinopoli in orientem septentrionemque excurrerent, legata testamento eos recipere b, aut malis artibus parta in suos usus deriuare concessit: fidelibus stipem erogaturis sacris iisdem præconibus centum dierum indulgentias est impertitus c: addicturis vero se quotidianis eorum obsequijs omnium scelerum in extremo vitæ actu condonationem proposuit d: contra autem censurarum pœnas, ne euangelio promulgando operam darent, molestiam exhibituris obiecit e.

a Pag. 59. b Pag. 63. c Ead. pag. 63. d Pag. 64. e Pag. 63.

Cham Tartarorum ad fidem amplectendam sollicitatus.

Missis igitur hisce in Tartariam euangelicis præconibus, Pontifex grauissimis literis Imperatorem Tartarorum solicitauit f, vt faciles ipsis aures ad diuini verbi semina excipienda porrigeret, imperialique ipsos & Christianos alios studio prosequereretur: cœlestia illi pro ea re præmia non defutura: dignitatem legis Christianæ, quæ viam felici immortalitati strueret exposuit, atque ad eam amplectendam apostolicis monitis eum allicere nisus est.

f Ead. tr. 8. ep. fere. pag. 55.

Vrbanus, &c. magnifico viro Cano Regi Tartarorum Deum diligere, & timere.

Pontificiæ ad eum literæ.

Ad alti tui nominis titulum & splendorem & culmen ac decus accedit, quod tu & aliqui prædecessores tui Reges Tartarorum, sicut glorifica fama præambula fidedignorum relatione didicimus, ob omnipotentis Dei creatoris reuerentiam & honorem vos Christicolis sub vobis degentibus vestrisque subditis, qui ad fidem catholicam conuolarunt, reddidistis fauorabiles & benignos, eosque beniuola & mansueta benignitate tractastis: vna & ipsorum prædecessorum fama gloriosa longe lateque per orbem commendationis titulo redimitur: & tu si quidem in eum fidem habueris, & renatus fueris sacri fonte baptismatis, legemque susceperis & impleueris Christianam, requie sempiterna supernorum ciuium perfrueris. Ecce igitur quod nos, qui submissis humeris operosa solicitudine ex salutaris & vigilis prouidentiæ studio tuam tuique regni sincera in Domino charitate perpetem salutem appetimus, eiusque fructum saluriferum & perennem tibi, regno, regnicolisque tuis prodesse iugiter cupientes; vt præmissa propensius & efficacius per diuinam clementiam felici successiuaque prosperitate succedant, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum archiepiscopum Cambaliensem ordinis fratrum Minorum professorem (virum quidem in deuotione ac fide Christiana feruidum, excellentem in sacra scriptura peritum, expertum in opere & sermone, virtutum probitate probatum, fama præclarum, a nobis ex multis bonis & idoneis religiosis electum, & ad Cambaliensem archiepiscoparum de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotum) præsentium exhibitorem, cum decenti & virtuosa comitiua fratrum dicti ordinis ad ecclesiam suam Cambaliensem, tuamque præsentiam, ac partes & loca tuorum terræ & dominij salubriter prouidimus destinandum; vt ipse & dicti fratres collaterales eidem more sanctorum Apostolorum, qui dispertiti ore dominico, & Spiritus sancti gratia illustrati, doctrinam euangelicam prædicando, terræ cardines, prout eis assignati fuerant, perlustrarunt; communiter & diuisim, prout eisdem archiepiscopo & fratribus ex cœlicæ inspirationis oraculo visum fuerit salubrius expedire, regnum & terram prædicta, aliasque regiones adiacentes circumeant & frequentent; et iuxta datam eis a Domino sapientiam & doctrinam verbum Dei euangelizare perstudeant, & officiosa promptitudine prædicare, sermone prædicationis huiusmodi mentes illorum, qui in tenebris ambulant, & adhuc præ oculorum caligine gloriam luminis non viderunt, radicaliter illustrantes, eosque ad dictam fidem rectam, perfectam, & lucidam, Christi sanctorum & sanctarum miraculis verissimis comprobatam, dulcibus allectionibus conuertentes; & tam ipsos quam alios ad fidem ipsam feliciter iam conuersos, & neophytos in eadem pabulo refectionis æternæ, in ipsa fide spiculo spiritalis gratiæ roborando.

Commendatus illi Cambaliensis archiep.

Fidei Christianæ laus.

Hæc est enim fides rectitudinis, salutis, & meriti, qua sacer ille supernus rerum Conditor & creator seminans terram irrigauit, & quam ad omnes limites machinæ mundialis profecto diffudit & etiam propagauit; & quam sacrosancta Romana ecclesia, mater eunctorum Christi fidelium & magistra, tenet & docet, extra quam nullus omnino saluatur: per siquidem istam innocens anima Christiana perpetua, lugubri & corruptibili corpore exutior, cœlicorum agminum consortio æternaliter aggregatur. Cum igitur beatorum vita seu præmium comparationem non recipiat in diuitijs, nec in huiusmodi seculi gazis, felix est ille, qui sic terrestria deserens languidum orbem transit, quod ad æternæ beatitudinis gloriam prouehatur. Hanc equidem gloriam brauialem assequitur, qui huiusmodi fidem suscipiens & agnoscens, eam per beatorum operum & virtutum executionem obseruat: & licet per ipsius fidei semitas difficilis videatur incessus, oculis tamen mentis, fide catholica mediante, dum eam credit, diuinæ omnipotentiæ maiestatem & gloriam beatorum intellectualem intuetur.

10 Magnitudinis itaque tuæ potentiam attente rogamus & hortamur in domino Iesu Christo, quatenus pro eius reuerentia et honore, a quo tanquam a summo culmine rerum cuncta descendunt, et qui personam tuam creans et conseruans in esse, te super tam excellens, caducum tamen et temporale, dominium constituit imperantem, tibique innumeram et copiosam populorum multitudinem subiugauit, memoratos archiepiscopum et fratres, cum eos ad regnum et terram tuam prædicta, tuamque prouinciam peruenire contigerit, vultu beneuolo et sereno recipias, et a tibi subditis recipi facias et iubeas gratulanter, sicut quidam tui prædecessores hactenus receperunt; eosque mansuetudinis, serenitatis, et piæ deuotionis affectu pertractes et facias pertractari, habeasque tam illos quam eandem ecclesiam, cunctosque Christicolas, in dictis regno et terra morantes, nec non conuersos neophytos et (Deo propitio) conuertendos ad fidem eandem infra tui domini districtus et limites constitutos cum charitatiuæ sinceritatis dulcore benigno fauorabiliter et propensius commendatos; eis in his, quæ circa suscipiendam per te (Deo viuo et vero inspirante) sacri fontis baptismatis gratiam, legemque Christi & alia tuæ salutis commoda duxerint explicanda, prædicanda, et etiam consulenda, studiosum auditum aperiens, et feruentem ac solicitum et attentum adhibens intellectum, illaque recipiens tanquam donum cœlitus destinatum et missum tenaciter in tui memoriali cellula cordis figas, eredas firmiter, operose, fideliter, et perpetim exequaris; sisque alijs tuis subditis salutis

spe-

ſpeculum & exemplar, vt ipſi vna tecum ad ſimilitudinem tui ad Altiſſimum conuertantur, dictāq; legem Chriſti ſuſcipiant & obſeruent, tecumque glorientur nomine Chriſtiano & ſalui fiant, ne pereant in æternum; ita quod Rex regum, propitius retributor omnium ad ſe conuertentium, miſerator & miſericordiarum dominus atque pater, quem nil latet, & quem cœleſtia & terreſtria ſatentur, tui misereri dignetur, in omnibus affluenter gratam viciſſitudinem rependens, conferatq; tibi iugiter in huiuſmodi vitę tēpore abundantiam pacis & gaudij, & poſt tui corporis diſſolutionem humanam ad perpetuæ felicitatis imperium te perducat, & te glorificet in ſupernis, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum* VII. *kal. aprilis anno* VIII.

Moniti Tartari, vt fidē Chriſti amplectantur.

11 Hortatus etiam eſt Vrbanus a reliquos Tartarorum Imperatores, Reges, ac principes, vt euangelicæ luci, ab archiepiſcopo Cambalienſi ſoeiſque inferendæ, oculos aperirent: certiores fecit de tradita a Chriſto Petri ſucceſſoribus authoritate: vt pontificij eſſet muneris vniuerſos homines ad Dei imaginem efformatos ad verum eius cultum adducere, animaſque ab æterno exicio vindicare. Eodemque argumento apoſtolicæ literæ ad vniuerſos Tartaros datæ b, quibus ipſos ad orbis Conditorem agnoſcendum, ac veterem ſuperſtitionem, qua erant etiam tum irretiti, abijciendam excitauit.

a Eod. 8 ep. ſecr. pag. 64.

b Ib. pag. 65.

Vrbanus, &c. vniuerſo populo Tartarorum viam ſalutis agnoſcere.

Vniuerſitatem veſtram ſinceris ſuaſionibus & accenſis intrinſece charitatis dulcedine plenis requirimus, monemus, rogamus, & propenſius exhortamur in domino Ieſu Chriſto, quatenus vos, quorum hucuſque mentales oculi tetra caligine per perfidos ſpiritus tenebrarum & mortis in idololatrijs ac inanibus ſuperſtitionibus fuerunt obducti, ſolicite veſtram memoriam excitantes, & reduceutes ad illam, quod Deus omnipotens protoplaſtum, ex quo omnes homines traxerunt originem ſuam, inenarrabili maieſtate formauit, ac in terreſtris paradiſi delicijs collocauit, & quod inibi ſibi boni & mali cognitio data fuit, & quod eſtis ad ſimilitudinem Dei facti, quodque creatura non poſſet ſuo creatori pro meritis reſpondere; excuſſis primicus a veſtris cordibus vepribus & vrticis damnabilis cœcitatis, veſtræ intelligentiæ oculos eleuetis, & conſideratione perſpicua cogitetis, quod ipſe vos de limo terræ creauit & paſcit aſſidue, ac viuitis per eundem, & quod, cum vult, cuiuslibet carnis figmenta diſſoluit, quodque ſacræ paginæ teſtimonio comprobetur, quod omnis ſpiritus Deum laudat, omniaque animantia & inanimata Dominum benedicunt, pro ipſius creatoris reuerentia & honore, & vt ſibi reddatis humanæ gratitudinis holocauſtum, ob noſtræ contemplationis intuitum, qui vos Deo viuo & vero coniungere cupimus & etiam laboramus, veſtro ſtatui & ſaluti prouide conſulentes, eoſdem archiepiſcopum & fratres, quoties eos ad vos declinare contigerit, recipere procuretis humiliter & benigne cum honorificentia reuerenti eoſque ſinceræ charitatis officio pertractetis; & ad gremium vniuerſalis eccleſiæ Chriſti ſponſæ, quam ſuo pretioſiſſimo ſanguine dedicauit, extra quam veri ſacrificij non eſt locus, in humilis & veræ contritionis ſpiritu redeuntes, eorundem archiepiſcopi atque fratrum ſermonibus, prædicationibus, & verbis ſalubribus vigilem præbetis auditum, & intellectum aperiatis acutum ad hauriendum ex ore ipſorum verba ſalutis: & quæ pro veſtræ perfectione ſalutis docuerint, inſtruxerint, & prædicauerint, veſtræ memoriali cellulæ firmiter imprimatis, mentes veſtras & corda ſtudioſa promptitudine diſponentes ad ſuſcipiendam ſacri fontis gratiam baptiſmalem, legemque Chriſti, doctrinam euangelicam, & fidem catholicam domini noſtri Ieſu Chriſti, vti omnium fidelium magiſtra eccleſia Romana tenet & prædicat, docet, profitetur, & credit. Etenim ipſa fides eſt, per quam innocens anima Chriſtiana perpetua, poſtquam a lugubri & corruptibili humanitatis corpore fuerit diſſoluta, cælorum agminibus æternaliter aggregatur: & cum fidem ſuſceperitis, & veſtris cordibus impreſſeritis, eam firmiter & perpetuo tenacibus obſeruantijs cuſtodite, vt in die miſſionis extremæ, id eſt ſecundi aduentus dicti domini noſtri Saluatoris, qui tunc iudicaturus adueniet, prout ante venerat iudicandus (ante cuius tribunal tunc omnis homo ſurrecturus in propria carne ſtabit, vel æternæ vitæ præmia vel perpetuæ mortis, prout geſſit, ſupplicia ſecundum merita vel demerita recepturus) poſſitis vna cum alijs catholicis Chriſtianis de cætero tanquam fortia membra Chriſti vnius ouilis effecti, & viuentes in fide prædicta virtuoſa opera faciendo, æternæ beatitudinis, quam ipſe Saluator obtinet ex natura, eſſe participes & conſortes, eius præſentiam glorioſam, lætiſſimam quidem bonis, & terribilem malis & impijs, facie tenus inſpecturi.

Agnoſcāt ſe ad diuini Numinis gloriā conditos.

12 Propulſis igitur ſuperſtitioſis erroribus vnicerſis, quibus vos ſathan inſtinctu fraudulento ſeducit, vt ab eius ſitis nexibus funditus liberi, & mereamini poſt vitæ præſentis excurſum cælica palatia introire, digna laudum præconia repetitis vocibus Altiſſimo deuotæ mentis affectu cum gratiarum actionibus reſonate, qui ad vos archiepiſcopum & fratres prædictos dignatus eſt per ſuam miſericordiam deſtinare; cuius gloria cæli & terra ſunt pleni, quique manum aperit, & implet omne animal benedictione & cunctis in hac valle lachrymarum ambulantibus & dictæ fidei Ieſu Chriſti coniunctis abundantiam in bonis temporalibus gratioſa copioſitate largitur. Nos inſuper omnipotentiam maieſtatis Altiſſimi, eſſentialiter in cælis & potentialiter in terris vtique permanentis, regnantis, & principantis cunctipotenter & æternaliter in vtriſque, aſſiduis deuotis affectibus exoramus, vt corda & intelligentias veſtras illuſtret ad ſuſcipiendam gratiam baptiſmatis ſupradicti, ipſamque Chriſti legem, & ad eam credendam firmiter & perpetim adimplendam; quia ſine illis nullus omnino ſaluatur, & per illas eritis ſalui, & efficiemini gloriæ ſempiternæ per gratiam intercedentibus meritis coheredes. Quod vt vobis concedat Retributor altiſſimus cum Patre ſanctoque Spiritu ſine principio & ſine fine viuens & regnans, apud diuinam maieſtatem hactenus inſtantijs deuotæ flagitationis inſiſtimus, & ſuper hoc pio prædicto ſtudio, ipſo Deo auctore, inſiſtere proponimus in futurum. *Dat. Romæ apud S. Petrum* VII. *kal. aprilis anno* VIII.

Mētes ad cæleſtia erigant.

13 Neque ad amplificandam modo inter infideles fidem, ſed etiam illam tuendam in ijs oris, in quibus florebat, ne ab infidelibus opprimeretur, incumbendum Pontifici fuit. Cum enim Cyprus a Saracenis & Turcis, qui armorum fo-

Cyprus adducta in periculum.

ſocietatem coierant, circumfuſa in grauiſſimum diſcrimen adducta eſſet, Vrbanus ad retundendos eorum impetus Venetos ac Genuenſes maritimis viribus pollentes hortatus eſt, vt Cyprijs auxilio & opera non deeſſent. Quo argumento ad Gabrielem Adurnium [a] Genuenſium, & Andream Contarenum [b] Venetorum duces hæc ſcripſit: *Deuotionem veſtram, quam dominantium dominus multa potentia ſtabiliuit, hortamur in Domino ac rogamus attente, quatenus ob reuerentiam Dei zelumque catholicæ fidei, & noſtrorum adiectionem precaminum, dictam inſulam, quæ & veſtris ciuibus vtilis ſolet eſſe, quandiu erit in obedientia charisſimi in Christo filij noſtri Petri Regis Cypri illuſtris, tam in guerra quam pace ac treuga, quam contingeret per vos fieri cum infidelibus prælibatis, ſuſcipiatis efficaciter commendatam; obuiando nihilominus iuxta poſſe ac decentiam inuaſioni, ſi quam ſentiretis eidem inſulæ etiam per catholicos inferendam. Dat. Romæ apud S. Petrum* XII. *kal. februarij anno* VIII. Neque ab his diſcrepant literæ, quas ad Ioannam Reginam Siciliæ dedit [c], vt laboranti Cypro ſuccurreret. Ceterū tranſmiſit ad ſedem Apoſtolicam oratores Ioannes princeps Antiochenus, cui regni Cyprij adminiſtratio concredita erat, vt pontificiam opem pro regni componendo ſtatu, tuendaque Petri iunioris Regis Cypri nepotis ſui impuberis dignitate expoſceret. Quibus auditis, Vrbanus ipſorum preces in ijs, quæ iuſta viſa ſunt, admiſit; Ioannemque ad regnum ſtrenue moderandum his verbis excitauit [d]: *Hortamur nobilitatem tuam, quod circa conſeruationem perſonæ dicti* Regis, *vt ab omnibus noxijs ſeruetur illæſus, & circa ſui coronationē tempore debito faciendam, nec non dicti regni defenſionem contra ſuos et crucis æmulos adhibendam ſinceræ affectionis & efficacis ſolicitudinis ſtudiū adhibere cureris, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. februarij anno* VIII. De exceptis etiam oratoribus Alienoram Reginam Cypri certiorem fecit Pontifex [e], vtque filij cuſtodiæ curas intenderet, eſt adhortatus.

a To. 8. ep. ſecr. pag. 20.
b Ib. poſt eand. ep.
Genuenſes & Veneti ad ferendas ſuppetias excitati.
Solicitata Ioanna.
c Ib. pag. 31.
Principis Antioch. legatio ad Vrban.
d Ib. pag. 29.
e Ib. pag. 30.

14 Dum in amplificanda religione in oriente tutandaue Pontifex occupatur, deriuare ſtudiorum partem ad rebelles edomandos hoſteſque eccleſiæ comprimendos eſt compulſus. Excuſſerant enim iugum eccleſiæ Peruſini, ad quos pontificiæ gratiæ reſtituendos Florentini ſuos miſerunt oratores ſuperiori anno iam adulto, qui excepti fuerunt humaniſſime [f]: ſed illi reduci ad officium non potuere, immo fœderatorum latronum turmis ſtipati ad Viterbium caſtra promouere [g]. At Pontifex aduerſus perduelles cenſuras in primis diſtrinxit: tum expediuit arma, ne impijs religio cenſurarum ludibrio eſſet: ad quæ capeſſenda, vt facilius fideles alliceret, præmia indulgentiarum pontificia caſtra ſecututis propoſuit, atque Anglico Cardinali legato conferendi crucis ſymboli cauſam eccleſiæ defenſuris prouinciam dedit [h]. Non defuiſſe cauſæ vicarij ſui diuinam iuſtitiam, refert Vrbani vitæ auctor, qui hanc Peruſinorum defectionem ac geſta in eos a Pontifice deſcribit [i]: domitos vero annonæ inopia, cum vndique commeatus iuſſu pontificio eſſent interclusi [l] teſtatur Leonardus Aretinus [m]: extatque ad Peruſinos oratores colla iugo Apoſtolico ſubmiſſuros data pridie nonas auguſti liberi commeatus ſyngrapha [n].

Perduelles, eccleſiæ arma exercent.
f Ib. pag. 7
g Geſta Vrb. V. apud Boſq.
h An. 8. ep. cur. pag. 40.
i Geſta Vrb. V. apud Boſq.
l To. 8. ep. ſecr. pag. 143.
m Leonar. Aret. hiſt. lib. 8.
Domiti Peruſini.
n To. 8. ep. ſec. pag. 23
o Ib. pag. 72.

Miſcebat tum Etruriam Bernabos, immiſſis ſocialibus prædonum turmis, ac turpes pacis leges imperare Pontifici cogitauit [o]: ſed repulit eas Vrbanus, ac Florentinis ſignificauit, cum æquitati Bernabos ſe accōmodaret, mox pacē ſe admiſſurum. Ad frangendos porro illius conatus, tum eoſdem Florentinos, tum Piſanos alioſque fœderatos [a] clienteſque, Nicolaum marchionem Ateſtinum, Franciſcum Carrariam Patauinum, Guidonem Polentanum Rauennatem, Galeottum Malateſtam Ariminenſem, Ludouicum & Feltrinum Gonzagas Mantuanos excitauit [b]; atque Anglico Cardinali legato ſociorum copijs marchionem Ateſtinum præficere iuſſit [c]. Denique ad conficiendum felicius bellum non modo Caroli Imperatoris auxilia implorauit [d], verum euocandum in Italiam Ludouicum Regem Vngariæ eccleſiæque ſigniferum cenſuit: atque Eliſabetham & alios Vngaros principes ac præſules, vt eam expeditionem ſuſcipiendam conſulerent, hortatus eſt [e]; ac Ioanni epiſcopo Aquenſi Apoſtolicæ ſedis internuntio datæ partes [f], vt fœderis ineundi leges cum Rege paciſceretur: cui etiam Florentini ſocium oratorem, vt Vngarum in Etruriam allicerent, adiunxere [g]. At verendum erat, ne Carolus Romanorum Imperator rem ægre ferret, ac ſiniſtras conciperet ſuſpiciones, Regem Vngariæ iura imperij vſurpaturum: ad quas ex illius animo detergendas Vrbanus eidem Carolo ſignificauit [h], Vngarum in Italiam non ad ea inuadenda, ſed ruenda contra Bernabonis tyrannidem ſigna conuerſurum: rogauitque vt eundem Regem ad eam expeditionem incitaret, cum imperij vtilitatis eſſet, Etruriam a latronum fœderatorum turmis vindicare.

a Pag. 83.
In eum plures principes concitati.
b Pag. 134.
c Pag. 107.
d Pag. 109
De Vngaro euocādo jactum.
e Pag. 128. 129.
f Super. pag. 128.
g Ib. pag. 184.
h Reg. to. 8. ep. ſecr. pag. 118.

Pietatem, inquit, *tuam & imperialem magnificentiam, quam pro dicta eccleſia*, nimirum Romana, *& votis noſtris promptam ſemper inuenimus, confidentiſſime requirimus & obſecramus in Domino quatenus, cum contra potentiam & impietatem Bernabonis eiuſdem ac prauarum ſocietatum, quas aduerſus dictam eccleſiam & deuotos tui imperij fouet aſſidue, non ſperetur aliud, quam dicti Regis remedium valiturum; non ſolum non moleſte feras ipſius Regis aduentum ad terras imperij per dictum tyrannum, vt præmittitur, occupatas: ſed pro reuerentia Dei dictæque eccleſiæ ac noſtra eundem Regem, vt prompte & magnifice hoc pium aſſumat negotium, per tuos nuncios vel literas efficaciter exhorteris, ſibique tribuas auxilium opportunum, &c. Dat. apud Montemflaſconem* VIII. *kal. auguſti anno* VIII.

Rogatus Cæſar, vt aſſentiretur.

Veritus Bernabos Vngarorum Regis potentiam, atque aliorum fœderatorum, qui cum eccleſia ad reprimendam eius tyrannidem ſentiebant, pacem decima nouembris die redintegrauit ijs pactionibus, vt nullus clientelam ſubditorum, qui in alteram partem rebellarent, ſuſciperet: ac, ſi qua difficultas oboriretur, dirimeretur pontificia ſententia; quas a Bernabone poſtea violatas, queſtus [i] eſt Gregorius XI. At de his inferius.

Bernabos cum Pont. fœdus redintegrat.
i Greg. XI. an. 3. ep. cur. pag. 4.

Addemus nunc, Vrbanum ſolicitaſſe Ioannam Siciliæ Reginam ad vetera iura Caſſinenſi monaſterio reſtituenda, propoſuiſſeque [l] inter alia rem ſilentio non prætermittendam, eodem die Trinacriam a Carolo I. deſciuiſſe arcano quodam diuini Numinis iudicio, quo idem Carolus in locis Caſſinenſi monaſterio obnoxijs capitalium cauſarum cognitionem, violatis veteribus Caſſinenſium monachorum priuilegijs, ſibi arrogauit.

l To. 8. ep. ſecr. pag. 117.
Priuilegiā monaſterij Caſſinen.

Vr-

Vrbanus, &c. Ioanna Regina Siciliæ illustri.

15 Audiuimus hactenus relatione fidali, quod dictum monasterium [nimirum Cassinense] merum, & miatum imperium, & omnimodam iurisdictionem in omnibus suis terris habebat; & quod hoc in suis priuilegijs continetur: sed quod claræ memoriæ Carolus primus Rex Siciliæ in dictis terris iurisdictionem sanguinis occupauit; quodque die occupationis huiusmodi Siculi contra eum (quod dolenter referimus, sed in casu opportuno tacere non debemus id, quod putatur diuinum iudicium) rebellarunt, ex qua rebellione mala innumera sunt secuta. Audiuimus etiam dolenter sæpius, & aures tuæ, vt credimus, sunt pulsatæ frequenter, quod iustitiarij prædecessorum tuorum & tui, in terris dictis præfatis, vasallos & subditos dicti monasterij, ex quorum laboribus abbas & monachi dicti monasterij sustentantur, importabilibus grauaminibus oppressarunt, & iurisdictionem in ciuilibus, immo (quod est absurdius) etiam in spiritualibus, quam idem monasterium habet & possidet, iugiter satagunt vsurpare: propter quæ, & querelas assiduas, ac prouentuum eiusdem monastarij detrimenta grauissima status quietis eorundẽ abbatis & monachorum, ibidem laudabiliter nunc viuentium, stare non posse diutius formidatur. Quare eandem tuam deuotionem quanto affectuosius possumus deprecamur, quatenus beatum Benedictum monasterij præfati pastorem tibi & regno tuo placatum & fauorabilem constituens apud Deum, omnem iurisdictionem in dictis terris, per tuam curiam ab olim vsurpatam, velis ob reuerentiam Dei dictique sancti, & nostram affectuosam intercessionem libere restituere, & effectualiter relaxare; & si ius in ea prætendas habere, illud dicto monasterio gratiose ac liberaliter elargiri, &c. *Dat. apud Montemflasconem IV non. maij anno VIII.*

Quo die a Carolo I. violatã eodem amissa Trinacria.

16 Restituendis quidem non modo veteribus iuribus & vectigalibus, sed multo amplius religiosæ disciplinæ reuocandæ, ac primæuo sanctitatis nitori in Cassinensi monasterio adducendo egregiam operam dedisse Vrbanum, ipsius vitæ auctor subiectis verbis accurate describit [a]: *Memoratus Vrbanus Papa anno septuagesimo currente, volens quod in monasterio Cassinensi, in quo (vt supra memoratum) religio monachorum nigrorum ex institutione & ordinatione B. Benedicti suum quasi sumpsit exordium, vigeret præcipue, essentque religiosi in ipso vitam exemplarem ducentes, quemadmodum alias extiterat, postquam de episcopali dignitate ipsum ad abbatialem reduxit, tria fecit. Primo, quia erat quasi collapsum in ædificijs, quæ propter terræmotum erant pro maiori parte dirupta, ipsum fecit reparari & reædificari: & in hoc voluit exponi prouentus ipsius quandiu vacauit. Secundo aduocauit monachos, & collegit religiosos & deuotos de diuersis alijs monasterijs, in quibus sciebat vitam monasticam melius & strictius obseruari: quos ibidem instituit & ordinauit perpetuo residere, amotis abinde pluribus vagabundis & insolentibus, qui vitam secularem potius, quam regularem erant ibi soliti obseruare. Tertio deliberauit eidem in abbatem præficere aliquem, qui iuxta regulam B. Benedicti viuens, ad sic viuendum præfatos monachos suo exemplo alliceret, & etiam compelleret, vbi ad contrarium inclinatos inueniret: & tum, licet diutius perquisitum, talem iuxta suum votum in cœnobijs monachorum nigrorum non inueniret; ne in suo huiusmodi sancto desiderio frustraretur, ad habendum fratrem Camaldulensium, sub regula eadem famulantium, aspectum habuit: in quo quod optabat adinuenit, virum videlicet, qui totus erat deuotus, orationi & lectioni assidue deditus, & alias Dei seruitio semper intentus, beneque morigeratus, & in agendis circumspectus; qui etiam omni tempore ab esu carnis abstinebat, et alias insuper abstinentias ordinationesq; monasticas iuxta præcepta et instituta dicta regula indefectibiliter obseruabat. De quibus ipse plene informatus eum ad se vocauit, & (licet satis inuitum et renitentem) eidem monasterio præfecit in abbatem, et ad perseuerantiam in bonis operibus sic eum timore Domini officium sibi creditum solicite et debite exerceret, ipsum charitatiue et dulciter admonuit. Qui tam onus sibi impositum, quam monita huiusmodi humiliter suscipiens, monachos sibi subditos ad similiter viuendum induxit, et in debita religione et obedientia tenuit monasterium ipsum, pro tunc satis in spiritualibus et temporalibus reformatum in statu debito conseruauit: dedit que formam, et aperuit viam suis successoribus et posteris, vt similia facerent in futurum.* Quamuis vero anonymus auctor religiosissimi huius viri Cassinensi monasterio ab Vrbano præfecti nomen non prodat, ex apostolicis tamen literis Andream vocatum constat: extant enim hoc titulo ad ipsum præfixæ [a]: *Andreæ abbati monasterij Cassinensis nullius diœcesis.*

a Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Cassinensis episcopatus abrogatus.

Monasterio Cassinensi pristinus religionis restitutus nitor.

Andreas Camaldulensis religiosus eidem præfectus.

a To. 8. ep. secr. pag. 71.

Ad reuocandos etiam ad veram pietatem pseudomonachos, Fraticellos nuncupatos, qui pietatis specie populos impietate imbuebant, Cusentinum & Ydruntinum archiepiscopos, atque episcopum Catacensem dare operam iussit Vrbanus [b]; ac si in perfidia perstarent, meritis pœnis afficere. Libertatis etiam ecclesiasticæ asserendæ causa, cum Galeatius Vicecomes Bernabonis frater sacerdotem coniecisset in carceres, præcepit ipsi [c], vt eundem sacerdotem ad pontificia subsellia mitteret, cum illius causæ cognitio ad iudicem ecclesiasticum spectaret, si enim deliquisset, crimen impune non laturum.

b Ib. pag. 107.

c Pag. 119.

17 Interea in Hispania sub Henrico Rege noua bellorum semina ex superioribus bellis repullularunt [d]: parta enim ab eo victoria de fratre Castellæ Rege, arreptoque sceptro, mox apud exteros principes certamen ortum est, quis potiori iure ad gerendum regnum niteretur: sordidos eius natales omnes accusabant, regiæ dignitati non pares, & a legibus damnatos: ab Aragonio nonnulla loca præfectorum perfidia in deditionem redacta: Ioannes Lecestriæ dux, atque Edmundus Cantabrigensium comes Angli Regis filij Constantiam & Isabellam necati Regis filias duxerant, dotis loco paterni thesauri & regni Castellæ spe accepta: Carolus Nauarræ Rex nouorum dissidiorum occasione in proferendis limitis, & rerum suarum augendarum spem venerat: Fernandus Lusitanus Castellæ Regem se ferebat, Sanctij Regis sine controuersia pronepos; cuius milites, qui Mirobrigam præsidio obtinebant, iam superiori anno in vicinos agros magna damna excursionibus inferre cœperant: postremo (quod multo erat perniciosius) Africæ & Granatæ Mauri constantis in Petrum casum fidei prætextu Castellam magno terrore & apparatu bellico inuasere. Quibus malis consulturus Pontifex Bertrandum Conuenaeum & Agapitum Brixiensem episcopos Apostolicæ sedis internuntios in Hispaniam misit [e], vt Fernandum & Henricum con-

Castellanum sceptrum affectatum a pluribus.

d Marian. l. 17. c. 14. & 15. & alii.

Maurorũ & Granatensium excursiones.

e An. 8. ep. cur. pag. 65.

Missi a Pont. Hispaniæ internuncij.

conciliarent, ac signa in hostes fidei conuertere suaderent: tum ipsos ad conserendum crucis symbolum dimicaturis in Saracenos auctoritate instruxit. [a]

[a] Ib. pag. 140.

Vrbanus, &c. Bertrando Conuenarum & Apapito Brixiensi episcopis, Apostolicæ sedis nunciis.

18 Fide digna [b] & mœsta nimium relatio ad nostrum perduxit auditum, quod impij Saraceni de partibus Bellamarinæ ac Granatæ, Christianorum Regum occidentalium dissidia (quæ suscitauit hostis humani generis) sentientes, regnum Castellæ ipsis finitimum in graui multitudine intrauerunt, illudque depopulari rabida feritate conantur, occupando ciuitatem Alzizariensem, & alia loca regni Castellæ, & redemptos Christi sanguine crudeliter trucidando, profanando sacras ædes, rapinas & incendia commitendo, & non parcendo sexui vel ætati: propter quæ charissimus in Christo filius noster Henricus Rex Castellæ illustris contra Saracenos eosdem ad reprimendum eorum rabiem se potenter accingit, & potentius accingeret, nisi bellum, quod inter ipsum & charissimum in Christo filium nostrum Fernandum Regem Portugaliæ illustrem, proh dolor! geritur de præsenti; & inter eundem Regem Castellæ ex vna parte, ac charissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum & Carolũ Nauarræ Reges illustres ex altera timetur oriri, non absque multis eorum suorumque subditorum, totiusque Christianitatis periculis, præfatum Regem Castellæ probabiliter impediret. Propter quæ nos, de vestra prudentia & fidelitate confisi, vos ad tractandum &, Deo iuuante, firmandum solidam pacem, & veram concordiam inter Reges prælatos prouidimus destinandos; prout in alijs nostris literis inde confectis, plenius continetur.

[b] Supra pag. 45. B.

Ciuilis belli componendi ijs munus iniunctũ.

Cupientes igitur præfatum Regem Castellæ in huiusmodi suo resistendi dictis Saracenis laudando proposito confouere; ac etiam alios præfatos Reges, quorum etiam & suorum regnorum causa in hac parte manifeste agitur, ad bellum contra Saracenos eosdem eo cordialius prouocare, quo ipsi suique subditi erunt de æternis proinde præmijs certiores; vobis & cuilibet vestrum in solidum per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus postquam, fauente Auctore pacis, Reges concordaueritis prælibatos, per vos vel alium seu alios viros fideles, & ad hoc idoneos verbũ crucis viuificæ per regna & terras memoratorum Regum fidelibus ipsis proponatis, ac eos, quos ad negocij executionem huiusmodi idoneos fore putaueritis, vt venerabile signum crucis eiusdem deuota reuerentia suis imprimentes cordibus, & humeris affigentes, ad impugnationem & expugnationem dictorum Saracenorum viriliter se accingant, prompta solertia inducatis, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum v. kal. martij anno* VIII. Data est ijsdem legatis auctoritas [c], vt fœdus inter Reges ineundum sacramentorum necessarijs formulis confirmarent pacis turbatores cõpescerent, dissoluerent contraria iuramenta: tum pluribus literis cõmendatitijs excitari [d] principes ac præsules non Castellæ modo, verum Aragoniæ & Lusitaniæ, vt Gomesius Toletanus, Rodericus Compostellanus, Petrus Hispalensis archiepiscopi [e], & Velascus Coimbricensis episcopus [f] ad operam nuntijs porrigendam. Extant etiam eodem argumento hortatoriæ ad pacem ineundã atque arma in hostes fidei conuertenda literę ijsdem ferme conceptæ verbis ad Henricum [a] & Ioannam [b] Castellæ, Petrum & Alienoram Aragoniæ [c] & Fernandum Lusitaniæ [d] Reges datæ.

In barbaros sacra expeditio imperata.

[c] Ib. pag. 42

Præsules Hisp. pacis interpretes adhibiti.

[d] Ib. pag. 43. 44. 45.

[e] Pag. 33.

[f] Pag. 36.

[a] Pag. 31.

[b] Pag. 32.

[c] Pag. 34.

[d] Pag. 35.

19 Vrgebant aliæ graues Christi vicarium curæ redintegrandæ Anglos inter & Gallos pacis, quæ ipsum ex Italia in Gallias traxere, de cuius discessu hæc ipsius Vrbani vitæ scriptor consignat historiæ [a]: *Adueniente tempore æstiuo anno prædicto idem Vrbanus, recedens de Vrbe, vadensque ad Montemflasconis, declinauit Viterbium: vbi primum palam publice manifestauit se velle redire de proximo ad ciuitatẽ Auenionensẽ, & vt omnes curiales ad hoc se disponerent, ferias indixit a principio mensis iunij tunc instantis, vsque ad principium mensis octobris postea secuturi.* Traxere omnes Italiæ principes ac populi sedis Apostolicæ studiosi ex Vrbani discessu grauissimum dolorem, ac præ cæteris Romani, quos angebat ingens metus, ne alij successores ad antecessorum exemplum a restituenda Vrbi sede Apostolica abhorrerent. Vt consuleret autem eorundem Romanorum famæ Pontifex, ne videlicet suspicio sinistra rei inscios perrnaderet ex aliqua a Romanis accepta iniuria abalienatum abscessisse, publicis literis promulgauit [f], se toto triennio, quo Romæ vel in finitimis locis esset versatus, omnibus officijs cultum et habitum honorificentissime fuisse, grauissimisque de causis Gallias repetendas videri.

[a] Gesta Vrb. V. apud Bosq. Vrbanus repetere Auenionem parat.

[f] Tom. 8. ep. secr. pag. 113.

Vrbanus &c. dilectis filijs populo Romano.

Non dubitamus, dilecti filij, quod sicut nobis multorum vestrorum concinium et aliorum fide dignorum relatio patefecit, vos qui ex nostra præsentia in Vrbe pro tempore alijsque vicinis partibus habita fidelibus affectibus lætati fuistis, audito pro certo, quod nos ad partes vltramontanas redire proponimus, corda vestra de futura patris absentia graui mœstitia contabescunt; et quod ex eo inter alias vestri doloris causas tristamini, quod timetis exinde successoribus nostris Romanis Pontificibus veniendi ad dictam Vrbem subtrahi voluntatem, quod non perpetuo (vt sperabatis) sed modico tempore, videlicet triennio vobiscum ex in eisdem vicinis partibus fuerimus commorati. Licet igitur ex paternæ teneritatis affectu, quem ad vos sincere gerimus, etiam nos de huiusmodi doleamus accessu; tamen ad consolationem vestram ac notitiam præsentium & memoriam futurorum, eisdem successoribus, ac certis alijs præsentibus & futuris tenore præsentium attestamur, quod nos & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales nostrique familiares & officiales, alijque Romanam curiam sequentes, vobiscum per triennium & in locis circumuicinis in magna quiete & consolatione permansimus; vosque communiter & diuisim nos & dictam curiam reuerenter & fauorabiliter tractauistis: & quod nec causa sufficit neque subest, ex qua dictam Vrbem corporaliter relinquere debeamus; sed ex certis causis non solum vtilibus pro vniuersali ecclesia, sed etiam vrgentibus ad easdem vltramontanas partes intendimus, dante Domino, remeare: nihilominus tamen vobiscum semper mentaliter erimus quandiu in deuotione & obedientia nostra & ecclesiæ præfatæ eritis, prout semper hactenus filiali perseuerantia extitistis, vosque absentes sicut præsentes intendimus paterne fouere, & in ijs, quæ decenter poterimus, consolari. Ideoque filiationem vestram hortamur in Domino, mandan-

Romani inde graui luctu confecti.

Promulgat Põtifex & Cardinalium senatum ab ijs honorifice habitum.

dantes, quatenus sicut viri prudentes & fortes de prælibato nostro recessu ex his plenæ consolationis remedium assumentes, in vnitate pacis & soliditate quietis continue persistatis, vt bonus status dictæ Vrbis, qui vigere de præsenti dignoscitur, non solum perseueret iugiter, sed votiuum suscipiat incrementum; et nos ac ijdem successores nostri, si pro tempore suadentibus causis vtilibus ad Vrbem ipsam redire voluerimus, a veniendo propter eius malum statum minime retrahamur. *Dat. apud Montemflasconem vi. kal. iulij anno viii.*

A quibus subornatus fuerit Vrbanus.

a Petrarc. l. 13. rer. senil. ep. 13

19 Subornatum ad repetendas Gallias fuisse Vrbanum nonnullorum Cardinalium, qui solo Gallico assueti non ad ecclesiæ dignitatem, sed ad suas delicias omnia referebant, importunis susurris, atque a cœptis egregijs defecisse, narrat Petrarcha in literis ad Franciscum Brunum acerbiori stylo datis a: *Flexit*, inquit, *se finit pessimam in partem. & vt malis hominibus placeret, Christo displicuit & Petro, bonisque omnibus. Et quibus hominibus (Deus bone) voluit placere? Nempe his, qui & sibi displicebant, & quibus ipse vtique non placebat, naturali inter virtutem vitiumque odio. O felix, si contemptis, & quod maxime suum erat, auctoritate compressis, suauioribus imperijs generoso principio subsistisset! æternum inter clarissimos numerandus, si (vt quod flebiliter nuper scripsi flebilius nunc rescribam) ipsa in morte, quæ proxima, immo contigua illi erat (quod ita esse scire debuerat quia cum in omni ætate de morte non cogitare stultitia magna sit tum in senectute dementia atque insania summa est) ipsa inquam in morte grabatulum suum ante aram Petri Apostoli, cuius hospes erat ac successor, ferri iubens, ibi tranquillam & bonæ voluntatis animam emisisset, Deum hominesque testatus, si vnquam inde abscessum esset, non suam culpam, sed eorum fore, quitam turpis fugæ inuenirentur auctores. Nesciuit hoc agere, neque (vt est dictum) voluit: vtique enim & poterat, & sciebat. Sic culpas multorum infamium in se vertit, quorum consilia, quod bene egerat, male euertit. Remitte illi misericors Iesu Christe hanc animi mollitiem atque fragilitatem, & hanc & alias culpas omnes et delicta iuuentutis eius et ignorantiam hanc senilem ne memineris, quia (vt nunc sunt homines) vir meo quidem iudicio bonus fuit.*

Monetur ne Auenionem repetat.

b M S. arc. Vat. sig. 2. de schism. pag. 22. & lib. reuelat. 8. Brigit. l. 7. c. 137.

Monitum Vrbanum fuisse a Petro Aragoniæ regiæ principe Minorita, ne Auenionem rediret, ne conflandi schismatis, quo innumera innocentium Christianorum millia peritura forent, occasionem daret, refert Alfonsus b, qui episcopatus Giennensis abiectis honoribus, eremiticæ vitæ cœlestiumque rerum meditationi se totum dediderat: idemque exhomologesibus sacris S. Birgittæ excipiendis adhibitus testatur, illam cœlitus accepisse, Vrbanum si rediret Auenionem, illico moriturum; remque Rogerio Bellisorti Cardinali, qui postea Gregorius XI. in pontificatu appellatus est, patefactã: sed eum ille Pontifici id aperire non auderet, demum Vrbano apud Montemflasconem ab eadem S. Birgitta detectam; quamuis ipse eiusdem sanctæ verba veluti nullo fulta argumento, quo cœleste arcanum fuisse confirmaret, reiecerit. Quæ Gobelinus c & ex eo Chronici Belgici auctor d repetunt, ac S. Antoninus hisce verbis confirmat e: *In Monteflascone Vrbano Papa V. existente, reuelationem sibi factam a Dei genitrice, quæ sub mortis comminatione futurique iudicij districtione Pontifici inhibuit, ne de Roma vel Italia recedendo*

c Gobelin. in Cosm. ætat. 6. c. 73.
d Chron. Belg. in Vrb. V.
e Ant. 3. p. tit. 24. c. 11. § 2.

Auenionem peteret personaliter, narrauit: quod tamen Papa non impleuit; vnde mala innumera secuta sunt. Quas autem intempestiui recessus causas obtexerit Vrbanus, eius vitæ scriptor exponit: *Audiebat, inquit, mala, quæ continue fiebant, & maiora fieri sperabantur occasione guerræ nouiter suscitatæ & exortæ inter Reges Franciæ & Angliæ memoratos: quibus vt obuiare posset, multum inerat menti suæ, eratque intentionis (sibi Domino fauente) circa huiusmodi guerræ sedationem totis viribus laborare, & intendere etiam in propria ad dictos Reges accedendo hac de causa, vbi alias superbos se non posse proficere reperiret.* Subdit auctor de creatis ab Vrbano hoc anno Cardinalibus. a

Quibus causis ad reuehendam in Gallias se dem permotus fuerit.

20 *Eodem anno die sexta mensis iunij, quæ fuit feria sexta quatuor temporum post pentecostem, in Monteflascone idem Vrbanus creauit duos nouos Cardinales, videlicet dominos Petrum de* * *Seanno diœcesis Ruthenensis monachum ordinis S. Benedicti tunc archiepiscopum Bituricensem; & Petrum de Corsinis Florentinum, tunc episcopum Florentinum. Dicto autem domino Petro de Seanno, cui iam titulum S. Mariæ in Transtyberim assignauerat, vicario in patrimonio & aliquibus circumadiacentibus prouincijs ordinato, idem Vrbanus iter suum arripiens, mare intrauit in Corneto die quinta septembris, vbi inuenit galeas & nauigia ad excellentiam, de quibus cum magna excellentia & apparatu sibi prouiderant Reges Franciæ & Aragonum, Regina Siciliæ, ciuitas Auenionensis, & Prouinciales: sicque, diuino sibi assistente præsidio, iter suum continuando, Massiliæ feliciter applicuit & xxiv. Auenione, vbi cum gaudio & exultatione maxima receptus est.*

a Contel. in elench. Card.
Cardinales creati ab Vrbano.
* C. R. de Seagne

Pontificiũ in Gallias iter.

Auenionẽ ingreditur

Interiectis paucis diebus nimirum pridie nonas octobris omnia mandata circa Auenionensis rei administrationem antea data reuocauit b. Sanxit etiam c iii. id. octobris, vt facinorosi, qui ex Prouincia in Venusinum comitatum aufugerent, traderentur magistratibus Prouinciæ, ac vicissim Prouinciales scelerum reos ex Venusino comitatu fuga lapsos remitterent. Ipsis vero idibus commercium cum Ægyptijs permisit d, dummodo soldanus cum Cyprijs, Rhodijs, Venetis, ac Liguribus pacisceretur: paucisque post diebus Goffredi archiepiscopi Tolosani precibus adductus, Clementis VI. subiectum de suffraganeorum in metropolitanos officio instaurauit e.

Extrema illius gesta.
b An. 8. ep. com 364.
c ib. ep. 368.
d Ib. ep. com. 365.
e Ib. ep. 359.

Clemens &c. ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex obtinens super vniuersas orbis ecclesias diuina institutione primatum, circa ipsarum iurium conseruationem more beneuoli patris libenter intendit, sic eis cum expedit præficiendo prælatos, vt per hoc iuri alterius nullatenus derogetur. Cum itaque, sicut multorum insinuatio ad apostolatus nostri deduxit auditum, nonnulli reuocare nituntur in dubium, vtrum episcopi seu alij prælati sedi Apostolicæ non immediate subiecti, qui per sedem ad cathedralium ecclesiarum vel quarumcumque dignitatum regimina pro tempore promouentur, munusque consecrationis seu benedictionis a nobis seu de mandato nostro in Romana curia, seu extra suscipiunt, ac fidelitatis nobis & eidem sedi præstant solitum iuramentum, suis metropolitanis teneantur seu prælatis alijs, quibus immediate subsunt, aliud consuetum iuramentum præstare; nos volentes cuiuslibet hæsitationis scrupulum in præ-

Suffraganei deposito apud sedẽ Apost. sacramentum Metropolitano repetere debẽt.

missis auferre, episcopos & prælatos alios supradictos, per sedem eandem ad huiusmodi regimina iam promotos, & quos in posterum promoueri continget, auctoritate præsentium declaramus, ad omnia illa suis metropolitanis seu prælatis alijs immediate superioribus omnino teneri, ad quæ tenerentur, si non per dictam sedem vel de mandato ipsius sedis ad huiusmodi regimina promoti nec iuramentum huiusmodi per eos nobis vel eidem sedi præstitum extitisset. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. kal. octobris pontificatus nostri anno VIII.* Hoc Clementis diploma renouatum consignat hac formula Vrbanus, *Dat. Auin. XII. kal. decembris anno VIII.*

21 Incubuisse etiam Vrbanum ad pacem inter Anglos Gallosque redintegrandam, refert ipsius vitæ auctor a his verbis: *Postquam rediyt de partibus Italiæ, totaliter mente disposuit in propria laborare circa pacificationem dictorum Regum Francorum & Angliæ, ad quod etiam * circa præparatiue ordinauit: sed satis cito magna infirmitas ipsum arripuit, ex qua sentiens grauari, mortemque sibi propinquam æstimans, ad ea vacare destitit.*

a Gesta Vrb. V. apud Bosq. certa. Anglicũ bellum niticur componere Vrbanus, Morbo extinguitur.

Cumulanda hic nonnulla Vrbani gesta, & elogia, quæ vitæ illius scriptor nullo certo anno consignata recenset subiectis verbis: *Dictus Vrbanus Papa quasi a principio sui pontificatus in plerisque locis continue ædificauit: & primo in palatio Auenionensi, quod in magnam partem ampliauit in illa, qua hodie vulgariter Roma appellatur: in qua sunt habitationes, deambulatoria & viridaria miræ pulchritudinis & amœnitatis: habent etiam in se maiorem delectationem, quam etiam quæcumque alia in toto palatio existentes. In loco etiam de Bodostro diœcesis Mimatensis, vbi erat ecclesia baptismalis & parochialis loci sua originis, spectabatque ad domum suam paternam, a sola ædificauit pulchram & satis nobilem ecclesiam, quam muris altis & turribus ad modum castri circumdedit, in qua constituit collegium certorum canonicorum secularium & decani, qui ibidem haberent Deo perpetuo deseruire in memoriam sui & parentum suorum, quorum sepultura est & erat ibi ab antiquo: dotauitque dictum collegium tam de bonis paternis, quam alijs bene & sufficienter. In ecclesia etiam de Guesato dictæ diœcesis, vbi est oratorium spirituale & deuotum B. Mariæ virginis, collegium nouum instituit certorum canonicorum secularium, & qui ipsis præsideret * decanus: pro quorum sustentatione sufficienti redditus & prouentus multos acquisiuit & ordinauit, fecitque muris et turribus dictam ecclesiam altis circumdari. Idemque fecit in plurimis alijs locis et ecclesijs Dei seruitio deputatis, in dicta diœcesi constitutis, de quibus dubitauit, quod tempore guerræ faciliter possent capi aut hostiliter impugnari. In Roma etiam existens ecclesias Lateranensem et S. Pauli, quarum tecta erant totaliter demolita, fecit mirabiliter et sumptuose reparari. Idem fecit de ecclesia sancti Petri in ea parte, in qua reparatione indigebat. Insuper tam in Vrbe, quam in alijs ecclesijs, locis religiosis, et ecclesiasticis, prout eorum necessitas exigebat, vestes sacras, calices, ornamenta ecclesiastica, et libros ad officium diuinum opportunos innumerabiliter distribuit atque dedit, reliquiasque multorũ sanctorum, auro et argento, gemmis ac lapidibus pretiosis adornatas, reposuit in eisdem.* Et infra: *Beneficiorum multiplicationem, præsertim incompatibilium, in eandem personam concurrentium, iniustissime tolerauit: immo multos ex illis, qui plurima obtinebant, priuauit relictis eis tantummodo illis, quæ suo statui et sufficientiæ congrue conuenire iudicauit; super quo etiam constitutionem edidit, quæ incipit, Horribilis; in qua quod suo tempore licere sibi non passus est, suis successoribus indicauit.*

Templa ab eo ædificata, muris circumdata, extructa.

Decanum

Collatus sacer ornatus.

Sacerdotia plura ab vno geri vetita

Viros literatos valde dilexit, multosque ex ipsis promouit et exaltauit: et vt daret cæteris ad discendum materiam et opportunitatem, quamdiu vixit in papatu, suis expensis tenuit mille studentes in diuersis studijs, ex quibus cum aliqui erant promoti, aut alias deficiebant, illorum loco alios continue subrogauit, libros necessarios tam eis quam alijs pluribus, quos sciuit studio esse intentos ipsisque indigere, etiam ministrauit. De pauperibus & egenis alijsque miserabilibus personis semper sibi singulariter cura fuit adeo, quod vbi ipsos esse cognouit, ipsorum inopiæ liberaliter & generose subuenit; præsertim illorum, qui alios abundantes extiterant, & demum ad paupertatem deducti erubescebant mendicare. Et infra: *Non enim curauit conseruare pecunias; & si quas aliquando habuit, ipsas feliciter aut in ecclesiæ negotijs exposuit, aut in pijs operibus erogauit.*

Egeni clerici adiuti

Ad beneficiorum collationes, prouisionesque ecclesiarum & monasteriorum habens procedere, magnam inquisitionem solertemque examinationem fieri semper fecit super meritis & sufficientia illorum, de quorum prouisione aut promotione actum fuit, per quas cum bene meriti & sufficientes inuenti sunt, ipsos liberaliter & gratiose promouit, etiam quandoque inscios & non procurantes: vbi vero inuentum est oppositum, præsertim si fuerunt in vita vel conuersatione maculati, aut scientia vel ætate notabiliter defectuosi, etiam quarumcumque precum seu intercessionum obtentu, eos nullatenus saltim scienter admisit. Toto tempore suo diligentiam maximam adhibuit, inquirendo mores & vitam generaliter omnium suorum subditorum, & præsertim ecclesiasticorum: super quo modum tenuit valde notabilem & honestum. Secretissime namque fere de omnibus nationibus aduocauit ad se aliquas personas deuotas, discretas, Deum & suam conscientiam pertimescentes, quas super inquisitione huiusmodi per earum quaslibet in suis locis seu regionibus occulte fienda, & demum sibi referenda specialiter onerauit: sicque actum est, quod saltem notabilium fere omnium morum & vitæ satis notitiam habuit: qua habita bonos in bono confirmauit, malos vero a malo cohibuit, aut corrigi & emendari procurauit per visitatores aut reformatores, quos ad hoc demum specialiter deputauit. Volensque curiales ecclesiasticos sic honeste viuere, quod essent cæteris in exemplum, a principio suæ creationis pœnaliter ordinauit, quod omnes generaliter & indistincte in aduentu Domini & duabus diebus quartam feriam cinerum immediate præcedentem ab esu carnium abstinerent: & in dictis diebus seculares & laicos in curia existentes etiam voluit comprehendi.

In ijs conferendis adhibita ab Vrbano diligẽtia.

Ieiunia aduentus Domini indixit ecclesiasticis

22 *Affectum carnalem nequaquam ad suos se habere demonstrauit: nullum ex eis ad quamcumque prælaturam promouit, nisi duos dumtaxat, videlicet memoratum fratrem suum, & nepotem ex consanguineo germano doctorem decretorum aliisque bonum & sufficientem, quem ecclesiæ S. Pauli in episcopum præfecit: alios autem quanquam essent boni & idonei, aut beneficijs satis simplicibus, aut officijs curiæ voluit remanere contentos. De laicis etiam nullum exaltauit: immo nec per alios exaltari permisit. In cuius euidentiam expresse recusari ordi-*

Consanguineos paucis cõtentos esse iussit.

ordinauit per patrem suum sexcentas libros rendua-les, quos Rex Franciæ sibi dederat ob sui fauorem. Nepotem etiam suum vnicum, & ad quem paterna hereditas pertinere debebat, non tam altæ ei, immo nec æquali sibi in genere voluit matrimonialiter copulari: suscepit namque sibi in vxorem filiam cuiusdam mercatoris Montispessulani satis simplicis sui generis respectu; quam tamen, vt creditur, ipso adhuc in minoribus existente dictus nepos minime recepisset. Ipse etiam paternaliter & charitatiue omnes dilexit; in his tamen, quæ pertinent ad Deum, neminem timuit nisi eum, cuius gratia suffultus fuit: & taliter vixit, quod vniuersaliter amabatur a malis; fuit enim sancta & iusta intentionis faciendi in omnibus quæ Deo credebat fore placitura, & contraria euitandi, habuitque in mente constantiam, veritatem in ore, & efficaciam seu virtuositatem in operatione.

Munéra amplitudinem in ipso odit.

23 Consensit extremus vitæ actus superioribus virtutum exemplis, quem illius gesta ex archiuo monasterij S. Victoris ita describunt a: *Obijt die decima nona mensis decembris circa horam nonam pontificatus sui anno nono in camera domus habitationis domini Cardinalis Albanensis ianuis patentibus & apertis omnino, vt quilibet veniens ad videndum eius finem felicem & catholicum intrare posset; signum sanctæ crucis tenens in manibus, & vestitus semper existens, nec de illa infirmitate. iacuerat quomodolibet denudatus.* Pœnituisse illum non persecti diuini imperij, quod S. Birgitta ipsi significarat, votumque de restituenda Romæ sede Apostolica concepisse, refert, Alfonsus olim episcopus Giennensis b, de quo supra memoraui. Vt vero rite sacramentis communitus sit, dictaque omnia sua decretis ecclesiæ submiserit, narrat accuratus vitæ illius scriptor c.

a Ext. in MS. Vat. sign. nu. 4036. & apud Mass in Vrb. V.

b Pœnituit illum recessæ in Gallias sedis Apost.

b MS. arc. Vat. to. 2. de schism. pag. 2 n.

c Gesta Vrb. V. apud Bosq.

Sacramentis rite munitur.

Ad illa, quæ animæ suæ salutem concernere poterant, totaliter se conuertit, humiliterque & deuote sæpius confessus est, & cætera ecclesiastica sacramenta suscepit. Præsentibus etiam cameraria, confessore, pluribusque alijs familiaribus suis ac alijs multis notabilibus personis, dixit & asseruit, se tenere & credere firmiter, sicq; confessus est simpliciter, quidquid sancta catholica & apostolica tenet, docet, & prædicat ecclesia: & si per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando, vel aliás aliud quouis modo prædicauerat vel dixerat, totum id reuocauit, voluitque haberi pro non dicto, submittens se & dicta sua huiusmodi correctioni & determinationi dictæ sanctæ matris ecclesiæ, a qua asseruit se nunquam deuiasse scienter. Tandem vero post multa bona & virtuosa opera in Domino requieuit die xix. mensis decembris anno Domini MCCCLXX. pontificatus sui anno nono; fuitque sepultus in ecclesia maiori Auenionensi, demum transferendus ad monasterium S. Victoris Massiliensis, vbi viuens suam perpetuam elegerat sepulturam, magnis & stupendis miraculis coruscando; vacauitque sedes xx. diebus. Effulsisse miraculorum gloria etiam Petrarcha testatur d, a quo ob recessum in Gallias perstrictum inconstantiæ vidimus:

Dicta sua submittit decretis ecclesiæ.

Claret miraculis.

d Petr. l. 13 var. senil. ep. 13.

Vt apud nos, inquit, *auditum est, sanctitatis eius fama nunc maxime celebratur, & miraculis claret, quod nulli ex prædecessoribus suis his nouissimis accidit.* Verum Benedictum XII. etiam miraculis fulsisse, ex illius vitæ auctore vidimus. *Nihilominus tamen adhuc sancto illi viro detrahitur ab his ipsis, vnde me solor, quibus ego peccator, vt dixi, non nisi propter veri odium odiosus sum. Ille autem dictu mirum ob hoc solum, quod Romanos Cardinales discolos & errantes Romam, hoc est in domum propriam reduxit, & reducturus iterum timebatur, Cardinalibus ipsis (non vt reor omnibus, sed omnium pessimis) odio erit æterno: quod nihil est aliud, quam si æcens pia manu fouea eductus increpitis, suaque domus ad ostium directus, perpetuo directorem suum oderit.* Cum floreret multis sanctitatis argumentis illius memoria, Vvaldemarus Daniæ Rex quinto post anno a Gregorio XI. expetije, vt sanctorum catalogo Vrbanus adijceretur; cui idem Gregorius hæc rescripsit a x. kal. septembris pontificatus anno v. *Nobis exposita affectione sincera, quã ad felicis recordationis Vrbani Papa V. prædecessoris nostri memoriam habere dignosceris, serenitati tuæ inde grates referimus copiosas, deuotionem tuam plurimum in Domino commendantes: vnde si nostro tuisque temporibus canonizationem ipsius venire contingat, de ipso te faciemus certiorem.* Consensit ea religiosa actio de miraculis Vrbani, quæ oborto postea schismate instaurata est: libellum enim eius gesta continentem, consentientemque omnino dictis antea a nobis, Massilienses monachi S. Victoris, ac Petrus Olmarius canonicus Aquensis procurator Caroli Francorum Regis & Ludouici Andegauensis, aliorumque principum ac præsulum nomine Clementi VII. antipapæ porrexere, vt cælitum numero illum adscriberet. Quod ad sedis tempus attinet, cum renuntiatus fuisse tradatur summus Pontifex (vt in ipso pontificatus exordio anno Christi MCCCLXII. retulimus) vigesima octaua octobris die, ac promulgata nimirum tunc a Cardinalibus electione mox atque transmissum ab illo Massiliæ consessus decretum recepissent, obierit vero hoc anno die XIX. decembris, vt affirmat eius vitæ auctor atestanturq; Cardinales in literis ad Anglicũ episcopum Card. Albanensem demortui Pōtificis fratrē, quas mox subijciemus, ipsum sedisse annos octo, mēses vnũ, dies XXIII. dicendũ est, eo dierũ numero non recēsito, quibus electio arcana latuit.

a Greg. to. 5. ep. sec. pag. 235.

De eo sanctorũ catalogo apponendo agatur.

Sedis tempus.

b Gesta Vrb. V. apud Bosq.

24. Eadem enim die, qua Vrbanus excessit e vita, Cardinales Anglicum episcopum Albanensem certiorem de tanti fratris obitu factum rogauere, vt egregie b ditionis ecclesiasticæ prouincias, quibus præerat, administraret, dum ipsi designando nouo Pontifici vacabant.

b Reg. lit. secr. Card. sede vac. Vrb. V. pag. 1.

Miseratione diuina .. episcopi .. presbyteri & .. diaconi S. R. E. Cardinales, venerabili fratri Anglico episcopo Albanensi, terrarum ipsius ecclesiæ in Italia consistentium pro eadem ecclesia in temporalibus vicario generali, salutem in Domino.

Quod ex casu flebili corde turbati officiũ consolatoris assumimus, illius dilectionis feruor efficit illius nos ad id plenitudo dilectionis impellit, quæ nil humanum a se reputans alienum, sic ex intimis dolenti condolet, & patienti compatitur, vt non minus in eius, quam in proprijs angustijs anxietur. Hodie siquidem, sanctæ memoriæ domino nostro domino Vrbano Papa V. circa horam vesperorum sublato de medio, grauis mœror in amara consideratione iacturæ, quam pertulit vniuersalis ecclesia, omnium nostrum mentes inuasit, vobisq; mœsto spiritu eo profundius condolemus, quo vos in subtractione tanti germani, [Ex his atque ex gestorum Vrbani scriptore alijsque emendandi sunt, qui Anglicum eiusdem Pontificis nepotem extitisse tradunt] grauioribus debere præsumimus doloribus occupari. Sed quia Domini sententia statutum est hominibus semel mori, iuxta quam sententiam proprio suo Filio non pepercit; rogamus vos, vt sapientia

Cardinalium lit. ad eius fratrem Anglicum.

iuxta sapientis consilium non detis dolori cor vestrum, sed illum abijcientes dicatis cum beato Iob: *Sit nomen Domini benedictum*; quia cum Rex iustitiæ ponderet æquo libramine vniuersa, nil in terra permittens facere sine causa, nemo illi audet dicere, cur sic facis? Est etiam in quo potestis non modicum consolari, quia idem dominus, longa infirmitate vexatus, interim recepit deuote & humiliter ecclesiastica sacramenta.

Rogamus etiam vos, vt sic circa regimen terrarum vobis commissarum vigilare velitis, vt posteriora prioribus continuando acquiratis laudem apud homines, & meritum apud Deum: nec ipsum regimen propter pericula, quæ maxime hoc tempore possunt verisimiliter occurrere, donec super hoc aliter fuerit prouisum, dimittere velitis. Deus autem consolationis in præsenti vos dirigat, & in futuro ad consolationem perducat æternam. *Dat. Auin. die decimanona mensis decembris.* Conceptæ sunt paulo a immutata forma aliæ ad Petrum tit. S. Mariæ Transtyberim presbyterum Cardinalem, vt ad prouinciarum, quibus in Italia præerat, custodiam diligenter incumberet.

a Ead. pag. 8.

25 Funeribus Vrbano ex maiestate pontificia (vt moris est) persolutis, S. R. E. Cardinales xv. kal. ianuarij conclaue ingressi die penultima decembris, vt confirmant datæ aliquot post annis Gregorij literæ b Petrum Rogerij Clementis VI. ex fratre nepotem annorum quadraginta, cum anno ætatis octodecimo creatum diaconum Cardinalem S. Mariæ nouæ vidimus c, consentientibus suffragijs summum Pontificem designarunt, vt eius vitæ auctor subiectis verbis tradit d: *Gregorius Papa XI. natione Aquitanicus, de loco de Malamonte diœcesis Lemouicensis oriundus, post dictum Vrbanum V. fuit Auinione electus in Papam die penultima mensis decembris anno Domini* MCCCLXXI. Petito nimirum illius exordio a festo natali Domini, non a kal. ianuarij, vti nunc moris est. Pergit idem auctor paucis interiectis disserere de eius primordijs, morum elegantia, ac literarum peritia: *Hic, inquit, primo vocatus erat Petrus Rogery, cuius pater erat Guillelmus comes Bellifortis, & in adolescentia sua fuit * . . . & demum sanctæ Mariæ nouæ diaconus Cardinalis factus per Clementem Papam VI. cuius erat nepos ex fratre.*

b Greg. an. 6 ep. cur. pag. 17.
c An. Chr. 1348. n. 36.
d Gesta Greg. XI. apud Bosq.
Gregorius XI. subrogatus Vrbano.
Eius primitiæ.
* Capri-mo notarius sedis Apostolicæ

Hic quamquam esset satis iuuenis quando fuit factus Cardinalis, cum nondum attingeret octodecim annos suæ ætatis; tamen erat totus ingeniosus & aptus, ac studio literarum valde intentus: volensque in eis proficere amplius post promotionem suam ad statum huiusmodi, accersitis sibi notabilibus ecclesiasticis, quos secum continue habuit, audiendo & legendo circa legalem scientiam diutius insudauit, & adeo in ipsa profecit, quod vnus de profundioribus & sufficientibus totius orbis in ea fuit effectus. Demum se conuertit ad canones theologiamque ac philosophiam naturalem, in quibus se adeo notabiliter profundauit, quod in collationibus & cancelys ac alys actibus suo statui congruentibus, in quibus de pertinentibus ad huiusmodi facultates actum fuit, sufficientissime perorauit. Tum circa decisionem etiam causarum diligenter insistit, habuitque in ista tam iuris quam facti experientiam tantam, quantam quicumque alius status sui. In expeditione vero negotiorum sibi commissorum, aut aliorum, quæ secum aut per eum tractanda occurrerunt, admodum peritum, gratum, benignum, & mansuetum se habuit, quod de ipso vniuersaliter omnes secum agere habentes multum remanserunt contenti. Et cum esset humilis, modestus, circumspectus, & liberalis, ac alijs multis virtutibus dotatus, omnes tam seculares principes quam prælati, & vt plurimum quicumque ad ipsum recursum habentes eum potissime dilexerunt. Habuit etiam magnam gratiam in collegio Cardinalium, adeo quod demum suis suffragantibus meritis per debitam concordiam fuit, vt præmittitur, ab ipsis electus in Papam die supradicta de mane, quam sola nox præcesserat ab introitu conclauis eorundem. Fuit tamen ipse in consentiendo multum retinens et contradicens; immo difficillime per eos ad hoc potuit inclinari. Sed tandem cum omni humilitate diuinæ & ipsorum se subiecit voluntati.

Studia.
Virtutes

26 Certiorem fecit eadem die, qua ad summi pontificatus apicem est euectus, Gregorius Carolum Francorum Regem de accepta a se ecclesiæ catholicæ gubernaculis, hortatusque est, vt eius progenitorum more ecclesiam meritis obsequijs prosequeretur: ac vicissim studia sedis apostolicæ beneuolentiamque in ipsum explicaturum spopondit a.

a To. I. ep. secr. pag. I.

Gregorius electus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Regi Francorum illustri salutem.

Rerum omnium prouidus ordinator iuxta sui dispositionem arbitrij, quod non fallitur, licet eius arcana ratio nequeat ab omnibus comprehendi, sic dat esse rebus ipsis, sicque dispensat ineffabili prouidentia munera gratiarum, sic etiam creaturarum conditiones & status ordinat, prout vult, & variat & disponit, quod in horum consideratione sensus hominis non sufficit, cum sint inuestigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani capere nequeant intellectus: facit enim fortem ex debili, tristibus dat solamen, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula, tamquam palmo concludens omnia, potestatem. Sane felicis recordationis Vrbano Papa V. prædecessore nostro de præsentis vallis miseriæ ad supernam patriam euocato, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, pro futuri substitutione pastoris conuenientes in vnum, sub deliberationis magnæ consilio, quam tanti negotij qualitas exigebat, licet potuissent in alios consentire maiorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos ad tantæ administrationis præcellentiam digniores; tamen ad personam nostram dirigentes vnanimiter vota sua, nos tunc sanctæ Mariæ nouæ diaconum Cardinalem ad celsitudinis apostolicæ speculam, sicut Domino placuit, hodie per viam sancti Spiritus euocarunt. Nos vero in considerationis examine onus huiusmodi per hoc nostris imponendum humeris, & opus nostra prosequendum solicitudine attendentes, nostrarumque metientes virium quantitatem, virtutum quoque nostrarum merita prospicientes ad onus ipsum minime posse sufficere, eligendum sano consilio putabamus, vt humeri subducerentur ab onere & manus ab opere arcerentur. Verum ne diuinæ voluntati resistere videremur, de illius confidentes clementia, qui debilem roborat, & lapso dat virtutem, quique solus potest, cum omnis sufficientia sit ab eo, nostram insufficientiam abundantia virtutis suæ supplere; in humilitatis spiritu tanti oneris sarcinæ imbecilles exposuimus humeros, & humiliter colla submisimus iugo apostolicæ seruitutis; suppliciter implorantes, vt ipse omnipotens Dominus, qui ti-

Eius ad Gallum Regem literæ.

timentibus inuocantibus nomen suum mira tribuit operatione virtutis, id quod possibilitas nostra non obtinet, supernæ prouidentiæ gratia largiatur.

De tua igitur, fili charissime, eximiæ deuotionis sinceritate, quam semper ad Romanam ecclesiam habuisti, grande nostræ fiduciæ suscipientes fulcimentum, ad quam dudum, dum minori fungeremur officio, specialem & intimum habuimus & nunc etiam habemus affectum, huiusmodi promotionem nostram duximus nunciandam; serenitatem regiam attentius deprecantes, quatenus apud Patrem luminum sedulis orationibus & deuotis insistas, vt ipse de suæ benignitatis clementia oculos nostræ mentis illuminans, & in semita mandatorum suorum dirigens actus nostros, gregem suum nostræ solicitudini creditum nos sic salubriter gubernare, sic in commissi nobis executione regiminis suum beneplacitum adimplere concedat, vt sibi cedat ad gloriam, nobis & commisso curæ nostræ populo salutem. Et insuper progenitorum tuorum Christianissimorum Regum Franciæ laudabilia imitando vestigia, Romanam & alias ecclesias & personas ecclesiasticas fauere & honorare studeas; & super ijs, quæ tibi & tuis videris profutura, nos prompta securitate requiras: nam regiæ serenitati se fauorabilem in omnibus exhibebit apostolici fauoris & gratiæ plenitudo: te siquidem etiam non petente, proponimus (diuina fauente clementia) tuæ magnitudinis incrementis felicibus exaltare. Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen nostrum est appensa præsentibus, quæ ante consecrationis, & benedictionis nostræ solemnia transmittuntur: quia ij, qui fuerant hactenus in Romanorum electi Pontifices, consueuerunt in bullandis literis ante suæ consecrationis & benedictionis munus modum huiusmodi obseruare. *Dat. Auin. III. kal ianuarij suscepti a nobis apostolatus officij anno 1.* Postridie eius diei ad Ioannam Reginam Siciliæ de eodem scripsit a. Parum ab his discrepant literæ sequenti ineunte anno ad Petrum Regem Aragonum b, Amedeum comitem Sabaudiæ c, nec non ad archiepiscopos & episcopos d datæ, quibus ipsos ad curas in populo Christiano in viam salutis adducendo defigendas adhortatur.

a Rad.pag. 3. b Ib.pag.3. c Ib.pag.4. d Pag.24.

27 Addemus ad huius anni calcem duorum Regum, Casimiri Poloniæ & Dauidis Scotiæ obitum. Gessisse Dauidem Scotiæ sceptrum annis triginta nouem, refert Hector Boethius e, illudque Roberto Stuarto ex sorore nepoti transmisisse; idemque Vngaro ad Polonici sceptri successioné vocato contigit. De Casimiro scribit Michouias f, ipsum, cum in venatione ceruum fugientem insequeretur, excussum equo & collisum morbum contraxisse, auxisseque intemperantia sua; atque, eo ingrauescente, inter cætera dona magnifica, quibus charissimos quosque ornauit, hæc ecclesijs contulisse: *Ecclesiæ Cracouiensi crucem magnam auream pluribus gemmis & lapidibus ornatam, quæ decem millibus florenorum pensabatur. Item ecclesiæ Gnesnensi delatorium sacramenti vulgo monstrantiam dictum, argenteum deauratum reliquijs sanctorum refertum, & bibliam decoram. Item brachium S. Cosmæ in reseruaculo argenteo deaurato ecclesiæ Posnaniensi.* Et infra: *His itaque compositis, sacramentis Eucharistiæ & sacræ vnctionis perceptis, in palatio inferiori amplo castri Cracouiensis ad meridiem sito feria tertia proxima ante festum S. Leonardi, quæ fuit quinta nouembris, anno ætatis suæ sexagesimo completo, circa ortum solis spiritum Deo reddidit.* Addit idem auctor sceptrum Polonicum annis quadraginta eum tenuisse, illudque Ludouico Regi Vngariæ ex sorore nepoti transfusum. Vbi increbuit mortis Casimiri Regis Poloniæ fama, Lithuanorum duces Keystutus Lubardusque Vvladimitiensem ac Sandomiriensem terras collecto exercitu vastarunt, ac dum prædas abigebant, & veræ crucis, quam Christus suo cruore sacrauit, partem abripiebant, insigne id miraculũ contigit.

Regis Scotiæ obitus Et Casimiri Regis Poloniæ. e Hect. Boet.l.15. f Michou. l.4.c.22. Pia eius munera in ecclesias. Adiuncta Vngariæ Polonia. Lithuanorum in eã excursio.

Inter alias prædas, subdit Michouias a, *lignum crucis viuificum ex Caluo monte receptum abducebant: & cum essent in finibus Poloniæ, currus in quo vehebatur lignum crucis, repente substitit, nec vllo modo moueri potuit. Flamen autem Lithuanicus dixit, currum moueri non posse, nisi crux in locum suum redderetur: mox que in Caluum montem per vnum nobilem captiuum Polonum Karabolam dictum, ob id libertate donatum, remissa est.* Gesta etiam bella atrocia Lithuanos inter & Cruciferos narrat idem auctor, & Keystutum ducem Lithuaniæ Tartarorum, Ruthenorum, aliorumque barbarorum numerosum exercitum vna cum Olgerdo fratre Prussiæ infudisse, ac Vvinrichum equitum Theutonicorum magistrum ad reprimendam populationem secundo prælio dominica, qua propheticæ laudes: *Exurge quare obdormis Domine?* canuntur in diuinis mysterijs, certasse cum infidelibus, ac victoriam retulisse: accurrisse vero auxilio Leopoldum Austriæ ducem, iunctisque copijs suis, Samagitiam euastasse.

a lib.4.c.29. Dominicæ crucis pars, ula ab infidelibus cælesti prodigio auehi non potest. Lithuani in Prussia profligati.

IESV CHRISTI

Annus 1371.

GREGORII PP.XI. annus 1.	CAROLI IMP. OCCID. 26. IO.PALÆOL.IMP. OR. 31.

a ANno a Virginis partu septuagesimo primo supra millesimum trecentesimum indictione nona Gregorius ad componendas occidentis res, vt orienti ab infidelibus ad extremæ seruitutis periculum adducto succurreret, animum & cogitationem intendit; inhærensque Vrbani V. vestigijs, qui pacis Francorum inter & Anglorum Reges conciliandæ studio Simonem tit. S. Sixti & Ioannem tit. SS. Quatuor coronatorum presbyteros Cardinales crearat Apostolicæ sedis legatos, vt impositum munus facilius prosequerentur, noua auctoritate instruxit, ac Regibus mala ingentia e bello emersura exponere iussit b. Recensentur ea in diplomate pontificio c, cuius partem subijcio: *Propter guerras*, inquit, *quæ quotidie nimium inualescunt, animus noster dolet non immerito vehementer, & eo potius intima cordis nostri amaricant acerbius, & durioris punctionis affligunt aculeo, quo periculosas huiusmodi discordiarum & guerrarum circumstantias nobis intentioris considerationis discussio efficacius repræsentat. Attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerunt; & commoda plaque Dei negotia, quæ impediunt, & vtinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex talibus discordijs atque guerris non solum Babylonicus hostis, sed etiam alij Reges & reguli Agareni de partibus Africæ, ad occupandas terras Christianorum & religionem Christiani nominis extinguendam sumpserunt, sicut factis experientia docuit, audaciam transfretandi; & quod continue arctiores filio*

Decreti duo Cardin. ad Franc. & Angl. Reges. b Tab. ep. secr. pag. 86 & 129 c Au. 1. pag.194. Nascentia e mutuo bello mala exposita.

Infideliũ ingrauescere potentiam.

to & perniciosiores molestias inferre Christianorum Regibus atque regnis & populis machinentur? Quis etiam quomtumlibet studiosius concipere poterit quantum tantorum principum, tanta sanguinis propinquitate & affinitate iunctorum, perniciosa &, proh dolor! inueterata dissensio, si inualescat vlterius, et hostilis cõgressio Christiani sanguinis hauriet, prout exhausit, quas hominũ strages ingessit & ingeret, quot animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam & producit, quot profluuia sumptuum & expensarum abyssos tantorum principum horribilis grauisque commotio & eius prosecutio exegerunt hactenus & exigunt incessanter? &c. Dat. Auen. VII idus martij anno I.

Pontificius labor frustra adhibitus.

a Gesta Greg. XI. apud Bosq.

2 Consumptos ab ijs frustra labores, neque legatos ipsos inter se consensisse, refert Gregorij vitæ scriptor a: *Tandem*, inquit, *licet diutius circa hoc laboriose & diligenter institerint, nihil proficere potuerit, tum quia inimicitiæ erant inter ipsos Reges nimium indurata; tum etiam quia ipsi Cardinales videbantur partiales potius existere, quam tractatores: & merito, cum primus Angliæ, & secundus Franciæ Regum prædictorum cancellarij & familiares per prius extitissent. Hoc etiam non obstante, dictus Gregorius Papa successiue similis de causa ad dictos Reges plures alios nuntios, alterius tamẽ status & cõditionis, misit: immo et quamdiu ecclesiæ præfuit, continue aliquos notabiles inter eos habuit circa tractatum huiusmodi laborantes.* Missum Ioannem episcopum Sarlarensem b ad dirimendas acies, cum Ioannes Lanclastriæ comes & Ludouicus Andium dux certamen essent conserturi, auersumque a pacis consilijs fuisse Eduardum e memiuere pontificiæ literæ; non sine tamen rerum suarum damno, cum Anglicos impetus Carolus cunctando fregerit, vt tradit gestorum Gregorij auctor d.

b An. I. ep. cur. 9.

Anglus a pacis consilijs auersus.

c To. I. ep. secr. pag. 83.

d Gesta Greg. XI. apud Bosq.

Interea Henricus Castellæ Rex Francos fœderatos omni contentione adiuuit, classemque validissimam Gallis Rupellam obsidentibus subsidio misit e, vt Anglorum nauales copias interciperet. Commissa est peruigilio S. Ioannis Baptistæ atrox pugna maritima Anglos inter & Castellanos, in qua Pembrochius comes ab Hispanis victus succubuit: ac tum Anglicæ vires eo aduerso conflictu elisæ, præter enim militum ac nauium iacturam, hostis viginti marcharum millibus, ad stipendia suppeditanda militi missis, potitus est: obseruatque Vualsinghamus, adscribendam diuinæ iustitiæ eam cladem, iniustis namque artibus partam fuisse atq; ab ecclesiasticis emunctam: eam ante vim comitem Pembrochium adulterij macula contaminatum extitisse, ac libertatem ecclesiasticã in regni ordinũ publicis conuentibus opprimere meditatum: hæc vero contigisse die S. Etheldredæ sacro, cuius ecclesiæ possessiones regia sententia abalienatæ fuerunt. Addit idem auctor, eo sinistro casu percitum Eduardum Regem ingentem parasse classem, vt Rupellam obsidione liberaret; sed contrarijs ventis repulsum. Cæterum mixtos superiores aduersos casus alijs secundis fuisse docet, partamque de Flandris naualem victoriam. Et quidem Pontifex Eduardum vt trophæis ac triumphis clarissimum alloquitur in hortatorijs literis, quibus ipsum adulto iam anno ad pacem summa precum contentione est adhortatus f.

e Vualsin. in Eduar. III. Froiss. hist. l. I. Paul. Æmil. in Carol. V. Vict^a maria classe Hispana.

Rogatur a Pont. de pace.

f To. I. ep. secr. pag. 814.

Eduardo Regi Angliæ illustri.

3 Quamquam nonnulli principes in suorum felicitate successuum cum mundo sentientes, vt probabiliter credimus, glorientur; tenemus tamen indubie, quod sicut princeps catholicus, & ex catholicis parentibus editus, triumphorum gloriam & victoriarum honorem ad Deum creatorem tuum, a quo omnis victoria omnisque triumphus, cum reuerentia refers: tenemus, quod animarum pericula intueris, quod in eis effusionem cruoris humani consideras: tenemus, quod animarum pericula intueris; & quod proinde in conspectu Dei tui eo te humilias amplius, quo sicut circumspectus & prouidus plene perpendis, debere te illi pro his referre gratias, pro his a Deo veniam deprecari. Eapropter nos, qui non reuocamus in dubium, immo verisimiliter certi sumus, quod tu, quanto de manu Domini prosperiora te suscepisse cognoscis, tanto ad pacem promptior, tanto ad concordiam debes fauorabilior inueniri; pro pace inter te & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Francorum illustrem (dante Domino) reformanda, pro qua alias tibi pluries scripsisse meminimus, thronum tuum confidenter adimus, magnitudinem tuam, quanto possumus affectione rogantes, ac per viscera misericordiæ Dei nostri obsecrantes attentius, quatenus reddens gratitudinis vicem omnipotenti Domino pro ijs, quæ tribuit ipse tibi, teque Regem pacificum verbo iudicans & demonstrans exemplo, ad pacem, quæ in se bona continet vniuersa, & bonam concordiam, habilites animum, cor præpares, disponas et mentem. Nosti enim, quod ille Rex pacificus, per quem regio fastigio præemines, pacem te diligere præcipit, & discordium cordium respuit incolatum. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VII. kal. octobris anno primo.* Peruicit Pontifex, vt vtriusque Regis oratores ad agitandas fœderis pactiones conuenerint: sed ij cœtus irrito exitu dissoluti.

Habita frustra pacis colloquia.

4 Pacandæ etiam Hispaniæ studio permotus Pontifex, miserat Bertrandum Conuenarum & Brixinensem episcopos, ac reuocandæ inter Ferdinandum Regem Lusitaniæ, qui hereditaria in Castellam iura obtendebat, & Henricum Castellanum pacis desiderio, Cardinalem eo legare decreuerat: cum Henricus fœdus se cum Lusitano sanxisse ipsi significauit a, atque in illius societatem Carolum Francorum Regem admissum; de quo Gregorius Franco est gratulatus b. Obortæ tamen postea nouæ difficultates, extractaque ad biennium concordia est. Composita igitur vtcumque cum Ferdinando Lusitaniæ Rege rebus, Henricus ad controuersiam aliam, quæ ipsi cum Nauarro intercedebat, dirimendam Gregorium Regemque Francorum arbitros constituit. Tum etiam officij ergo amplissima munera Pontifici misit, de quibus Gregorius ei gratias egit c.

Lusitanus Castellano conciliatus.

a Ib. pag. 270.

b Pag. 61.

Castellanus cum Nauarro fœd^s init.

c Eod. to. 3 ep. secr. pag. 296.

Henrico Regi Castellæ & Legionis illustri.

Iocale admodum preciosum, nobile, & insigne, duosque pulcherrimos equos regiæ munificentiæ ac liberalis excellentiæ tuæ per manus dilecti filij nostri Petri tit. sanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis animo grato recepimus, illudque in memoriam & honorem regij nominis intendimus perenniter custodire. De ipso itaque tam magnifico dono, in quo etiam magis notamus sinceræ tuæ mentis & validæ dilectionis & deuotionis affectum, vberes tuę celsitudini gratias referẽtes, nos offerimus paratus ac dispositos ad omnia excellentię tuę grata. Et quamuis bona dispositio serenitatis tuæ erga nos & Romanã ecclesiam, & cæteras tuorũ regnorum ecclesias ecclesiasticas

Munera Pontifici mittit.

cle-

ecclesiasticasque personas, earumque libertates & honores nobis alias nota foret; ipsam tamen & feruentiorem tuæ deuotionis affectum, idem Cardinalis, qui tuum sincere zelatur honorem, expressius declarauit. De quo serenitatem eandem condignis in Domino laudibus attollentes, diuinam gratiam simpliciter imploramus, vt tibi pro ecclesia sancta eiusque ministris, quam singulariter honoras, secundum abundantiam largitatis suæ retribuat in hoc sæculo & futuro; serenitatem præfatam in Domino exhortantes, quatenus semper in deuotione sincera erga Deum, eandemque ecclesiam, & conseruationem & augumentum ecclesiasticæ libertatis; & alijs bonis operibus vt princeps Christianissimus perseueres.

Officia ipsi ecclesiæ defert.

Cæterum, fili charissime, illud addidit potissimum consolationem & lætitiam menti nostræ, quod per tuas literas, quas nuper benigne recepimus, nobis significare curauit tua serenitas, videlicet quod ab incipiendo & faciendo guerram contra charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Nauarræ illustrem contemplatione nostri (quamuis haberes paratum potentem exercitum tuum contra ipsum) desistere, omnesque controuersias, inter serenitatem prælatam, dictumque Regem vertentes, ordinationi nostræ ac charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Francorum illustris committere intendebes, nostro & ipsius Regis arbitrio auctore Domino terminandas. Tuam igitur bonam ac benignam dispositionem multipliciter in Domino commendamus, excellentiæque regiæ digna referimus rependia gratiarum, in hoc tractatu pacis & in alijs quibuscumque regium honorem, tuorumque regnorum statum, exaltationem, ac quietem tangentibus intendimus, quantum cum Deo poterimus, interponere sollicitudinis & diligentiæ nostræ partes. *Dat. Auin. 11. idus decembris anno primo.* Gerebat alias Nauarrus cum Gallo lites de nonnullis in Normanniæ partem iuribus quas accepto Montispessulani principatu composuitas, tradit vitæ Gregorij scriptor a: additque eundem Regem adijsse apud Auenionem Pontificem, vt de consensu apostolico fastigio ipsi gratularetur. Præterea accessere ad eundem Pontificem Regis Aragonum oratores, professuri Sardiniam & Corsicam beneficentia apostolica acceptas, constitutasque a Bonifacio VIII. pactiones instauraturi; qua de re hasce literas b Gregorio pertulere.

Pontifice & Gallū arbitros deligit.

Rex Nauarræ cōuenit Pontificem Auenione.

a Gesta Greg. XI. apud Bosq. b Extant lib. priuil. Rom. eccl. to. 3. pag. 186. & in M S. bibl. Vall. sign. lit. C n. 12 pag. 427.

Sanctissimo & beatissimo in Christo patri & domino domino Gregorio, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ & uniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricæ, Sardiniæ & Corsicæ, comesque Barchinonæ, Rossilionis, Ceritaniæ, eius humilis filius et deuotus pedum oscula beatorum.

5 Sanctitati vestræ tenore literarum nostrarum præsentium pateat, quod viso & plenarie intellecto papali rescripto super collatione, concessione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædecessor vester fecit illustrissimo domino Iacobo eximiæ recordationis Regi Aragonum auo meo, suisque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corsicæ cum iuribus omnibus & pertinentijs suis sub certo seruitio certisque conditionibus, largius scriptis in dicto Papali rescripto, cuius series sic se habet c: *Bonifacius episcopus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio Iacobo Sardiniæ & Corsicæ Regi &c. Dat. Romæ apud S. Petrum pridie non. aprilis pontificatus nostri anno tertio*; ideo ad memoriam reducto dictum dominum Regem auum nostrum, cuius successor in dicto regno existimus, tempore præinsertæ concessionis memorato domino Papæ Bonifacio iuxta continentiam eiusdem rescripti ex causis in eo scriptis iuramentum, fidelitatem, homagium, & vasallagium personaliter præstitisse; & postmodum nos & nostri, vt tenebamur iuxta formam dicti papalis rescripti post celebrationem nostræ coronationis vni Romano Pontifici iuramentum, fidelitatem, homagium, & vasallagium supradicta, & etiam postea per dilectos consiliarios Franciscum de Perleonibus camerlengum & Franciscum Romanum legum professorem & vicecancellarium milites, procuratores, ambasiatores, & nuncios speciales olim per nos ad Romanam curiam destinatos iuramentum, fidelitatem, vasallagium, & homagium prædicta renouasse, fecisse, & præstitisse domino Vrbano felicis recordationis antecessori vestro, & per eosdem nuncios eidem domino Vrbano summo Pontifici dedisse literas aurea bulla bullatas recognitionis & acceptationis contentorum in rescripto papali prædicto iuxta eiusdem tenorem; considerato etiam, nos nunc ex eiusdem rescripti supra inserti serie inductos dilectum Franciscum Romanum prædictum, & Raimundum de Pagaria militem ac illustris Eleonoræ Reginæ Aragonum consortis nostræ charissimæ maiordomum, consiliarios nostros & procuratores solemnes ad eadem iuramentum, fidelitatem, vasallagium, & homagium vestræ sanctitati præstanda & facienda constituisse cum publico scripto nostro; prouidimus propterea, sanctissime pater, has fieri literas bulla aurea nostra bullatas, sanctitati vestræ per prædictos procuratores nostros tradendas & dandas, prout fieri debere iam dicti superius inserti rescripti apostolici tenor inducit.

c Ext. apud Rain. to. 14. an. Christ. 1297 n. 2. & 3.

Veteres pactiones instaurat.

Per quas siquidem literas nunc vt ex tunc modos, conuentiones, conditiones, tenores, & formas in ipso papali rescripto inscriptos acceptamus expresse: & per quas etiam fatemur & recognoscimus expresse, dictum Sardiniæ & Corsicæ regnum a domino summo Pontifice & Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conuentionibus, modo, forma, atque tenore, qui in dicto papali rescripto continentur. Quos tenorem, modum, conditiones, & formam promittimus nos inuiolabiliter seruaturos: pro quorum obseruantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ, & iura & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis Conditor & redemptor personam vestram ad sua seruitia conseruare dignetur per tempora longiora. *Dat. Dertusæ quintadecima ianuarij anno a natiuitate Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo, regni nostri trigesimo sexto.*

6 Opprimentibus vero in Catalonia & Terraconensi prouincia regijs administris libertatem ecclesiasticam, Petrum Regem Aragonum permouit Pontifex a, vt male sentaea reuocaret: Ferdinandum pariter Regem Lusitaniæ admonuit b, vt Bracharensi archiepiscopo liberum vrbis imperiū restitueret; denique Amedeū Sabaudiæ comitē, qui Geneuēsem episcopū principatu Geneuensi exuere erat aggressus, corripuit, atque imperialia diplomata, quibus ad illius vrbis dominatum annitebatur,

a 1 0 5. ep. sec. pag. 3 3 b lib. sig. 32

Monitus Aragonius ne ecclesiasticum ius opprimat.

Et Lusitanus vt Brachar. archiep. vrbis imperium restituat.

Geneuæ princ. pat. ad episc. spectat.

tui, veluti pugnantia cum æquitate tradere iussit a.

a Pag. 54.

Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ.

De eo contendit Sabaudus cum episcopo.

Nuper super discordijs, quæ inter te & venerabilem fratrem nostrum episcopum Gebennensem & suam Gebennensem ecclesiam, tunc erant, tanquam eiusdem Romanæ ecclesiæ deuotissimus filius obtulisti, te super prædictis facturum quicquid duxerimus ordinandum. Ideoque sinceritatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus tuæ salutis intuitu, & etiam pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia, omnia per te seu gentes tuas imperialium concessionum prætextu, & etiam alia occupata, propter quæ Gebennensis ciuitas (iam diu est) supposita fuit & adhuc est ecclesiastico interdicto, eisdem episcopo & suæ Gebennensi ecclesiæ plene et libere restituas; ac imperiales literas, quas de huiusmodi concessione diceris habere, nobis mittas, vel ipsi episcopo Gebennensi tradas seu tradi facias sine dilatione morosa. Et insuper contra recognitiones, declarationes, seu conuentiones inter bonæ memoriæ Aimonem episcopum Gebennensem et quondam Amedeum tunc comitem Sabaudiæ prædecessorem tuum super iuribus officij vicedominatus Gebennensis aliquid non facias vel attentes, nec ab alijs fieri facias vel attentari permittas; sed ea omnia firmiter obserues et ab alijs facias inuiolabiliter obseruari. Dat. Auin. non. kal. maij anno primo. Seruit nunc, pulso episcopo principe, misera Geneua hereticæ impietati; piumque Gallum Regem expectat, cuius patrocinio vindicata ab impostorum tyrannide ad verum Christi cultum, eiusque vicarij Romani Pontificis obsequia reuocetur.

Monitus, vt imperialia de eo priuilegia tradat.

7 Ad liberandam præterea e Vicecomitum Mediolanensium tyrannide Italiam Gregorius Caroli Romanorum Imperatoris opem implorauit b: rogauitque Ludouicum Vngariæ Regem c, vt vires cum ecclesiasticis, et marchionis Atestini copijs coniungeret; ac Bernabonis ambitionem exposuit d, qui vniuersæ Italiæ iugum imponere moliebatur. At quamuis Gregorius ad tutandæ Etruriæ libertatem sincere incumberet, aduersa tamen opinio ac suspicio Florentinorum animis se infudit e, ipsum de affectando Etruriæ principatu versare consilia, quam vti falsissimam repellere studuit datis hisce ad Senenses literis f.

In Bernabonem sollicitatus Imperator. Et Vngariæ Rex.
b Ead. to. 1. ep. secr. pag. 116.
c Ib. pag. 319.
d Ib. pag. 49. 65. 286. et an. 1. ep. cur. 271.
Confutata Pontifici calumnia de affectata Etruria.
e To. 1. ep. secr. pag. 76. et 288.
f Ead. pag. 76.

Defensoribus & communi ciuitatis Senensis.

Nuper ad nostrum peruenit auditum, dilectos filios commune ciuitatis Florentinæ quandam suspicionem concepisse, quod gentes ecclesiæ terras imperij occupare, et statum ciuitatum Tusciæ perturbare volebant. Vestram itaque sinceritatem nobis charam scire volumus, et satis potest esse omnibus notum, quod huiusmodi suspicio omnino falsa est, et nullum rationis habet fundamentum: indecens enim esset, quod inde sequerentur iniuriæ, vnde iura nascuntur; et illi de paterna manu nocumenta sentirent, qui per eam attolli gratia meruerint. Vnde cum nostræ intentionis nunquam fuerit, nec esse debeat, quod per gentes ecclesiæ status pacificus et tranquillus Tusciæ perturbetur, nec terras imperij volumus recipere, qui nostris terris ecclesiæ contenti sumus; quinimmo partes Tusciæ in statu pacifico plenis et studiosis affectibus cupimus conseruari. Dat. apud Villamnouam Auenionensis diœcesis non. iulij anno primo. Ad euellendam eandem suspicionem ex Lucensium animis exarare etiam literæ a. Concitata vero ea fuerat iniuste ab inuidis, atque altius Florentinis insedit, cum Perusium ad Romanæ ecclesiæ obsequium reuocarum Cardinalem legatum intra mœnia admisisset: facilius enim libertatem se tutaturos putabant Florentini, dum Perusini, excusso pontificio iugo, paribus studijs pro tuenda libertate consentirent. Iniuste vero dolentibus addictam pontificijs obsequijs eam vrbem Florentinis, Gregorius obiecit b, quam malam illi gratiam reponerent ecclesiæ, si sua recuperanti inuiderent, cuius ipsi armis hostibus amissa eripuissent: neque vero iustam suspicandi materiam suppeditatam, aliena propterea iura ecclesiam inuasuram, si sua receperit.

Hanc diluit Gregorius.
a Ib. pag. 280.
Perusium ab ecclesia recuperatum.
Ægre id ferunt Florentini.
b Pag. 61.
Exposita causæ pontificiæ æquitas.

8 Ex dissensionibus vero occidentalium exercendæ libere sæuitiæ occasionem nacti Turcæ innumeris cladibus orientem afflixere: quibus permotus Pontifex Christianos principes sollicitauit, vt positis mutuis odijs, arma in Turcas stringerent. Scriptæ sunt eo argumento ad Busiotum principem bello peritissimum, qui apud Eduardum Regem Angliæ plurimum gratia poterat, vt ipsum ad sacram expeditionem incitaret.

Turcicæ grassationes ingrauescunt.

Ioanni Captali de Buech.

Clamant ad Christi vicarium Christianos quoque principes & alios nobiles partes orientis grauibus subiectæ periculis, & quasi totali obiectæ discrimini: clamat etiam terra sancta per immundissimos Saracenos occupata violenter ab olim detenta viliter, & ipsorum vilissima contrectatione polluta; eis sua vulnera detegunt, ab ipsis opem medicantis desiderabiliter expectando. Sane nuper, dum ea, quæ de statu miserabili partium earundem per diuersos nuncios & literas intelleximus; dum etiam illa, quæ dilecti filij ambaxiatores communis ciuitatis Ianuensis, propter hoc ad nos specialiter destinati, de huiusmodi statu misero dictarum partium nobis retulerunt, audiuimus, acerbi doloris aculeo fuimus in intimis sauciati. Habebat enim eorum assertio, quod Turchi & alij Christi crucis inimici, in grandi multitudine congregati, huiusmodi partes orientis grauibus guerrarum turbinibus affligunt, deuastant, & consumunt ad abolendum de partibus illis Christianum nomen & cultum; immo ad omnino exterminandum exinde modicum Christianitatis ardenti desiderio assectantes: & quod, nisi eorundem impiorum potentiæ & malitiæ per Christi fideles in proximo martij passagio potenter resistatur, vix in partibus illis reperiri poterit, qui inuocet nomen Christi: & timetur verisimiliter, immo a pluribus pro firmo tenetur, quod prædicti Turchi & alij infideles ad inuadendum Siciliam, & per consequens alias Christianorum terras se præparant: propter quod præfati Ianuenses, diris partium prædictarum tribulationibus intima cordis compassione condolentes, & volentes eas cum aliorum Christi fidelium auxilio opportunæ subuentionis remedio consolari, bonis & personis proprijs non parcentes, ad transfretandum in huiusmodi proximo martij passagio magnum apparatum faciunt galearum: sed non credunt in præmissis aliquatenus posse resistere, nisi per alios fideles adiuuentur. O quam acerba nobis est horum memoria: quam amara consideratio hæc & alia tam grandia fidelium di-

Minantur Italiæ exitium.

discrimina reputans! Dum enim hæc anxia mente reuoluimus, dum consideratione solicita meditamur, zelus noster velut ignis accenditur, erumpunt lachrymæ conceptæ amaritudinis indices, nec suspiria continemus, pro eo maxime, quia circa promptitudinem accelerandi in tanto succursu nostrorum immensitati votorum nequaquam, prout vellemus, possibilitatis mensura concurrit, impedientibus varijs cismarinarum partium turbationibus; & præsertim graui discordia, quam inter charissimos in Christo filios nostros Eduardum Angliæ & Carolum Francorum Reges illustres pacis æmulus inuidus charitatis, iamdiu est, suscitauit: pro qua sedanda duos ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, videlicet Simonem tit. S. Sixti & Ioannem tit. SS. Quatuor coronatorum presbyteros Cardinales Apostolicæ sedis nuntios ad ipsos Reges duximus destinandos.

Ne igitur, dilectissime fili, partes orientis irreparabiliter corruant, & irrecuperabiliter in manus incidant immanium barbarorum, ad pietatem tuam duximus recurrendum; eam rogantes & obsecrantes in domino Iesu Christo, ac in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus præmissa pia, qua decet, meditatione considerans, eundem Regem Angliæ, ac etiam dilectos filios Ioannem ducem Lancastriæ, & Edmundum comitem Cantabrigiæ ipsius Regis Angliæ filios, quibus super hoc scribimus, ad bonam & perpetuam pacem & concordiam cum dicto Rege Francorum faciendam, & ad prouidendum de aliquali succursu, prout eis videbitur, in huiusmodi proximo passagio, cum pro transfretare volentibus per dictos Ianuenses quamplurima nauigia præparentur, inducas; ita quod tantis malis breuiter obuietur, & dante Domino, qui pacis est auctor, huiusmodi pacem factam eisdem partibus orientalibus celeriter succurratur: nos enim quamplures principes & magnates pro succursu celeri requisiuimus, eis super hoc efficaciter scribendo. Quicquid autem magnificentiæ tuę videbitur in præmissis, nobis rescribere quantocius non postponas. *Dat. apud Villamnouam Auenionensis diœcesis kal. augusti anno* 1. Solicitati pariter a Andreas Contarenus dux Venetorum & Ludouicus Flandriæ comes, vt arma in infideles expedirēt. Sed eæ voces irritæ ceciderē: direque effundentibus Christianum cruorem occidentalibus, Turcæ Amurate duce rapidissimis victorijs incendij instar amplissimas prouincias in Europa populati tyrannidem protulerunt.

Anglus adducenda in Turcos arma excitatus.

Alij principes ad arma sacra solicitati.

a Ib. post eand. ep.

9 Præerat tum Smyrnæ Petrus Racchanelius nobilis Genuensis, e qua præfectura cum discedere moliretur, Pontifex solicitus ne Smyrna Christianæ fidei in Asia munitissimum propugnaculum in Turcarum recideret potestatem, Raimundo Berengario Rhodiorum equitum magistro prouinciam dedit b, vt strenuum ducem belloque exercitatum illi imponeret. Eundemque magistrū Cyprij regni custodiæ præfecit: eaque de causa ipsum sedis Apostolicæ internūtij in illa insula munere ac dignitate ornauit c, cum Petrus Rex Cypri gerendis rebus impar esset; ea tamen lege, vt publicam rem e Reginæ Elionoræ Petri Aragoniæ regiæ principis Minoritæ Cyprij Regis materni aui, Ioannis, & Iacobi e Lisiniano patruorum consilio administraret. Adolescentem vero ad magnas spes, cum in primæuo adolescentiæ flore regiarum virtutum signa egregia præferret, Gregorius hisce præceptis erudiuit d.

b Ead. to. 2. ep. secr. pag. 300.

Rhodiorū equitum magister administrandæ Cypro pręfectus.

c Ib. pag. 18.

d Ead. to. 2 ep. secr. pag. 20.

Petro Regi Cypri illustri.

Lætificant mentem nostram, fili charissime, tuæ iuuentutis primitiæ, cum audimus, quod distributor ille magnificus Filius Dei Iesus Christus, qui dat omnibus sine improperio, affluenter tibi, adhuc iuueniles annos habenti, spiritum prouectioris infudit ætatis: ipse adhuc tenello corpori tuo robustiorem spiritum inspirauit: ipse tuum circa beneplacita sua dirigit animum, firmat cor, roborat mentem; ita vt sapientum dicta quamplurimum audire desideras, ea tenaci memoriæ commendando. In his igitur tuis laudabilibus principijs grato tibi congaudentes applausu, serenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus progenitorum tuorum sequens vestigia, & Regis te filium, sicut constat origine, moribus ostendens, bene cœpta peruigili cura continuans, vbicunque poteris tanquam pugil Christi, cultum eius, repressis crucis hostibus, studeas propagare, vt & in tuis processibus Dei lætifices ciuitatem, & ab omni retributore bonorum beatitudinis æternæ præmium consequeris.

Cyprius R. salubribus præceptis imbutus.

Et quia penes matrem fidelium fidei residet magisterium, & ecclesiæ fideique negocia adeo sunt connexa, quod neutrum sine altero potest legitime promoueri; eandem serenitatem tuam attente rogamus, quatenus ecclesias & personas ecclesiasticas semper habeas in honore, & sic in deuotione huiusmodi tuam solides iuuentutem, vt cum ætatis prouectioris fueris, & curis maioribus occupatus, portes assuetus suauius, & in tantis actibus magis ac magis quotidie delecteris. Nos enim personam tuam sincere brachijs dilectionis amplectimur, tuum & tuorum in Domino desiderantes profectum, quia te credimus ad magna & Deo placentia reseruari. *Dat. Auin. kal. martij anno* 1. Corrigendi vero sunt ex ascripta superioribus literis die ij historici, qui patratam Petri senioris cędem sequenti anno collocant.

10 Ascripti sunt hoc anno a Gregorio plures Cardinalium collegio, quorū postea plerique perniciosissimum schisma vna cum collegis in ecclesia conflarunt. Cæterum enumerat nouos Cardinales Gregorij vitæ scriptor a hisce verbis: *Die sexta, quæ fuit feria sexta quatuor temporum post pentecosten, dictus Gregorius Papa fecit ordinationem duodecim nouorum Cardinalium, videlicet octo presbyterorum & quatuor diaconorum. Presbyteri autem fuerunt dominus Petrus Gomecij Hispanus, tunc episcopus Hispalensis: dominus Ioannes de Crosso diœcesis Lemouicensis consanguineus ipsius Papæ in tertio gradu: dominus Bertrandus de * Cosnaco diœcesis Lemouicensis canonicus regularis ordinis S. Augustini, tunc episcopus Conuenarum: dominus frater Bertrandus * Latgeri Aluernigena ordinis Minorum, tunc episcopus * Glandatensis: dominus Robertus de Gebennis frater comitis Gebennensis, tunc episcopus Cameracensis.* Hic postea plurimo Christiano cruore, quem in bellis fuderat, delibutus cathedram pestilentiæ ascendit, & schisma in Dei ecclesia Clementis VII. accepto nomine conflauit. Pergit auctor alios Cardinales recensere: *Dominus Guillermus de Cambaco diœcesis Lemouicensis monachus ordinis S. Benedicti, tunc episcopus Mimatensis: dominus Ioannes * Sabri diœcesis Lemouicensis tunc episcopus Tutellensis consanguineus germanus ipsius Papæ; & dominus Ioannes de Turre in Aluernia, tunc abbas monasterij S. Benedicti Floriacensis. Diaconi vero fuerunt dominus Iacobus de Vrsinis Romanus, tunc sedis Apostolicæ nota-*

a Secūda Greg. XI à pud Bosq. Auctum à Greg. Cardinalium collegiū.

* al. Canaco

* al. Augeris

* Glandacensis

* al. Fabri

*tarius: dominus Petrus Flandrini diœcesis Vinariensis, tunc decanus Baiocensis: dominus Guillermus Noellets diœcesis Engolismensis, tunc archidiaconus Carnotensis; & dominus Petrus * de Vernhio diœcesis Tutellensis archidiaconus Rothomagensis: & isti tres vltimi erant etiam auditores sacri palatij, & dicti Gregorij Papæ referendarij.* Quibus consentit Felix Contelorius a in suo elencho, Cum ex ijs Bertrandus episcopus Conuenarum in Hispanica legatione occupatus esset, nec galerum rubrum e manu Pontificis veteri instituto posset accipare, Gregorius conciliandi apud Hispanos splendoris studio, illum ei transmisit. b

* al. Vernheio

a Contel. in elench. Card.

b To. 1. ep. secr. pag. 243.

Exorti in Hisp. errores circa Eucharistiam.

11 Disseminabant tum in Hispanijs nonnulli nouos errores circa Eucharistiam tuendæ Christi maiestatis specie; dedignabantur enim fateri, Christum sub speciebus sacris in loco immundo veluti in ventre hominis, aut muris ore, aut luto remanere: cum potius corpus Christi donatum iam immortalitate suscipiendæ vllius spurcitiæ, aut damni contrahendi immune diuinitatis instar quæ in ipsa spurcitici colluuie inquinari non potest, fateri debuissent. Ad quorum reprimendas argutias delegati Cardinales subiectas literas ediderunt. c

c Extant apud Eym. 2. p. direct. inquisit. pag. 45.

Miseratione diuina Petrus S. Eustachij, & Guillermus S. Angeli diaconi Cardinales venerendis patribus Tarraconensis & Cæsaraugustanæ prouinciarum archiepiscopis, eorumque suffraganeis, nec non inquisitoribus hæreticæ prauitatis, a sede Apostolica in ipsis prouincijs deputatis, salutem & sinceram in Domino charitatem.

Relatione religiosi fratris Nicolai Eymerici magistri in theologia, ac in dictis prouincijs hæreticæ prauitatis inquisitoris, ad audientiam domini nostri Papæ nuper peruenit, quod tam in vestris, quam in suffraganeorum vestrorum ecclesijs palam & publice per certos religiosos prædicati fuerunt tres articuli subsequentes in effectu. Primus quod si hostia consecrata cadat, seu proijciatur in cloacam, lutum, seu aliquem turpem locum, quod speciebus remanentibus, sub eis esse desinit corpus Christi, & redit substantia panis. Secundus quod si hostia consecrata a mure corrodatur, seu a bruto sumatur, quod remanentibus dictis speciebus, sub eis desinit esse corpus Christi & redit substantia panis. Tertius quod si hostia consecrata a iusto vel a peccatore sumatur, quod dum species dentibus teritur, Christus ad cælum rapitur, & in ventrem hominis non traijcitur.

Certis in casibus remanentibus speciebus corpus Christi desinere confictum.

Supplicato igitur per ipsum inquisitorem eidem domino nostro Papæ super huiusmodi articulis, ex quorum prædicatione possent scandala suscitari, salubriter prouideri; idem dominus noster Papa nobis ibidem præsentibus viuæ vocis oraculo expresse commisit, quatenus auctoritate sua apostolica vobis mandaremus, vt omnis moræ sublato dispendio in dictis vestris prouincijs sub pœna excommunicationis inhibeatis, ne quis deinceps dictos articulos publice præsumat prædicare. Nos igitur Petrus & Guillermus Cardinales prædicti, huiusmodi mandatum apostolicum cupientes exequi, vt tenemur, vobis & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ne abinde in antea dictos articulos, seu eorum alterum sub eisdem vel alijs verbis idem sonantibus in substantia, seu in effectu in vestris ecclesijs vel alibi palam seu publice prædicari a quoquam permittatis; & hoc sub pœna excommunicationis, qua contrarium facientes innodetis ipso facto: notificantes vobis nihilominus simili mandato, per ipsum dominum nostrum Papam nobis facto, quod idem dominus noster Papa fratri Ioanni de Latone ordinis fratrum Minorum, qui aliquos de dictis articulis in vestris ecclesijs frequenter recitando prædicauerat, inhiberi fecit sub pœna excommunicationis, ne dictos articulos de cætero publice prædicare præsumat. In quorum omnium testimonium sigilla nostra præsentibus duximus imponenda. *Dat. apud Villamnouam Auinion. diœcesis die VIII. mensis augusti anno Domini MCCCLXXI. indictione IX. pontificatus sanctissimi in Christo patris domini domini nostri Gregorij, diuina prouidentia Papæ XI. anno I.*

In hos animaduerti iussum.

IESV CHRISTI
annus 1372.

GREGORII PP.XI. 2. CAROLI IV. IMP. OCCID. 27. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 32.

1 PRoferendæ latius ditionis, irasque in ecclesiæ fœderatos, præcipue Nicolaum marchionem Atestinum Ferrariæ pontificio, Mutinæque imperiali nomine præfectum, exercendi consilia Bernabos Vicecomes, violato insigni perfidia fœdere, quod cũ Vrbano & socijs percusserat, aperto bello patefecit anno humanæ salutis millesimo trecentesimo septuagesimo secundo indictione decima, teique Christianæ maxima mala inuexit, dum Romanum Pontificem funesto implicuit bello, vt ecclesiastico imperio aduersus illius tyrannidem tutando intentus, Palæologo Græcorum Imperatori ad sedis Apostolicæ obsequium reuerso necessaria auxilia ad reprimendos Turcarum progressus submittere nõ potuerit: expediuit itaque in tyrannum arma legesque Gregorius, atque hæc iudiciaria edicta a præsulibus diuulgari iussit a.

De Bernabonis tyrannide.

a To. 4. pa. pyrac. pag. 61.

Gregorius &c. Ioanni patriarchæ Alexandrino A.S.N. ac vniuersis & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis per Alemanniam constitutis.

In Alemanniæ alijsque partibus fore credimus manifestum, quod iniquitatis filius Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanensis, multarum ciuitatum & terrarum imperij tyrannicus occupator & depopulator sæuissimus, ac reipublicæ destructor, assiduus derogator imperialis honoris & etiam potestatis, impiusque tyrannus iam longis transactis temporibus sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem cunctorum fidelium (a cuius gremio se per impietatis opera damnabiliter segregauit) eisque subditos & terras, quas occupare & interdum detinere superba temeritate præsumpsit hactenus & præsumit, multis iniurijs grauissimisque offensis nunc publica hostilitate, nunc occultis tractatibus, nuncque submittendo in terras easdem crudeles societates gentium armatarum, illasque faciendo immaniter deuastari, & innumeris incendijs, prædis, & rapinis, homicidijs, alijsque sceleribus perpetratis in eis, afficere non expauit. Et licet Apostolicæ sedis clementia, sperans veram conuersionem Bernabonis eiusdem, quam dolosis labijs prætendebat, cum ad suam concordiam & reconciliationem pluries receperit gratiose; ipse tamen benignitate dictæ sedis abutens, & pro clementia offensam retribuens, huiusmodi concordiam frangere, & contra sua promissa infideliter venire non erubuit, nec etiam

Vt imperij terras inuaserit.

Varijs dolis Rom. ecclesiam duexarit.

Bononiẽsem &Ferrariensem agros euastarit.

etiam formidauit : dudumque Ferrariensis, & nuper Bononiensis ciuitatum nostrarum & dictæ ecclesiæ territoria pluries fecit inuadi, ac in eis subditos ipsius ecclesiæ capi, vulnerari, immaniterque occidi, incendia committi, ac animalia in prædam abduci, aliasque iniurias & offensas eidem ecclesiæ & suis subditis irrogari. Nonnullas quoque personas ecclesiasticas in ciuitatibus & terris aisdem, quas detinet, fecit propria temeritate capi, carcerari, torqueri, crudeliterque occidi; ac nonnulla castra, terras, bona, nec non iura & iurisdictiones nonnullarum ecclesiarum & monasteriorum aliorumque piorum locorum occupauit diutius, & detinet damnabiliter occupata. Episcopos quoque ac abbates aliosque prælatos & personas ecclesiasticas, eorumque ecclesias, monasteria, & alia pia loca, sub eius tyrannide consistentia, iugibus & intolerabilibus exactionibus pecuniarum, aliorumque bonorum impie & indeuote grauauit hactenus & grauare præsumit.

Ecclesiasticos supplicijs initque affecerit.

Sacerdotales censius expilarit.

2 Et licat in qualiber sua reconciliatione promiseris, ab huiusmodi occupationibus & detentionibus bonorum, & iurium & iurisdictionum ecclesiasticorum, ac exactionibus et grauaminibus ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum ex tunc abstinere, et libertatem ecclesiasticam conseruare; hæc non solum non impleuit, sed in ijs et alijs deteriora non est veritus perpetrare: propter quæ seu nonnulla ex eis ipsum Bernabonem in omnes pœnas et sententias excommunicationum, et priuationum omnium et singulorum priuilegiorum, indulgentiarum, gratiarum, et immunitatum realium & personalium, per eandem Romanam & alias ecclesias concessorum eidem; nec non omnium feudorum, honorum, officiorum, iurium, & iurisdictionum, quæ ab ipsis Romana & alijs quibusuis ecclesijs, nec non imperio & quibuscumque dominis obtinebat, ac inhabilitatis aliasque pœnas & sententias, quas vigore diuersorum processuum Apostolicorum & alias incurrerat, non est dubium incidisse.] Pluribus de Galeatio interiectis, vt ius ecclesiasticum proterat, Joannem Astensem episcopum in vinculis teneat, cum Bernabona fœdus aduersus Cæsarem iurxerit; mandat Pontifex, inensso grauissimarum pœnarum terrore, ne quis Bernabonem & Galeatium opera, consilio, armis, commeatu, stipendijs iuuare audeat: subditosque ipsis sacramento fidei astrictos religione omni liberat, sequaces illorum anathemate, interdicto, munerumque ac dignitatum iactura percellit: inita cum ais fœdera dissoluit, præsules omnes ad euertendam eorum tyrannidem consurgere iubet, concessas olim ipsis prærogatiuas conuellit. *Dat. apud Villamnouam Auenionensis diœcesis* VII. *kal. augusti anno* II. Collatis antea ad Herberiam signis cum Nicolao marchione Atestino victoriam cruentam Bernabonem retulisse, refert Pigna a: ne tamen Mutinæ castra admoueret, a Petro Card. Bituricensi A. S. L. & Nicolao ipso prohibitum; deinde iras in Bononienses, quorum agri euastati, effudisse b. Commissam pugnam die iunij secunda, ostendunt Gregorij literæ ad eundem Nicolaum marchionem consolatoriæ datæ c.

Pontifi. cias censuras contraxerit.

a Pigna de Atest. march. l. 5. Bernabos ad Herberiam victor. b To. 2. ep. secr. pag. 104. c Ib pag 41

Dilecto filio nobili viro Nicolao marchioni Estensi nostro & pro Romana ecclesia in ciuitate Ferrariensi vicario, salutem &c.

Recepimus heri literas tuas datas Ferrariæ die tertio iunij, continentes conflictum, quem gentes Romanæ ecclesiæ atque tuæ receperant dia proxima præcadenti. Licet igitur de hoc merito doleamus, scimus tamen, quod agentes vel patientes bella de prosperis euentibus non sunt certi, sed nunc prospera, nunc aduersa recipiunt, secundum quod disponit exercituum dominus; qui sæpe & suos castigando verberat, & a se alienos paulisper extollit, vt eos præcipitantius deijciat in profundum. Et sic in isto casu in gratia Dei & iustitia dictæ ecclesiæ credimus & speramus confortamurque in Domino, quod tandem suam iuuabit ecclesiam, & eã super hostes suos iniquos faciet præualere, &c *Dat Auin.* XI. *kal. iunij anno* II.

Eadem diuinæ opis spe fretus, Perusinos fecit certiores a, se ad instaurandas vires alacrius incubiturum: *Sperantes*, inquit, *quod saluator noster Dei Filius Iesus Christus sacrosanctam ecclesiam sponsam suam aduersus tyrannos impios & truculentissimos præualere concedet, qui eam fecit de magnis Imperatoribus, Regibus, ac principibus eidem aduersantibus diuersis temporibus triumphare, eandemque semper in altiori solio & potentia collocauit*. Nec Gregorium suæ spes fefellerunt, secundi enim successus aduersos excepere: versaque b pontificia & fœderatorum arma in Parmensem & Placentinum agros, ac multa hosti loca erepta.

a Ib pag. 276. & 277. Oppugnata ecclesia de quibus triũphat

Illata Bernabonis clades. b Pigna de marchion. Atest. l. 5. & Greg. to. 2. ep. sec. pag. 97

Hoc anno tradita est a Gregorio Ferrariensis præfectura Nicolao & Alberto marchionibus Atestinis in secuturos omnes ipsorum vitæ annos, cum antea tantum ad decem vel nouem præfectura ipsa ab alijs Romanis Pontificibus, superstite aliqua reuocandæ ad ecclesiam illius ditionis spe, concederetur: litteræ enim Gregorij ad Petrum Cardita fuerunt: *Ad vitam eorum & cuiuslibet ipsorũ sub certis recognitionibus, obligationibus promissionibus, oblationibus, forma, modis pactis, conuentionibus, & iuramentis de fratrum nostrorum consilio duximus concedenda*. Professi vero sunt Atestinorum principum oratores c Bononiæ coram legato Cardinale, Ferrariam iuris esse ecclesiastici, atque ad pendenda in annos singulos decem aureorum millia publicis hisce documentis se obstrinxere. *In Christi nomine. Amen. Anno eiusdem natiuitatis* MCCCLXXII. *indictione x. tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Gregorij, diuina prouidentia Papa XI. die xv. mensis maij, &c.* Exponitur Bichinum e Marano Parmensem militem, instructum auctoritate a Nicolao & Alberto marchionibus Atestinis Obizonis olim filijs ad paciscendum cum Petro tit. S. Mariæ trans Tyberim presbyt. Cardinale, Ferratiam pontificia liberalitate acceptum retulisse: *Præfato*, inquiunt acta, *domino Cardinali cõmissario vt supra præsenti, stipulanti, & recipienti nomine & vice præfati domini nostri Papæ, suorum successorum, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ procuratorio nomine dictorum dominorum marchionum & cuiuslibet eorum sponte recognouit et confessus fuit, quod merum & mixtum imperium, & iurisdictio omnimoda temporalis, ac plenum dominium ciuitatis Ferrariæ & eius comitatus, diœcesis, territorij, & districtus cum omnibus iuribus & pertinentijs suis ab antiquo pertinuerunt & nunc pertinent ad dictum dominum nostrum Papam, & ad sanctam Romanam ecclesiam: & quod ijdem domini marchiones in iurisdictione, potestate, mero & mixto imperio seu dominio prælibatis aliquod ius non habent. Nec non promisit idem dominus Bichinus dictis nominibus eidem domino Cardinali commissario, vt supra præsenti & stipulanti & reci-*

Ferrariæ præfectura Atestinis ad vitam concessa.

c Extat ea de re tabula in archiu. S. Angeli & inter collect. Plat. to. 3. pag. 272. & lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 218.

recipienti nomine & vice præfati domini nostri Papæ & suorum successorum, ac S. R. E ipsos dominos marchiones & quemlibet eorum in solidum, & se eorum & cuiuslibet eorum nominibus efficaciter obligando, dare & soluere eidem sanctissimo patri & domino nostro & successoribus suis & ecclesiæ prælibatæ annis singulis toto tempore præsentis vicariatus decem millia florenorum auri, &c. Obstrinxere se præterea ad centum equites stipendijs suis septuaginta milliarium circumiecto spatio in ecclesiæ obsequium sustentandos.

Imperatus decē milliū aureorum census.

Impositū militare vectigal.

4 Exegit Gregorius prædecessorum Pontificum more a Regibus sedis Apostolicæ vectigalibus, Siciliæ nimirum, Trinacriæ, ac Sardiniæ & Corsicæ, fidei sacramentum; de quibus sancitum fuerat, vt nouo Pontifice sedem Apostolicam conscendente, solemni ritu clientelæ pontificiæ se subijcerent, ecclesiæque beneficio sceptrum se accepisse profiterentur. Vtque in primis de Ioanna Regina Siciliæ dicamus; obstricta erat ipsa ex initis cum Carolo I. pactionibus, vt excurrente primo Pontificum a susceptis ecclesiæ gubernaculis anno, si in Italia non versarentur, ad sedem Apostolicam pro addicenda pontificijs obsequijs fide se conferret; ni tamen Pontifex legato apostolico prouinciam adigendæ illius sacramento in regno daret. Cum vero haud facile Ioanna exire Italia posset, ne quos motus illius absentia concitaret, Gregorius Bernardo archiepiscopo Neapolitano partes superiori anno imposuerat, vt Reginæ Siculam coronam apostolicæ liberalitati acceptam referentis sacramentum admitteret: quæ res in Neapolitana ecclesia ineunte hoc anno quarta ianuarij die solemni ritu peracta, vt publica monumenta testantur a, quæ cum alijs a nobis allatis b consentiunt. Ex ijs vero hæc tantummodo delibanda visa sunt.

Exactū a vectigalibus sedis Apost. Regibus sacramentum.

Regina Sicil. illud Neapolit. archiepiscopo præstare iussa.

a Exe. in arce S. Angeli & lib. priu. Rom. eccl. to.3. pag. 181. & inter coll. Plat. to.3 pag. 216. & in M.S. bibl Vall. sign. lit. B.n.12 pag. 149. & 346. Bar. to.11 an. Chr. 1097. n. 113.

b An. Chr. 1344. n. 22. &c. vsque ad n. 28.

Literis apostolicis, nimirum Gregorij exaratis id. maij pont. anno I, quibus instauratæ veteres pactiones cū Carolo I. initæ, *lectis in præsentia ipsius dominæ Reginæ, et eidē vulgarizatis sic & taliter, quod ipsa domina Regina dixit & asseruit ipsarū literarū tenorem & continentiam plene intellexisse, & de contentis in eis plenam notitiam habuisse; ipsa Regina, volens ipsi domino archiepiscopo commissario nomine & pro parte sedis Apostolicæ ac sanctæ Romanæ ecclesiæ (prout in ipsis literis apostolicis continebatur) ligium homagium, & vassallagium, ac fidelitatis iuramentum præstare, surrexit de loco, vbi sedebat, dum prædictæ literæ apostolicæ legerentur, & venit ad præsentiam ipsius domini archiepiscopi commissarij apostolici; quæ, flexis genibus & manibus complosis, ipsas tenens inter manus ipsius domini archiepiscopi, eidem domino archiepiscopo nomine & pro parte sedis Apostolicæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ ligium homagium, & vassallagium, ac fidelitatis iuramentum fecit & præstitit, dicens: Ego Ioanna, Dei gratia Regina Ierusalem & Siciliæ, facio & præsto ligium homagium, & vassallagium vobis domino Bernardo archiepiscopo Neapolitano recipienti nomine ecclesiæ Romanæ, prout in eisdem literis apostolicis continetur. Quibus homagio ligio, & vassallagio per ipsam dominam Reginam præstitis, eadem domina Regina super librum euangeliorum apertum tenens manus, iurauit in manibus ipsius domini archiepiscopi nomine & pro parte sedis Apostolicæ ac sanctæ Romanæ ecclesiæ, & ore suo præstitit iuramentum fidelitatis, quod sequitur.*

Quis ritus in eo nūcupando seruatus.

Eiusdem formula.

Ego Ioanna, Dei gratia Regina Ierusalem & Siciliæ, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & domino meo domino Gregorio Papæ, eiusque successoribus canonice intrantibus, sanctæque Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio aut consensu vel facto, vt vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri sunt per ipsos aut ipsorum nuncios siue per literas, ad eorum damnum nemini pandam: & si sciuero fieri vel procurari siue tractari aliquid, quod sit in eorum damnum, illud pro posse impediam; & si impedire non possem, illud ipsis significare curabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, tam in regno Siciliæ & terris citra pharum quam alibi existentia, adiutrix eisdem ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem.

Vniuersas & singulas conditiones contentas in præsenti instrumento seu literis, ac omnia quæcumque alia & singula, quæ continentur in instrumento seu literis bonæ memoriæ dominorum Anibaldi tit. basilicæ XII. Apostolorum presbyteri, Ricardi S. Angeli, Ioannis S. Nicolai in carcere Tulliano & Iacobi S. Mariæ in Cosmedin diaconorum Cardinalium, super ipsorum regni & terræ concessione facta domino Carolo confectis, plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa; exceptis duobus capitulis in dictis literis apostolicis, prout iurari mandantur & scribuntur. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. De ijs a regio tabellario Gregorio perlatis, vt pontificij tabularij scrinio sanctiori inferrentur, extat pontificium diploma a IV. kal. maij pontificatus anno II. consignatum.

a An. 2. ep. com. 235. & ep. cur. 205.

5 Hoc eodem anno constituta est pax, imperante illius leges Pontifice supremo Neapolitani Trinacrijque regnorum principe: inter Ioannam Reginam Siciliæ & Fridericum Aragoniæ stirpis principem, qui in Trinacria transmisso a maioribus vitio rerum potiebatur: interpretes huius concordiæ plurium annorum flexu antea agitatæ extiterunt sacerdotes Minoritæ b, qui a sacris confessionibus ijsdem Regi ac Reginæ erant. Pactiones c vero præcipuæ his verbis conceptæ erant d.

Pax inter Ioannam Neap. & Trinacriū inita.

b Vvading in annal. hoc ann. n.8.

c Bar. to. 12. ann. 1097. n. 110 Surit l.10.c.15.

d Ext. apud Greg. an.2. ep. cur. 205; & in arce S. Ang. & in lib. priu Rom. eccl. to.2. pag. 360. & inter collect. Plat. to.3. pag. 232.

Capitula pacis inita, iurata, & firmata inter ill. dominam Ioannam Reginam Ierusalem & Siciliæ ex parte vna, & magistrum Vbertinum de Corilione ordinis Minorum procuratorem & ambasciatorem ill. domini Regis Trinacriæ ex parte altera, olim tractata & ordinata, & iurata & firmata inter dictam dominam Reginam ex vna parte, & Petrum de Mauro, ac iudicem Bartholomæum de Papalcone de Messana procuratores vt supra tunc dicti domini Regis ex parte altera, sunt hæc, videlicet.

In primis voluerunt dictæ partes, quod omnis tractatus intelligi debeat, & sit referendus domino nostro summo Pontifici & Apostolicæ sedi, a qua domina Regina tenet regnum, & est vassalla pro illo, sine cuius directione, consilio, beneplacito, & mandato domina non intendit ad aliquem tractatum procedere, cum ipsa & regnum consistant in manibus eiusdem domini nostri & sedis Apostolicæ, & sit causa indemnitatis vtriusque: & intendit domina ipsa more progenitorum suorum in omnibus tangentibus eam & regnum & quæcunque sua negotia, præmittere reuerentiam, obedientiam, & honorem eiusdem domini nostri et Apostolicæ sedis. Item quod remissis ante omnia vicissim rancoribus, et odijs hucusque habitis in-

Quæ fuerint huius fœderis pactiones Relatæ res vniuersæ ad Pontificē. Iniuriarū oblimio vtrinque indicta.

Iniuriarū obliuio vtrinq; indicta.

inter eos; nec non domnis cuiuslibet generis seu lucri præteritarum guerrorum temporibus commissis in regno tam vltra quam citra pharum, tam pro se quam pro fidelibus et vassallis suis, subditis, sequacibus, et quibuscunque fautoribus adhærentibus causa dicta guerra inter eos; in perpetuum vniuersaliter et singulariter vigere debeat vera pax, et sincera concordia inter eos dictosque eorum fideles, vassallos, et alios superius nominatos simpliciter et bona fide.

Trinacri᷾ Ioannæ beneficiarium se profeßurū promittit.

Item quod præfatus Rex recognoscat per se et heredes ac successores suos, tenere dictam insulam Siciliæ seu regnum Trinacriæ cum insulis suis adiacentibus a præfata domina Regina et eius heredibus ex suo corpore legitime descendentibus tantum: et pro dicta insula, seu regno Trinacriæ cum prædictis insulis adiacentibus præfatus Rex debeat facere homagium et fidelitatis iuramentum per procuratorem sufficientem et idoneum, sufficienti qualibet potestate suffultum, eidem domina Regina et dictis suis heredibus ex suo corpore legitime descendentibus tantum.

Clientelam illi sponsione exhibiturum.

Et infra: Item quod ex causa pacis et concordiæ prædictarum, præfatus dominus Rex per se et heredes suos ac successores soluet, tradet, et assignabit eidem domina Regina, heredibus, et successoribus suis in regno prædicto anno quolibet in festo Apostolorum Petri et Pauli in ciuitate Neapolitana vncias auri tria millia ad prædictam rationem, quæ sunt reducta ad florenos auri recti iunei, et iusti ponderis Florentini ad rationem de florenis quinque pro qualibet vncia florenorum quindecim millia, contingentia dictam insulam ratione census debiti per ipsam dominam Reginam sanctæ Romanæ ecclesiæ et Apostolicæ sedis.

Vectigal pensitaturum.

Et infra: Item quod ex causis prædictis, præfatus dominus Rex, heredes, et successores sui nullo vnquam tempore intitulabunt se titulo regni Siciliæ, sed tantum titulo Trinacriæ: ipsaque domina Regina, heredes, et successores sui intitulentur et vocentur titulo Siciliæ; ita tamen, quod intitulatio regni Siciliæ nullum afferat præiudicium intitulationi regni Trinacriæ, nec e contra: immo quodlibet regnum per se distinctum suum habeat titulum, nec vni pro altero derogetur.

Siciliæ Trinacriæq; regna diuidenda.

Item quod ex causis prædictis dicta domina Regina simpliciter et bona fide, et sub fide regnali cum fauore et consilio promittat iuxta posse interponere partes suas, procurare, et tractare vna cum ambassiatoribus dicti domini Regis absolutionem interdicti dictæ insulæ Siciliæ seu regni Trinacriæ & aliarum adiacentium insularum a sancta Romana ecclesia cum reconciliatione prædictarum: nec nō absolutionem dicti domini Regis, & aliorum regalium, baronum, & comitum, & aliorum hominum ipsius insulæ & adiacentium insularum a sententia seu sententijs excommunicationis & interdicti forte latis & promulgatis dudum tam per dominos summos Pontifices, quam a canone vel a iure contra præfatum dominum Regem regales, & alios dictæ insulæ, & contra insulas supradictas; nec non confirmationis & approbationis assensum sanctæ Romanæ ecclesiæ super concordia & pace præfatis.

Ioanna spondet, acturam se cum Pontifice, vt censuris Trinacria liberetur.

Item quod præfata domina Regina dabit & præstabit per se, heredes, & successores suos præfato domino Regi, heredibus, & successoribus suis auxilium, consilium, & fauorem iuxta suum posse circa reductionem & redintegrationem dictæ insulæ Siciliæ ad dominium, & obedientiam præfati domini Regis Frederici, non astringendo se nisi iuxta velle & beneplacitum suum. Item quod insula Lipari, quam nunc tenet dominus Regina præfata, remaneat cum vassallis, fortalitijs, iuribus, & pertinentijs suis in dominio, potestate, & plenissima iurisdictione præfatæ dominæ Reginæ donec vixerit: post mortem vero ipsius dominæ Reginæ redire debeat cum omnibus supradictis iuribus ipso facto ad dictum dominum Regem, heredes, & successores suos, tanquam vna de adiacentibus insulis dictæ insulæ Siciliæ.

Vt Trinacria vniuersa Frederico pareat.

Et infra: Item quod in prædictis omnibus & singulis reseruetur, & reseruatum intelligatur beneplacitum & assensus, confirmatio, ratificatio, & approbatio dicti domini nostri summi Pontificis & Apostolicæ sedis ad perpetuam concordatorum hinc inde roboris firmitatem; ita quidem, quod prædicto confirmatio & assensus obtineri non possint infra & per totum festum pentecostes proxime futuri anni decima indictionis seu post, donec ipsæ partes ipsum assensum & confirmationem concorditer prosequi voluerint, & prædicta concordia & omnia alia & singula pro nullis & infectis penitus habeantur, neutri partium generando præiudicium, non obstantibus quibuscumq; quietationibus, conuentionibus, & renuntiationibus supradictis: nam conuentionaliter est inter dictas partes deuentum, quod dicta concordia & promisso hinc inde effectum non habeant sine assensu & confirmatione præfatis. Hactenus publica documenta.

Superiora irrita, ni pontifici᷾ assensus accesserit.

6 Delata itaque res est ad Gregorium, ad quem supremum vtriusque regni spectabat imperium, vt has leges sua auctoritate firmaret temperaretue, vel nouas adderet: misitque ad eum Trinacrius princeps oratores amplissimis fretos mandatis, vt cum apostilica sede paciscerentur, eiusque acciperent imperia, pontificia beneficentia regnum conferri, censuras quibus illaqueati erant Trinacrij dissolui, sacrorum vsum restitui, debitam ob intermissum vectigal annuum auri vim remitti, coniugium cum Antonia ducis Andriæ filia ratum ab ecclesia haberi, flagitarent. Mandati regij dati proximo anno exemplum infra scriptum a est.

Missi a Frederico ad Pont. oratores pro his confirmandis.

a Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to. 3. pag. 233. & extat apud Greg. XI. to. 2. ep. cur. p. 203. & in lib. priu. Rom. eccl. to. 2. pag. 360. Eiusdem literæ.

Fredericus Dei gratia Rex Trinacriæ, et Athenarum ac Neopatriæ dux.

Vniuersis & singulis præsens commissorium scriptum, seu instrumentum publicum inspecturis volumus notum esse, quod cum inter serenissimam dominam Ioannam Ierusalem & Siciliæ Reginam honorabilem matrem nostram proprio nomine ex vna parte, & venerabilem magistrum Vbertinum de Corliono ordinis Minorum sacræ theologiæ professorem magistrum magnum capellanum & deuotum nuncium nostrum vice nostra ex altera fuerit dudum pacis tractatus sub certis conditionibus, conuentionibus, capitulis, atque pœnis habitus & firmatus fuerit, per dictam dominam Reginam & nos mutuo & corporali sacramento iuratus sub reseruatione apostolici beneplaciti & consensus, pro cuius obtentu suppliciter impetrando, eundem magistrum Vbertinum ad dictā Apostolicam sedem curiamque Romanam iussimus accessurum; nuper vero de fide laudabili sufficientia cognita, & legalitate probata Iacobi Pitignæ militis magistri notarij & Bartholomæi de Papaleone de Messina iurisperiti magnæ nostræ curiæ iudicis consiliariorum, familiarium, & fidelium plene confisi, ac optantes vt inter dictam dominam Reginam & excellentiam nostram, ac subditos vniuscuiusque vera pax vigeat & firmiter seruetur illæsa; ipsos Iacobum & Bartholomæum præsentes & onus commissionis prædictæ in se sponte suscipientes, & ipsorum quemlibet in solidum (ita quod non sit præoccupantis conditio melior: nec potior censea-

tur; sed quod vnus ipsorũ inceperit, alter prosequi libere valeat, & debita conclusione finire) facimus, ordinamus, & constituimus nostros veros & legitimos procuratores, actores, factores, negotiorum gestores, ambaxiatores, & nuncios speciales, & quocumque alio nomine siue modo efficacius dici possit, cum omni iuris & facti solemnitate conueniente ad acceptandum, ratificandum, & confirmandum vice & nomine nostris præfatum pacis tractatum cum omnibus capitulis, ordinationibus, conuentionibus, pactis & clausulis quibuscunque, quibus inter eandem Reginam & nos firmatus & iuratus extitit (vt prefertur) seu etiam cum additionibus, mutationibus, & reformationibus omnibus & singulis prout per sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum Gregorium, diuina prouidentia sanctæ Romanæ ecclesiæ Papam XI. ordinabitur, & videbitur melius expedire: & ad promittendum pro nobis & successoribus nostris in regno, & iurandum in animam nostram de obseruantia ordinationum, adiectionum, & capitulorum prædictorum, & omnium & singulorum contentorum in ipsis ad dictum pacis tractatum spectantium, qualiter de ipsius domini nostri summi Pontificis beneplacito & mandato erit solemniter ordinatum: ac etiam ad petendum, recipiendum, & habendum inuestituram & concessionem de nouo dicti regni Trinacriæ cum adiacentibus insulis & omnibus alijs pertinentijs suis a dicto domino nostro summo Pontifice ecclesiaque Romana, & faciendum pro eis ligium homagium, & fidelitatis debitæ iuramentum tam pro nobis & successoribus nostris prædictis eidem domino nostro Papæ vel alijs commissarijs ad hæc specialiter & expresse statutis, vel de nouo forsan statuendis a quibuscunque personis dictus dominus summus Pontifex ordinauerit faciendum cum promissionibus, obligationibus, iuramentorum præstationibus, pœnarum adiectionibus, & alijs circumstantijs singulis, & clausulis vniuersis: ac etiam ad tractandum & de nouo contrahendum, concordandum, & ratificandum, prout opus fuerit dictum tractatum pacis, tam cum ipsa domina Regina, ac cum alijs eius habentibus potestatem, quam cum præfato domino nostro Papa, vel eius commissarijs & legatis ad hæc apostolica auctoritate suffultis: ac firmandum & concludendum cum eisdem sub pacis prædictæ tractatu quicquid de nono forsitan occurreret, vt prædictorum nunciorum nostrorum arbitrio, & discretioni videbitur expedire, cum præfatis omnibus promissionibus, obligationibus, iuramentorum præstationibus, alijsque clausulis opportunis, pœnarum etiam adiectionibus, solemnique stipulatione vallatis, secundum quod fieri est in talibus consuetum; dantes, mandantes, & concedentes eisdem nuntijs nostris sub dictæ pacis tractatu, & omnibus & singulis dependentibus conneais, & emergentibus in eodem plenam licentiam, auctoritatem omnimodam, & liberam facultatem, cum generali, ampla, libera, speciali, & expressa potestate ad agendum vice nostra & dicto eorum procuratorio nomine in exequendo & complendo omnia & singula suprascripta, & omnia ac quæcunque alia circa hæc iuxta dictorum nostrorum nunciorum arbitrium, & eis largitam potentiam opportunam: ratificantes, confirmantes, ratum habentes, & acceptantes, quicquid super his dicti nuncij & ambaxiatores nostri duxerint peragendum; promittentes etiam, & nos firmiter obligantes ab eo, quod ipsi exinde perfecerint, nullo vnquam tempore resilire, id ex nunc prout ex tunc sub fide regia firmissimum reputãtes; ac etiam ad petendum precibus humiliter instantibus, & deuote impetrandum, obtinendum, & recipiendum vice nostra ab eodem domino nostro, vel alio, seu alijs quibuscunque ad hæc statutis vel etiam statuendis commissarijs aut delegatis remissionem integram & totalem excommunicationum, interdictorum, pœnarum temporalium & spiritualium, & suspensionem omnium, quibus tam nos quam prædecessores nostri bonæ memoriæ, nostrique vassalli & subditi, aut ipsum regnum nostrum Trinacriæ & prædictæ circumadiacentes insulæ per sententias ecclesiasticas tam dicti domini nostri, quam aliorum prædecessorum nostrorum in scriptis vel sine scriptis videamur subijci, vel aliquatenus alligari: ac ad implorandum & habendum absolutionem plenariam omnium debitorum contra eosdem prædecessores nostros & nos hactenus contractorum ratione iuris census ecclesiæ non soluti; aut quacunque alia ratione, occasione, vel causa, atque probabiliter obligari aut teneri de iure vel de facto possimus, vt iam reconciliatione sanctæ matris ecclesiæ optata diutius obtenta salubriter, ac quas guerrarum introduxit calamitas, culpis extersis simus quodammodo noua sancti Spiritus infusione renati: ac ad petendum, exigendum, & recipiendum a dicta domina nostra Regina Ioanna pro se, heredibus, & successoribus suis, alijsque personis prout extiterit opportunum, corporale & debitum, tactis sacrosanctis euangelijs, iuramentum sub obseruantia prædictorum capitulorum, conditionum, & clausularum omnium dictæ pacis: ac ad requirendum petendum, & habendum ab eodem domino nostro, aut eius statutis seu statuendis commissarijs vel legatis dispensationem liberam, & confirmationem matrimonij tractati dudum & iurati inter præfatum magistrum Vbertinum nomine nostro, & magnificum virum Raimundum de Baucio magnum regni Siciliæ camerarium procuratorio nomine, & pro parte illustris dominæ Antoniæ filiæ spectabilis ducis Andriæ, ac vice & nomine eiusdem ducis: & ad requirendum & habendum super his a quibuscunque personis expediens fuerit, & fieri faciendum expedientia rescripta, & publicas sub debita forma scripturas, & generaliter ad gerendum & exercendum in præmissis, & super præmissa causa cum præfatis domino nostro summo Pontifice, Cardinalibus, & commissarijs alijs, aut legatis specialiter ordinatis seu ordinandis, vt supra, quam cum dicta domina Regina & personis alijs substitutis & ad ea omnia & singula, quæ dictis nuncijs nostris necessaria viderentur, *& infra*, sub hypotheca & obligatione omnium bonorum nostrorum. Et ad maiorem rei gestę & gerendæ cautelam præsens commissarium scriptum seu instrumentum publicum exinde fieri, nostræque maiestatis sigillo pendente iussimus communiri. *Dat. & actum Messanæ anno incarnationis Dominicæ* MCCCLXXI. *die secundo mensis martij* XI. *indictionis*.

7 Exceptis Friderici oratoribus, Gregorius ecclesiasticæ detrahendum seueritati censuit, cum religionis cultus in Trinacria ob intermissa diu sacra obsolesceret: pacisque instaurandæ studio, cum agitatas inter Fridericum ac Ioãnam pactiones discussisset, adhibitis in consilium Cardinali-

bus

Immutandarũ pactionum potestas data.

Poscit Fridericus Trinacriã sibi apostolica auctoritate tradi.

Clientelarem ipsi fidem se exhibiturum pollicetur.

Flagitat vt censuræ Trinacriæ incussæ remoueantur.

Habeatur ratum matrimonium eũ ducis Andriæ filia.

Paci assentitur Gregorius.

bus, nonnullas ex ijs rescidit, addidit alias, alias temperauit, pontificioque in ea regna iuri consulnit subiecto diplomate a.

a Greg. to. 2. ep. cur. 105. ext. inter coll. Plat. to. 3. pag. 233. &c. & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 360.

Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Illius pactiones temperandas decernit mutandasque.

Tractatum ipsum per nonnullos S. R. E. Cardinales fecimus magna diligentia recenseri; & quia (prout ipsius tractatus euidenter ostendebat inspectio) omissa erant aliqua, propter quorum omissionem de directo dominio, quod nos & eadem Romana ecclesia in præfato regnó habemus, graue præiudicium generari poterat, quæ suppletionem; aliqua vero superflua interserta, quæ resecationem; & nonnulla etiam inordinata, quæ ipsarum partium voluntate inspecta, necessario mutationem requirebant, prædictum tractatum, prout nobis fuit exhibitus, non duximus admittendum: sed superfluis resecatis, & illis quæ erant omissa suppletis, ac immutatis quæ immutanda nobis visa fuerunt, circa pacem prædictam, vbi dictarum partium consensus accedit, de fratrum nostrorum consilio in forma infrascripta duximus procedendum. Primo siquidem, quia iura sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ conseruare, protegere, & defendere ex officij nostri debito obligamur, ordinandum prouidimus, quod Ioanna & Fredericus præfati recognoscant, ad nos & ecclesiam Romanam spectare & pertinere de iure directum dominium in toto regno Siciliæ tam vltra quam citra pharum: cui directo dominio & iuri, quod in toto regno, tam vltra quam citra pharum, nos & ecclesia Romana habemus, non intendimus in aliquo derogare; sed ea volumus & intendimus remanere illæsa, & quod tale, & totum ius nobis & ecclesiæ Romanæ remaneat in dicta insula & adiacentibus insulis (quæ regnum Trinacriæ intitulabuntur) quale & quantum habemus in terris citra pharum: & si quæ in præsentibus capitulis inueniantur, quæ directe vel per obliquum præfato dominio & iuri, quod ecclesia Romana habet in dicta insula & adiacentibus insulis quomodolibet præiudicarent, illa ex nunc pro non appositis, & non adiectis habeantur; & quod ad contenta in isto capitulo Ioannæ & Frederici prædictorum expressus consensus accedat.

Ius pontificium in vtrumque regnum constabilitur.

Item, cum per Ioannam & Fredericum præfatos in forma infrascripta tractatus pacis, prout ipsum transmittimus, fuerit acceptatus cum solemnitatibus debitis & cautelis, dictus Fredericus & successores sui in regno Trinacriæ facient ratione directi & maioris dominij, quod ad nos pertinet, homagium ligium nobis & Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & sacramentum fidelitatis præstabunt sub hac forma.

Nuncupandi a Trinacrio sacramenti formula descripta.

Ego Fredericus Dei gratia Rex Trinacriæ plenum & ligium homagium facio domino nostro Gregorio Papæ XI. & successoribus suis canonice intrantibus pro insula Siciliæ ac adiacentibus insulis, quæ regnum Trinacriæ nominantur: & iuro super hæc sancta Dei euangelia, quod ab hac hora in antea vsque ad vltimum diem vitæ meæ fidelis & obediens ero beato Petro sanctæque ecclesiæ Romanæ, præfatoque domino Gregorio, eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri erunt per eos, aut per nuncios ipsorum, siue per literas, ad eorum damnum (me sciente) nemini pandam: & si sciuero fieri vel procurari, siue tractari aliquid (quod absit) ad eorum damnum, illud pro posse impediam, & si non possem impedire, illud eis significare curabo. Papatum Romanum, & regalia sancti Petri tam in insula Siciliæ & alijs insulis adiacentibus quam in regno Siciliæ præfato, quam alibi existentia adiutor eis ero ad defendendum, et retinendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem: & omnia et singula capitula sub forma fidelitatis, comprehensa inuiolabiliter obseruabo. Vniuersas et singulas promissiones, conuentiones, et obligationes in præsenti priuilegio literis siue instrumento contentas, et omnia et singula in eis contenta plenarie adimplebo, et inuiolabiliter obseruabo; nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Dei euangelia.

8 Et quia volumus, quod per huiusmodi homagium ligium, & fidelitatis iuramentum, quæ per dictum Fredericum & suos in regni Trinacriæ successores, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus (qui pro tempore fuerint) præstabuntur, iuribus eidem Reginæ & eius successoribus in regno competentibus quoad homagium & iuramentum fidelitatis eisdem præstanda, vt sequitur, nullum præiudicium generetur; faciet insuper dictus Fredericus, & sui in posterum successores in regno Trinacriæ eidem Ioannæ Reginæ & successoribus suis ex suo corpore descendentibus legitime tantum, homagium & præstabit debitæ fidelitatis iuramentum: & si ipsam Ioannam sine liberis ex suo corpore descendentibus mori contingat, singuli successoris eiusdem Ioannæ Reginæ in regno prædicto Siciliæ dictus Fredericus, & sui successores in Regno Trinacriæ, præstabunt fidelitatis debitæ iuramentum secundum formam, quæ infra in capitulo ordinato super hoc continetur. Huiusmodi autem homagium ligium prædictum, quod nobis, successoribus nostris, & ecclesiæ Romanæ præstabitur, Fredericus præfatus & eius successores in regno, si interim moreretur infra annum postquam præsens tractatus fuerit approbatus per ipsos Ioannam & Fredericum, nobis & nostris successoribus, qui pro tempore fuerint, facere teneantur, & fidelitatis iuramentum præstare secundum formam præscriptam: & tam ipse, quam singuli sui successores in regno infra annum, postquam successio regni eis delata fuerit, nobis & successoribus nostris singulis, ac ipsi Romanæ ecclesiæ præstabunt, & facient, ac renouabunt. Item tam ipse Fredericus, quam singuli eius in dicto regno Trinacriæ successores, in talibus præstatione, & renouatione homagij huiusmodi & fidelitatis iuramenti tradent realiter, & assignabunt nobis, & successori nostro Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, literas regias aurea bulla bullatas, in quibus approbabunt omnes istas conuentiones: & id obseruare promittent & iurabunt, inserendo eas de verbo ad verbum in istis literis cum expressione propriorum nominum Romani Pontificis, qui tunc erit, & ipsius facientis homagium & iuramentum prædicta; vel saltem infra menses sex, postquam huiusmodi homagium præstiterint & fidelitatis debitæ iuramentum, literas prædictas assignare tenebuntur.

De sponsione Ioannæ exhibenda.

Singuli Trinacriæ Reges ad Pontifici fidem addicendam obstricti.

9 Descendentes autem ex præfato Frederico & eius liberis vtriusque sexus succedant in insula prælibata cum adiacentibus insulis suis; sic tamen, quod de liberis masculis, in eodem gradu ac per eandem lineam concurrentibus, primoge-

Quis ordo successionis in regno Trinacriæ seruandus.

pietus: de duabus fœminis primogenita; de viro & fœmina, in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus alijs præferatur; sic tamen, quod filia iam nata dicti Frederici admitti debeat ad successionem prædictam iuxta formam & ordinem in præsenti capitulo declaratam. Sed si aliquem de successoribus suis, qui in dictis insulis seu regno Trinacriæ successerit, sine legitima prole sui corporis mori contingat in futurum, succedant eisdem seruatis gradibus seu ordine supradictis, si superstites fuerint, hæ personæ (dum tamen de descendentibus fuerint præfati Regis, Friderici videlicet Regis, vel Reginæ sine legitima prole sui corporis decedentis) frater vel soror, ac collaterales superiores mares & fœminæ, vtpote patrui & auunculi, amitæ & materteræ & sursum vsque ad quartum gradum dumtaxat. Collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & fœminæ, vtpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore, & inferius vsque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ, & collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam de innuptis; dummodo nuptæ sint fidelibus, & ecclesiæ Romanæ non suspectis, sed deuotis. Et sicut inter has personas gradus seruari volumus, vt scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, & marem fœminæ in huiusmodi successoribus volumus anteferri.

Quinam ad hæreditariam successionē admittendi.

Personarum autem descendentium huiusmodi nulla superstite, regnum Trinacriæ, seu insula Siciliæ prædicta cum alijs insulis adiacentibus ad præfatam Ioannam Reginam Siciliæ, eiusque successores in regno, ipso iure libere reuertantur: aut, eisdem Reginæ & successoribus in regno non existentibus, vel existentibus in casu quo regnum Siciliæ iuxta conuentiones habitas inter felicis recordationis Clementem IV. prædecessorem nostrum, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ esset ad Romanam ecclesiam deuolutum; regnum Trinactiæ seu insula prædicta cum adiacentibus insulis ad præfatam Romanam ecclesiam ipso iure libere reuertantur.

Quo casu Trinacria ad sedem Apost. deuoluenda.

Quod si forte, deficiente masculo, contigerit fœminam innuptā succedere in regno Trinacriæ, seu insula prælibata, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsorum regimen & defensionem existat idonea, summi Pontificis, qui erit pro tempore, consilio requisito, vt nubat viro catholico & ecclesiæ Romanæ non suspecto, sed deuoto, nec dictæ Ioannæ seu eius successoribus in prædicto regno Siciliæ inimico.

Regina Trinacriæ nō nubat inconsulta sede.

Et idem per omnia in filia primogenita, & si nondum ei regni successio sit delata, quæ in regno verisimiliter sit successura, volumus obseruari: & si contra hæc fieret, licebit summo Pontifici, qui erit pro tempore, contra ipsam ad priuationem regni seu insulæ prædictæ & adiacentium insularum procedere absque omni iuris solemnitate, & sine strepitu & figura iudicij, in quacunque ætate ipsam esse contigerit, si hoc ei videbitur expedire. Et eo casu ad ipsam Reginam Siciliæ præfatam, seu eius successores in regno, seu ad Romanam ecclesiam iuxta prænotatum ordinem dicta insula seu regnum libere deuoluatur.

Nec alia probabiliter succes sura.

10 Illud etiam prouidimus ordinandum, quod si ille, ad quem successio regni Trinacriæ seu insularum huiusmodi deuoluetur qualitercunque seu quomodocunque, & maior decem & octo annis fuerit, libere administret: si autem fuerit minor decem & octo annis natu, quousque prædictam ætatem compleuerit, tam ipsius persona quam regnum in custodia, regimine, & administratione nostris seu successorum nostrorum & ecclesiæ Romanæ remaneant libere absque impedimento quocunque. Fructus tamen qui supererunt, deductis expensis, quæ fient pro statu Regis et regni manutenendi et conseruandi eidem Regi, postquam maior decem et octo annis fuerit, integre restituentur.

Quo ætate Trinacriæ Rex possit regnum administrare.

In regno autem seu insulis prædictis nullus succedet, qui nō fuerit ex legitimo matrimonio natus, nec aliquis ab eo mediate vel immediate descēdens, etiam si ipse fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Illegitimi regni iure exclusi.

Item quod dictus Fredericus & successores sui regnū Trinacriæ prædictum nullatenus diuident, sed semper dictam insulam cum adiacentibus insulis, seu regnum teneat vnus tantum, modis, formis, & conditionibus supra & infra scriptis: nec terras demanij insularum seu regni prædicti infeudabunt seu alienabunt quouis titulo vel colore quæsito, nisi in filios vel in filias Regis natos seu natas, nascituros seu nascituras, & descendentes ab eis, in quos loca & terras, quæ consueuerant alienari tempore Regis Frederici aui sui, & prædecessorum suorum in regno, alienare poterunt, ciuitatibus tamen exceptis.

Regnum diuelli in toparchias vetitum.

Item quod præfatus Fredericus promittet solemniter & iurabit, quod omnibus ecclesijs tam cathedralibus quam collegiatis regularibus & secularibus, nec non alijs ecclesijs, & omnibus prælatis & clericis, ac vniuersis personis ecclesiasticis secularibus & regularibus, & quibuscunque religiosis locis & personis in regno Trinactiæ seu insulis prædictis infra tres annos, quanto citius poterit, bona fide assignabit realiter & cum effectu suo posse omnia castra, fortalitia, iura, & bona ad ipsas ecclesias, seu ecclesiasticas personas spectantia quoquo modo, seu pro eis, seu eorum nomine quomodolibet possessa, seu in quorum possessione fuerunt tempore, quo Siculi contra inclytæ memoriæ præfatum Regem Carolum rebellarunt; ita quod de nullo cursu temporis opponatur eisdem, cum notorie dictis temporibus hostilitatis durauerint; nisi quod per prælatos ecclesiarum ipsarum, vel alios auctoritatem habentes, aliqua ex prædictis castris, fortalitijs, possessionibus, iuribus, & bonis quibuscunque personis concessa, permutata, siue alienata legitime exiterint: quo casu prædicta concessio, datio, permutatio, seu alienatio inuiolabiliter obseruentur, & in suo robore perseuerent:

De restituenda ecclesiasti iuribus.

quodque libertatem ecclesiasticam conseruabit suo posse, vniuersis personis ecclesiasticis, ac rebus & bonis eorum, ac earum ecclesiarum * prædictas ecclesiasticasque personas, omnia religiosa, & pia loca, resque & bona eorum in sua libertate restituet, & curabit restitui facere, & gaudere permittet iuribus & iurisdictionibus, priuilegijs, libertatibus a iure concessis, beneficijs, bonis, iuribus, redditibus, & prouentibus earundem; nec aliquas exactiones quouis quæsito colore petet vel exiget ab eisdem per se vel alium, directe vel indirecte; nec peti, vel exigi permittet. Ne autem super ijs restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano Pontifice aliqui viri discreti, ad quorum mandatum & arbitrium iurium & rerum immobilium (si qua extent) restitutio plena fiat; ita quod eorum de quorum dominio vel proprietate seu possessione notum fuerit, ad eorum mandatum, & arbitrium

Instauranda libertate ecclesiastica.

*prælatos

mox reddantur. In dubijs vero per ipsos summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura iudicij veritas inquiratur, & iustitia ministrabitur.

Permittẽdis liberis electionibus.

11 Omnes insuper ecclesiæ tam cathedrales quam aliæ regulares & seculares, nec non omnes prælati & clerici, ac vniuersæ personæ ecclesiasticæ seculares & religiosæ in electionibus, postulationibus, nominationibus, prouisionibus, & omnibus alijs plena libertate gaudebunt: nec ante electionem, nec in electione, vel post dicti Frederici seu eius successorum in regno siue insulis prædictis, consensus vel consilium aliquatenus requiratur: quam vtique libertatem ipse Fredericus, ipsiusque in dictis insulis seu regno successores semper manutenebunt & conseruabunt, & manuteneri facient ab omnibus subditis suis: dictæque ecclesiæ & personæ, & omnia religiosa & pia loca vtentur libere omnibus bonis & iuribus suis; saluo sibi & successoribus suis in regno prædicto Trinacriæ seu insulis iurepatronatus, prout & secundum quod patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt, & in illis tantum ecclesijs, in quibus Reges antiqui Siciliæ huiusmodi iuspatronatus habuerunt: salua semper circa ecclesias cathedrales, & alias regulares & seculares quascunque, ac personas & loca ecclesiastica tam in faciendis prouisionibus & electionibus confirmandis, quam in reseruationibus de ipsis ecclesijs faciendis, quam in omnibus & quibuscunque alijs Romani Pontificis & ecclesiæ Romanæ iurisdictione, ordinatione, & auctoritate plenaria, & libera potestate.

De regio iure patronatus.

Causæ ecclesiasticæ a iudicib⁹ ecclesiasticis dirimẽdæ.

Omnes vero causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes libere & absque vllo impedimento agitabuntur, ventilabuntur, & tractabuntur coram ordinarijs, & delegatis apostolicis, & alijs ecclesiasticis iudicibus, & terminabuntur per eos: & si ad sedem Apostolicã super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem pro appellationum prosecutionibus libere, & absque inhibitione aliqua & impedimento quolibet permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur Frederico præfato, & eius in regno Trinacriæ successoribus secundum antiquam & rationabilem consuetudinem (prout canonica instituta permittunt) ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores antiquis Regibus Siciliæ præstiterunt. Si qui autem sint prælati & clerici, qui temporalia siue regalia bona teneant a dicto Rege & alijs dominis temporalibus, & qui ratione huiusmodi bonorum ab antiquo consueuerunt Regibus & ipsis dominis temporalibus seruitia exhibere, huiusmodi honesta & antiqua seruitia ipsi Regi & dominis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut statuta patiuntur canonicã impendent. Promittet etiam quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorundem regni, seu insularum in ciuili, vel criminali conueniatur coram iudice seculari: sed omnes personæ ecclesiasticæ omnimode erunt liberæ, & in nullo dicto Frederico seu eius successoribus subiacebunt. Nullas insuper tallias vel collectas, seu alia onera ecclesijs, monasterijs, clericis, & viris ecclesiasticis vel rebus eorum directe vel indirecte imponent, imponi facient, vel permittent: & in ecclesijs ac beneficijs vacantibus ipse Fredericus vel ipsius in regno Trinacriæ vel insulis successores nulla habebunt regalia, nullam iustitiam, nullosque fructus, redditus, & prouentus; nullas obuentiones & nulla prorsus alia percipient ab eisdem: sed custodia earundem ecclesiarum & beneficiorum interim libera penes personas ecclesiasticas iuxta & secundum statuta canonica remanebit. Reuocabunt etiam omnes constitutiones seu leges per eundem Fredericum seu prædecessores suos, præfatarum insularum detentores, si quæ editæ existant contra ecclesiasticam libertatem: quas nos etiam ex nunc irritas nunciamus, nec constitutiones vel statuta edent aut promulgabunt, quæ iuri vel ecclesiasticæ libertati in aliquo derogent.

Clerici ad profana tribunalia non abducendi.

Leges cõtra ius ecclesiasticũ abrogari iussæ.

12 Item quod dominus Fredericus & successores sui in regno seu insulis præstabunt huiusmodi iuramentum, ad hoc se specialiter obligantes, quod nunquam per se vel alium aut alios, seu quocunque modo procurabunt, vt eligantur vel nominentur in Regem vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Theutoniæ, seu dominum Lombardiæ vel Tusciæ, vel maioris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ, nisi hoc de expressa Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, processerit voluntate: & si electionem, vel nominationem ad ipsum imperium vel regnum Romanorum seu ad regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu maioris partis earundem de eo celebrari contigerit, nullum huiusmodi electioni vel nominationi assensum præstabunt; vel intromittent se vllo modo de regimine ipsius imperij vel regni Romanorum seu regni Theutoniæ, vel dominij Lombardiæ seu Tusciæ, vel maioris partis ipsarum, ad horum quodcunque nominatus fuerit vel electus*. Quod si ipse vel aliquis seu aliqui ipsius in regno Trinacriæ seu insulis successores ad imperium vel ad dictum regnum Romanorum vel Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ seu Tusciæ vel maioris partis earum procuratione eorum vel studio nominati fuerint vel electi, si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem dicti imperij, regni Romanorum, seu regni Theutoniæ, aut dominij Lombardiæ seu, Tusciæ vel maioris ipsarum partis regimine se manifeste intromiserit seu intromiserint, eo ipso a iure regni Trinacriæ seu insularum Siciliæ prædictarum cadat & cadant ex toto, ipsaque prorsus amittat seu amittant; & prædictum regnum seu insula cum adiacentibus insulis ad Ioannam prædictam, seu eius successores in regno Siciliæ, seu (regno ad ecclesiam deuoluto) ad Romanam ecclesiam libere reuertantur. Si autem ipse vel aliqui ex prædictis successoribus nominationi vel electioni factæ eis non procurantibus, consenserint vel consenserit, tunc huic electioni vel nominationi vel iuri omnino renuncient & renunciet; & de imperio seu aliquo alio præmissorũ, ad quod electi vel nominati fuerint vel fuerit, se nullatenus intromittẽt vel intromittet: & si moniti infra quatuor mẽsium spatium post monitionem huiusmodi tali nominationi, seu electioni vel iuri non renunciauerint vel renunciauerit, seu de ipso imperio vel aliquo præmissorum, ad quod electi vel nominati fuerint vel fuerit se intromiserit vel intromiserint quoquo modo, ex hoc sit & sint eisdem regno seu insula cum adiacentibus insulis, & omni prorsus eorum iure in illis priuati & priuatus; &, vt dictum est, ad prædictos, prout superius est expressum, libere deuoluantur. Si vero ad ipsum Fredericum vel ipsius in dicto regno seu insulis successores non

Vetitum ne Trinacria cum Germanico imperio, vel Etruria aut Insubria coniungatur.

Trinacri⁹ ad imperium aspirare vetitus.

*vel nominati fuerint seu electi

Si illud corripiat, Trinacria regno excidat.

poterit commode talis monitio peruenire (ſuper quo vtique impedimento, videlicet quod moneri commode nequeat ſeu nequeant, credetur & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis ſiue dicto) ſufficiat ſuper hoc Romani Pontificis monitio publica & ſolemnis; ita quod ſi infra ſex menſes poſt illam huiuſmodi electioni, nominationi, ſeu iuri non renunciauerit ſeu renunciauerint, aut de imperio ſeu de aliquo aliu prædictorum, ad quod ipſe vel dicti ſucceſſores electi vel nominati fuerit vel ſuerint, ſe quomodolibet intromiſerit vel intromiſerint, ea hoc cadat & cadant ab omni iure ipſorum regni ſeu inſularū cū adiacentibus inſulis & ipſa ad præfatos libere deuoluantur, vt ſupra.

13 Cæterum ſi contingeret aliquem de ſuis ſucceſſoribus, qui deberet in prædictis regno ſeu inſulis ſuccedere, in Regem ſeu Imperatorem Romanorum ſeu Regem Thauroniæ, vel dominum Lombardiæ aut Tuſtiæ, aut maioris earum partis nominari vel eligi ſeu aſſumi, nullatenus poſſeſſionem dicti regni ſeu inſularom narciſcatur vel habeat, nec de illorum iure ſeu dominio & regimine per ſe vel alios ſe aliquatenus intromittat, niſi prius imperio vel regno Romanorum ſeu regno Theutoniæ, aut dominio Lombardiæ aus Tuſciæ, aut maioris earū partis, ad quodcumque eorum electus, nominatus fuerit, vel aſſumptus, & omni iuri ſibi in illo competenti omnino renuntiet, & de illosum regimine, nec de iure net de facto illud gerens vel retinens, ſe aliqualiter intromittat; ſed omnino dimittat, ipſum nullo vnquam tempore reſumpturus: alloquin cadat ab omni ſucceſſione & iure, quæ in dicto regno Trinacriæ ſeu inſulis competerent ſibi eo ipſo; ita quod eadem regnum ſeu inſulæ ad præfatos iuxta prædictum ordinem plene & libere deuoluantur. Quod ſi, non extantibus maſculis, fæmina in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſerit, illa Regi vel Imperatori Romanorum, ſeu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, aut Regi vel electo Theutoniæ, ſeu Lombardiæ vel Tuſciæ domino, ant maioris partis earum, ſeu electo ad eorum dominium nunquam matrimonialiter copuletur. Et ſi contrarium fecerit, eo ipſo cadat a regno ſeu inſulis prælibatis, & iure quod in illis haberet, maneatque prorſus illorum iure priuata, ipſumque regnum ſeu inſulæ ad præfatoa iuxta premiſſorū ordinem deuoluantur. Si autem dictus Fredericus, vel alius ſuorum in regno ſucceſſorū contra hæc venerit ſeu venerint, eo ipſo excōmunicatus ſeu excōmunicati, inſuper labe & reatu periurij notasus vel notati exiſtat vel exiſtant.

Imperator, vel Etruriæ, aut Inſubriæ princeps Trinacriæ regno excludendus.

De fœmina, ſi Imperatori aut Etruriæ vel Inſubriæ principi nubat, idē ſancitum.

In huiuſmodi quoque iuramento ipſe, Fredericus nunc expreſſe addet, & per ipſius in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſores addetur expreſſe, quod nullo vnquam tempore regnum ſeu imperium Romanorum ſeu regnum Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ ſiue Tuſciæ, ſeu maioris partis earum, aut eaſdem Lombardiam ſeu Tuſciam, vel maiorem partem ipſarum, per ſe vel alium ſeu alios occupabunt, capient, vel acquirent, aut ſibi quomodolibet vendicabunt: & ſi ſecus fecerint, ſecundum formam præſcriptam, pœnas ſimiles incurrant. Quod autem dicitur de maiori parte Lombardiæ, intelligitur ſcienter. Si vero ignoranter, etiā eam ad mandatum eccleſiæ dimittere teneantur: et ſi eam ad mandatum eccleſiæ dimittant, non incidant in pœnam in articulo iſto, & conſimilibus conſtitutam: ſi vero moniti non dimittant, incidāt in pœnas in articulo iſto & conſimilibus conſtitutas. Quod ſi forte in poſterum Regem Trinacriæ contingat in Imperatorem vel Regem Romanorum aut Theutoniæ, ſeu dominum Lombardiæ ſeu Tuſciæ eligi, poſtquam fuerit ipſius regni Trinacriæ ſeu inſularum poſſeſſionem adeptus, ad imperium, regnum, ſeu dominium prædicta, ſeu eorum aliquod non tranſeat: aliæquin in pœnas incidat in hoc articulo & ſimilibus comprehenſas.

Ad hæc Fridericus ſucceſſoreſque deuincti, iureiurando.

14 Quod ſi, regni Trinacriæ ſeu Inſularum prædictarum poſſeſſione habita ſeu obtenta, in Imperatorem, Regem, ſeu dominum electus tranſire voluerit ad imperium, regnum, ſeu dominium huiuſmodi, in manu prius Romani Pontificis vel illius, quem ad hoc idem Pont. duxerit deſtinandum, filium ſuum ſucceſſurum in regnum Trinacriæ ſeu inſulis, cuiuſcunque fuerit ætatis, prius emanciper & regno ſeu inſulis prædictis renunciet, nihil dominij, iuriſdictionis, aut cuiuſcunque ſeruitutis, ſeu poteſtatis in eo vel eis retinens clam vel palam, nec ipſum filium ad aliquod ſeruitium vel ſubſidium faciendum ſtipulatione, pacto, iuramento, vel voto, ſeu alias qualitercunque ſibi vel ſuis ſucceſſoribus obliget, vel aſtringat: quod ſi, huiuſmodi emancipations & renunciatione non factis, ad imperium, regnum, ſeu dominium huiuſmodi tranſiuerit, eorum vel alterius ipſorum adminiſtrationi ſe qualitercunque immiſcendo, eo ipſo cadat a regno Trinacriæ ſeu inſulis huiuſmodi, & ad dictam Ioannam ſeu eius in regno Siciliæ ſucceſſores, vel (regno ad Romanam eccleſiam deuoluto) ad ipſam Romanam eccleſiam libere deuoluantur. Quod ſi, emancipatione & renūciatione huiuſmodi factis, ad Imperium, regnum, dominium prædicta, vel eorum alias tranſiuerit, filius eius ſic emancipatus ad ſucceſſionem regni, ſeu inſularum prædictarum libere admittetur: ſicque factus filius ſui iuris homagium ligium, & fidelitatis iuramentum iuxta formam in præſentibus annotatam præſtabit Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit; & alia faciet, quæ iuxta præſentis tractatus tenorem reges Trinacriæ Romano Pontifici & ſedi Apoſtolicæ facere ſunt aſtricti. Faciet etiam præfatæ Ioannæ Reginæ, & ipſius in regno Siciliæ ſucceſſoribus, tam iuramentum fidelitatis, quā omnia alia & ſingula, quæ in capitulis præſentis tractatus, eoſdem Ioannam & ſucceſſores tangentibus, exprimuntur. Et ſi filium ipſum abſq; liberis decedere ſorte contigerit, ad ſucceſſionem regni Trinacriæ ſeu inſularum huiuſmodi pater nullo vnquam tēpore admittetur, Imperator ſeu Rex Romanorum aut Theutoniæ, vel dominus Lombardiæ ſeu Tuſciæ, ſeu maioris partis earum exiſtens. Si autem imperio aut regno ſeu dominio huiuſmodi veraciter, ſine dolo, & fraude verbis & facto renuntiauerit, & huiuſmodi regno Trinacriæ ſeu inſulis velit eſſe contentus, ad ipſius filij ſucceſſionem poſt renunciationem huiuſmodi libere admittetur, facietque tunc Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Romanæ eccleſiæ, ac dictæ Ioannæ Reginæ, & eius in regno Siciliæ ſucceſſoribus omnia & ſingula, quæ ſupra in eius filio ſunt expreſſa. Cum autem Rex Trinacriæ ſeu Inſularum, huiuſmodi legitimum non habens filium, ad imperium, regnum, vel dominium prædicta, ſeu eorum aliquod eligetur, at huiuſmodi regno Trinacriæ renunciare, & ad imperium, regnum, vel dominium, ad quod ſit electus, vel nominatus fuerit, tranſire velit, ſi filiæ vel aliquæ aliæ de perſonis, quas ſupra diximus in regno Trinacriæ prædicto poſ-

De emancipando filio, patre ad imperium euecto.

Tendenti contra iactura regni obiecta.

Emancipatus filius ſacramentum fidei præſtabit Pontifici.

Si filio careat Trinacrius, idem in alijs heredibus obſeruandū.

posse succedere, superstites sint, quæ de filio præordinauimus obseruentur in illis; excepto dumtaxat emancipationis articulo, quæ in solis personis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Si autem nullæ tales personæ superstites fuerint, regnum Trinacriæ seu insulæ huiusmodi ad dictam Ioannam, seu eius in regno Siciliæ successores, vel regno ad Romanam ecclesiam deuoluto, ad ipsam Romanam ecclesiam iuxta prænotatum ordinem reuertantur libere.

15 Declaramus etiam, quod si Regi Trinacriæ, sine filio decedenti, superstes sibi filia vel mulier alia fuerit, quæ iuxta prædictam formam debeat ad huiusmodi successionem admitti, & quæ Imperatori aut Regi Romanorum seu Theutoniæ, aut domino Lombardiæ vel Tusciæ, seu maioris partis earum, dum ipse Rex viueret, fuerat desponsata vel nupta, non succedat in regno seu insula prælibata: & si, regno seu insulis sibi delatis, Imperatori vel Regi Romanorum vel Theutoniæ, seu domino Lombardiæ vel Tusciæ, vel maioris earum partis nupserit, cadat protinus ab eisdem, nisi in quocunque duorum casuum præmissorum vir eius Imperio aut regno seu dominio prædictis prorsus renuncians, regno seu insulis prædictis solummodo sit contentus: & hæc locum habeant, nisi de Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, imperium vel regnum, seu dominiũ Lombardiæ vel Tusciæ, seu maioris partis ipsarum expressa acceptauerit voluntate. In primo autẽ casu, videlicet quod filia vel mulier alia Regi Trinacriæ, sine filio decedenti, superstes extiterit, & quæ iuxta formam prædictam debeat ad successionem admitti, Imperatori, Regi, aut domino præfatis, Rege viuente, fuerit desponsata vel nupta, propter quod a successione præmissa (vt præmittitur) repellatur, ad personas alias, seruatis gradibus, regnum seu insula cum adiacentibus insulis perueniant, quas prænotauimus in regno seu insulis posse succedere in casu, quo Rege præmortuo filij non superfint. In secundo autem casu, videlicet quo regno seu insulis sibi iam delatis Imperatori, Regi, aut domino præfatis postea nupserit, regnum seu insula cum adiacentibus insulis, ad prædictam Reginam seu successores eius in regno Siciliæ, seu (regno ad Romanam ecclesiam deuoluto) ad Romanam ecclesiam libere deuoluantur: prædictaq; regnum seu insulæ imperio, regno, aut dominio prædictis nullo modo subdentur, nec sibi vllo vnquam tempore in eadem persona quomodolibet vnientur. Et præcise super hoc articulo, tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones cauebitur iuxta ecclesiæ voluntatem, quandocunque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum: cum prorsus intentionis sit nostræ & Romanæ ecclesiæ, vt regnum Trinacriæ seu insulæ prædictæ nullo vnquam tempore imperio aut regno Romanorum aut Theutoniæ, seu dominio Lombardiæ aut Tusciæ, vel maioris partis earum vniantur, quod scilicet vnus Romanorum Imperator vel Rex Romanorum aut Theutoniæ, vel dominus Lombardiæ seu Tusciæ, vel earum alicuius maioris partis & Trinacriæ Rex existat; ita quod ipse Fredericus & sui successores in regno Trinacriæ in Vrbe, siue Campania, vel Maritima, seu ducatu Spoletano, aut marchia Anconitana, aut in patrimonio B. Petri in Tuscia, siue in alijs quibuscunque terris, aut dominijs, aut feudis ipsius Romanæ ecclesiæ, vbilibet constitutis, ex successione, legato, aut venditione, aut donatione, siue alio quocunque iure vel titulo seu contractu nihil vnquam sibi acquirent, seu vendicabunt, seu poterunt acquirere seu quomodolibet vendicare; & nihil vnquam recipient, habebunt, vel retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt, nisi in regno Siciliæ & terra citra pharum, si ad ipsos de iure spectaret successio: ad quem casum prohibitionem huiusmodi declaramus aliqualiter non extendi. Nullam etiam potestariam seu capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, dignitatem, seu potestatem senatoriam, vel quamcunque aliam administrationem, seu commendam, nec quodcunque aliud officium recipient seu recipere habebunt, & retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt in eisdem.

Successione ad Imperatorẽ, vel Etruriæ Insubriæue principẽ deuoluta, quid constituendũ.

Decretũ, nullo casu Trinacriã cum imperio aut Etruriæ Insubriæue principatu coniungendã.

Nullis bonis in ditione ecclesiastica posse succedere.

16 Quod si contra præmissa vel aliquod de contentis in præsenti capitulo facere vel attentare præsumpserint, aut Campaniam, vel Maritimam, seu Vrbem, vel ducatum Spoletanum, vel marchiam Anconitanam, siue patrimonium B. Petri in Tuscia, vel alias terras quascunque Romanæ ecclesiæ vbilibet constituta, seu earum aliquam partem occupauerint vel occupari fecerint, aut super his offenderint vel molestauerint ecclesiam seu fecerint molestari; & postquam a Romano Pontifice moniti vel requisiti fuerint, vel si commode moneri vel requiri nequiuerint, iuxta Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc ipse publice vel solemniter ipsos monuerit, infra tres menses acquisita, vel delata realiter, integre, & effectualiter non dimiserit: aut a capitaneatu, rectoria, senatoria, vel alio (quodcunque illud sit) officio, eorumque seu eorum alicuius exercitio omnino non destiterint, vel restituerint integre omnia occupata, eo ipso ab eorundem regni Trinacriæ seu insulæ Siciliæ cum adiacentibus insulis iure cadent totaliter, ipsaque totaliter amittent; & ad præfatos Reginam, seu successores eius in regno, vel Romanam ecclesiam iuxta prænotatum ordinem libere deuoluentur. Quod si etiam restituerint occupata, nihilominus ad plenum de vniuersis iniurijs & damnis illatis ad mandatum eiusdem Romani Pontificis satisfacere teneantur. Alij quoque ipsius Frederici heredes, videlicet qui sibi non succedent in regno seu insulis prædictis, si cõtra præmissa vel eorum aliquod facere vel venire attentauerint quomodolibet, eo ipso sint excommunicati; & tam ipsi, quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædictorum insulæ cum adiacentibus insulis, seu regni (si in aliquo forte casu eiusdem successio deuolueretur) ad illam nullatenus admittantur: & Rex Trinacriæ, qui erit pro tempore, teneatur patenter assistere Romano Pontifici contra ipsos.

Si quouis specioso nomine vrbes ecclesiasticas occupent, Trinacriæ iure deturbati.

Si Trinacriæ heredes id per tentent, iure hereditario exauctorati.

17 Nullam etiam confœderationem vel pactionem seu societatem faciant dictus Fredericus aut sui successores, aut parentelã contrahent cum aliquo nostro vel successorum nostrorum aut Romanæ ecclesiæ inimico; nec etiam cum aliquo Imperatore, Rege, principe, vel barone Christiano, Saraceno, Græco, aut cum aliqua prouincia, ciuitate, aut communitate, aut loco alio scienter contra Romanam ecclesiam. Et ne posset in posterum super hoc oriri dubietas, illum declaramus debere reputari nostrum seu Romanæ ecclesiæ inimicum, de quo fuerit eisdem Regi Trinacriæ per Romanum Pontificem, qui erit pro tempore, nunciatum quod suus seu Romanæ ecclesiæ

Nullum fœdus ineundum a Trinacriæ contra Rom. ecclesiã.

cle-

clesiæ inimicus existit, vel qui ecclesiæ fidem non teneat; seu de quo manifestum est, quod ecclesiæ Romanæ inimicus existat, atiamsi non fuerit sibi nunciatum. Et si contra fecerit vel fecerint, eo ipso cadat & cadant a dictis regno Trinacriæ seu insulis, & ad præfatam Reginam seu aius in regno suo Siciliæ successores, seu ad Romanam ecclesiam iuxta præmissum ordinem libere reuertantur. Item quod dictus Fredericus habebit & tenebit inimicos nostros & Romanæ ecclesiæ pro inimicis suis, & amicos nostros pro amicis suis, & præfatos inimicos nostros & Romanæ ecclesiæ ad nostrum & Romani Pontificis, qui erit pro tēpore, mādatum persequatur toto posse.

Communes cum ecclesia hostes & amicos habere debet Trinacrius.

Item quod nobis & successori nostro, qui pro tempore fuerit, vbi nos vel successor noster, qui pro rempore fuerit, vellemus pro subsidio terræ sanctæ, licitum arit & liberum extrahi facere anno quolibet, prædicto occurranti casu, de prædictæ Insulæ partibus salmas frumenti ad mensuram Siciliæ decem millia: & vbi nobis & ipsi successori, qui pro tempore fuerit, placebit pro vsu nostro & successorum nostrorum & venerabilium frattum nostrorum S. R. E. Cardinalium, familiariumque nostrorum & successnrum (quantum nobis & ipsi successori, qui pro tempore fuerit, videbitur expedire) liberas a iute quolibet axituræ, dohanæ, seu alterins oneris vel vectigalis, quocunque nomine nuncupentur, transuehendas quo nos vel successor noster vel Romana acclesia mandauerimus, iuxta nostræ ac suæ beneplacitum voluntatis. Item quod omnia & singula contenta in pactis & conuentionibus habitis inter Romanam ecclesiam & prædictum quoudam Carolum Regem Siciliæ tam affirmatiue quam negatine, quæ in dando val in faciendo vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo vel mixtim consistunt, ipse Fredericus & sui in regno Trinacriæ successores plene & integre seruabunt, quatenus non discrepant, nec contrariantur capitulis in præsenti tractatu positis, prout ipsos contingit, seu contingere possit, & non aliter; præsertim in eo casu, quo regnum Siciliæ ad Romanam ecclesiam redire contingat. Intendimus etiam, quod per nominationem ipsam tegni Trinacriæ honori regalis tituli, qui de regno Siciliæ apud præfatam Ioannam eiusque successores in regno Siciliæ remanet, quemque apud eam & successores eius remanere volumus, nullum (atiam quantum ad vulgi labia seu prolationem sermonis) præiudicium afferatur.

Permittat educi ex insula cōmeatus pro vsu curiæ sine vllo vectigali.

18 Et si contingat, quod aliqua emergat dubietas vel contentio in tractatu pacis prædictæ vel circa ipsum, nos seu successor noster, qui pro tempore fueris, tanquam superior dominus cognoscamus; & fietur simplici dicto nostro & Romani Pontificis, qui erit pro tempora, etiam parte aliqua non vocata. Omnes vero præmissas & sequentes conditiones, quæ in persona præfati Frederici apponuntur circa ipsius etiam in dictis insulis seu regno Trinacriæ successorum * intelligimus, & volumus esse dictas: & quod omnia, & singula prædicta & infrascripta iuramenta, homagia, obligationes, promissiones, & conuentiones, dicti Fredetici in dictis regno seu insulis successores promittere, reuocare, præstare, seruare, & facere teneantur nobis & singulis Romanis Pontificibus, qui pro rempore fuerint, & Ioannæ præfatæ & singulis successoribus suis in regno Siciliæ, in quantum ex tenore præsentium capitulorum facere tenentur; eisdem saluis omnibus, quæ circa alios heredes dicti Frederici ordinata consistunt, prout superius & inferius est expressum. Per aliqua autem in præsentibus capitulis descripta seu contenta non intendimus pacta, & conuentiones habitas Inter Romanam ecclesiam & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ, quæ affirmatiue vel negatiue, in dando vel faciendo vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo val mixtim consistunt (& præsertim super solutione census & exhibitione seruitiorum nobis & ecclesiæ Romanæ debitorum iuxta conuentiones prædictas) mutare, innouare, sau eis in aliqua sui parte detrahere, vel aliquid derogate, nisi de expresso consensu Reginæ præfatæ: sed ad prædicta omnia, & singula alia, dicta Ioanna & successores sui in regno Siciliæ integraliter ecclesiæ Romanæ perinde remaneant obligati, sicut si regnum ipsum Siciliæ cum ea integritate, qua dicto domino Carolo infeudatum extitit, totaliter possideret: & omnia contenta in prædictis pactis & conuentionibus cum censurarum, pœnarum spiritualium & temporalium adiectionibus, & omnibus capitulis & clausulis ibidem descriptis (saluo quod in proximo capitulo sequitur, inconcussa) & illibara in suo robore volumus remanere.

Si quæ oriantur dubia, de claranda a Pont.

*personas

Impositæ Friderico leges successores deuinciūt.

Regina Ioāna ad eadē obstricta, ad quæ antea tenebatur.

19 Verum quia in conuentionibus inter Romanam ecclesiam & dictum quondam Carolum habitis contiuetur, quod insula Siciliæ & terra citra pharum diuidi non deberent; nos, considerantes tot & tantas strages hominum, deprędationes & dissolutiones ecclesiarū, raptus, incendia, diuini cultus diminutionem, & alia mala innumerabilia, quæ ex guerris, quæ diu viguetunt inter dictam Reginā & suos prædecessores ex vna parte, & dictum Fredericum & suos ex altera (qui dictam insulam & terram aliam citra pharum de facto diuisas tenuerunt iam per septuaginta annos, & vltra) sunt secuta; & quod propter interdictum, cui dictæ insulæ iam per multos annos subiacuerunt, in dictis insulis tantum axcreuit indeuotio populi, hæreses pullularunt, quod de totali subuersione catholicæ fidei in eisdem probabiliter dubitatur; nec non quietis, quæ in subditis vtriusq; terræ (cuius ad nos directum dominiū pertinet) proueniret ex pacā prędicta, maxime quia quodammodo guarris huiusmodi finis imponeretur, alias quam per pacā ipsas verisimilis non habetur, immo quod ex dilationa ipsius pacis Reginæ & ipsius regno, ac Rom. ecclesiæ hostes hostibus adderentur, non immerito formidatur; ex his & alijs causis iustis ad hoc nos mouantibus dictam conuentionem ad supplicationem ipsius Reginæ de frattum nostrorum consilio auctoritate apostolica ex certa scientia relaxamus: adijcientes, quod si in aliquo casu iuxta huiusmodi tractatus conuentionem dictas insulas ad manus Ioannæ seu successorum suorum in regno peruenire seu reuerti contingat, resumat suum robur prędicta conuentio; ita videlicet, quod dicta insula ab alia terra citra pharum nullatenus diuidatur. Circa capitula autem tractatus prędicti habiti inter partes, nobis (vt pręmittitur) pręsentati, modo & serie infrascriptis duximus procedendum; videlicet quod partes ipsę vicissim rancores & odia hucusque habita inter eos, nec non damna cuiuscunque generis seu interesse; quę ex pręteritis guerrarum temporibus vigentium in regnis tam vltra quam citra pharum, tam pro se quam pro fidelibus & vassallis suis, subditis, sequacibus quibuscunque fautoribus, aut haben-

Pactio de non diuidenda Trinacria soluta.

Quæ causę Pontificem ad pacem restituendā permouerint.

Sacrorum vsus in Trinacriā rescisso interdicto, reuocatus

bentibus causam dictę guerrę etiam fructus, redditus, & prouentus, qui percepti sunt ab ipso Frederico seu prędecessoribus suis, vel percipi potuerunt, seu occasione, pretextu, vel causa pręmissorum ab eodem Frederico quomodolibet puri possent, sibi inuicem remiserunt; sumus de ipsarum partium super hac ordinatione contenti: & propterea volumus, quod in perpetuum vniuersaliter & singulariter, simpliciter & bona fide vigere debeat vera pax & sincera cōcordia inter eos dictosque eorum fideles, vassallos, & alios superius nominatos.

20 Item dictus Fredericus & singuli ipsius successores in regno Trinacrię & singulis antedictis recognoscent pro se & successoribus supradictis, tenere dictum Trinacriæ a dicta Ioanna Regina & suis successoribus in regno Sicilię, ex suo corpore descendentibus legitime tantum. Post mortem vero dictæ Ioannæ Reginæ eiusque heredum ex suo corpore descendentium, seu eius, si nulli ex suo corpore heredes superfint, recognoscent tenere in feudum insulam & regnum prædictam cum adiacentibus insulis suis, a nobis & successoribus nostris, & sancta Romana ecclesia, tanquam a superiori & directo domino (honore regalis tituli regni Siciliæ, quem apud Ioannam præfatam suosque successores in regno remanere volumus, semper saluo) vt in præsentibus capitulis continetur; reseruatis obligationibus solutionis census trium millium vnciarum, seruitij equitum & galearum, & præstatione homagij & iuramenti fidelitatis eidem Ioannæ Reginæ & eius heredibus ex suo corpore descendentibus & etiam non descendentibus; etiam reseruatis singulis successoribus eius in regno, etiam non descendentibus ex suo corpore, obligationibus census trium millium vnciarum, seruitij equitum & galearum, & præstatione iuramenti fidelitatis; & alijs obligationibus, ordinationibus, retentionibus supra et infra scriptis in suo robore permanentibus. Item quod dictus Fredericus, & successores ipsius vtriusque sexus descendentes ex eo succedentes in regno seu insulis prædictis præstabunt præfatæ Ioannæ Reginæ & singulis successoribus suis in regno Siciliæ seruitium decem galearum, et centum militum præstandum in pecunia anno quolibet tempore notabilis inuasionis ipsius regni Siciliæ citra pharum in hunc modum: videlicet tertiam partem istis tēporibus vsque ad redintegrationem supradictæ insulæ vel maioris partis ipsius, ad dominium, et obedientiam ipsius Frederici ad rationem. quidem vnciarum centum quindecim per mensem pro qualibet ipsarum galearum: quæ vnciæ reductæ ad florenos de auro ad pondus generale regni Siciliæ ad rationem de florenis quinque per vnciam faciunt summam vnciarum trium millium centum quinquaginta, et pro prædictis militibus equitibus centum ad rationem de vncijs duabus pro quolibet ipsorum per mensem in florenis prædictis faciunt summam vnciarum sexcentarum: et tota prædicta pecunia erit in summam pro tribus mensibus vnciarum quatuor millium quinquaginta annis singulis, quibus continget fieri inuasionem prædictam computando vt supra.

Trinacriæ Ioannę regnum acceptum refatetur &c.

Et vectigal militare soluturus.

21 Redintegrata vero insula, vel maiori parte ipsius, vt supra, ad dominium et obedientiam ipsius Frederici, præstabit ipse Fredericus et sui successores dictum seruitium in pecunia iuxta præmissum calculum sine diminutione quacūque: et si dubium oriri contingat, quæ censeri debeat notabilis inuasio, vel redintegratio insulæ, de quibus supra, stetur simplici dicto nostro et Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, etiam parte non vocata. Sufficiet autem dictum redintegrationem, de qua præmittitur, semel fieri, dictusque Fredericus per procuratorem et successores ipsius vtriusque sexus descendentes ex eo succedentes in dicto regno Trinacriæ seu insulis per se ipsos, nisi iustum impedimentū contigerit. Quo casu per procuratorem sufficientem et idoneum, sufficienti potestate suffultum teneantur et debeant præstare et facere pro dictis insulis et regno Trinacriæ homagium, fidelitatis iuramentum præfatæ Ioannæ et singulis successoribus suis in dicto regno Siciliæ ex suo corpore descendentibus; et etiam singulis non descendentibus ex suo corpore teneantur modo simili præstare, et facere fidelitatis iuramentum sub hac forma:

Ego Fredericus Dei gratia Rex Trinacriæ iuro super hæc sancta Dei euangelia, quod ab hac hora in antea ero fidelis vobis serenissimæ dominæ Ioannæ Reginæ Siciliæ illustri, & vestris in regno Siciliæ successoribus, ac impendia omnia sinistra, & præiudicialia vobis, regno, statui, & honori vestris, cum ad meam notitiam peruenerint, quanto melius sciuero & potero auertam: quod non ero in consilio vel facto contra personam, regni statum, & honorem regalem vestrum; sed ipsas personas, regnum, & regalem honorem defensabo toto posse per me & meos bona fide contra omnem hominem viuentem, excepto domino nostro Gregorio Papa XI. & eius successoribus, ac sede Apostolica: & omnia & singula capitula sub forma fidelitatis contenta immutabiliter obseruabo: vniuersas et singulas promissiones obligationes, conuentiones, in præsenti priuilegio, instrumento, seu literis contentas, & omnia & singula in eis contenta plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia; ita tamen quod ex prædicta recognitione regni Trinacriæ seu insularum, ac homagio et fidelitatis iuramento comites, barones, et omnes vassalli et fideles Frederici præfati, heredum, et successorum suorum in regno et insulis supradictis, nullo respectu nulloque iure intelligantur astricti, nec censeantur subiecti præfatæ Reginæ seu heredibus suis; nec in eosdem præfata Regina seu heredes sui cognitionem, iurisdictionem, seu aliam potestatem exercere valeant nec pretendant: immo præfatus Fredericus, heredes, et successores sui in dicto regno Trinacrię seu insulis in eosdem comites et barones, et alios suos vassallos, per se omnem ac liberam possint, et debeant iurisdictionem exercere, et plenissimam potestatem; iuribus tamen omnibus et singulis nostris, et Romanæ ecclesiæ semper saluis.

Sacramenti formula Ioannæ & successoribus præstandi

Subditi Frederici Ioannæ non censeantur subiecti.

22 Item quod præfatus Rex, heredes, et successores ipsius in dicto regno Trinacrię soluent, tradent, et assignabunt, et soluere tenebuntur eidem Reginę et singulis heredibus et successoribus suis in dicto regno anno quolibet, in festo Apostolorum Philippi et Iacobi in ciuitate Neapolitana periculo et expensis ipsius Frederici et suorum successorū in regno, seu insulis vncias auri tria millia ad rationem pręmissam de florenis quinque aut ad pondus generale regni Sicilię pro qualibet vncia, quæ reductæ ad florenos auri ad pondus & rationem prædictam faciunt summam florenorum quindecim millium contingentium dictas insulas, seu regnum Trinacriæ ratione debiti per ipsam Reginā sanctæ Romanæ ecclesiæ

De censu Ioannæ præstādo.

& Apo-

& Apostolicæ sedi; concesso tamen gratiose per eandem Reginam quod præfatus Rex eximatur, absoluatur, & veniat liberatus pro se, heredibus, & successoribus suis a præstatione & solutione dicti census per annos tres inchoandos in prædicto festo Apostolorum proxime elapso. Completis vero annis tribus, teneatur ipse Rex soluere dicta quindecim millia florenorum anno quolibet pro censu prædicto eidem Reginæ, & singulis suis successoribus in regno Siciliæ prædicto in ciuitate Neapolitana absque diminutione quacunque in prædicto termino festi Apostolorum Philippi & Iacobi modo præmisso. In casu vero quo contingeret regnum Siciliæ redire ad manus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, eo casu teneantur & debeant dictus Fredericus & successores ipsius præfati dare & soluere dicta tria millia vnciarum pro censu in festo Apostolorum Petri & Pauli sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ anno quolibet, vbicunque summum Pontificem seu Romanam curiam adesse continget, expensis suis & periculo; ac remissione dicti census de prædictis tribus annis futuris per præfatam Reginam facta (si eis durantibus contingeret regnum ad ecclesiam Romanã redire) nihilominus in suo robore manente.

23 Si vero dictus Fredericus aut successores sui in dicto regno seu insulis quomodocunque non soluerint integrum censum Ioannæ præfatæ aut successoribus suis in regno Siciliæ, vel (regno ad Romanam ecclesiam deuoluto) ipsi Romanæ ecclesiæ, & expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de eo ad plenum non satisfecerit aut satisfecerint, eo ipso erit & erunt excommunicationis vinculo innodatus & innodati. Quod si in secundo termino subsequente duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persoluerint, totum regnum Trinacriæ seu insulæ Siciliæ adiacentes prædicto ecclesiastico erunt suppposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses primos per plenam satisfactionem eiusdem illius census sibi non duxerit consulendum; ita quod, transactis eodem termino tertio & duobus proxime sequentibus mensibus, non sit de tribus millibus vnciarum huiusmodi primi termini ipsi Ioannæ seu eius successoribus, aut Romanæ ecclesiæ iuxte ordinem prædictum integre satisfactum, ab ipso regno seu insulis ipsorumque iure cedat & cadant ex toto; & regnum ipsum siue insulæ ad præfatam Ioannam eiusque successores in regno, vel (regno ad ecclesiã deuoluto) ad Romanã ecclesiam ipso iure libere & integre reuertantur. Si autem de censu trium millium vnciarum huiusmodi primi termini infra dictum tertium & duos sequentes menses plenarie satisfecerit aut satisfecerint, nihilominus semper pro singulis tribus millibus vnciarum singulorum terminorum, si simili modo in earum solutione cessauerit vel cessauerint, vel ipsa non soluerit vel soluerint, pœnas similes incurret & incurrent; saluis alijs pœnis & processibus, quæ vel qui de iure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem, seu per Ioannam præfatam aut eius successores in regno Siciliæ in hoc casu. In omnibus vero casibus, in quibus vel propter cessationem solutionis census (vt dictum est) vel alio quoquo modo regnum Trinacriæ vel insula cum adiacentibus insulis prædictis, dictum Fredericum & suos successores in regno siue insulis siue iure, quod habet in illis, priuari ipso iure contingat seu priuari debere, regnum, insulæ, seu iura, prædicta ad Ioannam præfatam seu eius successores in regno, seu (regno ad ecclesiam deuoluto) ad Romanam ecclesiam libere deuoluantur.

Irrogatur, si defuerit soluendo Trinacriæ, pœna.

24 Item quod præfatus Fredericus, heredes, & successores sui nullo vnquam tempore intitulabunt nec scribent se titulo regni Siciliæ, sed tantummodo titulo Trinacriæ, & intitulent & scribant se Reges Trinacriæ, & non scribant seu intitulent se Reges Siciliæ, nec alio titulo Siciliæ: ipsaque Regina & heredes & successores sui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ; ita tamen quod intitulatio regni Siciliæ nullum afferat præiudicium intitulationi regni Trinacriæ, nec e conuerso: immo quodlibet regnum distinctum per se suum habeat titulum, nec vni pro altero derogetur, seruatis dictæ Reginæ & successoribus suis quæ occasione præsentis contractus ad eos possunt quomodolibet pertinere. Item quod dictus Fredericus pro se & singulis suis successoribus in regno Trinacriæ seu insula Siciliæ prædictis promittet solemniter, non facere confœderationem seu pactionem cum aliquo Imperatore, aut aliquibus principibus, seu communitatibus mundi Christianis vel infidelibus contra dictam Reginam, heredes, & successores suos in regno Siciliæ prædicto: & e conuerso dicta Regina prædictas confœderationes & pactiones promittat pro se & suis in regno Siciliæ successoribus, non facere contra eundem Fredericũ & successores suos.

De titulo a Frederico vsurpando.

Non percutiendũ ab eo fœdus contra Ioannam.

Item quod præfatus Fredericus veniat liberatus ab omni & quolibet censu debito pro dictis insulis dictæ Reginæ seu Romanæ ecclesiæ & habentibus causam ab eis, pro omnibus retroactis temporibus vsque nunc ratione insularum supradictarum; ac etiam ab omni iure, actione, debito, ad quæ præfatus Fredericus teneri possit ratione dictarum insularum et causa guerrarum eidem Reginę & dictis suis heredibus & successoribus alias quomodolibet teneretur. Item pręfatus Fredericus pro se & successoribus suis promittet pręfatæ Reginę & successoribus suis, quod ipse Fredericus aut aliquis eius in regno Trinacrię successor, non receptabit in dicto regno Trinacrię rebelles, seu facientes guerram dictę Reginę seu successoribus suis, nec eisdem pręstabit auxilium, consilium, nec fauorem: & e conuerso pręfata Regina promittet pro se, & successoribus suis, non receptare rebelles, seu guerram facientes pręfato Frederico & successoribus suis, nec eis pręstare auxilium, consilium, seu fauorem. Item quod insula Lipari, quam nunc tenet Regina pręfata, remaneat cum vassallis, fortalitijs, iuribus, & pertinentijs suis in potestate & plenissima iurisdictione dictę Reginę Sicilię, quamdiu vixerit: post mortem vero ipsius Reginę redire debeat cum omnibus supradictis iuribus suis ipso facto ad dictum Fredericum, heredes, & successores suos tanquam bona de adiacentibus insulis dictę insulę Sicilię: quodque prędicta Regina iuret, & per stipulationem solemnem promittat pro suis heredibus & successoribus prędictam insulam cum iuribus antedictis restituere & restitui facere pręfato Regi, heredibus, & successoribus suis: & nihilominus prędicto casu pręfatus Rex, heredes, & successores valeant, & licitum sit eis auctoritate propria, seu qualitercunque melius possint, recuperare & capere dictam insulam, tanquam vnam de adiacentibus insulis insulę Sicilię, pręsenti pacis tractatu nihilominus in suo robore permanente; conuento expresse, quod in superioribus capitulis, vbi fit mentio de adiacentibus in-

Non fouendi Ioannæ perduelles.

De insula Lipari post mortem Ioannæ deuoluenda ad Fredericũ.

insulę Sicilię & regni Trinacrię, non intelligatur de insula Lipari, nisi prout in isto capitulo continetur.

Et cum firmata fuerint per partes, & solemniter roborata contenta in præsentibus capitulis & tradita instrumēta, seu literæ aurea bulla bullatæ, vt inferius continetur, dictum Fredericum in eo casu ex nunc Regem Trinacriæ facimus, constituimus, & creamus; & concedimus auctoritate apostolica, quod dictus Fredericus, & successores sui in regno seu insula prædictis, titulo prædicto Trinacriæ intitulare possit se; & non aliter, nec alio vllo modo. Item quod præfata Regina & eius in regno Siciliæ successores dabit & dabunt, præstabit & præstabunt præfato Frederico, heredibus, & successoribus suis, auxilium, consilium, & fauorem iuxta posse suū circa reductionem, & redintegrationem dictę insulæ ad dominium, & obedientiam præfati Frederici & successorum suorum; non astringendo se, nec successores suos nisi iuxta velle & beneplacitum suum, & eorum. Et vt præmissa omnia & singula cum mutationibus, additionibus, & detractionibus auctoritate apostolica per nos factis, per Ioannam Reginam & Fredericum præfatos inuiolabiliter obseruentur, prout superius sunt expressa; infra sex menses a die, qua eis fuerint præsentata, teneantur promittere, & solemniter tactis sacrosanctis euangelijs iurare, quod ipsa omnia & singula inuiolabiliter obseruabunt. De pœnis autem, obligationibus, clausulis, solemnitatibus, & cautelis pro inuiolabili obseruantia omnium præmissorum partes ipsæ prouideant inter se, sicut eis videbitur expedire; pœnis tamen per nos pro obseruantia præsentis tractatus generaliter seu aliquorum capitulorum in eo contentorum particulariter adiectis in sua nihilominus semper remanentibus firmitate; declarantes expresse, quod per aliquas adiectiones ad tractatum habitum inter partes per nos factas, quæ superius describuntur, non intendimus iuri, quod ex feudatione facta de regno Siciliæ Carolo præfato & suis successoribus competit Ioannæ prælatæ, seu eius in Regno successoribus, in aliquo derogare; immo illud volumus remanere illæsum, ijs saluis, quæ in præsentibus capitulis continentur. Et vlterius declaramus specialiter, & expresse, quod per præsentem tractatum, seu aliqua quæ continentur in eo, non intendimus iuri alieno quomodolibet derogare. Volumus etiam quod de contentis in præsentibus articulis, quæ per nos destinantur, nihil partes ipsæ valeant immutare. Et ad hoc, vt firmius obseruentur, prælati, principes, duces, comites, & barones, & sindici notabilium ciuitatum, ad hoc potestatem habentes, tam insulæ quam terræ citra pharum iurabunt, quanto commodius fieri poterit, infra tempus nostro arbitrio statuendum in illius vel illorum manibus, quos ad hoc duxerimus deputandos, qui curabunt & facient bona fide, quod præmissa omnia & singula (quantum eis erit possibile) fideliter & inuiolabiliter seruabuntur. Dabunt etiam instrumenta seu literas præfata Ioanna Regina & Fredericus nobis & Romanæ ecclesiæ aurea bulla bullatas, in quibus contineantur & approbentur omnia de verbo ad verbum, prout superius sunt expressa: et in singulis homagijs, et fidelitatis iuramentis Romano præstandis Pontifici per eundem Fredericum, et eius successores in regno Trinacriæ antedicto, ipse Fredericus et sui in regno huiusmodi successores modo præmisso bullas huiusmodi renouabunt cum expressione nominis Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, et ipsius renouantis, prout superius est expressum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VI. kal. septembris Pontificatus nostri anno secundo.*

Creatur Fredericus a Pont. Rex Trinacriæ.

Ioannæ successorum iuri ex prædictis non detractū pronunciatur.

Vt superiora a Ioanna & Friderico renouanda.

25 Ad pacis decreta mandanda operi Gregorius Ioannē episc. Sarlatensem in Siciliam legauit: coram quo Ioanna Regina proximo anno sancitas a Pontifice memoratas fœderis leges admisit; easdemque Friderici Regis Trinacriæ oratores, amplissimis ad id instructi mandatis, confirmarunt. Qua de re exstant conscripta iussu Ioannæ publica documenta, quibus hæc temporis nota adiecta est: *Datum Auersa per manus viri magnifici Ligorij Zuruli de Neapoli militis, logothetæ & protonotarij regni Siciliæ, collateralis, consiliarij, & fidelis nostri anno Domini* MCCCLXXIII. *die vltima mensis martij XI. indiction. regnorum nostrorum anno XXXI.* Altero autem post anno Fridericus, qui iustos Trinacriæ Regis titulos sibi eo fœdere pepererat, superiora omnia publicis etiam literis, suo afferendis a loco, corroborauit. Cum vero ipse hoc anno a Pontifice supplicibus votis contendisses, vt adeundæ sedis Apostolicæ onere ad clientelarem sponsionem præstandam liberaretur, ne regnum nondum pacatum in noua discrimina coniiceret, annuit Gregorius, modo internuntio apostolico acceptum pontificia beneficentia regnum solemni ritu referret: quo argumento exstat subiectum diploma. b

Episc. Sarlatensis legatus in Siciliam. Superiora a Ioanna & Friderico confirmata.

a An. Chr. 1374 n. 19

Gregorius, &c. dilecto filio magnifico viro Frederico de Aragonia insulam Siciliæ regenti.

b An. 2. ep. com. pag. 271.

Cum in capitulis tractatus pacis inter charissimam in Christo filiam nostram Ioannam, Reginam Siciliæ illustrem tuamque magnificentiam auctore Domino reformandæ, contineatur expresse, quod tu et successores tui in regno præfato * nobis et Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, homagium ligium, et sacramentum fidelitatis præstare in forma, quæ expresse in dictis capitulis continetur; nobisque pro parte tua fuerit humiliter supplicatum, vt cum tibi valde redderetur difficile, ac propter causas multiplices etiam personæ tuæ dictoque regno magnum periculum immineret, si te oporteret sedem dictam personaliter visitare, tibi indulgere, quod propter huiusmodi homagium et sacramentum facienda et præstanda non tenearis antedictam sedem personaliter visitare, sed sufficiat tibi huiusmodi homagium et sacramentum fidelitatis per procuratorem idoneum ad hoc sufficiens mandatum habentem in manibus nostris vel Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, vel per te in manibus illius vel illorum, qui ad eadem homagium et sacramentum recipienda per nos vel successores nostros Romanos Pontifices specialiter fuerint ordinati, facere et præstare de speciali gratia dignaremur; nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, dumtaxat (ita quod hoc indultum ad successores tuos in regno præfato nullatenus extendatur, sed successores ipsi huiusmodi homagium et sacramentum fidelitatis facere et præstare personaliter teneantur, prout

* debebatis.

Liberatus Trinacr. adeundæ sedis Ap. labore ad clientelarem sponsionem præstandam.

in eisdem capitulis continetur) quod propter huiusmodi homagium et sacramentum fidelitaria facienda et præstanda non tenearis iam dictam sedem personaliter visitare; sed sufficiat tibi huiusmodi homagium et sacramentum fidelitatis per procuratorem idoneum, ad hoc sufficiens mandatum habentem, in manibus nostris vel Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, vel per te in manibus illius vel illorum, qui per nos vel Romanos Pontifices, qui erunt pro tempore, fuerint specialiter deputati, facere et prestare, de speciali gratia indulgemus. Volumus tamen, quod si te aliquando contingeret sedem Apostolicam personaliter visitare, etiam post huiusmodi homagium et sacramentum huiusmodi renouare et facere personaliter tenearis. Nulli ergo, etc. *Dat. Auin. 10. kal. nouembris anno 11.* Monitus est alijs literis a Fredericus, vt oratores amplissimos mitteret ad sedem Apost. qui exposcerent, vt põtificia auctoritate regia illi sacra et ornamenta conferrentur. Cæterum ob diuulsam eo fœdere Trinacriam a Neapolitano regno Ioanna Ludouicum Regem Vngarię non obscura in Siciliam hereditaria iura obtendentem in se asperauit b: quem demulcere nisus est Gregorius; eundemque, cum iam lites suas cum Cæsare diremisset, interpretem adhibuit c, vt duces Bauarię cum ipso conciliaret.

a To.2.ep. secr. pag. 593.
b Ib. pag. 97.
c Ib pag. 18.

26 Neq; hoc loco reticendum videtur, ornatum a Pontifice hoc anno Imperatorẽ, pietati ac venerãdis sacris reliquijs egregie addictum, pretiosissimo munere, sacratissimę nimirum crucis, in qua Christus Dominus humani generis crimina suo eruore abluit, particula; ipsumque ad dominicam passionem recolendam excitatum d: *Quia ea*, inquit Gregorius, *quæ Christi sunt, tanquam princeps Christianissimus deuotius veneraris, vt passionem Saluatoris nostri ea mediteris frequentius, & meditando ipsius beneplacitis feruentius te coaptes qua lignum suæ crucis, in qua saluati sumus, corporeis oculis sæpius fueris contemplatus, quandam particulam dictæ crucis repertam inter reliquias & thesaurum sanctæ Romanæ ecclesiæ recondi fecimus in cruce aurea cum lapidibus pretiosis, eamque deuotioni tuæ per dilectum filium Eliam de Vodromo cantorem ecclesiæ Xantonensis clericum cameræ nostræ, Apostolicæ sedis nuncium, latorem præsentium destinamus. Dat. apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis VI. id. maij anno secundo.*

d An.2.ep. cur pag.33
Pars ligni viuificæ crucis dono missa Cæsari.

In Gallijs recruduerant vetera bella: ad quæ auertenda summus Pontifex Carolum Regem Francorum ad pacis cum Eduardo Angliæ Rege instaurandæ consilia impellere nisus est: verum Itiense colloquium, ad quod Regum oratores ea de causa conuenerant, re infecta dissolutum est, extremoque anno de eo Brugis redintegrando sumptum consilium. Pontifex itaque Eduardum & Carolum Reges e, vt sæpe ante, tum Ioannem & Simonem Cardinales internuntios f, ac proceres de concordia acturos g ad pacem instaurandam est adhortatus. Neque tamen pax potuit conciliari, cum secundis rebus Galli vterentur; Anglus vero superioribus bellis & annis pluribus parta vno momento amittere æquo animo non ferret. Cæterum redière in Gallorum fidẽ Sanctones, Engolismenses, Fanum S. Angeliaci, Rupella, aliaque loca. In eo belli ardore ecclesiastici ab vtrisque oppressi fuere: a senatu quidem Parisiensi edictum regium ijs iniquissimum est promulgatum h; ad quod abolendum plurimũ operæ impendit Pontifex. Ioannes pariter dux Britanniæ ecclesiasticorum iura elisit, omnemque in vrbibus auctoritatem ad se deriuare contendit. Sed parum hæc ipsi profuere: Britannia enim pene vniuersa ad Regis Francorum partes se conuertit, ac Ioannes, amissa ditione, in Angliam transfugere fuit coactus a.

Dissolutũ pacis colloquium.
e Pag. 338.
f Pag. 339
g Pag. 332.
Plura ab Anglo amissa.
h To.2.ep. secr. pag. 311.
Britanniæ minor ad Gallum redit.
a Walsing in Eduar. III.

27 Depressa etiam est in Hispanijs ob suborta bella ecclesiastica auctoritas, ad quam tutandam Gregorius nonnullas Aragonum leges, quarum occasione plures ecclesijs inferebantur iniurię, restrinxit b. Inscripta erant eę, *De sono emissa*, ac *De pace & treugua*; atque ex prima quidem contendebant iudices, vt si cuiuspiam facinoris reus iudiciorum seueritatem declinaturus in aliquod castrum se reciperet, ac prefectus loci reum tradere forensi satellitio detrectaret, illud castrum oppugnare ac vastare agros liceret: quo obtentu plura ecclesiarum nobilia ędificia diruebantur. Altera vero lege cautum erat, vt cum quis postulatus iudicio non compareret pręconis voce, pelleretur in exilium, et quęcunque illi ac bonis, tum partium illius sequacibus damna inferre liceret: ex quo fiebat, vt viri ecclesiastici nõ sine magno dedecore pręconis voce proscriberentur omniq; solatio ac patrocinio essẽt destituti: cumq; sententias ecclesiasticas et censuras a concilijs prouincialibus latas promulgarent, a magistratibus regijs exagitarentur, redigerentur in seruitutem, ac bona etiam virorum religiosorum impune diriperentur. Edixit itaque Pontifex, ne quis eiusmodi legum specie ecclesiasticis vlla damna iniuriasue inferret, ac si priuatus extiterit, anathemare; si plebs, interdicto ecclesiastico perculit, ac non nisi sarcita iniuria sacris restitui vetuit: si vero non expiato crimine obijssent tandiu inhumatos iacere sanxit, donec heredes ipsi ecclesię fecissent satis. Cui edicto apostolico dies ascripta est non. februarij.

b An.2.ep. cur. pag. 80.
Nonnullæ Aragonũ leges emẽdatæ.
Consultũ sacerdotali immunitati.

Ingrata fuit ea constitutio Petro Regi Aragonum, simultatesque haud leues cum Aragonię clero suscepit; quem mulcere Pontifex studuit, c atque ad ęquitatem reuocare: *Sane*, inquit, *fili charissime, si ex constitutione præfata iurisdictionem tuam in aliqua fore læsam videas, quod non credimus, id nobis significare non tardes, quia super hoc celeriter, quocumque sublato fauore, ministrabimus iustitiæ complementum. Ideo serenitatem tuam attente rogamus & hortamur in Domino, quatenus præmissa, quæ de paterni cordis affectu etiam pro tua salute prodeunt debita mente considerans, & tanquam diuinæ legis amator in Romana ecclesiæ matris tuæ beneuolentia perseuerans, omni deposita turbationis materia, quaslibet regnorum & terrarum tuarum ecclesias et personas ecclesiasticas manuteneas in suis libertatibus et defendas, ac eis ob Dei et Apostolicæ sedis ac nostram reuerentiam assistas, etc. Dat. Auin. II. id. maij anno 15.*

c Ib. pag. 142.

Dedit etiam operam Gregorius, vt dissentientes Reges Hispanos in concordiam adduceret, misso ea de causa Guidone Boloniensi Cardinale in Hispanias, quem sedente Innocentio VI. apostolica legatione perfunctum vidimus. Lusitanus quidem hereditario iure Castellę et Legionis sceptra ob turpes Henrici natales sibi debita contendebat: Aragonius vero et Nauarrus ob superiores rerum conuersiones Castellani regni partem diuellere, ac ditioni suę adiungere moliebantur.

Hispanis Regibus conciliandis nauata opera.

Quod ad Henrici Castellę et Petri Aragonię Regum controuersiam spectat; ea ratione sopitam refert Surita d, vt illius arbitrum et concor-

d Sur. l. 10. c. 14.
Conciliati Aragonius & Castellanus.

cordię interpretem Romanum Pontificem delegerint. Quę literis pontificijs a confirmantur: in quibus etiam additur, controuersiam Regis Castellę cum Nauarro sedis Apostolicę iudicio permissum, idque Castellanos oratores professos.

a To.2.ep. secr.pag. 135.

28 Idem etiam munus susceptorum se est pollicitus Gregorius pro componendis alijs dissensionibus, quę inter Aragonium ipsum et Dominicum e Campofregoso recrudescebant, vt Turcas contunderet, qui in oriente Christianos, nostrorum vsi discordijs, opprimebant b. Et sane barbari post insigni pręlio deletos c Gręcos, Valachos, et Rascios signa victricia late circumtulere; atque excitis ex Asia nouis exercitibus Dalmatiam, Macedoniam, Achaiam, Neopatriam, Constantinopolitanum imperium, siue eam partem quę Palęologo Græco, siue aliam quę Philippo Tarentino parebat, tum Rasciam et Valachiam in discrimen seruitutis adduxere. Quibus Christiani nominis hostium progressibus perculsus Dei vicarius Ottobono Catalusio patria Genuensi Smyrnarum præfecto, vt studiose illius vrbis, rei Christianę propugnaculi, custodiæ incumberet, imperia dedit d: dumque Anglos Gallosque Reges veteribus odijs efferatos, Hispanos varijs implicitos bellis, plenam motibus Italiam, inquietam Germaniam circumspexit, ad Ludouicum Regem Vngarię plurium regnorum accessione viribus et bellica virtute florentissimum cogitationes conuertit, pioque studio accendere nisus est e, vt expeditionem in Turcas compararet: ac pericula exposuit, quę imminerent Vngarię, ni mature ad elidendos eorum conatus prosiliret.

Formidati Turcarum progressus. b Pag.5.et pag.59. c Pag. 88.

d Pag.311.

e Ead.to.2. ep.secr. pag.32.

Gregorius, &c. Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Audi, fili charissime, verba patris salubria, audita mature consideres, & considerata studeas adimplere: cum illa tibi suadeant quidquid honoris & gloriæ, quidquid securitatis & commodi, quidquidue perpetui præmij valeas adipisci. Diebus siquidem non longe præteritis multiplicati rumores de diuersis partibus ad sedem Apostolicam perduxerunt, quod impij Turchi atroces hostes Christiani nominis, super nonnullas partes Græciæ in graui multitudine irruentes, subactis quibusdam magnatibus regni Rasciæ, nunc in eis dominantibus & earumdem partium populis professione Christianis, scilicet schismatum & hæresum maculatione fœdatis, & impietatis erroribus deprauatis, lata terrarum spatia occuparunt, & vsque ad tui Vngariæ & præfatæ Rasciæ regnorum, nec non Albaniæ & Sclauoniæ confinia peruenerunt, & venire ad maritima, & portus obtinere maris Adriatici formidantur: propter quæ timor & tremor fidelibus partium vicinarum incutitur, & desolationis earum proximum præparatur periculum, ac maris & terræ conturbatio pertimetur.

Excitatur ad vertendum in eos arma Vngarus.

Eapropter, cum ad obuiandum sufficienter ingruenti turbini tantæ cladis aliud, quam tuæ prægrandis potentiæ valiturum non videatur remedium, cum præsenti tempore, quo mundus plus solito est positus in maligno, de generali passagio in hac parte nequeat prouideri; deuotissimam magnificentiam tuam, quæ inter omnes Reges catholicos consueuit esse & persecutrix infidelium, & defensatrix catholicæ fidei, omni qua possumus affectione precamur, quatenus pie grateque recognoscens eximiam potentiam tuam ad hoc a Domino tibi datam, vt ea vtaris ad defensionem sui populi, quem pretiosissimi cruoris sui sparsione redemit, & per hoc de caduco regno sæculi conscendas æternum, ad occurrendum potenter rabiei & præsumptioni tam crudelis tamque execrabilis nationis tanquam leo fortis & animosus exurgas, speresque in dextera Regis regum in tuo fideli populo, quod de ipsis hostibus victoriam reportabis, & a tuis aliorumque fidelium terminis procul pelles: sicque tui regni & aliorum fidelium securitati duraturo, Deo dante, efficaci remedio prouidebis; & præter tui famosi nominis adauctam gloriam æterni regni diadema te potieris. Nos enim dilectum filium nobilem virum ducem Venetiarum, vt tibi (si indigueris) de copia nauigiorum subueniat, per nostras literas exhortamur, aliosque possibiles fauores Apostolicæ sedis magnitudini suæ offerimus, cum ad hoc intendere volueris, promptis affectibus impendendos. *Dat. apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis id. maij anno secundo.*

Monitus, vt periculo imminenti occurrat.

Pluribus vero alijs literis Elisabetham Reginam, Carolum Dyrrachinum, archiepiscopos Strigoniensem & Colocensem, & episcopum Vaciensem est adhortatus Pontifex a, vt Ludouicum ad bellum Turcicum concitarent. Conciliare autem illi Venetorum maritimas vires studuit, atque Andream Contarenum ducem ad id literis solicitauit b, cum maximi reipublicæ Venetæ interesset, Turcarum tyrannidem ingrauescentem elidere, ne confirmata viribus exitium illi inferret. Apostolicis precibus ac monitis obsecutus dux Venetorum potentiam suam versurum in hostes fidei tuendæ diuinæ gloriæ studio respondit; de quo actæ illi a Gregorio gratiæ c. Tum nouæ adulto iam anno additæ preces, vt cum Turcæ latius in dies tyrannidem proferrent, ac plures populos schismaticos sibi subiecissent, suos oratores in Bœotiam mitteret, qui Thebis fœdus armorum vna cum pluribus alijs principibus percuteret.

a Ib. pag. 33. Rogatus Venetus, vt iungat arma in Turcas. b Ead.pag. Contarenus dux ad id pronum se exhibet. c Pag.86.

29 Solemnes porro Gregorius Christianorum conuentus Thebis indixit, quibus etiam Neopatrię & Nixiensem archiepisc. interesse iussit d: in ijs enim orientales occidentalesque arctissimo inter se nexu ad compescendam Turcicam feritatem deuincire moliebatur. Atque in primis Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem solicitauit e, vt cum Turcæ, maxima illius imperij parte euastata, reliquæ excindendæ inhiarent, non expectato etiam Thebanorum conuentuum exitu, quantas posset copias in barbaros compararet.

Solemnes conuentus Thebis indicti. d An.3.ep. cur.pag. 77. e To.2.ep. secr.pag. 88.

Charissimo in Christo filio Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri.

Lachrymabili expositione venerabilis fratris nostri Francisci archiepiscopi Neopatrensis latoris præsentium, publicæque famæ attestatione admodum dolenter audiuimus, quod impia gens Turcorum, inimica & persecutrix nominis Christiani suique imperij occupatrix, in tanta copia de suis finibus est egressa, & peccatis exigentibus nouiter sic præualuit, quod nonnullos populos dicti tui imperij vsque ad fines Rasciæ & Albaniæ & ducatus Athenarum suæ perfidiæ subiugauit, & tenet astrictos sub sua miserabili seruitute; & tam potenter tamque fortiter alias partes Christianorum impugnat & inuadit assidue, quod (nisi obuietur eidem) de totali perditione dicti tui imperij aliarumque terrarum fidelium vltramarinarum probabiliter pertimetur. Nos igitur

Propositũ Græco Imp. imminens a Turcis exitium.

in tantis Christianitatis periculis de opportunis prouidere remedijs cupientes, inter alia remedia (Deo dante) ad hoc vtilia super resistentis Turchis prædictis facienda vnionem tuæ magnificentiæ ac aliorum fidelium de dictis vltramarinis partibus prouidimus & consulimus esse, quam cito fieri poterit, faciendam; & super his hoc certis prælatis ac principibus & magnatibus direximus scripta nostra. Quare imperialem celsitudinem, de cuius interesse grandi agitur in hac parte, requirimus & hortamur attentius, ac totis cordis affectibus deprecamur, quatenus ad ciuitatem Thebanensem, quæ aliquibus terris tuis vicina, & ad hoc tuis ambaxatoribus & alijs, qui in hac parte tanguntur, quibusque scribimus, magis accommoda reputatur, ad kal. mensis octobris proxime secuturi tuos ambaxatores & procuratores cum pleno mandato ad tractandum & faciendam vnionem huiusmodi cum ecclesiarum prælatis ac principibus & magnatibus, qui in ipsa vnione ligati & contribuere voluerint, & ad offerendum & promittendum certum subsidium gentis armigeræ, in mari vel terra tenendæ, eadem tua serenitas velit destinare. Nos etenim archiepiscopo prælato iniunximus, quod ad requirendum ex parte nostra te & eosdem prælatos & principes ac magnates debeat personaliter se conferre, vel mittere alium loco sui: & cum sit in mora periculum, & conuentio requirendorum huiusmodi propter longam eorum distantiam non possit eitius commode fieri, eandem celsitudinem rogamus ex corde, quatenus non expectata firmatione vnionis præfatæ, quam cito poteris tuæ gentis subsidium contra eosdem Turcos mittere non retardes, sic prompte sicque magnifice super his facturus, quod tuis & totius Christianitatis damnis et periculis prouide obuies et nihilominus exinde a Deo perenne præmium consequaris. Nos etiam de mittendo ad partes illas Apostolicæ sedis legato et alijs opportunis exhibendis remedijs (dante Domino) curabimus prouidere. *Dat. Auin. idib. nouembris anno* 11.

Admonitus vt cupias cum Latinis iungat.

Excitati etiam sunt ad mittendos ad comitia Thebana oratores, auertendumque imminens sibi a Turcis exitium plures orientales magnates, vt Leonardus e Thoco Leucalæ dux [a], Hermolaus e Minocto Lisernarum dominus [b], Nicolaus e Carceribus dux Agiopelagi [c], Franciscus Catalusius Mitylenes princeps [d], Raynerius de Azaiolis genere Florentinus Corinthi regulus [e], Franciscus Georgius marchio Bondanicie [f] Athenarum & Neopatriæ ducatus præfectus [g], earundemque et finitimarum prouinciarum archiepiscopi et episcopi [h]; tum Petrus Rex Cypri [i] (qui cum adhuc ætate rebus impar esset, Ioanni principi Antiochiæ sacri huius fœderis cura commendata est [l]) ac Rhodiorum equitum magister [m] in id pontificijs adhortationibus incitati. Ex occidentalibus vero præter Ludouicum Regem Vngariæ, quem expeditionis Turcicæ ducem optabat Gregorius [n], atque Andream Contarenum Venetorum ducem, Dominicus e Camposregoso Genuensium dux [o], Fridericus Trinacriæ Rex [p], Philippus princeps Tarentinus [q] Imperator Constantinopolitanus dictus, (tenebat enim illius imperij portionem aliquam retinebat, vt e literis pontificijs constat [r], ad eam societatem, prouocati; citeriores etiam Siculi ad conferenda in Turcos belli subsidia inflammati [s]. Vtque fideles ad ea alacrius adducenda concurrerent, propositis præmijs indulgentiarum ipsos pellicere conatus est [a].

Ad principes ad id fœdus solicitati.
a Pag. 89.
b Ibid.
c Pag. 95.
d Pag. 81.
e Pag. 86.
f Ead. pag.
g Pag. 94.
h Pag. 96.
i Pag. 95.
l Super. pag. 66.
m Pag. 89.
n Pag. 87.
o Pag. 89.
p Pag. 95.
q Pag. 89.
r Pag. 100.
s An. 2. ep. sur. pag. 76.

Cum vero adeo nonnullos mercatores ex ea Genuensium colonia, quæ Galatam, vulgo Peram, incolebat, auri cupiditas obcæcasset, vt subsidia fidelibus inuchenda ad infideles transferrent [b], Gregorius Dominicum e Camposregoso Genuensium ducem admonuit [c], vt tantis malis mederetur. Quæ vero suis lucra pepererint ex rebus suppeditatis infidelibus huiusmodi auari mercatores, Peræ atque aliarum nobilissimarum Genuensium coloniarum excidia testantur.

a To. 2. ep. secr. pag. 101.
b Ib. pag. 75.
c Ibid.
Quæ tota letine præmia ab ijs.

30 Neq; Græciam modo Turcæ secundis elati successibus infelici seruitutis atterebant iugo, verũ Armeniam etiam magnis irruptionibus sunt populati, adeo vt Regina Maria ad imploranda occidentaliũ principum contra Christianæ fidei hostes auxilia oratorem miserit. Accessit is primum ad Philippum Tarentinum, deinde ad aulam apostolicam se contulit: de quo hæc eidem Philippo rescripsit Gregorius [d].

Armenia eustlata a Mahometanis.

d Pag. 4.

Charissimo in Christo filio Philippo Imperatori Constantinopolitano illustri.

Celsitudinis tuæ literas (in quibus nobis filialiter supplicasti, vt charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Reginæ Armeniæ minoris illustri nepti tuæ suoque regno, ex Turcorum sæuis hostilitatibus in angustia & grandi periculo constitutis, de opportuno succursu fidelium Christi prouidere apostolicæ solicitudinis studio dignaremur) benigne recepimus, & venerabilem fratrem Ioannem archiepiscopum Sitiensem præfatæ Reginæ nuncium latorem præsentium, dilecto filio Manuele Armeno nato quondam Ioannis de Leone militis Ianuensis interprete suo mediante, audiuimus & audiri fecimus diligenter: dolemusque ab intimis, quod videntes totam fere Christianitatem, illas præsertim ipsius partes, quæ vltramarinis fidelibus solebant in necessitate succurrere, bellorum turbinibus inuolutas, non occurrit nobis quomodo dictæ Reginæ & regno succurri valeat festinãter & magnifice vt articulus necessitatis exposcit. Sed nihilominus super hoc dilectis filijs nobilibus viris principi Antiocheno gubernatori regni Cypri, ac Venetiarum & Ianuensium ducibus, nec non magistro & conuentui hospitalis Ierosolymitani dirigimus preces nostras: & vbi tua magnificentia & prædicti vel alij vellent circa succursum prælati regni aliquem notabilem facere apparatum, nos paratos offerimus dare indulgentiam in talibus consuetam. Tuam autem sublimitatem ad tribuendum succursum, huiusmodi per nos rogari non expedit vel induci, cum te ad hoc præ cæteris secundum tuam potentiã voluntarium existimemus: expediret tamen, quod ad tantum negotium, apud tot & sic distantes personas, & alias vtiliter promouendum, essent aliqui ad id idonei atque voluntarij & soliciti promotores, de quibus satis deceret per tuam magnitudinem prouideri; ac etiam solicitari, rogari, & induci ad succursum huiusmodi charissimum in Christo filium nostrum Ludouicum Regem Vngariæ illustrem tuum & Reginæ præfatæ consanguineum, quem Deus in mari & terra grandi potentia roborauit.

Ad Philipp. Tarentin. de eo literæ.

Qui principes ad ferendam opem excitati.

Verum quia idem archiepiscopus inter alia nobis exposuit, & verisimile creditur multum expedire honori, statui, & saluti præfatorum Reginæ & suorum subditorum, quod ipsa haberet consortem de occidentalibus partibus genere illustrem, strenuum, ac magnanimum & potentem,

De principe Latino choro iungendo Reginæ Armeniæ actum.

tem, aliasque aptum ad recuperationem, defensionem, & regimen sui regni, & hoc merito credimus (si talis reperiri valeat) plurimum expedire; diuersis magnatibus & partibus mentaliter perlustratis, occurrit nobis dilectus filius nobilis vir Otho dux de Brunsuich, de genere imperiali Othonum de Saxonia consanguineus dilecti filij nobilis viri Ioannis marchionis Montisferrati, cuius guerras strenue gessit & gerit, & etiam consanguineus regalium Cypri, cuius Othonis frater habet in consortem matrem claræ memoriæ Petri Regis Cypri; a quibus regalibus & fratre propter vicinitatē vtilia posset subsidia obtinere: qui quidem Otho multum prouidus & magnificus, aliasque virtuosus fama celebri reputatur. Et licet non sit potens de se ipso, tamen cum sua prudentia & solicitudine, si ad hoc vellet intendere, posset congregare subsidia diuersarum * super quo sibi nuper fecimus scribi, & dictus archiepiscopus vult transire per eum & eius exquirere voluntatem, quam & alias eius conditiones poterit indagare, tibique referre: tuque super hoc poteris cogitare, & de ipso vel alio meliori præfatæ Reginæ tuum salubre consilium destinare. *Dat. Auin. x1. kal. februarij anno 12.* Nupsisse postea Othonem Brunsuicensem non Armenæ, sed Neapolitanæ Reginæ, visuri sumus: quam etiam rogauit a, vt ad paranda laboranti Armeniæ auxilia incumberet: tum Andream Contarenum Venetorum ducē rogauit b, vt classem pro Turcis Armenia propulsandis adornaret: inque eiusdem belli Armenij aduersus Turcas societatem adducere studuit Dominicum e Camposregoso c, ac Raimundum Berengarium Rhodiorum equitum magistrum. Præterea Mariam Armeniæ Reginam d est adhortatus, vt Armenos in Christi hostes confirmaret: auxilijs comparandis iam se dedisse operam, ac posthac maximam daturum. Impellendi etiam in Armenorum opem erant Cyprij: sed tristis & inopinatus casus bello atrocissimo Cyprios ac Venetos fœderatosque inter & Genuenses faces iniecit.

Proposit. Otho Brunsuicensis.

Rogatur, vt exercitum cogeret transportandū in Armeniam.

* nationū

a Ead. pag.

b Eod. to. 2. ep. secr. pag. 5.

c Ead. pag.

d Ead. pag.

Disturbatus ex nouis discordijs auxiliorum apparatus.

31 Successerat in Cypro Petro Regi strenuissimo infidelium domitori, quo duce Christianates instaurari in Asia potuerat, Petrus filius, siue Petrinus ob ætatis imbecillitatem appellatus, cui paternum sceptrum imbellibus manibus suscipienti, Pontifex stimulos pios addidit e, vt virtutibus ætatem superare niteretur, fidemque amplificare, domare schismaticos, impios contundere, ac venerari ecclesiam studeret: *Excellentiam*, inquit, *tuam rogamus, & paterna charitate monemus, ac exhortamur in Domino, quatenus in Deum, per quem Reges regnant, & regium solium stabilitur; sine quo omnia caduca & instabilia reperiuntur & varia, & subito dilabuntur & decidunt, erigas tuam spem, eiusque mandata custodias, tuamque iuuentutem, vitam, & mores ita honestis rationibus & disciplinis instituas atque regas, vt obtinere nomen & decus regium merito comproberis, fidemque catholicam, quæ omnium aliarum virtutum est primum & stabile fundamentum, in tuo regno conseruare & augere; infideles quoque ac schismaticos comprimere, prælatos ecclesiasticasque personas, ecclesias & monasteria, earumque libertates manutenere, conseruare, protegere, atque tueri, & ampliare totis viribus innitaris; iustitiam, sine qua Reges non differunt a tyrannis, constanter & summo opere colere, pacem & tranquillitatem atque concordiam summis studijs procurare coneris. Et quia iuuenilis ætas, in qua regia tua celsitudo consistit, maxime indiget prudentum consilijs dirigi, age fili charissime, vt bonorum & prudentum consilijs acquiescas: & sic cætera, vt speramus, laudabiliter exequaris, quod sub tuo regimine regnum ipsum honoris & commodorum continuo suscipiat incrementa, & sancta Romana ecclesia mater tua de tuis successibus singulariter collætetur, &c. Dat. Auin. id. iuny anno secundo.* Exacuit etiam Gregorius alijs literis Reginam Eleonoram, vt conformandis filij moribus vacaret.

Cyprius Rex adolescens ad virtutes excitatus.

e Eod. to. 2. ep. secr. pag. 269.

Traduntur illi præcepta.

Dum regiæ illius inunctionis pompa ornabatur, vetus ac funesta inter Venetorum & Genuensium in Cypro commorantium prætores, vulgo baiulos vocant, exarsit a æmulatio de superioris honoris loco: quæ controuersia ad Venetorum gratiam dirempta. Deinde Genuenses solemni conuiuio accumbentes, ira & vino calentes procacia verba laxarunt in Venetos, ac die altero, reconditis sub vestibus sicis, ad epulas regias accessere. Patefacta re, vocantur in crimen conspirationis in Regem, ac velut in flagranti scelere deprehensi, octo numero e turri regia in præcipitium acti. Perperam sane id actum, nulla scilicet de ijs habita quæstione, cum ad deturbandos tantum superiore loco æmulos insanum facinus illos aggressos coniectura non abesset: tum magno crudelitatis exemplo aliorum Genuensium insontium cædes editæ. Perlata re in occidentem, versa omnis Genuensium ad vindictam cogitatio: atque ita ex paucorum mercatorum insanientium iurgijs bellum ingens conflatum, quo Christianorum pars mutuis gladijs cædenda erat, alia Turcarum sæuitiæ exponenda, & dissoluta omnia superiora de contundenda Turcica tyrannide suscepta consilia a Christi vicario. Qui eam ob causam ingenti dolore affectus apostolica studia ad molliendas Genuensium iras conuertit, hisque literis, vt Christi causam suæ præferrent, solicitauit b.

a Folieta l. 8. Bizar. l. 2. de bel. Veneto.

In regia celebritate Genuē ses & Veneti dissident.

Genuenses læsæ maiestatis rei acti præcipites de turri.

Alij insontes trucidati.

Ex paucorum mercatorum iurgijs bellum atrocissimum.

b To. 2. ep. secr. pag. 104.

Dilecto filio nobili viro Dominico de Campofregoso duci, ac consilio antianorum & communi ciuitatis Ianuensis.

Fidedigna, sed amara nimis, quorumdam relatio ad nostram perduxit auditum, quod hostis humani generis, suscitator indesinens scandalorum inter vos & Cyprienses (quorum & nonnullorum vltramarinorum fidelium vna vobiscum confœderationem aduersus impios Turcos sacræ fidei inimicos, persequentes plus solito Christianos, tractari & fieri per apostolicas literas nuper vobis & eis suasimus) grande scandalum suscitauit: propter quod adeo prouocari dicimini quod disponitis certas armare galeas, & guerram facere Cypriensibus prælibatis. Nos igitur aduertentes, quod guerra ipsa est nimium periculosa vobis & eisdem Cypriensibus, alijsque Christicolis, maxime isto tempore, quo ijdem Turci contra Christianos eosdem suas vires extendunt, & proh dolor! dilatant potentiam, quodque ambaxiatores eorundem Cypriensium, vt fertur, iam fuerant Venetijs ad sedem Apostolicam profecturi, & quod forsan talia portant, quod de eis poteritis cōtentari; ac intendentes inter vos & Cyprienses prælatos concordiam procurare, prudentiam vestram rogamus & hortamur attentius, vobis sano consilio suadentes, quatenus mature considerantes præmissa, & quod sicut cortina cortinam trahit, sic scandalum scandala generat & bellum bella producit, ex quibus vtræque partes nimium patiuntur; ab omni nouitate Cypriensi-

Genuenses classē instruunt in Cyprios.

Moniti de placanda ira.

bus inferenda præfatis velletis penitus abstinere. *Dat. Auin. VI. kal. ianuarij anno II.* Adhibiti sunt a Gregorio [a] Thomas patriarcha Gradensis ac Bartholomæus archiepiscopus Genuensis, vt ducis ac senatus exasperatos animos delinirent, atque arma in Turcas, a quibus maiora tum ijs tum cæteris fidelibus imminebant discrimina, traducerent: sed hæc omnia ad irritum cecidere, vti suo loco lugebimus. Nunc de pontificio in traducendis ad Christum infidelibus, conuertendis schismaticis, hæreticis abolendis nonnulla afferamus.

Missi a Pont. internuntij ad sopiendum bellum. a Sed pag.

32 Data est prouincia Francisco c Podio Minoritarum in Tartaria Aquilonari vicario [b], vt duodecim viros religiosos ad barbaros euangelij luce collustrandos duceret mitteretue; concessa ad Ludouici Regis Vngarię preces facultas Bosnię vicario [c], vt in Bosnia, Rascia, & Basarat plura religiosa domicilia pro amplificanda fide statueret: *Quod*, inquit, *in eisdem*, Bosniæ scilicet Rasciæ ac Basarat, *& alijs partibus eis vicinis multi schismatici & hæretici commorantur; & quod ibidem conuertendorum messis est multa, operarij vero pauci.* Præterea, flagitante eodem Rege, religiosæ illius familiæ præfecti, quos ministros vocant, encyclicis literis sunt excitati [d], vt sodalibus, quos pius ardor ad laborem commoueret, eo proficisci permitterent; cum, licet plures in dies hæretici & schismatici errores damnarent, maior tamen multitudo fidem susceptura esset, si præconum euangelij maior numerus in id incumberet. In Hallicia, cum episcopus schismate infectus esset, Andreæ episcopo Cererhensi, catholicorum illius prouinciæ cura est demandata [e]. Refloruit fides orthodoxa in Moldania, cuius princeps Lasco ad Romanæ ecclesiæ obsequium redijt; quem Gregorius ad propagandam in principatu pietatem est adhortatus [f].

Minoritæ ad euangeliũ propagandũ adhibiti. b An. 2. ep. cur. pag. 17. c To. 2. ep. sec. pag. 35. d Ib. pag. 36. e An. 2. ep. cur. pag. 3. Moldaui schisma eiurat. f To. 2. ep. secr. pag 8.

Dilecto filio nobili viro Laskoni duci Moldauiensi salutem, &c.

Litteras tuæ nobilitatis grataнter recepimus, ad quarum contenta præsentibus respondemus, quod sicut de tua conuersione ad catholicam fidem & obedientiam sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris & magistrę cunctorum fidelium, & tua bona perseuerantia in Domino gratulamur, ita de tuæ vxoris, quæ in prioribus erroribus permanet, pertinacia condolemus: sperantesque quod tu salutaribus et sedulis monitis, tuæque præclaræ, ac sinceræ fidelitatis exemplis ad præfatam fidem et obedientiam conuertas eandem, te non intendimus cogere ad eam quocunque tempore dimittendum; sed caute caueas, ne propter mutuam cohabitationem ipsius vxoris ab ea quomodolibet seducaris, et a tuis sanctis proposito et professione, quam fecisti dictæ ecclesiæ, retraharis (quod absit) sed in eis semper proficias ad tuæ salutem animæ, et exemplum imitabile aliorum. *Dat. Auin. VIII. kal. februarij anno secundo.*

Gratulatorię ad Lasconem ducem literæ.

33 Per idem tempus subortæ sunt plures hæreses, atque infernæ potestates ad oppugnandam ecclesiam habenas furori effudisse visæ sunt: in Germania in primis prosiliere scelesti homines, qui instituta a Christo sacramenta negarent, quos a fidei censore ordinis Prędicatorum comprimi iussit Gregorius [g]: *Cum*, inquit, *sicut accepimus, pestis illorum hæreticorum negantium ecclesiastica sacramenta, qui appellantur Flagellatores, in nonnullis Alamanniæ partibus, procurante humani generis inimico, dicatur exorta, &c.* Cum etiam pluribus libris aureo fictæ pietatis calice babylonica venena simplicibus propinarētur, Pontifex causarum fidei cognitoribus, coacto doctorum cœtu, exuri exurique huiusmodi libros iussit [a], obiectisque grauissimis pœnis exscribi perlegiue vetuit.

g Ead. to. 2. ep. secr. pag. 1. Flagellatores sacramenta negant.

Libri hæretic. exuri iussi. a An. 2. ep. cur. pag. 1.

Inter cæteros impios Albertus episcopus Alberstadensis e pastore in lupum sęuissimum versus, insano dogmate suos inficere non perhorruit, quo libertatem humani arbitrij perimebat, affirmabatque omnia fato ineuitabili contingere: merita ac demerita tollebat: diuini Numinis et sanctorum opem vti superuacaneam non implorandam censebat. Vt vero insanientem ad sanitatē mentis reuocaret Gregorius, censoribus fidei partes demandauit [b], vt ipsum ad damnandas publice corā populi circumfusa multitudine hęreses apostolica auctoritate adigerent: detrectanti iudicium apud subsellia pontificia intenderent, ac bimestri excurrente comparere iuberent.

Albertus episc. Alberstaden hæresiarcha. b Eod. an. 2 ep. cur. 11.

Gregorius, &c. Herbordo præposito ecclesiæ S. Seueri Erfordensi Maguntinæ diœcesis, ac Vvalchero Karinger ordinis fratrum Prædicatorum professori in nonnullis partibus Alemanniæ inquisitori hæreticæ prauitatis, ac Rodulfo ordinis fr. Eremitarum S. Augustini professori in sacra theologia magistris.

Non absque multa amaritudine nostri cordis fidedignis relatibus ad nostrum peruenit auditum, quod Albertus Alberstadensis episcopus coram multis nobilibus et alijs tam clericis quam laicis ciuitatis et diœcesis suę, pastorali gubernationi non dissipationi a sede apostolica commissarum, in verba nefandissima aspersa labe prauitatis hęreticę sępius est prolapsus, asserendo inter cętera contra catholicam fidem et sanctorum patrum definitiones, quod omnia in hoc mundo ex necessitate eueniunt, et quod fata cuilibet homini vitę ac mortis necessitatem imponunt; et quod non est habendum consilium nec deliberandum de aliquo, cum omnes actus hominum, etiam a libero arbitrio procedētes, noscantur ex necessitate cœlestis influentię prouenire; quodque de his idem episcopus est in illis partibus publice diffamatus: propter quę nonnulli etiam nobiles et alij de partibus illis dicto episcopo, qui literatus asseritur humana scientia potius, quam diuina sapientia eruditus, damnabiliter in hac parte credentes, et per hęc putantes tolli merita et demerita, incipiunt omittere inuocationem diuini auxilij et sanctorum, nonnullaque alia opera pietatis, et alias in dicta fide catholica vacillare; ac alia multa et periculosa nimium scandala in dictis partibus oriuntur.

Fatum inducebat. Tollebat liberum arbitriũ. Et merita & demerita.

Nos igitur, ne tam lethalis morbus serpat in plurimos, et Christi fideles sua pestifera contagione commaculet, sed iam ortus penitus extirpetur, volentes (prout ad nostrum spectat officium) super his de opportuno remedio prouidere; discretioni vestrę per apost. scripta mandamus, quatenus si vocatis dicto episcopo, et alijs, qui fuerunt euocandi, inueneritis ita esse, seu eundem episcopum fore de prędictis publice diffamatum, ipsi episcopo ex parte nostra in virtute sanctę obedientię & sub excommunicationis et suspensionis ab administratione spiritualium et temporalium pœnis, quas eo ipso incurrat, nisi fecerit quę pręceperitis sibi, districte mandantes, quod in pręsentia vestra ac cleri et populi di-

cta-

Publice hæresim ethrare iussus.

ctarum ciuitatis et diœcesis, ad hoc specialiter congregandorum, errorem et temeritatem huiusmodi veraciter et humiliter recognoscens, prędicta temere prolata per eum publice reuocare, retractare, et detestari ac eiurare procuret, dicendo et asserendo, quod talia credere et assertiue dicere hęrericum est, et a pręfara fide catholica allenum, confecto exinde publico instrumento: et si hoc infra certum peremptorium terminum cōpetentem, quem ad id sibi duxeritis statuendū, non fecerit, ipsum ex parte nostra citetis, quod infra duorum mensium spatium, a die citationis huiusmodi computandum, conspectui nostro personaliter se pręsentet, super his et alijs nostris pariturus mandatis, ac pœnam et pœnitentiam debitas subiturus, ac super pręmissis staturus, et recepturus quod iustitia suadebit. Et nihilominus, siue idem episcopus pręmissa assertionem et verba reuocauerit, retractauerit, et abiurauerit publice, vt præfertur, siue non, vos & quilibet vestrum per vos vel alium seu alios ea publice prędicetis, & asseratis fore hęretica & a sancta Romana ecclesia matre & magistra cunctorum fidelium reprobata: tuque fili, inquisitor, & alij inquisitores hęreticę prauitatis contra omnes & singulos huiusmodi hęresis labe respersos, prout ad vestrum spectat officium, procedatis, &c. *Dat. Auin. id. martij anno secundo.*

Exercita censura in Beghardos.

34 Contaminabant etiam Germaniam Begardi ac Beghinę multis erroribus: in quos cum iam ante Vrbanus V. Carolum Imperatorem excitasset, vt imperiali auctoritate censores fidei in obeundo munere fulciret, ijque in Magdeburgensi & Bremensi prouincijs iudiciorum ordinem in hosce hęreticos instituissent; mox impij ad declinandam seueritatē in prouincias quas Rhenus alluit, tum Hollandiam, Brabantiam, ac ducatum Stetinensem, vbi altiores impietas radices fixerat, auolarunt. Ad quos reuocandos in viam salutis, perdendosue, ne cęteros subornarent, Carolum Imperatorem solicitauit Gregorius, vt principes ac magistratus causarum fidei cognitoribus auxilio non deesse iuberet a, Encyclicis quoque literis apostolicis b vniuersi archiepiscopi & episcopi, principes, proceres, vrbiumque magistratus Germanię, Polonię, Silesię tuendę fidei studio inflammati ad Begardos abolendos: cum etiam in finitimis Vngarię prouincijs plures impij, abiecto Christi cultu, ad Mahumeticam superstitionem desciscerent; atque alij, qui ab ea ad Christianorum castra transfugerant, postquam baptismo fuissent initiati, ad pristinam impietatem relaberentur, Gregorius tantum flagitium repressurus Prædicatoribus & Minoritis, quibus de fidei causis cognoscendi munus erat iniunctum, dedit imperia c, vt in hos eodem pœnę genere atque in hęreticos animaduerterent.

a To. 2. ep. secr. pag. 1.
b An. 2. ep. cur. pag. 51.
Nonnulli ad Mahumetismū deficiunt.
Pœnæ in hos statutæ.
c Ib. pag. 52.

Vvaldenses reprimi iussi.

In Vvaldenses etiam, qui Allobrogum Prouincię, ac Delphinatus fines inquinabant, statuit Pontifex ecclesiastica tribunalia, vt eam pestem, quę excisa sępius iterum germinabat, aboleret: ac tum pręsules d, vt Petrum archiepiscopum Ebredunensem & episcopum Valentinum, tum Delphinatus Viennensis pręfectum e atque Amedeum comitem Sabaudię f permouit, vt sua auctoritate ac potentia fidei censores abolendę illi pesti vacaturos communirent.

d To. 2. ep. secr. pag. 129.
e Ead. pag.
f Pag. 128.

Noua hæresis Tolosæ disseminata.

35 Tolosę similiter, in qua vrbe olim Albigensium colluuiem diu hęsisse vidimus, hęreseon nouarum spargebantur semina, iamque plures religiosos & seculares scientiæ auidiores inter se ad periculosas cōcertationes curiosa temeritas cōmiscerat, in quibus plura aduersus fidei veritatem nōnulli effutierunt: cui nascenti malo adhibiturus remediū Gregorius, Tolosano archiepiscopo atq; Hugoni ordinis Prędicatorum fidei censori partes dedit a, vt in eos, qui Tolosę disputando concionandoue aliquem contra fidem catholicam errorem disseminarent, ecclesiasticam seueritatem distringerent.

a An. 2. ep. cur. pag. 169.

Gregorius, &c. venerabili fratri.. archiepiscopo Tolosano, & dilecto filio Hugoni de Verduno ordinis fratrum Prædicatorum professori magistro in theologia, inquisitori hæreticæ prauitatis in partibus illis auctoritate apostolica deputato.

Nuper displicenter accepimus, quod in ciuitate Tolosana, nonnullę personę ecclesiasticę seculares & etiam regulares, plura sapere, quam oportet, contra doctrinam apostoli temere appetentes, in suis prędicationibus, disputationibus, responsionibus, determinationibus, ac lecturis, nonnulla erronea et fidei orthodoxæ contraria prædicare, docere, tenere, et asserere non verentur in animarum suarum periculum, Christi fidelium perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum. Nos igitur, prout ex debito tenemur pastoralis officij, tam circa correctionem excessuum huiusmodi, ne sanguis prędictorum de nostris manibus requiratur, quam circa suarum salutem animarum prouidere salubriter cupientes, ac sperantes id posse per vestræ diligentiæ studium feliciter diuina suffragante gratia prouenire; discretioni vestræ per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos seculares et etiam religiosos, qui Tolosæ errorem aliquem cōtrarium fidei orthodoxæ prędicauerūt, aut in futurum prędicabunt, vel docuerunt seu tenuerunt aut asseruerunt, vel in futurum hoc facient in suis disputationibus, responsionibus, determinationibus, aut lecturis, auctoritate apostolica, prout iustum fuerit, corrigatis, puniatis, et ipsos huiusmodi eorum errores reuocare compellatis. *Dat. Auin. xiv. kal. decembris anno secundo.* Dum floruit pietate Gallia, Reges pontificia imperia in hæreticos sua auctoritate armarunt: quibus sane parata est ingens glorię messis, si in excindendis hęreticis Christianissimi nomen implere velint.

Animaduerti iubet Pont. in sectarios.

Raymundi Lulli libri vt pestiferi accusati.

In Aragonia sparsi erant apud imperitum vulgus plures libri varijs erroribus inquinatissimi Raimundi Lulli Balearis nomine inscripti, siue ij ab eo cōpositi, siue ab alijs vt tutius sub splendido nomine venena funderent confic̄ti. De quibus cū Nicolaus Eymericus fidei censor ad sedē Apostolicam retulisset, Gregorius archiepiscopo Terraconensi dedit imperia b, vt eos libros diligenter conquireret, atque vna cum theologis doctrinam ijs contentam in examen adduceret; ac si aliquibus fœdatos erroribus comperiret, flammis abolendos curaret: *Nuper*, inquit, *dilecto filio Nicolao Emerici ordinis fratrum Prædicatorum professore magistro in theologia in partibus Aragoniæ inquisitore hæreticæ prauitatis nobis referente percepimus, quod in partibus illis nonnulli laici quamplures libros habent in vulgari per Raimundum Lullum ciuem Maioricensem compositos, in quibus (vt idem inquisitor videtur asserere) errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officij, prouidere volentes, fraternitati tuæ, de qua in his & alijs specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus & mandamus, qua-*

b Rod. an. 2 ep. cur. pag. 131. extat etiam in append. ad rect. inquisit. pag. 85.

tenus huiusmodi libros, per quoscunque habeantur seu detineantur, tibi facias exhiberi: et si per tuam ac dicti inquisitoris, & aliorum magistrorũ in theologica facultate & iurisperitorum (quos propterea corã te euoces) repereris, quod præfati libri errores in fide contineant, eosdem libros comburas, & comburi facias atque mandes. Dat. apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis non. iunij anno secundo. Perfunctus imposito sibi munere Eymericus Dertusẽsis episcopi notario cõcredidit librũ Raimundi Lulli, erroribus scatentẽ, Catalano idiomate conscriptum: quem postea Gregorius III. kal. octob. pontificatus anno IV. trasmitti ad sedem Apostolicam iussit a. Damnatam autem ab eodem Pontifice illius doctrinam testatur idem Eymericus qui inter cætera Lullistarum deliria, hoc insigne affert b: *Quod doctrina veteris testamenti attribuitur Deo Patri, doctrina noui testamenti Deo Filio, sed doctrina Raimundi Lulli Deo Spiritui sancto.* Quam doctrinam aiebant sectarij non humana industria, sed diuini Spiritus solo afflatu excurrente quinquaginta vel sexaginta horarum spatio comparandam.

Exuri iussi.

a To.4. ep. secr. pag. 301. exl. quam in append. directi. inquisit. pag. 86.

b Eymeric 2. p. direct. q. 9. §. vlt.

Ius doctrina a sectarijs æquata euangelio Eorum pertinacia & error.

Cum vero eam Gregorius damnasset, tantum abest, vt Lullistæ ab erroribus resipuerint, vt cæteris hunc adiecisse referat Eymericus: *Quod Dominus Gregorius Papa XI. qui doctrinam Raimundi Lulli in viginti eius voluminibus contentam vt hæreticalem in ducentis articulis Auinione in consistorio condemnauit, totamque generaliter vt suspectam vehementer de hæresi cunctis fidelibus interdixit; sacrum collegium, quod consensit; Cardinalis Hostiensis, qui commissarius in illa causa fuit; magistri in theologia vltra viginti qui ad condemnationem prædictam consilium præstiterunt; isti doctrinam istam non intellexerunt, decepti sunt, & turpiter errauerunt.* Recensentur a Pegna c viginti Raimundi Lulli libri vt hæresibus aspersi damnati: extatque in appendice directorij inquisitionis diploma Gregorij, quo Raimundi Lulli opera damnantur, consignatum pontificatus anno VI. Sed hæc Lullistæ conficta ab Eymerico vel subreptitium esse diploma contendunt. At virum grauem, egregie de religione catholica meritum, nullius vtilitatis illecebra pellectum id facinus perfricta fronte ausum, vix credi potest, cum facillime coargui mendacij potuisset. An vero erratum sit in discernendis genuinis Raimundi Lulli libris, excerpendisque ex ijs sententijs errores continentibus, nõ liquet; deque illius doctrina varij varia sentiunt d, lisque mota apud subsellia pontificia anno MDLXXXIII. adhuc est sub iudice. Adscripta porro fuisse Raimundo Lullo seniori adulterina opera, veluti De alchimia & de mercurijs, & testamentum nouissimum, a recentiori auctore post Lulli obitum edita, demonstrat Lucas Vvadingus e. Attribui etiã feruntur ab aliquibus Raimundo Lullo libri pestiferi de inuocatione dæmonum alterius Raimundi dicti de Terraga neophyti ordinis Prædicatorum, cui sacræ familiæ, abiecto Iudaismo, sed alijs erroribus fœdissimis non depositis, se addixerat. Enumerantur ij a Nicolao Eymerico in suo directorio f, qui legentibus horrorem pariunt, ac fere in eo versantur, vt cultum dæmonibus venerationemque conciliare moliatur; Deoque ac sanctis odium conflet: cuius deliria blasphema silentio potius, quam memoriæ posterorũ tradenda. Is vero iudicio impietatis dum vixit postulatus, vel sponte vel metu eam euomuit, damnauitque, in carceribus vero fidei censorum:

c Pegna comment. 51. in q. 26.

Lis de Raimundo Lullo est sub iudice

d Bellarm. de script. eccl. cap. de Raim. Lul.

Adulterina opera illi falso adscripta.

e Vvadingo 3. annal. Minor. an. Chr. 1315 n. 14.

f Direct. inquis. 2. p. q. 10. & 27 & Pegna in eand. c. obseru. com. 42.

Exusta eius volumina.

extinctus plures libros hæresibus contaminatissimos reliquit, quos Pontifex a Tarraconẽsi archiepiscopo & Nicolao Eymerico ignibus exuri iussit. a Irrepserant etiam in insula Corsicæ plures hæretici pietatisque splendorem obscurare moliebantur; cuius restituendi solicitus Pontifex, Petro episcopo Maranensi prouinciam dedit b, vt ad tutandam religionem, insectandosque impios incumberet.

a An. 2. ep. cur. pag. 191.

Excindi e Corsica hæretici iussi.

b Ibid. pag. 195.

36 In insula Siciliæ pietatis specie circumuenti simplices ossa putrida cineresque inanes Fraterculorum venerabantur, quasi sanctorum cultus ijs ab sede Apostolica decretus fuisset. Iniecerat fraudi occasionem eiusmodi hominum hypocrisis, cuius aureo velamine scelera texerant. Abolendæ itaque profanæ illius superstitionis studio permotus Pontifex omnibus præsulibus munus imposuit c, vt populos ab ea, intentato anathemate, deterrerent.

Fraticelli suos obtrudunt ve sanctos

c Ib. pag. 91.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, alijsque ecclesiarum prælatis, in insula Siciliæ constitutis, ad quos præsentes peruenerint, salutem, &c.

Molesta significatio ad nostrum perduxit auditum, quod in nonnullis ciuitatibus, castris, villis, & alijs locis insulæ Siciliæ vobis ordinario iure subiectis, quidam diabolica fraude decepti, ossa & cineres quorundam de Fraterculorum, Dulciniorum, & de paupere vita sectis per sedem Apostolicam reprobatis (qui dum viuerent, vt simplices sub specie recti deciperent, ipsis simplicibus se viros pœnitentiæ ostendebant) ac si cineres et ossa huiusmodi essent reliquiæ ascriptorum sanctorum catalogo, temeritate propria colere, & ecclesias seu capellas in talium honorem erigere, & erectas cum luminaribus in anniuersarijs obituum eorundem cateruatim annis præsumunt singulis visitare. Cumque præmissa, quæ absque auctoritate Romanæ ecclesiæ fieri a sacris canonibus prohibentur, nullatenus debeant tolerari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus in vestris ciuitatibus & diœcesibus prædicta vel similia per quascumque personas de cætero attentari districtius inhibere curetis, contradictores (cuiuscumque status, ordinis, sexus, vel conditionis existant) auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. *Dat. apud Villamnouam Auinionen. diœcesis II. id. septembris anno secundo.*

Repressa eorum tementas.

Postremo addimus Gregorium ad instaurandam religiosorum ordinum disciplinam incubuisse, vt testantur apostolicæ literæ, quibus Prædicatores, Minoritas, Carmelitas, & Cistercienses, eam ob causam ad solemnes conuentus congregatos diligentem rei operam dare iussit. d

d Eod. an. 3. ep. cur. pag. 39. 201. 202. & 204.

IESV CHRISTI
annus 1373.

GREGORII PP.XI. 3. CAROLI IV. IMP. OCCID. 28. IO.PALAEOLOGI IMP. OR. 33.

1 ANno humanæ salutis millesimo trecentesimo septuagesimo tertio indictione vndecima potiti ingentibus victorijs Turcæ, atque Epiro et Macedonia in suam tyrannidem maiori ex parte redactis, dum occidentales principes, spreta Christi gloria ac fide, suis augendis te-

tibus student, extremi exitij terrorem orientali imperio ac schismaticis tristem fututurem inferebant: cum Ioannes Palæologus Græcorum Imperator tantis perculsus barbarorum progressibus, amplissimos oratores ad sedem Apostolicam, atque occidentales Reges misit, vt ipsos ad defendendum orientem incenderet. Functus est ea legatione Ioannes Lascaris veterum Imperatorum Lascarorum stirpe oriundus, qui expositis Gregorio rerum Græcarum ruinia, ad Reges Christianos profecturus, vt ipsos ad reprimendos infideles excitaret, Carolo Francorum Regi a ac Ludouico duci Borbonij b apud ipsum gratia et auctoritate florentissimo, Ioannæ Reginæ Siciliæ c, Philippo principi Tarentino Imperatori Constantinopolitano d, Dominico e Campofregoso duci Genuensium e, Raimundo Berengario Rhodiorum equitum magistro f, Ludouico Regi Vngariæ g, Carolo e Dyrrachio Dalmatiæ et Chroariæ duci h commendatus est: vtque Turcæ facilius edomari possent, sumpta sunt consilia; instruendæ classis duodecim triremium, quæ in Hellesponto atque Ægæo mari barbaros traiectu ex Asia in Europam arcerent. Quibus constitutis Pontifex denuata a se pro fulciendo labante orientali imperio Ioannem Palæologum certiorem fecit: illiusque infelicem sortem miseratus, cum nominis Christiani hostes, Constantinopoli et Thessalonica exceptis, reliquas pene imperij terras suæ subiecissent seruituti, aut excursionibus infestas redderent, admonuit plerisque eam opinionem infixam, iustas a diuino Numine de schismaticis pœnas exigi, qui toties ad coniunctionem Romanæ ecclesiæ allecti obduruissent in pertinacia: se vero maiori alacritate ad comparanda auxilia incitatum iri, quo ipsos ad orthodoxam fidem reuocandos singulari amore complecteretur; vtq; imperiale in id studium interponeret, ipsum est adhortatus l.

Imperatoris Constantinop. ad Pont. legatio.

a To.3. ep. secr. pag. 36. b Ead. pag. c Ib. pag. 59. d Ead. pag. e Pag. 61. f Ead. pag. g Pag. 18. h Pag. 62. i Pag. 76.

Gregorij responsũ.

l Ead. to. 3. ep. secr. pag. 58.

Gregorius, &c. charissimo in Christo filio Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri salutem, &c.

2 Cum prægrandi amaritudine nostræ mentis relationibus continuatis audimus, quod impij Turci hostes sanctissimi Christiani nominis, specialesque tui culminis persecutores, & destructores tui imperij contra Christianos assiduis successibus prosperantur; propter quod ciuitates Constantinopolitana & Thessalonicensis, & aliæ terræ, quas possides de præsenti, quasi ab eisdem Turchis * inclusiue in magno dicuntur periculo remanere: ideoque catholicis, qui in illis sunt partibus, & etiam Græcorum seu Romaniæ populis, licet a sancta catholica & apostolica ecclesia ex antiquo schismate separatis (spe tamen concepta, quod ad ouile Domini & vnitatem sanctæ sedis Apostolicæ reuertantur) paterno compatientes affectu, ad resistendum dictis Turcis & defendendum terras vltramarinas, quas ijdem possident Christiani, certam vnionem galearum, de qua tuæ celsitudini alias scripsimus, & alia remedia pro nunc possibilia, donec (vt speramus) sedatis bellis occidentalibus meliora adhiberi poterunt, solicite procuramus, vt per ea Turchis resistant eisdem, ac clerus & populi tui imperij, relicto damnabili schismate (propter quod (vt communis est opinio) ipsi quasi ad nihilum sunt redacti; & inimici Christi, videlicet Saraceni & Turchi, præualuerunt & præualere non cessant assidue contra eos, ad vnitatem dictæ ecclesiæ deuotis mentibus vnanimiter reuertantur: & si tu & ipsi velitis vere & pure ad hoc intendere, & inciperetis dare operam efficacem, nos ac principes occidentis circa defensionem dictorum populorum Romaniæ essemus indubie promptiores. Et quia tu ac clerus & populus dicti tui imperij, si ad hoc disponatis intendere, essetis forsan contenti, per personas vestræ nationis super hoc inchoare tractatum; nos contentaremur, quod dilecti filij nobiles viri Ioannes Lascari, Calofetos miles, & Demetrius Chidonij de Constantinopoli nobis noti, scientes Græcam & Latinam linguas (viri vtiq; fideles, circumspecti, & literati) existerent tractatores: super quibus velis nobis quod tua celsitudo & ipsi clerus intendant, tuis & ipsorum literis respondere. *Dat. apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis xI. kal. iuly anno III.*

Eiusdem literæ.

*inclusæ Italia Græciæ tenus.

De classe comparãda actum.

Solicitati Græci, vt veterem pertinaciã exuant.

3 Obtritis Græcis, ac Rascijs vastatis, et Bulgaris magnis cladibus affectis, Turcæ Amurate principe circumferre latius victorias, in catholicorum terras penetrare, sibiq; Vngariam subijcere sunt meditati: sed cum suam potentiam Ludouici Regis, qui recenter Poloniam alijs regnis adiunxerat, viribus imparem esse meruerent, Tartaros quos olim Vngariam non tam sibi subiecisse, quam redegisse in solitudinem vidimus, ac deinde pluribus prælijs contusos, inito armorum fœdere concitare tentarunt. Quibus acceptis Ludouicus Rex ad infideles propulsandos, si victricia Vngariæ signa inferrent, se instruxit a: missisque ad sedem Apostolicam oratoribus, Gregorium rogauit b, vt ad fideles pio ardore ad tuendam religionem accendendos sacrum in barbaros bellum, propositis indulgentiarum præmijs regia castra secuturis, indiceret. Cuius votis assensit Christi vicarius, ac Strigoniensi & Colocensi in Vngaria, Gnesnensi in Polonia, Iadrensi, Spalatensi, & Ragusino in Dalmatia archiepiscopis, eorumque suffraganeis episcopis prouinciam dedit, vt Vngaros ad arma in Turcas expedienda inflammarent, crucisque symbolo insignirent: tum preces inter sacra mysteria fundendas a sacerdotibus pro diuino auxilio conciliando instituit.

Turcæ Vngariam terrent.

Concitãt Tartaros

a Ib. pag. 42.

b An 3. ep. cur. pag. 30.

Indicta in eos sacra expeditio.

Gregorius, &c. archiepiscopo Strigoniensi eiusque suffraganeis.

Dudum multorum fidedignorum literis atque relatibus amare didicimus, & nuper charissimus in Christo filius noster Ludouicus Rex Vngariæ illustris per dilectos filios Vvratislaum Catonis præpositum ecclesiæ Transiluanæ decretorum doctorem, & nobilem virum Nicolaum comitem de Vung ambaxiatores suos nobis significare curauit, quod infideles impij, Turchi vocati, crudelissimi hostes nominis Christiani, & ipsius persecutores assidui, plus cæteris infidelibus catholicam fidem & ipsius cultores persequi, & delere (quod absit) animosis conatibus molientes, a non longis temporibus, præsertim a viginti mensibus citra, amplas terras imperiorum Romaniæ & Bulgariæ, & regnum Rasciæ aliasque partes profitentium nomen Christi, quamuis schismaticorum continuatis hostilitatibus inuaserunt, occuparunt, & immaniter destruxerunt; & contra incolas terrarum & partium earundem magnas victorias habuerunt, eisdem incolis aut crudeliter trucidatis, aut in miserabilem captiuitatem abductis, aut alias retentis sub iugo infelicissimæ seruitutis, nonnullis eorum abnegantibus, proh dolor! nomen Christi: quodque ex his ijdem Turchi in tantam ascenderunt superbiam,

Bulgaria Rasciaq; euastatæ a Turcis.

Vngaris obiecta discrimini.

biam, quod prædictum regnum Rasciæ & alias partes Christianorum præsumpserunt amplius inuadere ac præsumunt; & ad suæ elationis fomentum & robur, vt probabiliter præsumitur, sese cum Tataris vicinis regno Vngariæ ad inuadendum ipsum regnum, vtique gloriosum, in quo fides catholica præcipua noscitur deuotione vigere, impietatis funiculis colligarunt: propter quæ

Ludouic' ad infideles propulsandos se accingit.

Rex ipse Christianissimus princeps, & infidelium persecutor magnificus, vt nobis per eosdem ambaxiatores notificauit, intendit Deo præuio, cuius fidei causa geritur in hac parte, in persona propria & cum sua potenti militia, & etiam alia de diuersis partibus fidelium procuranda, infra annum ab instante mense maij computandum, contra eosdem Turchos & etiam Tartaros, si forte ipsi Tartari contra dictum regnum Vngariæ venire tentauerint, in Christi nomine proficisci, & ipsos persequi iuxta posse. Quare idem Rex nobis humiliter supplicauit, quatenus (vt incolæ dicti Vngariæ & Poloniæ & Dalmatiæ regnorum suorum, & aliarum suarum terrarum, & alij qui cum ipso ibunt eo lętiores & promptiores ad dictorum infidelium exterminium proficiscantur, quo maiora præmia, spiritualia videlicet, exinde se sperauerint adipisci) in dictis suis regnis & terris & alijs partibus, de quibus nobis videretur expediens, verbum crucis prædicari, & venerabile signum eius quibusuis fidelibus quarumcumque partium illud suscipere deuote volentibus concedi, ipsorumque humeris imponi, de benignitate apostolica dignaremur.

4 Nos igitur eiusdem Regis huiusmodi sanctum propositum dignis laudibus cõmendantes, & in eo ipsum & alios similiter proponentes, intendentes fauoribus & gratijs apostolicis cõfouere, fraternitati vestræ de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus & mandamus, vos nihilominus obsecrantes per aspersionem pretiosi sanguinis domini nostri Iesu Christi, quatenus prouide cõsiderantes, quod cum ipse Dominus fidelium suorum regimini vos velut in sollicitudinis partẽ assumptos præfecerit, & ad promotionem huiusmodi sancti negotij plus cæteris teneamini ex officio pastorali, tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei, singuli videlicet vestrum in singulis vestris ciuitatibus & diœcesibus, existentibus intra ipsa regna & terras, contra prædictos Infideles blasphemos Christiani nominis per vos & alias personas ecclesiasticas seculares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore noueritis, cunctis Christi fidelibus iuxta datam vobis & eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum crucis, & venerabile signum eius quibusuis dictorum regnorum & terrarum Regis eiusdem dominio subditarum, illud suscipere deuote & cum præfato Rege ire volentibus in negotio prælibato, quos ad hoc vtiles fore credideritis, concedatis, ipsorumque humeris imponatis, et fideles eosdem, quos ad audiẽdum propositionem ipsam (quoties expedierit) ad loca idonea conuocare possitis; solicitis exhortationibus et opportunis instantijs inducentes eosdem, vt suscipientes cum reuerentia dictum signum, ipsumque suis cordibus imprimentes, contra hostium prædictorum perfidiam et ad ipsorum exterminium assurgant viriliter, ac negotium ipsum feruenter assumant, et feruentius prosequantur. [Ad pelliciendos vero ad sacram expeditionem adornandam, et crucem induendam fideles datur concionatoribus auctoritas,

Iussi fideles cruce insigniri.

vt anni vnius et quadraginta dierum indulgentias auditoribus cõferant; et pollicetur Põtifex criminũ veniam ijs, qui vitæ apud sacerdotem expiatis criminibus semestri integro continuo vel interrupto sub signis Vngariæ Regis aduersus infideles meruerint: eademq; prærogatiua illis proposita, qui in militum stipendia opes conferrent; spondetque non ea modo crimina deletum iri, quæ apud sacerdotem confitebuntur; verum ea etiam, quæ e memoria exciderint, modo vbi in mentem venerint sacerdoti exponant. Si vero e vita ante susceptam vel non confectam expeditionem eriperentur, si ea, quæ in eo bello insumpturi erant, pro cuiusque fortunis et conditione reliquerint, propositi præmij participes futuros. Tum ad crucesignatos omnibus iniurijs vindicandos, tuendaque illorum bona ipsos priuilegijs communit, suscipitque in clientelam apostolicam; ad quos defendendos archiepiscopos et episcopos incumbere, atque regiam potentiam ad coercendos inuasores implorare iubet. Demum ne fidelium eleemosynæ direptioni paterent, tum etiam ad diuinum præsidium comparandum, hæc sancit.]

Proposita piam militiam professis indulgentia

5 Vt autem huiusmodi sanctum negotium felicius prosperetur, volumus, vt in singulis cathedralibus collegiatis ac parochialibus ecclesijs singuli trunci concaui ponantur tribus clauibus consignati; prima videlicet penes episcopum loci, secunda penes ecclesiæ prælatum seu rectorem aut sacerdotem, & tertia penes aliquem vitæ probatæ laicum conseruandis; vt in eis fideles ipsi, iuxta quod Dominus mentibus eorum inspirauerit, suas eleemosynas deponere in suorum remissionem peccaminum moneantur: ita tamen, quod de pecunijs in truncis ipsis existentibus idem Rex per se vel alium nisi per manus illorum, qui auctoritate apostolica ad hoc deputati sunt, seu deputabuntur, nihil recipiet; & postquam receperit, nihil expendet, nisi in negotio prælibato. Porro desiderantes intense, quod huiusmodi negotium optatum sortiatur effectum, ac eiusdem Regis & aliorum Christifidelium pia deuotio adiuta suffragijs circa prosecutionem dicti negotij efficacius roboretur, auctoritate præsentium ordinamus, vt in singulis supradictis & alijs etiam regularibus ecclesijs dictorum regnorum & terrarum eiusdem Regis qualibet hebdomada semel certa die, pronuntianda populo, vna missa pro salute dicti Regis & sui populi, præfata prosecutione durante, solemniter celebretur; ita quod in prima de Trinitate, in secunda de cruce, & in tertia hebdomadis de beata Maria virgine, & sic deinceps, missę huiusmodi debeant celebrari: nisi forsan id festiuitatis alicuius solemnitas impediret. Cunctis vero fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui durante prosecutione dicti negotij pro ipsius consummatione felici deuote ad Deum preces effuderint, decem dies, videlicet singulis diebus, quibus orauerint, de iniunctis pœnitentijs misericorditer relaxamus. Cæterum volumus, memoratumque Regem hortamur, quod ipsos Turcos vsque ad strictum maris, quod est inter Constantinopolim & insulas Agiopelagi, & quod a nonnullis brachium sancti Georgij appellatur, posse suo fideliter persequatur. Vobis autem & cæteris alijs inhibemus, ne crux ipsa prædicetur nisi in dictis regnis & terris dominio præfati Regis subiectis, & personis eorum regnorum & terrarum dumtaxat humeris imponatur, præsentibus post triennium ab inceptio-

Fidelium collationes in belli sumpt' conuertendæ.

Indictæ solemnes preces.

Imperatũ Vngaro, vt Turcas ex Europa eijciat.

prione proſecutionis huiuſmodi negotij computandum minime valituris. *Dat. Auin. x. kal. aprilis anno* III. Antequam Strigonienſis archiepiſcopus has literas diuulgaret, vna cum Colocenſi archiepiſcopo & epiſcopo Quinqueeccleſienſi iuſſus eſt a ſacramento adigere Ludouicum Regem, excurrente anno ductum exercitum, nec ſacras opes in alios ſumptus deriuaturum: tum data eidem archiepiſcopo imperia b, vt cenſuris ſeruum Turcis aut Valachis illaturos percellerent. Sacra vero indulgentiarum præmia non tantum Regis Vngariæ ſubditis, verum omnibus exteris illius ſigna ſecuturis propoſita. c

a *Ead. an. 3. ep. cur. 33.*
b *Ib. pag. 51.*
c *Ib. ſuper. pag 33.*

Germani ad belli ſocietatẽ prouocati

6 Non enim in Vngaria modo, Polonia, Dalmatia, alijſq; regnis Ludouico obnoxijs cruceſignatã in Turcas expeditionem promulgandã indixit Pontifex, verum etiam in Germania, e qua florentiſſimæ copiæ educendæ ſperabantur, ſi publica inter Imperatorem duceſque Bauariæ concordia reuocaretur. Carolum itaque ſolicitauit d, vt illi accommodaret animum, cum Germanicæ rei maximi intereſſet, Turcas comprimi.

d *To. 3. ep. ſecr. pag. 40.*

Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.

Licet, fili chariſſime, negotium contra Turcos hoſtes nominis Chriſtiani, occupantes multas & magnas partes Romaniæ & etiam Bulgariæ, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludouicus Rex Vngariæ illuſtris eiſdem Turchis vicinus tam prompta voluntate, quam vrgente neceſſitate vult proſequi, vt nobis per ſuos ambaxatores notificare curauit, ſit omni laude digniſſimum, & non ſolum Apoſtolicæ ſedis, ſed principum & aliorum fidelium auxilijs pro reuerentia Dei & defenſione catholicæ fidei muniendum, & ipſe Rex petierit verbum crucis non ſolum in ſuis regnis, ſed etiam in Alemannia prædicari; nos tamẽ, conſiderantes dolenter, quod in dicta Alemannia ſunt plurimæ principum diſcordiæ, inter quos tua cum dilectis filijs ducibus Bauariæ fore dignoſcitur celſitudo; & quod ex huiuſmodi prædicatione, durantibus ipſis diſcordijs, fructus modicus forſitan ſequeretur in vilipendium dictę prędicationis & conceſſionis eiuſdem; et quod proſecutio dicti negotij non ſolum ad ipſum Regem, ſed etiam ad imperialem magnificentiam dignoſcitur pertinere; ipſam prædicationem in eadem Alemannia nondum duximus concedendam. Quare, ſi Altiſsimus tuis inſpiraret præcordijs, quod ad hoc negotium pro reuerentia Dei et animæ tuæ ſalute velles attendere, acceptiſsimum nobis eſſet, et prædicationem crucis in nonnullis partibus in tui culminis auxilium concederemus libenter: et te alijs, quibus poſſemus, fauoribus apoſtolicis muniremus.

Data eorũ diſcordijs ſopiẽdis opera.

7 Vbi autem ad hoc nolles ſeu non poſſes intendere, deuotam ſerenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus prouide cogitans, quod ipſi Turchi contra Chriſtianos, quamuis ſchiſmaticos, magnas habuerunt victorias, et amplas terras etiam occuparunt; et quod olim quidam infideles, videlicet Tartari, regnum Vngariæ inuaſerunt, et eccleſias et fideles ipſius regni miſerabiliter diſsiparunt; et quod, ſi dictus Rex non munitus potentia neceſſaria in bello ſuccumberet, quod Deus auertat, magnum Chriſtianitati poſſet periculum euenire, et ſtrenua militia Theutonica ſit ipſi Regi opportuna quãplurimum, et in hoc non ſolum agatur intereſſe Regis præfati, ſed fidei et fidelium, præſertim vicinorum regno Vngariæ, inter quos eſſe dignoſceris; digneris pro Dei obſequio, animæ tuæ ſalute, et gloria celſitudinis auguſtalis propter hoc ſpecialiter concordias pro te ipſo et alijs reformare, vt prædicatio dictæ crucis fieri valeat fructuoſe: ſuper quibus venerabili fratri noſtro Agapito epiſcopo Vlixbonenſi Apoſtolicæ ſedis nuncio latori præſentium velis fidem plenariam adhibere. *Dat. Auin.* II. *non. aprilis anno* III.

Rogatus Caſar, vt Germanicas copijs Vngarum ſubleuet.

Vertebatur ea diſſenſio de marchionatu Brandeburgenſi, quem Bauaris principibus eripere, ſuæque inferre familiæ moliebatur Carolus: cum etiam magni illius intereſſet ad propagandum in filium Vvenceslaum imperium, ius creandi Cæſaris cum eo principatu ad ſuos traducere: quare Pontifex Vvenceslaum maiorem illius natu filium Regem Boemiæ adhortatus eſt a, vt ſe vna cum fratribus ad componendam controuerſiam omnem Agapito internuntio apoſtolico, eam ob cauſam miſſo, facilem et obſequentem ſe præſtaret.

De marchionatu Brandeb. lis inter Carolum & Bauaros.

Internuntius pontificius ad illã ſopiẽdã incũbit.

a *Ead. to. 3. ep. ſecr. pag. 263.*

8 Funeſtior longe diſſenſio Cyprios ac Genuenſes inter ſeſe commiſerat, qui Turcas conterere potuiſſent. Genuenſes enim obeditam ſuorum ſuperiori anno carnificinam vindictæ auidi bello ſe accingebant, quos mulcere iam ante Pontifex, vti vidimus, erat conatus: ac Thomæ patriarchæ Gradenſi repetitis XIII. kalend. februarij imperijs prouinciam dedit, vt ipſos ab inuadenda Cypro deterreret; ijſdemque propoſuit b, Petrum Regem ab illatæ iniuriæ crimine puriſſimum eſſe: commemorauit illius parentis in eos ſtudia eximia; vtque animum ad concordiam, æquitate componendam flecterent, eſt hortatus.

Genuenſes bellum parant in Cyprios.

b *Ibid. ep. ſecr. pag. 255.*

Inter quæ dum Genuenſis belli impendentis terrore Cyprus fluctuat, nec tuendæ in Aſia partæ a defuncto Rege ditioni vacare poteſt, Turcæ Sataliam expugnatam Mahumetanæ impietati reſtituerunt. Extant ea de re apoſto. literæ ad Petrum Regem datæ c; quibus vbi perceptum a ſe inde dolorem expreſſit, ſubiecit quantos labores pro Genuenſibus mulcendis ſuſcepiſſet, quot colloquia vna cum Guillelmo & Hugone Cardinalibus, tum Petro Aragonio principe materno auo Minorita iniſſet: ſed cum Cyprij oratores pro agitanda pace nulla fuiſſent inſtructi auctoritate, omnes conatus irritos cecidiſſe. Monuit d vero Ioannem e Leſiniano Regis patruum & Elionoram Reginam Petri olim comitis Ripacurtiæ tunc Minoritæ filiam, vt periculo imminenti proſpicerent. Nec vana ſuggeſſit Chriſti vicarius: immiſſus enim cum ſeptem triremibus Damianus Cataneus Genuenſis, maritimis locis vaſtatis, magnum terrorem intulit, ac pleroſq; quorum agros non vrebat, ſecum ſentire fingens, ingentes inter Cyprios diſcordias iniecit, ac tumultibus regnum impleuit. Cui poſtea Petrus Fulgoſius cum triremibus quadraginta tribus ſe coniunxit, obſeſſaque V. non. octobris Famaguſta, quatuor regias triremes & aliam maioris aluei nauim primo impetu incendit: neque ita multo poſt Elionoram Reginam, quæ ſuſtinere ægre obſidionem poterat, ac viri cæſi necem vlciſci optabat, ad deditionem coegit. Capti ſunt illatæ Petro Regi necis auctores, moxque capitis ſupplicio affecti: Iacobus Leſinianus ac duo Ioannis Leſiniani Antiochiæ principis filij cuſtodiæ traditi. Petrus autem Rex ad extrema compulſus, pacem impetrauit a Genuenſibus ea lege, vt Famaguſtam reipublicæ Genuenſi concederet, & aliquot annis quadraginta

Placare eos Greg. nititur.

Satalia a Turcis capta.

c *Ib. pag. 109.*

d *Ibid.*

Moniti periculi Cyprij.

Genuenſium in Cyprum expeditio.

Famaguſta obſeſſa

Petrus impubes, data Genuenſibus Famaguſta, pacem redimit.

au-

aureorum millia penderet, obsidesque clarissimos vt fidem suam deuinciret tradidit. Ex quo funesto bello, secuta alia bella rem Christianam admodum in oriente euerterunt, At dum Genuenses suas vlcisci iniurias, quam Turcicam tyrannidem reprimere malunt, demum etiam amplissimam ditionem, quam obtinebant in oriente, barbarorum prædæ obiecere.

De equitum Ierosol. sedib. in Asiam transferendis actum

9 Conuertere ipsorum studia ardoremque animorum accendere in Turcas nisus est Pontifex; ac tum maxime, cum ad comprimendos infidelium impetus Rhodios equites traducere in Asiam superiorum Pontificum exemplo meditaretur: eamque ob causam solemnia equitum comitia indixit prope Auenionem Pontifex, ac datis ad Dominicum e Campofregoso ducem ac senatum literis, vt consilium & operam communicarent, ipsos est adhortatus a. Prouinciam vero dedit Raimundo supremo Rhodiorum equitum magistro b, vt Smyrnæ custodiæ diligentem dares operam, cum Turcæ eam terra marique adoriri molirentur: *Ad nostrum*, inquit, *perduxit auditum, quod truculenta Turcorum rabies, Christiani nominis inimica, tam per mare quam per terram, vt futura æstate terras fidelium (quod Deus auertat) inuadere valeat, magnam armatam & exercitum nititur præparare, Nos timentes de inuasione ciuitatis prædictæ, quæ inter ipsos Turcos, & valde, (vt asseritur et est verisimile) desiderata eis existit; & quæ si perderetur (quod absit) insula vestra Rhodi maximis periculis subiaceret, in graue fidei catholicæ detrimentum; discretionem vestram hortamur, vobis districte præcipiendo mandantes, quatenus circa solertem custodiam, & defensionem dictæ ciuitatis Smyrnarum, si expedire videritis, efficacibus auxilijs & opportunis fauoribus (ita quod de tanto sinistro casu perditionis videlicet ipsius ciuitatis, nequeat dubitari) vigiletis attentius, & modis omnibus accommodis attendatis, &c.* Dat. Auin. kal. martij anno III.

a To. 3. ep. secr. pag. 74.
b Ib. pag. 47.

Smyrna a Turcis affectata.

Bernabos ecclesiam vexat.

10 Non potuit Gregorius vires omnes ac pontificia arma in barbaros conuertere ob Bernabonis Vicecomitis tyrannidem: quem ob fœdera antea sancita incōstanter violata perfidiæ damnauit c. Extantque alia in ipsum & Galearium fratrem acta iudiciaria d, quibus Gregorius immania carnificinæ ab ijs instar Decij in sacerdotea exercitæ exempla describit; vtque munera ecclesiastica pro arbitrio contulerint abrogauerintque tum pontificiam in conferendis sacerdotijs auctoritatem oppugnarint; quorum potiorem partem subijcimus,

c An. 3. ep. cur. pag. 51. et 184
d Ib. ep. cur. pag. 1.

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

A quatuor annis citra quondam Ambrosium Ortulanum præpositum monasterij S. Barnabæ Mediolanensis ordinis S. Augustini fecit capi, & tam crudeliter torqueri, quod in equuleo expirauit: & in maius vituperium ordinis clericalis & religionis, corpus eius super curru positum per ciuitatem Mediolanensem publice trahi, & ad locum publici suspendij deportari. Et tam ipse Bernabos quam Galeaz de Vicecomitibus frater suus miles Mediolanensis imitati crudelitatem impij & infidelis Decij, quondam Martinum de Rubeis præpositum domus portæ orientalis Mediolanensis ordinis Humiliatorum, & quondam Simonem de Castillione primicerium Mediolanensis presbyteros, ac quondam Brancham de Cuticis S. Mariæ de Briuate ordinis S. Augustini, & quondam Ioannolum de Cuticis S. Petri de Rosiate Mediolanensis diœcesis ecclesiarum canonicos per eorum satellites detestabilesque ministros fecerunt capi, carcerari, ac vinculis ferreis ligari, equuleis suspendi, & diuersis tormentorum generibus cruciari, eorumque brachia & alia membra disrumpi; & in maius opprobrium ordinis clericalis, mitra alba facta de papyrea charta præfati primicerij imposita capiti, ad caudas equorum ligatos per stratas ciuitatis Mediolanensis ac per terram & lutum publice trahi, & tandem ad stipites seu palos in platea dictæ ciuitatis infixos ligari, & ad maiorem prolixioremque pœnam paulatim ignis incendio concremari. Rursus idem Bernabos, cum nonnulli coloni & comitatini, seu districtuales dictæ ciuitatis Mediolanensis vicini monasterij S. Petri de Cliuate ordinis S. Benedicti præfatæ Mediolanensis diœcesis inuicem tumultuati fuissent, & propter hoc certas congregationes fecissent; idem Bernabos, his auditis, rabie furiosa commotus, & cum multitudine gentium profectus ad monasterium prælibatum quondam Ioannem abbatem eiusdem monasterij de suo genere Vicecomitum oriundum, & quendam eius monachum iussit & fecit per suos satellites coram se interfici & frustatim incidi, magnumque ignem succendi, & frusta corporum ipsorum etiam in suo conspectu terribili proijci & cremari. Et insuper quendam fratrem conuentualem domus Bray de Mediolanensis dicti ordinis Humiliatorum, in proprio habitu incedentem, suspendi per gulam in ciuitate prædicta, & vitam suam sic ignominiose sicque crudeliter terminari. Venerabilem quoque fratrem nostrum Hugolinum episcopum Parmensem, iam multis annis elapsis, non permisit stare in ciuitate Parmensi, & suum pontificale officium personaliter exercere: sed in prædicta ciuitate Mediolanensi detinuit, prout detinet, arrestatum. Clericos quoque etiam sacerdotes, & religiosos quamplures capi & in publicis carceribus laicorum cum secularibus sceleratis detrudi, ac torqueri & cruciatibus affici facere non expauit.

Iudiciaria in eum acta.

Illius immanitas in sacerdotes.

11 Dilectam etiam in Christo filiam Agnesinam antiquam abbatissam monasterij maioris Mediolanensis ordinis S. Benedicti iam pluribus annis elapsis de facto deposuit, ac eius loco Andriolam spuriam quondam Matthæi de Vicecomitibus fratris eiusdem Bernabonis, tunc infra vicesimum suæ ætatis annum agentem, in dicto monasterio intrusit & tenet intrusam, ac facit & fecit ipsi Andriolæ tanquam abbatissæ præfati monasterij ab omnibus eius monialibus obediri. Ac dilectos filios Christophorum abbatem monasterij Clareuallis Cisterciensis ordinis dictæ Mediolanensis diœcesis a regimine dicti monasterij, ac Lantirolum monachum & caniparium ipsius monasterij ab officio caniparratus monasterij prælibati similiter de facto amouit, ac fecit carceribus mancipari, ac teneri per annum & vltra: & in ipso monasterio suo officiales posuit, qui eius fructus & prouentus pro ipso Bernabone collegerunt & colligunt, tenui quantitate ipsorum fructuum & prouentuum pro monachis eiusdem monasterij deputata. Rursus dilecto filio Francisco Busche præposito ecclesiæ S. Nazarij Mediolanensis sub pœna perditionis vitæ mandauit, vt renunciaret præpositatui dictæ ecclesiæ, conferendo Iacobo de Vicecomitibus presbytero Mediolanensi: & quia idem præpositus hoc facere renuens, clam de Mediolano recessit, & ad curiam Romanam se transtulit, idem Bernabos, om-

Munera ecclesiastica pro libidine contulit abrogauitque.

bonnes fructus,redditus,& prouentus, ac bona patrimonialia dicti præpositi fecit & facit suæ cameræ applicari.

Pontificis oppugnat auctoritatem.

12 Ad hæc sæpissime suis minis, terroribus,& mandatis impediuit & impedit quominus nonnullæ personæ ecclesiasticæ, tam religiosæ quam etiam sæculares, beneficia ecclesiastica a sede Apostolica seu ab eorum ordinarijs impetrantes, in ciuitatibus & terris, quas idem Bernabos detinet occupatas, literis super his impetratis & etiam alijs literis iustitiam continentibus, ipsorumque possessione ac fructibus, redditibus, prouentibus & alijs iuribus vti valeant & gaudere: sed frequentissime in ipsis beneficijs facit intrudi, seu ad illa eligi & recipi per prælatos & capitula & conuentus ecclesiarum & monasteriorum personas insufficientes & indignas, sibi tamen acceptas, de quibus mandatum dederit speciale, dicendo temere, ac sæpissime, quod ipse in terris, quas detinet, quasque suas esse dicit, intendit esse Papa & etiam Imperator: & insuper episcopis, abbatibus, prioribus, præpositis, alijsque ecclesiarum & monasteriorum prælatis & alijs personis ecclesiasticis, nec non capitulis & conuentibus eorundem tam generaliter quam specialiter tallias & exactiones intolerabiles imposuit, & nonnullos eorum ad tenendum, custodiendum, & pascendum innumerabiles canes suos venaticos tyrannica violentia & seueritate coegit; tales retinentes canes eosdem, si ipsi canes recesserant, infirmabantur, aut erant mortui, crudeliter puniendo.

Bona ecclesiastica inuasit.

Nonnulla insuper castra, villas, possessiones, redditus, & prouentus, aliaque bona, nec non iura & iurisdictiones nonnullorum ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum occupauit, & detinet occupata, ac etiam occupari & detineri fecit & facit, fructus, redditus, & prouentus percipiens & percipi faciens ex eisdem, ac personas ecclesiasticas huiusmodi terrarum, quas detinet, peioris cõditionis faciens, quam essent sacerdotes idolorum sub crudeli & ethnico Pharaone. Pacem quoque, quam sæpe obtinuerat a dicta ecclesia, & cum iuramento seruare promiserat etiam sæpe infideliter frangere non expauit. Ex quibus diuersas excõmunicationum sententias, periuriũ, infamiam, inhabilitatem, & alias pœnas inflictas a iure talia crimina perpetrantibus ipso facto noscitur incurrisse]. Subjicit illum, male de ecclesiæ clauibus sentiendo, hæreseos nota aspersum se non leuibus argumentis ostendisse: quæ licet explorata & conspicua essent, Guillelmo tamen S. Angeli diacono Cardinali inquirendæ veritatis prouinciã se dedisse; eumque munere suo perfunctum dicta veritati consentire reperisse. Perpendentem itaq; se Matthæum Vicecomitem auum, & Stephanum Bernabonis patrem, ac Galeatium & Marcum patruos ab ecclesia hæreseos nota inustos, ac Bernabonem paterna scelera nouis cumulasse, atq; ob eũ ab Vrbano V. prædecessore de hæresi damnatum, cingulo militari exutum, ac pœnis omnibus hæreticis infligendis obnoxium pronuntiatum: & quamuis Bernabos se ab illius sententiæ seueritate liberatum existimet; id tamen certis legibus, quas infregit penitus cõcessum extitisse: atrocia enim adeo sacrilegia ac flagitia eum patrasse, oppressisseque ecclesiasticos inhumanissime, vt censuris prioribus se deuinxerit, quas obdurata mente pluribus annis contempsit: proinde ne mali exempli pernicies cæteros inficiat, vigesimam octauam mensis martij diem hora consistoriali indicere, ad dicendam causam audiendamque sententiam, qua sacrilegus homicida, persecutor & oppressor ecclesiarum ac sacerdotum, omnibusque pœnis a legibus impositis obnoxius promulgandus sit. Interea se Bernabonem intentata anathematis religione monere, vt Parmensem episcopum cæterosque ecclesiasticos, quos in vincula coniecit, libertati reddat, atque ecclesiarum iura ac possessiones restituat, vectigalia imposita amoueat, in dignitates ac sacerdotia munerave ecclesiastica neminem intrudat: ac ne pontificia imperia ipsum latuisse obtendere possit, in ecclesiæ Auenionensis vestibulo præ omnium oculis defixa fuisse. *Datum & actum Auin. in palatio apost. VIII idus ian. pontific. nostri anno III.*

Indicio hæreseos postulat.

13 Armata est ferro legum vox: fœderatorumq; principum Italorum [a], ac Germanica [b] & Vngarica [c] auxilia a Gregorio imploata fuerũt. Eduxisse etiam ipsum e Gallijs ingentem exercitum, eique Amedeum Sabaudiæ comitem præfecisse, a quo ingentia damna tyrannis Mediolanensibus illata sint, refert Gregorij vitæ scriptor [d]. Fauisse autem pontificiæ causæ æquitati secundos successus, scribit Pontifex ad Philippum Constantinopolitanum Imperatorem [e]: *Infra duos menses*, inquit, *vltra centum castra per rebellionem & alios modos dictorum perfidorum tyrannide sunt subtracta*. Versa est contra a tyrannis belli moles [f] partim in Etruriam ac Lunensem diœcesim, partim in agrum Bononiensem, in quo atrox commissum prælium, atque ab Ingerranno comite Suessionensi parta de hostibus insignis victoria [g]: cuius accepto nuntio, Pontifex exercitum in Mediolanensem principatum illum promouere, seq; Amedeo Sabaudiæ comiti coniungere iussit. Data etiam Ioanni Acuto Anglicarum copiarum duci imperia [h], vt in hostium terras irrumperet. Cum Bernabos superiori clade, ac suorum defectione consternatus, ad solitos dolos confugit: vt enim pontificiorum progressus reprimeret, suosque contineret in officio, pacem a ducibus ecclesiastici exercitus flagitauit. Cuius fallacibus verbis cum ij faciles aures dedissent, Gregorius initio colloquium fœderis respuit [i], ac rationem facti exposuit [l]: *Quia*, inquit, *ijdem hostes, præsertim præfatus Bernabos, qui pluries ecclesia memorata pacem frangere non erubuit, & est notorius fidefragus, pacem & promissa eorum nisi ad ipsorum commodum non obseruant; non intendimus pacem habere cum ipsis, quia de ea confidere non valemus*. Et infra: *Nec fecimus tot intolerabiles expensas vobis notas, vt ad pacem deceptibilem deueniamus*. De ijsdem Vicecomitum dolis, quibus toties alios Pontifices delusissent, ac tum demissionem fingebant, vt deinde tutius furorem effunderent, grauissime disseruit Gregorius in literis ad Petrum tit. S. Mariæ trans Tyberim datis [m]: deduci tamen postea se ab ea sententia siuit Pontifex, vt clientes ecclesiæ bello attritos leuaret.

Contractus in pertinacem exercitus.

a An. 3. ep. cur. pag. 18 45. 46.

b Ib. pag. 26.

c Pag. 36.

Plura Vicecomitibus erepta.

d Gesta Greg. XI. apud Bosq.

e To. 3. ep. sec. pag 18

Bernabonis copiæ profligatæ.

f Ibid. ep. secr. pag. 96 & 177

g Ib. pag. 31.

h Ibid.

Pacem Vicecomes expetit.

i Eod. to. 3. ep. secr. pag. 35. & 379.

l Super. pag. 35.

m Ib. pag. 298.

14 Non modo bello vexata est Italia, verum etiam peste: quæ cum Vrbem depasceret, Gregorius expiaturis conscientiam apud sacerdotem, veniã tribuit [n]: *Cum*, inquit, *sicut displicenter accepimus, in Vrbe magna epidimia seu mortalitatis pestis vigere noscatur, nos animarum saluti prouidere de salubri remedio cupientes, vestris supplicationibus inclinati, vt confessor, quem quilibet vestrum & etiam quiuis alius fidelis Christianus ecclesiasticus vel secularis in ipsa Vrbe existens, vsque ad sex menses a tempore publicationis præsentium in ecclesia S. Ioannis Lateranensi facienda inantea numerandos, quos ex huiusmodi epidimia seu mortali-*

Vexata peste Italia.

n An. 3. ep. cur. pag. 165.

ta-

tatis poſſe mori contigerit, duxerit eligendum, omnium peccatorum ſic eligentium, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem ſic confitentibus, & infra, *auctoritate apoſtolica concedere valeat veſtræ et fidelium Chriſtianorum prædictorum deuotioni tenore præſentium indulgemus; ſic tamen, quod idem confeſſor de ijs, de quibus fuerit alteri ſatiſfactio impendenda, eam ſic confitentibus per eos, ſi ſuperuixerint, vel per heredes ſuos aut alios, ſi tunc forte ſic confitentes tranſierint, faciendam iniungat, quam ſic confitentes vel illi facere teneantur, vt præfertur. Et ne (quod abſit) propter huiuſmodi gratiam reddatur quis proclivior ad illicita in poſterum committenda, volumus quod ſi ex confidentia remiſſionis huiuſmodi aliqua quis forte committeret, quoad illa prædicta remiſſio ſic committenti nullatenus ſuffragetur. Dat. Auin. id. octobris anno* III.

Ex laborantibus oſtenſa Veniæ ſpes.

15 His addimus ſtatuiſſe publico decreto Gregorium a ad pietatis ſtudium in Deiparam commendandum, vt fideles recurrente anno iubileo Lateranenſem & principis Apoſtolorum baſilicas luſtraturi, ſanctam etiam Mariam maiorem, ob ingentia in ea patrari ſolita miracula veneratione digniſsimam, adirent.

a To. papyrac. an. 2.

Eccleſia S. Mariæ maioris anno iubileo luſtrari iuſſa.

Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Sane felicis recordationis Clemens Papa VI. prædeceſſor noſter de fratrum ſuorum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine indulgentiam, quam felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter omnibus vere pœnitentibus & confeſsis, qui beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum baſilicas de Vrbe in anno a natiuitate Domini MCCC. & ex tunc quolibet anno centeſimo ſecuturo certo modo viſitarent conceſsit, ad annum quinquageſimũ duxit reducendam, ita tamen quod quicumque vellet huiuſmodi indulgentiam aſſequi, baſilicas prædictas ac Lateranenſem eccleſiam in anno a natiuitate eiuſdem Domini MCCCL. tunc proxime ſecuturo, & ex tunc de quinquaginta in quinquaginta annos certo modo viſitare deberent, prout in literis Clementis eiuſdem prædeceſſoris ſuper hoc confectis plenius continetur, quarum tenor talis eſt: *Clemens, &c. Vnigenitus Dei filius, &c.* Adductæ a nobis fuere ſuo loco, ijs vero hæc tẽporis & loci nota additur: *Dat. Auin. VI. kal.* * februarias *põtificatus noſtri an.* I. [quæ non integre in extrauagãtibus apponitur. Pergit Gregorius:] Conſiderantes igitur, & intra noſtræ mentis arcana reuoluentes, qualiter glorioſus Deus in ſanctis ſuis, in maieſtate ſua mirabilis opera manuum ſuarum mirificans, olim miro diſpoſuit ordine eccleſiam B. Mariæ maioris de Vrbe fundari ac cõſtrui, & ſubſequenter etiam dedicari, & qualiter etiam ipſe omnipotens Dominus in eccleſia ipſa omnium veneratione colenda ob interceſsionem eiuſdem B. Virginis, vt pie creditur, multa operatur miracula; & ideo ex illis & alijs certis & rationabilibus cauſis cupientes, vt dicta eccleſia B. Mariæ maioris pariter cum eiſdem baſilicis ac eccleſia Lateranenſi præfatæ indulgentiæ priuilegio decoretur, auctoritate apoſtolica & ex certa noſtra ſcientia volumus, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod quicunque Chriſti fideles, qui huiuſmodi indulgentiam in præfatis literis eiuſdem Clementis prædeceſſoris noſtri declaratam aſſequi voluerint, præfatam eccleſiam B. Mariæ maioris, ſicut & baſilicas ac eccleſiam Lateranenſem prædictas viſitare debeant, & etiam teneantur. Nulli ergo &c. *Dat. Auin.* III. *kal. maij anno* III.

* Deeſt hæc vox in extrauag.

Hoc anno miſit Carolus Francorum Rex ad Vrbis baſilicas, de quibus facta eſt mentio a, Lateranenſem nimirum, S. Petri, S. Pauli, ac S. Mariæ maioris pia oblationis ergo octingentos aureos, quorum quadringenti ad earumdem eccleſiarum ornatum erant deriuandi, alij canonicorum collegijs & Benedictinis S. Pauli tribuendi; trecenti etiam alij aurei monaſterio S. Agnetis b vna cũ aurea eiuſdem virginis ſacra imagine traditi, quorum in monaſterij vſus conuertendorum Pontifex Lucæ epiſcopo Nucerino Vrbis vicario munus iniunxit: *Cum chariſſimus*, inquit, *filius noſter Carolus Rex Francorum illuſtris operibus pietatis intentus ex deuotione, quam habet ad S. Agnetem virginem & martyrem, miſſat ad eiuſdem ſanctæ monaſterium vnam imaginem auream cum vno agniculo etiam aureo ponderis trium marcharum & ſex unciarum & ſex denariorum, cum vno pede argenteo deaurato ponderis quinque marcharum & media uncia & quatuordecim denariorum in dicti monaſterij eccleſia & eius theſauro perpetuo retinendis; mittat etiam dicto monaſterio trecentos florenos ſeu ducatos auri in vtilitatem eiuſdem monaſterij conuertendos, &c. Dat. apud Pontemſorgiæ Auin. diœceſis VI. kal. iunij anno* III.

Piæ oblationes a Gallo Rege eccleſijs Vrbis erogatæ.

a To. 3. ep. ſecr. pag. 53.

b Ib. pag. 52.

16 Propagabatur ea tempeſtate in Boſnia & Ruſſia religio, auctique Minoritæ pluribus priuilegijs, atq; auctoritate inſtructi c, vt baptiſmum atque alia ſacramenta pijs conferre poſſent, cum parochiæ in ea prouinciis diſtinctæ non eſſent: pariterque in Ruſſia eadem poteſtate ornati ſunt d: de quibus etiam fideles Lamburgenſes, ac Ruſſos Pontifex certiores fecit e: ipſos enim nonnulli inuidi ea opinione abalienare a Minoritis pertentarant, quaſi nulla poteſtate ad ſacramenta conferenda valerent. Pellicere ad Chriſti cultum Lithuanos etiam eniſus eſt Pontifex; atque Olgerdum, Renſtucum, ac Lubardum ferociſſimos principes, qui continuis prælijs cum Pruſſiæ cruciferis equitibus vario plerumque euentu decertabant, ad manſuetudinem Chriſtianam traducere; in quam rem vt ſtrenue incumberent, Ludouicum Vngariæ & Poloniæ Regem, Eliſabetham Reginam, ac Vladiſlaum Opolienſem & Semouitum Mazouiæ duces eſt adhortatus f: quorum poſtremus multam in ijs ad diuinum cultum impellendis operam contulerat g. Nec Lithuani duces a pietatis amore plurimum aberant: quos cum egregie erga diuina comparatos accepiſſet Gregorius, vbi ampliſſimas vtilitates (præter enim animarum ſalutem etiam corporibus conſultum iri, nec tot ſtrages patrandas, ijs fidelium numero aggregatis, expoſuit) ſubiecit, ſacerdotes doctrina & religione conſpicuos a ſede Apoſtolica mittendos ad ipſos, ſi cœleſtibus inſtinctibus aſſenſiſſent.

Minoritis in Boſnia ſacramenta conferendi ius datum.

c Ib. pag. 19.

Et in Ruſſia.

d Pag. 62.

e Pag. 63.

Lithuanos principes ad fidem allicere nititur Greg.

f To. 3. ep. ſecr. pag. 89.

g Ead. pag.

Nobilibus viris Olgerdo magno, & Renſtuco, ac Lubardo fratribus ducibus Lithuanorum viam veritatis agnoſcere, & agnitam cuſtodire.

Saluatoris noſtri domini Ieſu Chriſti, qui de cælis miſericorditer deſcendit in mundum, vt ſaluos faceret omnes, qui crederent in eundem, vices (licet indigni) tenentes in terris, omnium mortalium ſalutem, qui vtique ab ipſo Domino ſunt creati, præcordialibus deſiderijs affectamus, & ſolicitis ſtudijs, prout noſtræ fragilitati conceditur, procuramus: & quod in hac parte per nos ipſos non poſſumus, per alias perſonas fideles & prouidas anhelanter ſatagimus adimplere. Aduertentes igitur inter vos & dilectos filios fratres domus S. Mariæ Theutonicorum eorumque ſubdi-

Pontificis ad eos literæ.

ditos & nonnullos alios Christianos durissimum & lethale bellum longis temporibus viguisse ac vigere continue, gerimus in desiderio cordis nostri, quod vos & vester populus ad fidem catholicam, sine qua salus esse non potest, per ministerium prædicatorum eiusdem fidei, sicut fecerunt hactenus & adhuc faciunt aliæ nationes quamplurimæ, voluntarie veniatis: quia illud sacrificium & obsequium eidem Saluatori acceptabile redditur, quod a voluntate præbetur: sicque animæ vestræ & cunctorum Lithuanorum per gratiam Dei & eius veram fidem ac opera charitatis erutæ de potentia Sathanæ, qui per infidelitatis errorem & execranda opera detinet eas miserabiliter captiuatas, æternaliter fiant saluæ: cessent bella, effusiones cruoris, mortes crudeles, captiuitates impiæ, rapaces prædæ, seruitutes miserabiles, labores grauissimi, & incendia consumptiua, aliaque mala innumera, quæ solent ex bellicis actibus euenire; fiatque pax indiuidua inter vos ac fratres eosdem & alios Christianos, vt quos vna iunget fides, nulla possit, præsertim tam dira & prolixa, discordia separare: sequatur optata tranquillitas, seruetur mutua charitas, & vtrinque dulcedo fraternæ communionis accedat, opes amissæ resurgant, & superueniant ampliores, ac vniris in Christo cœlestia & terrestria præparentur; cæterisque infidelibus diabolica fraude deceptis imitatiuo demonstretur exemplo, quid felicitatis & gratiæ, quid consolationis & gaudij, quidue securitatis & pacis conuersis successerit Lithuanis, ac cæteris incredulis pandatur aditus in viam salutis dirigendi similiter gressus suos.

Proposita ingentia a s. fide suscepta bona oboritura.

Eapropter nobilitatem vestram, quam optamus saluari, ac in præsenti seculo apud omnes Christicolas, & demum in excelsis fieri gloriosam, charitatine hortamur in Domino, quatenus ad recipiendum dictam fidem vos & vestri subditi, quos ad hoc prouide inducatis, vestros disponatis animos humiliter & deuote. Nos enim, si in hoc volueritis exhibere consensum, viros religiosos in lege Domini eruditos ad prædicandum vobis fidem præfatam & alia, quæ ad animarum vestrarum salutem spectabunt, ac ad tractandum auctoritate apostolica veram & firmam concordiam cũ dictis fratribus & omnibus alijs Christianis, qui magisterio sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesię intendunt fideliter, cum opportuna potestate curabimus destinare. Super quibus vobis plenius exponendis dilecto filio Dobregestio præposito ecclesiæ Cracouiensis decretorum doctori, capellano & familiari charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regis Vngariæ & Poloniæ illustris latori præsentium de nostra intentione informato plenarie, velitis fidem plenariam adhibere. *Dat. Auinion. x. kal. nouembris anno III.*

Missus ad eos internuntius apostolic⁹

17 Eodem tempore effloruit in trahendis ad Christum Saracenis magna pietatis commendatione in Aragonia Alfonsus e Cherica siue Exericæ princeps, ac liberalitate tantum opus ornauit; cum enim plura mancipia in Mahumetanis sordibus educata haberet, ad baptismum suis adhortationibus perducta libertate donauit. Quo egregio exemplo Pontifex Petrum [a] Regem Aragonum, Alienoram Reginam, Ioannem ducem Getundensem sceptri heredẽ & Martinum comitem Bisulduni filios, Ioannem comitem Empuriarum [b] ad suos seruos Saracenos in Dei filios transformandos incitauit: si quam in ea re iacturam paterentur, æterna apud diuinum Numen præmia ipsos manere. Tum Valentinum,

Exericæ principis pium studium in Saracenis ad fidem conuertẽdis.

a An. 3. ep. cur. pag. 15. & 16.

b To. 3. ep. secr. pag. 1.

Dertusensem, & Segobricensem episcopos, Vallisdignæ & Bonifaz abbates, aliosque plures ecclesiasticos viros permouit [a], vt in Saracenis Christiana religione erudiendis diligentem operam collocarent.

a An. 3. ep. cur. pag. 16.

18 Nec minus eluxit pontificium studium in excindendis hæreseon fibris ac schismaticorum reprimendis conatibus, ne regna catholicis principibus obnoxia inquinarent: certior enim factus in Creta Græcos nonnullos in schismate obfirmatos ab insula discedere, vt a schismaticis episcopis sacris ordinibus initiarentur, ac reuersos verus schisma inter Cretenses confirmare, quamuis iam ante a duce ac senatu Veneto cautum esset, nullum schismaticum episcopum in insula versari permittendum, nec Græcis fas fore vt a schismaticis sacerdotio insignirentur; Pontifex Andream Contarenum Venetorum ducem vrsit [b], ne tam præclaram legem obsolescere pateretur, suamque operam pro tuendo seruandoque inter Cretenses fidei nitore impenderet.

Schismaticorũ itaui des in Creta repressæ.

b To. 3. ep. secr. pag. 90.

Dilecto filio nobili viro Andreæ Contareno duci Venetiarum.

Lætamur in Domino, fili dilecte, eum de te tuisque ciuibus & officialibus actus laudabiles, præsertim circa extirpationem hæresum & schismatum, ac ampliationem catholicæ fidei, nostris auribus referuntur. Nuper siquidem gratanter audiuimus, quod cum olim per antipatriarchas Constantinopolitanos hæreticos & schismaticos vnus episcopus, seu potius antiepiscopus hæreticus & schismaticus, in insulam tuam Cretensem ad præsidendum in spiritualibus Græcis schismaticis tam clericis quam laicis eiusdem insulæ pro tempore mitteretur & resideret in ea; per quendam ducem Venetiarum tuum prædecessorem fuit tam prouide quam catholice ordinatum, ac sub graui pœna statutum, quod ex tunc nullus talis schismaticus episcopus reciperetur in insula prælibata: & quod post obitum cuiusdam Macarij schismatici episcopi sic obseruatum extitit, prout etiam laudabiliter obseruatur: & quod etiam per eundem prædecessorem tuum sub diuersis grauibus pœnis fuit statutum, quod nullus schismaticus dictæ insulæ exiret de illa, a schismatico episcopo, existente extra ipsam insulam, quoscunque ordines recepturus, & quod licet hoc aliquandiu obseruatum extiterit, tamen præsentialiter non seruatur; propter quod nonnulli schismatici ordinandi exeunt licenter de dicta insula, & ab episcopia schismaticis aliarum partium ad ordines ritu schismatico promouentur, per quos inter Græcos dictæ insulæ schismata & hæreses nutriuntur in damnationem multarum animarum, & fidei catholicæ detrimentum.

Vetitum a Venetis ne schismatici episc. in Creta permittatur.

Ne qui ex insula ad suscipiendos ordines a schismaticis abeant. Istum edictum violatum.

Quare nobilitatem tuam rogamus & hortamur attentius, quatenus ob reuerentiam Dei & zelum dictæ fidei, sine qua non est salus; & vt ijdem Græci subditi tui eo tibi fideliores reddantur, quo tecum & cum alijs Latinis catholicis strictiori nexu professionis eiusdem fidei tuæ nobilitati fuerint obligati; dictum sanctum statutum per pœnas condignas facias inuiolabiliter obseruari, & quidquid potes per te tuosque officiales, quos habes in dicta insula, pro conuersione Græcorum schismaticorum huiusmodi, & tutela & conseruatione illorum ex ipsis, qui ab eorum erroribus iam dicuntur conuersi, & (dante Deo) eum tuo fauore connectentur in po-

Dux Venetus ad illud redintegrandum rogatus.

ſterum, deuotis & ſolicitis ſtudijs opereris, vt prælata inſula, inueteratis ſchiſmate ac hæreſibus expurgetur, tuque ac tua communitas proinde præter laudem humanam, & maiurem beneuolentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram, æternum inæſtimabile præmium reportetis. Et inſuper quia eadem nobilitas & conciues tui de alijs vtilibus modis tenendis in conuerſione dictorum Græcorum debeot eſſe informati, plenarie de ipſis velis nos tuis literis informare. *Dat. Auin. vi. kal. nouembris anno* III. Docuit experientia ſaluberrimum fuiſſe Gregorij conſilium, cum diuina iuſtitia Cretenſes, qui hactenus ſchiſma dānare detrectarunt, a Mahometanis vexari patiatur.

Arnaldus Montanerius pſeudominorita. a To.3 ep. ſecr.pag.3. Damnat' hæreſeos.

19 Ne transmarini etiam fideles inquinarentur erroribus Arnaldi Montanerij Minoritæ, e Podio Ceritano orlundi, qui iudicio hæreſeos ab Eymerico fidei cenſore poſtulatus in orientem aufugerat, Gregorius Armando ordinis Minorum vicario Aquilonari dedit imperia a, vt illum vinctum ad ſubſellia Apoſtolica trahendum curaret. Recenſet eius errores & deliria idem Eymeriens, qui vna cum Berengario Darili epiſcopo Vrgellenſi illū in principe templo, conſulto prius Gregorio Papa, hæreſeos crimine damnauit b.

b Eymer. 2.p.direct. in quæſit.9. 11. Hæreſes fœdæ glíſcunt in Gallijs. Cenſores fidei eas excindere iuſſi. c An.3.ep. cur. pag. 45.

Repullulanti quoque tum in Gallijs fœdiſſime hæreſi Beguardorum ſiue Beguinorum, Turlupinorum, ac Lollardorum (ijs nominibus vulgo infame horum hominum genus nuncupabatur) falcem apoſtolicæ ſeueritatis iniecturus Gregorius, vt clementia rigorem temperaret, cenſoribus fidei primum partes dedit, vt omnes, quos ſponte criminis pœniteret, in gratiam eccleſiæ admitterent: in pertinaces vero vniuerſos principes, vrbium magiſtratus, ac viros nobiles Francos Belgaſque pio ardore accendit c, vt ad delenda eiuſmodi religionis opprobria ſtudium vireſque conferrent. Turlupinis pares erant ſcelere Vualdenſes, in quos licet ſæpius legibus actum eſſet, in Delphinatu tamen circumiectiſque locis hæreſeos virus fouebant: ad quos ab impietate reuocandos Gregorius Gallicanos præſules, qui Pariſijs ad ſolemnes conuentus coacti erant, ſollicitauit d, vt Carolum Francorum Regem ad eos inſectandos permouerent: quo etiam argumento extant ad Carolum Regem literæ adhortatoriæ, vt Turlupinos ac Vualdenſes ſuppliciorum terrore ad pietatem adduceret, cenſoribus fidei ad munus obeundum opera non deeſſet, & magiſtratus, qui his oblique obſtabant, ad coniungenda ſtudia in impios regia auctoritate adigeret.

d To.3. ep. ſecr. pag. 38.

Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Franciæ illuſtri.

Excitatus Franc. Rex ad naſcentes errores profligandos.

Chriſtianorum principum Regum Franciæ progenitorum tuorum feruidum zelum ad fidem catholicam, quem ſcripta diuerſa teſtantur & fama publica manifeſtat, grata memoria recolentes, & te inclytum imitatorem ipſorum in hoc & alijs bonis operibus attendentes; ac tenentes indubie, quod negotia dictæ fidei pro Dei reuerentia ſuſcipiens cordialiter commendata, illa promouebis pro viribus, & officialium, ſubditorumque tuorum in hac parte negligentias & culpas alias, cum illas agnoſces, nullatenus ſuſtinebis; ad deuotam magnitudinem tuam apoſtolica ſolicitudo, quæ circa hoc inuigilare tenetur, recurrit cum fiducia ſpeciali. Audiuimus ſiquidem ſæpius, fili chariſſime, quod hoſtis humani generis, circuiens ſemper & quærens quos deuoret, vbi maiora viderit opera ſanctitatis, ibi virilius ſatagit ſuæ venenum effundere prauitatis, in regni tui, quod præ cæteris mundi regnis præclaruit, prout præclaret fide & operibus virtuoſis, in aliquibus partibus in nonnullis perſonis vtriuſq; ſexus, præſertim de ſecta Begardorum, qui alias Turlupini dicuntur, ſparſit ſemen peſtiferum multiplicis hæreticæ prauitatis: quodque ingens tua deuotio, de ijs aliqua ſentiens ab inquiſitoribus prauitatis eiuſdem, feruenter incœpit circa ea regiæ poteſtatis remedia adhibere: de quo eam dignis laudibus commendamus.

Turlupini ijdem qui Begardi.

20 Audiuimus etiam relatibus fidedignis, quod in partibus Dalfinatus Viennenſis & alijs locis vicinis eiſdem eſt quorundam hæreticorum, qui vocantur Vualdenſes, maxima multitudo: & quod quidam officiales tui dilectos filios.. inquiſitores dictæ prauitatis in eiſdem partibus deputatos non ſolum non iuuant, vt deberent, in ſuo inquiſitionis officio; immo multa impedimenta, vt ſequitur, contra ipſos præſtare præſumunt: videlicet quod eoſdem inquiſitores, ne poſsint procedere contra dictos hæreticos, impediunt indirecte, eiſdem aſsignando vt plurimum loca minus tuta ad procedendum contra hæreticos prælibatos: & quod non permittunt, vt ijdem inquiſitores procedant ſine iudice ſeculari, & compellunt eoſdem, quod proceſſus ſuos iudicibus ſecularibus oſtendant, ſi quos fecerint ſine ipſis. Hæreticos quoque ſeu ſuſpectos de hæreſi, captiuatos per inquiſitores eoſdem, eis irrequiſitis præcipiunt a carceribus liberari. Requiſiti præterea a dictis inquiſitoribus, quod præſtent iuramentum a iure diſpoſitum de expurgando hæreticos & ſuſpectos de hæreſi, illud præſtare contemnunt. Aliqui etiam nobiles Dalfinatus eiuſdem hæreticos & ſuſpectos de hæreſi, contra quos per inquiſitores proceditur memoratos, receptare ac fouere multipliciter non verentur. Quare deuotam ſerenitatem tuam requirimus & hortamur in Domino, quatenus præmiſſa, zelo feruoris regij vtique deteſtanda, deuote conſiderans, eis & ſimilibus (de quibus diligenti facias indagatione perquiri) toto tuo niſu pro Dei & dictæ fidei reuerentia ſtudeas opportunis remedijs obuiare, præcipiens expedite ſine quolibet impedimento in præmiſſis & alijs, quæ pro dictæ fidei conſeruatione vtilia erunt pro tempore, ſic te reddens feruidum, ſolicitum, ac promptum, quod pugil magnificus eiuſdem fidei præſentibus & futuris temporibus reputeris, & apud Deum & homines veris laudum præconijs glorioſius extollaris. dictumque regnum & Dalfinatus in ſua conſueta deuotione & cultura fidei, mediantibus tuis pijs operibus & fauoribus, conſeruetur. *Dat. Auin. vi. kal. aprilis anno* III.

Delphinatus Vualdenſibus infectus. Cenſura fidei libere non exercita.

Turlupini Pariſijs flammis exuſti. a Gaguin. l.9. Meyer l.13. Belleſ. l.5. Gaule. ſec.14.

21 Paruiſſe apoſtolicis monitis Carolum Regem Francorum colligitur ex hiſtoricis, qui tradunt a ipſius imperijs quæſtionem acerbiſſimam in Turlupinos habitam, adeo vt plures ex ijs Pariſijs incendio abſumpti ſint, ac nefaria factio in Gallijs fuerit abolita, vt refert Gaguinus his verbis: *Superſtitionis quoddam genus eodem tempore, a Turlupinis (hoc enim erat hæreticis nomen, qui ſe de ſocietate pauperum vocitari gaudebant) ortum, finem fecit, crematis eorum veſtibus & libris in foro ſuillo extra ſancti Honorati portam. Ioanna autem Dabentona, & cum ea alter, cuius nomen hiſtorici non tradunt, eius ſectæ in primis profeſſores comburuntur. Hic autem, quem ſine nomine ponimus, cum ante damnationis eius ſententiam in carcere mortem obijſſet, dies quindecim in aggere calcis, ne putreſceret eius cadauer, aſſerua-*

tus

tus est,& die ad supplicium præscripto crematus. De Turlupinorum hæresibus meminit Bernardus Lutzemburgius a,aitque eos de nulla re a Deo naturaliter indita erubescēdum iactasse, & promiscuis concubitibus palam sine vllo pudore vti ac membra nudare solitos. In quibus abolendis Carolus Philippi Augusti religionem est imitatus, qui Almarici discipulos similia venena fundentes extra Lutetiæ portas rogis tradi iussit: *Dixerunt*, inquit bibliotheca patrum b, *quod illud, quod alias est peccatum mortale, vt stuprum, factum in charitate, non est peccatum.* Porro Almarici hæreses suo loco recensuimus c: tum Albigenses d eandem impuritatem consectatos, nec non Hermanni sequaces, tum Dulcinistas e seu Libertinos, a quibus confictum libertatis spiritum, quo freti in omni luxuriæ genere volutabantur, & a Clemente V. grauissime confutatum vidimus. Eadem insania perciti erant ij, quos a Ioanne Rege Boemiæ concrematos diximus f, quæ secta postea recruduit in Boemia, vbi Adamitarum nomen accepit, & ad quam etiam instaurandam plura infanda dogmata Lutherus sparsit. Quod vero ad Vualdenses spectat; eos internuntij apostolici imperio Caroli Francorum Regis ope carceribus mancipatos inferius visuri sumus: nunc quæ a Pontifice studia ad bellum Anglicum sopiendum adhibita sint, perstringimus.

a Bernar. Lutzemb. & ex eo Sander. de visib. monarch. in Greg. XI.

b Bibl. pat. to. 4. col. 1337.

c Annal. to. XIII. an. Chr. 1209. n. 28.

d Ead. to. an. Chr. 1204 n. 63

e To. XV. an. 1311. n. 66. & c. an. 1312. n. 17. in 3. errore Begard.

f An. 1375 n. 26.

Anglis Gallisque conciliandis nauata opera.

22 Cum ex eo Christiana religio, Francorum Anglorumque armis defendenda, omni pene auxilio destituta infidelium victorijs euerteretur, Pontifex superiori anno ad colloquium Itij, vulgo Caleti, agitandum Reges induxerat: sed cum id re infecta esset dissolutum, iterum vt Brugis inirerur perpulit g; ac tum Eduardum tum Carolum grauissimis sententijs solicitauit h vt pacis consilia amplecterentur: ad quæ vt procerum, qui illi colloquio Regum nomine erant affuturi, animos compararet, adductis in medium grauissimis malis emersuris ex eiusmodi discordijs, vt ad Reges in mutuam concordiam redigendos operam conferrent, fuit adhortatus i:

g To. 2. ep. secr. pag. 237. 238. 239.

h Ib. pag. 235.

i Ead. to. 2. ep. secr. pag. 237.

Gregorius, &c. dilectis filijs nuncijs charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Francorum illustris pro pace, inter ipsum & charissimum in Christo filium nostrum Eduuardum Regem Angliæ illustrem in loco de Brugis Tornacensis diœcesis tractanda & reformanda, deputatis.

Considerantes quantum eorundem Regum hostilis commotio, tanto tempore radicata & toti mundo nociua, negotio terræ sanctæ fuerit damnosa & existat, & non solum Babylonicum hostem inducit ad Christianorum exeidium, sed etiam multis infidelibus ad occupandas Christianorum terras, & religionem Christiani nominis extinguendam, audaciam proximis elapsis temporibus ministrauit; quodque, si infideles ipsi inter ipsos Franciæ & Angliæ Reges percipiant durare discordiam, & concordiam exulare, aduersus Christianos & terras eorum ex solita rabie eorundem insurgent virilius & audacius, & maiorem sument audaciam ad atrociores solito & perniciosiores molestias Christianorum Regibus atque regnis & populis inferendas (ad quorum executionem, præfati nefandissimi infideles, prout fertur, iam se præparant & disponunt) guerram & discordiam huiusmodi amplius sana conscientia tolerare non valentes; nec minus aduertentes & sæpius recensentes, quod nos & prædecessores nostri Romani Pontifices, tam sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales quam alios diuersos apostolicæ sedis nuncios, ad partes illas pluries transmittendo, in hoc diligentiam, quam potuimus, adhibuimus, cum alia remedia non videamus vlterius, si concordia & pax huiusmodi non perficiatur, vlterius differre non intendimus, quin contra partem, per quam stabit, & alios quoscunque ei fauentes ac præstantes auxilium, consilium, & fauorem, per censuram ecclesiasticam & alia iuris remedia, sublato quocunque fauore, mediante semper iustitia, procedamus. Dat. *Auin. III. non. ianuarij anno secundo.*

Auctæ ex Anglico bello barbarorum vires.

Decernit Greg. cōtra belli auctores leges distringere.

Fefellit a Pontificis spem atque expectationem odiorum pertinacia ac rerum, quæ agitatæ erant, difficultas: quamuis Simon tit. S. Sixti & Ioannes tit. SS. Quatuor coronatorum presbyteri Cardinales ad Reges missi, litterisque extimulati b labori & operæ non pepercissent.

a To. 3. ep. secr. pag. 245.

b To. 2. ep. secr. pag. 239.

De restituenda Castellæ pace agitatum.

23 Liberandæ e bellis ciuilibus Hispaniæ pari studio accensus Pontifex, ad cœptum iam ante conciliandæ Henricum Castellæ & Legionis inter ac Fernandum Lusitaniæ, Carolum Nauarræ, Petrum Aragoniæ Reges pacis colloquiū incubuit. Atque in primis, quod ad Lusitanicum bellum spectat; cum iam illud ante ab apostolicis internuncijs extinctum putaretur, in maius incendium eruperat, ac Reges vniuersas vires in certaminis periculum coniecturi erant. Ad quos in concordiam adducendos Christi vicarius Henricum Castellæ Regem, qui in Lusitaniam irruperat maximo succinctus exercitu, precibus vrsit c, vt armis absisteret. Similique modo Ioannam Reginam Castellæ d, vt virum demulceret atque ad concordiam flecteret; tum Fernandum Lusitaniæ Regem e hortatus est, vt ad pacem cum Henrico studia conuerteret: tum Guido Cardinalis A. S. L. ad Reges pro dirimendo sua auctoritate & industria bello se conferre iussus f. Capessiuit is strenue apostolica imperia, vt refert Mariana g: cum enim hoc ineunte anno Henricus Rex Castellæ Lusitaniam ferro flammaque populatus, Viseo expugnato, ac tentata Conimbrica, belli impetus ad Scalabim vertisset, quo cum Ferdinando Rege acie decerneret, illumque ab ambienda Castella deterreret; detrectante que Lusitano vniuersum certamen nec viribus nec belli peritia pare, atque etiam Dionysio fratre hosti adiuncto ad Vlyssipponem vsque penetrasset, ac suburbia incendisset, plures naues cepisset adducta classe in portum, magnumque obsessæ vrbi regiæ inferret terrorem; Cardinalis legatus vltro citroque ad castra aduersa commeare non destitit, spreuitque labores & pericula, vt pacem inter Reges conciliaret; ac demum eo annitente ad V. kal. aprilis fœdus sancitum ijs legibus: vt oppida vtrinque eo bello capta restituerentur: Castellani profugi nobiles quingenti & eo amplius finibus Lusitaniæ arcerentur; denique affinitatibus nouis fœdus confirmaretur. Cum vero nonnulli religiosi per Castellam discurrerent, vt nouos in ea cierent motus, Pontifex publicæ pacis alendæ studio, ne barbari ad religionem opprimendam animis augerentur, Guidoni Cardinali legato munus imposuit h, vt eos coerceret.

c To. 3. ep. secr. pag. 120.

d Ib. pag. 8.

e Pag. 120

Guido Card. legatus.

f Pag. 8. & 120

g Marian. de reb. Hisp. l. 17. c. 17.

Castellanū inter & Lusitanum pacē redintegrat.

h An. 3. ep. cur. pag. 122.

24 Confecto Lusitano bello, Henricus Castellæ Rex virium molem ad obruendum Carolum Regem Nauarræ, qui nonnullas Castellæ vrbes in superioribus motibus suæ ditioni adiecerat, conuertebat i: cum internuntij apostolici studio, antequam oppositæ aciea signa conferrent, in concordiam mutuam reuocati sunt. Carolus enim bello clarissimum Henricum florentissimo-

Inter Nauarræum Castellanumque instauratū fœdus.

i Marian. l. 17. c. 57.

que ſuccinctum exercitu in ſe concitare tutum non putabat; atque Henricus ſuæ dignitatis arbitrabatur amiſſa ſine bello recipere. Fœdus itaque percuſſum his legibus: Nauarrus Lugrunium & Victoriam Caſtellano redderet: amicitiam, pactis inter Carolum filium & Eleonoram filiam Henrici nuptijs, aſtringeret. Pro ſumptibus vero in redditis arcibus muniendis, ac dotis nomine centum viginti aureorum millia Nauarro conceſſa. Ex felicia huiuſmodi concordiæ nuntio ingenti gaudio affectus Gregorius, Regi Caſtellano de confecta pace gratulatus a, vt cum Aragonio controuerſias veteres componeret, eſt adhortatus.

a To. 3. ep. ſecr. pag. 203.

Gregorius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Henrico Caſtellæ & Legionis Regi illuſtri.

Henrico gratulatur Pont.

Fili chariſſime, Deo gratias agimus, & laudationum vota debite perſoluimus, qui te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Nauarræ illuſtrem, prout nuper ad noſtrum peruenit auditum, ad bonam reduxit concordiam: ac ſinceritati tuæ congaudemus, qui zelo fidei, ac ad noſtram & eiuſdem Romanæ eccleſiæ deuotionem accenſus, pacis conſilia iniſti; teque vt charius poſſumus deprecamur, quatenus huiuſmodi pacem Deo placidam, & (dante Domino) populo fructuoſam, prout plene confidimus, obſerues & a tuis ſubditis facias inuiolabiliter obſeruari; ita quod tu & idem Rex Nauarræ in vnitate & concordia firmati valeatis (vt expedit) in pacis multitudine delectari: ſicque pacis angeli vobis congaudeant, & nos, qui te & ipſum Regem Nauarræ ſincere brachijs charitatis amplectimur, in vobis ſicut in principibus pacificis, & pacis filijs delectabiliter gloriemur. Cæterum, amatiſſime fili, cum (ſicut præfatus legatus nobis pluries ſcripſit) tu inter cæteros mundi principes nos & eandem Romanam eccleſiam, prout experientia docet, ſpeciali deuotione proſequaris, & libenter noſtris & prædictæ ſedis conſilijs acquieſcas, ſuper quo tuam prudentiam multipliciter commendamus, excellentiam regiam attentius exhortamur, ac pro ſpeciali munere petimus, quatenus ad bonam pacem & concordiam cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Petro Rege Aragonum illuſtri, dante Domino, adimplendam (ſuper quo alias eidem excellentiæ pluries ſcripſimus) tuũ inclines animum, diſponas & mentem; ac præfato legato in ijs, quæ ſuper hoc ex parte noſtra tibi dicet, plenam fidem adhibere ſinceritas tua velit. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſis x1. kal. ſeptembris anno tertio.* Ereptus eſt e viuis Guido Cardinalis, antequam controuerſiam inter Aragonium & Caſtellanum ſopiret, vt ex literis pontificijs conſtat: ſublatum autem increbuit rumor illum veneno a Carolo Rege Nauarræ. Quo rumore ſparſo Carolus obiectum crimen purgare conatus eſt; admiſitque Gregorius eius excuſationes, cum Guidonis neceſſarios diligenter percunctatus non veneno, ſed morbo interemptum comperiſſet; priſtinæque illi famæ integritatem hiſce literis ſequenti anno exaratis b reſtituit.

Ad pacē cum Aragonio in eundam ſollicitat.

Guidonis Card. mors.

Sparſa fama veneno ſublatum.

b To. 4 ep. ſecr pag. 117.

Gregorius &c. Carolo Regi Nauarræ illuſtri.

Ijdem nuntij ſub commiſſa eis per eaſdem literas credentia pro parte tuæ magnificentiæ nobis expoſuerunt, quod eidem ſerenitati relatum extiterat, nobis falſo ſuggeſtum fuiſſe; quod bonæ memoriæ Guidoni epiſcopo Portuenſi, tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legato, venenum ſeu toxicum dari ſeu miniſtrari feceras, propter quod viam fuerat vniuerſæ carnis ingreſſus. Verum, fili chariſſime, id nobis a pluribus dictum fuit: ſed conſiderantes puritatem deuotionis ad Deum catholicorum principum progenitorum tuorum, atque tuam, ſtatumque regium nolle tantam maculam in ſui nominis gloria ponere; nec non ſincerum amorem, quem ad dictum epiſcopum gerebas, hoc credere nulla ratione potuimus. Et licet cum familiaribus præfati epiſcopi de infirmitate ipſius & de morte ſæpius & diligenter locuti fuerimus, nunquam tamen ſcire potuimus, eum aliter quam morte naturali, quæ nulli parcit, deceſſiſſe. Quapropter, amantiſſime fili, de præmiſſis nobis falſo ſuggeſtis, cum veritatis claritas mendaciorum tenebris in hoc obfuſcari nequeat, in antea non curet ſinceritas regia nobis chara. *Datum Sallon. Arelatenſis diœceſis x. kal. iulij anno iv.* Detergere ita facile alterius criminis ſibi impoſiti labem non potuit Nauarrus, ipſum ſcilicet veneno Regem Francorum tollere pertentaſſe: conſcij enim flagitij necati ſupplicio fuerunt, atque in Nauarrum a Franco redintegratum bellum, expugnatis nonnullis vrbibus, quas in Gallijs iure fiduciario obtinebat.

Nauarrę̃ Greg. ea ſuſpicione liberat.

Rex Nauarræ veneficij poſtulatus a Gallo Rege.

25 Claudimus hunc annum felici S. Birgittæ obitu, quem eius vitæ auctor apud Surium a ita deſcribit: *Vbi Romam rediijt, morbus increuit: & tandem illius vi extincta eſt. Cumque immineret dies obitus eius, quinque diebus ante rurſus apparuit ei dominus Ieſus ante altare, quod erat in conclaui eius, iucunda facie, & corporeis eius oculis viſibilem ſe præbens, eique dicens: Ego ſic tibi feci quemadmodum ſponſus ſolet, ſubducens ſe ad tempus a ſponſa, vt ardentius deſideretur: non viſitaui te diuinis conſolationibus, quandoquidem tempus erat, quod probareris. At nunc probata ſatis procede, & præpara te: tempus eſt enim, vt (ſicut pollicitus tibi ſum) coram altari meo monaſtico habitu induaris, & deinceps non modo ſponſa mea, ſed etiam monacha & mater in Vvaſtbena voceris. Attamen ſcias te corpus hic Romæ poſituram, donec venias ad locum ipſi præparatum. Placet Deo parcere tibi a laboribus: accepit ille voluntatem tuam pro opere. Deinde ſubiunxit: Quinto abhinc die mane, ſumptis ſacramentis, conuoca ſingulatim quas tibi indicaui, & facienda illis demanda; atque ita venias ad monaſterium tuum, id eſt in gaudium meum. Porro corpus tuum in Vvaſtbena reponetur. Ex his licet animaduerti B. Birgittam, dum eſſet in corpore, monaſtico habitu indutam non fuiſſe, neque illius ordinis veſtibus, quem ipſa inſtituit: ſed emigrantem a corpore a Chriſto ſponſo ſuo accepiſſe eiuſmodi habitum incorruptibilem, ſicut ei in reuelationibus ſuis promiſerat. Itaque pingitur plerumque vt monacha: nam tametſi non fuit monacha, dum vixit; attamen petijt veſte eiuſmodi indui, qua nunc vtuntur moniales ordinis eius: ſed eam accepit in cælis.*

a Sur. to. 4. die 23. iulij c. 16.

Felix S. Birgittæ obitus.

Vt Chriſtus illi eũ prædixerit.

26 *Die quinto ſub ortum ſolis Chriſtus iterum ei apparens, conſolabatur eam. Miſſa celebrata, perceptiſque ſacramentis, inter manus earum, quas paulo ante diximus, ſpiritum reddidit pijſſimo Saluatori, quem tota pectore amauit. O ineffabilem increatæ ſapientiæ benignitatem, eos qui ipſam concupiſcunt, præoccupantem, vt illis prior hilariter ſe oſtendat! O ſponſæ ſingularem gloriam, quam ſponſus in fide & miſericordia ſibi deſponſans verbis blandiſſimis conſolatur! O felicem nimium, quæ poſt multiplices toleratos labores & miſerias tam ſedet in*

Sacramẽtis rite munitur.

pui-

pulchritudine pocis & requie opulenta! Felix obitus eius non obscuris argumentis declaratus est: quidam enim bona & venerabilis vita vidit quendam parari lectũ, & a personis albis vestibus indutis ferri in sublime; dictumque est illi admiranti: Persona illa, quam in hoc lecto vides, sponsa Dei est, qua in mundo contempta a multis nunc transit de morte in vitam sempiternam: eadem autem hora illa obijt. Porro corpus eius summa cum laude ad monasterium S. Laurentij deportatum, & illic honorifice sepultum est. Obijt anno salutis millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, x. kal. augusti. Anno autem proximo post multorum miraculorum coruscationem, & ossium eius subitam & vltra modum mirabilem purgationem & exiccationem, ab vrbe Romana, multis in itinere editis miraculis ad monasterium Vvastheua xi. iuly die cum ingenti populorum frequentia & gaudio per sanctam filiam eius Catharinam translata est, vbi miris signis & multiuarijs miraculis eam ornat & illustrat dominus Iesus Christus. Præstatur cæcis visus, surdis reformatur auditus, muti loquuntur paralyticis membra dissoluta confirmentur, & (vt paucis multa expediam) morbi omnes deuote illic Christum inuocantes meritis sponsæ eius ab eo curantur. Reposita a est in sanctorum catalogo Birgitta a Bonifacio IX. vt suo loco dicetur.

Ostensa viro pio parata illi felix immortalitas.

Post mortem coruscat miraculis.

a Ext. diploma in bull. in Bonif. IX.

27 Migrauit etiam ad cælestem immortalitatẽ per id tẽpus B. Andreas Corsinus patria Florentinus episc. Fesulanus, quem parentes pie Deiparæ virgini sacrarant, excultusque monasticis institutis apud Carmelitanos sanctitate & miraculis effloruit: cuius gesta descripsit Petrus Andreas e Castaneis, ex quo sanctissimi præsulis extremum vitę actum repetemus b: *Cum in episcopatu*, inquit, *vixisset annis duodecim, & appropinquaret tẽpus suæ mortis, postquam septuagenarius esset, & multa miracula fecisset, cum in nocte natiuitatis Domini, antequam primam missam cantaret, oraret in ecclesia S. Mariæ Pumeraua, apparuit ei gloriosa Virgo, dicens: Ecce fili mi, appropinquat tempus, in quo de hoc ergastulo ærumnosa debes egredi. Itaque in nocte apparitionis, quando magi filio meo & mihi obtulerunt aurum, thus, & myrrham, & tu dedisti animam tuam, corpus, cor, & omnia bona amore ipsius & mei, ideo ipsa nocte pro anima tua veniam, & ipsam cum angelis in regno cælorum locabo. Andreas autem ex ista reuelatione summe gauisus est, & cum maxima iucunditate tres missas cantauit: & erat tanta iucunditatis, quod facies eius rosea videbatur atque cherubica, cum antea esset ex austeritate pœnitentiæ pallidus atque nullius viui coloris. In crastinum igitur febre grauatus canonicum Guidonem, quem fidelissimum suum habuit, accersiuit & ei intimauit, qualiter migraturus erat in nocte epiphaniæ, & quod Deo pro ipso preces porrigeret. Qui Guido hoc audiens fortiter flere incœpit, atque clamare: Væ nobis! Vere cecidit corona capitis nostri: peccata nostra talem virum non merentur. Interim visitatur a ciuibus et a clericis, quos omnes ad pacem & ad vnionem confortabat, dicendo: Filij, ne detis locum diabolo.*

B. Andreæ Corsini mors.

b Petr. And. e Castaneis M S. bibl. Vat. apud Bolland. to. 2. die 30. ian.

De illius hora a B. Virgine fit certior

28 *In nocte igitur apparitionis Domini recumbens super asperrimum lectum suum fecit portare psalterium; & cum adiutorio clericorum incœpit valde attente symbolum Athanasij, Qui vult saluus esse, &c. & Credo Apostolorum, & Credo patrum. Et dictis istis symbolis, camera facta fuit ita luminosa, sicut si esset sol in meridie; ita quod astãtes non parum fuerunt admirati. Post autem spatium vnius horæ cum erant omnes canonici & clerici ante ipsum, S. Andreas in aurora incœpit dicere: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace; quo finito, anima ipsius a mortali corpore diuisa est, & libere ad gloriam euolauit die supra dicta, sexta videlicet ianuarij, anno salutiferæ incarnationis* MCCCLXXIII. Collucius vero in eius epitaphio hunc annum consignat.

Pie fidei symbolũ profitetur

Luca obijt sexta iani labentibus annis
Septuaginta tribus Domini cum mille trecentis.

Ætatis suæ LXXII. *ab ingressu quidem ordinis* LXV. *episcopatus vero anno* XII. *Corpus autem eius super stramina remansit, sed redolens ita, quod ex illo odore multi ex diuersis infirmitatibus liberati sunt. Veniebant multi infirmi, qui ipsum tangendo sanabantur. Hæc quidem attestatur Collucius .... tunc temporis cancellarius Florentinus in epitaphio, quod sculptum est in sepulchro, &c.* Plura sancti viri implorata ope patrata miracula recenset auctor, quæ nobis indicasse suffecerit. Inclaruit postea eius sanctitas Eugenio IV. Romano Pontifice, cum Picininus ecclesiæ hostis diuinitus profligatus fuisset: quare iussu Eugenij illius corpus omnis corruptionis expers repertum venerationi piorum expositum fuit: dein agente populo Florentino instituta est religiosa actio de vitæ & miraculis eiusdem B. Andreæ, quæ a Clemente VIII. instaurata fuit, extractaque demum ad Vrbanum VIII. qui solemni ritu, quem ex publicis documentis consecratæ illius memoriæ describit Ioannes Bollandus a, sanctorum honores illi decreuit.

Eius corpus sacrũ odorem spirat.

Claret miraculis.

Post diuturnum examen SS. catalogo apponitur.

a Bolland. to. 2. die 30. ianuar. in vita S. Andr. Corsini

IESV CHRISTI
Annus 1374.

GREGORII PP.XI. annus 4.	CAROLI IMP. OCCID. 29. IO. PALAEOL. IMP. OR. 34.

1 AVcta in Europa Turcarum tyrannide, extremique exitij terrorem Græcis inferente, anno huius seculi septuagesimo quarto indictione duodecima Gregorius Papa fulciendi orientalis imperij, ac veteris abolendi schismatis pio adductus studio, cum Græci, quamuis reuerso ad ecclesiæ Romanæ obsequia Palæologo Imperatore, in veteribus sordibus hærerent, internuntios apostolicos pro redintegranda pristina ecclesiarum coniunctione mittere meditatus, de omnibus, quæ a Gasperto episcopo Cenetensi olim Clementis VI. nomine cum Constantinopolitanis fuerant agitata doceri cupidus XIV. kal. aprilis gestæ legationis commentarios ad se illum transmittere iussit b, ac significare, qua de causa perducta res ad exitum non fuisset, quidue ad Græcos in ecclesiæ catholicæ gremium reuocandos præstare operæ foret. Sed Gasperto interea vita functo, Raimundo designato Patauino episcopo dedit imperia c, vt Gasperti de legatione Constantinopolitana memoratos commentarios ad sedem Apostolicam afferendos curaret. Tum lectissimos religiosos viros in orientem legauit, & clerum populumque Constantinopolitanum ad inueteratum schisma remouendum hisce literis excitauit d.

Gregorius exquirit causas, cur nondum Græci ad Romanã ecclesiã redierunt.

b To. 4. ep. sur. pag. 22.

c Ib. pag. 26.

Eius ad Constantinopolitanos legatio.

d Lib. 4 ep. cur. pag. 40.

Vniuersis prælatis, rectoribus, & personis Constantinopolitanis gratiam in præsenti, per quam obtineant gloriam in futuro.

Circa salutem charissimi in Christo filij nostri Ioannis Imperatoris Græcorum illustris, ac vestram & populorum dicto Imperatori subiectorum spiritualem & temporalem (auctore Domi-

nis prouenturam; & ad obsistendum impietati sæuissimorum Turcorum hostium sacri nominis Christiani meditatione paterna sæpius cogitantes, super quibusdam, quæ huiusmodi salutem prospiciunt, eidem Imperatori & vobis exponendis viuæ vocis oraculo dilectos filios Thomam de Buzolasco & Bartholomæum Cherracij fratrum Prædicatorum & Minorum ordinis professores in sacra theologia magistros, nec non Bertrandum Fronc & Hessonem Slegrholts Neapolis & de Friburg præceptoriatuum præceptores hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani Apostolicæ sedis nuntios harum latores, de nostra intentione plene informatos, ad eiusdem Imperatoris & vestram præsentiam destinamus; quibus super his, quæ vobis ex parte nostra narrauerint, velitis fidem plenariam adhibere. *Dat. Nouis Auinionensis diœcesis VIII. kal. augusti anno IV.*

Qui ea iussit.

2 Iussus est cum his nuntiis operam coniungere Simon archiepiscopus Thebanus ad redintegrandum ecclesiarum sanctissimum fœdus; iidemque Ioannæ Reginæ Siciliæ a, Andreæ Contareno Venetorum & Dominico e Campofregoso Genuensium ducibus b, Rhodiorum equitum magistro c, Galatæis d, Francisco Catalusio Mitylenes regulo e, Ioanni Canthacuzino eximperatori ordinis S. Basilij monacho f; tum Demetrio Chidonij & Philippo Constantinopolitanis proceribus g, ac demum Ioanni h Palæologo Imperatori i enixe commendati fuere. Cui quidem Palæologo ob oculos posuit, non alio salubri remedio Turcicam potentiam propulsari posse, quam si Græcos in arctissimum cum occidentalibus Christianis fœdus redigeret, ad quod sanciendum missos internuntios ita ei significat: *Ad obsistendum*, inquit, *impietati sæuissimorum Turcorum hostium sacri nominis Christiani meditatione paterna sæpius cogitantes, super vnione ipsorum populorum cum sancta ecclesia Romana matre & magistro cunctorum Christi fidelium, si forte eiusdem vnionis dies aduenerit, dante Domino, facienda; & super præstando tuo culmini & eisdem populis potenti auxilio contra dictos Turcos per eandem ecclesiam & Latinos, & quibusdam aliis, quæ huiusmodi salutem prospiciunt, tibi plenius exponendis,* & infra, *destinamus, &c. Dat. Auin. VIII. kal. augusti anno IV.*

a To. 4. ep. secr. pag. 47.
b Ib. ead. pag.
c Pag. 49.
d Pag. 48.
e Pag. 49.
f Pag. 48.
g Pag. 47. 48.
h Ibid. pag.
i Pag. 47.

Propositũ Græcos ecclesiæ catholicæ coniunctos a Turcica seruitute liberari posse.

3 Instructi sunt plurima auctoritate a Gregorio apostolici internuntij l, vt Constantinopolitanos & alios Græcos ad gremium ecclesiæ Romanæ redituros censuris solutos catholicorum numero aggregarent; atque orthodoxæ fidei formulam, ex qua a Græcis schisma damnandum esset, descripsit: *Attendentes*, inquit, *quod tam in ipsa ciuitate*, scilicet Constantinopolitana, *quam in aliis partibus vltramarinis, per quas transire habebitis, nonnullæ sunt personæ vtriusque sexus ecclesiasticæ & regulares ac seculares, quæ ab vnitate sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ sunt præcisæ; ac sperantes in Spiritu, qui vbi vult spirat, quod per ipsius gratiam, & vestram industriam ac sanctam prædicationem nonnullæ ex personis eisdem ad dictam venerint vnitatem ac obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam dictæ ecclesiæ, extra quam non est salus; vobis & vtrique vestrum in solidum per vos, vel alium seu alios auctoritate nostra personas easdem, cuiuscumque sexus, status, ordinis, dignitatis, vel conditionis existant, etiam si pontificali, imperiali, regali, vel alia qualibet dignitate seu præeminentia fulgeant, ad dictam vnitatem recipiendi, & corpori ipsius ecclesiæ vniendi secundum subscriptam formam, in talibus per dictam ecclesiam consuetam seruari, quæ talis est, Ego talis, &c. profiteor & credo sanctam Trinitatem, &c.* concepta est iisdem verbis ac sententiis atque illa, quam ab Vrbano a Palæologo Imperatori atque alias pluribus Imperatoribus, Regibus, ac populis, vt Armenis, Persis, Tartaris, Rascijs, Russis, propositam vidimus; *& insuper cum eisdem personis ecclesiasticis, quæ dum erant in huiusmodi schismate etiam scienter quoscumque ordines etiam sacerdotalem ab episcopis schismaticis seu hæreticis, etiam etsi in contemptum fidei adhærendo receperunt, auctoritate nostra per manus impositionem absoluendi, & reconciliandi etiam ad cautelam, si dubitaretur, an alias fuerint absoluti & reconciliati; ac dispensandi super ipsis ordinibus seu eorum executione, ipsosque ad eosdem ordines habilitandi & habiles reddendi, etiam si ante dispensationem, post conuersionem tamen eorum, in ipsis ordinibus ministrarunt; & insuper quibuslibet antistitibus gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentibus personis eisdem huiusmodi ordines etiam omnes, si de ipsorum collatione dubitetur, vna & eadem die ad hoc per dictam ecclesiam consueta, & etiam dominica de nouo (alias tamen iuxta formam eiusdem ecclesiæ) conferendi, & ipsis personis huiusmodi ordines recipiendi licentiam tribuendi; & tam vobis etiam in solidum, quam ipsis antistitibus huiusmodi personis post susceptionem dictorum ordinum ad quæcumque dignitates, personatus, officia, & beneficia cum cura vel sine cura obtenta per eos a catholicis vel schismaticis collata eisdem, si dignitates ipsæ maiores post pontificales in cathedralibus & principales in collegiatis ecclesiis existant, retinere licite valeant,* & infra, *concedimus facultatem, &c. Dat. Nouis Auinionensis diœcesis non. augusti anno IV.*

l An. 4. epist. secr. pag. 45.

Mandata legatis data.

Formula fidei proposita.

a Ann. Chr. 1369. n. 2. &c.

Soluendarum censurarum collata auctoritas.

4 Dum legationem hanc decernebat Gregorius, Palæologus Turcicæ potentiæ terrore consternatus fœdus cum Amurate sanxit indignum, adeo, vt filius barbarum tanquam stipendiarius in bellicis aduersus Christianos expeditionibus sequeretur, vt refert Chalcondylas b his verbis: *Reuersus Byzantium*, nimirum Palæologus, *misit legationem ad Regem Amuratem: præterea filium suum in ianuis Regis stipendia facere iussit. Amurates imperauit Ioanni, vt se quam maxima fide coleret, nec suam militiam quocumque bellum vertere detrectaret.* Misso autem Palæologus Philippo oratore, se apud Pontificem de gestis cum infidelibus excusauit; cui Gregorius haud dubie prænuntiauit c sub Turcarum tyrannide, quorum armis cinctus erat, ipsum succumbiturũ, nec secus discrimen propulsaturum, quam si Græcos cum Latinis sociaret, atque ea de causa internuntios mitti, cum quibus suo consuleret imperio.

b Laonic. Chalcond. de reb. Turc. l. 1.

Palæologus cum Turcis fœdus excusat.

c To. 4. ep. secr. pag. 08.

Charissimo in Christo filio Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illustri.

Dilectum filium nobilem virum Philippum Cieandilis militem Constantinopolitanum nuntium tuum latorem præsentium destinatum benigne recepimus, atque audiuimus in omnibus quæ pro tua parte nobis voluit enarrare. Super quibus, cum solas excusationes de motiuis tuæ mentis in duobus tuis actibus, de quibus humanum iudicium nequit esse, contineant, nos aliter respondere non expedit, nisi quod tibi in vtroque facto compatimur & etiam condolemus. Credimus, quod cum impij Turchi fide careant, semper tecum & cum aliis Christianis infideliter

agent;

agent: & cùm circa tuum imperium suum dilatauerint potentatum, tua serenitas quasi in pugno conclusa eis tandem resistere non valebit. Ideoque tuam tuique populi salutem & præseruationem a dictorum Turcorum tyrannide aliter non videntes, nisi per sinceram & firmam vnionem Latinorum & Græcorum (auctore Domino) faciendam, pro ipsa vnione tractanda nuper certos nostros nuntios ad imperialis sublimitatis præsentiam duximus transmittendos, quos digneris benigne tractare ac fideliter expedire. *Dat. Auin. 11. id. decembris anno IV.* Prædixerat hoc paucis ante annis Christus dominus B. Birgittæ, dum Ierosolymis versabatur; quod coram Cyprio Rege eiusque proceribus ab eadem sancta fœmina subiectis verbis promulgatum est [a] Famagustæ VI. die octobris: *Sciant Græci, quod eorum imperium & regna siue dominia nunquam stabunt secura, neque in pace tranquilla; sed inimicis suis semper subiecti erunt, a quibus semper sustinebunt grauissima damna, & miserias diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate & charitate ecclesiæ & fidei Romanæ se deuote subiecerint, eiusdem ecclesiæ sacris constitutionibus & ritibus se totaliter conformando.* Repetit hoc oraculum Sanderus [b] in suo de visibili ecclesiæ monarchia commentario, additque: *Quam reuelationem vere diuinam extitisse, ex eo scimus, quod ita res tunc futuras prædixit, vt eas euenisse nunc videmus: nam D. Birgitta multis annis prius mortua est, quam tota Græcorum respublica, expugnata per Turcos Constantinopoli penitus deleretur. Futura vero prædici non possunt præterquam a Dei spiritu, qui solus futura nouit velut is qui & auctor est eorum, & cui iam nunc præsentia existunt.*

Pontificis ad eum monita.

S Birgitta vaticiniũ de Græcorum ob schisma euersione.

a Reuelat. S. Birgit. l. 7. c. 19.

b Sander. de visib. monarch. l. 7. n. 1046

Quod ad ea spectat, de quibus Palæologo condoluit Pontifex; circa hæc tempora referunt Phranzes [c] & Calchondylas [d] occupato contra Vngaros Amurate, Sauzem siue Mosem Zelebim Amuratis maiorem natu filium, qui in Europa regiam sedem Didymotichi fixerat, cum Andronico Palæologi filio ad retinendum Europæ imperiũ coniurasse: immo ea lege inter se conuenisse ferunt, vt parentes in ordinem redigerent. At Amurates ex Asia in Europam, patefacta coniuratione, traduxit exercitum, ac milites, cum ad filij castra proxime accessisset, partim veniæ spe, partim pollicitationibus in suas partes pellexit, filiumque insecutus Didymotichum vrbem regiam ad deditionem compulit, Græcos coniurationis participes ex vrbis turribus in fluuium præcipites egit, filiumque coniecit in vincula: defectionis reos a patribus iugulari iussis [e], detrectantes scelus in amnem vinctos proijci imperauit. Deinde Palæologum adorsus, illius filium in crimen vocauit, eademque pœna Andronicum iubet afficere, quam ipse Sauzi inflixerat. Ita infelix Palæologus, Sanze ab Amurate occœcato, filio oculorum vim, infuso ardenti aceto, extinguere coactus [f]. Sed cum id inuite ageretur, accidit vt Andronicus oculorum vsum omnino non amiserit, ac dein lapsus custodia ad Baiazethem Amuratis in tyrannide successorem se contulerit, ac patrem Palæologum imperio deturbarit. In quo quanto suo damno Palæologus pontificijs monitis morem non gesserit, tristis rerum euentus edocuit.

c Phranz. l. 1. c. 17.

d Calcon. lib. de reb. Turc. sub fin.

Filium rebellem Amurates opprimit.

e Phrantz. & Calcondyl. vbi supra.

Cogit Palæologum ad filium occæcandum.

f Calcondyl. lib. 1.

Vt Palæologus vim pontificij moniti senserit.

5 Turcicæ tyrannidis odio affectus egregie erga fidem catholicam visus est Emanuel despota Ioannis Cantacuzeni filius; ac Pontificem de pio quo tenebatur traducendæ Græciæ ad ecclesiæ Romanæ obsequium, desiderio fecit certiorem. Cui Dei vicarius pluribus verborum officijs paternos sinus expandit, vtque cum apostolicis internuntijs optatissimam coniunctionem promoueret est adhortatus [a].

Emanuel Peloponnesi despota.

Nobili viro Emanueli Cantacuzeno despoto Romaniæ gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

a To. 4. ep. secr. pag. 70.

Sicut sancta catholica & apostolica ecclesia mater omnium fidelium & magistra, extra cujus gremium non est salus, de suorum filiorum quos regenerauit per sacri baptismatis sacramentum, separatione a sua obedientia, quæ ab vniuersis Christianis debetur eidem, dolet ab intimis, & deuiantibus cum filio prodigo sincera compatitur charitate; sic in ipsorum salubri reditu & filiali obedientia iucundatur, & cum cernit ad id materiam quomodolibet fore diuina miseratione dispositam, illos (ne pereant) ad gremium salutis inuitat, maternæ pietatis vberibus confouendos. Eapropter a dilecto filio nobili viro Cassimo . . domicello Constantinopolitano, ferrum asserente deuotum, lætanter audito, quod tua nobilitas desiderio magno desiderat vniuersos Græcos a dicta obedientia deuiantes ad eam efficaciter reduci, & perseueranter persistere in eadem, & quod tu & genitor tuus, vtpote potentes opere & sermone in hac parte potestis post imperialem celsitudinem præ ceteris efficacius operari: nos de huiusmodi tua dispositione, quam non ambigimus tibi diuinitus esse datam, lætificari quamplurimum, eidem nobilitati præsentibus referamus, nos nuper nuncios nostros super tractanda vnitate Latinorum & Græcorum Constantinopolim destinasse.

Ad redeũdum in sinum ecclesiæ paratum se offert.

Quare te hortamur in Domino & rogamus attentius, quatenus per te & eundem genitorem tuum & alios (prout poteris) opereris, quod hoc tuum desiderium impleatur; scituras, quod huiusmodi tractatus, fauente Deo, ex eo commodius poterit fieri & citius consummari, quo nos in fine æstatis proxime secuturæ intendimus, Deo præuio, ad sacram Vrbem cum Romana curia nos transferre. Ceterum cum dicaris prope ciuitatem Patracensem aliosque catholicos tuam habere potentiam, Patracensem & alias catholicas ecclesias eorumque prælatus & populos tuæ nobilitati, ex quo audiuimus te habere supradictum propositum, cum multa fiducia commendamus; sperantes, quod præfatis fauendo catholicis id, quod latet in tuo corde, per effectum efficacis operis demonstrabis. *Dat. Auin. id. decembris anno IV.*

6 Contundere Amuratis tyrannidem poterat Ludouicus Vngariæ & Poloniæ Rex; sed is, quem antea crucesignatam expeditionem in Turcas suscepisse vidimus, adeo in suscepto consilio intepuit, vt cum Pontifex classem in Hellesponto ad Turcas transitu ex Asia in Europam arcendos comparare cõmunibus fœderatorum principum sumptibus statueret, Ludouicus Rex ad id fœdus accedere detrectarit [b]. Ex quo haud leuis coniectura capitur, tacitas cum eodem Pontifice simultates suscepisse, cum sacerdotiorum decumas ad conficiendum Turcicum bellum deposcens a Gregorio, qui illas ad gerendum cum Bernabone bellum deriuare decreuerat, repulsam tulerit: dataque superiori anno Strigoniensi & Colocensi archiepiscopis atque episcopo Quinqueecclesiensi fuissent imperia [c], vt si Ludouicus Rex decumas Vngaricorum sacerdotio-

Parat Pontifex classem ad arcendos traiectu Hellespõ. Turcas.

b Eod to. 4. ep. secr. pag. 65.

c To. 3. ep. secr. pag. 43.

tiorum ad sedem Apostolicā transferri vetuisset, diplomata pontificia, quibus signa Vngarica in Turcas secuturis criminum condonatio & alia amplissima beneficia conferebantur, non diuulgarēt. Perculsus vero stupore Gregorius, Ludouicum Regem ad Turcicam tyrannidem reprimendam murato subito consilio cepescere, ipsi præ oculis posuit a, infidelium potentia breui rem Christianam euersum iri, si Christiani vires ad eam sustentandam non conflarent.

a To. 4. ep. secr. pag. 55.

Ludouico Regi Vngariæ illustri,

Rediens ad præsentiam nostram dilectus filius nobilis vir Ioannes Lascari miles Constantinopolitanus, qui dudum cum nostris literis ad præsentiam tuæ serenitatis accessit, nobis retulit, quod serenitatem eandem ad contribuendum in vnione inter Romanam ecclesiam tuamque celsitudinem & nonnullos alios principes ac magnates facienda contra Turcos hostes sacri nominis Christiani, & ad contribuendum in certo numero galearum tenendarum continue contra Turcos eosdem, dispositam non inuenit. De quo miramur non modicum, cum regnum tuum Vngariæ vicinum sit nunc Turcis eisdem, & negotium huiusmodi te & ipsum regnum non modicum tangere dignoscatur. Quare regalem deuotionem ac magnificentiam precamur attentius, & in Domino exhortamur, quatenus prouide considerans, quod alij, qui volunt esse & contribuere in vnione prædicta, te in hac parte deficiente, etiam deficient (quod absit) & sic, non facta resistentia Turcis eisdem, ipsi contra fideles poterunt (prout verendum est) nimium præualere in perditionem innumerabilium animarum & catholicæ fidei maximum detrimentum, digneris ob reuerentiam Dei & dictæ fidei, ac tutelam præfati & aliorum fidelium regnorum & partium huiusmodi tuum propositum in melius commutare, ac ligari in vnione prædicta, & in illa contribuere condecenter, super hoc nobis tuam piam & gratiosam responsionem per regias literas referando, vt ea habita ad dandum debitum ordinem in hac parte procedere valeamus, prout hæc & alia venerabili fratri nostro Stephano episcopo Zagrabiensi, & dilecto filio nobili viro Petro Zuderbano Sclauoniæ ambaxatoribus tuis, latoribus præsentium, verbo duximus exprimenda, vt ea tuæ referant maiestati. *Dat. Auin. x1111. kal. octobris anno 1v.*

Negat Vngarus partem sumptuum cōtribuere.

Rogatus, vt Vngariæ proximè asturæ prospiciat.

7 In tanta orientis consternatione Franciscus Catalustius Genuensis Mitylenes regulus vires suas in Turcas strenue exercebat: cui Pontifex Smyrnam Christianæ fidei in Asia propugnaculum commendauit b; quæ vrbs in magnum adducta erat discrimen c, cum præsidiariorum militum numerus admodum esset imminutus, ijque suis stipendijs defraudarentur: Turcæ autem cognito infelici rerum Christianarum statu, præsidiarios magna auri vi ostentata ad proditionem allicere non desinerent. Quibus acceptis Gregorius Rhodiorum equitum ordinem, vt illam aduersus barbaros defendendam susciperet, est adhortatus d: *De vestra, inquit, fidelitate ac solicitudine, & prudentia ac potentia confidentes, vobis prædictam hinc ad quinque annos proxime secuturos custodiam, regimen, & gubernationem ciuitatis prædictæ & pertinentiarum ipsius cum mero & mixto imperio & omnimoda iurisdictione vestris expensis, & cum subsidio trium millium florenorum auri vobis soluendorum de pecunijs decimæ prouentuum ecclesiasticorum regni Cypri, per nos in ipso regno dudum impositæ, nostro et Romanæ ecclesiæ nomine per illos, quos ex vobis, vel alijs ad hæc duxeritis deputandos fideliter ac iuste exercenda committimus per præsentes, &c. Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis x1. kal. octobris anno 1v.* De Smyrnæ custodia tradita Roberto Iullacensi Rhodiorum equitum magistro, qui functo vita Raimundo Berengario ad equestris illius ordinis præfecturam communibus votis, dum in occidente versabatur, vocatus fuerat, meminit Bosius a; illumque mox, salutato Auenione Pontifice, Rhodum contendisse, vt exorientes inter equites ob absentiam suam simultates compesceret: cui extremo anno data fuere imperia b, vt studia omnia cum internuntijs apostolicis ad euersas Genuensi bello Cyprias res instaurandas, pacemque componendam coniungeret.

Smyrna in periculum adducta.

b Ibid. 10. 4. ep. secr. pag. 61.

c Ib. pag. 37.

d Ib. 4. ep. cur. pag. 51.

Rhodijs equitibus tradita a Pont.

a Bos. p. 2. l. 3. hist. Hier.

b To. 4. ep. secr. pag. 74.

Rhodius princeps Cypri paci dare operam iussus.

Misit tum etiam in occidentem ad Dominicum e Campofregoso Genuensium ducem Petrus Cypri Rex oratorem Theobaldum Belfaragum pro tractanda cum eo concordia, quem Pontifex duci alijsque Genuensibus enixe commendauit c: angebatur enim grauioribus curis, ne ex perniciali bello res Christiana in Cypro penitus concideret; ac pluribus literis inculcauit d, ne Petrum Regem omnis culpæ expertem suis iuribus exuerent. De pace demum Cyprios inter ac Genuenses felicissime reuocata sequenti anno dicetur.

Petr. Rex Genuenses de pace postulat.

c Pag. 75.

d Pag. 51. & 74.

8 Interea proferendæ apud orientales, superstitionum erroribus inuolutos, religionis Christianæ pio incitatus studio Gregorius Papa, viros religiosos, ac potissimum ex Dominicana familia, ad apostolicum illud munus obeundum delegit: cum ex ea olim prodijssent viri virtutibus conspicui, qui vt in literis ad Eliam supremum eius ordinis magistrum datis loquitur e, *per gratiam Dei assistentem eisdem in partibus Armeniæ maioris multitudinem infidelium conuerterunt ad dictam fidem, in qua vsque ad hæc tempora permanserunt, prout permanent de præsenti: in quibus etiam partibus ijdem fratres plantauerunt ordinem fratrū Vnitorum dicto tuo ordini subiectorum.* Non defuere tamen, qui egregijs huiusmodi exemplis ad penetrandas remotas eas pro disseminanda fide regiones excitatos nonnullos Prædicatores a sacro eo consilio auocarent. Quod vbi accepit Gregorius in Elia, de quo paulo ante memoraui, præcepit vt in solemnibus ordinis comitijs apostolico pro imperio, & anathematis intentata religione præciperet ne qui exercendo euangelij prædicandi infidelibus muneri idoneos traijcere in orientem cupientes, ab itinere deterrerent: immo libros sumptusque necessarios ad adeundam aulam pontificiam suppeditarent. Cumque plures, quos diuinus Spiritus pio euangelij Armeniæ inserendi ardore accenderat, iter ornarent, Pontifex religiosos Armenios, qui Prædicatoribus coniuncti erant, literis solicitauit f, vt venientes debitis officijs prosequerentur. Exemplum literarum hoc est.

Prædicatores in Armenia maiori fidem amplificant.

e An. 4. ep. cur. pag. 3.

Intentatū anathema reuocantibus a suscepto cōsilio prædicāteuā gelicos.

f Ib. pag. 20.

Gregorius, &c. dilectis filijs fratribus ordinis Prædicatorum in terras Saracenorum, paganorum Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Giorgianorum, Armenorum, Indorum, Mochitorum, aliarumque non credentium nationum orientis & Aquilonis, seu quarumcumque aliarum partium constitutis, & ad eas proficiscentibus salutem, &c.

Habet ex parte vestra expositio nobis facta, quod de multis personis partium prædictarum, quæ

quæ vt presbyteri diuina celebrarunt officia, & pro talibus reputantur, frequenter dubitari cōtingit, an iuxta formam ecclesiæ * baptizandi fuerint vel non, & an ordines receperint, in quibus (vt præmittitur) ministrarunt; quodque si in ordinandis ipsis de nouo interstitia temporum seruarentur, magnum scandalum inter populares, qui ab eisdem audierunt diuina, & sunt etiam eisdem confessi, possent verisimiliter generari: quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt super his prouidere salubriter de opportuno remedio dignaremur.

*baptizati

Nos itaque cupientes, vt huiusmodi vestrum sanctum negotium felicius (auctore Domino) prosperetur & optatum de bono in melius suscipiat incrementum; intendentes quoque animarum prædictarum & aliorum fidelium partium earundem saluti vtiliter prouidere, vobis & singulis vestrum tam in sacerdotij quam in diaconatus ordinibus constitutis, vt omnes & singulos partium prædictarum, de quibus dubitatur, si fuerint baptizati vel non, baptizare iuxta prouisionem iuris in huiusmodi casu adhibitam valeatis, his verbis præmissis, videlicet: *Si baptizatus es, non te rebaptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti. Amen*; auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus. Insuper eisdem fidelibus de partibus antedictis taliter ordinatis, qui diuina (vt præmittitur) celebrarunt, quod a vestri ordinis vel alijs episcopis gratiam & communionem dictæ sedis habentibus, & in partibus commorantibus antedictis, omnes tam minores quam sacros ordines statutis temporibus, aliquo tamen interuallo in huiusmodi sacris ordinibus recipiendis & conferendis propter eorum reuerentiam obseruato, si sine scandalo fieri posit; alioquin omnes vna die & eadem simul præfatos ordines sacros & minores pro huiusmodi scandalo euitando recipere, ipsisque episcopis dictos minores & sacros ordines personis eisdem secundum præfatam distinctionem cum interuallo, vel vna & eadem die simul valeant conferre, dicendo videlicet: *Si ordinatus es rite, non te reordino; sed si nondum ordinatus es, te ordino ad sacros ordines antedictos*; seruata alias forma & materia ac solemnitate debita in præmissis, quibuscumque constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, de gratia concedimus speciali. *Dat. Auinione II. non. martij anno IV.*

Formula conferendi conditionaliter baptismi.

Et ordinis.

Instructi sunt amplissima auctoritate [a] ij religiosi viri, qui ad gentes euangelij luce collustrandas, atque hæreticos vel schismaticos a suis erroribus reuocandos missi sunt: atq; inter cætera, vt cum interdum non rite ab hæreticis baptismus aut sacri ordines conferrentur, ea sacramenta certis legibus impertirentur. Porro si quis ex ijs, qui ad inserendum gentibus euangelium erant profecturi, abiecta perseuerantię palma in occidentem gressum reflecterent, pronuntiauit Pontifex [b], ipsos omnibus priuilegijs spoliandos exauctorandosque. Superioribus vero prærogatiuis exornatus est Franciscus e Podio Minorita [c] rerum gestarum in propaganda fide inter orientis & Aquilonis barbaros gloria insignis, qui vna cum duodecim sodalibus eiusdem ordinis ad transmarinas oras pro euangelio disseminando legatus est.

a Eod. an. 4. ep. cur. pag. 11.
Collata euangelicis præconibus potestas.
b Pag. 12. & 16. pag. 58.
Minoritæ ad gentes missi.

9 Ad augendam etiam in Vvalachia catholicam religionem Christi vicarius episcopalem in ea sedem instituendam ratus, cum pauci sacerdotes Vngari sacramenta Vvalachis conferrent, ijque lingua & moribus ab his dissonarent, vnde promoueri diuina gloria in erudiendis ijs populis ad fidem catholicam recenter traductis non poterat, ac spes amplior amplificandæ diuinæ rei affulgeret, si episcopus virtutibus & eruditione insignis, quique linguam Vvalacham calleret, eam nationem regeret; Strigoniensi & Colocensi archiepiscopis prouinciam dedit [a], vt consulto Ludouico Rege Vngariæ inquirerent, qua in vrbe episcopalis sedes collocanda, quibus circumscribenda limitibus diœcesis, cui metropolitano subijciendus episcopus videretur: ac si Antonius Minorita, qui in Vvalachis Christianis sacris initiandis plurimam nauarat operam, gerendo episcopali muneri par esset. Qua de re Ludouicum Regem Vngarię, qui Vvalachos ad fidem sua auctoritate & pio ardore pellexerat, certiorem fecit Pontifex [b], vtque in cœptum tam sanctum opus incumberet, est adhortatus.

De episcopali sede in Vvalachia erigenda agitatū.
a Pag. 55.
b To. 4. ep. secr. pag. 61.

10 Pari a Gregorio pro retinendo in occidente pristino religionis splendore, ne ab hæreticis inficeretur desudatum est studio, quo ad eam propagandam incubuit: atque archiepiscopos & episcopos, Reges ac principes ad elidendas nouas contra pietatem factiones excitauit. Inquinabat nouis erroribus Poloniam, Boemiam, Silesiam, & circumiacentes prouincias Milleczius, ac plures a veritate catholica abduxerat: qua de re factus certior Pontifex, Gnesnensem archiepiscopum perstrinxit [c], ipsum suo gregi venenata pabula a pestifero homine subministrari pati, stimulauitque vt illum ac sequaces coerceret: *Errores hæreticales*, de Milleczio hæresiarcha loquitur, *simplicibus in tua ciuitate & diœcesi Gnesnensi prædicare præsumpsit. Nos de ijs, si vera sint, merito condolentes ab intimis, cum non sint aliquatenus toleranda, & de negligentia tua fraternitatis & aliorum antistitum, in quorum ciuitatibus & diœcesibus idem Milleczius & sui complices conuersantur, ac inquisitorum hæreticæ prauitatis in illis partibus deputatorum, quod contra tales aduersus dictam fidem temere insurgentes & præmissa detestabilia præsumentes, si ita sit, non processistis, prout tenemini, & nobis de præmissis nihil notificare curastis, plurimum admirantes; eidem fraternitati per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus auctoritate nostra de præmissis te plenarie informes: & si inueneris ita esse, aduersus præfatos Milleczium & sequaces ac fautores eorum, si sint in tuis ciuitate vel diœcesi prælibatis, procedas secundum canonicas sanctiones, ac errores contentos in dicta cedula publice in prædicationibus reprobes, ac per clericos seculares & religiosos peritos in lege Domini facias reprobari, &c. Dat. Auin. id. ianuarij anno IV.* Datæ [d] sunt etiam impetia Cracouiensi, Vratislauiensi, Luthomuslensi, Olomucensique episcopis, atque etiam Pragensi archiepiscopo, vt hæresiarcham ac sectarios reprimerent antequam malum confirmatis in dies viribus augeretur: tum Carolum Imperatorem hortatus est [e] Gregorius, vt iustam seueritatem in scelestissimum prædonem animarum Milleczium eiusque impietate imbutos distringeret.

Milleczi hæresiarcha.
c Eod. to. 4. ep. secr. pag. 1.
Poloniam inficit.
d Ibid.
e Pag. 13.

Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, & Boemiæ Regi.

11 Plurium fidedignorum relatibus nuper ad nostrum peruenit auditum, quod quidam Milleczius presbyter, olim canonicus Pragensis, sub specie sanctitatis, spiritu elationis & temeritatis assumpto, & prædicationis officio (quod sibi non

com-

comperit) vsurpato, multos errores non solum temerarios & iniquos, sed etiam hæreticos & schismaticos, vtique nimium scandalosos & periculosos fidelibus, præsertim simplicibus dicere publice prædicare in tuo regno Boemiæ & alijs terris tuis præsumpsit hactenus & præsumit: nonnullas personas vtriusque sexus ad eius sectam, quam damnabiliter inchoauit, ac in errores detestabiles & reprobandos actus in derogationem catholicæ fidei & contemptum sacrorum canonum inducendo, prout in quibusdam articulis scriptis in schedula inclusa præsentibus continetur. Nos igitur de ijs, si vera sint, merito condolentes ab intimis, cum non sint aliquatenus toleranda, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Pragensi, ac Vvratislauiensi, Luthomislensi, & Olomucensi episcopis, in quorum ciuitatibus & diœcesibus ipse Milleczius & sui sequaces plurimi esse dicuntur, præcipiendo mandamus, quod de præmissis contentis in dicta cedula contra eosdem Milleczium & sequaces diligenter inquirant: & si ea repererint esse vera, super ipsis secundum canonicas sanctiones, & prout ad eorum spectat officia, auctoritate nostra iustitiæ debitum exequantur.

Et Boemiam.

Quare deuotam serenitatem tuam catholicæ fidei ac iustitiæ zelatricem requirimus & rogamus attentius, quatenus præfatis archiepiscopo & episcopis contra iam dictos Milleczium ac sequaces & fautores eorum liberaliter ac prompte præbeas tuum brachium seculare, cum ipsi archiepiscopus & episcopi seu eorum aliquis ad hoc te duxerint requirendum, vt regnum & terra tua prædicta a talibus maculis celeriter & totaliter expurgentur, ac (prout hactenus fuerunt) consistant in dicta fidei claritate. *Dat. Auin. IV. id. februarij anno IV.* Hunc hæresiarcham inter Lutheri antecessores collocat impius nouator a, memoratque iactasse illum a se & sequacibus tantummodo viam salutis doceri: iam venisse antichristum, & extinctam ecclesiam, Pontifice, Cardinalibus, episcopis, cæterisque præsulibus ecclesiasticis nullius veritatis lucem ostendentibus. Disseminati etiam ab eodem Milleczio alij errores de laxandis libidinibus habenis, quos nouatores ad velandam testium suorum turpitudinem illi affictos a catholicis suspicantur: ij vero licet plures errorum suorum antesignanos testesque fuisse contendant, nullos tamen demonstrant, qui in omnibus cũ ipsorum doctrina cõsenserint.

Cæsar ad eum reprimendum excitatus.

a Illiric. in suo catal.

12 Inficere etiam tum Germaniam moliebantur nonnulli impij, qui commentarios nequissimos inscriptos, *Leges seu Speculum Saxonum* b, edidere, cum Gregorius, ne pontificali deesset muneri, ad offusas simplicibus populis hæreseon tenebras veritatis luce discutiendas Cardinales aliosque peritissimos viros coegit, notauitque singulos errores iusta censura. Tum Germaniæ, Liuoniæ, Boemiæ, Galliæ pluribus archiepiscopis & episcopis ad fidem propugnandam stimulos addidit: ac denique Carolum Imperatorem, vt pro animarum salute promouenda c ac moribus expoliendis operam explicaret, est adhortatus.

Speculũ Saxonum contaminatum erroribus.

b Ext. apud Golstad. to. 3. collect. const. imperial.

c To. 4. ep. secr. pag. 61.

Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto.

Fili charissime, iam longum est tempus præteritum, quod de erroribus & execrabilitate quorumdam scriptorum detestabilium, quæ leges seu speculum Saxonum appellantur, quibusque nonnulli de partibus tuorum imperij ac regni & terrarum vti, seu potius abuti dicebantur, per fidedignas & intelligentes personas fuimus informati: & petitum fuit a nobis, ad quos spectat in talibus prouidere, vt super eis ad salutem animarum prouisionem adhibere congruam dignaremur. Nosque scripta ipsa mature vidimus, & per nonnullos tam fratres nostros S. R. E. Cardinales, quam alios in sacra theologia solemnes magistros, ac vtriusque iuris doctores examinari fecimus diligenter, & illa ex eis quæ falsa, temeraria, iniqua, iniusta, & in quibusdam hæretica & schismatica & contra bonos mores existentia periculosaque nimium animabus fore reperimus, auctoritate apostolica reprobauimus, damnauimus, ac decreuimus irrita & inania, ac carere omni robore firmitatis, prout in nostris literis inde confectis (quarum tenorem mittimus præsentibus interclusum, quasque venerabilibus fratribus nostris Maguntino, Coloniensi, Rhemensi, Magdeburgensi, Pragensi, & Rigensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis dirigimus) videre poteris plenius contineri. Quare deuotam excellentiam tuam, quæ sancta, iusta, & honesta veneratur & colit, & contraria detestatur, requirimus & rogamus attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum, & vt pareatur contentis in eis, digneris pro reuerentia Dei ac Apostolicæ sedis & nostra, dictaque animarum salute, & reformatione morum imperialis & regalis potestatis fauorem efficaciter impertiri. *Dat. Auin. id. octobris anno IV.*

Damnati a Pontifice.

13 Nonnulli per id tempus in Gallijs artes magicas exercere, ac dæmonum opem implorare sunt ausi: in quos cum fidei censor animaduertere pararet, reuocatum est in dubium, an illius causæ cognitio ad ipsum spectaret. Cui sedem Apostolicam consulenti, Gregorius imperauit a, vt canonicarum legum seueritatem in perditissimos eos homines distringeret. Deturbatos plures de potestate mentis fuisse magicis artibus hoc anno, ac bacchantum veterum more funestas choreas agitasse, donec sacris exorcismis dæmones ex miserorum corporibus depulsi sunt, refert ex Petro auctore magnũ chronicon Belgicum his verbis: b *Eodem anno*, nimirum MCCCLXXIV. *mira secta tam virorum quam mulierum venit Aquisgranum de partibus Alemanniæ, & ascendit vsque ad Hannoniam seu Franciam, cuius talis erat conditio. Vtriusque sexus homines illudebantur a dæmonio, vt tam in domibus quam in plateis & ecclesia se inuicem manu tenentes choreas ducerent, & in altum saltarent, nomina quædam dæmoniorum nominantes, videlicet Frisekes & similia; nec vllam cognitionem in huiusmodi choreis, nec verecundiam propter astantes populos habentes. In fine vero chorisationis ita circa pectoralia torquebantur, vt nisi mappulis lineis a suis amicis circa medium ventris fortiter stringerentur, quasi furiose clamarent se mori. Tandem Leodij per coniurationes sumptas de illis, quæ ante baptismum in catechismo fiunt, a dæmonio liberabantur: & sanati dicebant, visos se tempore saltationis immersos in fluuio sanguinis, & propterea sic in altum saltasse.* Hactenus chronici Belgici auctor.

Dæmonũ cultores supplicio affici iussi.

a An. 4. sp. cur. pag. 92.

b Chron. Belgic. hoc an. & Io. a Leyd. l. 31. c. 26.

Bacchantes a dæmonibus agitati.

14 Hoc anno compertum c est Perusij Fraticellos sub Franciscani habitus larua immanem texisse fastum, atque in eam opinionem & dementiam venisse, vt ecclesiasticam hierarchiam inter suos tantum contineri putarent: inter quorum tenebrionum duos cum exarsisset contentio, *vnus alteri objiciebat*, inquit Vvadingus, *nimiam præsumptionem, quod se tanquam Papam venerari &*

c Vvadingus hoc ann. n. 22.

pro

Fraticelli pseudopapam habuere.

pro vero Papa coli vellet: illi vero huic insolentiam & sacrilegam temeritatem, quod sibi canonice electo nollet obtemperare. Ex his confirmantur a nobis sæpius dicta, Fraticellos ex Petri Ioannis Oliui delirijs somniasse, pontificatum ad ipsos vti euangelij ob carentiam omnis dominij obseruantissimos deuolutum: atque ob id crimen a Clemente VI. canonicæ seueritati subijci iussos a: præterea duos pseudominoritas, cum Ioannem XXII. ac successores diuinitus exauctoratos contenderent, flammis iussu Innocentij VI. Auenione exustos vidimus b; quæ confirmantur etiam atque illustrantur ex ijs, quæ B. Virgo a S. Birgitta viro pio Minoritæ, vt Fraticellos refelleret, exponi iussit his verbis c: *Dic illi ex parte mea, quod respondebit illis, qui Papam dicunt non esse verum Papam, nec illud esse verum corpus Iesu Christi filij mei, quod sacerdotes in altari conficiunt, quod ipse respondeat illis hæreticis sic: Vos vertitis occiput ad Deum, & ideo vos non videtis eum. Vertatis ergo ad eum faciem, & tunc poteritis eum videre: nam vera & catholica fides est, quod Papa qui est sine hæresi, quantumcumque alijs peccatis sit commaculatus, nunquam tamen est ita malus ex illis peccatis & ex alijs suis malis operibus, quin semper sit in eo plena auctoritas & perfecta potestas ligandi & soluendi animas: quam auctoritatem ipse per B. Petrum habuit, & assumpsit a Deo.* Hanc Fraterculorum Pontifici, Cardinalibus, & episcopis propter luxum vel delitias abrogatam auctoritatem somniantium Vvicleffus hausit, cœpitque propagare latius: quam a concilio Constantiensi damnatam visuri sumus. Vt vero hos & alios mendiculos impostores, qui pietatis tantum inanem speciem colerent, exagitari iubebat Pontifex; ita alios, qui veras virtutes vna cum paupertate sectarentur, a quorumuis iniurijs vindicatos texit: & Coloniensi, Treuirensi, Moguntino archiepiscopis, ac præsulibus reliquiæ Germaniæ, Flandriæ, ac Brabantiæ fit, in quorum diœcesibus huiusmodi homines, qui a fide orthodoxa non discrepabant, versabantur mandauit d, vt diligenter perquirerent, an recte vel praue de fide sentirent: ac si ad veram pietatem incumbere comperissent, ipsos diuino cultui permitterent vacare, suisque studijs prosequerentur.

Reliquos ab hypocritis discerni iubet Pont.

Quod ad memoratos archiepiscopos attinet; certabant tum post Ioannis Moguntini obitum e de Moguntino archiepiscopatu: Adolphus episcopus Spirensis & Ludouicus episcopus Bambergensis, quem Gregorius, exauctorato Adolpho, confirmauit f ad Caroli Cæsaris gratiam, cum is illum ad stabiliendum in Boemica stirpe imperium sibi deuinxisset. Vt vero Ludouico, quem Serarius in serie Moguntinorum archiepiscoporum prætermisit, diuina vltione in media chorea percusso g Adolphus postea successerit, dicetur inferius. Addimus nunc Carolum amplificasse regnum Boemiæ, adiecto illi marchionatu Brandeburgensi: de quo felici successu, restitutaque impacatæ prouinciæ pace, Gregorius est illi gratulatus h. Miserat i autem ineunte anno Thomam internuntium, vt eam controuersiam inter Carolum & Rupertum ducem Bauariæ componeret, quam fœdere diremptam refert Dubrauius. l

De Moguntino archiepiscopatu certatum.

Brandeburgensis marchia adiecta Boemiæ.

15 Reponebat mutuam Pontifici gratiam Imperator, ac Bernabonem tyrannum Mediolanensem ecclesiæ bellum inferentem non modo acerbis edictis perculit, verum etiam permisit Gregorio m, vt clientes imperij Insubres, qui Bernabonis & Galeatij iugum excuterent, ad ecclesiæ obsequia & clientelam admitteret: quod a Pontifice pluribus III. id. octobris huius anni significatum est ad eos libertatis spe ad defectionem concitandos. His vero in furorem actus Bernabos, calumnias spargere in Christi vicarium non perhorruit, ipsumque aculeatis literis lacessere: quas Gregorius constanter subiectis sententijs refregit a.

Permittit Carolus imperiales Insubriæ vrbes in Pontificiam fidē recipi.

Vicecomitum res depressæ.

a Ann. 1344. n. 8.
b An. Chr. 1354. n. vlt.
c Reuel. S. Birgit. l. 7. c. 6.
d An. 4. ep. cur. pag. 79.
e Tom. 4. ep. secr. pag. 129.
f Ibid. ep. secr. pag. 244.
g Serar. l. 5 Mogunt. rer. in Adolph.
h Greg. l. 4 ep. secr. pag. 129
i ib pag. 18.
l Dub hist. Boem. l. 22
m To. 4. ep. cur. pag. 65.

Bernaboni de Vicecomitibus spiritum consilij sanioris.

Recepimus & audiuimus literam tuam datam a Mediolano die XIII. mensis ianuarij proxime præteriti, indignam tamen apostolica visione: ad cuius contenta, vtique horrenda & omnino falsa, nec humano proferenda ore commenta, cum sciamus illa omnia ab homine tanquam tabido & insano spiritu blasphemiæ vehementer exagitato nequiter fuisse concepta, decreuimus nullum penitus dare responsum, cum tibi maligno hosti aliud dici non conueniat, nisi quod Michaelem archangelum dixisse diabolo sanctus Iudas Apostolus refert, videlicet: *Imperet tibi Dominus*; qui cum sit & potentiæ infinitæ, sanctorum placatus instantia, fastum euanescere faciet tuæ tyrannicæ potestatis. Credimus nempe te, aduersarium veritatis, ea intentione tantam adinuenisse blasphemiam, vt immanitate tuæ detestandæ versutiæ, qua Christi & ecclesiæ fideles pugiles dudum veneno extinguere tentauisti, conficta relatione enormissimi criminis verbis vtcumque tegeres infamibus & dolosis. Porro mirum non est, si tu in vitijs mersus, qui sapientes mouere nō potes, serpentinæ vocis afflatu pestifero simplicium mentes conaris inficere, cum male viuens aliud quam malum non valeas scribere vel proferre. *Dat. Auin. IV. non. februarij anno IV.*

Graui responso fracta Bernabonis calumnia.

Retusa est non minus armis, quam verbis Bernabonis & Galeatij insolentia: Vercellensis enim vrbs a primum, dein arx illius munitissima b Ioannis episcopi Aretini Apostolicæ sedis internuntij opera in ecclesiæ potestatem redacta est: quam cum Vicecomites obsidione cinxissent, Otho dux Brunsuicensis c pontificij exercitus præfectus ac Ioannes Acutus d ad eam soluendam submissi, cum quibus Amedeus Sabaudiæ e comes Nicolaus marchio Aestinus f, Ioannes episcopus Vercellensis & alij g moniti, vt auxiliares copias coniungerēt. Clauenna etiam in Nouocomensi diœcesi, repulsis Galeatij turmis h, Ossolenses i in Nouariensi, Vglenamenses l, Placentini m, & Papienses n, ad pōtificias partes transfugerunt. Postea vero cum Vicecomites, fractis rebus suis, ad inducias ineundas duces Austriæ deprecatores adhibuissent o, Pontifex clientum suorum, qui bello fessi erant exhaustiq; fortunis, misericordia permotus, ad concordiæ consilia flexit animum p, omnesq; fœderatos, de quibus superius facta mentio est, de ea agitanda consuluit q. Ne vero facile hostis solitis artibus inducias capta meliorum rerum occasione violaret, fixam animo suo de fluxa illius fide adstringēda sententiam his verbis patefecit Leopoldo duci r, Galeatium fratremque Bernabonem inter atque ecclesiam interpreti futuro: *Magnificentiam tuam scire volumus, quod pacem cum omnibus fidelibus habere desideramus & volumus: sed quia idem Bernabos prædictam Romanam ecclesiam ac nonnullos prædecessores nostros sub pace ficta, quam cum eis se facere fingebat, sæpius decepit, pacem ipsam*

Vercellæ expugnatæ.

Expetitæ induciæ.

a An. 4. ep. cur. pag. 8.
a To. 4 ep. secr. pag. 17 & an. 4 ep. cur. 2.
b To. 4 ep. secr. pag. 99.
c Pag. 41.
d Pag. 122
e Pag. 224
f Pag. 123
g Pag. 122. 123. 124. 126 127. & 130.
h Pag. 19.
i ib. pag. 62
l Pag. 20.
m An 4. ep cur pag. 4.
n Ibid.
o To. 4. ep. secr. pag. 162.
p An 4 ep cur pag. 89. & 111 & to. 4 ep. secr. pag. 173.
q Ibid to. 4 ep secr. pag 129 219 & an 4 ep. cur. pag. 60.
r To. 4 ep. secr. pag. 160.

nan

non obseruans sed violans, nostræ intentionis existit, quod si inter nos & ipsum pax siue treuga fiat, talibus firmitatibus validetur, quod pax ipsa siue treuga inuiolabiliter perseueret. Dat. Auin. id. decembris anno IV. Pactas Bononiæ a Guillelmo legato Cardinale, cui ea auctoritas erat concessa a, fuisse inducias, ac Pontificem a Vicecomitibus solita perfidia fidem violaturis delusum, adductamque inde in ingens discrimen vniuersam ditionem ecclesiasticam, visuri sumus.

a To. 4. ep. secr. pag. 128.

16 Interea intendebat b Reginæ Siciliæ apud sedem Apostolicam iudicium Ludouicus Vngariæ Rex, deposcebatque a Gregorio, vt principatu Salernitano, Honore montis S. Angeli, ac Prouinciæ, Pedemontij, & Folcarquerij comitatibus iniuste spoliatus, ac iure hereditario ad ipsum deuoluta eas terras pronũtiaret: quæ enim Bonifacius VIII. de Siculi regni successione ad Roberti gratiam sanxisset, in alijs prouincijs non fiduciarijs Romanæ ecclesiæ non valere. De Siculo vero regno a Ioanna petebat, vt cum liberis careret, regio edicto testaretur, sceptri Siculi heredem legitimum ipsum Ludouicum futurum: quamuis enim a Ioanna vexanda abesset animo, non æque tamen ferendum, si illa regnum ad exteros deriuaret. Significarunt etiam Pontifici oratores Vngarici c, conuentum cum Gallo Rege, vt Ludouicus Andegauensis alteri filiarum Ludouici Regis Vngariæ nuberet. Ex quibus cum meruerer Gregorius, ne bellorum nouorum materies suborirerur, Reginam est adhortatus, vt oratores pro componendis hisce controuersijs ad sedem Apostolicam mitteret. Grauissima lis erat: neque Ioannæ deerant argumenta, quibus causam suam tueretur: nam Carolus primus sanxerat Prouinciam, Pedemontium, ac Folkalcherium a Siculo regno non diuellenda, neque eos principatus repetierat Ludouicus Vngariæ Rex, dum Siciliæ regnum, quod armis tenebat, pacto cum Ioanna fœdere restituit; sed tantummodo principatum Salernitanum & Honorem montis S. Angeli vt hereditarios exegerat: qua de re datas ab ipso & fratre Stephano ad Clementem literas d Gregorius biennio post promulgauit, quas hic coniungemus, ne eadem repetere cogamur.

b Ead. to. 4. ep. secr. pag. 56.

Vngariæ Rex Prouinciam, Folcalquerium & principatum, Salernitanum sibi iure debitos reposcit.

c Ibid.

Contraria Ioannæ argumenta.

d Ext. apud Greg. an. 6 ep. cur. pag. 12.

Ad futuram rei memoriam.

Ludouici Regis lit. de pace antea inita.

Dudum charissimus in Christo filius noster Ludouicus Rex Vngariæ illustris, & quondam Stephanus dux Transiluaniæ eiusdem Regis frater certos procuratores suos per suas patentes literas eorum sigillis sigillatas fecerunt, constituerunt, crearunt, & etiam ordinarunt, quarum quidem literarum tenor sequitur in hæc verba: *Nouerint vniuersi & singuli præsens procuratorium inspecturi, quod nos Ludouicus, Dei gratia Vngariæ Rex, ac nos Stephanus, eadem gratia dux Transiluanus frater eiusdem illustrissimi Regis votis & beneplacitis sanctissimi in Christo patris domini Clementis diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summi Pontificis nos conformare volentes, & eiusdem in hac parte condescendere voluntati, venerabilem patrem dominum Ioannem, diuina miseratione episcopum Vesprimiensem aulæ reginalis cancellarium, & nobilem virum de Volphord comitem Castriferrei præsentes, & præsens mandatum sponte suscipientes, & quoslibet eorum in solidum (ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod vnus eorum inceperit, alter prosequi ac mediare valeat & finire) facimus, constituimus, creamus, & ordinamus simul & vterque nostrum per se nostros veros, certos, & legitimos procuratores, actores, factores, & nuntios speciales omnibus vijs & modis, quibus melius fieri de iure potest; ipsis & eorum cuilibet in solidum per has nostras patentes literas mandantes, & specialem, plenam, & liberam ac absolutam potestatem dantes & concedentes nostro & vtriusque nostrum nomine solemniter promittendi, & nos & vtrumque nostrum obligandi ad dandum & assignandum, ac dari & assignari faciendum realiter, plene, & libere ac efficaciter in manibus domini nostri Papæ vel alterius cuiuscumque aut quorumcumque, quem seu quos ipse dominus noster Papa ad hoc duxerit deputandum seu deputandos, nobis non suspectum vel non suspectos, infra certum terminum ad hoc per ipsum dominum Papam, aut dictos procuratores nostros vel eorum alterum, statuendum (titulis dumtaxat paternis, scilicet principatu Salernitano & Honore montis S. Angeli exceptis) omnes & singulas ciuitates, castra, terras, villas, fortalitia, casalia, & qualibet alia loca, tenimenta & territoria, ac omnia alia & singula, quæque habemus & tenemus per nos seu alterum nostrum, alium vel alios nostro nomine in regno Siciliæ & terris citra pharum vsque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ; & in corporalem possessionem omnium & singulorum quo supra nomine præmissorum dictum dominum Papam vel alium seu alios, quem seu quos ipse dominus Papa ad hoc deputauerit, nobis (vt præmittitur) non suspectos, pure, plene, & libere ac efficaciter & realiter inducendum seu induci faciendum: nosque ipse & vterque nostrum hæc omnia & singula præsentis scripturæ testimonio adimplere & adimpleturos, & facturos ac curaturos realiter & adimpleri solemniter promittimus, & ad ea adimplenda nos ipsum & vtrumque nostrum obligamus.*

Vt regnũ Siciliæ restituerit, exceptis Salernitano principatu & honore montis S. Angeli.

17 *Cæterum damus dictis nostris procuratoribus, & cuilibet eorum in solidum plenam & liberam potestatem & speciale mandatum nostro & vtriusque nostrum nomine promittendi, sicut & nos promittimus, quod omnes & singuli, qui in regno Siciliæ nostro nomine residentiam faciunt, & pro nobis dictum regnum Siciliæ aut terras alias supradictas seu earundem aliquam intrauerunt, abinde recedere & exire, omni excusatione & quæsito colore cessante, & absque notabili damno & læsione regnicolarum & aliorum in dictis terris habitantium, faciemus: & quod ita omnes & singuli prædicti facient, et vterq. nostrum bona fide procurabimus & promittemus in verbo regali cum effectu. Dictis autem recedentibus de regno & terris prædictis dabuntur in locis, per quæ transire habebunt, victualia necessaria pro pretio competenti. Sane omnes & singulos, qui (vt præmittitur) exibunt de dicto regno Siciliæ, & qui sub nostro nomine intrauerunt, dictus dominus Papa efficaciter operabitur & faciet vna cum rebus suis quibuslibet ad locum tutum & securum conduci. Illis autem, qui remanere voluerint, cuiuscumque status & conditionis existant, de dicto regno Siciliæ oriundis, vel qui fuerunt familiares claræ memoriæ Regis Andreæ fratris nostri, vndecumque fuerint oriundi, dictus dominus Papa remittat & remittere necessario teneatur omnes iniurias & offensas illatos Romanæ ecclesiæ vberiorem ad cautelam: quodque dictus dominus Papa bona fide curabit & efficaciter procurabit, quod damna, detrimenta (quæ per eos reperientur illata) ac iniuria & offensa personaliter seu reales quibuscumque personis, cuiuscumque conditionis vel status et præeminentiæ existant, illata fuerunt, per illos, quorum intererit, omni excusatione & quæsito colo-*

re

Ve arcib⁹ consignandis Pontifici.

re cessante, remittantur. Et nihilominus volumus, quod prædicti procuratores nostri, seu quilibet eorum in solidum modo, quo præmittitur, facere possint & faciant statim præmissorum omnium traditionem & realem assignationem dicto domino Papæ, vel alij seu alijs, quem vel quos modo quo supra ipse dominus Papa super hoc duxerit deputandos.

Præterea nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum damus & concedimus plenum, generale, ac speciale mandatum transferendi & ponendi totaliter in manibus dicti domini Papæ totam causam quam habemus, seu habere possemus occasione mortis dicti Regis Andreæ fratris nostri legitimi contra quoscumque, qui culpabiles fuerint de morte eiusdem Regis Andreæ, cuiuscumque præminentiæ, dignitatis, conditionis, sexus, aut status existant, sperantes per sanctam sedem & dominum nostrum Papam iustitiam fieri de eisdem; quod totum eiusdem domini Papæ conscientiæ & sanctæ sedis diffinitioni duximus relinquendum: cæterum prædictis nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum dantes & concedentes speciale mandatum & liberam potestatem vtriusque nostrum nomine, prout eis & eorum cuilibet videbitur faciendum, de remissione regalium, quas ex causa in nostra fortia detentas habemus, tractandi, paciscendi, & ordinandi quidquid modo quo supra pro nobis eisdem videbitur expedire, & fuerit opportunum: super quo ipsis nostris procuratoribus & eorum cuilibet in solidum modo quo supra plenam, absolutam, & liberam ac omnimodam concedimus potestatem.

18 Postremo, quia bonarum mentium est timere culpam, vbi forsitan culpa non est, idea nostra intentionis existit, quod dictus dominus Papa, ex superabundanti saltem & ad cautelam, remittat omnes iniurias & offensas, vt præmittitur, si quæ ipsi domino Papæ & ecclesiæ Romanæ tempore præterito per quascunque personas nobis adhærentes cuiuscumque dignitatis, conditionis, status, præminentiæ, sexus, ordinis, & gradus extiterint, factæ fuissent occasione receptionis, apprehensionis, seu obtentionis dicti regni Siciliæ per nos vel alios nostro nomine quomodolibet factarum: committereque teneatur per suas literas alicui seu aliquibus, quod quibuscumque petentibus ex causis prædictis vel aliquod eorundem beneficium absolutionis in forma iuris gratiose impendant, & alias sententias quaslibet, suspensionis videlicet & interdicti apostolica auctoritate relaxent cum talibus, vt in susceptis & suscipiendis ordinibus ac dignitatibus & beneficijs, seu officijs quibuscumque, quæ taliter sunt adepti, seu eos in posterum contigerit adipisci, ministrare & retinere valeant, super irregularitate, quam propterea contraxissent, & quolibet vsufructu alio dispensando: super quibus omnibus & singulis petendis, tradendis, faciendis, promittendis, assignandis, quittandis, & renuntiandis & exercendis generaliter ac specialiter in omnibus & singulis supradictis eisdem procuratoribus nostris ac cuilibet eorum in solidum plenam & liberam potestatem & auctoritatem, ac plenum, liberum, generale, & speciale mandatum cum plena, libera, & generali administratione nos & vterque nostrum damus & concedimus per præsentes; & generaliter omnia et singula tractandi, dicendi, promittendi, faciendique ad robur et perpetuam firmitatem omnium et singulorum prædictorum vel eius connexorum aut dependentium dici, fieri, et excogitari possent quæ et erunt pro expeditione et effectuali executione prædictorum necessaria seu etiam opportuna; promittentes tenore

Petita censurarum expiationa.

præsentium nos et vterque nostrum ratum, gratum, et firmum habere et tenere perpetuo quidquid per dictos procuratores nostros vel alterum eorum petitum, obtentum, tractatum, promissum, firmatum, traditum et assignatum, quittatum et alias factum fuerit seu gestum nostro nomine et vtriusq; nostrum in præmissis et quolibet præmissorum: literas nostras patentes amborum nostrum sigillis sigillatas notificationis, approbationis, omnium et singulorum, quæ acta et facta fuerunt per dictos procuratores nostros vel alterum eorum in præmissis vel aliquo præmissorum modo prædicto, promittimus concedere, et dicto domino nostro Papæ aut deputandis ab eo tradere vel transmittere infra terminum, per dictum dominum Papam procuratoribus nostris prædictis vel eorum alteri præfigendum. Datum Budæ XI. die mensis octobris anno Domini MCCCLI. Cæterum vt earundem literarum tenor prædictus sic insertus omnimodam seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque & vbicumque in iudicio vel extra iudicium fuerit exhibitus vel ostensus; & eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus literis staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Dat. Auin. kal. septembris anno VI. Memoratos porro principatus Salerni & Honoris montis S. Angeli Ioanna retinuit, donec conflati schismatis occasione, immisso a Ludouico Rege exercitu, regno & vita priuata est.

Frideric⁹ Rex Trinacriæ initum cum Ioanna fœdus cõfirmat.

19 Hoc anno Fridericus Trinacriæ Rex temperatas a Gregorio, veluti supremo vtriusq; Siciliæ principe, initi fœderis inter ipsum & Ioannam leges, quas antea suo loco attulimus, solemni ritu admisit, coram pontificio internuntio conceptam sacramenti fidei formulam nuncupauit, se & successores Trinacriæ Reges Romanorum Pontificum futuros clientes, imperatasque omnes a Gregorio pactiones sanctissime seruaturos professus: qua de re publica hæc monumenta ad secuturas ætates propaganda edidit a.

a Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to 3. pag 279.

Publica hac de re documenta.

In nomine Domini. Amen. Anno a natiuitate eiusdem MCCCLXXIV. indictione XI. die XVII. mensis Ianuarij pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorij, diuina prouidentia Papæ XI. anno quarto in mei notarij & testium infrascriptorum vocatorum & rogatorum adhoc specialiter præsentium præsentia, reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Ioannes, Dei & Apostolicæ sedis gratia Sarlatensis episcopus, ac in toto regno Siciliæ citra & vltra pharum præfatæ sanctæ sedis Apostolicæ nuntius vigore & auctoritate quarundam literarum apostolicarum, quas in manibus suis tenebat, & quarum copia inferius describetur, requisiuit summum principem dominum Fredericum de Aragonia Trinacriæ Regem illustrissimum ac Athenarum & Neopatriæ dominum ibidem præsentem, si volebat sibi, dicti sanctissimi patris & domini Papæ & S. R. E. vice & nomine accipere parato secundum potestatem sibi datam in prædictis apostolicis literis contentam, facere & præstare ligium homagium, & fidelitatis debitum iuramentum iuxta formam in tractatu pacis facto inter ipsum dominum Regem & serenissimam dominam Ioannam Ierusalem & Siciliæ Reginam, & per quolibet eorundem approbato, contentam. Qui quidem dominus Rex respondit, quod ipse erat dictam requestam implere paratus, & dictas apostolicas lite-

ras ibidem legi fecit. Et postea manus suas tenens infra manus domini nuntij supradicti, dictam formam homagij iuramentum fidelitatis continentem, in dicto tractatu pacis positam, fecit coram se in verbis Latinis, sicut scripta erat, et etiam vulgariter exponi per rener. in Christo patrem dominum dominum fratrem Vbertinum, Dei gratia episcopum Toricetensem. Quibus lectis ac expositis, & per eundem dominum Trinacria Regem intellectis, dominus idem Rex, humiliter & deuote tactis sacrosanctis euangelicis scripturis, eidem domino nuntio apostolico recipienti & acceptanti vice et nomine dicti domini nostri Papa et eius successorum summorum Pontificum canonice intrantium ac sancta Romana ecclesia sponte, simpliciter, atque pure, tenendo et sequendo per omnia modum et formam in dicta clausula tractatus pacis (cuius hic tenor inferius est insertus) contentos, ligium et homagium ac vassallaggium fecit, et fidelitatis dedit prastitque iuramentum; nec non osculum pacis dedit eidem domino apostolico nuntio nominibus, quibus supra. De quibus omnibus ac singulis suprascriptis prafati domini Rex et apostolicus nuntius petierunt et voluerunt per me Franciscum notarium publicum prafatum fieri publicum instrumentum, et publica instrumenta vnum et plura, quoties requisitus era. Tenor autem pradictarum literarum apostolicarum et clausula dicti tractatus pacis, de quibus supra est facta mentio, sequitur per ordinem, et sunt tales.

Vt præscripta a Pontifice conuenta admiserit.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Iauni episcopo Sarlatensi Apostolica sedis nuntio salutem, et apostolicam benedictionem.

Cum te ad regnum Siciliæ tam citra quam vltra pharum pro certis arduis negotijs per nos circumspectioni tuæ commissis præsentialiter destinemus, & inter cætera recipiendi a charissima in Christo filia nostra Ioanna Regina Siciliæ illustri, & a nobili viro Frederico de Aragonia (inter quos ac eorum progenitores pacis æmulus & humani generis inimicus dudum graues discordias suscitauit) nomine nostro ac Romanæ ecclesiæ approbationem & ratificationem certi tractatus pacis, per nos de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium pro bona pace & concordia inter partes ipsas habenda facti ad ipsorum Reginæ & Frederici consensum iuxta tenorem huiusmodi tractatus & conuentionum in ipso (quem quidem tractatum penes te habere dignoscetis) per alias nostras certi tenoris literas dederimus potestatem; nos de huiusmodi circumspectione tua in arduis sæpius comprobata plurimum in Domino confidentes, fraternitati tuæ nostro & Romanæ ecclesiæ nomine a præfato Frederico (postquam tamen huiusmodi probationem & ratificationem dicti tractatus & consensum dictarum partium receperis & habueris) ligium homagium, & vassallagium, & fidelitatis debitæ iuramentum iuxta tenorem capitulorum prædicti iuramenti formam continentium, & in dicto tractatu contentorum, plenam & liberam auctoritate præsentium concessimus potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. *Datum apud Villamnouam Auenionensis diœcesis kal. octobris pontificatus nostri anno 11.*

20 *Ego Fredericus, Dei gratia, Rex Trinacria plenum ligium homagium facio domino meo Gregorio Papa vndecimo et successoribus suis canonice intrantibus pro insula Sicilia vna cum insulis adiacentibus, qua regnum Trinacria nominatur: et iuro super hac sancta Dei euangelia, quod ab hac hora inantea vsque ad vltimum diem vita mea fidelis et obediens ero beato Petro, sanctaque Romana ecclesia, pradictoque domino Gregorio eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri erunt per eos aut nuncias ipsarum siue per literas, ad eorum damnum (me sciente) nemini pandam: et si sciuero fieri vel procurari siue tractari aliquid (quod absit) in eorum damnum, illud pro posse impediam, et si impedire non possim illud eis significari curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in insula Sicilia & in alijs insulis adiacentibus, quam in regno Sicilia pradicto quam alibi existentia adiutor eis ero ad defendendum & retinendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem: ac omnia alia & singula capitula, sub forma fidelitatis comprehensa, inuiolabiliter obseruabo, & vniuersas & singulas promissiones, obligationes, & conuentiones in prasenti priuilegio, literis, siue instrumento contentas, & omnia & singula in eis contenta plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vmquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet & hac sancta Dei euangelia. Acta fuerũt hac Messana in palatio regali anno, indictione, die, mense, & pontificatu, quibus supra, prasentibus reueren. in Christo patribus dominis Martiali Dei gratia episcopo Catanensi, Rostagno abbate monasterij S. Seuerini maioris de Neapoli; ac nobilibus & magnificis viris dominis Francisco de Vintimiglio milite & comite Golisani ac dicti domini Regis maiori camerario, Artali de Alagona comitatus Mistrete domino ac dicti Regis Trinacria magno iustitiario, Matthao de Montecatteno comitatus Augusta domino, Philippo de Vintimilio dicti domini Regis marescallo, &c.*

Sacramentum ab eo præstitũ formula.

Seruarunt Aragonij huius sacramenti fidem, dum lucri illecebra eos irretitos tenuit: at Friderico eiusque filia sine liberis vita functis, eam turpiter violarunt, vt notat Baronius [a]. Quæ res vti contigerit, suo loco dicetur: nunc ad Gallicas res stylum conuertimus.

Violata a successoribus huius sacramenti fides.

a Baron. annal. to. 11. ann. Chr. 1097 n. 114.

21 Cum accepisset Gregorius, non modo pacem inter Francorum & Anglorum Reges non coaluisse, verum in dies vetera reuiuiscere odia, ac Ludouicum Andegauensem & Ioannem Lancastriæ duces in se mutuo signa infesta attollere, Guillelmum patriarcham & Eliam archiepiscopum Burdegalensem internuntios decreuit [b], vt exercitus hostiles dirimerent. Habita sunt plura pacis colloquia: extractæ a Gregorio induciæ [c] ad proximi anni resurrectionis dominicæ diem: additi [d] Regibus, vt pacis consilia amplecterentur, pij stimuli, indictique Brugis solemnes oratorum conuentus [e].

De Anglo & Gallo conciliandis actum.

b To. 4. ep. secr. pag. 36. & an. 4. ep. cur. 75.

c To. 4 ep. secr. pag. 137.

d Ib. pag. 112.

e Pag. 123.

Constituenda etiam erat in Brugensibus cœtibus [f] concordia agitari cœpta superiori anno Pontificem inter & Eduardum Regem de conferendorum nonnullorum sacerdotiorum iure: ad quam componẽdam Bernardus Pampilonensis ac Rodulphus Senogalliensis episcopi, & Ægidius Sãcius Valentinæ ecclesiæ præpositus misit Gregorius: *Pro libertatibus*, inquit, *ecclesia Anglicana ac pralatorum & aliarum personarum ecclesiasticarũ regni Anglia*. Quæ porro illa controuersiarum

De stat eccl. controuersũ inter Põt. & Anglũ.

f Ib. pag 100. 110. & 111. & 10. pag. ep. cur. 12.

Cã-

capita fuerint, quasue concordiæ leges Gregorius a seruati voluerit, ex subiectis literis superiori anno datis patebit.

a Ha.5.ep. sur. pag. 396.

Gregorius &c. venerabilibus fratribus Benedicto Pampilonensi & Ladulpho Senogalliensi episcopis, ac dilecto filio Ægidio Sancij Munionis præposito ecclesia Valentina legum doctori Apostolica sedis nuntijs.

Quæ fuerint controuersiæ capita.

Cum dudum ambaxiatores charissimi in Christo filij nostri Eduardi Regis Angliæ illustris ad nostram accessissent præsentiam, ac super certis articulis, iua patronatus, regalia, & quædam alia iura ecclesiarum regni Angliæ concernentibus, nonnulla nobis exposuissent; nos dicto Regi tamquam præamabili & peculiari filio nostro cupientes, quantum poteramus (salua conscientia) complacere, & sperantes de bona concordia super dictis articulis inter Romanam ecclesiam & eundem Regem (diuino mediante suffragio) reformanda, voluntatem nostram, videlicet XII. kal. ianuarij pontificatus nostri anno tertio in forma, quæ sequitur duximus declarandam: *Primo quod omnes & singula causa, qua occasione beneficiorum ecclesiasticorum, qua in regno Anglia in regalia vacauisse dicuntur, apud sedem Apostolicam, & in curia dicti Regis vel earum altera agitantur de præsenti, vsque ad instans festum B. Ioannis Baptista natiuitatis suspendatur apud eandem sedem (dum tamen fiat in præfata dicti Regis curia illud idem) & quod interim in causis ipsis nullatenus procedatur. Quo quidem lapso termino causa prædicta, nisi super eis fuerit medio tempore concordatum, vel alias terminus prorogatus, illa videlicet, qua apud sedem ventilantur eandem, in eodem statu etiam quoad processus & censuras ecclesiasticas, & citatos vt personaliter comparerent, resumantur & sint, in quo erant die suspensionis supradicta, & in eis possit procedi absque alia citatione, ac si nulla fuisset facta suspensio. Item quod illi, qui auctoritate apostolica in dicto regno beneficia ecclesiastica quacumque possident, alias in possessione fuerint, in possessione sua remaneant, nec in ea occasione præmissa quomodolibet molestentur. Item quod, si medio tempore contingat in dicto regno aliquas cathedrales ecclesias, monasteria, prælaturas, aut alias dignitates vacare, ex quorum vacatione in beneficijs, super quibus litigatur, vel quibusuis alijs per sedem Apostolicam collatis aut conferendis, aut vacatione huiusmodi idē Rex prætendat si præsentationem habere; non faciat circa dicta beneficia occasione vacationum huiusmodi aliquam nouitatem in præiudicium dictorum litigantium aut aliorum, qui collationem beneficiorum ipsorum a sede prædicta habuissent; nec huiusmodi vacatio dictis litigantibus aut alijs prædictis aliquod præiudicium afferre possit. Item quod interim tractetur concordia super præmissis inter Romanam ecclesiam & Regem præfatos per nuntios, illuc per dominum nostrum Papam vel per ipsum Regem ad Romanam curiam transmittendos. Contentatur autem Dominus noster, quod super huiusmodi tractatu hic vel ibi faciendo Rex obiectionem habeat: sed eidem domino nostro suam super hoc Rex ipse infra quatuor menses a data præsentium computandos, significet voluntatem.*

Item quod idem Rex debeat certificare dominum nostrum infra huiusmodi quatuor menses proxime secuturos per suas literas autenticas suo sigillo sigillatas, si sibi placuerint suprascripta; alioquin ex nunc pro tunc suspensio huiusmodi nullius sit roboris vel momenti. Item ordinauit dominus noster, quod in omnibus & singulis causis, regaliam antedictam non concernentibus, qua de dicto regno in dicta Romana curia ventilantur, & qua cum potestate citandi aliquos, vt in eadem curia personaliter compareant, sunt commissa, suspendantur huiusmodi citationes personales vsque ad vnum annum, a data præsentium computandum: & nihilominus interim per procuratores in causis ipsis personaliter procedatur, ac si nulla decreta fuisset citatio personalis. Et de causis similibus infra prædictum annum proponendum in curia ordinauit dominus noster ob Regis contemplationem & releuationem regnicolarum, quod si partes querelam proponentes citationem decerni petierint personalem, causas huiusmodi dominus noster committet Colonia, Leodij, vel in Flandria, seu vicinis locis Anglia citra mare, vbi partes ipsa secure possint personaliter comparere: vel, si partes ipsa potius hoc elegerint, in Romana curia per procuratores litigabitur super causis ipsis. Datum & actum Auin. XII. kal. ianuarij pontificatus eiusdem domini nostri Papa anno III.

De causis ad tribunal pontificiū euocandis.

Extracta a est in aliquot annos hæc controuersia, emersitque b hæresiarcha Vvicleffus, qui Regi summum in ecclesiasticum ordinem causasque ad eum spectantes imperium conferret. Sed idem, non diuini tantum sed humani iuris hostis manifestus, infandos errores ad hereditarias regnorum successiones conuellendas, omnemque politicum ordinem confundendum euomuit c, de quo inferius.

a Greg. vbi sup.
b Polydor. Virg. l. 19.
c Vualsin. in Riccha. II.

22 Opprimebat tum ecclesiarum iura Rex Aragonum, atque auctoritatem, quam archiepiscopus in Terraconam hactenus obtinuerat, ad regiam reuocabat d: ex quo, cum ecclesiarum dignitas exolesceret, Dei vicarius Romæum episcopum Ilerdēsem e, qui gratia apud Regem florebat, solicitauit vt ipsum ab ecclesiæ Terraconensis iuribus vsurpandis abduceret, vtque cœptam inter Petrum Aragonum & Henricum Castellæ Reges pacem Guidonis Cardinalis morte abruptam redintegrare conaretur. Flagitauit porro Henricus Castellæ Rex a Gregorio f, vt tam cum Aragonio, quam cum Carolo Nauarræ & Ferdinando Lusitaniæ Regibus initas pacis leges apostolica auctoritate confirmaret.

Aragon. Terraconam ad ius regiū reuocat.
d To. 4. ep. secr. pag. 113.
e Ib. pag. 84.
Pax Hispanica agitata.
f Pag. 168.

Prætermittendum hic non ducimus, commendatam a Pontifice g Henrico Regi nouam Hieronymitarum religiosam familiam, quæ in Castella nouos sanctioris vitæ radios cœpit diffundere, ac plures tum claris maioribus, tum obscuris natalibus ortos pietatis studio accendit.

Hieronymitarum ordo in Castella institutus.
g Eod. to. 4. ep. secr. pag. 172.

Gregorius, &c. Henrico Regi Castella illustri.

Dilectus filius Petrus de Guadaffinaria prior monasterij S. Bartholomæi de Lippiana ordinis S. Augustini Toletanæ diœcesis, ad nostram accedens præsentiam, suum & quorumdam sociorum suorum tam nobilium quam plebeiorum tui regni, qui propter Deum mundanas diuitias & delitias reliquerunt, deuotum propositum seruiendi Regi regum in regulari statu ordinis approbati nobis exposuit reuerenter, nostrum in hac parte consilium & fauorem benignum humiliter postulando. Nosque ad animarum salutem paternis affectibus aspirantes, consideratis in hac parte mature ijs, quæ consideranda censuimus, dicto Petro consuluimus, quod ipse & ijdem socij profiterentur regulam B. Augustini cum certis specialibus obseruantijs, quæ per quosdam professores eiusdem ordinis laudabiliter obseruantur. Cum idem Petrus post morosam deliberationem

nostris aequieuisset consilijs, dictam regulam in nostris manibus est professus, sibique certum regularem habitum duximus exhibendum, ac de persona ipsius Petri monasterio prædicto, quod de nouo ereximus apostolica auctoritate prouidimus, illique eum præfecimus in priorem, cum spe firma, quod ijdem socij similiter dictam profiteantur regulam, & habitum recipiant prælibatum, &c.] Commendat nascentem religiosam familiam, vt in extruendis monasterijs regio illi fauore non desit. *Dat. Auin. kal. martij anno IV.* Meminit Mariana a de eadem religiosa familia, quæ Hieronymitarum, vt indicaui, sibi indito nomine in Castella admodum effloruit, quæque eodem anno in Aragoniam propagata est, præcipuo auctore Iacobo Ynanyes, quem vna cum socijs episcopo Dertusensi commendauit Gregorius b, vt ad extruenda quatuor monasteria pijs eorum votis faueret.

a Marian. l. 17. c. 18.

b To. 4. ep. secr. pag. 42.

53 Postremo prætereundum non est, Gregorium qui superioribus annis a S. Birgitta c pluribus acceptis a cælo oraculis monitus fuerat, vt Vrbi sedem Apostolicam restitueret, exceptis hoc anno populi Romani amplissimis oratoribus, pollicitum Apostolicam sedem in Vrbem se reuecturum, vt pontificiæ testantur literæ d, quibus adscripta est dies VI. id. martij. Idemque a se susceptum consilium Carolo Romanorum Imperatori sub autumnum aperuit e, ab ineunte quidem pontificatu pio se desiderio restituendæ Vrbi sedis æstuasse, sed grauiores ob causas retardatum.

c Reuel. S. Birgit. l. 4. c. 139. 141. 142. 143.

d To. 4. ep. secr. pag. 19.

Gregorius a sede Apost. Italiæ restituenda certiores facit Christianos principes.

e Ibi. to. 4. ep. secr. pag. 39.

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto.

Licet a nostræ promotionis ad apicem summi apostolatus primordijs in votis semper gesserimus, prout gerimus incessanter, visitare sacram Vrbem; in qua est principaliter sedes nostra, in ipsaque ac vicinis partibus cum nostra curia residere; tamen ex diuersis impedimentis, quæ produxerunt media tempora, ipsa vota implere nequiuimus, nec hucusque ad idem præfigere certum tempus. Nunc autem nolentes, quantum in nostra deliberatione consistit, id vlterius retardare, deliberauimus cum Dei auxilio de mense septembris proxime futuro versus dictam Vrbem arripere iter nostrum, quod ipse Deus, cui ex hoc placere confidimus, dignetur suis præsidijs ad eius laudem & gloriam, & vniuersi sui gregis salutem & pacem reddere prosperum & iucundum. Credentes itaque hoc gratum reddi tuis affectibus, id imperiali celsitudini ad gaudium nunciamus, rogantes eandem, quod vt nos & dicta curia possimus dictum iter tute peragere, ac in eisdem Vrbe & partibus manere quiete, digneris (si opportunũ fuerit) tui fauoris auxilium impartiri. *Dat. Auin. VIII. id. octobris anno IV.* Certiores eadem de re fecit Pontifex duces Austriæ, Ludouicum Vngariæ ac Fredericum Trinacriæ Reges, tum vniuersos Italiæ magnates & insignes populos, ac ditionis ecclesiasticæ præfectos, quorum prolixior extat catalogus f: atque inter cæteros Petro Gambacurtæ ac Pisanis de triremibus oblatis actæ sunt gratiæ g.

f Ibi. pag. post eand. ep. et pag. 61.

g Ib. pag. 183. & 191.

IESV CHRISTI
annus 1375.

GREGORII PP.XI. 5. CAROLI IV. IMP. OCCID. 30. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 35.

1 RVente in Amuratis Turcarum tyranni seruitutem Græcorum imperio, ac domina gentium Constantinopoli facta sub tributo, Romanus Pontifex anno a Virgineo partu millesimo trecentesimo septuagesimo quinto indictione decimatertia apostolicas curas intendit maxime, vt Græcos ad Romanæ ecclesiæ coniunctionem reuocaret, copiasque auxiliares pro infringendis Amuratis conatibus ac liberanda Græcia compararet. A priore igitur consilio de eripiendo ex veteris schismatis erroribus oriente exorsuri, rem paulo altius repetimus: missos ante biennium Constantinopolim apostolicos internuntios, qui clerum Constantinopolitanum ad summi in terris Christi vicarij obsequium pellicerent: tum etiam nonnullos episcopos aliosque viros religiosos in maiorem Armeniam, vt euangelium ijs nationibus inferrent, legatos. Hi vero cum applicuissent Constantinopolim, clerum Græcum superiori anno ad theologicas concertationes prouocarant, in quibus schismaticorum errores illustribus adeo argumentis discussi sunt, vt plures calogeri ad orthodoxam fidem fuerint traducti: quæ felicia auspicia referente apud sedem Apostolicam Taurisiensi episcopo, Gregorius Marraghaensi & Nacchoanensi episcopis, cæterisque euangelij præconibus de nauata egregie Christo opera est gratulatus a.

Legati episcopi in maiorem Armeniã.

Plures schismatici ab his ad fidem conuersi.

a To. 5. ep. secr. pag. 10.

2 Commiserat eloquentiam suam in hisce de Latinorum & Græcorum dogmate concertationibus cum superioribus nuntijs Ioannes Cantacuzenus, qui imperiali fastigio, ad quod multis sceleribus irrepserat, deturbatus a genero Palæologo, attonsusque in monachum magna cum eruditionis laude inter suos florebat: ac veritate victus, professus erat certissime se credere, Romanum Pontificem Petri successorem, supremum a Christo in vniuersas orbis ecclesias imperium accepisse, proq; hoc dogmate fundere sanguinem paratissimum. Quo accepto Gregorius recreatus, ingenti spe orientalem ecclesiã eo admisso dogmate ad Romanæ obsequiũ reuocatum iri, Cantacuzenum adhortatus est b, vt damnaret schisma, & vniuersis Græcis, apud quos ob gestatum imperiale diadema in summa existimatione erat, exemplo præluceret; ac si Romam vellet accedere, amantissime a sede Apostolica exceptum cultumque iri: tum vna cum ipso de orientali ecclesia ad gremium Romanæ adducenda consilia se agitaturum.

Cantacuzenus primatum Rom. ecclesiæ profitetur.

b Ib. pag. 4.

Ioanni dicto Cantacuzeno ordinis S. Basilij professori gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Inter desideria cordis nostri illud noscitur esse præcipuum, vt in commisso nobis apostolatus officio id agamus solertius, & agi per alios nostræ solicitudinis studio procuremus, quod saluatori nostro domino Iesu Christo, cuius licet indigni vices exercemus in terris, æstimamus acceptius, pluribus animabus salubrius, fidei catholicæ defensioni validius, & expedientius tutelæ populi Christiani. Et cum tantorum bonorum assecutionem indagine diligenti perquirimus, ea in vnione Latinorum & Græcorum, quos vna fide coniun-

Gregorij ad eum literæ.

git,

git, sed schisma damnabile separat, confidimus inuenire: propttereaque cum sentimus aliqualem dispositionem vnionis huiusmodi, lætantes in Domino optatam viam tutiores ingredimur, cuius pateotiorem aditum inuenimus, sperantes in illo, qui dixit: *Quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*; quod fructum nostræ charitatiuæ inquisitionis cum eius gratia sortiemur. Sane quia venerabilis frater noster Ioannes episcopus Taurisiensis lator præsentium nobis exposuit, quod in quadam disputatione, quam nuper tu & quidam alij Græci tam prælati quam alij cum quibusdam fratribus ordinis Prædicatorum (quos ad partes Armeniæ maioris ad conseruationem fidelium & conuersionem iofidelium dictarum partium mittebamus) super his in quibus Græci a Latinis discordare noscuntur, in ciuitate Constantinopolitana habuistis, non immemor verbi Saluatoris nostri, qui dixit B. Petro, cuius sumus diuina permissione successor, *Tu es cephas*, sponte confessus es, te credere & tenere sanctam Romanam ecclesiam, quæ mater est omnium fidelium & magistra, super omnes orbis ecclesias obtinere primatum; & quod ad hoc defendendum, si expediret, morti exponeres corpus tuum. Cuius quidem episcopi, vti fide digni, relationi huiusmodi nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimum sumus de dicta cōfessione lætati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo est dignatus insuodere, vt verbum tam bonum tamque salutiferum eructaret.

Egregia Cantacuzeni vox.

3 Cum enim huiusmodi primatus negatio, olim præsumpta per Græcos eosdem, dissidij Latinorum & ipsorum Græcorum fuerit causatiua & conseruatiua schismatis subsecuti; tuque prout fama publica prædicat, sis vir magnæ prudentiæ, morum grauitate conspicuus, dono scientiæ redimitus, ac ex his & imperiali celsitudine, qua claruisti constitutus in seculo, omnibus populis eorundem Græcorum venerandus imitabilisque existas; speramus in Deo, qui tibi tam salubris confessionis tanquam laudandi primordij largitus est gratiam, quod effectu obedientiæ & concordandi cum dictis ecclesia & Latinis in alijs, in quibus hactenus discordasti, donum pretiosius largietur; nec, si voles, solus accedes ad arcam Domini, sed innumerabiles manipulos præsentabis eidem. Ideoque prudentiam tuam instanter requirimus, & rogamus attentius, quatenus cum possis esse promotor præcipuus vnionis præfatæ, pro ea (vt sit vnum ouile & vnus pastor, & inconsutilis tunica Domini non scindatur vlterius, & non pereant animæ in schismate constitutæ, gloriosus status Græcorum præfatorum, qui post schisma iam dictum miserabiliter corruit, Dei & prædictorum ecclesiæ & Latinorum opitulatione resurgat, exaltetur fides catholica, & fidelium perfidia confundatur) velis totis tuis nisibus laborare, ac ob reuerentiam Dei ac Apostolicæ sedis & nostram tam Latinos specialiter religiosos, quam Græcos habitantes in ciuitate præfata & dictæ sedis magisterio intendentes, ne lædantur in personis vel bonis, sicut iam læsi dicuntur, tuis præsidijs confouere. Cæterum si super tractanda vnione præfata ad præsentiam nostram in vrbe Romana, ad quam Deo præuio ire disposuimus in autumno proxime secuturo, accederes; id multum haberemus acceptum, teque iucundis obtutibus videremus, speraremusque tecum in vnione præmissa vtilem ordinem adhibere. *Dat. Auin. v. kal. februarij anno v.*

Inuitatur vt Romā accedat.

4 De calogeris, qui ad orthodoxam fidem eiurato schismate se contulerant, exagitatis a schismaticis grauissimæ sunt Pontificis querelæ ad Ioannem Palæologum Imperatorem a, hæc ab ipso Romanæ ecclesiæ filio permitti: ac ni Græcos catholicos in dignitate pristina tueatur, fore vt pontificius ardor in parandis pro defendenda contra Turcas Constantinopoli auxilijs refrigesceret, tum monuit, vt ad illius custodiam diligentissime incumberet.

a Eod. to. 5 ep. secr. pag. 5.

Gregorius &c. charissimo in Christo filio Ioanni Palæologo Græcorum Imperatori illustri.

Quia sensimus, quod nonnulli Græci tam clerici & religiosi, quam laici ciuitatis Constantinopolitanæ, qui relicto damnato schismate sunt effecti catholici, & magisterio sanctæ Romanæ ecclesiæ volunt intendere, suis bonis & dignitatibus ac statibus priuantur, multæque molestiæ per alios Græcos in dicto schismate remanentes inferuntur eisdem; de ijs merito perturbamur: & per ea datur nobis materia præfatæ ciuitati contra impios Turcas insidiatores & oppressores ipsius & tuos minime succurrendi. Ideoque imperialem sublimitatem tamquam catholicam requirimus & rogamus attentius, quatenus si cupis habere gratiam Dei ac nostram, & prædictæ ecclesiæ auxilium & fauorem, contra eosdem catholicos talia fieri de cætero non permittas. Cæterum quia intelleximus, quod ijdem Turcæ post factam per te treuguam cum ipsis præfatam ciuitatem in non parua multitudine intrare, in illaque nonnulla enormia patrare præsumunt, timemus ne tuam serenitatem decipientes, eandem occupent ciuitatem. Ideoque tibi paterne consulimus, quod super hoc caute studeas obuiare. *Dat. Auin. v. kal. februarij anno v.*

Græci catholici a schismaticis vexati

Monitus Palæologus Imp. vt eos reprimat.

Ne Turcas Constantinopolim ingredi sinat

5 Explicuit pariter Gregorius Io. Emanuelem Imperatoris Palæologi filium, nondum ecclesiæ gremio aggregatum, paternum amorem, quo in ipsius ac fratrum tum parentis salutem ac honorem incumberet; atque auxilia ingentia contra Turcas est pollicitus. Cum vero Græcorum & Latinorum arctissima coniunctio pernecessaria esset, ad dandam operam, vt fide æque atque armis sociarentur, illum est adhortatus b.

Emanuel collega imperij est patre.

b Ib. pag. 4.

Magnifico viro Emanueli Palæologo Imperatori Græcorum illustri gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Per ea, quæ nuper per dilectos filios certos nuntios nostros, quos ad illustrem genitorem tuum transmisimus, eidem genitori significauimus, poteris cognoscere euidenter, quod erga præfatum genitorem ac te aliosque natos eius, & totum Græcorum imperium pietas & compassio sanctæ Romanæ ecclesiæ diffunditur viscerose, vnionemque ipsorum Græcorum cum ipsa ecclesia cæterisque Latinis materna solicitat charitate; ac deuiantibus filijs constitutis in magno discrimine offert suæ propitiationis auxilium, si ad eius gremium voluerint remeare. Propterea cum dictā vnionem, eidem imperio non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter in vnum opportunam, idem genitor ac tua sublimitas alijque nati eius, & totum ipsum imperium ardentibus desiderijs debeant affectare, & affectum eorundem operum exhibitione monstrare, vt dicta pietas semper maneat, manens crescat, crescens fructificet, tuque ac idem genitor & fratres tui, cæterique Græci fructum accipiatis huiusmodi animarum & corporum refectiuum; indecens est & Deo displicitum, si ex parte iuuandorum præbeatur

Ad ecclesiæ gremium repetendū solicitatus

rependium ingratitudinis adiuuanti; si pro bono malum, pro beneficio supplicium, pro charitate crudelitas, & pro dilectione odium iniqua retributione reddatur; &c.] De Emanuele meminit Laonicus Calchondylas a, ac thermis Macedoniæ, Thessalonicæ scilicet, imperitasse ait, ac Pherras e Turcarum tyrannide eripere insidijs meditatum: at, eo cognito, Amuratem furore accensum Charatini duci strenuissimo Thessalonicam cingere obsidione, ac non nisi Emanuele vincto reuerti ad regiam Turcicam iussisse: cum itaque accepris imperijs Charatines Thessalonicam extremi exitij terrore vrgeret, Emanuelem fugam ad patrem Palæologum tentasse; sed Turcici belli metu abscedere vetitum Lesbon profugisse, ac deinde traiecisse in Asiam & Amuratis amicitiam pluribus officijs eblanditum, ac sub eo postea stipendia ad redigendos in seruitutem Turcicam Græcos stipendia emeritum. Addit idem Calchondylas de Charatine præcipuo Amuratis satellite: *Astutus ab isto viro non modica fecit, quæ tendebant ad subiugandum sibi Europæ imperium: tot sibi subegit gentes: tot in Europa duces stipendium pendentes. Præter Græcorum gentes, quæ cogebantur, quacumque terrarum duxisset, Amuratem militantem subsequi, Emanuele præ omnibus Græcis plurimum delectabatur. In Amuratis potestatem deuenit Rex Mysorum Dragesas Zarei filius, nec non Pogdanus, qui Rhodopen imperio tenebat. Accessere etiam in ditionem & alij Europæi, duces Triballorum videlicet Græcorum, & Albanorum. His omnibus imperio suo admotis, etiam Asianis ducibus stipatus deinceps quoslibet bella lacessere statuit.*

a Calcon. hist. Turc. l. 1. Franc. l. 1. c. 16. Emanuel frustra Pherras tentat.

Profugit in Asiam.

Sub Amurate Christiani in Christianos stringunt arma.

6 Ad liberandos eiusmodi seruitute Græcos Pontifex Ludouicum Vngariæ ac Poloniæ Regem sollicitauit b, vt Græcorum auxilio cum exercitu accurreret.

Vngariæ Rex ad ferendā Græcis opem sollicitat. b To. 5. ep. secr. pag. 8.

Charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Significauit nobis nuper charissimus in Christo filius noster Ioannes Imperator Græcorum illustris, quod licet olim, dum ipse tecum fuit in tuo regno, a te contra impios Turcos tuæ potentiæ auxilium postulauerit, tuaque deuota magnificentia sibi ob reuerentiam Dei & catholicæ fidei benigne responderit, quod si ipse ad obedientiam Romanæ rediret ecclesiæ, sibi huiusmodi auxilium exhiberet; & post hæc idem Imperator ad Vrbem personaliter accesserit, & ibidem obedientiam præfatam solemniter etiam cum proprio iuramento, secundum quod felicis recordationis Vrbanus Papa V. voluit & mandauit, promiserit, & ex tunc a te instanter petierit auxilium prælibatum; illud tamen adhuc obtinere nequiuit: quare cum, sicut præfata significatio subiungebat, licet idem Imperator & ciuitas Constantinopolitana treugam habeāt cum Turcis eisdem, tamen in magno sunt periculo constituti; supplicaueritque nobis instanter Imperator præfatus, vt pro dicto auxilio per modum vtilem, inter te & ipsum tractandum, sibi præbendo partes nostras apud serenitatem eandem interponere dignaremur; nos de certitudine dicti periculi non solum pro parte præfati Imperatoris sed ab alijs informati, & illud accidere in maximum detrimentum Christianitatis, & specialiter regnorum tuorum, & etiam regni Siciliæ merito formidantes, eandem magnificentiam excitamus & rogamus attentius, quatenus periculum præfatum pie considerans, etiam si nulla oblatio regia præcesserit, aut facta alias impleri non debeat, tamen ob reuerentiam Dei & dictæ Christianitatis tutelam brachium tuæ potentiæ, qua vti debes in seruitium Regis regum, qui illam tibi tribuit, contra eosdem Turcos & pro defensione præfatorum Imperatoris & ciuitatis extendas, vt per hoc eisdem Imperatori & ciuitati subuenias, &, ipsos Turcos longius præpeditos ad tuos fines accedere non permittas.

Expetitā illi Palæologi quereretur, quod promissum defuerit.

Quanto detrimenti Christiana res sit obnoxia.

Oppressis Græcis periclitaturos Vngaros.

Speramus siquidem, fili charissime, quod clerus & ciues iam dictæ ciuitatis humanitatem tuam pro ipsorum liberatione monstratam certius comprobantes, relicto ipsorum damnato schismate, ad gremium eiusdē ecclesiæ promptius reuertentur: super quo nuper ad eos quatuor nostros nuntios duximus destinandos, & credimus ex gratia Dei materiam ad hoc esse dispositam. Nam, vt fidedigno relatu percepimus, in quadam disputatione per quosdam fratres ordinis Prædicatorum, quos ad conuersionem infidelium orientis transmisimus, cum prælatis, doctoribus, & calogeris Græcorum in mense octobris proxime præterito facta in ciuitate prædicta, per eosdem fratres, obtenta victoria veritatis, nonnulli ex eisdem prælatis, doctoribus, & calogeris ad rectam fidem sunt diuina miseratione conuersi, & ad dictum gremium redierunt, nobisque super conseruando statu eorum in dicto gremio humiles literas destinarunt. *Dat. Auin. v. kal. februarij anno v.*

7 Mouentem Christi vicarium Ludouicus maximo rei Vngaricæ detrimento non est secutus: & licet antea Amuratis Imperatoris Turcarum victorijs, ac Rasciæ oppugnatione excitatus, ab Apostolica sede sacræ in Turcas expeditionis ducem creari postulasset, proque concione fideles propositis indulgentiarum præmijs ad accipiendum crucis symbolum impellendos curasset; cœptis tamen destiterat. Ad intermissam igitur expeditionem redintegrandam Vngarum Regem grauissimis de causis prouocauit Pontifex a: Græcorum Imperatorem Amuratis vectigalem factum in extremum discrimen adductum, illique ab Apostolica sede oblata maritima auxilia: Constantinopolitanos, si congruis fulcientur auxilijs, Romanæ ecclesiæ adhæsuros spopondisse: coniungeret itaque suas vires ad Turcas Europa eijciendos; ita enim terra marique coarctatos facile debellatum iri.

Ludouicus Rex in suscipiendo bello Turcico remissus.

a Ead. to. 5. ep. secr. pag. 65.

Charissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngariæ illustri.

Meminimus, fili charissime, quod dudum deuota magnificentia tua, defensioni & ampliationi catholicæ fidei & impugnationi suorum hostium anhelanter aspirans, & specialiter aduersus Turcos sæuos hostes nominis Christiani magnifice intendens procedere, literas super prædicatione crucis facienda in tuis regnis a nobis per suos nuncios impetrauit. Sed audiuimus, quod adhuc (nescimus ex quibus causis) dicta prædicatio non est facta, nec contra Turcos eosdem tuum regalem exercitum direxisti: credimus tamen, quod non sine magna causa hoc bonum distuleris, & quod ad id efficiendum pro tempore tua deuotio perseueret. Et propterea notificamus magnitudini tuæ, quod dudum a pluribus fidedignis audito, quod ijdem Turchi aduersus Christianos, licet schismaticos, nimium præualebant, & quod Imperator Græcorū nimia oppressus a Turcis eisdem, omnique auxilio de-

Pōtificis ad eum literæ.

stitu-

Palæologus Amurati vectigalis.

stituto, factus erat eis tributarius, & cum ipsis certam concordiam & colligationem inierat, quę admodum periculosa Christicolis reddebatur; nos considerantes, quod de infidelium concordia confidendum non erat, & quod ciuitas Constantinopolitana asserebatur, prout esas, nihilominus in magno perditionis periculo constituta, qua perdita (quod Deus auertat) omnes aliæ terræ fidelium vltramarinorum perditæ reputabantur, prout reputantur; ad inquirendum de eis veritatem, & ad confortandum Imperatorem præfatum suosque subditos, & ad offerendum eis subsidium gentis armigeræ & galearum, per certos fideles oblatorum pro isto negotio; ac insuper & principaliter ad exequirendum ab eis, si ad obedientiam & vnitatem sanctæ catholicæ & apostolicę ecclesiæ redire volebant (quod tāquam maximum bonum plenis desiderijs affectamus) quatuor prouidos nuncios nostros anno preterito duximus destinandos. Qui nuper reuersi sunt, & periculum dictæ ciuitatis, & debilitatem potentiæ Imperatoris præfati, aliaque Christianitatis pericula, exinde prouentura indubie, nobis certius retulerunt: propter quæ nonnullas gentes armigeras de fratribus hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, & de alijs fidelibus in bono numero, & quamplures galeas (vt præmittitur) nobis oblatas, & alias per nostram cameram stipendiandas, si tuum & aliorū fidelium (vt speramus) tribuantur auxilia, quamcito fieri poterit intendimus destinare, & super obedientia & reconciliatione Græcorum tale habemus responsum, quod si eis competens mittatur succursus, contentamur exinde.

Repetit apud Vngarū precēde bel la Turcis inferendo

8 Quare pietatem & magnificentiam regiam ex parte Dei, cuius fidei negotium agitur in hac parte, instanter requirimus & cordialissime deprecamur, quatenus ad conterendos seu expellendos Turcos, qui sunt in Romania vel alijs partibus citra mare, vtique tuo regno satis vicinis (vt dicitur) illum regalem exercitum, quem olim contra dictos Turcos deliberaueras mittere, vel saltem minorem ad beneplacitum tuum, quamcito poteris destinare digneris. Speramus enim in brachio virtutis Dei, quod ijdem Turci (vt nobis asseritur ab informatis de talibus) sic inter tuum & alterum aliorum fidelium, qui erunt ex parte maris exercitus constringerentur, quod sperata victoria habebitur de eisdem: super quibus & alijs dependentibus, tuo culmini latius exponendis, dilectis filijs Bonauenturæ de Padua ordinis eremitarum S. Augustini magistro in theologia, & Hessoni præceptori de Friburgh hospitalis eiusdem Apostolicæ sedis nuncijs latoribus præsentium, de his plenius informatis, velis fidem plenariam adhibere. *Dat. Auin. vi. kal. nouembris anno v.*

Hospitalarij in Græciam contra Turcas iussi traijcere.

9 Solicitato ita Ludouico, vt terra Amuratem aggerderetur, constituit Pontifex, vt quingenti equites Hospitalarij S. Ioannis Ierosolymitani succincti totidem scutatis militibus, armisque egregie instructi in Græciam traijcerent ad Græcos contra Turcicos impetus tutandos: qua de re encyclicis literis ad Hospitalarios Boemiæ, Galliæ, Nauarræ, Castellæ, Aquitaniæ, Angliæ, Lusitaniæ datis exposuit a miserandum orientalium rerum statum, insulas Ægæi maris subactas, euersum pene Græcorum imperium, Turcarum vectigalem Constantinopolim factam, Bulgariam & Seruiam quati, Armeniam Saracenis Turcisque

a An 5. ep. cur. pag. 42.

cinctam. Ad restituendam itaque collabentem religionem illos instruere arma iussit, vt appetente anni huius seculi septuagesimi septimi vere, mare traijcerent.

Gregorius, &c. Hospitalarijs Regni Boemiæ, &c.

Ingentissima damna aliaque mala animarum & corporum, non absque flebili memoratu fidelium recitanda, quæ euenerunt propter Christianorum negligentiam in grauissimum dispendium fidei Christianæ commissam, piget & pudet recolere: sed id cogit vrgens necessitas, vt ostensis negligentiæ culpis, & infelicissimis euentibus subsecutis, ex eis ipsæ culpæ horreantur detestabilius, & promptioribus animis possibilis emendatio præbeatur. Est siquidem notissimum, quod olim, etiam de multorum memoria, impij Turchi persecutores nominis Christiani, non inuenta resistentia sufficienti fidelium, post dissipationem multarum insularum, quæ fertiles erant & inhabitatæ per populos Christianos, inuaserunt, occuparunt, & destruxerunt fere totum gloriosum imperium Romaniæ, & sibi tributarium effecerunt, abductis abinde in seruitutem miserrimam infinitis personis vtriusque sexus, quas ad terras suas abducere voluerunt: nuncque imperium Bulgariæ & regnum Seruiæ aliasque partes dictorum Christianorum crudeliter impetere asseruntur. Ciuitas quoque gloriosa Constantinopolitana & eius Imperator illustris adeo sunt arctati a Turchis eisdem, quod non solum eis tributarij facti sunt, sed fere in eorum manibus consistunt, nisi ipsis per auxilium fidelium occidentalium celeriter succurratur: regnumque Armeniæ minoris, vtique Christianum, positum inter Saracenos & Turcos eosdem, iam longis temporibus auxilium fidelium occidentalium etiam minimum non præsensit: propter quod paulatim & quasi totaliter in manus decidit impiorum.

Amuratis in Græcia progressus

Innumera Christianorū multitudo abducta in seruitutem,

Armenia a Saracenis pene vniuersa occupata.

Præmissis igitur & nonnullis alijs vtilibus & necessarijs caussis circa istam materiam, quas consultius præsentibus subticemus, matura deliberatione digestis, ad laudem Dei, defensionem & dilatationem dictæ fidei, gloriam & honorem Romanæ ecclesiæ, animarum vestrarum salutem, & religionis vestræ reformationem ac augmentum in spiritualibus & temporalibus, dante Domino prouenturum, auctoritate apostolica duximus ordinandum, vt quingenti fratres milites dicti hospitalis & totidem eorum scutiferi tempore veris anni natiuitatis Domini millesimi trecentesimi septuagesimi septimi ad partes Romaniæ præfatas debeant transfretare, in eisdem partibus ad dictæ sedis beneplacitum permansuri, & gesturi bellum contra Turcos, prout per dilectos filios magistrum & conuentum Rhodi dicti hospitalis & alios pręsidentes & consiliarios ad hoc deputandos pro tempore prouide disponetur, &c.] Præcipit, vt equitum numerum, qui ab ipsis submittendus est, eorumq; armigeros necessarijs omnibus ad expeditionem illam obeundam instruant. *Dat. Auin. vi. id. decembris anno* v. Quingenti illi equites ac totidem scutiferi ex varijs regnis tanquam militiæ Christianæ delibatus flos colligendi ab hospitalarijs designati erant in singulis prouincijs certo numero, pro quibus sustentandis sumptus conferebantur: cumque vigintiquinque eius ordinis equites cum totidem scutatis militibus e Castella submittendi forent, Henricum Regem hortatus est Gregorius a, vt bellico apparatui instruen-

Indicta ad annū 1377 expeditio.

a Ib. pag. 80.

Rogati Veneti & Genuenses, vt Græcis opem ferant.

a Eod. to. 5. ep. secr. pag. 67.
b Pag. 65.

struendo operam daret. De quo alij etiam Reges & principes rogati videntur. Veneti prætereà, ac Genuenses sunt excitati a, vt classes ornarent in Turcas: ac Thomas Gradensis patriarcha & Andreas archiepiscopus Genuensis in hanc rem incumbere iussi. Tum Ioanna Regina Siciliæ, quæ vires ad Syriam recuperandam explicare affectabat, impulsa b vt primum eas ad reprimendos Turcas & Constantinopolim defendendam conuerteret: ita enim conficiendæ ex vniuersis regnis cruce signatæ expeditioni pro terra sancta liberanda viam structum iri. Restituendæ in Syria Christianæ fidei Ioanna Regina Siciliæ versabat consilia, cum a viris pijs, qui ex oriente redierant, sacro studio esset accensa: retulerant enim ij c ad commouenda in impios occidentis arma, Saracenos plures ad fidem amplectendam comparatos, egregiamque ad alios opprimendos occasionem affulsisse.

c Pag. 23. & 25.

10 Spargebantur tũ rumores inter Saracenos Syros & Afros superstitionẽ Mahumeticã a Christianis excisum iri: Ioannesq; de Castallo, Nicolaus Malauena, Corseletus de Hamcuria, Ioannes Pelizon, alijqui existimatione & probitate insignes viri ad sedem Apostolicam accessere, vt Gregorium de barbarorum consternatione certiores facerent; structam videlicet instaurandis rebus Syriacis egregiam viam, ac facile de trepidis, qui nondum viso hoste victos se putarent, triumphum reportatum iri. Discussis ijs Gregorius, licet vaticinijs infidelium leuiter fidem adhibendam non putaret, quia tamen diuino miraculo interdum impijs hominibus vaticinari datum est, spernenda hæc omnino non putauit: & Carolum d Francorum, Eduardum e Anglorum Reges, Philippum f ducem Burgundiæ, Ioannem ducem Lanclastriæ g ad bellum sacrum tentauit accendere, auctorque fuit h, vt Saracenorum trepidationem explorandam curarent.

Proposita occasio egregia.

d Ib. pag. 33.
e Ib. pag. 34.
f Ibid.
g Pag. 35.
h Pag. 31.

De his etiam Pontifex Bertrandum e Cliquino magistrum equitum in Francorum regno bellica gloria hoc tempore florentissimum certiorem fecit i, cum sæpius audisset, ipsum pio desiderio contra Mahumetanos exercendæ religiosę militiæ æstuare. Negligentibus vero Regibus pontificias adhortationes, plures viri nobiles propagandæ Christi fidei desiderio accensi sedi Apostolicæ exposuere, se suaqua pro orientali expeditione conficienda collocaturos; tantumque catholicorum numerum eodem pio studio inflammatum, vt florentissimus colligi exercitus, ac militantium ipsorum opibus aut piorum eleemosynis sustentari posset. At Gregorius, vt necessariam in ea re consilij maturitatem in bello sacro indicendo adhiberet, Ioanni Baliolo & Iacobo Mortatolo viris prænobilibus Cametacensis & Morinensis diœceseon auctoritatem contulit, vt Christianorum regna ac prouincias obirent, & coram episcopis ac præsulibus alijs in publicos commentarios eorum nomina, qui bello sacro nomen daturi essent, tum facultates huic expeditioni addicendas referrent, vt his omnibus exploratis sedes Apostolica optimum consilium expedire posset. De quo encyclicæ literæ ad patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, vniuersosque fideles datæ sunt l.

i Ib. pag. 34.

Plures proceres ad sacrum bellum comparatos se ostẽdunt.

Inquisitũ de copiarum numero & sumptib. qui comparari possunt.

l An. 5. ep. cur. pag. 28

11 Cum vero ad ingentia ea consilia mandanda operi Francorum Anglorumque concordia necessaria esset, Carolum & Eduardum grauissimis ineunte anno literis ad pacem conficiendam solicitarat m, cum oratorum regiorum conuentus es de causa indixissent; atque diserte exposuit, quanti ad æternam salutem assequendam pacem restituere fessis populis momenti foret: quot & quanta mala bello inueherentur, diuinus cultus exolesceret, atque omnium scelerum, quæ committantur, reum futurum, cuius culpa bellum geratur: reliquum orbem Christianum ob ipsorum discordias fluctuare: augeri barbarorum potentiam, atque vniuersum orientem periclitari: milites quos ipsi in mutuas cædes committerent, libentissime, vti acceperat, in religionis hostes ferrum conuersuros.

m To. 5. ep. secr. pag. 7.

Pontificis ad ea extinguẽda studia.

Gregorius, &c. Carolo Regi Franciæ illustri.

Considera quod vltra mala, quæ in tuis & hostium tuorum patrantur dominijs, ex dicto dissidio vicina sunt regna collisa, & tota fere Christianitas prægrande patitur detrimentum; quodque Romana ecclesia mater tua & cunctorum fidelium, quæ per tuos inclytos prædecessores a suis solebat vrgentibus oppressionibus liberari, tuo & eorum destituta præsidio passa est hactenus ex persecutione tyrannica grauia damna, opprobria grauiora, molestias importabiles, & atroces iniurias in verecundiam catholicorum principum & totius populi Christiani; & quod adhuc, vt secura consistat, aliter non adiuta pro sui liberatione ac tutela a persecutione præfata proprijs conatibus importabiliter cogitur laborare. Hostes quoque Christianæ fidei sentientes eius pugiles inuicem dissidere, & bello dominico vacare non posse, sua contra Christicolas sæpius solito cornua erexerunt, obtinuerunt victorias, occuparunt terras amplissimas, profanarunt ecclesias, & renatos fonte baptismatis magnos & paruos aut trucidarunt gladio, aut submiserunt iugo miserabilissimæ seruitutis; & hæc patrare crudelius assiduis nisibus non desistunt: eorumque præsumptuosa rabies adeo inualescit, quod si celeriter non resistatur eisdem, non solum spes recuperationis terræ sanctæ, pro qua Christianissimi prædecessores tui præ cæteris mundi principibus laborarunt, subtrahitur; sed timetur probabiliter de perditione omnium terrarum fidelium partium orientis.

Propositæ Gallo ecclesiæ clades.

Et orientis pericula:

Quare deuotam sublimitatem tuam, quæ libenter operibus pietatis intendit, obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus prouide attendens, quod subiectorum amor est inexpugnabile munimentum, cum populi pacem desiderent, vt ipsi te tuosqua natos amplius diligant, si eam concedas eisdem, & ab eis & alijs digne vocari valeas princeps pacis; ob Dei reuerentiam & miserationem tui populi, ex assiduis guerrarum turbinibus agitati, ac compassione pereuntium partium vltramarinarum (ad quarum succursum, vt sæpius a fidedignis audiuimus, nonnullæ gentes armigeræ dictas guerras sectantes, & pugnare pro Christo saniori consilio cupientes, in casu eiusdem pacis se libenter pro suorum commissorum satisfactione transferrent) de modicis mundanis, ne impediant tantum bonum, regia liberalitate non curans, & eis cœlestia præferens, quam feliciori commercio consequeris, vt tantorum malorum sis profligator mirificus, actorque bonorum tractatum dictæ pacis (dante Domino) perpetua stabilitate mansuræ; quantum in te fuerit, perficere non omittas: nos enim nuntijs nostris, existentibus cum tractatoribus prælibatis, scripta nostra dirigimus, vt ipsos ad hoc pro parte nostra instantius exhortentur. *Dat. Auin. v. id. februarij anno*

Comparatos exercitus ad vertenda in barbaros arma.

no v. Hæc fuere studia apostolica pro redintegranda Anglos inter & Gallos concordia, vt orienti consuleret.

12 Nec minore solicitudine incubuit Gregorius, vt concussæ bello Genuensi Cypro subueniret: ad temperandas enim acerbiores pactiones, quas Cyprius Rex a victoribus acceperat, ac restituendam Cypro pacem Petrum Aragoniæ stirpis principem Minoritam a eundemque Regis Cypri maternum auum, tum Petrum Aragonum & Carolum Francorum Reges adhibuit b, quorum postremo miserum regni statum ita exponit: *In quanto discrimine regnum Cypri, quod est caput Christianitatis in partibus orientis, sit positum, celsitudinem tuam credimus non latere: ideoque circa ipsius regni miserabilem statum narrandum præsentibus superfluum reputamus.* Cæterum Genuensea illata Cypro mala nonnullis funestis naufragijs c hoc anno & sequenti luerunt. Intestinis etiam discordijs laborarunt, coniuratione principe in Dominicum e Campofregoso episcopo Vercellensi d, ad quem reuocandum a cœptis quæ ab illius dignitate abhorrebant, Gregorius, Nicolaum Fliscum Lauaniæ comitem incumbere iussit e. Verum dum in componendis Christianorum principum & populorum dissidijs laborabat Christi vicarius, in eum humani generis hostis Florentinos concitauit.

Cyprus in discrimē adductus.

a Ib. pag. 78.

b Pag. 77.

Genuenses domesticis funestisque afflicti.

c Valsin. l. 8. hist. Gen.

d To. 5. ep. secr. pag. 55.

e Ead. pag.

13 Adeptus is populus Pontificum Romanorum auspicijs libertatem, continuisque eorum studijs prouectus, vt suis locis retulimus, cum iam dominatū latius in Etruriam protulisset, ad ditionem ecclesiasticam inuadendā, capta ex Pontificum Gallorum absentia occasione, aspirare cœpit, ac vanos colores obtēdere, vt scelus tegeret. Sparserant illi iā ante inter se rumores in Gregorium Etruriæ dominatum ab eo affectari: quam suspicionem detersisse Pontificem grauissimis argumentis superius vidimus; iterumque non ambiguis verbis, sed clarissimis operibus confutauit: beneficia ab Rom. ecclesia in ipsos collata obiecit f: nulla vero ab ijs auxilia aduersus Bernabonem Bononiensem agrum euastantem elici potuisse; denique exasperatos ipsorum animos mulcere pluribus verborum officijs est conatus.

Florentini iras in Gregorium concipiunt.

f Eod. to. 5. secr. pag. 22.

Gregorius, &c. dilectis filijs prioribus artium & vexillifero iustitiæ, populo, ac communi ciuitatis Florentinæ.

Duas literas vestras excusatorias de quibusdam sinistris, quæ nobis fuerant de vestra discretione relata, solita benignitate recepimus, & sicut pater optans audire innocentiam filiorum, ipsarum literarum tenores sano suscepimus intellectu. Verum ne turbationem nostram sine causa aut subitam existimetis, ad memoriam vestram reducimus per præsentes, quod iam longum est tempus elapsum (videlicet postquam vos de auxilio aut vigore colligationis, quam habebatis cum Romana ecclesia, aut gratuito aut mutuo impendendo eidem ecclesiæ contra suos & vestros hostes, qui statum vestrum & Tusciæ interdum tractatibus, & interdum manifestis aggressibus contra pacta vobiscum & cum alijs Tuscis inita, infidelibus motibus perturbarunt, tam per literas, quam per nuntios nostros sæpius vt colligatos & filios requisiuimus confidenter; etiam cum ijdem hostes in nostro Bononiensi territorio cædibus, rapinis, & incendijs hostiliter insistebant) nonnulli ex vobis, vt sæpius & a pluribus fuit assertum, fictas suspiciones, omnimoda veritate carentes, asseruerunt habere: dictamque ecclesiam matrem vestram reliquistis in graui bellorum discrimine inadiutam, & per hoc indirecte aliorum Tuscorum auxilium subtraxistis. Non tamen sic egit erga vos dicta ecclesia, quæ non obstantibus suis guerris, quas pro magna parte reliquit, vobis contra hostes eosdem vestris appropinquantes confinibus, quantum potuit, magnificum gentium armigerarum auxilium destinauit, vosque cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto cum multa affectione & solicitudine concordauit, & pro vestris bono statu & libertate fecisset & faceret quidquid honeste valeret. Nuper vero de Tusciæ ac Lombardiæ, etiam Mediolani & alijs partibus nostro apostolatui est a diuersis fidelibus referatum, quod vos, seu (vt agatur occultius) aliquæ singulares personæ vestrum, tractatum habebatis cum hostibus prælibatis: quod tamen vix credere potuimus, cum tam execrabilis excessus denigraret indelebiliter famam vestram, & vos a vestra deuotione antiqua sine iusta causa degenerasse probaret, ac effectos esse filios alienos. *Et infra.*

Gregorij apologia.

Proposita vetera beneficia.

Vt ecclesiæ opera Carolo IV. conciliati sint.

14 Nos enim credimus, prout sæpe audiuimus, quod populus vestræ ciuitatis sit deuotus & purus erga ecclesiam prælibatam: & propterea iniquius agunt quidam, qui deuotionem illius deprauare peruersis suggestionibus moliuntur. Dicitur enim, quod quidam ex vobis palam & sæpius, sed temere & minus vere, protulerunt in populo, quod dicta ecclesia volebat terras Tusciæ occupare: cum hoc veritate careat, & tales ex his liquide reprobentur, videlicet quod præfatus Imperator ciuitatem Lucanam & eius districtum, dum eos possidebat, dedisset dictæ ecclesiæ, si eos ipsa ecclesia recipere voluisset: & illis, quibus castrum Burgi sancti sepulchri ac Citonij & Cisternæ donauerat, concesserit quod ea ecclesiæ Romanæ possent vendere, si illa dicta ecclesia emere vellet; sed eadem ecclesia de ija se intromittere noluit quoquo modo, nec castra imperii, quæ Perusini tenebant, voluit retinere: cum enim quis ab amore antiquo seiungitur, facile labitur in actiua & passiua simultates & odia, ex quibus sæpissime mala grauissima subsequuntur.

Obiectæ calumniæ dilutæ.

Lucam & alias arces non admissas Greg.

Cæterum cum necdum communitates ciuitatum Italiæ, sed potentes ac remoti principes Christiani amorem & fauorem dictæ sedis desiderent, & ex eis spiritualia & temporalia commoda subsequantur; vos ex deuotione antiqua vestra, & quia vicinores estis terris dictæ ecclesiæ, illos debetis, si iudicio recto ducamini, ardentius affectare, & inde vos non elongare, quo appropinquare debetis: quia si perspicaciter aduertatis, nullius dilectio vobis potest esse fidelior, nec potentia tutior, aut iuuamen efficacius, quam ecclesiæ memoratæ, quæ nedum factis & sumptibus, sed solis verbis & fauoribus potest per diuinam gratiam vos ab aduersis multiplicibus præseruare, & vestra commoda promouere. *Dat. Auin. id. aprilis anno v.* Perspicuis hisce, alijsque argumentis, quibus constabat Etruriam ab ecclesia non affectatam, victi Florentini præ se tulere, omnem illam sinistram suspicionem excussam, seque in ecclesiæ pristinis studijs perstituros: qua significatione amoris recreatus Gregorius, patrocinium apostolicum est ipsis pollicitus a.

Nullius amicitiā pontificiæ anteferēdam.

15 At qui ecclesiæ conciliari, & maiorum vestigijs se instituturos erant professi, mox abiecta illa

a Ib. pag. 183.

illa amoris & obseruātiæ larua, apertas inimicitias cum ecclesia ipsa exercuerunt: ditionem pontificiam euersuros se comminati sunt; tyrannidem exercuerunt in viros ecclesiasticos; ac Neroniana crudelitate religiosum virum terræ viuum infodere. Cum vero insano furori nonnullas querelas vel a veritate vel ab æquitate abhorrentes obtenderent, Pontifex eas refregit, ipsosque ad pristinam obseruantiam reuocare studuit a.

Florentinorū crudelitas in monachū.

a Eod. to. 5. ep. secr. pag. 46.

Gregorius, &c. dilectis filijs prioribus artium & vexillifero iustitiæ & communi ciuitati Florentinæ.

Cum non modica mentis displicentia & indignatione percepimus, quod vniuersitas vestra falsis suggestionibus concitata contra nos & dilectum filium nostrum Guillelmum S. Angeli diaconum Cardinalem, in nonnullis terris Romanæ ecclesiæ pro nobis & ecclesia ipsa in temporalibus vicarium generalem, in querelas & verba contumeliosa prorumpit, Deum (cuius vices in terris gerimus) præfatamque ecclesiam (cui, licet immeriti, præsidemus) ipsamque incorruptam veritatem lædere non verentes. *Et infra*: Non dedignamur domini Dei nostri præcepta sequi, qui ait: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*; & ob hoc ad retrahendum vos a præcipitio & ruina, ad quæ videmini currere, & vt simus Deo & mundo excusati, si euenire contingat, id quod vestris excessibus exigentibus formidamus, hanc viam mitem & beneuolam scribendi vobis duximus eligendam; his etiam volentes adiungere, quod de querelis, quas contra nos & dictum Guillelmum Cardinalem facitis, vt dicitur, non verecundaremur nos subijcere veritati & etiam rationi, qui de nobis ipsis, si peteretur, iustitiam faceremus.

Cur illi a Pontifice abalienati.

Quæ enim sunt, quæsiuimus, tantæ querelæ, tantique vestri furoris causæ? Respondetur nobis a multis, quia treugua nomine nostro & dictæ ecclesiæ firmata fuit cum nobilibus viris Bernabone & Galeas de Vicecomitibus de Mediolano, ex qua a gentibus armigeris, quæ prius erant ad nostra stipendia, vobis magna dispendia secuta sunt. Sed, vt causas ad id nos vrgentes omittamus, quærimus: Quid ad vos de pace vel treugua, cum de guerra nostra nunquam aliquid cogitare, nec in hoc etiam pacta ligæ, qua nobiscum eratis astricti, volueritis obseruare?

Cur Bernabos exegerint inducias.

b Eod. to. 5. ep. secr. pag. 26.

c An. 5. ep. cur. pag. 1. 20. 27. 28. 29.

16 [Quod ad pactas cum Bernabone & Galeatio Vicecomitibus inducias spectat; illas ij exambiuere non vt seruarent, sed cum iam in ruinam impulsi b, & populi ad excutiendum eorum iugum comparati essent, eorum exemplo, qui ecclesiæ imperijs se submiserant, rerum suarum instaurandarum occasionem captarent. Pontifex vero, licet plura bello peperisset, Vercellenses c enim, Clauennenses d, Placentini e, Papienses f, & alij g pontificium iugum acceperant; ex quibus Papienses Gregorium monuere, ne cum hoste fracto inducias faceret, facile enim tum sub eius tyrannidem ipsos recasuros; exhausto tamen ærario, belloque fessus interpositibus concordiæ Othone & Stephano Bauariæ ducibus h assensit ijs legibus, vt qui ad partes ecclesiæ transfugerant, sub eius clientela perstarent i, ac Vicecomites ab ecclesiasticis dignitatibus & sacerdotijs conferendis temperarent l. Edicta vero apostolica in eos lata viribus carerent m. Percussis o ijs inducijs Bononiæ o a Guillelmo

Qui populi ab eo defecerint.

d To. 5. ep. secr. pag. 3

e Ib. pag. 26

f Ibid.

g Ead pag.

h Pag. 18.

i Super. pag. 26.

l Super. pag. 18.

m An. 5. ep. cur. pag. 66.

Quæ pactiones cū Bernabone initæ.

n To. 5. ep. secr. pag. 52.

o Pag. 132.

Cardinale S. Angeli legato, mox Galeatius, vt iam antea Pontifici prænuntiatum vidimus, ad Placentinos & Papienses sibi subijciendos nonnullas arces contiguas proditione occupauit: qui statim monitus est a Pontifice a, vt fidem induciarum coleret hac etiam de causa: *Si contra dictam treuguam iuratam venires vel faceres, nullus in antea de te confidere posset, nec fidem tuis promissionibus adhibere*. Vicissimque Guillelmus Cardinalis iussus est b ea emendare, quæ a pontificijs copijs aduersus inducias gesta essent. Ne vero dimissæ e castris vagæ copiæ in fœderatos prædas acturæ incurrerent, Aretinos, Pisanos, Senenses, Lucanos, ac Florentinos admonuit c, vt ad illas repellendas, agrosque defendendos se compararent. Pergit refellere alias de Guillelmo querelas Gregorius].

a Pag. 138

b Ib. pag. 76

c Pag. 183. 184.

Quid autem culpæ Guillelmo Cardinali præfato ascribitis, si passus est, quod etiam denegare non poterat, quod gentes ipsæ potius in territoria aliena discurrerent, quam nostras & ecclesiæ præfatæ terras premerent & consumerent, prout etiam ipsæ & aliæ existentes ad stipendia dictæ ecclesiæ tanquam effrænes & inobedientes sæpius & notorie fecisse noscuntur? Nonne & similia pluries vos fecistis? Recenseatis veritatem vos ipsi in cordibus vestris, nec ita in falsis opinionibus vestri oculi perstringantur, vt audire & intelligere quid sit veritas non velitis. Non enim longa nimis effluxerunt tempora, vt vno contenti simus exemplo, quod comes Lucius a vestris stipendijs recedens, etiam per vos (bene credimus tamen, quod non ex proposito offendendi) sibi data pecunia, terras nostras & præfatæ ecclesiæ inuasit: quod perfecisset, nisi per gentes dictæ ecclesiæ data sibi certa pecunia, cum eo & suis gentibus facta concordia extitisset. Id similiter, non est diu, fecerunt aliæ gentes vestræ a vestris stipendijs recedentes, cum ciuitatem Lucanam vobis vicinam, & vobiscum in beneuolentia & pace manentem, & eius territorium inuaserunt: & vos excusasse dicimini, quod eas, licet non multæ forent, retinere seu prohibere minime poteratis. Sed male & pessime faciunt vestri rectores, qui habent vestram rempublicam gubernare, cum eorum defectus & culpas reflectunt in innocentias aliorum. Nonne iam sunt tempora multa, & præsertim ab anno, circa quem nos ambaxatoribus vestræ ciuitatis alijsque ciuibus vestris multiplicatis vicibus dici fecimus, quod oportebat nos ad huiusmodi treuguam vel pacem venire, nisi in prosecutione guerræ iuuaremur a vobis? Nonne per literas nostras vos requisiuimus, sicut & alios colligatos, quod nuntios vestros ad audiendum tractatus, qui fieri debebant circa pacem vel treuguam huiusmodi, & circa id dicendum quod eis videretur, cum sufficienti mandato ad Romanam curiam mitteretis, & vos ambaxatoribus vestris, qui hic erant & sunt adhuc, quod audirent & vobis referrent, quæ eis dicerentur, tantummodo commisistis? Nonne ante oculos eorum & vestros pericula, quæ euenerunt vobis prædicta & ostensa fuerunt? Nonne quod prouideretur quid esset faciendum de gentibus armigeris propter treuguam vel pacem cassandis ambassiatores ipsi & vos requisiti pluries extitistis? An erat tractatus iste occultus? Immo per plura tempora deductus omnibus notus erat: & tamen ijdem rectores & gubernatores vestri debito tempore aliquid remedij apponere noluerunt. In vltimo autem

Florentini quibus stimulis acti in Pont.

Iustos nō fuisse ostē dit Gregorius.

Cōsultos ipsos de pace cum Bernabone fuisse.

cum

cum res ipsa iam erat in fine suo, ipsoque effectu firmandæ treuguæ, nec sine magno periculo nostro & terrarum nostrarum retardari poterat, tunc de remedio tenuiter cogitabant. *Et infra.*

Pontificia ad pacem adhortatio.

17 Insurgunt modo aliæ querelæ grauiores, nec cessabunt, vt dubitamus, donec falsa seminantium scandala cesset aut confundatur iniquitas. O miseræ & infelices animæ, quæ tantorum malorum & scandalorum, quæ exoriri dubitamus, causa sunt! Deum testamur & homines, quod in hoc culpa nostra non est: quodque nos inuiti & coacti venimus, exigente iustitia & necessitate cogente, si a vestris peruersis conatibus non desistatis, si vestros cum satisfactione debita non corrigatis errores, ad illa remedia, a quibus postquam incœpta essent, desistere non possemus. Ideoque, filij, vos monemus & exhortamus in Domino, quatenus omni perturbatione deposita reducentes vos ad Deum, & examinantes bene conscientias vestras, & illas cum veritatis examine ferenantes, deponentesque omnem superbiam & elationem, a vestris malis cogitationibus & peruersis conatibus & erroribus desistatis, & atrocia delicta, quæ commisistis in Deum & ecclesiam suam tam enormiter, tamque in exempli perniciem, emendare & corrigere cum satisfactione debita studeatis, vosque ad antiquam viam deuotionis & rectitudinis reducatis; considerantes prouide pericula & mala, quæ vobis possent contingere, si in vestris erroribus persistatis: nos enim pietatis paternæ & dilectionis antiquæ habitum retinentes, si vestros errores & excessus vestris cum debita emendatione corrigere, parati sumus erga vos apostolicæ benignitatis munificentiam & gratiam exhibere. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis VI. id. aug. anno V.*

Clientes ecclesiæ ad defectionem sollicitati a Florentinis.

a Leonard. Aretinus Flor. hist. l. 8. Anton. tit. 22. c. 9. § 1.

Deliniti iustissimis hisce rationibus non sunt Florentini; sed meditatum scelus perducere aggressi, pluribus susurris clientes ecclesiæ subornarunt, atque ad rebellionem impulere a: iactabant enim Pontifices Gallos, traducto in Gallias pontificatu, præfectos exteros populorum ceruicibus imponere, quorum superbia intoleranda esset: extructas in singulis pene vrbibus arces ad libertatis spem omnem extinguendam. Consurgerent igitur ad tutandam libertatem, cuius ipsi non tuendæ modo, sed etiam alijs comparandæ acerrimi forent vindices. Signa itaq; militaria, in quibus maioribus characteribus libertatis speciosum nomen erat exaratum conflarunt, ac vim verbis addidere. De quorum conatibus plura vitæ Gregorij auctor narrat b, ipseque Gregorius hisce verbis conqueritur c: *Florentini, vltra diuersos excessus sacrilegos, in illud sacrilegium nouiter sunt prolapsi, vt pergentes suas armigeras, seu cum eorum assistentia & fauore dilectum filium nostrum Geraldum S. R. E. Cardinalem, in ciuitate Perusina & nonnullis alijs terris eiusdem ecclesiæ nostrum & pro ipsa ecclesia in temporalibus vicarium generalem, & quosdam episcopos & prælatos, aliosque officiales & gentes dictæ ecclesiæ in ciuitella dictæ ciuitatis Perusinæ faciant hostiliter obsideri.* Florentinos etiā pellicere ad defectionē Æmilios & Picenos pertentasse, apud Franciscum Carrariā expostulauit Gregorius d: *Circumeunt*, inquit, *quærentes assidue, quod subiectos ipsius ecclesiæ sua calliditate damnabili, quam populi libertatem appellant, faciant deuiare; prout in prouincia B. Petri in Tuscia plurimos iam fecerunt; quod non sine graui cordis amaritudine recensemus, timentes permaxime, ne simpliores aures fidelium populorum Bononiæ, Romandiolæ, & Marchiæ suis tentent inficere flatibus venenosis, &c. Dat. Auen. VIII. kal. februarij anno V.*

b Gesta Greg. XI. anno Bosq. c Tom. ep. post pag. 79.

d Ib. pag. 97.

Æmilios & Picenos subornare nititur.

18 Quo tempore Florentini in Picenum copias submittebant, Fulginates ex eorum aduentu in seditionem versos pontificium præfectum Trincium nomine trucidasse, refert S. Antoninus atque hæc miranda addit a: *In illo tempore in dicta ciuitate quidam sanctæ conuersationis nomine Thomasuccius habitum gerens tertij ordinis B. Francisci, vir vtique magnæ abstinentiæ ac mundi & sui contemptor, qui claruit spiritu prophetiæ; is, inquam, inter cætera pronuntiauit tempus mortis eius: nam cum ille dominus Trincia semel interrogasset de tempore vitæ suæ, siue curiositate ductus seu derisione, cum communiter diceretur spiritu prophetico futura prædicere, respondet ille: Tantum viues, quantum illæsa permanebit campana communitatis. Quod ita euenit, nam coniuratis in mortem illius domini, cum signum dedissent ad rumorem suscitandum pulsatione illius campanæ, in principio pulsationis eius fracta est, & ille dominus tunc occisus. Fertur etiam de illo, quod ille dominus iratus contra eum, quia arguebat eum de excessibus suis, aliquando decreuit eum in ignem iactare: quare de re pro illo misit. At ille in spiritu prænoscens, quid contra eum tentaret, accessit Thomasuccius furnarium vicinum, & ab eo petijt, vt prunas ardentes ex furno poneret in chlamyde sua: quo facto ad multam instantiam eius, prunas illas chlamyde sua clausas detulit coram illo domino, projiciens eas ante ipsum in terram, illæsa omnino chlamyde ipsa, quasi diceret: Ecce ignis, sine me vis comburere. Dominus autem exterritus tanto prodigio reueritus est eum. Idem etiam prophetiam in scriptis dimisit in rhythmis vulgaribus, in qua satis aperte prophetauit excidia plurimarum ciuitatum Italiæ: quæ omnia reperiuntur impleta diuersis temporibus. Multa deco audiui ab ijs, qui viderunt eum, & conuersationem eius nouerunt.* Hæc S. Antoninus. Nunc ad Siculas res digredimur.

a Ant. 3. p. tit. 22. c. 1 § 6.

Thomasuccius tertiarius prophetia dono clarus.

Ardentes prunas sine noxa in veste gestat.

De rebus Trinacriæ.

19 Perfecto fœdere inter Fridericum Trinacriæ Regem ac Ioannam Reginam Siciliæ, Gregorius Ioanni episcopo Sarlatensi Apostolicæ sedis internuntio prouinciam dedit b, vt Fridericum sacramento in Pontificis verba adactum, solemni ritu regio diademate insigniret: qua de re etiam Fridericum ipsum his literis certiorem fecit c.

b Ib. pag. 117.

c Pag. 116.

Charissimo in Christo filio Frederico Regi Trinacriæ illustri.

Eximie tuæ deuotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam ecclesiam gerere comprobaris, merito nos inducit, vt personam tuam nobis peramabilem in his, quæ tui honoris incrementa conspiciunt, fauore specialis gratiæ prosequamur. Sane nuper venerabilis frater noster Martialis episcopus Catanensis nuntius tuus, ad nos pro parte magnificentiæ tuæ destinatus, in nostra & venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia in consistorio nomine tuo supplicauit, vt cum tu in Regem Trinacriæ de speciali mandato nostro approbatus extitisti, tibi diadema imponi regium, & sancte solito more inungi de benignitate apostolica mandaremus. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, venerabili fratri nostro Ioanni episcopo Sarlatensi Apostolicæ sedis nuncio, viro vtique laudandæ virtutis, scientia & innata prudentia prædito, ac tui honoris regij sincero zelatori per nostras lite-

Fredericus Rex diademate regio redimiri flagitat.

literas committimus ac etiam damus in mandatis, vt postquam tu ea, quæ continentur in capitulis (quę in cedula papyrea tibi mittimus nostris clausis literis interclusa) feceris, & homagium ligium, ac fidelitatem eidem episcopo, nostro & ecclesiæ Romanæ nomine recipienti, præstiteris iuxta formam in dicta cedula contentam, & de omnibus tuas patentes literas aurea bulla tua impressa typario communitas concesseris, in nomine ac virtute Altissimi, vt est moris, inungat & tibi coronam regiam tribuat cum solemnitatibus consuetis.

Assensum illius vouit, modo sacramentum fidei præscriptũ nuncupasset.

20 Vt igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serues in mente, serenitatem regiam nobis charam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus ea, quæ in dictis continentur capitulis facias, ac huiusmodi homagium, ligium, & fidelitatem præstes, vt præfertur, & super omnibus literas regias, vt præmissum est, concedas; ac humilitatem, & iustitiam, dante Domino, qui dat præmia, & munera elargitur, quæ suum seruant & promouent seruatorem, prout plene confidimus, debite conseruans, omnium Conditori per virtuosæ vitæ studium, & sanctæ ipsius ecclesiæ per sinceræ deuotionis augmentum iugiter placere studeas atque velis: venerabilem siquidem fratrem nostrum Henricum episcopum Melfitanum ad te & partes illas destinamus, qui eandem sinceritatem tuam latius de præmissis informabit. *Dat. Auin. III. kal. aprilis anno v.* Fluctuabat intestinis externisque bellis Aragonia, ac nauata a Gregorio est opera a, vt Sardici regni dissidia cum Mariano Arboreæ regulo componerentur; tum vt concordia b Petrum Aragonum inter & Henricum Castellæ Reges sanciretur, quę demum pridie idus aprilis, composita est c. Ad illam adductus est eo facilius Henricus Castellæ Rex, quo ad pietatẽ ob superiores bellorũ motus in Castella collapsam pristino restituendam splendori egregie animatum se ostendebat: cui Gregorius ea de re est gratulatus d.

Commendata illi iustitiæ virtus.

a To. 5. ep. secr. pag. 75. b Ib. pag. 172. 173. Castellanũ inter & Aragonium sancita pax. c Marian. l. 17. c. 16. d To. 5. ep. secr. pag. 90.

21 Addictissimus porro idem Rex sedi Apostolicæ grauissimum dolorem præse ferebat, Gregorium in Italiam discessum ornare, cum ipse sacrum ad fidem propagandam bellum contra barbaros meditaretur, vbi primum sese ex bellis quæ in Christianos gerebat, explicuisset: præter enim Aragonium bellum, cũ Anglorũ Regis filijs, qui Petri crudelis Regis filias vxores duxerãt, decertabat existimabatq; maximo commodo sibi futuram Pontificis præsentiam, si Mauros armis aggrederetur. Cui Gregorius diuino se instinctu ad sedem Apostolicam Vrbi restituendam agi, nec tamen Regi ipsi, si crucis signa attolleret in impios, studijs omnibus auxilijsque se defuturum respondit e.

Dolet Castellæ Rex de Pontificis in Italiam recessu.

e Eod. to. 5 ep. secr. pag. 13.

Charissimo in Christo filio Henrico Regi Castellæ illustri.

Longa tua epistola de profundis tui pectoris, vt innuebat, emanans nuper nostro apostolatui destinata, per quam dolorem tuum de nostro accessu ad Vrbem (Deo dante) futuro, ex quo præsentiam nostram a te, tuoque regno conspicias elongari, filiali & reuerenti lamentatione monstrasti, nostræ paternæ compunctionis affectum erga tuam magnitudinem renouauit. Dum enim cernimus te regnumque tuum de nostræ personæ maiori remotione dolere, profecto dolentibus filijs condolemus. Sed hęc & alia similia obuiantia dicto accessui iamdudum nostris cogitatibus occurrerunt; illaque cum alijs causis & rationibus contrarium non solum suadentibus, sed non parum vrgentibus, in statera nostrę considerationis appendimus, & diu matureque cogitauimus super illis: tandemque diuinæ inspirationis gratia inuocata, dictum accessum pro meliori, consideratis omnibus, deliberauimus in nomine Domini faciendum. Non tamen te regnicolasque tuos deserimus, neque derelinquimus, quos in corde nostro intendimus habere præsentes; & quanto tu & ipsi amarius de nostræ præsentiæ elongatione tristamini, tanto (prout facultas aderit) habere intendimus fauorabilius commendatos: nos enim ad hoc eo feruentius animamur, quo per dictam epistolam sumus redditi certiores & lætiores effecti, quod (si Deus tibi cum Christianis pacem tribuerit) intendis aggredi hostes crucis vexantes sæpius Christianos: ad quod deuotam magnificentiam tuam ad reuerentiam Dei, tuam salutem & gloriam, regnique præfati maiorem tutelam paternis consilijs exhortamur; offerentes tibi circa id, & alia tua honesta beneplacita Apostolicæ sedis gratias & fauores. *Dat. Auin. IV. kal. martij anno v.*

Diuino ad id instinctu se agi, respondet Gregorius.

22 Nec minus iniquo ferebat animo Carolus Francorum Rex, Gregorium e Gallijs sedem Apostolicam traducere in Italiam. Cui ille, grauissimas ob causas tuendamque fidei dignitatem incitatum se ad petendam Vrbem, rescripsit a: *Quamuis*, inquit, *nobis durum existat, nos a tua celsitudinis & tuorum vicinitate & partibus istis, in quibus nati sumus & tempora nostra consolate peregimus, elongare; considerantes tamen, quod debitum honestatis exposcit, & nonnulla causa, statum Christianæ fidei ac Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ, terrarumque ipsius ecclesiæ, & vtilitatem publicam concernentes nos vrgent quamplurimum, vt ad sacram Vrbem, in qua principaliter sedes nostra consistit, & partes vicinas eidem, quamcito commode fieri poterit, accedamus: & propterea, super hoc matura deliberatione prahabita, ordinauimus ad dictas Vrbem & partes, duce Deo cui ex hoc complacere speramus, accedere in autumno proxime secuture. Dat. Auin. VI. id. ianuarij anno v.* Conceptæ b ijsdem verbis ad Eduardum Anglorum, Ferrandum Lusitaniæ, Petrum Aragonum, Carolum Nauarræ, Henricum Castellæ Reges literæ. Pollicitus vero est illi Leopoldus c dux Austriæ, si maris fastidia declinare vellet, iterque terra aggredi, se ipsum Lausana ad Veronæ & Patauij limites suis sumptibus stipaturum; cui Pontifex, actis gratijs, mari profecturum se respondit: egitque cum Ioanna Regina Siciliæ d, Friderico Trinacriæ Rege e, & Andrea Contareno duce Venetorum f, vt triremes egregie instructas mitterent ad mare sub autumnum conscendendum. Verum profectionis tempus protractum est, cum hoc principes, qui a Francorum & Anglorum Regibus ad cõcipiandas pacis formulas renuntiati erant, precibus obtinuissent, vt facilior concordiæ via strueretur: idq; Pontifex Regibus ac principibus literis significauit g: quæ vero duci Veneto h inscriptæ, his verbis conceptę sunt.

Querenti de eodem Gallo æquitatem rei exponit.

a Eod. to. 5 ep. secr. pag. 1.

Austriaci ducis in Gregoriũ officia.

b Eod. pag. c Ib. pag. 27.

d Pag. 38. 39. & 41. e Ead. pag. 39. & 131. f Pag. 38. 129. & 127.

Cur extracta profectio.

g Ib. pag. 41. 42. 43. 44. 45. h Sup. pag. 42.

Nobili viro Andreæ Contareno duci Venetiarum.

Die octaua huius mensis tuæ nobilitati per literas nostras ducimus intimandum, quod ex certa causa, quam scripsimus, recessum galearum tuarum pro nostro itinere ad Vrbem per suam liberalitatem oblatarum faceres differri vsque

ad

ad quintamdecimam diem mensis augusti proxime sequuturi. Cum autem inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres, facta iam treugua, pax secutura speretur, in cuius tractatu & consummatione nostra præsentia in his partibus necessaria extimatur; & tam præfatus Rex Franciæ quam dilectus filius nobilis vir Ioannes dux Lancastriæ natus præfati Angliæ Regis tractator pacis eiusdem, tunc Brugis Tornacen. diœcesis existens, nobis per eorum literas duxerint humiliter supplicandum, quod propter tractatum dictæ pacis in tempore per nos ordinato de partibus istis nullatenus recedamus; & nobis scriptum sit, quod si tractatores iam dictæ pacis, qui in proximo futuro mense septembris in præfato loco Brugis debent ad tractandum iterum conuenire mediantibus nostris nuntijs ibidem affuturis, concordare nequibunt, quod absit, debeant ad nostram præsentiã se conferre; nos * dictam pacem non solum præfatorum Regum regnis & terris, sed toti Christianitati * dignum & opportunum * extimantes, quod pro ipsius consummatione felici non solum recessum differamus eundem, sed si essemus in Vrbe ad has partes redire celeriter deberemus; tam grandis vtilitatis intuitu, & præfatorum Regis Franciæ ac ducis & nonnullorum aliorum etiam prælatorum ac principum & nobilium, nec non populorum in hac parte deuote supplicantium precibus inclinati, non recedendo a proposito eundi ad dictam Vrbem, sed illius effectum propter melius differendo, tempus huiusmodi nostri aduentus ad tempus veris proximo venturi duximus prorogandum. Ideoq; nobilitati præfatæ de filiali affectu, quem vt tibi & tuæ communitati viciniores simus, effectu operum ostendisti, & de grandi expensarum onere, quod pro præparatione iam dictarum galearum & missione honorabilium tuorum ciuium subijsti, condignas gratiarum referimus actiones; intendentes (annuente Deo, ad quem remeando & denuo veniendo intuitum nostræ considerationis dirigimus) te de prædictis galeis requirere in tempore competenti. *Datum apud Villamnouam v kal. augusti anno v.*

Indictio Brugensis cõuētus pro pace agitanda.
* ob
* necessariam
* existimamus

23 Instruere quoque suo exemplo præsules, vt ad gregis sui custodiam incumberent, pie cogitarat Gregorius: ad quos etiam ad officium cogendos diplomate subiecto edixit a, vt sedes suas repeterent, ac diuinum cultum in suis ecclesijs instaurarent.

a An.5.secur.pag.45

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

Tacti dolore cordis intrinsecus tacere non possumus, nonnullorum pontificum & aliorum in Dei ecclesia prælatorum negligentiæ culpam grauissimam causatiuam multorum facinorum, & etiam nutritiuam; ipsi quidem, vt est fere toti mundo notorium, licet deputati sunt super greges suos in pastores & vigiles, vt illos a morsibus lupinis custodiant, & de ipsis bonam reddant Domino rationem, se mercenarios, quibus non est cura de ouibus, cum animarum lucra non quærantur, potius ostendentes, adinuentis fictis coloribus, a suis se elongant ecclesijs & monasterijs etiam per tempora diuturna, sponsas suas quasi viduas relinquendo; ex quo in clero & populo vitia pullulant, cultus diuinus minuitur, sancta spernuntur, prouenit indeuotio populorum, oriuntur errores, decrescit fides, crescunt insolentiæ, ecclesiasticus status contemnitur, conculcatur libertas ecclesiastica, patitur sæpe detrimentum iustitia, dum proprius iudex non ministrat eandem, ac ædificia & alia bona temporalia collabuntur. Ex quibus & alijs malis innumeris, inde prouenientibus, strepunt murmurationes filiorum, dum spirituale patrum pabulum non degustant; suscitantur scandala grauia, & proh dolor! animæ, ad quarum salutem præsides spirituales inuigilare tenentur, euidentibus periculis exponuntur.

Greg. edictum de præsulum residentia

Quanta ex præsulum absentia mala oriantur.

24 Nos igitur tot & tantis malis & periculis opportunis obuiare remedijs affectantes, vniuersos & singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, electos, abbates regulares, archimandritas, & præsidentes quoslibet, qui capita quorumcumque ordinum tam exemptorum quam non exemptorum non mendicantium esse noscuntur, quocumque nomine censeantur (exceptis S. R. E. Cardinalibus ac etiam Apostolicæ sedis legatis & nuntijs ad partes aliquas per nos missis ac mittendis in posterum, nec non nostris & ecclesiæ Romanæ officialibus, quos ad hoc duxerimus nominandos) auctoritate apostolica præsentium tenore monemus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ districte mandamus, quatenus infra duorum mensium spatium a die publicationis præsentium in Romana curia, illi videlicet, qui tunc in eadem curia, vel infra duas dietas prope illam existent, alij vero ex eisdem patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus, archimandritis, & præsidentibus regularibus vbicumque infra huiusmodi spatium extiterint, a die qua monitio & mandatum nostra huiusmodi ad eorum notitiam peruenerint, vel in prouincia in qua tunc erunt publicata fuerint, computandum faciendæ, de ipsa curia & locis, in quibus existent, omnino recedere, & bona fide continuatis dietis ad suas diœceses, ecclesias, & monasteria proficisci, ac ipsi omnes & singuli (exceptis quatuor maioribus seu principalibus patriarchis, quorum sedes sunt in terris, quas infideles & schismatici detinent, constitutæ & in ipsis sedibus tute residere non possunt) in suis ecclesijs & monasterijs, vel ijdem patriarchæ de dictis principalibus non existentes; nec non archiepiscopi & episcopi ac electi in suis diœcesibus, vel ipsi abbates, archimandritæ, & præsidentes in ecclesiis, prioratibus, siue locis ad mensas pertinentibus eorundem, etiam si sint extra diœceses, in quibus monasteria ipsa existunt, dum tamen vltra mediam dietam ab ipsis monasterijs non distent, residere personaliter & huiusmodi continuare residentiam non omittant: ita tamen, quod abbates & præsidentes huiusmodi pro maiori parte temporis in principalibus eorum monasterijs residentiam faciant personalem, &c.] Decernit eos, qui apostolico imperio non paruerint, ex canonicarum sanctionum præscripto puniendos. *Dat. Auin. xv. kal. aprilis anno v.*

Excepti a residentia Cardinales.

25 Segnior fuit in perficiendis apostolicis imperijs Petrus archiepiscopus Cretensis, quem ideo Gregorius grauissimis literis perstrinxit: intentatoque anathemate ei præcepit a, vt gregem suum euoluendo ab acceptis literis mense præsens curaret. Desiderabatur eo magis Petri præsentia ad ecclesiam Cretensem sustentandam, quo plures in eam abusus irrepserant, eandemque schismatici quatere niterentur: conferebatur enim Græcis schismaticis ecclesiarum administratio, sacerdotiorumue vectigalia locabantur; ex quo cum grauiora incommoda emergerent,

a To.5.ep.secr.pag.160.

De Cretensibus abducendis a schismate.

rent, Pontifex incusso anathemace ipsos ab huiusmodi muneribus deturbari iussit a. Præterea ad discutiendas ignorantiæ tenebras singula fidei orthodoxæ capita in luce & omnium oculis collocauit b, transmissis ad Cretæ insulæ episcopos catholicos literis, quos amplissima instruxit auctoritate, vt schismaticos censuris solutos ecclesiæ gremio pristinisque iuribus & dignitati restituerent.

a An. 5. ep. cur. pag. 33.
b Eod. an. 5. ep. cur. pag. 290.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Cretensi, & Kyronensi, Sitiensi, Aichadiensi, Calomonensi, Agriensi, Kissimensi, Canticensi, Ariensi, & Miliopotamensi episcopis.

Ad propagationem catholicæ fidei (super cuius custodia sumus, licet insufficientibus meritis, a Domino deputati) & catholicæ & apostolicæ ecclesiæ matris & magistræ cunctorum Christifidelium (cui auctore Domino præsidemus) reductionem ad obedientiam & reuerentiam ipsius ecclesiæ pastorali solicitudine intendentes, viam & formam omnibus huiusmodi deuijs tenemur ostendere, per quas salubriter ad dictum gremium possint accedere, in eoque perpetuo commorari: & vt ad hoc eo animentur feruentius, quo benignitatem dictæ ecclesiæ gustauerint dulciorem, eis opportunos fauores & gratias de Apostolicæ sedis clementia elargimur. Sane cum, sicut relatu fidedigno percepimus, populi ciuitatum, castrorum, & villarum insulæ Cretensis pro longe maiori parte sint Græci schismatici, a gremio dictæ ecclesiæ separati, ac diuersis erroribus hæreticalibus irretiti, & nonnulli eorum ex diuina gratia & vestris ac aliorum prædicationibus & inductionibus, relictis huiusmodi schismate ac erroribus, ad orthodoxam fidem conuertantur, & ad dictum gremium reducantur interdum; nos cupientes eos salutari edoceri doctrina, formam quam in talibus consueuit seruare dicta ecclesia, præsentibus fecimus annotari, volentes & mandantes, quod quilibet, qui fuerit schismaticus & præcisus a præfatæ ecclesiæ vnitate, & ad eam redire voluerit, dictam professionem in manibus alicuius vestrum faciat in ipsa forma, quæ talis est: Ego talis profiteor & credo sanctam Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, &c. vsque semper salus. [Hanc ijsdem conceptam verbis lector reperiet; quibus Ioannes Palæologus eam Romæ paucis ante annis professus est c, quamque Armenis, Tartaris, Alanis, Lithuania propositam alias vidimus d. Pergit Pontifex.]

Fidei orthodoxæ formula proposita

c Anno Chr. 1369 n. 2.
d An Chr. 1336. nu. 78.

Vnde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta & lecta est & fideliter exposita, veram sanctam, & orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto, & corde & ore profiteor; ipsamque, prout eam veraciter tenet & fideliter docet et prædicat sacrosancta Romana ecclesia, me inuiolabiliter seruaturum, & in ea omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, & quoquomodo deuiaturum, promitto: & abrenuncio omni schismati. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor & recognosco, accepto & sponte suscipio, & me omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem ecclesiæ Romanæ primatum, & ipsarum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, & perseuerantiam seruaturum, præstito corporaliter iuramento, promitto & confirmo, Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Quod si contra hæc aliquid sentire, confiteri, aut alias agere præsumpsero, me schismaticum & anathematizatum eo ipso recognosco, ac seueritati sacrorum canonum subiacere.

Alia eiusadi schismatis.

Præterea cum presbyteris & alijs clericis secularibus & regularibus Græcis, qui secundum dictam formam huiusmodi professionem emittent, volentes agere gratiose, vobis & cuilibet vestrum in solidum illos ex eisdem presbyteris & clericis, qui dum erant in huiusmodi schismate, etiam scienter quoscumque ordines etiam sacerdotalem ab episcopis schismaticis seu hæreticis, etiam eis in contemptum fidei adhærendo, receperunt, auctoritate nostra per manus impositionem & etiam ad cautelam, si dubitetur an alias fuerint absoluti & reconciliati, absoluendi & reconciliandi, & cum eis dispensandi super ipsis ordinibus seu eorum executione, ipsosque ad eosdem habilitandi & habiles reddendi, etiamsi ante dispensationem, post conuersionem tamen eorum in eis ordinibus ministrarunt, & ipsos ordines omnes, si de ipsorum collatione dubitetur, vna & eadem die etiam dominica de nouo, (alias tamen iuxta formam eiusdem ecclesiæ exprimendo, quod si ipsos ordines receperunt, non conferuntur, & si non receperunt, conferuntur) conferendi, & insuper quod quæcumque dignitates, personatus, officia, & beneficia cum cura vel sine cura obtenta per eos a catholicis vel schismaticis collata eisdē, etiam si dignitates ipsæ maiores post pontificales in cathedralibus, & principales in collegiatis ecclesijs existant, retinere licite valeant perinde, ac si ante collationes eis factas de ipsis super prædictis omnibus plene dispensatum fuisset, dispensandi; fructus quoque per eos ex beneficijs ipsis perceptos remittendi eisdem, & ad alia similia in posterum obtinenda, si eis canonice conferantur, etiam habilitandi, & alia licita circa hæc agendi, quæ vestræ circumspectioni expedientia videbuntur, quibuscumque apostolicis & alijs constitutionibus, nec non statutis & consuetudinibus ecclesiarum huiusmod contrarijs, iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, quæ ad alia post suprascriptam formam eiusdem professionis contenta nequaquam obstantibus; plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem, præsentibus post viginti annos minime valituris. *Dat. Auin. xv. kal. maij pontificatus anno* v.

Absoluendi schismaticos sacerdotes data auctoritas.

Conferendi iuris in dignitates ecclesiasticas.

26 Sanciebat hæc ad pelliciendos ad officium schismaticos Gregorius, qui non minori studio ad hæreseon excindendas reliquias incubuit. Infecerat Vvaldensium lues præcipue delphinatū Viennensem, Sabaudiam, Prouinciam, præsulumque inertia repullulabat. Ad quam abolendam in primis archiepiscopos Arelatensem, Viennensem, Tarantasiensem, Ebredunensem, eorumque suffraganeos episcopos perstrinxit inertiæ a, qui eiusmodi hæresim in suis prouincijs grassari paterentur: *Audimus*, inquit, *quod in eis hæreticorum multitudo moratur etiam ab antiquo, contra quos vos & prædecessores vestri negligenter omisistis vestrum officium exercere: vnde fit, quod multiplicantur execrabiles hæreses, et hæreticorum numerus, proh dolor! adaugetur.* Iniunxit ijsdem munus, vt cēsuras apostolicas, solemni ritu incussas hęreticis, diuulgarent. Tum confugit ad Carolum Francorum Regem, cui maiorum in hæreticis perdendis exempla proposuit b, vtque proceres illos delphinatus a vera nobilitate degeneres, qui hæreti-

Delphinatus hæresi infectus.

a An. 5. ep. cur. pag. 21.

Solicitat Gall. Rex, vt leges distringat in hæreticos.

b Pag. 29. & pag. 30

ticos suo patrocinio texerant, comprimeret : nec modo acerbioribus edictis, sed etiam misso aliquo regio administro orthodoxæ fidei censoribus auctoritatem conciliaret. Obsecutus est pontificijs voluntatibus Carolus Rex, ac more institutoq; maiorū regio edicto meritis pœnis hæreticos affici, ac delphinatus magistratus ijs, quibus sacræ inquisitionis exercendæ prouincia data erat, opera & auxilio non deesse imperauit a. Verum delphinatus præfectus in fidei splendore tuendo segnior regia edicta non exequebatur, nec Prouinciæ proceres opponentes sese catholicæ fidei censoribus cohibebat b. Vicit denique impia repagula piut Gregorij ardor, missusque ab eo Antonius episcopus Massanus Apostolicæ sedis internuntius, vt cum sacris fidei inquisitoribus & episcopis hæreticos damnaret: qui munus suum adeo strenue gessit, vt carceres reos vix caperent, nec facultates ad eos sustentādos suppeterent: consultusque rescripsit Gregorius, cum præsulum inertia tanta hæreticorum colluuies emersisset, ecclesiarū vectigalia eo deriuanda esse. Tum nouos & munitiores carceres Arelate, Ebreduni, Viennæ, & Aucnione extrui iussit c, ac fidelibus qui stipem in id conferrent, præmia indulgentiarum est impertitus d.

a Pag. 28.
b Eod.pag. Missus internunci apostolicus ad comprehendendos hæreticos.
Ecclesiastica vectigalia ad eos incarcerandos iussit addi.
d Pag. 25.

In Sabaudia cum fidei censores Dominicanæ familiæ tuendæ religionis integritati, confutandisque hæreticorum erroribus operam nauarent, in eum furorem nonnulli hęretici prorupere, vt illos obtruncarint: quo accepto nuntio, Christi vicarius Amedeum comitem pio in impios ardore accendere conatus est e, vt qui olim tutandæ fidei præclarissimum exemplum in debellandis Turcis, & Gallipoli ijs eripienda explicuisset, orthodoxorum pręsulum sanguinem fundi pietatis odio impune non pateretur.

e To.5.ep. secr.pag. 29.

Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ.

Cum multo dolore percepimus, quod cum quondam Antonius Saluianensis ordinis fratrum Prædicatorum in partibus Pedemontis inquisitor hæreticæ prauitatis, sciens nonnullos vtriusque sexus de villa Bricarax Taurinensis diœcesis tuo dominio temporali subiecta esse infectos labe hæreticæ prauitatis, & contra errores eorum prædicasset in ecclesia dictæ villæ, nonnulli ex eis circa numerum duodenum maligno concitati spiritu, diuersisque armis accincti, more furiosi furentes in medicum salutis eorum, ipsum inquisitorem egressum de præfata ecclesia prope ipsam immaniter trucidarunt. Nec omittimus, quod (sicut habet fidedigna relatio nobis facta, & dicitur esse notorium) non sunt longa tempora, quod in claustro loci fratrum Prædicatorum terræ tuæ Secusiæ dictæ diœcesis in die purificationis B. Mariæ virginis, de quodam alio inquisitore simile fuit sacrilegium perpetratum. Ex quibus præter grauissimam offensam Dei, cuius fides, quam ipse Deus humano generi præbuit ad salutem, sic grauiter laceratur & læditur, & conturbationem fidelium honori tuæ nobilitatis, si contra hæc debitum non apponat remedium, nimium derogatur.

Censores fidei trucidati in Sabaudia.

Quare deuotionem tuam paterne requirimus, & hortamur attentius, quatenus tanquam pugil dictæ fidei, pro qua infideles & feroces Turcos cum magna & strenua comitiua nobilium olim triumphaliter dimicasti, sicut alter Mathathias zelans legem Dei, in sic detestabiles transgressores ipsius legis & fidei zelum sanctum assumens, contra sceleştos patratores tantorum criminum debitas, prout ad te spectat, exerceas iustitiam & vindictam; ita quod ipsi iustam punitionem non euadant, & alij committere similia in tuis terris de cætero non præsumant, tuque gloriosi tui nominis effectum comproberia habere: merito enim amare Deum censeberis, cum subuertes suæ fidei subuersores, & terram tuam talibus perniciosis spinis & tribulis expurgabis. *Dat. Auin. xiii. kal. aprilis anno v.* Data etiā fuere Taurinensi episcopo imperia a, vt in eos hæreticos Antonij viri religiosi sanguine maculatos animaduerteret. Cęterū in Siciliæ insula Panormitani egregiū in tuenda fide aduersus hæreticos studium explicuere, duodecim vncijs aurei e vectigalibus ciuitatis ad eos perdendos attributis b: ac ne sumptus in perscrutandis illis necessarij deessent, Friderico Regi suasit Pontifex c, vt hæreticorum bona fisco addicenda in id deriuarentur.

Sabaudiis ad hæreticos perdē dos sollicitatus.
a Ib.pag.10 Panormitanorū cōtra hæreticos egregia studia.
b To.5.ep. secr.pag. 32.
c Ib.pag. 36.& 37.

27 Neque in Europa modo, verum in Africa quoque & Asia hæreticos insectatus est Dei vicarius: in Africa quidem, cum ad inficiendos Tunetani regni Christianos Laurentius Carbonellus pseudominorita profugisset, Pontifex Iacobum Patani, & Guillelmum e Riuopullio Christianarum copiarum, quæ sub Rege Tunetano stipendia faciebant, duces excitauit d, vt nefarium hominem, quem iniquitatis filium ac ministrum sathanæ sub ouili pelle lupum gestantem vocat, vinctum ad archiepiscopum Neapolitanum vel Pisanum transmitterent. Ad cohibendam pariter eorum impietatem, qui in Asiam, vt hæreseos virus vel in Syria aut Ægypto impune euomerent, se conferebant, Minoritarum præfectum, quem prouincialem appellant, ad eos legibus persequendos auctoritate instruxit. e

In ipsa etiā Africa infectatur hæreticos Greg.
d Pag. 42.
Et in Asia.

Ad reuocandos etiam eos, qui a Christo vel rerum terrenarum amore deliniti, vel terrore suppliciorum perculsi, ad Mahometanam superstitionem desciuerant, in salutis viam, eidem Minoritano præfecto ac Gerardo e Lineyo partes contulit f, vt ipsos si criminis pœniterent, in gratiam cum ecclesia restituerent, exoluerent censuris, ac pristinis iuribus assererent. Plures vero Christianos vexatos a barbaris, ob Alexandriæ expugnationem efferatis, Christianam religionem eiurasse, ex hac literarum apostolicarum parte colligitur, in qua Gregorius misetandam eorum animarum stragem ita deplorat g: *Dolenter accepimus, quod in nonnullis partibus, quas soldanus Babylonia detinet inter Saracenos, nonnulli dudum Christianam religionem professi, & sacri baptismatis fonte renati conuersantur & habitant, qui antiqui hostis fraude decepti, vel adulatione blanda seducti, aut tormentorum timore perterriti, aut animorum leuitate abnegantes salutificum nomen Christi ab auctore salutis se alienos fecerunt, & adhæserunt & adhærent abominabili ritui Mahometi, & lapsi sunt in nonnulla alia hæreticorum schismata, perfidiam, & errores. Dat. Auin. vi. kal. decembris anno v.*

e Pag.44. Reuocandis ad fidem apostatis data opera.
f Pag.45.
g Ib.pag. 45. Plures a Christo Babylonij defecerant.

28 Nec prætereundum videtur, Gregorium religionis instaurandæ studio permotum nonullas hoc anno ecclesias cathedrales erexisse: sanxit enim h ad Ladislai Opuliensis ducis & Ludouici Vngariæ & Poloniæ Regis preces vt Primisliensis, Laudimiriensis, & Chelmensis ecclesiæ in Russia sediū episcopalium dignitate insignirentur, ipsisq; Haliffiensem iure metropolitico præesse iussit, cū in ijs locis religio efflouruisset: ac Gnesnensi archie-

h An.5 ep. cur.pag 3.

enisepiscopo, & Cracouiensi Plocensique episcopis partes demandatæ sunt a, vt idoneos præsules illis præficerent, quamuis episcopus Lubecensis eas sibi veluti parochiales obnoxias contendisset.

a To. 5. ep. secr. pag. 10.
Episcopatus in Russia cōditi.

Nec pium Christi vicarij studium in tollendis prauis abusibus, obtorpuit; Lundensi quidem archiepiscopo ac suffraganeis imperia dedit b, ne diebus sacris nundinas permitterent; ac præsules ad curandas ecclesias ac sua tuendas præsentia cogerentur. Abhorrentem etiam a Christiana mansuetudine nefariam consuetudinem, quæ in Gallijs atque alibi inoleuerat, ne scilicet reis extremo afficiendis supplicio pœnitentiæ sacramentum ministraretur, aboleri iussit; ac iudices vltra mortem sæuire, & necare cum corporibus animas vetuit. Quo argumento hæ ad Francorum Regem datæ literæ c,

Nundinæ diebus sacris vetitæ.
b An. 5. ep. cur. pag. 83.
c To. 5. ep. secr. pag. 152.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Francorum illustri.

Ad pietatis & misericordiæ opera tanto te, fili charissime, cōfidentius exhortamur, quanto te illis deuotius vacare percipimus, quantoque magis serenitatem tuam decet in eis iugiter exerceri. Cum itaque, sicut accepimus, in nonnullis & maxime in Gallicanis partibus de consuetudine, que dicenda est potius corruptela, hactenus sit seruatum, quod vltimo deputandis supplicio, etiamsi petant, negatur pœnitentiæ sacramentum, propter quod quamplures graue, non est dubium, incurrunt periculum animarum; ac benignitatem tuam non deceat aliquatenus talia tolerare, benignitatē ipsam vt charius possumus deprecamur, & pro speciali munere petimus, quatenus cum id sit expresse contra canonica statuta, pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia, & etiam tuæ salutis intuitu, præmissam consuetudinem inantea obseruari non permittas: sed huiusmodi vltimo deputandis supplicio pœnitentiæ sacramētum dari permittas atque mandes; & in hoc taliter te habeas, quod tantum bonum, per quod Dominum tibi constitues propitium, & quod tibi ad magnum honorem & salutem cedet animæ, tuis fiat & adimpleatur temporibus; nosque proinde celsitudinem regiam dignis in Domino laudibus attollamus: super his autem venerabili fratri nostro Annerito episcopo Parisiensi fidem indubiam adhibere serenitas tua velit. *Dat. Auin. v. kal. nouembris anno v.* Hæc de pietatis cultu tuendo augendoue suffecerint; nune de apostolico studio in iure ecclesiastico contra Regum principumque potentiam defendendo agamus.

Impia apud Gallos corruptela.
Sublata ad Gregorij preces.
Vltimo afficiendis supplicio pœnitentiæ sacramentum conferendum.

29 Obstrictus erat Carolus Francorum Regis maior natu filius delphinus Viennensis ad nonnullas vrbes in suo principatu pontificiæ liberalitati acceptas referendas: cumque officio suo in ea re deesset, Gregorius ne Romanæ ecclesiæ iura obsolescere pateretur, Carolum Regem docuit d, quæ loca iure fiduciario sedi Apostolicæ obnoxia essent; rogauitq; vt delphinatus præfecto ad clientelarem sponsionem solemni ritu præstandam partes demandaret.

d To. 5. ep. secr. pag. 143.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Francorum illustri.

Scimus, quod eximiæ deuotionis claritate præfulgidus circa Romanæ ecclesiæ matris tuæ manutenenda iura libenter intendis, ac studio solicitudinis operosæ intento prosequeris quæcunque sibi vtilia fore cognoscis; propter quod ad id celsitudinem regiam tāto libentius inuitamus, quāto in hoc promptiorem esse nouimus per te ipsam. Cum itaque, fili charissime, dilectus filius Carolus delphinus Viennensis primogenitus tuus medietatem villæ de Romanis, ac de Niouns & de Mirabellis castra, & maius dominium castri de Vinsobrio; nec non duas partes & iura vassalatica duarum partium dominij, meri & mixti imperij, ac iurisdictionis omnimodæ castri Reppefature & Patenam, dominium & iurisdictionem merum & mixtum imperium proprietatis, & iura vassallatica castri Podij Hugonis; nec non medietatem dominium, & iura vassallatica, & quicquid hospitale S. Ioannis Ierosolymitani tenebat & possidebat a domino Montisalbani in castro de Nouanisano; & insuper quartam partem feudi & dominij meri & mixti imperij & iurisdictionis territorij Albanbaneti; tertiam quoq; partem feudi, iurisdictionis, meri & mixti imperij territorij S. Andreæ de Spontazano; medietatem etiam pro indiuiso iurisdictionis & ius vassallaticum, & quicquid habet in territorio Baldibe S. Mauritij & de Quoqueto; & quicquid iuris habet & habere debet, aut visus est habere in dictis castris, locis, & territorijs Viennensis, Vasionensis, & Aurasicensis diœcesis, a nobis & Romana ecclesia in feudum teneat, & ratione præmissorum nobis homagium & fidelitatis iuramentum præstare teneatur, prout (sicut credimus) regia sinceritas bene nouit; nos attendentes teneram teneram dicti delphini, quem tanquam filium benedictionis & gratiæ, & ad magna & Deo placentia prælectum specialiter gerimus in visceribus charitatis: & propterea in præmissis eidem delphino atque suis (ita tamen quod per hoc eidem Romanæ ecclesiæ, ac nobis & successoribus nostris nullum in posterum præiudicium generetur) quamuis libenter eiusdem delphini contemplaremur præsentiam, complacere volentes, excellentiam regiam rogamus & hortamur attente, quatenus dilecto filio nobili viro gubernatori delphinatus, vel alteri, de quo eidem excellentiæ regiæ videbitur, committi facias, vt huiusmodi homagium & fidelitatis iuramentum ratione præmissorum & etiam aliorum, si quæ sint, nomine dicti delphini (sic quod per hoc, vt præfertur, eidem Romanæ ecclesiæ, ac nobis & successoribus nostris nullum in posterum præiudicium generetur) nobis & eidem Romanæ ecclesiæ præstet, vt est moris: & super his venerabili fratri nostro Annerito episcopo Parisiensi fidem indubiam adhibere serenitas tua velit. *Dat. Auin. v. kal. octobris anno v.* Pari studio incubuit a ad tuendum Rothomagensis archiepiscopi in Rothomagum dominatum, quo cum hactenus esset potitus, depelli a regijs magistratibus cœperat: & Carolum Regem admonuit, ne eam suo nomini labem aspergeret, vt libertas ecclesiastica, quæ sub alijs Regibus viguerat, ab ipso opprimeretur.

Pars delphinatus fiduciaria sedis Ap.
Monetur Carolus, vt ab illo præfecto clientelarem sponsionem præstandam curaret.
a To. 5. ep. secr. pag. 319.
Rothomagensis archiep. veterem in Rothomagū imperio pulsus.

30 In Vngaria Ludouicus Rex libertati ecclesiasticæ infestus in eo erat, vt ad sui gratiam ac voluntatem omnes ecclesiasticas dignitates conferri ab sede Apostolica contenderet: cuius votis cum non assentiretur b Pontifex, pristini in ecclesiam amoris ardor ob nonnullorum susurros in eo refrixit; qua de re Gregorius x. kal. augusti apud Elisabetham Reginam questus est, tum Ludouicum admonuit: *Tua*, inquit c, *discreta deuotio dignetur attendere, si est decens & expediens vniuersali ecclesia, quod omnia prælaturæ, dignitates, & beneficia, in quibus dicta sedes meram & plenam a Deo potestatem obtinet, ad beneplacita principum & aliorum dominantium concedantur. Hæc enim non catholici Reges, sed tyranni faciunt.*

b Ib. pag. 40.
c Ib. pag. 82.
Ecclesiastica munera ad principū vagas voluntates non conferenda.

stiunt, quorum exemplum detestabile & damnabile ipsi Regi per aliquos detestabiles Reges, vt audiuimus allegatur. Aduertas etiam, *si super his omnia dicti Regis beneplacita curaremus adimplere, quale inde exemplum daretur: oporteret nos & successores nostros Romanos Pontifices aut facere simile (quod absit) quia non expediret fidei Christianæ: aut ipsorum Regum contra Apostolicam sedem periculosa turbatio oriretur, &c.* Addit preces, vt Ludouicum Regem ab ea sententia dimoueat, atq; ad pristinum ecclesiæ amorem reuocet: illius enim potentiam hostibus ecclesiæ magno terrori futuram. *Dat. Auin. vi. id. decembris anno v.*

a Gesta Greg. XI. apud Bosq. Cardinales creati a Gregorio. * non

31 Auxit anno extremo Gregorius Cardinaliũ numerum quos vitæ eiusdem Gregorij auctor his verbis recenset a: *Anno*, inquit, *LXXV. die vigesima mensis decembris, qua fuit ionis.* * *feria sexta quatuor temporum, dictus Gregorius Papa XI. creauit nouos Cardinales, videlicet octo presbyteros & vnum diaconum; presbyteri vero fuerunt dominus Petrus Iudicis diœcesis Lemouicensis monachus ordinis S. Benedicti, tunc archiepiscopus Rothomagensis, consanguineus germanus ipsius Papæ: dominus Simon de* * *Brousano Italicus, tunc archiepiscopus Mediolanensis referendarius ipsius Papæ: dominus Hugo de* * *Monari legum Brito, tunc episcopus Briocensis: dominus Guido de* * *Malesico diœcesis Tutellensis, tunc episcopus Pictauensis, cõsanguineus & referendarius ipsius Papæ: dominus Ioannes de Grargia diœcesis Lugdunensis monachus ordinis S. Benedicti, tunc episcopus Ambianensis: dominus Petrus de Sortenaco Caturcensis tunc episcopus Vinarensis: dominus Geraldus de Podio, tunc abbas maioris monasterij consanguineus ipsius Papæ, & vicarius suus in Perusio: & dominus Ioannes de Buxeria Burgundus tunc abbas Cisterciensis. Diaconus vero fuit dominus Petrus de Luna Aragonius decretorum doctor præpositus Valentinus. Et hic attendendum, quod ista creatio non fuit facta die veneris, secundum quod fieri alias consuetum: & hoc ideo, quia illa die fuit festum B. Thomæ Apostoli, qua die non fuit tenendum consistorium. Fuit etiam protelata dicta creationis publicatio vsque ad diem sabbathi subsequentem propter dictum festum, cum tamẽ alias in crastinum ipsius fieri debuisset.* Vbi accepit S. Catharina virgo Senensis nouos a Gregorio Cardinales esse creandos, diuino instinctu afflata cum summis precibus monuit b viros virtutum omnium genere excultissimos ea dignitate insigniendos: secus enim magno diuinitatis opprobrio ecclesiæque exitio futuros. Et quidem ex ijs plerique schismati conflando operam dedere: flagitioque præcelluit Petrus e Luna, qui arrepto Benedicti XIII. nomine ecclesiam Dei diu vexauit.

* al. Boyssano
* al. Monte legum
* al. Malesino

S. Catharinæ ad Greg. de his vaticinium. b Ep. 3. ad Greg. XI.

IESV CHRISTI
Annus 1376.

GREGORII PP.XI. annus 6.	CAROLI IV. IMP. OC. 31. IO.PALÆOL. IMP. OR. 36.

r TVendæ dignitatis sedis Apostolicæ, ac ditionis pontificiæ ex inuasorum tyrannide vindicandæ studio legum seueritatem distrinxit Gregorius in Florentinos anno a virgineo partu millesimo trecentesimo septuagesimo sexto indictione quartadecima: cum illius populi magistratus praua ambitione acti, libertatis ostentato nomine, clientes ecclesiæ adducere in seruitutem molirentur. Labentis itaque anni, tertia die februarij eos, qui Florentinæ reipublicæ habenas ab excurrente iunio moderati erant, postulauit iudicio; vtque peruerse tentata rescinderent, illataque ecclesiæ sarcirent damna, obiecto grauiorum pœnarum terrore, indixit. Tum additæ fuere imperia, vt pridie kal. aprilis ad dicendam causam apud subsellia apostolica se sisterent. Qua die constituta postea recurrente, cum Florentini magistratus inanibus fucis crimen colorarent, illos Gregorius, seruato iudiciorum ordine, damnauit: vtque alienarum opum cupidum populum, suorum bonorum iactura intentata, ad officium reuocaret, Florentinorum fortunas diripientium audaciæ, & corpora seruituti subiecit, vt eiusdem Pontificis vitæ auctor enarrat a, subiectæ pontificiæ sententiæ præcipua capita paucis complexus.

Florentini postulati iudicio.

a An. 6. p. 1 pag. 5.

Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

In omnem fere terram fidelium, præsertim in partes Italiæ & regiones quaslibet vicinas eisdem, exiuit sonus horribilis furoris immanis, & aliorum operum nefandorum, quæ perditionis filij impij Florentini aduersus Deum creatorem suum & Romanam ecclesiam, a qua multa beneficia & grata seruitia receperant, aliasque ecclesias & personas ecclesiasticas etiam Cardinalatus & pontificalibus dignitatibus præditas, ipsiusque Romanæ ecclesiæ & nostros fideles deuotos & subditos diuersis temporibus non sunt veriti perpetrare; & quæ sic fuerunt & sunt notoria, & memoriæ cunctorum debent infixa consistere, quod ad vitanda prolixitatis fastidia, & tædiosum auditum huiusmodi scelerum hominum reputamus consultius non omnia repetere de præsenti. Sed ad memoriam cunctorum reducimus, quod ijdem Florentini aduersus Dei & Apostolicæ sedis reuerentiam, inquisitorum hæreticæ prauitatis officium in ipsius libera executione impedientes, statuerunt quod nõ possit in eorum ciuitate, territorio, & districtu contra hæreticos nisi certo modo procedi; nec dicti inquisitoris familiares, nisi ad certum numerum & habita licentia eorundem officialium temporalium, arma deferre valeant ordinarunt: quodque priores artium & vexillifer dictæ ciuitatis in principio eorum officij de obseruandis iniquis eorum legibus, contra dictum inquisitorem & eius officium editis, teneantur præstare corporale iuramentum. Ipsius quoque inquisitoris carcerem, in quo hæretici ponebãtur, concitato tumultu populi totaliter destruxerunt, & inquisitorem qui tunc erat expulerunt: & quamplurima alia statuta & ordinationes in præiudicium inquisitionis huiusmodi hæreticæ prauitatis & hæreticorum fauorem, ac in ecclesiæ libertatis præiudicium ediderunt, & ea de facto seruare non verentur: ac etiam ordinarunt, quod auctoritate literarũ Apostolicæ sedis possessionem alicuius beneficij ecclesiastici in præfata ciuitate & eius territorio & districtu constituti nullus recipere audeat, nisi prius literæ ipsæ prioribus & vexillifero dictæ ciuitatis præsententur, & licentiã obtineant ab eisdem; & quod quãdo clericus accusatur corã iudice temporali, vel ab eo aliquid ciuiliter petitur, & allegat priuilegium clericale, quod ex hoc sit extra custodiam dictæ ciuitatis; ita quod quilibet possit eum impune offendere & occidere; omnesque allegantes huiusmodi priuilegium clericale in quodam libro seu chartulario describuntur, vt pateat omnibus libera licentia offendendi eos, & etiam occidendi.

Obiecta illis nefaria decreta aduersus fidei censores.

Ius ecclesiasticum violatum.

Exercita in monachum sacerdotem carnificina.

2 Et insuper dudum priores & vexillifer dictæ ciuitatis Florentinæ, qui tunc erant, ac populus & commune supradicti spiritu furoris accensi quendam Nicolaum monachum in sacerdotio constitutum quibusdam sceleratis viris, cum nullus officialis iustitiæ partium earundem de hoc se intromittere vellet, torquẽdum dederunt, qui monachum ipsum in suæ religionis & ordinis clericalis vituperium ad ostendendum eum fore sacerdotem de nouo radi fecerunt, & eum in quodam curru posuerunt, & cum tenaculis igneis ipsius carnes euellentes, eas canibus proiecerunt: & sic eum per ciuitatem Florentinam prædictam, transeundo etiam prope ecclesiam cathedralem ad maius ordinis clericalis vituperium, vsque ad locum, vbi fures suspenduntur, deduxerunt: ipsumque coram populo clamantem, quod a sibi impositis innocens erat penitus & immunis, viuum sepeliri fecerunt atque mori. Et insuper in pluribus ciuitatibus, terris, locis, atque castris nostris & eiusdem Romanæ ecclesiæ in partibus Italiæ, & specialiter in prouinciis patrimonij B. Petri in Tuscia, ducatu Spoletano, prouincia Massæ Trabariæ, marchia Anconitana, & Romandiola consistentibus, cum eorum peruersa astutia ac amara malitia diuersas zizanias seminantes, rebelliones contra nos & eandem Romanam ecclesiam fieri procurarunt: & etiam ordinarunt, quod Franciscus de Vico, qui præfectus Vrbis nuncupatur, & Baptista eius frater Viterbiensem, Antonius de comitibus de Monteferrato Vrbinatẽ, & Sinnibaldus natus damnatæ memoriæ Francisci de Ordelaffis Foroliuiensem ciuitates, quæ Romanæ ecclesiæ ab antiquo fuerunt & existunt, ac nonnulli alij tyranni terras, castra, & alia loca nostra & ipsius Romanæ ecclesiæ eorundem Florentinorum adiuti pecunijs, & suffulti gentibus & auxilijs (quamuis etiã nonnulli ex tyrannis huiusmodi & eorum progenitores prædictorum Florentinorum reorum & eorum partis inimici semper fuissent & hostes) tyrannice occuparunt, desinuerunt, & adhuc detinent indebite occupatas.

Disseminatæ in ecclesiast. ditione dissensiones.

Tyranni veteres concitati ad perduellionẽ.

3 Gentes quoque armigeras equestres & pedestres publice in fauorem, succursum, & defensionem huiusmodi nostrorũ rebellium transmiserunt, & ipsas gentes tenent in terris huiusmodi rebellatis; ac voluerunt & etiam ordinarunt, quod quicunque rebellis ecclesiæ Romanæ, ex eo quia factus rebellis, censeatur eorundem Florentinorum colligatus. Et cum in publicum huiusmodi rebelliones processerunt, statim ijdem Florentini duo erexerunt vexilla, videlicet communitatis Florentinorum ac vexillum aliud cum campo rubeo, vbi literis argenteis scriptum erat, LIBERTAS, ac nonnullas gentes armigeras cum huiusmodi duobus vexillis in succursum ciuitatis nostræ Perusinæ, quæ ipsis procurantibus iam rebellauerat, & aliorum locorum rebellium transmiserunt: & ad faciendum guerram huiusmodi octo maledictionis & iniquitatis alumnos, videlicet Thomam Marcij de Strozzis, Mattheum Frederici Soldi, Ioannem dictum Gnessium dictum Guthi, Ioannem Magalotti, Alexandrum de Bardis, & Ioannem Simonis, ordinarunt. Et quia non videntur posse per se eandem Romanam ecclesiam inuadere, omnes quos possunt in adiutorium suis pecunijs solicitare, ac verbis & literis fallacibus & mendacijs inducere non cessant. Et a clero ciuitatis & diœcesis Florentinæ, & aliarum terrarum, quas tenent, diuersas pecuniarum summas importabiles, etiam omni humanitate prorsus abiecta, extorserunt: ac octo viros sceleratos, videlicet Paulum Matthæi de Maleficijs, Beccum Guidigauze, Bardum Guich. de Altouitis, Ioannem Gangeli de Caponibus, ... de Sacchetis, Saluum Philippi Salui, Michaelem Peruzij hospitatorem, & Antonium Philippi de Tholosinis, quos publice octo sanctos appellant, ad rapiendum bona ecclesiastica deputarunt: qui ecclesias, monasteria, & alia pia loca, eorumque personas bonis suis spoliant, & huiusmodi bona mobilia & immobilia vendunt & distrahunt pro libito voluntatis. Et insuper dilectum filium Lucam de Florentia ordinis fratrum Humiliatorum professorem sacræ theologiæ magistrum ad reuelandum & declarandum quemdam hominem, qui eidem peccata sua, & inter cætera quædam furta per eum commissa confessus fuerat, sigillum confessionis frangere coegerunt: ac deinde præfatum hominem, cuius peccata fuerant reuelata, suspendi & mori fecerunt.

Libertatis nomen fallax propositum simplicibus.

Seditionũ incẽtores ludibrio sancti appellati.

Arcana exomologeseos piacularis propalari iussa.

4 Ad hæc priores artium & vexillifer dictæ ciuitatis, qui tunc erant, & nonnulli alij officiales, ac populus & communa ciuitatis Florentinæ supradicti, venerabilem fratrem nostrum Lucam episcopum Narniensem Apostolicæ sedis nuntium, quem specialiter ad partes dicti patrimonij destinabamus, & qui ab eadem Apostolica sede recedebat, iniuriosis, violentis, & sacrilegis ausibus capere, & captum aliquandiu crudelissimo carcere detinere miserabiliter præsumpserunt. Rursus priores, vexillifer, confallonerij, & alij officiales dictæ ciuitatis, qui tunc erant, ac populus & commune ciuitatis Florentinorum supradicti, ad inauditam patris offensam prosilientes, ac dolum & proditionẽ per eos præparatos conantes producere in effectum, dilectum filium nostrum Geraldum S. R. E. presbyterum Cardinalem, in nonnullis terris Italiæ pro nobis & eadem ecclesia in temporalibus vicarium generalem, magnum & honorabile membrum ecclesiæ, & in grandium agendorum executione probatum, hostiliter insequentes, procurarunt & de facto fecerunt, gentes armigeras ad ciuitatem nostram Perusinam prædictam designando, quod dictus Cardinalis ac etiam venerabilis frater noster Bernardus episcopus Bononiensis cum nonnullis alijs personis ecclesiasticis, eiusdem Romanæ ecclesiæ ac nostris officialibus, obsessi fuerunt, seu populo Perusino nostris & eiusdem Romanæ ecclesiæ rebellibus, ipsos Cardinalem, episcopum, & alios obsidentibus præbuerunt auxilium, exfortium, & iuuamen in diuinæ maiestatis offensam, Apostolicæ sedis ac nostri & ecclesiæ sanctæ Dei totiusque Christianæ religionis opprobrium, læsionem libertatis ecclesiasticæ, ac eorundem Cardinalis, episcopi, & aliorum supradictorum offensam, enormem iniuriam, exempli perniciem, & graue nimis scandalum plurimorum, pœnas varias & sententias tam in iure contentas, quam per processus diuersos per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. & nonnullos alios Romanos Pontifices prædecessores nostros contra tales factos damnabiliter incurrendo, & alia quamplura enormia crimina contra nos & eandem Romanam ecclesiam ac libertatem ecclesiasticam, quarum etiam aliqua hæresim manifestam sapere dignoscuntur, perpetrarunt. [Subdit Gregorius, licet crimen exploratum esset, inque Florentinos legum seueritas exeri iuste posset, demandatam tamen Petro tit. S. Laurentij in Lucine presbytero Cardinali prouinciam, vt de re in-

Geraldus Card. legatus petitus bello a Florentinis.

Commotum ad seditionẽ Perusinum.

Vt iudiciorũ ordo seruatus in Florentinos.

inquireret, ac pontificijs literis Florentinorum magistratus, qui ab excurrente anni superioris mense iunio, quo cœptæ in ecclesiam coitiones fuere, publicæ rei præfuerant, monitos tertia februarij die, vt a præstanda perduellibus ope, diripiendisque ecclesiasticis sibi temperarent, ac vltimam abeuntis martij diem illis ad causam dicendam apud apostolica subsellia constitutam: cumque vero neque intentato bonorum priuationis, ac seruitutis aliarumq; pœnarum terrore flagitio submoueri possent, præcipuos coniurationis auctores anathemate defixos, ac Florentiam sacrorum vsu interdictam: cumque neque his ecclesiasticis censuris illos mouendos spes adesset, humanarum pœnarum aculeis vrgendos censuisse: vetitum itaque cæteris fidelibus inita cum Florentinis commercia aut commeatus, ac vitæ necessaria inferre, aut operam ijs nauare, ac pronuntiatum, deturbandos bonis, quæ iure fiduciario ab ecclesijs obtinerent; tum hanc adiectam pœnam].

Inflictæ ijs pœnæ.

5 Et ne ipsorum temeritas transitet præsumptoribus in exemplum, bona ipsorum priorum, confallonariorũ, vexilliferorum iustitiæ, officialiũ populi & communis, & etiam quorumcumque Florentinorum, vbicumque consistentium, immobilia de eorundem fratrum nostrorum consilio confiscauimus; & personas ipsorum omnium & singulorum, absque tamen morte seu membri mutilatione, exponimus fidelibus, vt capientium fiant serui, & bona eorum mobilia quibuscumque fidelibus occupanda. [Decernit etiam omnibus pœnis edictis Ioannis XXII. in perduelles & tyrannos eorumque sequaces latis irretitos teneri, publico commercio interdici, proscribi, nota infamiæ inuri, testandi vel e testamento succedandi iure orbari, legumque aduersus iniuriam inferentes præsidio denudari. Deriuat etiam in posteros infamiæ maculam, eosque honoribus, sacerdotijs, ac muneribus publicis sancit depellendos. Tum alijs pœnis, prout demeruerint, affectum iri intentat; additque:] Illud insuper prælatos priores, confallonerios, vexilliferos iustitiæ, officiales, populum & commune nolumus ignorare, quod contra eos vniuersorum Imperatorum, Regum & principum, vniuersitatum & aliorum fidelium quorumcumq; proponimus inuocare subsidium, & per omnem modum & viam, per quos iuste poterimus, proponimus ipsorum superbiam, ingratitudinem, & proteruiam domare sic, quod illis reatus suos pœnarum acerbitate deflentibus, pœnales eorum fletus cedant perpetuo ipsorum posteris ad terrorem, &c. *Dat. & actum Auin. in palatio apostolico 11. kal. aprilis anno VI.*

Intentatæ aliæ grauiores.

6 Illata grauiora Florentinis damna, atque e pluribus locis spoliatos bonis fugam arripere coactos, refert vitæ Gregorij scriptor a: & Vvalsinghamus testatur b, mercatores Florentinos in Anglia redactos fuisse in seruitutem, eorumque bona fisco addicta: hisque malis perculsos Florentinos ad redintegrandam cum Pontifice pacem Catharinam Senensem sanctitate clarissimam misisse: quamuis postea magistratus Florentini & Pontifici & S. Catharinæ illuserint, vt refert S. Antoninus c, ex vita S. Catharinæ a B. Raimundo Capuano Dominicanæ familiæ supremo magistro conscripta: *His*, inquit, *malis arctati coacti sunt pacem cum Romano Pōtifice Gregorio tractare, quam tractabant per medias personas, quas existimabant gratas esse Pontifici. Et cum audissent, quod hæc sacra virgo Catharina propter suam sanctitatem satis erat Pontifici grata, procurauerunt eam*

a Gesta Greg. XI. apud Bosq.
b Vvalsing. hist. Angl.
c Ant. 3. p. tit. 23. c. 14. §. 16. ex B. Raymundo Capuano.
Florentini eō curdiæ adhibent interpretem S. Catharinam.

venire Florentiam. Ad quam venientem accesserunt aliqui ex magistratibus, rogantes quod personaliter Auinionem accederet ad Pontificem summum ex parte eorum, vt iram eius contra ipsos conceptam leniret, ac pacem & concordiam inter ipsum & eos tractaret. Zelo illa succensa charitatis laborem non recusauit, & fiduciam gerens in Domino operis exequendi, iter assumpsit debilis corpore. Auinionem applicuit. Pontificem alloquitur, sed per interpretem, me scilicet fratrem Raimundum: loquebatur enim in vulgari tusco, quod Pontifex non intelligebat, & ideo interpretatione opus erat. At benignus Pontifex pacis amator libenter audiuit, & clementer respondit: Vt omnibus pateat, quia pacem cum eis volo, ecce pacem ipsam pone in manibus tuis, charissima filia: tu tantum recommendatum habeas honorem ecclesiæ sanctæ. Verum quidam filij Belial octo numero assumpti a cōmunitate, qui ciuitatem gubernabant, licet verba dicerent: Pax, Pax; tamen in corde eorum non erat pax, neque in intentione eorum: sed pleni omni dolo ad hoc tendebant, vt ecclesia omni dominio temporali spoliaretur, vt non valeret ex eis vltionem assumere, vt patuit postea. Nam cum ipsam virginem miserunt ad pacem tractandam, promiserunt immediate oratores destinare post eam, qui haberent plenum mandatum assentiendi ijs, quæ ipsa cum Pontifice concordasset: sed tarde satis miserunt, & ipsi missi Auinionem nihil super prædictis fecerunt. Et interea Pontifex Catharinæ dicebat, videns tardationem: Catharina, isti me deceperunt, & te etiam decipient, quia vel non mittent, aut taliter nihil facient, sicut accidit. Hactenus auctor.

Excipitur illa beneuole a Gregorio.

Desunt promissis Florentini.

7 Questa est grauissimis literis S. Catharina a apud Florentinos, ipsos a priori comparandæ demissione Christiana Pontificis gratiæ consilio discessisse; hortata est, vt frangerent elatos spiritus: ecclesiasticas opes inuasisse, ac obtrita religione caducas res tantum sectari, corripuit: addiditque se a Pontifice humanissime exceptam, suoque arbitrio controuersiam omnem permissam, donec oratores Auinionem accessissent. Tardius ij a Florentinis missi sunt, & quæ illi antea S. Catharinæ spoponderant, seruare contempsere: quibus ipsa obiecit b præterita ab ijs metu & terrore, non admissæ culpæ dolore gesta: peruersi seculi dolos artesque instruere, non diuinæ Sapientiæ se accomodare: vtque Christi vicario se subijcerent, ac duriora etiam exciperent imperia, preces addidit. Frangi non potuisse Florentinorum pertinaciam, sed vetera scelera nouis cumulasse, refert vitæ Gregorij scriptor hisce verbis c: *Eorum communitas ad cor minime reuersa effectaque fortior in sua malitia extitit indurata, continuans priora prioribus contra dictam ecclesiam procurando & machinando: libellos etiam diffamatorios, falsa tamen & erronea continentes, contra statum ipsius ecclesiæ & personam dicti Papæ vbique transmittendo. Fecit præterea dictus Gregorius Papa suos processus contra illos, qui sibi & ecclesiæ rebellauerant, & talia commiserant superius enarrata, prout eorum cuiuslibet demerita exigebant.*

De his questa est virgo sancta.
a S. Cath. ep. 201.
b Ep. 202.
c Gesta Greg. XI. apud Bosq.

8 Cum vero leges spernerent ecclesiæ perduelles, vim armorum coniunxisse Pontificem refert auctor: creauit nimirum duos Cardinales legatos, Franciscum d scilicet tit. S. Sabinæ, quem Vrbi, Sabinæ, Campaniæ, Maritimæ, patrimonio B. Petri in Tuscia, ducatui Spoletano, nonnullisque vrbibus insignibus cum multa auctoritate præfecit; ac Robertum Basilicæ XII. Apostolorum presbyterum, cui Flaminiæ, Piceni, aliarumque

Creati duo Cardin. legati in Italia.
d Ha. 6 ep. car. 1. ad 16.

pro-

prouinciarum administrationem demandauit a; praecepitque vt ecclesiæ hostea bello persequeretur; tum instruxit auctoritate, vt pacem cum Vicecomitibus Mediolanensibus perciteret. Quæ vero ab eo gesta sint, narrat Gregorij vitæ scriptor, nimirum pacem cum Bernabone iniuisse, atque eos, qui excusso tyranni iugo in ecclesiæ clientelam se receperant, hosti prodidisse; perduelles vero, qui Florentinorum viribus nitebantur, ad æquas concordiæ leges adducere non potuisse.

a An. 6. p. 1. sp. dimess. forem pag. 11.

Robertus Gebennen. postea antipapa pacem cum Vicecom. init.

9 Recenset accuratius Roberti res gestas S. Antoninus b, vtque Bononiam varijs artibus ad obsequium ecclesiæ reuocare frustra tentarit; tum illum in crimen vocat, permisisse vt tres Britones cum totidem Bononiensibus singulari certamine equestri concurrerent: *Cum duellum*, inquit, *sit prohibitum lege non solum canonica, sed etiã diuina, quia hoc est Deum tentare, vt dicitur 2. q. v. Monomachiam, non catholice nec iuste legatus permisit ipsum duellum, & præsens adstitit*. Addit Gallos in ea pugna succubuisse Italis: ac Robertum, cum perduelles nec mulcere verbis nec armis potuisset frangere, Cæsenam se recepisse, ac licētię frœna militi adeo laxasse, vt Cæsenates atrocissimis iniurijs a Britonibus sibi illatis lacessiti, correptis armis, octingentos Britones obtruncarint. Vt vero Robertus verborum lenocinijs ciuilem tumultum compescuerit, ac deinde insigni crudelitate excitis Anglis Cæsenates nullo ætatis sexusue discrimine ferro conciderit, describit sanctus auctor subiectis verbis: *Arcem in ea munitissimam tenebat Gebennensis: qui veritus, ne ciuitas ad hostes deficeret, indignationem dissimulabat, nihilque sinistrum de Cæsenatum facto loquebatur; sed eos multa perpessos indigne, merito simul necessarioque aiebat arma corripuisse: verum ea deponere tandem, & ad sua redire suadebat. His verbis confisi Cæsenates arma deposuere. Accitis autem propere Anglorum copijs, & cum Britonibus coniunctis, per ipsam arcem eas contra populum inermem deceptumque immisit. Britones vero irati cædem suorum vlcisci properantes, neque ætati neque sexui pepercerunt, miseram & innocuam multitudinem trucidantes crudelissime. Angli autem cum eis magis insistebant rapinæ ciuitatis; vnde & Cæsenates ipsos admonebant ad fugiendum e ciuitate, vix enim aliqui alij euaserunt nisi a ciuitate recedentes: tanta fuit crudelitas Britonum, vt & lactentes de cunis extraherent, capita eorum ad parietes contundentes, aliquos alios strangulantes, reliquos perforantes, ipsos occisos alligantes ad ostia domorum. Strata plena erant cadaueribus & sanguinibus. Iuxta patres reperiebantur filij interempti: fœmi germanos fratres eorum; & cum vxoribus viri. Numerus autem occisorum fuisse dicitur tria millia, secundum aliquos quinque millia. Dominus autem Galeottus dux exercitus ecclesiæ hæc fieri sinebat quasi non curans, forte sperans ciuitatem vacuam remanentem ad eius dominium peruenturam, sicut postmodum accidit. Et vbi Britones hoc egerunt in vindictam, vt inde ab alijs ciuitatibus timerentur, citiusque se eis traderent, ne paterentur talia; oppositum inde sequutum est: nam tanto horrori omnibus Italicis hoc fuit, vt magis animarentur ad repugnandum eis, ne aliquando deuenirent ad manus tam immanium ferarum. Et si legatus ad hoc illos induxit, vt dicitur, cum tamen sub iureiurando promisisset Cæsenatibus securitatem, vt deponerent arma; ne dum prælatum ecclesiasticum vices tenentem vicarij Iesu Christi, sed Herodem & Neronem dedecuisset tam sæuissima scelestaque vindicta*. Hæc fuere Roberti egregia illa facinora, quæ postea Cardinales apostatas ad virum sanguinarium, promptumque ad omne scelus, creandum antipapam indicto Clementis illi nomine, permouerunt. Pergit S. Antoninus: *Sed inter hæc, vt habetur in chronico Florentino, hoc accidit stupendum miraculum, quia cum quidam ex Britonibus ipsis in quadam ecclesia super altare aliquot paruulos trucidasset, furoreque ebrius gladio ipso cruentato percuteret imaginem B. Antonij in pariete depictam, mox ignis, deuorans carnes, eius corpus inuasit: dumque sic immensis doloribus vreretur, cucurrit ad mare, & in aquam se projiciens, ibi ab igne consumptus est totus cum ossibus suis*. Hactenus sanctus auctor. De Britonum & Vasconum in Italia grassationibus, vtque demum internecione deleti sint, dicetur inferius.

b Antonin. 3. p. tit. 22. c. 1. §. 4. Leon. & Aret. l. 8.

Impie monomachiã permittit.

Cæsenates perfide contrucidari iubet.

Britonum barbara immanitas.

Diuina in sacrilegũ vindicta.

10 Adducta porro in discrimen ob Gallorum præfectorum intemperantiam a absentiamque diutinam Pontificum ditione ecclesiastica, Gregorius tum officij religione, tum monitis b S. Catharinæ, tum crebris Italorum literis impulsus ad sedem Apostolicam vrbi restituendam animum confirmauit, cum maxima affulgeret spes, superiores tumultus facile sedatũ iri; qua de re vitæ illius scriptor c: *Prædicta*, inquit, *durante tempestate, fuit per nuntios & literas pluries insinuatum dicto Gregorio Papæ, quod si ipse personaliter veniret ad partes Italiæ, confestim prædicta omnia recuperaret, & alia quæcumque * præmisisset ad statum debitum reducerentur, cessarentque machinata, procurata, & tractata tam contra statum suum, quam ecclesiæ memoratæ, quæ secundum relationes & considerationes plurium maiora ac peiora prioribus existebant. Ipse vero volens circa ea prouidere, & ipsis posse tenus obuiare, deliberauit se transferre ad partes memoratas, suosque gressus dirigere versus Romam: cum etiam Romani sui optantes præsentiam, eius ipsum ad hoc alliciendi multa & magnalia promitterent se facturos in sui fauorem & honorem quamprimum ad ipsos * declinarent. Qui sic disposuit facere & ordinauit, quamuis contra consilium & deliberationem totius collegij omniumque amicorum suorum*. Scripserat antea ad Gallici soli, vt in eo sacrorũ Christianorum princeps perpetuas sedes defigeret, commendationem commentarium vir eruditus Gallia oriundus, quem Petrarcha iam ante, eleganti elucubratione confutarat d; ex qua pauca hęc grauissimis referta sententiis delibamus: *Non equidem sic insanus sum, vt Romano Pontifici legem ponam, tum ipse sit legifer omnium Christianorum; aut legem sibi statuam sine sedem, qui sedium dominus est cunctarum: sit nempe, vt apud Cordubensem legimus, Veios habitante Camillo, illic Roma fuit, quanto magis vbi Romanus Pontifex habitat, ibi quoque confesserim Romam esse? Vnum hoc (si cælitus datum esset) optarem, vt sicut tunc Camillus vbi licuit, Veijs omissis, Romam rediit, ita nunc Pontifex, audebo enim dicere temerarie forsitan, sed fideliter & (ni fallor) vere, quod si hoc sibi placeret, cui diuinitas rei huius arbitrium dedit, non modo honestius sanctiusque, sed tutius ibi esset, quam in vlla penitus parte terrarum: nec ingenti pretio cogeretur a prædonibus redimere suam & ecclesiæ libertatem, quod prædecessor suus in sancta fecit Auinione, de quo tunc & ipse grauiter in consistorio questus est, & ego dum sibi scriberem non silui*. Et infra: *Vnum his nunc etiam pars fide ac simplicitate subnectam, non oportuisse nec oportere Pontificem Romanum*

a Leonard. Aret. l. 8.

b Ant. 3. p. tit. 23. c. 14. §. 16.

c Gesta Greg. XI. apud Bosq.

* præmisisset

Decreuit Greg. Italiam ad eam pacãdam petere.

* declinarent

d Petrarc. in apolog. contra Galli calumnias.

Quis in Italiam Pontificis reditus esse oportuerit.

armata manu Romam petere: tutiorem illum facit auctoritas quam gladij, sanctitas quam lorica. Arma sacerdotum sunt orationes, lacrymæ, & ieiunia, & virtutes, & boni mores, & abstinentia, castitas, humilitas, mansuetudo actuum & verborum. Quid signis militaribus opus est? Satis esset crux Christi: illam solam tremunt dæmones, homines venerentur. Quid buccinis? sufficit alleluia. Senserat Petrarcha cum alijs, qui diuino instinctu acti pronuntiabant, perduelles ad officium mox redituros, si Pontifex sacra potius quam humana maiestate formidandus accessisset: quo argumento S. Catharina Senensis epistolam grauissimis refertam sententijs ad Gregorium dedit. Sed cũ ipse Robertum Card. Gebennensem carnificis quam legati apostolici munere digniorem præmisisset, in se Italorum animos efferauit a. Interea Romani se suaque (vt par erat) solemni pactione Gregorio detulerunt; qua de re vetera hęc monumenta extant b.

a Leonard. Aret. hist. Flor. l. 8. et ep. eo S. Antonin. sup. §. 4.
b Apud Vrb. VI. l. 2. pag. 260

Romanorum cum Gregorio conuenta.

11 *Infrascripta sunt, quæ per reuerendissimos in Christo patres & dominos dominos Petrum Ostiensem & Petrum Portuensem episcopos, & Franciscum tit. S. Sabinæ presbyterum, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales nomine prælibatæ ecclesiæ et sanctissimi patris & domini nostri domini Gregorij Papæ XI. a præsidentibus, regiminibus, & populo almæ Vrbis realiter & cum effectu deuote executioni mandari petita sunt & concessa ex deliberatione priuati & generalis consiliorum Vrbis præfatæ. Primo petitum fuit, quod afferatur per præsidentem & populum Romanum plenum & liberum Vrbis dominiũ dictis dominis Cardinalibus nomine domini nostri Papæ eisdem modo et forma, quibus oblatum fuit sanctæ memoriæ domino Vrbano: & idem dominium detur & assignetur eidem domino nostro, cum applicuerit Ostia, vel alio loco vicino Vrbi, supradictis modo & forma. Item quod specialiter & expresse dispositio, custodia, & ordinatio pontium, portarum, & turrium, & fortalitiorum, & totius partis transtyberim, & ciuitatis Leoninæ libere a nunc assignetur reuerendissimo patri & domino domino Francisco tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali in nonnullis terris Romanæ ecclesiæ vicario, vel illi seu illis, quos vel quẽ ipse deputauerit nomine domini nostri Papæ prædicti: ipseque dominus noster Papa de illis disponat pro sua libita voluntatis, & in omnibus & per omnia in prædictis fiat, prout factum fuit tempore domini Vrbani sanctæ memoriæ.*

Vrbis imperium ratificatum Pontifici.

Et quia præfatus dominus noster Papa firmam spem gerit, quod societas executorum iustitiæ & quatuor consiliariorum, ballistariorum, & pauesatorum honorem & exaltationem & statum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & domini nostri Papæ præfati toto posse & bona fide procurabunt, intendit prædictus dominus noster dictam societatem conseruare & manutenere ad bonum statum & augmentum huius almæ Vrbis, & exaltationem, statum, & honorem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ supradictæ. Et quia ad honorem & commodum dictæ almæ Vrbis, populi, & præfatæ societatis intendit, vult quod emolumenta cameræ Vrbis more solito administrentur & expendantur, & quod illi de societate & alij ciues, prout solitum est, habeant emolumenta & stipendia consueta a camera supradicta: & quod reformatio dictæ societatis ad dictum dominũ nostrum pertineat.

Magistratus in pristinis honoribus fouendi.

Item petitur nominibus supra, quod dicti executores, & omnes & singuli de societate præstent fidelitatis & obedientiæ sacramentum domino nostro Papæ, vel illi, quem ipse super hoc duxerit eligendum, prout præstiterunt sanctæ memoriæ domino Vrbano. Item quod quando dicti executores iustitiæ & eorum consiliarij senserint, sanctissimum dominum nostrum dominum Papam applicuisse Ostiæ vel alteri loco Vrbi vicino, vadant ad obuiandum domino nostro Ostiæ vel alteri loco Vrbi vicino pro reuerentia impendenda: & quando iter arripient, exeant omnes supradicti & eorum familiares domum communem, quã nunc dicti executores inhabitant: & demum, cum associauerint dominum nostrum ad ecclesiam S. Petri & palatium apostolicum, & ab eo recesserint, accedant ad domos suas proprias ipsas inhabitaturi, & ibi recipiant emolumenta & stipendia consueta: & simili modo successores eorum & alij omnes officiales dictæ societatis, prout nunc sunt, stantes in domibus proprijs accipiant emolumenta & stipendia consueta. Acceptata & approbata fuerunt dicta capitula, & quæ superius petita & data sunt, per Romanum populum & præsidentes & regimina almæ Vrbis in priuato & generali ac societatis dictæ Vrbis consilijs sub anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto indictione XV. mense decembris die XXI.

Fidei sacramentũ Pontifici exhibitum.

De officijs illi præstandis.

12 Properabat tum Romam Gregorius: cuius itinerarium a descripsit fusius Petrus Amelius Alectensis episcopus Senogalliæ Augustinianus; quodque Gregorij vitæ auctor ita consignat historiæ b: *In die decimotertia mensis septembris anni LXXVI.* nimirum decimitertij sæculi excurrentis, *de Auenione recessit, iter suum arripiendo versus partes memoratas cum dominis Cardinalibus, sex duntaxat exceptis, qui Auenione remanserunt: intrauitque mare in Massilia, vbi inuenit galeas & nauigia ad sufficientiam pro se & concomitantibus eum: & ab inde progressus est, dictum suum iter prosequendo: in qua multas turbationes habuit, ac pericula plurima incurrit propter mare & temporis indispositionem, quæ quasi continue durauit donec applicuit in Carneto, vbi tenuit festum natiuitatis Domini, & subsequentia festa.* De eius in Vrbem ingressu dicetur anno sequenti: nunc ad Romani imperij res digredimur.

a Extat apud Massun. l. 6.
b Gesta Greg. XI. anni 1376

Gregorij in Italiam reditus.

13 Propagandi in posteros imperij desiderio Carolus Cæsar ductus repetitis contendit precibus, vt comitia de subrogando contra fas successore Vvenceslao filio celebrarentur. Imperialium literarum b exemplar ex pontificijs tabularijs petitum infra scriptum est.

Cæsarea studia pro filio ad imperium euehendo.

b Ext. in arce S. Angel. & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 186. & inter collect. Plat. to. 3. pag. 278. & in MS bibl. Vall. sign. lit. 8. n. 12. pag. 147.

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Gregorio, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, deuotus eius filius Carolus Romanorum Imperator semper Augustus & Boemiæ Rex seipsum ad pedum oscula beatorum.

Caroli ad Pont. literæ.

Cogitantes sæpius, beatissime pater, ætatem nostram in senectute iam positam ad senium vergere, viribusque corporalibus minui, vt consuetudo huiusmodi ætatis exposcit, nosque non sic habiles reddi ad imperij gubernacula feliciter exercenda, recognoscimus imbecillitatem nostram fidelis & strenui adiutoris auxilio indigere: superque hoc cum illustribus principibus præsertim electoribus sacri imperij per nos & nuncios nostros sæpe contulimus, & ipsorum fidele requisiuimus consilium, quo posset reipublicæ vtiliter prouideri: inuenimusque eorundem principum fere omnium beneplacitum atque consilium, quod consideratis mature deuotione ad Deum & Romanam ecclesiam (quam Cæsar habet pro tempore defensare) circumspectionis industria, forma corporis vires strenui

& la-

& laborioſi principis veriſimiliter habitura; nec non fidelitare ad dictum imperium, & præcipue ad perſonam noſtram, nec non regali potentia, boniſque moribus & conditionibus illuſtris principis Vvenceslai inclyti Regis Boemiæ nati noſtri, licet ætate ſit iuuenis, ipſe Rex etiam nobis viuentibus eligatur in Regem Romanorum, in Imperatorem poſtea promouendus; noſque ab experto cognoſcentes, eundem Regem fore huiuſmodi virtutibus dotatum, ac conditionibus inſignitum, & probabiliter ſperantes, quod (dirigente Domino actus ſuos) de virtute in virtutem conſcendet, ad quod adhibebimus ſolicitudinem quantam poſſumus, & quod in amore & deuotione ſanctitatis veſtræ ac eiuſdem eccleſię geſta genitoris imitabitur & augebit, cum huiuſmodi votis & beneplacito præfatorum principum plus intuitu imperij concurrimus, quam affectione paterna.

Cum autem ad huiuſmodi electionis celebrationem nobis viuentibus procedi non valeat ſine veſtris beneplacito, aſſenſu, & gratia ac fauore beatitudini veſtræ, reuerenter & humiliter ſupplicamus, quatenus cum dicti electores diſpoſiti ſint de noſtro conſenſu electionem huiuſmodi de Rege celebrare præfato, conſideratis præmiſſis & alijs rationabilibus cauſis veſtro profundiſsimo intellectui occurrentibus in hac parte; & inter alias, quod vacante imperio ſolet interdum electio huiuſmodi in diſcordia fieri, & exinde bella crudeliſsima geri, multuſque cruor Chriſtianorum effundi, vt electio ipſa valeat celebrari; dignetur eadem veſtra ſanctitas præſtare beneplacitum & aſſenſum, ac etiam gratiam & fauorem præſentium ſub imperialis noſtræ maieſtatis ſigillo teſtimonio literarum. *Datum Nuremberg anno Domini* MCCCLXXVI. *indictione* XIV. II. *nonas martij regnorum noſtrorum anno* XXXI. *imperij* XXII.

Petita celebrandæ electionis facultas.

Aſſenſit futurorum inſcius Gregorius Carolo non paterno ſtudio, ſed auertendi diſcriminis belli ciuilis cura ad id duci fingenti; ſubiectoque diplomate deligendi imperij ſucceſſoris ſpirante adhuc Cæſare facultatem contulit. a

a Aa.6.p. 2.ep. diuerſ form. pag.289.

Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.

Benignitate paterna recepimus auguſtalis excellentiæ literas, affectum quem habes ad ſtatum ſalubrem reipublicæ oſtendentes, ac effectualiter continentes, quod tu ſæpe cogitans ætatem tuam in ſenectute iam poſitam ad ſenium vergere, viribuſque corporalibus minui, vt conſuetudo ætatis huiuſmodi expoſcebat, teque non ſic habilem eſſe, vt ſolebas, ad imperij gubernacula vtiliter exercenda, recognoſcebas perſonam tuam fidelis ſtrenui adiutoris auxilio indigere; ſuper hocque cum principibus præſertim electoribus imperij per te & nuntios tuos ſæpius contuliſſe, & ipſorum requiſiuiſſe conſilium, quomodo poſſet in hac parte reipublicæ vtiliter prouideri: quodque inueneras eorundem principum fere omnium beneplacitum atque conſilium, quod conſideratis mature deuotione ad Deum & Romanam eccleſiam, quam Cæſar habet pro tempore defenſare, circumſpectionis induſtria, forma corporis vires ſtrenui & laborioſi principis veriſimiliter habitura; nec non fidelitate ad dictum imperium, & præcipue ad perſonam tuam, nec non regali potentia boniſque moribus & conditionibus chariſsimi in Chriſto filij noſtri Vvenceslai inclyti Regis Boemiæ nati tui, licet ætate ſit iuuenis, ipſe Rex etiam te viuente eligatur in Regem Romanorum in Imperatorem poſtmodum promouendus; tuque ab experto cognoſcens eundem Regem fore huiuſmodi virtutibus dotatum, ac conditionibus inſignitum, & probabiliter ſperans, quod (dirigente Domino actus ſuos) de virtute in virtutem conſcendet, ad quod te adhibere ſcripſiſti ſolicitudinem quantum poſſes; & quod in amore & deuotione noſtris & eiuſdem eccleſiæ geſta tui genitoris ſui imitabitur & augebit; cum huiuſmodi votis & beneplacito præfatorum principum plus intuitu imperij, quam paternis affectibus concurrebas: ſed vt ad huiuſmodi electionis celebrationem te viuente procedi poſſet, nobis ſupplicaſti reuerenter vt, cum dicti electores diſpoſiti eſſent de tuo conſenſu electionem huiuſmodi de Rege celebrare præfato, conſideraris præmiſſis & alijs rationabilibus cauſis noſtro intellectui occurrentibus in hac parte; & inter alia, quod vacante imperio ſolet interdum electio huiuſmodi in diſcordia fieri, & exinde bella crudeliſsima geri, multuſque cruor Chriſtianorum effundi, dignaremur ſuper dicta electione noſtrum beneplacitum, aſſenſum, ac fauorem & gratiam impertiri.

Reſponſio Gregorij.

Repetita ad Vvenceslai gratiam ſuprema commendatio.

Spes inanes de eo conceptæ.

Conquiſitæ rationes.

Nos igitur ſuper præmiſsis ſæpius cogitauimus, & cum fratribus noſtris collationem habuimus diligentem: & licet electio huiuſmodi te viuente minime de iure poſsit aut debeat celebrari; ſperantes tamen publicam vtilitatem ex huiuſmodi electione & eius effectu (dante Deo) proventuram, vt electio prædicta modo præmiſſo hac vice dumtaxat valeat celebrari, noſtrũ beneplacitum, aſſenſum, ac fauorem & gratiã auctoritate apoſtolica tenore præſentium impertimur. Per hoc autem non intendimus eiſdem electoribus vel eorum ſucceſſoribus aliquod ius acquiri, nec Romanæ eccleſiæ iuri & auctoritati præiudicium generari. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. v. non. maij anno* VI. Impetrata itaque facultate pontificia, Imperator Spiritui ſancto linguis igneis in Apoſtolos deuoluto die ſacro Francofurti vna cum principibus conuenit, ipſoſque ad Vvenceslaum filium creandum Regem Romanorum pellexit. Cuius electionis celebratæ ſeriem hiſce literis ſignificauit Pontifici, rogauitque vt illam apoſtolica auctoritate confirmaret.

Datus a Gregorio aſſenſus.

Francofurtenſia comitia.

Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino noſtro domino Gregorio, digna Dei prouidentia ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, deuota pedum oſcula beatorum.

14 Magnæ deliberationis ſtudio ſacri Romani imperij rempublicam, cui nos auctore ſuperno per multorum annorum ſpatia præfuimus, prout adhuc præſumus feliciter, & in cuius regimine ſalubri diuturnitate temporis & labore conſumpſimus corporeas multipliciter vires noſtras, vna cum alijs principibus imperij coelectoribus ſæpe ſæpius immo ſæpiſsime, prout expedit, accuratius ponderantes, ſignanter multis periculis, ſcandalis, & iacturis ad diſsipationem, immo ſubuerſionem non ſolum imperij, verum etiam ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſtatus, tranquillitatis, & commodi manifeſte tendentibus, & quæ prouentura forent, prout veriſimiliter præſumitur ex imperij vacatione Romani, ſi ſic nos decedere (quod abſit) contingeret ab hac luce (maxime cum tam Italiæ, quam aliæ partes imperij inſolitis rebellionibus & damnabilium nouitatum

Caroli Imp. litteræ.

Conquiſiti ab eo fuci inanes.

dif-

dissidijs sint istie modernis temporibus inhumaniter inuolutæ) quantum Altissimus concesserit, salubriter occurrendum, nuper die sancto pentecostes nos tamquam Rex Boemiæ & alij principes coelectores, videlicet serenissimus princeps dominus Venceslaus Rex Boemię, venerabiles Ludouicus Moguntinensis, Cuno Treuerensis, & Fredericus Coloniensis archiepiscopi, Rupertus senior comes Palatinus Rheni & Bauariæ dux, Vvenceslaus Saxoniæ & Luneburgensis dux, ac Sigismundus marchio Brandeburgensis conuenimus in pomœrijs subtus Rensec super litus Rheni Treuerensis diœcesis. In quo loco post varios tractatus desuper habitos nobis præsentibus, qui iam viribus a corporea valetudine lacessiti & senio, multiplices imperij labores & onera sufferre commode non valemus; præsertim vt imperium Romanum, multis suis partibus in tanto discrimine sic positis, forti potentique præsidiatore non careat; pro salubri commodo totius Christianitatis ac statu in releuamen & adiutorium nostrum de persona idonea tractsumus, prout huiusmodi negotij magnitudo requirit. Et ibidem, Altissimo disponente, in certam personam conuenimus in Romanorum Regem debitis loco & tempore nominandam, ac post hoc (vt moris est) solemniter eligendam. Demum, illis tractatibus necessario (sicut præmittitur) sic finitis, omnibus nobis principibus electoribus imperij taliter congregatis, de & super nominationis & electionis huiusmodi die concordauimus in locum oppidi Frankensurti super alueo Mosani Moguntinensis diœcesis, videlicet decima die mensis iunij ad nominationem & electionem Romanorum Regis prædictas, volente Domino, feliciter consummandas: quæ dies nominationis & electionis futuri Romanorum Regis ibidem in pomœrijs Rensec per dictum Cunonem archiepiscopum Treuerensem in dictorum coelectorum & aliorum ecclesiastico- rum & secularium principum, comitum, baronum, nobilium, ac copiosa multitudine plebis imperij sacri fidelium extitit solemniter publicata.

Qui electores conuenerint.

15 Post quam die veniente prædicta nos, nec non omnes & singuli principes electores imperij supradicti venimus ad dictum oppidum Frankenfurt, & ibidem dicta constituta die nonnullis iterum deliberatione præuia tractatibus præhabitis, Spiritus sancti gratia deuotius inuocata, signanter aduertimus, quod pro tanti regiminis apice totiusque reipublicæ laborum oneribus subeundis in adiutorium nostrum necessario constituendus foret princeps illustris catholicus iuuenis, fortis, potens, & tam terrarum rerumque diuitijs, quam etiam subiectorum hominum cæteros multa virtute præcellens, & per quem imperio sacro possit vtiliter prouideri. Sicque consideratis conditionibus & circumstantijs multarum personarum, nec non status reipublicæ tam ecclesiæ sacrosanctæ quam imperij prædictorum, causis etiam exstantibus prænotatis & nonnullis alijs nos ad hoc legitime mouentibus; visum est nobis cæterisque coelectoribus, præfatum serenissimum principem dominum Venceslaum Regem Boemiæ, primogenitum nostrum, aptum, habilem, & idoneum aggredi tanti laboris sarcinam & honorem. Et sic, his præmissis, eundem serenissimum principẽ Vvenceslaum Christianissimum Regem Boemiæ hodie in ecclesia collegiata B. Bartholomæi in dicto oppido Frankenfurt, sacris missarum finitis solemnijs, vna cũ omnibus & singulis ecclesiasticis & secularibus principibus coelectoribus prædictis, ad quos electio Romanorum Regis legitime spectare dignoscitur, ijdemque principes coelectores nobiscum pariter in Romanorum Regem promouendum in Imperatorem rite concordibusque votis elegimus, nemine discrepante; spem firmam & in eo confidentem fiduciam obtinẽtes, quod per ipsius electi magnificentiam, fidei puritatem, constantiam, potentiam, strenuitatem, & multarum aliarum virtutum merita, nostra fideliter imitando vestigia, sacrosancta Romana ac vniuersalis ecclesia, tanquam eius aduocatus præcipuus & defensor, nec non Romani imperij respublica possit & debeat reformari viriliter, salubriter, & potenter.

Vt Vvenceslaus Cæsar designatus sit.

Falsa de eo iactata.

16 Cui quidem electioni dictus primogenitus noster Boemiæ Rex in personam suam sic factæ, licet se tamquam insufficientem ad tantæ sublimitatis accingendos honores multipliciter excusaret; tamen ratione victus & precibus consensit ad gloriam Altissimi, proprios humeros tanto ponderi submittendo. Quo facto nos & omnes dicti coelectores digno Deo gratias referentes, primogenitum nostrum prædictum in Romanorum Regem concorditer sic electum cum decantatione diuini cantus, *Te Deum laudamus*, per dictum archiepiscopum Moguntinensem ad clerum, & præfatum ducem Saxoniæ ad vulgarem populum in copiosa valde multitudine congregatum, fuit (sicut ab olim tentum est) huiusmodi Romanorum Regis electio solemniter publicata. Quapropter vestræ immensæ clementiæ cũ dictis coelectoribus principibus supplicamus tã humiliter quam deuote, quatenus prædictũ primogenitum nostrum in Romanorum Regem concorditer sic electum, in Imperatorem promouendum, paternis affectibus benignius amplectentes, Regem Romanorum nominare, eiusque personam ad apicem tantæ dignitatis reputare; nec non eidem munus consecrationis, ac diadema sacri imperij loco & tempore opportunis per vestræ beatitudinis sanctas manus conferre dignemini, prout eatar ab olim fieri solitum & consuetum; vt sciant & intelligant vniuersi, quod posuit in lucem gentium vos Dominus, vt per vestræ sanctitatis arbitrium orbi terræ post nubilum optata serenitas elucescat. Cæterum vt super electione primogeniti nostri prædicti sanctitas vestra vnanimi voto concordes nos esse cognoscat, præsentem significationis & petitionis nostræ literam, cuius vobis similis tenoris, continentiæ, & effectus quilibet coelectorum principum imperij suas speciales literas destinare debebit, sigillo nostro munitam vestræ beatitudini transmittimus, sicut expedit, reuerenter. Personam vestram sanctissimam & incolumem conseruare dignetur Altissimus cum dierum felicitate longæua regimini ecclesię suę sanctę. *Datum Frankenfurti regnorum nostrorum anno xxxi. imperij vero xxii.*

Rogatus Pontifex, vt auspicijs illius faueat.

Adiunxit amplissimos oratores Vvenceslaus, qui supplices a Pontifici deposcerent imperialis inunctionis munus, fideique sacramentum veteri more institutoque maiorum sedi Apostolicæ regio nomine præstarent: quo argumento subiectæ literę exaratæ.

a Extant in arce S. Ang. & in ter collect. Plat. to. 2. pag. 181.

Sanctissimo in Christo patri ac domino nostro domino Gregorio, diuina prouidentia sanctæ Romanæ *ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Venceslaus Dei gratia in Regẽ Romanorũ electus semper Augustus*

ftus & Rex Boemia cum reuerentia debita pedum oscula beatorum.

Vvenceslai ad Gregorium litera.

17 Cupientes feruenti desiderio vobis patri & domino nostro clementissimo & Apostolicæ sedi aclum nnstræ deuotionis offerre, uosque vestris & ipsius sedis beneplaciris coaptare, nnstroque & sacri Romani imperij statui (sicut expedir) prouidere, venerabilem Ekardum Vormatiensem episcopum principem consiliarium, & illustres Amedeum comitem Sabaudiæ, Raimundum de Baucio principem Aurasicensem, Eberhardum de Knncenelbolgen comites, nec non honorabilem Conradum de Gisenheim decanum Spirensem deuotos nostros, nec non fideles dilectos, de quorum fidelitate, legalitate, & industria plenam obtinentes fiduciam, fecimus & facimus, constituimus & ordinamus nuncios & prncuratores nostros: ipsosque ad præsentiam vestram pro nostris & impetij negotijs specialiter destinātes, damus & concedimus eisdem plenam, generalem, & liberalem pntestatem & speciale mandatum, in vestræ sanctiraris præsentia deuotionem & filialem reuerentiam, quam erga vos & sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem nostram sinceris affectibus gerimus exponendi; perendi, procurandi, seu impetrandi pro nobis & nostris fauorem & gratiam vestram; ncc non rractandi, explicandi, exercendi, permittendi, offerendi, seu præsentandi in animam & super animam nostram debitæ vobis & sanctæ Romanæ ecclesiæ fidelitaris & cniuslibet alterius generis iuramentum, specialiter ad petendum a vobis vnctionem, consecrationem, & cnronam imperij, de sanctissimis manibus vestris nobis impēdendam loco & tempore opportunis; ac faciendi omnia & alia & singula, quæ circa huiusmodi nostra & imperij negotia tractanda, explicanda, exercenda, promittenda fuerins seu etiam facienda, quæ secundum Deum & honestatem viderint expedire, & quæ ad nns promouendum ad Romanum imperium fuerint facienda: acetiam requirenda & cætera facienda, quæ regalis excellentia nostra faceres & facere posset, etiam in ijs, quæ mandatum exigunt speciale, & perinde ac si omnes casus, qui mandatum exigunt speciale, essent in præsenti prncuratorio specialiter dennrati, promitteutes nos ratū, gratum, & firmū perpetuis temporibus habiruros quidquid in pręmissis aut circa pręmissa per dictns nūcios & procuratores nostros omnes, vel maiorē partem eorum, qui præsentes fuerint, expositum, peritum, impetratum, promissum, iuratum, seu factum fuerit, ant qnomodolibet procuratum.

Ad præstādum fidei sacramētum paratum se exhibet.

Volumna insuper, saluis præmissis, qnod prædictl procurarores & nnncij nostri possint omnes insimul, vel maior pars eorum facere procuratorium fortius, quam fieri poterit nomine nostro in persona nostra sub sigillis eorum ad prædicta facienda, si defectus aliquis fuerit in prædictis. Testes huius rei sunt venerabilis Ludouicus Moguntinensis archiepiscopus sacri imperij per Germaniam archicancellarius, illustris Venceslaus dux Saxoniæ, sacri imperij archimarescallus, venerabilis Ioannes Pragensis archiepiscopus legatus sedis Apostolicæ, nec non illustris Iodocus marchio Morauiæ, Henricus Bregens, & Bunzlaus Lignicen duces, nobiles Petrus de Vvartemberg imperialis curiæ magister, Timotheus de Koldica imperialis cameræ magister, & quamplures alij nostri & imperij sacri fideles dilecti, quos præsentes esse voluimus. in testimonium præmissorum præsentium sub regiæ Boemiæ maiestatis nostræ sigillo testimonio literarnm. *Dat. & actum Franckenfurt anno Domini* MCCCLXXVI. *indictione* XIV. IV. *id. iunij pontificatus vestri ann.* VI. *regni vero nostri Boemiæ* XI.

Differt confirmare Vvenceslaum Gregori°.

18 Repetitæ eædem literæ precesque a Vvenceslao fuerunt anno proximo x. kal. octobris. Verum extracta res est a Gregorio, cum Vvenceslaus virio creatus esser Romanorum Rex: Carolus enim Imperator, abiecta publicæ rei cura, & affectata tantum filiorum amplitndine, principes electores aurn corrupit, ac vectigalibus imperialibus alienatis, imperatorum prorsus potentiam prostrauit, quare maximum sibi dedecus ipsum peperisse, refert Æneas Siluius his verbis. [a]

a Aeneas Silu. hist. Boem. c. 33.

Vt Carolus IV. imperiū prodiderit.

Clarus profecto Imperator, nisi Boemici regni gloriā magis quam Romani imperij quæsiuisset. Illud quoque nomini suo non paruam inussit maculam, quod Venceslaum ex filijs suis natu maiorem in imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est, idque pecunia: nam cum principes electores haud facile ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, pretio comparauit, promissis cuique electori centum millibus aureis; quos cum repræsentare non posset, publica illis Romanæ reipublicæ vectigalia obligauit, perpetuum imperij malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac attollere caput imperium potuit, cum principes electores omnia sibi retinerent, Imperatoremque iureiurando adigerent, ne pignora reuocaret.

Nec minus paterno amore obcœcatus Carolus filiū veluti omnibus virtutibus ornatissimū principem Pontifici commendauit; cum ob fœdissimā socordiam imperio deinde fuerit deturbatus, de quo tristia hæc præsagia refert Dubrauius [b]: *Vvenceslaus Norberga natus, & aqua lustrali tinctus est: acciditque vt eandem aquam adhuc infans lotio suo respergeret, sicut alui fimo ipsam aram, in qua nondum bimulus coronabatur, coinquinauit; vtrumque peritiores inter prodigia retulere, portendi per hæc dicentes futuram, quæ sub hoc Rege euenit, sacrorum fontium altariumque contaminationem & violationem.* At de his inferius: nunc ad pontificium in conciliandis principibus studium oratinnem traducamus.

b Dubr. hist. Boem. l. 23.

Tristia de Vvenceslao præsagia.

Montisferrati marchionissa regni Balear. iura in Ludouicū Andegauen. transfert.

19 Exarserat sæua inter Alfonsum Regem Aragonum, & Ludouicum comitem Andegauensem dissensio, cum Isabella Montisferrati marchionissa, Iacobi Regis Maioricarū defuncti soror, quæ fratrem in bello stipauerat, eo mortuo regni Balearici ac aliorum principatuum iura in Ludouicum comitem dono transfudisset [c]. Vt nascentē itaque controuersiam, quæ plura alia bella facile erat paritura, sopiret Pontifex, Ægidium Cardinalem episcopum Tusculanum in Arogoniam misit [d], instruxitque auctoritate, vt coitiones dissolueret, pacemque inter dissentientes reuocaret.

c Surit. annal. l. 10. c. 20. & Mariana l. 17. c. 18.

Missus ad nascens bellū sopiendum internuntius.

d An. 6. p. 1 lit. diuers. form. pag. 19.

Desudatum est eo maiori ardore ad bellicos motus nascentes comprimendos, quo Hispanorum arma felicius in Mauros vertenda erant: Ferdinandus enim Lusitaniæ Rex amplificandæ fidei pio studio incitatus, a Pontifice sacræ expeditionis in Granatæ & Benamarinæ Reges suscipiendæ prouinciam poposcit: ac tum decumarum æs subsidiarium ad tolerandos sumptus, tum indulgentiarum præmia ab ijs, qui religiosam militiam accepto crucis symbolo profiterentur stipemue conferrent, vel submitterent milites, comparanda impetrauit [e], ipsique iniunctum, vt Mahu-

Ferdinandus Lusitaniæ Rex in Mauros expeditionem parat.

e Eod. an. 6 p. 2. lit. diuers. form pag. 215.

humetita supestitione in terris, quas hosti eripuisset, excisa conderet ecclesias, vectigalibusque locupletaret.

Ferdinando Regi Portugalliæ illustri.

Accedit nobis & sanctæ ecclesiæ Dei, cui (licet immeriti) præsidemus, ad spiritualis lætitiæ & exultationis augmentum, quod Rege regum & Domino dominantium per virtuosos actus & strenuos mentem tuam salubriter dirigente, animum tuum contra crucis hostes ad exaltationem & defensionem catholicæ fidei præparauit, parans tibi virtutis iter ad dorsa hostium elidenda; & primitias desuper sperandæ victoriæ subministrans, vt eo promptius & virilius cœptum contra prædictos hostes negotium prosequaris, quo ponens in domino Deo fiduciam, eius dexteram auxiliantem tibique propitiam experiris: ex quibus nos & fratres nostri Romanæ ecclesiæ Cardinales gaudemus tibi pro huiusmodi prosecutione negotij de consueta Apostolicæ sedis benignitate paternæ prouisionis auxilium impendere, & apostolici fauoris præsidia ministrare. Sane nuper venerabilis frater noster Martinus episcopus Siluensis, & dilecti filij Martinus abbas monasterij Alcobaciæ Cisterciēsis ordinis Vlixbonensis diœcesis, ac nobilis vir Aluarus Gundisalui de Monramiles Elborensis diœcesis ambassiatores & nuncij tui, ad nostram præsentiam accedentes, nobis & eisdem fratribus nostris ex parte tuæ serenitatis reuerenter exponere curauerunt, quod tu, zelo fidei & feruore deuotionis accensus, ad promouendum feliciter per te cœptum piæ prosecutionis negotium contra Reges Benamarinæ & Granatæ, eorumque subditos hostes fidei perfidos Agarenos, & propulsandum impugnationes, contumelias, & offensas, quas dicti hostes, regni tui Portugalliæ vicini, in Christianos dicti regni & terrarum tuarum perpetrare & committere in grauem Dei nostri redemptoris iniuriam iugiter non verentur; nec non pro exaltatione eiusdem fidei et sanctæ matris ecclesiæ, ac vniuersorum Christifidelium ad impugnandum & expugnandum hostes eosdem, dextera Domini tibi assistente propitia, collatis vndique viribus, viriliter intendebas. Et quia ad prosecutionem tanti negotij et continuationem prosecutionis ipsius necessario tibi noscebantur incumbere magna profluuia expensarum, ad quarum supportationem non poteras sufficere per te ipsum: ijdem ambassiatores et nuntij tuo nomine certa subsidia decimæ omnium prouentuum ecclesiasticorum regni, ciuitatum, terrarum, locorum, et dominij tuorum vsque ad aliquod tempus, de quo nobis videtur, concedi a nobis suppliciter postularunt. Nos igitur tuum pium et laudabile propositum in hac parte diligentius attendentes, huiusmodi supplicationibus eo libentius annuendum fore prouidimus, quo huiusmodi causam, quam ad laudem Dei te assumpsisse et promouere confidimus, apostolico fauore fulciendum, et iuuandum præsidijs vtile et expediens extimamus. [Subiungit se omnium vectigalium ecclesiasticorum decimæ partis dimidiam, exceptis Cardinalium equitumque religiosorum, qui se suaque bello in impios gerendo deuouere, a festo pentecostes immmente, ad biennium attribuere: alteram enim dimidiam sedi Apostolicæ ad tolerandos grauissimos sumptus, quos in edomandis tyrannis tuendaque ditione pontificia profunderet, reseruasse. Tum subiectas leges ab eo admittendas imponit.]

Illius ad Pontificē legatio.

Subsidia ab ecclesia illi decreta.

20 Volumus, quod medietatem huiusmodi decimæ, per nos tibi (vt præfertur) concessam, per te seu alios expendas cum consilio archiepiscoporum et episcoporum, et suorum collegiorum in eiusdem prosecutione negotij, ipsa tantum prosecutione durante, et medietatem ipsam percipias iuxta modum et formam præsentibus annotatos: videlicet, quod quandiu pro tempore dicti biennij tu instabis prosecutioni supradicti huiusmodi negotij, medietatis dictæ decimæ subsidia tibi pro dicto tempore integra ministrentur: quoties vero et quamdiu infra dictum tempus ab huiusmodi negotij prosecutione siue per treugas siue alias contigerit te cessare, toties et tandiu cessabis a receptione subsidiorum quorumlibet prædictorum; et cum huiusmodi negotij prosecutionem (infra dictum tamen biennium) resumes pro rata restantis temporis de dicto biennio, quo dumtaxat dictum sit resumptum negotium prosequeris, recipies subsidia supradicta; ita quod medio tempore, quo ab huiusmodi negotij prosecutione cessabis, nihil omnino per te, vel alium, seu alios recipies de subsidijs memoratis: sed integralis huiusmodi decimæ subsidia pro dicto quo (vt præfertur) cessabis tempore, ad nos & cameram nostram penitus volumus peruenire. Quod si secus per te vel tuo nomine scienter præsumptum fuerit, te excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto; ac ciuitates, terras, & loca, in quibus te tunc morari, vel ad quæ te interim declinare contigeris, quandiu ibi fueris, ecclesiastico subiacere volumus interdicto.

Leges additæ.

21 Volumus etiam, quod tu huiusmodi negotium, per te assumptum, tam per mare quam per terram ad exaltationem & dilatationem catholicæ fidei contra Reges & hostes eosdem viriliter & efficaciter persequaris, nihil de contingentibus omittendo, tam defendendo rem Christianorum ab impijs nationibus dictorum Regum & hostium, quam etiam impugnando huiusmodi Reges & hostes ipsos, ac castra, fortalitia, terras, & loca eorum; & alios infideles tam vicinos quam quoscunque alios, qui venirent in auxilium eorundem: nisi forte interdum plus defensioni dictæ terræ Christianorum ab impugnationibus dictorum Regum & hostium, quam huiusmodi expugnationi eorundem hostium perspexeris insistendum: quorum tamen hostium impugnationem & expugnationem debes intendere diligenter, cum ipsi fidem catholicam & terras fidelium, potissime in eorum frontarijs consistentes, ac personas Christianorum non desinant impugnare, Christianos ipsos capiendo, suæque ditioni subdendo, ipsosque tam mares quam fœminas & paruulos filios & filias eorundem cogendo fidem catholicam abnegare, & nonnulla alia nefanda in eosdem catholicos committendo. Vt autem huiusmodi negotium siue circa defensionem regni, terrarum, & locorum tuorum, siue circa impugnationem crucis hostium prædictorum tam per mare quam per terram felicius & securius, Deo tibi assistente propitio, prosperetur; huiusmodi nostræ ordinationis terminos non excedas, sed illos diligenter studeas obseruare. In terris quoque, castris, & locis in dictis regnis Banamarinæ & Granatæ, seu eorum altero, aut alijs terris per dictos Agarenos detentis, tam per te iam forsitan acquisitis, quam quæ tibi (diuina suffragante virtute) te acquirere contigerit in futurum, construi & ædificari vo-

Iubetur terra & mari bellum in barbaros gerere.

Condere ecclesias in locis ab hoste erepta.

volumus ecclesias seculares: videlicet cathedrales secundum mandatum & ordinationem nostram & successorum nostrorum vel aliorum, quibus nos vel dicti successores id duxerimus vel duxerint committendum, considerata aptitudine, conditione, qualitate, & dignitate locorum, in quibus fuerint huiusmodi ecclesiæ ordinandæ. In quibus etiam de mandato nostro seu dictorum successorum ponentur & instituentur personæ ecclesiasticæ seculares, per quas in eis diuina celebrentur officia, & ministrentur habitatoribus ipsorum locorum catholicis ecclesiastica sacramenta. Collegiatæ vero & aliæ inferiores a cathedralibus fundari possunt de mandato prælatorum catholicorum, quibus hoc de iure competit vel competet in futurum: ac similiter institutio seu ordinatio personarum ecclesiasticarum, quas (vt prædicimus) seculares esse volumus, in eisdem collegiatis & alijs inferioribus ecclesijs ponendarum, possit fieri per eosdem, quibus competit id de iure, saluo iure patronatus tui: quod ius intelligi volumus illud esse, quod tibi iura communia canonica in casu, de quo agitur seu agetur, præstiterunt.

22 In locis autem taliter post guerram per te nouiter coeptam acquisitis vel in posterum acquirendis, si seorsum vel permistim habitare contigerit Agarenos circa sacerdotes ipsorum, qui zabazara vulgariter nuncupantur; nec non templa seu mesquitas ipsorum, ne (quod absit) per eos funestos ritus, inuocationes, & clamores verborum, ac publicas inuocationes & peregrinationes ipsorum in cordibus fidelium scandalum generetur; tu tanquam princeps catholicus & zelator fidei Christianæ iuxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, cum eosdem Agarenos in dictis locis nouiter, vt præmittitur, acquisitis vel in posterum acquirendis ad eorum templa seu mesquitas contigerit conuenire, vt ibidem adorent perfidum Machometum, eiusdem Machometi nomen alta voce inuocari aut excoli, Christianis audientibus, vel aliqua verba in ipsius honorem eos profiteri vel proclamare publice, seu huiusmodi peregrinationes in fidelium scandalum fieri non permittas: sed talem obseruationem funestam de dictis locis omnino auferas; & a tuis subditis auferri procures; districtius inhibendo, ne præfata Inuocatio seu professio nominis ipsius perfidi Machometi publice, aut peregrinatio prælibata ab aliquo in tuo existente dominio attentetur de cætero, vel quomodolibet toleretur; eos qui secus præsumpserint taliter castigando, quod alij eorum exemplo perterriti a præsumptione simili arceantur.

De vetandis ritib. Mahumeticis.

Et quia spiritualia Domini sine temporalibus non subsistunt, ac iustum est, vt qui altari seruit, viuere debeat de altari iuxta verbum Apostoli, & mirum esse non debet, si temporalia metant ij, a quibus spiritualia seminantur; volumus, quod pro bonis & rebus in dictis Benamarinæ & Granatæ regnis & terris per dictos Agarenos detentis per catholicos forsan, vt præmittitur, acquisitis vel in posterum (concedente Domino) acquirendis, decimas & primitias ecclesijs & personis ecclesiasticis instituendis ibidem, cum super hoc per eas fueris requisitus, facias cum integritate persolui, secundum quod iura te ad id astringere dignoscuntur: & nihilominus libertas & immunitas ecclesiastica in ciuitatibus, castris, terris, & locis acquisitis, & quæ acquiri contigerit in regnis & terris prædictis, eisdem ecclesijs & personis ecclesiasticis & alijs plene & libere seruabitur iuxta canonicas sanctiones.

De soluendis decimis.

Volumus insuper, quod processus nostri & sententiæ excommunicationis & interdicti per nos, vt præmittitur, in personam tuam & ciuitatem & loca prædicta latæ, & præmissorum occasione ferendæ per aliqua verba vel actus tuos, nullatenus restringantur, sed in sua firmitate consistant, &c.] Subiungit, si forte aliqua dubia in præmissis emergere contigerit, sedis Apostolicæ ea declarandi partium fore; tum velle se, vt quæ ipsius oratores spopondere, Ferdinandus publicis literis rata habeat, ac sacramento, tactis rite sacrosanctis euangelijs, Martino Elborensi episcopo se obstringat ea religiose seruaturum. *Dat. Auin. iv. non. aprilis anno vi.* Extant eo argumento ad Martinum episcopum Elborensem, & Fulconem Peterij canonicum Caturcensem iurisperitum Apostolicæ sedis internuntium literæ a, quibus prouinciam ipsis dat, vt pro ornanda in Granatenses aliosque infideles expeditione dimidiam decimarum partem Ferdinando concedendam curent possintque absoluere illos, qui censuris ob eas tardius persolutas sese irretijssent . . .

a Eod. an. 6.p.2.lit. diuersf. form. pag. 236.

23 Suscepta tum etiam est sacra expeditio a Genuensibus aduersus Amuratem Turcarum Imperatorem, qui imperium Constantinopolitanum in grauissimum discrimen adduxerat, extremique terrorem exitij Perensibus obijciebat. Quorum pium studium multis laudibus extulit Gregorius, ac Genuēsi archiepiscopo hæc imperia dedit: *Pro parte*, inquit, *ipsorum ducis & communis nuper fuit nobis reuerenter expositum, quod ipsi, diƈta fidei feruore succensi, vexatiantibus & labenti conditione Constantinopolitana & aliarū terrarum & partium orientalium, quæ etsi per aliquos non sane de fide sentientes, nominis tamen Domini nostri Iesu Christi veneratores obtinentur, pie compatientes affectu, ad eorum partium, & terrarum quas, proh dolor! vehemens immanium & Christiani nominis blasphemorum Turcarum & paganorum illos exterminare & sua infania subijcere satagentium furor inuasit, auxilium & succursum nonnulla galeas & nauigia, viris pugnantibus armata & alijs necessarijs communita, cum Dei (cuius res agitur) auxilio proponūt adueniente opportunitate temporum de proxima destinare, & inibi retinere: quare nobis pro parte dictorum ducis & communis fuit humiliter supplicatum, vt eos in huiusmodi laudabili & pio proposito eorum cum expediente suffragio adiuuare de liberalitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi præfatorum ducis & communis catholicum & viris fidelibus dignum propositum multipliciter in Domino commendantes, & illud (prout ardua temporis conditio patitur) opportunis fauoribus confouentes, eorum in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus & mandamus &c.* Mandat archiepiscopo, vt quæ male parta fuerint, de quorum dominis non constaret, vsque ad viginti quinque millium aureorum summam in classis apparatum, contra infideles instruendæ, deriuare possit. *Dat. Auin. vi. id. martij anno vi.*

Genuenses in Turcas classē parant.

Laudatū eorū consilia.

Male parta in bellicos sumptus deriuari iussa.

24 Addimus ad huiusmodi anni calcem, Gregorium ad diuinam gratiam sibi conciliandam, tum pro anima Clementis VI. patrui instituisse b, vt diuina mysteria a Prædicatoribus peragerentur, ac precum varias formulas præscripsisse, quas pie apud Deum pro ipso funderent.

Gregorij pia constitutio.

b An. 6. ep. cur. pag. 17.

Gre-

Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

De fratrum ordinis Prædicatorum, qui vitæ meritis & dono scientiarum quasi sydus præruti-lans in militāti ecclesia noscitur coruscare, deuotis orationibus specialiter sperantes in Domino, & ob reuerentiam B. Mariæ Magdalenæ, ad quam specialem deuotionem habemus, & apud quam quidem ecclesiam domus & conuentus dictorum fratrum existit, prædictam ecclesiam [nimirum B. Mariæ de Crolis Aquensis diœcesis] *& infra*, ipsi domui auctoritate apostolica ex certa scientia interponimus & adnectimus. [Eos vero religiosos viros, collato pingui sacerdotio, ad hæc obstrinxit:] Dum vixerimus, singulis diebus (exceptis festiuitatibus Saluatoris nostri & B. Mariæ virginis gloriosæ, & tribus diebus proxime præcedentibus festum resurrectionis eiusdem Saluatoris nostri) pro nobis celebretur vna missa, vt Deus nos in suis beneplacitis dirigat & conseruet: sitque dicta missa aliquando de Trinitate, quandoque vero de Spiritu sancto, & aliquoties de eadem Virgine gloriosa, aut de eadem B. Maria Magdalena: & in qualibet missa dicatur illa collecta: *Deus omnium fidelium, &c.* quæ pro Romano Pontifice solet dici. Et quater in anno per dictos fratres pro nobis fiat processio cum hymnis, *Veni creator Spiritus*, & missa solemni de Spiritu sancto: & poteris illud fieri huiusmodi diebus, videlicet pentecostes, in crastinum assumptionis eiusdem B. Mariæ virginis, & in die electionis nostræ ad summi apostolatus officium, quæ fuit die penultima decembris, & in crastinis festiuitatis Apostolorum Petri & Pauli: & insuper post mensem a publicatione præsentium facta in præfata ecclesia S. Maximi singulis diebus pro anima felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædecessoris & patrui nostri dicatur vna missa de mortuis cum collecta pro pontifice, vt inferius continetur.

De peragenda re diuina precibusq; fundendis.

Pro anima sua & patrui sacra suffragia decernit.

Et postquam nos eduxerit Dominus de ergastulo huius vitæ, prædictæ missæ, quæ in vita nostra (vt præmittitur) debent dici, & processiones cessent: sed loco earũ perpetuis temporibus quater in anno dicatur officium defunctorum, & quatuor missæ conuentuales his diebus; videlicet vna in die anniuersarij nostri, alia in crastino commemorationis defunctorum, & alia nona die post prædictam festiuitatem B. Mariæ Magdalenæ immediate sequente, alia vero in prælata die, qua fuimus ad apicem pontificatus assumpti. Et in casu, in quo talia impedimenta essent, quod prædictæ missæ his diebus commode celebrari non possent, diebus tunc immediate sequentibus, impedimentis eisdem cessantibus, celebrentur: singulisque diebus etiam dominicis (exceptis huiusmodi festiuitatibus nostri Redemptoris, B. Mariæ virginis, & B. Mariæ Magdalenæ; nec non omnium Apostolorum & Euangelistarum, ac B. Dominici, S. Thomæ de Aquino, & B. Petri martyris de dicto ordine Prædicatorum, & eiusdem B. Maximi) celebrentur duæ missæ de mortuis vna pro nobis, & altera pro eiusdem Clementis & aliorum omnium de genere nostro, & illorum qui dictam ecclesiam ruralem fundauerunt & dotauerunt, animabus. Et dicatur illa collecta specialiter in vna: *Deus qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum Gregorium, &c.* & in altera: *Deus qui inter Apostolicos sacerdotes famulum tuum Clementem, &c.* cum alijs collectis dici solitis pro defunctis: Et ad prædicta deputetur capella illa, quæ est post illam, quam fundauit bonæ memoriæ Guilelmus archiepiscopus Tolosanus, & intituletur sub nomine beatorum Martialis apostoli & Magdalenæ; quodque in propria ecclesia in festo B. Martialis dicatur missa conuentualis, & ea die fiat solemne officium de ipso sancto; quodq; prædictæ missæ celebrentur in huiusmodi capella sic ordinata, & illa, quã fundauit dictus Clemens Papa: nisi tale subesset impedimentum, quod ibidem huiusmodi celebratio, secundum quod præmittitur, fieri non valeret; quo casu celebrentur ipsæ missæ in alijs capellis dictæ ecclesiæ, donec impedimentum cessauerit prælibatum. Ad prædictas autem missas celebrandas per priorem dictæ domus singulis diebus sabbatis deputentur duo fratres, qui per totã hebdomadam huiusmodi missas debeant celebrare. *Dat. Auin. iv. id. martij pontificatus nostri anno* vi.

IESV CHRISTI
annus 1377.

GREGORII PP.XI. 7. CAROLI IV. IMP. OCCID. 32. IO.PALAEOLOGI IMP. OR. 37.

1 ANnus a Virgineo partu septuagesimus septimus supra millesimum trecentesimum indictione quintadecima, restituta Vrbi sede Apostolica, quæ in Gallijs vno & septuaginta annis & eo amplius (si anni a creatione Clementis V. intermisso eo exiguo tempore, quo Vrbanus V. egit in Italia, numerentur) exulatat, illustris extitit. Gregorius enim decimatertia ianuarij die Corneto soluens, tranquillo mari Ostiam delatus, indeque per tyberis alueum decimaseptima eiusdem mensis die Romæ exceptus est, magistratibus omnibus ac promiscuo populo & clero obuiam effusis: cuius in Vrbem aduentus celebritatem, ingressusque pompam Petrus episcopus Senogalliæ, qui Gregorio comes hæsit, incompto versu sed accuratato, quod ad historicam narrationem spectat, ita describit. a

Gregorij in Vrbem aduentus.

Sero illo, quo nimirum Ostia tyberina ingressus est Pontifex, *properauerunt senes Romanorum venerabiles ad eorum præsulem accedere.*

Gaudio immenso repleti, plaudentes manibus, non valebant verbum proferre.

Deo teste, tanta iubilatio in terris non visa fuit: nequeo explicare.

Accenso lumine chorizabant cum tubis & faculis calui decrepiti cum sonore.

Veneris sequentis surrexit media nocte Antistes, vt laudes Deo *caneret.*

Libatis sacrificijs, aliquali dormitatione suscepta, tuba cecinit, vt omnes excitaret.

In galeam reuertitur Romanus Pontifex, vt per alueum Vrbem accederet.

Ventis & remis cum vela violentantur contra impetum fluuij, vt Romam *applicaret.* Et infra.

Effusis Deo precibus supplicibus, nobis in ripa obuiantibus, flentes præ gaudio,

Eleuatis vexillis, equis oneratis tintinnabulis cum ascensoribus in campo magno,

Currebant banderarij Romani *velut dementes, tubis clangentibus.*

Veniebant senes, pueri ac iuuenes clamantes: Viuat dominus.

Stabant in litore S. Pauli infiniti populi cum luminaribus.

Expectabant Romanum *præsulem cum nimio apparatu: Viuat Papa vociferantes.*

a *Petr. Amel. apud Masson. de Rõ. Pont. l. 6. & Ciacc. in Greg.* XI.

Obuiam itum ad fauces fluminis.

Accensis facibus instructisque ordinibus ad S. Paulum expectat°.

Nocte praeuentus non descendit in terram dominus: ibidem pernoctauit in alueo. (berio.
Bene cōsolatus somnū cepit antistes in galea in ty-
Mane autem facto, confluebant Romani innumerabiles a sancto Paulo.
Sole resperso descendit de galea prius bis libato sacrificio.
Die ipsa Sabbati XVII. ianuarij Simone Petro Romam prius cathedrata.

Die Cathedrae S. Petri, illius cathedra Romae restituta.

Antecessore tuo, cuius tu vestigia sequeris, ibidem cathedram tenuisti primo.
Te ingrediente doctoris gentium ecclesiam, tuae sanctitati occurrit mirabilis processio,
Flectente te genuo, largito panno aureo, missam audisti a Senegalliensi episcopo.
Facta visitatione S. Pauli palatij, ordinataque processione decorum praesul egreditur.
Via incoepta abutant Pontifici histriones, cum fistulis via tractatur.
Lata sunt nimia; infinitus est apparatus: choriZantes in iubilo omnes progrediuntur.

Triūphalis ingressus pompa.

Tuba clangente, sonnocataque acie mirabili vexilla eriguntur.
Adest societas nobilissimi ephoebi tyronis Remondi Turinna multum grata.
Regalisque nobilis & fortis acies erat militum bene armis decorata.
Multa militiae, plurima sagacitas velut castrorum acies bene ordinata.
Nec defuerunt primicerij banderijque, etiam senator manu armata.
Egrediente summo Pontifice S. Pauli palatium, affuerunt mille histriones.
Progrediente praesule, ante chorizabant induti omnes panno albo, manibus plaudentes.
Canente tuba processio incepit; & banderia eriguntur: omnes iubi antes.
Mane hora prima iter omnes ingressi fuimus, eundo latantes,
Vexillum ecclesiae gerebat senex tyro Emposta castellanus.
Domicilium quilibet egrediebatur proprium: occurrit infinitus populus Romanus.

Laetis clamoribus Vrbis personat.

Nobilium filij pileas ferebant ante dominum: Iste est dominus quem sperabamus.
Vociferantium vox erat etiam: Viuat Papa; eundo laetificamus.
In porta ciuitatis affuerunt innumerabiles praelati induti pontificalibus.
Signa gerebant papalia imperialiaque cum clericis & sacerdotibus.
Tintinnabula cum omni genere musicorum resonabant cum sonoribus
Limino cum ingreditur Romanus antistes, dominium ei traditur cum clauibus
Alma Vrbis. Consiliarij, senator, bandarenses omnes coopertisunt pannis sericeis;

Romanorum magnifici apparatus.

Vnde ascendebatur magnanimitas Romanorum nobilium cum eorum opulentijs.
Vere non credebam in praesenti saeculo videre tantam gloriam oculis proprijs.
Dire fatigatur praesul prolixitate itineris cum suis seruulis.
Per medium Vrbis proficiscendo ambulantes mulieres prae gaudio lamentabantur.
Super tectum ascendebant: cum nimia deuotione praesulem intuebantur,
Hilariter colleridas spargebant velut rosarum flores: omnes gratulabantur.
Celeriter per vicos currebat sicut Dei paranymphus Bertrandus Raphini mansionator.
Hora completorij ad gradus S. Petri ieiuni late peruenimus.
Tota praelibata die in processione & diuina laude insudauimus.
Clausa die nimium afflicti cum luminaribus prandium suscepimus.
Membra fatigata debilitataque magnifice gemmatis ferculis refocillauimus.
Tibi Christe splendor Patris immensas laudes refero.
Tuaeq; virgini matri humilem veniam postulo, etc.

a Confirmat Gregorij vitae scriptor a illum a Romanis magnifice exceptum; verum paulo post eorum refrixisse studia, atque nonnullos in patrimonio B. Petri, signifero Francisco e Vico Viterbij tyranno, rebellionem mouisse.

Excitare nonnullae turbae.

a Gesta Greg. XI. apud Bosq.

Vt intestinos hos motus facilius sedaret Pontifex, externos componere, ac Florentinos in concordiam cum ecclesia redigere est conatus: verum ij in contumaciam prolapsi sacrorum iustitium, spreta apostolica auctoritate, violare & sacerdotes ad rem diuinam profanandam cogere non perhorruerunt. Ad irritum etiam cecidere S. Catharinae labores, vt Florentinos ad officium reuocaret: qui eo etiam furoris prorupere, vt ferrum virgineo illius sanguine cruentassent, nisi Deus eorum impetus repressisset. Prolixiorem, sed egregiam de ijs narrationem e B. Raimundo Capuano b Dominicanae familiae alumno, qui S. Catharinae a sacris confessionibus fuit, illiusque vitam summa fide conscripsit, quam S. Antoninus suae historiae inseruit c, petere visum est.

Interdictum a Florentinis violatum.

b Raimun. Capuan. 13. vit. S. Cather. c. 17.

c Anton. 3. p. tit. 13. c. 14. §. 16.

Virgo reuersa in Tusciam. Postquam Pontifex ad Vrbem applicuit, euocato inde Raimundo, inquit: Mihi scriptum est de Florentia, quod si Catharina de Senis irat Florentiam, habebo pacem cu eis. Tunc ego: Pater sancte, nedum Catharina, sed omnes quotquot sumus, parati sumus pro obedientia sanctitatis vestrae vsque ad martyrium ire. At Pontifex: Nolo, quod tu vadas, quia te male tractarent: sed ipsa, tum quia mulier, tum quia reuerentiam habent ad eam, nil ei nocebunt: confectasque bullas super his opportunas misit virgini, quae Senis erat. Quae vt obedientiae filia absque tarditate iter assumpsit, & Florentiam peruenit. Vbi a viris Deo & ecclesiae fidelibus cum non parua veneratione suscepta est, locutaque est cum aliquibus probis ciuibus, persuadendo eis, quod nullo modo persisterent in dissensione cum Pontifice & pastore animarum suarum; sed quam citissime possent, reconciliarentur cum vicario Iesu Christi: locutaque est cum capitaneis partis Guelphae dicens, quod si essent, qui praestarent impedimentum paci & concordiae inter patrem & filios, illi digni essent priuari omni officio, quia non essent vocandi rectores, sed destructores boni communis & ciuitatis eiusdem, nec deberent habere conscientiam liberandi ciuitatem a tanto periculo per priuationem paucorum ciuium; addens, quod pax illa non solum expediebat corporibus & bonis temporalibus eorum, sed (quod est maius) quia necessaria erat saluti animarum eorum, quam habere nullatenus poterant absque ea: constabat enim, quod ipsi operam dederant efficacem notorie ad expoliandam Romanam ecclesiam bonis suis; vnde si fuisset etiam priuata persona, ipsi coram Deo, & quocumque iusto iudice tenebantur ad restitutionem bonorum, quae obstulerant, seu auferri fecerant per alios: quod si per pacem habere poterant huius debiti remissionem, sequebatur vtilitas maxima & corporibus & animabus eorum.

B. Catharina Senen. ad eos missa.

Eius legatio.

Hic

3 *His & alijs rationibus & persuasionibus tam dicti officiales, quam multi boni ciues inducti sunt ad persuadendum prioribus & alijs magistratibus, quod omnino pacem facerent non verbo tantum, sed opere & veritate. Sed huic bono se opposuerunt illi octo viri deputati ad faciendum guerram contra ecclesiam, homines diabolici; ideo officiales partis Guelfæ vnum ex illis octo priuarunt officio, & aliquos alios paucos prout potuerunt. Inde exarsit ignis in synagoga eorum duplex, tum ex parte eorum qui fuerunt priuati, tum ex parte quorumdam maleuolorum qui accensi sunt ad faciendum priuari etiam quosdam sibi odiosos, vt vindictam facerent de quibusdam proprijs iniurijs: & plus nocuit secundus ignis quam primus, & multos commouit contra sacram virginem.* Et infra. *Fit itaque conturbatio in ciuitate, & in eo turbine plures innocentes passi sunt iniurias & nocumenta, & qui pacem optabant exulare coacti sunt; inter quos sacra virgo, quæ pacis causa tantummodo venerat, per iniquos aliquos computata fuit, & inter alios descripta; ita quod publice quidam de incrudita plebe clamabant, dicentes: Capiamus & comburamus illam nequissimam mulierem, aut gladio eam trucidemus. Huius rei fama diuulgata, hi quorum domus inhabitabat cum suis licentiauerunt eam, timentes sibi, ne domus eorum propter huiusmodi comburerentur a populi furore. At illa conscientia innocentia sua nullo modo permota a mentis sua constantia, subridens & socios confortans, accessit ad locum, vbi erat hortus; & ea ibi orante, ecce satellites sathanæ cum gladijs & fustibus aduenientes tumultuabant, clamantes & dicentes. Vbi est illa mala mulier? Quod illa percipiens ad martyrium auida, ac si ad conuiuium vocaretur, occurrit eis; & vni eorum, qui gladio euaginato fortius cæteris clamabat, dicens: Vbi est ista Catharina? læta facie genuflexit & dixit. Ego sum Catharina. Fac in me, quod tibi permiserit Deus. Sed ex parte Dei tibi præcipio, quod nullum ex meis lædas. His verbis prolatis, ita consternatus est ille nequam, taliterque perdidit vires, quod nec percutere poterat, nec coram præsentia sua stare audebat: & qui tam ferociter eã quæsierat, postquam inuenerat expellebat eam a se, dicens: Recede a me. At illa, martyrium sitiens, respondit: Ego bene sto: Quo debeo modo ire? Parata sum pro Christo & ecclesia sua pati. Hoc diu desideraui. Nunquid debeo modo fugere, cum reperi quod optabam? Abscessit ille confusus cum socijs, alia læsione ei non facta. Quo facto, circumdederunt eam filij sui & filiæ spirituales, congratulantes de euasione eius, de qua plurimum tristabatur, quod martyrio digna non fuerat. Cum autem sui hortarentur eam Senas redire, eis non acquieuit, dicens se de territorio illo non posse discedere, quousque pax præconizata foret inter patrem & filios, quia sic habuerat a Domino in mandatis.*

Seditio orta Florentiæ.

Furor in B. Catharinam versus.

Insignis eiusdem constantia.

4 Dum S. Catharina mortem pro tuenda sedis Apostolicæ dignitate triumpho duceret, Vvicleffus parochus in Anglia ad eam conuellendam, ecclesiasticumque ordinem euertendum, fremens ira, quod in summos honores conscendere non potuisset, instinctu diabolico fœdissimas hæreses ex Marsilio, Ianduno, Michaele Cæsenate, & Fraticellis haustas, nouarumque adiectione consarcinatas disseminare, ac simplices subornare cœpit. Ad cuius reprimendam impietatem Gregorius Cantuariensi archiepiscopo & episcopo Londinensi dedit imperia a, vt in eum legibus agerent.

Vvicleffus hæresiarcha grassari incipit.

a Ext. apud Vvalsing. in Ricch. II.

Gregorius, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi & episcopo Londinensi salutem.

Plurium fidedignorum significatione dolenter andiuimus, quod Ioannes Vvycklef rector ecclesiæ de Lutticvvorth Lincolniensis diœcesis sacræ paginæ professor, vtinam non magister errorum, in illam detestabilem væsaniam dicitur temere prorupisse, quod nonnullas propositiones & conclusiones erroneas & falsas, in fide male sonantes, quæ statum totius ecclesiæ subuertere & eneruare conantur, quarumque aliquæ (licet quibusdam mutatis terminis) sentire videntur peruersas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marsilij de Padua & Ioannis de Ianduno, quorum vterque per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum reprobatus extitit & damnatus, non veretur in præfato regno asserere, dogmatizare, & publice prædicare, nonnullos Christifideles eis maligne inficiens, & a fide catholica, sine qua nõ est salus, faciens deuiare, de quibus sic subortis & non extirpatis, seu saltẽ eis nulla facta resistentia (quam sciamus) sed transactis seu toleratis conniuentibus oculis, tam negligenter transeundo, non immerito deberetis rubore perfundi, verecundari, & in proprijs conscientijs remorderi.

Marsilij Ianduni que hæreses exsuscitat.

Quare, cum tam perniciosum malum, quod non præcisum seu radicitus extirpatum serpere posset in plurimos, in animabus eorum (quod absit) letali contagione necandos, nolentes (sicut nec debemus) sub dissimulatione transire, fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus receptis præsentibus, vos vel alter vestrum de dictarum propositionum & conclusionum assertione, quarum copiam vobis mittimus sub bulla nostra inclusam, vos secrete informantes, si inueneritis ita esse, præfatum Ioannem faciatis auctoritate nostra capi & carceribus mancipari, eiusque confessionem super eisdem propositionibus seu conclusionibus recipere studeatis, ac ipsam confessionem, & quæcumque dictus Ioannes dixerit seu scripserit super earundem propositionum & conclusionum inductione ac probatione, & quidquid feceritis in præmissis, sub vestris sigillis clausa & nemini reuelata nobis per fidelem nuntium transmissuri: eundemque Ioannem sub fideli custodia teneatis in vinculis, donec a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis, &c. *Dat. Romæ apud S. Mariam maiorem 11. kal. iunij anno VII.*

Iussi præsules Angli in eum animaduertere.

Data sunt quoque ijsdem præsulibus imperia a, vt si Vvicclessus intercipi & vinculis mancipari non posset, publico edicto iudicium de hæresibus promulgatis illi intenderent, & apud subsellia apostolica die constituta ad causam dicendam ipsum se sistere iuberent: tum Eduardum Regem ac filios, proceres, aliosque auctoritate conspicuos ad asserendam incorruptæ fidei puritatem pio ardore accenderent b, monerentque quantum vniuersæ Angliæ dedecus inde aspergeretur: neque enim modo impij hominis dogmata fidem catholicam, verum ciuilem etiam omnem ordinem euertere. Præterea eundem Regem c ad religionem defendendam, ac regia auctoritate Cantuariensem archiepiscopum & episcopum Londinensem, vt Vvicolessum capere possent, fulciendos est adhortatus. Quo argumento etiam literas dedit ad Oxoniensis academiæ doctores. At ij, vt narrat Vvalsinghamus, æstuare cœperunt, an pontificium diploma exci-

a Ext. apud eund. Vvalsing. ea de re litera.

Monet principes ne illi studeant.

b Ext. ib.

c Ext. ib. ea de re lit.

Oxoniensis academia Vvicleffo fauet.

pore eum honore vel reijcere deberent, in quos merito exclamat auctor a: *Oxoniense studium generale, quam graui lapsu a sapientia & scientia culmine decidisti, quod quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare consuesti? Iam ignorantia nubilo obfuscatum dubitare non vereris, qua quilibet e laicis Christianis dubitare non decet.*

a Vvalsing. in Oxeburdelit.

5 Postularunt b iudicio Vvicleffum Pontificio iussu Cantuariensis archiepiscopus & episcopus Londinensis, prolessi nullius se periculi terrore a distingendæ in hæresiarcham ecclesiasticæ seueritatis constantia dimotum iri. Verum minis Vvicleffi sequacium postea fracti ignaue se gessere: cum enim comparuisset in iudicio Vvicleffus, erroneas vel hæreticas suas propositiones plurima arte in molliorem sensum detorsit, erroresque fidei catholicæ aduersantes damnate seporarum est contestatus. Cuius retractationis formulam affert Vvalsinghamus, qua nefarius hypocrita pium se ita fingit c: *In principia protestor publice, sicut sæpe feci alias, quod propono & volo ex toto corde meo (mediante Dei gratia) esse integer Christianus; & quandiu manserit in me halitus, profitere atque defendere, quantum sufficio, legem Christi: & quod, si ex ignorantia vel quacumque alia causa in ista defecero, rogo Deum meum de venia; & nunc prout ex tunc reuoco & retracto, submittens me humiliter correctioni sanctæ matris ecclesiæ.* Adiunxit mox subdolas propositionum impiarum interpretationes, hæresimque de ecclesiasticis a bonorum possessione deturbandis a laicis ita retractat: *Absit credere, quod intentionis meæ sit, seculares dominos licite posse auferre quandocumque & quamodocumque voluerunt vel nuda auctoritate sua, sed omnino auctoritate ecclesiæ in casibus & forma limitatis a iure.* De pontificio vero & præsulum auctoritate hæc professus est: *Non intendo derogare potestati Papæ, vel cuiuscumque prælati ecclesiæ, quin possint in virtute capitis ligare & soluere.* De sacerdotali vero munere hæc recantat: *Hoc debet credi pro catholica, quod quilibet sacerdos rite ordinatus secundum legem gratiæ habet potestatem, secundum quam potest sacramenta qualibet secundum speciem ministrare, & per consequens sibi confessum de quacumq; peccato contritum absoluere.* Hac palinodia indicti iudicij seueritatem, tectus patrocinio Ioannis ducis Lanclastriæ & aliquorum Londinensium, Vvicleffus euasit, nec vinculis traditus est, cum de bifronte & astuto hæresiarcha timendum esset, ne nouas in ecclesia turbas misceret. Tantummodo Cantuariensis archiepiscopus & episcopus Londinensis silentium illi indixere d; sed vir impius metropolitani imperia mox obtriuit, veteresque Berengarij, Vvaldensium, Albigensium, aliorumque impiorum hominum hæreses ab inferis excitauit: asciuitque sibi socios hypocritas, qui eas impune diuulgarunt cum nimirum potentiorum, quibus propinato aureo calice Babylonis gratissimi erant, auctoritate niterentur.

b Id. Vvalsing. in Ed.

c Ibid. Vvicleffi palinodia.

Studet illi dux Lancastriæ.

d Vvalsing ibid.

Hi, inquit Vvalsinghamus e, *vocabantur a vulgo Lollardi, incedentes nudis pedibus, vestiti pannis vilibus, scilicet de russeto; vt per vitam pœnalem facilius incautos traherent ad sectam suam.* Quos vero errores hi hypocritæ spargerent in vulgus, designat subiectis verbis: *Inter cætera ista quidem tenuerunt ad vnguem, videlicet quod Eucharistia in altari post sacramentum non est verum corpus Christi, sed eius figura. Item quod ecclesia Romana non est caput omnium ecclesiarum plus quam vna alia ecclesia; nec maior potestas per Christum data fuit Petro, quam cuilibet alteri Apostolo. Item quod Papa Romanus non habet maiorem potestatem in clauibus ecclesiæ, quam quicumque alius in ordine sacerdotij constitutus. Item quod si Dominus est, domini temporales possunt legitime ac meritorie auferre bona fortuna ab ecclesia delinquente. Item si dominus temporalis nouerit ecclesiam delinquentem, tenetur sub pœna damnationis eius ab ea temporalia auferre.* Et infra. *Item quod nec Papa, nec alius prælatus ecclesiæ deberet habere carceres ad puniendum delinquentes: sed quilibet delinquens posset libere quocumque vellet transire, & facere quæ sibi placerent. Ista & plura alia in subuersionem nostræ fidei asseruerunt & affirmauerunt dicti seductores in tantum, quod domini & magnates terræ multique de populo ipsos in suis prædicationibus confouerunt, & fauerunt prædicantibus his errores eo nempe maxime, quia potestatem tribuerunt laicis suis assertionibus ad auferendum temporalia a viris ecclesiasticis & religiosis.* Obseruandum porro est, impium hæresiarcham furere primū cœpisse in ordinem ecclesiasticū, a quo exambitos honores referre non potuerat: atq; vbi sacramenta destruere nisus esset, blasphemijs diuinitatis omnipotentiam adortum, tandem idololatriam & atheismum inducere pertentasse. Quo tanto antesignano nostri temporis nouatores gloriantur, quanquam non admirta t execrandas hasce Vvicleffi blasphemias a: *Deus nihil potest annihilare, nec mundum maiorare nec minorare: sed animas vsq; ad certum numerum creare & non vltra. Omnia de necessitate absoluta eueniunt. Qualibet creatura est Deus. Quodlibet est Deus. Deus debet obedire diabolo.* Ex quibus patet Vvicleffum furijs infernalibus agitatum fuisse. Damnati sunt primo illius errores b a Gregorio Papa, dein a Londinensi cōcilio c prouinciali, cui Thomas archiepiscopus Cantuariensis præfuit; ac demum in synodo d Constantiensi, qua de re alibi agemus.

e Id. in Eduardo III. Insignis Vvicleffi hypocrisis. Eius hæreses contra Eucharistiam, Et primatū Rom. eccl.

Et ius ecclesiasticū.

Et sacram fidei censuram.

Horrendæ Vvicleffi blasphemiæ. a Ex eius catalogo articulor. Io. Vvicleffi.

b Vvalsing. in Eduar. III. c Vvillel. Vvidefor. aduers. Io. Vvicleff. d Acta Cōstantien. synodi.

6 Ceterum Eduardo Regi Angliæ crimini vertitur, Vvicleffum dissimulādo ipsū prouexisse: qui etiam in alijs veteres laudes labefactauit, atque Aliciam Peresiam scortum impudentissimum in extremo senio infirmoque valetudine fouerit, salutisque inani spe deceptus prius vocis vsum amisit, quam vocali exomologesi crimina potuerit expiare, vt Vvalsinghamus narrat his verbis: *Rex Eduardus III. cum quinquaginta & fere vno annis regnasset, vigesimo prima die iunij apud manerium suum de Shene diem clausit extremum: cui per totum tempus suæ decubationis assederat, proh dolor! illa infanda meretrix Alicia Peeres, quæ cuncta, quæ chariora sunt, medio tempore semper suggessit eidem, nihil omnino tractans aut tractari permittens de animæ suæ salute, sed ei iugiter sanitatem corporis repromittens, donec in eo vidisset indubitata mortis indicia per vocis præclusionem. Tunc nempe cum cerneret vocem ademptam sibi, & oculorum aciet hebetari, caloremque naturalem extremitates relinquere, mox inuerecunda pellex detraxit annulos a suis digitis, & recessit. Solus tunc quidam sacerdos assidebat Regi moribundo, cæteris circa rerum intentis direptionem: qui ei, eo quod loqui non poterat, nec confessionem oretenus facere, persuasit vt veniam peteret pro commissis, afferens sibi crucis imaginem, quam dedit in manus eius. Rex autem cum reuerentia summa illam accipiens osculabatur deuotissime, nunc manus, vt poterat, in signum optandæ veniæ protendendo, nunc vero de suis oculis lacrymas vberes emittendo, & pedes imaginis frequentissime osculando. Tandem cum ad nutū presby-*

Eduardus Rex criminis non expers in permittēda Vvicleffo libertate.

Scorti familiaritatem in extremo morbo nō deserit.

Eius mors miseranda.

sbyteri motibus & signis, quibus potuit, petijsset primo & principaliter de peccatis a Deo remissionem, & secundario a cunctis creaturis, quas vel scienter vel ignoranter offenderat, spiritũ exalauit. Quid miserũ Regem iuuit, tot gessisse prælia pro Gallica corona adipiscẽda; immortalitatis vero & cœlestis coronę adipiscendę curas ad extrema fugientis vitæ suspiria extraxisse? Reliquit filios tres superstites Ioannẽ Lancastriæ, Edmundum Cantabrigiæ, & Thomam Glocestriæ duces, quorum nullus sceptro successit: sed ex Eduardo Vualliæ & Aquitaniæ maiore natu filio, qui iam ante decesserat, nepos a Richardus vndennis, qui die XVI. iulij apud Vuestmonasteriũ regijs insignibus est redimitus. Describit accurate Vualsinghamus b singulos ritus, qui in ea Regiæ inunctionis coronæque impositæ celebritate ab archiepiscopo Cantuariensi seruati sunt; ex quibus veterum Anglorum pietas & in religionem catholicam studium enitescit: creuisse autem Richardi segnitie in Anglia hæresim, tandemque solio illum deiectum, visuri sumus.

Succedit illius ex primogenito nepos.

a Vualsin. in Eduar. III. gesta Greg. XI. apud Bosq & alii. b Vualsing. in Eduar. III.

Friderici Regis Trinacriæ mors.

7 Eodem ferme tempore, quo Eduardus Anglus, diem etiam extremũ obijsse tradunt Fridericum Trinacriæ Regem Maria filia tantum superstite; proinde Petrum Aragonium regnũ exambire cœpisse, legatis ea de causa ad Gregoriũ missis: Pontificem eius cupidinem refregisse, ac fœminas, allato etiã Constantiæ Reginæ exemplo, posse succedere respondisse; negauisseque Mariam sceptro a se deiectum iri. Hæc pluribus Surita c, alijque.

c Sur. Ind. l. 3.

In Germania, cum libertas ecclesiastica a potentioribus opprimeretur, Carolus Imperator ad eam in suum splendorem vindicandam edictum g antea Francofurti & Pragæ promulgatum, v. kal. iulij Tangerundæ instaurauit.

g Ext. ann. Chr. 1359. n. 13.

Decretũ Caroli Imp. de libert. eccl. instauratum.

Postremo, quod ad Gregorium Papam attinet, ipsum Roma Anagniam concessisse colligendi aeris purioris & frigidioris gratia, refert eius vitæ scriptor h: *Eodem*, inquit, *anno adueniente tempore æstiuo Gregorius Papa propter calores Romæ vigentes ab inde exiuit, venitque ad Anagniam, vbi moram traxit per totam æstatem, cum sit ibi bonus & purus aer.* Breue huiusmodi iter describitur ab Amelio episcopo Senogalliensi i, de quo superius memoraui, quem consulat horum cupidus. Nos hic tantum erimus contenti: *Prima mane iunij antelucanum corpus Christi omnibus viam patefecit*; quibus antiquus ritus deferendæ ante Pontificem in itineribus Eucharistiæ illustratur. Addit vitæ Gregorij auctor l hæc ab eo sancita ob egregium, quo erat delibutus, pietatis sensum in recolenda Domini passione, & obseruantiam in Deiparam: *Eodem*, inquit, *anno dictus Gregorius in principio mensis septembris ab deuotionem, quam singulariter habebat ad passionem Christi & beatam Mariam virginem, ordinauit quæ sequuntur. Primo quod in posterum fieret officium integrum, quod super hoc fecit solemniter ordinari, de inuentione & exaltatione sanctæ crucis diebus, quibus occurreret: cum per prius in matutinis non dicerentur pro eorum qualibet dumtaxat nisi tres vltimæ lectiones, & aliæ sex de certis sanctis, quarum festiuitates dictis occurrerent diebus. Secundo quod natiuitas B. Mariæ virginis haberet vigiliam cum ieiunio, pro qua etiam officium proprium missæ ordinauit: cum tamen per prius nec esset de illa ieiunium, nec missa de vigilia huiusmodi cantaretur.* Addit auctor de Gregorij in Vrbem reditu, ac Francisco e Vico Viterbij tyranno ad officium reuocato: *In mense, vero*, inquit, *nouembri post sequente dictus Gregorius Romam*

h Gesta Greg. XI. apud Bosq.

Pontifex Eucharistiam in itinere deferri iubet.

i Itin. apud Bosq. pag. 17. Masson. de Rom. Pont. l. 6. & Ciacc. in Greg. XI. l Gesta Greg. XI. apud Bosq.

Officium S. Crucis iussi rutũ a Gregorio.

Pax cum Francisco e Vico inita.

rediit, & paulo post memoratus Franciscus de Vico præfectus Vrbis fuit sibi reconciliatus et pacificatus: in cuius signum idem Papa in propria baptizauit quamdam filiam suam, quæ hac de causa Viterbio venerat, & Romam fuit asportata.

IESV CHRISTI
Annus 1378.

GREGORII PP. XI. annus 8. — CAROLI IV. IMP. OCC. 33. IO. PALAEOL. IMP. OR. 38.

1 INgentem luctum attulit Christiano orbi anno a virgineo partu millesimo trecentesimo septuagesimo octauo, indictione prima, Gregorij XI. obitus, ingentesque subsecuti tumultus ecclesiam Dei concusserunt; sed de his proximo tomo agemus. Nunc cætera, quę ad Gregorium spectant, oratione prosequimur. Extremo superiore anno de pace Pontificem inter ac Florentinos serio agitatum, scribunt Leonardus Aretinus a ac Boninsegnius b præcipuo interprete ac suasore Bernabone Vicecomite: atque ideo communi consensu conuentus publicos indictos, in quibus de fœderis pactionibus fuit agitatum: quos vero ij Sarazanæ habitos tradunt, Lucæ celebratos testatur vitæ Gregorij auctor c: *Interuenientibus*, inquit, *& tractantibus aliquibus, fuit tunc actum de concordia & pace ineundis inter dictum Gregorium Papam & Florentinos cum eorum colligatis, qui erant (vt superius est expressum) fere omnes vassalli & subditi terrarum Romanæ ecclesiæ in partibus Italiæ consistentium, comitatu Campaniæ dumtaxat excepto: fuitque pro appunctuatione & perfectione tractatus huiusmodi de communi partium consensu ciuitas Lucana ordinata, ad quam venerunt certi pro parte partium huiusmodi deputati, & inter cæteros pro parte dicti Papæ dominus Ioannes de Grangia tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis illuc fuit destinatus: qui, iter suum prosequendo, transitum fecit per ciuitatem Viterbiensem nouiter ecclesiæ reconciliatam, vbi fuit receptus cum debita solemnitate & honore.*

De pace cum Florentinis actum.

a Leonard. Aret. hist. Flor. l. 9. b Boninsegnius l. 4. & alii. c Gesta Greg. XI. apud Bosq.

Pro ea cõciliãnda conuent. habiti.

2 Inter hæc cum Pontifex recessus Auinionenses ad Cardinalium Gallorum preces meditaretur d, arcano Numinis diuini consilio, ne Roma sedis Apostolicæ fastigio beneficioque careret, vt pij viri interpretati sunt, implicitus est morbo grauiore, quo omnia remediorum genera respuente, de successore sollicitus hæc sanxit.

Auenionẽ redire cogitat Gregor.

d To. 2. de schis. M. S. arch. Vat. pag. 22.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam futurorum.

Periculis & detrimentis grauissimis, quæ ecclesiæ sanctæ Dei ex longa vacatione propter guerras ingruentes & earum occasione, & alias quamplures causas possent accidere, salubri remedio obuiare cupientes, auctoritate apostolica, tenore præsentium irrefragabiliter statuimus & etiam ordinamus, quod si hinc ad kalendas septembris proxime futuras (definitum est a Gregorio hoc tempus, cum autumno appetente Auenionem repetere cogitaret) contingat nos decedere, sanctæ ecclesiæ Cardinales, tunc in Romana curia præsentes, seu maior pars, absentibus non vocatis nec aliquatenus expectatis, possint licite quemcumque locum alias honestum voluerint, eligere siue intra vel extra Vrbem, etiam minoris partis præsentium, contradictione non obstante, pro electione futuri summi Pontificis immediate successoris nostri hac vice facienda, recipere & habere, & tempus Cardinalibus præfixum

Decretũ illius de proximis Cardd. comitijs pro diligendo successore

fixum ad expectandum Cardinales absentes, antequam ad electionem summi Pontificis procedant & conclaue pro eligendo ingrediantur, abreuiare vel prolungare, vel in totum tollere, prout ipsis vel maiori parti ipsorum videbitur expedire, locumque prædictum electum & receptum, semel vel pluries mutare, aliumque de nouo recipere, & sine eo quod aliquod conclaue ingrediantur, libere eligere, prout ipsis vel maiori parti ipsorum videbitur opportunum, minori parte non consentiente, seu etiam contradicente; dantes & concedentes auctoritate apostolica, & de plenitudine potestatis, prædictis Cardinalibus præsentibus, seu maiori parti ipsorum omnem potestatem & auctoritatem eligendi Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summum Pontificem nobis immediatum successorem; statuentes ac decernentes auctoritate apostolica, & de plenitudine potestatis, vt ille, qui a prædictis Cardinalibus in Romana curia præsentibus, vel maiori parte, numero ipsorum minori parte etiam non consentiente vel contradicente, in Papam & Romanum Pontificem electus fuerit, sanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summus Pontifex & pastor absque vlla exceptione sit & habeatur: prædictorum Cardinalium conscientias de eligendo bono pastore onerantes, & ipsos obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, ipsisq; nihilominus iniungentes districtius & sub pœnis iuris, quod in præmissis pure, simpliciter, absque omni fraude, ac celeriter quantum poterunt secundum Deum & eorum conscientias procedere non postponas; constitutionibus prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum contrarijs non obstantibus quibuscumque, quas inquantum præmissis obuiant, vel alicui præmissorum, volumus pro ista vice pro infectis haberi. Ipsas tamen, & ipsarum modificationes alias volumus in suo robore permanere. Nulli ergo, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum XIV. kal. aprilis, pontificatus nostri anno VIII.*

Monitio de idoneo ad pontificium apicem eligendo.

3 Superstes deinde paucis diebus vitæ extitit Gregorius, versisque ad salutem animæ curis, ecclesiæ sacramentis rite munitus pie obijt, vt narrat subiectis verbis gestorum eius scriptor: *Memoratus Gregorius Papa a diu ante satis debilis & valetudinarius, ac graui infirmitate detentus, deuote receptis ecclesiasticis sacramentis cum magna cordis contritione, prout Domino placuit, die XXVII. mensis martij anni prædicti LXXVIII. in pace quieuit, fuitque primo corpus eius delatum ad ecclesiam B. Petri: & ibi pro eo solemnibus exequijs celebratis, in crastinum translatum & sepultum in ecclesia B. Mariæ nouæ, in qua prius Cardinalis existens fuerat intitulatus. Eius autem obitus fuit occasio, ne dictus tractatus* de componenda nimirum Pontificem inter & Florentinos pace, *perfectionē habuerit, aperuitq; viam multis malis & scandalis, quæ postea sunt subsecuta.* At quorum flagitio ea eruperint mala, dicetur inferius; nunc de Gregorij moribus hæc ex eodem auctore adiungimus: *Ipse multum dilexit suos, præsertim patrem, fratres, & nepotes & alios de domo & genere suis prodeuntes, quos licet denuo non exaltauerit, cum per prius per patruum suum Clementem Papam VI. sublimati fuissent, tamen ipsos in suo statu huiusmodi conseruauit secumque tenuit, ac eorum consilio & instigatione multa fecit, præsertim in promotionibus nonnullorum, quibus sufficientiores in moribus & scientia forsitan reperiri potuissent. Fuit tamen alias multum virtuosus, Deo & B. Mariæ virgini singulariter deuotus, quibus preces assiduas omni die cum magno feruore & intentione effundebat. Fuit insuper pauperum & afflictorum plus sustentator, consolator, & largissime benefactor.* Dilexit etiam *singulariter viros literatos, multosque ex ipsis suo tempore promouit & exaltauit quamdiu ecclesiæ præfuit. Quasi continue mentales anxietates habuit propter turbationes, quæ eidem ecclesiæ suo tempore contigerunt, quibus quantum potuit cum omni diligentia obuiauit: sed plene non valens occurrere. Etiam non minus afflictus est in persona, quam granella adeo grauauit, quod dies suos in magna parte minorauit, nondum enim annum* * LXVII. *ætatis suæ attigerat, quando eius spiritus, vt pie creditur, ad superos euolauit.* Quod ad sedis tempus attinet; cum ipsemet testetur a penultima decembris, exeuntis nimirum anni MCCCLXX. Pontificem se creatum fuisse, vigesima autem septima martij huius anni obijsse referant auctores, illum annis septē mensibus tribus, demptis vno & altero diebus, pontificatum tenuisse dicendum est. Sparsa est in Vrbe fama b, Gregorij mortem diuinitus acceleratam, vt in Vrbe sedes Apostolica defixa hæreret, cum illam Auinionem reducere meditaretur, quamuis antea diuino afflatus instinctu contra Cardinalium, Regum, nec non consanguineorum ac patriæ luctantes voluntates Romam accessisset, maximaque ea de causa discrimina subijsset: cæterum religio ex illius morte damnum ingens passa est, cum hæresiarcham Ioannem Vvicleffum apostolica solicitudine comprimere cœpisset, illique iudicium intentasset: *Cuius obitus,* inquit Vvalsinghamus c, *non modicum fideles contristauit, sed in fide falsos ipsum Ioannem & ipsius asseclas animauit.*

Sacramētis rite munitus obit Greg.

Illius virtutes.

* XLVII.

Sedis tempus.

a Tom. 6. ep. cur. pag. 17.

b MS. bib. Vat. sign. n. 3636. pag. 117.

c Thom. Vvalsing. in Rich. II.

L A V S D E O.

INDEX
IN TOMVM DECIMVMSEXTVM
ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

A

do.

con-

B

Pa-

C

sto-

INDEX.

F

non

Bar-

tam

de

gi-

Ve-

quæ

in

M

fac

N

ex

R

fu-

S

Ste-

eum

Z

LAVS DEO.

CORRIGENDA VEL MVTANDA.

Anno 1305. num 7. vers. 10. dele, cum.
cod. n. vers. 13 convenissent: lege, conveniessent.
n. 10. vers 3. de quo. adde. anno sequenti. & dele sex versiculos sequentes eique ad vocem, veniegie, inclusive.
A. 1306. n. 4. vers. 12. egentes, exegie.
n. 13. vers. 9. ante finem columnae, coep is, tetadn.
n. 14. §. 1. vers. vlt. cepelcat, capellam
A. 1307. n. 3. vers. 3. ante finem, memorat, memorant.
n. 3. §. Aguasse vers. 5 & alibi sæpe. Armoniis, Armonija.
n. 13. vers. 3. quam quamuis.
vers. 12 periisse, perijsse.
n. 22. col. 2. in tertia nota marginali: virtutibus, lege virtutibus.
n. 23 col. 2. vers. 5. vertereture, lege verteret.
n. 13. vers. 24 post vocem, sanctissimum: adde, eo.
n. 30. col. 2. vers. 3. Ioannes, Clemens.
A. 1308. n. 14 vers. 8. Ferrarienses, Ferrariensibus.
n. 13 vers. penult. Autissiooij.
n. 19 §. 4. vers. ult. Tregeriensis, Treuerensis.
n. 01. vers 4. anno 111. anno 1311.
n. 104. 2. vers. 9. dele, immo. vers. 10. adde, immo, ante vocem, ipsa. vers. 24. praeponderant, aequiponderent.
A. 1309. n. 11. vers. 30. recurrente, recurrentem.
n. 32. vers. 3 m, lege, h
A. 1310. n. 4. col. 2. in prima nota marginali: sultorum, cultorum
n. 40. in nota marginali prima, Templarij, Templaris
A. 1312. n. 41. vers. 8. arctimonia, acrimonia
n. 71. §. 4. vers. 10, Gyzicenum, Cyzicenum
A. 1312. n. 12 citationis marginalis 23, 24. post n. 17. ante §. Quaeritur: adde, 18
n. 12 §. Decoratam vers. 7. vt: adde, eorum quilibet.
n. 10 nota secunde marginalis, imperij etiam, imperielia.
A. 1313 n. 8. §. Transmisit, nota marginali, dele, lagatos,
n. 28 nota marginali 1, impudenta, impudentia.
A. 314. n. 14 vers 1. Vngariae, Vngaria.
n. 25. vers 33 Albertinus, Albertus. vers. 34. Robdorfius, Rebdorfius.
A. 1315. n. 1. vers 7. ante finem, fine, sui.
n. 2 eo. 3. vers. 3. modo, modus
n. 3. vers. penult. coniuratio, coniuratione.
A. 1316 n. 1. col. 1 vers. vlt. praeterissent, praeterijssent.
n. 19. vers. 6. dele eet.
A. 1317. n. 32. vers. 13 adhiberi, haberi
n. 17. vers. 4. Calabria irruptione, ut Calabriam irruptione.
n. 41 vers. 14. Conimbrie, Conimbrica.
n. 42. vers. 14. legauit, legatus.
n. 43. vers. 21. & vers. 23. Lancastria, Lancastria.
n. 32. vers. 13. illi, lege narranti.
A. 1318. n. 8. vers. 2. at menivm: adde, missi erant.
n. 8. nota marginali vltima: pontifice. Pontifice.
n. 38. nota marginali: sanctorum, praepone, ta
n. 31. nota prima marginali. sede, sedem.
n. 40. vers. 6. Auriensis, Auria.
n. 13. §. Praestare, nota marginali: ad consilia, consilia ad.
n. 39. vers. 6. ante finem, erma, adde, non.
n. 41. vers. vlt. dele u arum,
n. 42. nota prima marginali. Ordelaffer, Ordelaffos.
n. 37. nota vltima marginali dele, amplexa
A. 1319 n. 16 col. 2. vers. 8. post vocem vidermus: adde, superiorique anno vrgente significauit.
n. 27 §. 2 vers 19 Alcanderem Alcanderem.
n. 29. vers. 7. MCCCXIX. lege MCCCXIIX.
A. 1320. n. 8 vers. 18 Ferretensium, Ferrariensium.
n. 19 vers. 1. adminiratorem, administratorem n. 2. 2. nota prima marginali: senfite, senutre.
n. 31. vers. penult. Bellinpiadriensi, Belliquadrensi.
n. 40 §. Quae nota marginali, obsistentem, adde, ne comburerentur.
n. 41 vers penult. Ioanne, Ioannes. eod. n. nota secunda marginali dele, 8.
A. 1321. n. 4 vers. 2 erge, erga.
n. 24. col. 2. in prima nota marginali. varia, aeria.
n. 33. vers antepenult. reuertimur, reuertimur.
n. 38 §. Reddit vers. 9. enathemis, anathematis.
n. 41. §. Gessisse, vers. 1. Philippum principem, Philippus princeps.
A. 1322. n. 5. col. 2 vers 3. concitatam, concitarant.
n. 30. in nota marginali, cintica, ciuile.
n. 21. vers. 3 Senticui, Scotici
n. 30. vers. 1. carcicitam. adde posset.
n. 33. col. 2. vers. 2. Mounticitarum, Minoritarum.
vers. 6. Minoritae, Minoritas.
eod. n. 33. §. Prodijt. communij, communi
eod. 33. in nota marginali vltima, Arreblagi Arrebley.
n. 36. adde citationem marginalem, M. S bibl. Vatic. sign. n. 3740.
A. 1323 n. 1. vers. vlt. interis, adde, quarum exemplum quinto eoru anno, nonnullis immutatis, miserat.
n. 24 col 1 nota marginali. deficientur, deficiant.
n. 25. vers. 6. ante finem, iterumque, lege, quamquam iterum.
n. 29. nota secunda marginali. solutis, soluta.
n. 37. nota quarta marginali. diffident, diffident.
n. 38. col 2. nota septima marginali. ratiocinatione, ratiocinatione.
n. 41 nota quarta marginali, interpretatorem, interpretatione.
n. 48. nota marginali penult. iuri, iura.
ibid. verum, verum.
n. 67. vers. 4. Bituribus, Bituricensibus.
A. 1324. n. 5. vers. 3. enim iactabat speciore, lege, iactabat enim ad speciem.
vers 30. ecclesiastici, et clesiasticque.
n. 12. vers. 15. ante finem, interregum, interregnum.
n. 29 vers. 9. dele, non.
n. 27. vers. 17. constitutis, constituto.
n. 32. nota secunda margin. Eod. an. n. 16. vers. 18. partem, partem.
n. 37. col 2. vers. 9. Montispessulani, Montispessulani.
n. 38. nota marginali vltima, consilio, consilia.
n. 41. vers. penult. post vocem, stetuit, adde, superiori anno.
n. 44. nota secunda marginali Pontifici, pontificia.
n. 52. vers. 33. col. 2 vers. 10. demissis, dimissis.
n. 51. §. Ad ea, vers. 7. 1325.
A. 1325. n. 5 vers. 3. vt lege, qui, vt. vers. 20. post vocem, docuit, adde, anno proximo. n. 7. vers 36, Australes, Austriacos.
n. 9. vers. 12 recuperanda, lege, recuperandi.
n. 10. §. 1. vers. 12 ante finem, post vocem, indicio, adde, aliquot illum commentaria.
A. 1326 n. 7 §. Interea, vers. penult. obsecuterum, obsecuturam.
n. 35 §. Ad audientiam, nota prima marginalis, impetratores, impositores.
n. 42. vers. vlt. hoc, lege superiore, vel totum numerum reijce ad calcem anni 1321.
A. 1327. n. 9 nota secunda margin. in, m.
n. 12 nota marginali vlt. nouare, nouatam.
n. 37. §. Spatij vers. 4 praescriptionem, proscriptionem.
n. 39. nota prima marginali Iacobus Rex lege, Filius Iacobi Regis.
n. 44. §. In primis, ante finem columnae vers 9. repente, repetente, ante numerum 45. §. Inuidit, dele 44.
n. 52. vers. 1. imperali, imperieli.
A. 1328. n. 6. nota marginali penultima, senatori, senator.
n. §. 4. Conceptam. vers. 2. Bertandam, Bertrandam.
n. 26 vers. 28. pertentatum, pertentatum.
n. 22. dele notam primam marginalem.
n. 38. vers penultimo: Gido, Guido.
n. 46. nota marginali vltima. fundandes, fundendas.
n. 53 vers. 7. Castrucium, lege, Castrucini.
n. 88 vers. 16. ipsum sequaces lege, ipsum & fautores.
A. 1329 n. 1 vers. 1. decimatertia, duodecima, n. 9. col. 2. nota marginali penult. tum. cum.
n. 17 vers. 8. Robetum, Robertum.
n. 19 nota marginali vltima: iusto, adde, fit.
n. 58. nota prima marginal. Israellitarum, Israelitarum.
n. 71 vers 8. Praedicatoris, Praedicatorum.
n. 81. vers. 10. dominorum, dominicum.
vers. antepenult. regionis, religionis.
n. 88. § Sane nota prima marginali, Aragoni, Aragoni.
A. 1330. n. 4. vers 17. genhenna, gehenna
n. 16. vers. 13. elegisse, elegisset.
n. 18. nota prima marginali: exemplasse, expilasse.
n. 46. §. Confirmantur: vers 19. enim, lege, contrarie enim.
n. 17 col. secunda, nota marginali, eo earum, coniunge positam inserimus vocem, Caesarem.
n. 48 §. Quod attinet vers. 17 pactis, adde, annuis.
ibid §. Quod ad vers 17. Aragonia, ob Aragoniam.
n. vlt. vers. penult. iudiciatie, lege, iudiciaria. citatione vltima Beyo. Beord.
A. 1331 §. Dudum. nota prima marginalis locis, locis.
n. 18 §. Per se. vers. 14 coniugere, coniungere.
A. 1332 n. 12. §. 2 praepone num. 12.
n. 1 vers 19 ante finem. intercepto, lege suspecto.
n. 21 §. Metuebant. vers. 2. vt, ne.
A. 1333. n. 21. vers. 3. hydripes, hydrops.
n. 43. vers 1. Agitari, adde, eorum.
A. 1334. n. 3. vers. 6 Plaetione, Platone.
n. 10. vers 3. fideilibus, fidelibus n. 17. vers. 26. Atque.
n. 21. §. Increbuisse. vers. 10. aperuit, aperuere.
n. 32. nota secunda marginali. Vrsini, Vrsinos.
n. 33. vers. 30. eiam, enim.
n. 35 vers. 8. Platione. lege, Platone.
n. 40. vers 29 opulentiorem, opulentiorem.
§ Quam. vers. 1. dele, 41. eod. §. Quam. vers. vltimo, dele operam.

CORRIGENDA IN PRAETERMISSIS, &c.

Ann. 1257. n. 74. vers. 18. dele, ve
A. 1273. n. 9 §. Quibus expediteis & §. Idem vers. 1. dele, §. Eod. §. quibus expeditis, nota marginali vlt. vestius vestium.
A. 1288. n. 27. §. Reperimus. vers. 1. dele §1. eod. n. 27. §. Dissolue. vers. 1. dele 28.
A. 1289. n. 13. §. Gaudet. in nota marginali, soluto, remisse.
A. 1294. n. 13. §. Post commotionis nota secunda marginali. Aragonio, Aragonium.
A. 1307. n. 30 §. Sunt & in alijs. vers. 21. animalium; animaliumque.

R O M Æ,

Ex Typographia Vitalis Mascardi.

M D C L I I.

SVPERIORVM PERMISSV.